

M. TULLII CICERONIS

OPERA

QUAE SUPERSUNT OMNIA

AC

DEPERDITORUM FRAGMENTA.

M. TULLII CICERONIS

LIBRI QUI AD PHILOSOPHIAM
ET AD REM PUBLICAM SPECTANT.

EX LIBRIS MANU SCRIPTIS
PARTIM PRIMUM PARTIM ITERUM EXCUSSIS

EMENDAVERUNT

I. G. BAITERUS ET CAR. HALMIUS.

TURICI
SUMPTIBUS AC TYPIS ORELLII FÜSSLINI ET SOCIORUM.

LONDINII, WILLIAMS ET NORGATE.
AMSTELODAMI, IO. MÜLLER.

M. DCCC. LXI.

M. TULLII CICERONIS
OPERA
QUAE SUPERSUNT OMNIA

EX RECENSIONE

IO. CASP. ORELLII.

EDITIO ALTERA EMENDATIOR.

OPUS MORTE ORELLII INTERRUPTUM

CONTINUAVERUNT

I. G. BAITERUS ET CAR. HALMIUS.

VOLUMEN QUARTUM.

TURICI

SUMPTIBUS AC TYPIS ORELLII FÜSSLINI ET SOCIORUM.

LONDINII, WILLIAMS ET NORGATE. **AMSTELODAMI,** IO. MÜLLER

M. DCCC. LXI.

M. TULLII CICERONIS

OPERA

QUAE SUPERSUNT OMNIA

AC

DEPERDITORUM FRAGMENTA.

In Tusculanarum libris duo codices vetustissimi, Gudianus n. 294 et Parisinus n. 6332, iam antea ab aliis hominibus literatis adhibiti erant, sed cum in haud paucis locis de illorum codicum scripturis haud satis constaret, illos quoque iterum conferendos putavimus.

In Laelio et Catone Maiore ex ingenti librorum manu scriptorum copia illos elegimus, quos reliquis minus interpolatos esse usu cognoveramus. Paenitet non adhibuisse codicem bibliothecae publicae Monacensis num. 15514, in quem et ipsum nuper demum incidi, in quo Laelius scriptus est inde a capite XII. Habet is codex multa quidem vitia vulgaria, sed est liber ab interpolationibus eoque nomine suspiciendus, quod omnes facile, qui adhuc cogniti sunt, vetustate antecedit. Neglectus tamen erat in nostra bibliotheca, quia de eius aetate, quae saeculo decimo non est inferior, in indicibus codicum manu scriptorum erratum erat.

In reliquiis librorum de re publica non sine fructu usi sumus nova palimpsesti collatione quam G. N. du Rieu Batavus a se institutam publicavit. Etiam plus profuit sollertia Detlefsenii, qui et partem libri II denuo descripsit et in compluribus locis obscurioribus nostro rogatu palimpsestum iterum inspexit. Eius sagacitate perfectum est ut unus locus III, c. 15 p. 823, 18, qui adhuc pessime habitus erat, emendatione prorsus praeclara in integrum restitueretur. Utimur autem hac oblata occasione ut molestum operarum errorem p. 794, 19, ubi impressum est *circumiecto* eius loco quod debebat *circumiectu,* corrigamus.

Restat denique ut paucis significemus, per rationes, quae inter nos et typographum intercesserunt, factum esse ut absolutis libris philosophis manum, ut aiunt, de tabula ipsi tolleremus. Cum autem eius rationes postularent ut fragmenta quae vocant a nova editione ne excluderentur, haec quidem ita describenda curavimus, ut ab Orellio secundis curis retractata invenimus. In Timaeo tamen nostris copiis usi sumus; nam is liber, cum eius partes reliquae non ex diversis scriptoribus operis tesselati instar concinnatae sint, omnino ex fragmentis eximendus et inter reliquas scriptiones philosophas recipiendus erat. In Arati quoque Phaenomenis codicum Britannicorum lectiones Ottleio duce aliquanto accuratius indicavimus quam ab ipso Orellio factum est in Programmate Turicensi autumnali anni MDCCCXXXVII.

Scripsi Monachii ipsis Calendis Maiis a. 1862.

Carolus Halmius.

Hoc volumine continentur:

M. TULLII CICERONIS

LUCULLUS

SIVE

ACADEMICORUM PRIORUM LIBER SECUNDUS

EX RECENSIONE

CAROLI HALMII.

NOTARUM INDEX.

V = codex Vindobonensis $\frac{189}{\varphi.\ 208}$ (apud Endlich. nro. LV p. 26 sq.) saec. X. Contulit Carolus Schenkl. In aliquot locis codicem iterum inspexit Gust. Linkerus.
A = codex Leidensis Vossianus num. 84. Contulit Alfredus Fleckeisen.
B = codex Leidensis Vossianus num. 86. Contulit Baiterus.
C = codices A B V.
E = codex Erlangensis 38 (nunc num. 847), quem ipsi excussimus.
G = codex Gudianus secundus. Contulit A. Fleckeisen.
r = editio Romana a. 1471.
v = editio Veneta a. 1471.
b = editio Basileensis s. Cratandriana a. 1528.
O = editio Orelliana.

Discrepantes lectiones codicum A B V integras in commentarium criticum rettulimus, reliquorum selectas. In orthographia autem quam vocant auctoritatem codicum A B V fideliter secuti sumus neque tamen attulimus diversas rationes, quas quoque loco Orelli in vocabulis scribendis amplexus est.

I. 1. Magnum ingenium Luci Luculli magnumque optimarum artium studium, tum omnis liberalis et digna homine nobili ab eo percepta doctrina, quibus temporibus florere in foro maxume potuit, caruit omnino rebus urbanis. Ut enim admodum adulescens cum fratre pari pietate et industria praedito paternas inimicitias magna cum gloria est persecutus, in Asiam quaestor profectus, ibi per multos annos admirabili quadam laude provinciae praefuit; deinde absens factus aedilis, continuo praetor — licebat enim celerius legis praemio —, post in Africam, inde ad consulatum; quem ita gessit, ut diligentiam admirarentur omnes, in-

---

1. *L.* V O — 2. *peraccepta* V; *cepta* B[1] — 3. *claruit* A[1] — 4. *urbanis* V[2]: *humanis* A B V[1] — *ut enim urbanis admodum* A — 6. *profectos* A[1] — *ibi permultos* O cum Lamb. — 7. *prouintiae* A — *praefuit* B, sed *aefuit* in ras.

genium agnoscerent. Post ad Mithridaticum bellum missus a senatu non modo opinionem vicit omnium, quae de virtute eius erat, sed etiam gloriam superiorum. 2. Idque eo fuit mirabilius, quod ab eo laus imperatoria non admodum exspectabatur, qui adulescentiam in forensi opera, quaesturae diuturnum tempus, Murena bellum in Ponto gerente, in Asia pace consumpserat. Sed incredibilis quaedam ingenii magnitudo non desideravit indocilem usus disciplinam. Itaque cum totum iter et navigationem consumpsisset partim in percontando a peritis, partim in rebus gestis legendis, in Asiam factus imperator venit, cum esset Roma profectus rei militaris rudis. Habuit enim divinam quandam memoriam rerum, verborum maiorem Hortensius — sed, quo plus in negotiis gerendis res quam verba prosunt, hoc erat memoria illa praestantior: quam fuisse in Themistocle, quem facile Graeciae principem ponimus, singularem ferunt. Qui quidem etiam pollicenti cuidam se artem ei memoriae, quae tum primum proferebatur, traditurum respondisse dicitur oblivisci se malle discere: credo, quod haerebant in memoria quaecumque audierat et viderat. Tali ingenio praeditus Lucullus adiunxerat etiam illam, quam Themistocles spreverat, disciplinam. Itaque, ut litteris consignamus quae monimentis mandare volumus, sic ille in animo res insculptas habebat. 3. Tantus ergo imperator in omni genere belli fuit, proeliis, oppugnationibus, navalibus pugnis totiusque belli instrumento et adparatu, ut ille rex post Alexandrum maxumus hunc a se maiorem ducem cognitum quam quemquam eorum, quos legisset, fateretur. In eodem tanta prudentia fuit in constituendis temperandisque civitatibus, tanta aequitas, ut hodie stet Asia Luculli institutis servandis et quasi vestigiis persequendis. Sed etsi magna cum utilitate rei publicae, tamen diutius quam vellem tanta vis virtutis atque ingenii peregrinata afuit ab oculis et fori et curiae. Quin etiam, cum victor a Mithridatico bello revertisset, inimicorum calumnia triennio tardius quam debuerat triumphavit. Nos enim consules introduximus paene in urbem currum clarissumi viri: cuius mihi consilium et auctoritas quid tum in maximis rebus profuisset dicerem, nisi de me ipso dicendum esset, quod hoc tempore non est necesse. Ita privabo potius illum debito testimonio quam id cum mea laude communicem.

II. 4. Sed quae populari gloria decorari in Lucullo debuerunt, ea fere sunt et Graecis litteris celebrata et Latinis. Nos autem illa externa cum multis, haec interiora cum paucis ex ipso saepe cognovimus. Maiore enim studio Lucullus cum omni litterarum generi, tum philosophiae deditus fuit, quam qui illum ignorabant arbitrabantur, nec vero ineunte

---

1. *cognoscerent* G O — *mitridaticum* C — *missis* A^1B^1 — 4. *exspectabatur* V in marg. m. 2: *spectabatur* C — *adulescentia* B — 6. *in Asia pace* V G: *in Asiae pace* A B E; *in Asia in pace* Guilelmus. — 7. *usum* B^1 — 8. *percontando* V^2: *percontendo* A, *percontanda* B, *percontenda* V^1 — 14. *ei* V corr ex *et* — 17. *et audierat* O cum uno cod. Goerenzii. — *et* A^1 V: *ut* A^2, *aut* B — *praedictum* V^1 — 19. *inculptas* B — 21. *praeliis* B — *instrumenti* V, *instrumentis* G — 25. *odie* V^1 — 27. *affuit* V, *abfuit* A^2 O — 29. *uertisset* V^1 — 30. *urbe* B^1 — *clarissumiri* B; *clarissimi viri* A V O — 32. *profuissent* cod. Eliensis prob. Davisio — *es sed* V^1 — 33. *itaque* V — 34. *cum ea* B — 35. *popolari* A^1, *poculari* B^1 — *decorare* V^1 — 36. *sunt fere* E — 37. *exteriora* G — 38. *genere* C.

aetate solum, sed et pro quaestore aliquot annos et in ipso bello, in quo ita magna rei militaris esse occupatio solet, ut non multum imperatori sub ipsis pellibus otii relinquatur. Cum autem e philosophis ingenio scientiaque putaretur Antiochus, Philonis auditor, excellere, eum secum et quaestor habuit et post aliquot annos imperator, quique esset ea memoria, qua ante dixi, ea saepe audiendo facile cognovit, quae vel semel audita meminisse potuisset. Delectabatur autem mirifice lectione librorum, de quibus audiebat. 5. Ac vereor interdum ne talium personarum, cum amplificare velim, minuam etiam gloriam. Sunt enim multi, qui omnino Graecas non ament litteras, plures, qui philosophiam, reliqui, qui etiam si haec non inprobent, tamen earum rerum disputationem principibus civitatis non ita decoram putent. Ego autem, cum Graecas litteras M. Catonem in senectute didicisse acceperim, P. autem Africani historiae loquantur in legatione illa nobili, quam ante censuram obiit, Panaetium unum omnino comitem fuisse, nec litterarum Graecarum nec philosophiae iam ullum auctorem requiro. 6. Restat ut iis respondeam, qui sermonibus eius modi nolint personas tam graves inligari. Quasi vero clarorum virorum aut tacitos congressus esse oporteat aut ludicros sermones aut rerum conloquia leviorum! Etenim, si quodam in libro vere est a nobis philosophia laudata, profecto eius tractatio optimo atque amplissimo quoque dignissima est, nec quicquam aliud videndum est nobis, quos populus Romanus hoc in gradu conlocavit, nisi ne quid privatis studiis de opera publica detrahamus. Quod si, cum fungi munere debebamus, non modo operam nostram numquam a populari coetu removimus, sed ne litteram quidem ullam fecimus nisi forensem, quis reprendet otium nostrum, qui in eo non modo nosmet ipsos hebescere et languere nolumus, sed etiam ut plurimis prosimus enitimur? Gloriam vero non modo non minui, sed etiam augeri arbitramur eorum, quorum ad popularis inlustrisque laudes has etiam minus notas minusque pervolgatas adiungimus. 7. Sunt etiam qui negent in his, qui in nostris libris disputent, fuisse earum rerum, de quibus disputatur, scientiam: qui mihi videntur non solum vivis, sed etiam mortuis invidere.

III. Restat unum genus reprehensorum, quibus Academiae ratio non

---

1. *et* om. B — *et quaestore* G; *et quaestor* Faber — *aliquod* A B^1, *aliquid* V^1 — 5. *aliquod* A B^1 — *quique* B^1: *quicque* V^1, *cumque* V^2 A, sed A *cum* m. 2 in ras.; *quumque* B^2 O — 6. *quam* C O; *qua* emendavit Bentley; is enim fuisse traditur ille amicus, cuius aliquot praeclaras emendationes Davisius in Addendis ed. I p. 336 sqq. publicavit. Cf. de structura Bentl. ad Hor. Serm. I, 6, 15 et ad Cic. Tusc. V, c. 14. — 8. *audierat* Ernesti; at est «*de quibus audiebat*» idem quod «de iis rebus, de quibus audiebat,» ut monuit Madvigius in *Emendationibus in Cic. libros philosophicos* I, p. 121. — 9. *uel* V^1 — 10. *pluras* V^1 — *reliqui qui* B V A^2: *reliqui* A O; *aliqui qui* Bentley — 12. *decorem* B^1 — *putent* C: *putant* 2 codd. Davisii et O — 14. *legione* A^1 V — *obiit* in A m. 2 sup. lin. add. — 15. *quomitem* B^1 — *ne phil.* A^1 V^1 — 16. *fautorem* Bentley — *hiis* V — 18. *tacitas* V^1 — *congressos* A — 21. *aliud* V^2: *aliud ut* A B V^1, ut in archetypo *aliut* fuisse videatur — *uitandum* V^2 — 22. *Romanus* om. B^1 — 23. *de* om. B^1 — *cum* B, sed *um* in ras. — 24. *debeamus* V in marg. m. 2 et O — *numquam* G v: *umquam* A B, *unquam* V E — *caetu* B^1 — 25. *remouimus* A (*re* in ras.): *remouemus* B V O — *faecimus* A^2; *facimus* A^1 B V O; emendationem Durandi *removimus* -- *fecimus* commendavit Madvig ad l. de finn. p. 26. — 26. *reprehendet nostrum otium* O — 27. *etiam* om. G O — *enititur* V^1; *enitimur* -- *minui* om. B^1 — 28. *minuiset* V^1 — 29. *populares* C O — 30. *in iis* r O — *qui nostris* A — 32. *solum* om. G — *uiuisset etiam* B^1 — 33. *achademiae* V.

probatur. Quod gravius ferremus, si quisquam ullam disciplinam philosophiae probaret praeter eam, quam ipse sequeretur. Nos autem, quoniam contra omnes, qui ** dicere quae videntur solemus, non possumus, quin alii a nobis dissentiant, recusare: quamquam nostra quidem causa facilis est, qui verum invenire sine ulla contentione volumus, idque summa cura studioque conquirimus. Etsi enim omnis cognitio multis est obstructa difficultatibus eaque est et in ipsis rebus obscuritas et in iudiciis nostris infirmitas, ut non sine causa antiquissimi et doctissimi invenire se posse quod cuperent diffisi sint, tamen nec illi defecerunt neque nos studium exquirendi defatigati relinquemus; neque nostrae disputationes quicquam aliud agunt nisi ut in utramque partem dicendo eliciant et tamquam exprimant aliquid, quod aut verum sit aut ad id quam proxime accedat. 8. Nec inter nos et eos, qui se scire arbitrantur, quicquam interest, nisi quod illi non dubitant quin ea vera sint quae defendunt, nos probabilia multa habemus, quae sequi facile, adfirmare vix possumus. Hoc autem liberiores et solutiores sumus, quod integra nobis est iudicandi potestas, nec ut omnia, quae praescripta et quasi imperata sint, defendamus necessitate ulla cogimur. Nam ceteri primum ante tenentur adstricti, quam quid esset optimum iudicare potuerunt: deinde infirmissimo tempore aetatis aut obsecuti amico cuidam aut una alicuius, quem primum audierunt, oratione capti de rebus incognitis iudicant et, ad quamcumque sunt disciplinam quasi tempestate delati, ad eam tamquam ad saxum adhaerescunt. 9. Nam quod dicunt omnia se credere ei, quem iudicent fuisse sapientem, probarem, si id ipsum rudes et indocti iudicare potuissent — statuere enim, qui sit sapiens, vel maxime videtur esse sapientis —, sed, ut potuerint, potuerunt omnibus rebus auditis, cognitis etiam reliquorum sententiis, iudicaverunt autem re semel audita atque ad unius se auctoritatem contulerunt. Sed nescio quo modo plerique errare malunt eamque sententiam,

---

3. *omnes qui dicere quae uidentur* C; *omnes dicere quae aliis uid.* A corr.; V in marg. habet: «*uel: qui scire sibi uid.*»; *o. dicere qui scire sibi vid.* r v O, sed v sine *sibi*; *dicere quae videntur* Pal. 2; nos signum lacunae posuimus, quam sic fere explendam putamus: *omnes, qui se scire arbitrantur, dicere quae videntur solemus.* Similiter iam in cod. Cantabr. lacuna suppleta est: *omnes, qui scire sibi videntur, dicere quae videntur solemus.* — 4. *alia nobis dissentient* B[1] — 5. *facilis* C: *facilior* O et V in marg. — 8. *et antiquissimi* O cum 5 codd. Davisii — 9. *inuenare* V[1] — *diffissi* B — 10. *relinquimus* O et 2 codd. Dav. — 11. *uti in* B — *dicendo* V G: *dicendo et audiendo* A B E — 12. *eliceant* C — 13. *neque* G O — 17. *praescripta et quibus et* (*hec* A sed 2 m. in ras.) *quasi* C, in qua lectione quid lateat ignoratur, nisi in *et quibus et quasi* vera et falsa lectio iuxta posita est. — 19. *obtimum* B — 20. *obsequuti* B — *cuidam* C: *cuipiam* O cum Lamb. nescio quo scrupulo motus. — 21. *aliquoius* B, *aliquo uis* V — 24. *omnia* C: *omnino* V in marg., G O — *sacro dere* V[1] — 25. *statuere enim* V m. 2 in ras. habet — 26. *sed, ut potuerint -- contulerunt* Lambinus: *sed ut potuerunt omnibus rebus auditis cognitis etiam reliquorum sententiis iudicauerunt aut re semel audita ad unius se auctoritatem contulerunt* C. Emendationem Lambini satis firmavit Madvigius l. c. I, p. 123 sqq., recte ille sic explicans: «Sed fac eos potuisse, quis esset sapiens, iudicare, hoc tum demum potuerunt, cum omnes res auditae, cognitae etiam reliquorum sententiae essent; ii vero longe aliter iudicarunt; nam re semel audita in unius magistri verba iurarunt.» Ex reliquorum conatis unam Mureti coniecturam, de qua iam recte iudicavit C. F. Hermannus in Philologi VII, p. 466, sed parum feliciter novam ipse emendationem tentavit, attulisse sufficiet: *sed, ut potuerint, omnibus rebus aud., cogn. etiam r. sententiis iudicaverunt, an re semel audita ad unius se auct. contulerunt?*

quam adamaverunt, pugnacissime defendere quam sine pertinacia, quid constantissime dicatur, exquirere. Quibus de rebus et alias saepe nobis multa quaesita et disputata sunt et quondam in Hortensi villa, quae est ad Baulos, cum eo Catulus et Lucullus nosque ipsi postridie venissemus quam apud Catulum fuissemus. Quo quidem etiam maturius venimus, quod erat constitutum, si ventus esset, Lucullo in Neapolitanum, mihi in Pompeianum navigare. Cum igitur pauca in xysto locuti essemus, tum eodem in spatio consedimus.

IV. 10. Hic Catulus: Etsi heri, inquit, id quod quaerebatur paene explicatum est, ut tota fere quaestio tractata videatur, tamen exspecto ea, quae te pollicitus es, Luculle, ab Antiocho audita dicturum. Equidem, inquit Hortensius, feci plus quam vellem; totam enim rem Lucullo integram servatam oportuit. Et tamen fortasse servata est: a me enim ea, quae in promptu erant, dicta sunt, a Lucullo autem reconditiora desidero. Tum ille: Non sane, inquit, Hortensi, conturbat me exspectatio tua, etsi nihil est iis, qui placere volunt, tam adversarium: sed quia non laboro, quam valde ea, quae dico, probaturus sim, eo minus conturbor. Dicam enim nec mea nec ea, in quibus, si non fuerint, vinci non malim quam vincere. Sed me hercule, ut quidem nunc se causa habet, etsi besterno sermone labefactata est, mihi tamen videtur esse verissima. Agam igitur, sicut Antiochus agebat; nota enim mihi res est. Nam et vacuo animo illum audiebam et magno studio, eadem de re etiam saepius, ut etiam maiorem exspectationem mei faciam quam modo fecit Hortensius. Cum ita esset exorsus, ad audiendum animos ereximus. 11. At ille: Cum Alexandriae pro quaestore, inquit, essem, fuit Antiochus mecum, et erat iam antea Alexandriae familiaris Antiochi Heraclitus Tyrius, qui et Clitomachum multos annos et Philonem audierat, homo sane in ista philosophia, quae nunc prope dimissa revocatur, probatus et nobilis: cum quo Antiochum saepe disputantem audiebam, sed utrumque leniter. Et quidem isti libri duo Philonis, de quibus heri dictum a Catulo est, tum erant adlati Alexandriam tumque primum in Antiochi manus venerant: et homo natura lenissumus — nihil enim poterat fieri illo mitius — stomachari tamen coepit. Mirabar: nec enim umquam ante videram. At ille, Heracliti memoriam inplorans, quaerere ex eo, viderenturne illa Philonis aut ea num vel e Philone vel ex ullo Academico audivisset aliquando? Negabat. Philonis tamen scriptum

---

1. *pertinatia* A B — *quod* V — 2. *alia* B^1 — *nobis* A B: *a nobis* Lamb.; *nobis* om. V O — 3 *condam* B — 4. *posltridie* A B — 5. *quam -- fuissemus* om. V^1 — 6. *in neopol.* A, *in eopol.* V^1 — 7. *xisto* A V — 9. *inquid* B — 10. *toladfere* B — *expecta* B^1 (*expectare* in A B semper scriptum est) — 11. *te* in B sup. lin. — 12. *Lucullo* 2 Parisini (?) Davisii: *catullo* C — 14. *promtu* B — 17. *quamquam ualde* C — 18. *nec ea* in B sup. lin. — *non si f.* B — *si vera non fuerint* Davies ex 2 codd. suis et V corr. m. 2. — 19. *vinci non malim* scripsi: *uinci me malim* C; *non vinci me malim* edd. — *mallim* A^1 V^1 — *meercula* B — 20. *labefactata* B^2 V^2 r: *labefacta* C O; cf. §§ 16. 32. Acad. post. I, § 33. — 22. *magnos* V^1 — 23. *ei* V — 24. *anim* B^1 — 25. *quaestor* Davies — *issem* C; *Alexandriam -- issem* Goerenz — 26. *anthiochus* A — *antiochii eraclitus* A — 27. *erachlitus tirius* B — *philionem* V, *filonem* B — 29. *quo et Ant.* A^2 B — 30. *leuiter* v — 31. *allati* C O (*alati* B^1) — *alexandri* A^1 — 32. *anthiochii* A — 33. *ille* V^1 — *sthomacari* A — *enim* B sup. lin. — 34. *eracliti* A V — 35. *uiderentur nec illa* B^1 — *num uelle philonem* (*fil.* A B) C, sed in V *uel e philone* ead. m. corr. — 36. *autdiuisset* A^1; *audiuisse* B, sed *e* extr. ex corr. — *filionis* B^1.

agnoscebat; nec id quidem dubitari poterat; nam aderant mei familiares, docti homines, P. et C. Selii et Tetrilius Rogus, qui se illa audivisse Romae de Philone et ab eo ipso illos duo libros dicerent descripsisse. 12. Tum et illa dixit Antiochus, quae heri Catulus commemoravit a patre suo dicta Philoni, et alia plura; nec se tenuit quin contra suum doctorem librum etiam ederet, qui Sosus inscribitur. Tum igitur et cum Heraclitum studiose audirem contra Antiochum disserentem et item Antiochum contra Academicos, dedi Antiocho operam diligentius, ut causam ex eo totam cognoscerem. Itaque conplures dies adhibito Heraclito doctisque conpluribus et in iis Antiochi fratre, Aristo, et praeterea Aristone et Dione, quibus ille secundum fratrem plurumum tribuebat, multum temporis in ista una disputatione consumpsimus. Sed ea pars, quae contra Philonem erat, praetermittenda est; minus enim acer est adversarius is, qui ista, quae sunt heri defensa, negat Academicos omnino dicere. Etsi enim mentitur, tamen est adversarius lenior. Ad Arcesilan Carneademque veniamus.

V. 13. Quae cum dixisset, sic rursus exorsus est: Primum mihi videmini — me autem nomine appellabat —, cum veteres physicos nominatis, facere idem, quod seditiosi cives solent, cum aliquos ex antiquis claros viros proferunt, quos dicant fuisse populares, ut eorum ipsi similes esse videantur. Repetunt ii a P. Valerio, qui exactis regibus primo anno consul fuit, commemorant reliquos, qui leges populares de provocationibus tulerint, cum consules essent; tum ad hos notiores, C. Flaminium, qui legem agrariam aliquot annis ante secundum Punicum bellum tribunus pl. tulerit invito senatu et postea bis consul factus sit, L. Cassium, Q. Pompeium: illi quidem etiam P. Africanum referre in eundem numerum solent. Duo vero sapientissimos et clarissimos fratres, P. Crassum et P. Scaevolam, aiunt Ti. Graccho legum auctores fuisse, alterum quidem [ut videmus] palam, alterum [ut suspicantur] obscurius. Addunt etiam C. Marium. Et de hoc quidem nihil mentiuntur. Horum nominibus tot virorum atque tantorum expositis, eorum se institutum sequi dicunt. 14. Similiter vos, cum perturbare, ut illi rem publicam, sic vos philosophiam bene iam constitutam velitis, Empedoclen, Anaxagoran, Democritum, Parmeniden, Xenophanem, Platonem etiam et So-

---

1. *dubitare* A¹ B¹ — 2. *homines* V in marg.: *omnes* C — *tre'ilius* V; *C.* (immo *T.*) *Raecilius* Guilelmus ex lectione cod S. Vict *crecilius* — *Rocus* Ursinus — *audisse* O — 3. *rom̄* B — *filone* A — *duos* A² V² O — 4. *ille* B¹. *illi* V¹ — *antioches* B — 5. *philioni* V — 7. *eracl.* A — *disserentem* - - *Antiochum* om. A¹ — 9 *conpuleres dies adibito eraclito* A¹ — 10. *iis* A B² V¹ : *is* B¹. *his* V² O — 12. *consumsimus* A¹ — 13. *philonem* V¹, *phileonem* B¹ — 15. *leuior* G, 3 codd. Dav. et v — 16. *arcessilan* B, *Arcesilam* r O — *carnedemque* V¹ — 18. *apellabat* A — 19. *solent caliquos* B¹ — 21. *ii a* Davies: *iam* C: *a* O ex cod. Ursini: *iam a* Lamb. — *ualerium* A² B² — 22. *leḡ* B — 23. *tum hos* vel *tum autem hos* coni. Davies — 24. *flamminium* A — *aliquod* A¹ B¹ — *annos* E — 26. *Q*] *quae* A, *que* B — *atque illi quidem* Lamb. — 27. *duos* A² B V² O — *fratres*] *viros* Lamb.; at v. Cic. Brut. § 98. — 28. *aiuntib* V¹, *aiunt Tib.* B: A habet *Tib.* in ras. — *gracchos* A² B² V² — *auctores legum* O — 29. *ut videmus* et *ut suspicantur* cum Grutero inclusimus: nam apparet illos de omnibus praeterquam de Mario mentitos esse: *ut videtur* - - *ut suspicamur* coni. Durand — 31. *adque* B¹ — 32 *similiter* 3 codd. Dav.: *simile* 5 mei, sed *e* habet A in ras. — *vos* om. Lamb. — 33. *sic*] *ut* A¹ corr. m. 2 (ex *ita*?) — *Empedoclem*, *Anaxagoram*, *D.*, *Parmenidem* O — 34. *Xenophanem* P. Victorius: *xenoplatonem* C; *Cenonem* r.

cratem profertis. Sed neque Saturninus, ut nostrum inimicum potissimum nominem, simile quicquam habuit veterum illorum, nec Arcesilae calumnia conferenda est cum Democriti verecundia. Et tamen isti physici raro admodum, cum haerent aliquo loco, exclamant quasi mente incitati, Empedocles quidem, ut interdum mihi furere videatur, abstrusa esse omnia, nihil nos sentire, nihil cernere, nihil omnino quale sit posse reperire: maiorem autem partem mihi quidem omnes isti videntur nimis etiam quaedam adfirmare plusque profiteri se scire quam sciant. 15. Quod si illi tum in novis rebus, quasi modo nascentes, haesitaverunt, nihilne tot saeculis, summis ingeniis, maxumis studiis explicatum putamus? nonne, cum iam philosophorum disciplinae gravissimae constitissent, tum exortus est, ut in optuma re publica Ti. Gracchus, qui otium perturbaret, sic Arcesilas, qui constitutam philosophiam everteret et in eorum auctoritate delitisceret, qui negavissent quicquam sciri aut percipi posse? quorum e numero tollendus est et Plato et Socrates: alter, quia reliquit perfectissimam disciplinam, Peripateticos et Academicos, nominibus differentes, re congruentes, a quibus Stoici ipsi verbis magis quam sententiis dissenserunt. Socrates autem de se ipse detrahens in disputatione plus tribuebat iis, quos volebat refellere. Ita cum aliud diceret atque sentiret, libenter uti solitus est ea dissimulatione, quam Graeci εἰρωνείαν vocant: quam ait etiam in Africano fuisse Fannius, idque propterea vitiosum in illo non putandum, quod idem fuerit in Socrate.

VI. 16. Sed fuerint illa veteribus, si voltis, incognita. Nihilne est igitur actum, quod investigata sunt, posteaquam Arcesilas Zenoni, ut putatur, obtrectans, nihil novi reperienti, sed emendanti superiores inmutatione verborum, dum huius definitiones labefactare volt, conatus est clarissimis rebus tenebras obducere? Cuius primo non admodum probata ratio, quamquam floruit cum acumine ingeni tum admirabili quodam lepore dicendi, proxime a Lacyde solo retenta est, post autem confecta a Carneade, qui est quartus ab Arcesila; audivit enim Hegesinum, qui Euandrum audierat, Lacydi discipulum, cum Arcesilae Lacydes fuisset. Sed ipse Carneades diu tenuit — nam nonaginta vixit annos —, et qui illum audierant, admodum floruerunt: e quibus industriae pluri-

---

2. *ueterem* A[1], *uetcrom* V, *uetere* B[1] — *arcessilae* A[1] B V — 4. *alico excl.* V[1] — *inciuitati* A[1] V[1]; *concitati* Lamb. e cod. — 7. *reperiri* B[2] — 8. *se* om. V — 9. *quasi modo nascentes* spuria iudicavit P. Ciacconus — 11. *tum exortus est ut in* Gruterus e suis Palatinis, ut videtur: *tum* (*tum ut* V[2]) *exorsus est in* C — 12. *tibi graccus* V — *ocium* B — *perturbaretur si arcessilas* V[1] — 13. *constitutam et* V — 14. *auctoritatem* A V — *delitisceret* A B: *delitesceret* V (?) O; cf. Bait. ad or. p. Tullio § 33 p. 97, 1. — *aut* B corr. ex *ut* — 15. *reliquid* A[1] B[1] — 19. *tribuaebatis quos* B — *his* A V — *diceret* om. V; in marg. m. 2 add. *agnosceret* — 20. *esset* C — *ironian* C — 23. *veteribus* Bentley: *uetera* C — *incondita* Hermannus l. c. p. 467, *vetera* retinens — 24. *actum? Quot investigata -- obducere?* Bentley; at recte Madvigius l. c. p. 127 sqq. sententiam loci sic expedivit: «At fuerint illa veteribus ignota; postea certe investigata sunt; haec igitur vana erunt inanisque opera in iis investigandis posita, postquam Arcesilae placuit Zenoni obloqui? Habebitne hanc vim Arcesilae disputatio, ut nihil actum putemus, quod illa investigata sint, reiiciamurque ad vetera illa?» — *acersilas* A — 25. *obtractans* V — *emendandis superioras* B[1] — *inmutationes* A B[2] — 27. *clarisimis* A — 29. *lacide sole* V[1] — 30. *confecta* Manutius: *conficta* C — *egesinum* V, *hegessimum* B — 31. *euuandrum* B — *lacidi* V — *lacides* V — 33. *et quillum* A.

mum in Clitomacho fuit — declarat multitudo librorum —, ingenii non minus in Hagnone, in Charmada eloquentiae, in Melanthio Rhodio suavitatis. Bene autem nosse Carneaden Stratoniceus Metrodorus putabatur. 17. Iam Clitomacho Philo vester operam multos annos dedit. Philone autem vivo patrocinium Academiae non defuit. Sed quod nos facere nunc ingredimur, ut contra Academicos disseramus, id quidam e philosophis, et ii quidem non mediocres, faciundum omnino non putabant; nec vero esse ullam rationem disputare cum iis, qui nihil probarent; Antipatrumque Stoicum, qui multus in eo fuisset, reprehendebant, nec definiri aiebant necesse esse, quid esset cognitio aut perceptio aut, si verbum e verbo volumus, conprehensio, quam κατάληψιν illi vocant; eosque, qui persuadere vellent, esse aliquid quod conprehendi et percipi posset, inscienter facere dicebant, propterea quod nihil esset clarius ἐναργείᾳ, ut Graeci: perspicuitatem aut evidentiam nos, si placet, nominemus fabricemurque, si opus erit, verba, ne hic sibi — me appellabat iocans — hoc licere soli putet: sed tamen orationem nullam putabant inlustriorem ipsa evidentia reperiri posse, nec ea, quae tam clara essent, definienda censebant. Alii autem negabant se pro hac evidentia quicquam priores fuisse dicturos, sed ad ea, quae contra dicerentur, dici oportere putabant, ne qui fallerentur. 18. Plerique tamen et definitiones ipsarum etiam evidentium rerum non inprobant, et rem idoneam, de qua quaeratur, et homines dignos, quibuscum disseratur, putant. Philo autem, dum nova quaedam commovet, quod ea sustinere vix poterat, quae contra Academicorum pertinaciam dicebantur, et aperte mentitur, ut est reprehensus a patre Catulo, et, ut docuit Antiochus, in id ipsum se induit, quod timebat. Cum enim ita negaret, quicquam esse, quod comprehendi posset — id enim volumus esse ἀκατάληπτον —, si illud esset, sicut Zeno definiret, tale visum — iam enim hoc pro φαντασίᾳ verbum satis hesterno sermone trivimus —, visum igitur inpressum effictumque ex eo, unde esset, quale esse non posset, ex eo, unde non esset: — id nos a Zenone definitum rectissime dicimus; qui enim potest quicquam conprehendi, ut plane confidas perceptum id cognitumque esse, quod est tale, quale vel falsum esse possit? — hoc cum infirmat tollitque Philo,

---

2. *in Hagnone* Christ: *in hac nonne* B[1], *in hac Nonne* V; *in hac quam* A, sed *quam* m. 2 in ras.; *in hoc quam* B[2]; *in* ** O; *in Bione* Lamb.; *in Aemone* Guilelmus; *in Aeschine* Davies. Acute vidit Christ in lectione *in hacnonne* non aliud nomen nisi *in Hagnone* latere, quamquam memoria huius philosophi intercidit. — *Charmada* V: *charmade* B; *carneadę* A — *loquentiae* B[1] — *rodio* A B V[1] — 3. *Carneadem* V O — *tratoniceus* B[1] — 4. *philione* B — 5. *quos nos* A[1] — 6. *inegredimur* A V[1], *aggredimur* V[2] — *ut* A V corr. ex *et* — *quadam* A[1] (*quidam philosophi* Lamb.) — 7. *hi* V — 8. *nec uero* A (sed *o* in ras.): *nec uerum* B V; *nec enim* O cum Goerenzio (*nec verum esse disputare* Lamb., *nec enim verum esse ulla ratione disp*. Davies cum J. M. Bruto); cf. de locutione *ratio est* infra § 74. or. p. Caec. § 15. Auct. ad Her. IV, § 18. — 9. *fuisse* B[1] — 10. *agebant* B[1] — 11. *catalempsin* C — 12. *aliquod* A — 13. *clarius senergea* C — 15. *nec hic* A B — *apellabat* A — 16. *putet soli* O — 17. *uidentia* B — *reperire* A — 18. *censuerant* A B corr. ex *conserant* — 19. *sed ea* V — 20. *fallerent* A[2] — 23. *ea sustinere* etiam E, non *sust. ea*, ut Goerenzio confisus Klotz edidit — 24. *pertinatiam* A B — 25. *Catuli* Manutius — 27. *acatalempton* C; *καταληπτόν* coni. Turnebus — 28. *fantasia* C — 29. *effictum* unus Paris. Davisii: *effectum* C; *effictum* est Graecum ἀπομεμαγμένον, v Diog. Laert. VII, 50. — 30. *unde esse* B V; *quod esset* et deinde *quod non esset* Lamb.; at tuetur lectionem librorum Augustinus c. Acad. II, 5, 11. — 31. *quaquam* V[1] — 32. *id* C: om. O cum codd. dett.

iudicium tollit incogniti et cogniti: ex quo efficitur nihil posse conprehendi. Ita inprudens eo, quo minime volt, revolvitur. Qua re omnis oratio contra Academiam suscipitur a nobis, ut retineamus eam definitionem, quam Philo voluit evertere. Quam nisi optinemus, percipi nihil posse concedimus.

VII. 19. Ordiamur igitur a sensibus: quorum ita clara iudicia et certa sunt, ut, si optio naturae nostrae detur et ab ea deus aliqui requirat, contentane sit suis integris incorruptisque sensibus, an postulet melius aliquid, non videam quid quaerat amplius. Nec vero hoc loco exspectandum est, dum de remo inflexo aut de collo columbae respondeam; non enim is sum, qui quidquid videtur tale dicam esse quale videatur. Epicurus hoc viderit et alia multa. Meo autem iudicio ita est maxima in sensibus veritas, si et sani sunt ac valentes, et omnia removentur, quae obstant et inpediunt. Itaque et lumen mutari saepe volumus et situs earum rerum, quas intuemur, et intervalla aut contrahimus aut diducimus, multaque facimus usque eo, dum adspectus ipse fidem faciat sui iudicii. Quod idem fit in vocibus, in odore, in sapore, ut nemo sit nostrum, qui in sensibus sui cuiusque generis iudicium requirat acrius. 20. Adhibita vero exercitatione et arte [ut oculi pictura teneantur, aures cantibus,] quis est quin cernat, quanta vis sit in sensibus? Quam multa vident pictores in umbris et in eminentia, quae nos non videmus! quam multa, quae nos fugiunt in cantu, exaudiunt in eo genere exercitati! qui primo inflatu tibicinis Antiopam esse aiunt aut Andromacham, cum id nos ne suspicemur quidem. Nihil necesse est de gustatu et odoratu loqui, in quibus intellegentia, etsi vitiosa, est quaedam tamen. Quid de tactu, et eo quidem, quem philosophi interiorem vocant, aut doloris aut voluptatis? in quo Cyrenaici solo putant veri esse iudicium, quia sentiatur: — potestne igitur quisquam dicere inter eum, qui doleat, et inter eum, qui in voluptate sit, nihil interesse? aut, ita qui sentiet, non apertissime insaniat? 21. Atqui qualia sunt haec, quae sensibus percipi dicimus, talia secuntur ea, quae non sensibus ipsis percipi dicuntur, sed quodam modo sensibus, ut haec: «illud est album, hoc dulce, canorum illud, hoc bene olens, hoc asperum.» Animo iam haec tenemus conprehensa, non sensibus. «Ille» deinceps «equus est, ille canis.» Cetera series deinde sequitur, maiora nectens, ut haec, quae quasi expletam rerum conprehensionem amplectuntur: «si

---

3. *reteneamus* C — 9. *ne uero* A — 10. *inflexu* V, corr. m. eadem in *inflexo* — 11. *enim missum* B^1 — *qui* A sup. lin. — *quicquid* A B V^2 — *uideatur* A^2 B — 12. *me* V^1 — *ista est* V^1 — 16· *aut deducimus m. facimus* om. V^1 — *eodem* V^1 — *asp.* A B — 18. *qui non in* E — 19. *ut*] *et* A B; *ut oculi -- cantibus* suspecta erant Davisio; videntur ex margine adiecta esse, ubi aliquis rem, de qua hic agitur, adnotaverat. — 20. *qui ñ* A, sed *ñ* in ras. m. 2. — 21. *multi* B^1 — *nos* ante *non vid.* om. V — 22. *nos fuiui in* B — 23. *anthiopam* B — 25. *gustau* B^1 — *etsi obtusior* Schuetz; *etsi vilior* Baiter — 26. *quid et actu* A^1 — 27. *cirenayci* A — 28. *cui assentiantur* coni. Guietus, *cui assentiamur* Davies, *cui adsentiatur* (= cui adsentiendum sit, coll. §§ 39 et 58) Madvig p. 131; at v. Sexti Empir. adv. mathem. VII, § 191: *φασὶν οὖν οἱ Κυρηναϊκοὶ κριτήρια εἶναι τὰ πάθη καὶ μόνα καταλαμβάνεσθαι* cet. et v. infra § 76. — 29. *qui doleat et inter eum* om. V^1 — 30 *sentiet* A B^2 V: *sentient* B^1; *sentiat* E O — *insanit* Davies cum uno Par. — *adqui* B^1 — 33. *hoc sperum* A^1 — 34. *illa* B^1 — 35. *aequus* A V — *nectens quae .. amplectuntur, ut haec* Walker — 36. *comprensionem* A.

homo est, animal est mortale, rationis particeps.» Quo e genere nobis notitiae rerum inprimuntur, sine quibus nec intellegi quicquam nec quaeri disputarive potest. 22. Quod si essent falsae notitiae — ἐννοίας enim notitias appellare tu videbare —, si igitur essent eae falsae aut eius modi visis inpressae, qualia visa a falsis discerni non possent, quo tandem iis modo uteremur? quo modo autem, quid cuique rei consentaneum esset, quid repugnaret, videremus? Memoriae quidem certe, quae non modo philosophiam, sed omnem vitae usum omnesque artes una maxime continet, nihil omnino loci relinquitur. Quae potest enim esse memoria falsorum? aut quid quisquam meminit, quod non animo conprehendit et tenet? Ars vero quae potest esse, nisi quae non ex una et duabus, sed ex multis animi perceptionibus constat? quam si subtraxeris, qui distingues artificem ab inscio? Non enim fortuito hunc artificem dicemus esse, illum negabimus, sed cum alterum percepta et conprehensa tenere videmus, alterum non item. Cumque artium aliud eius modi genus sit, ut tantum modo animo rem cernat, aliud, ut moliatur aliquid et faciat, quo modo aut geometres cernere ea potest, quae aut nulla sunt aut internosci a falsis non possunt, aut is, qui fidibus utitur, explere numeros et conficere versus? Quod idem in similibus quoque artibus continget, quarum omne opus est in faciendo atque agendo. Quid enim est quod arte effici possit, nisi is, qui artem tractabit, multa perceperit?

VIII. 23. Maxime vero virtutum cognitio confirmat percipi et conprehendi multa posse. In quibus solis inesse etiam scientiam dicimus, quam nos non conprehensionem modo rerum, sed eam stabilem quoque et immutabilem esse censemus, itemque sapientiam, artem vivendi, quae ipsa ex sese habeat constantiam. Ea autem constantia si nihil habeat percepti et cogniti, quaero unde nata sit aut quo modo? Quaero etiam, ille vir bonus, qui statuit omnem cruciatum perferre, intolerabili dolore lacerari potius quam aut officium prodat aut fidem, cur has sibi tam graves leges inposuerit, cum, quam ob rem ita oporteret, nihil haberet conprehensi, percepti, cogniti, constituti? Nullo igitur modo fieri potest

---

1. *rationis* om. V^1 — 3. *queri* C — *disputariue* $A^2 B^2$: *disputari* $A^1 B^1$ V; *aut disputari* O, ut habet V m. 2 in marg. — *notitiae ἐννοίας enim* om. B^1 — *ennoeas* C — 4. *eae* A B^2: *hae* B^1 V O — 6. *iis* nos: *his* C O — *cuique regi* B^1 — 7. *uidemus* $A^1 B^1$ V — 8. *omnem vitae usum* Walker: *omnis* (*omni* V^1) *uitae usum* C; *omnes vitae usus* O ex coni. Bremii — 12. *uno* V G — *et* A V: *aut* B E O; *et ex* G v, *aut ex* ed. Man. et Lamb. — *quas si* Walker. «Docet Lucullus artes omnes perceptione contineri atque ita contineri, ut etiam ex multis perceptionibus constent. Atque hoc verum quidem est; neque tamen ita loquebantur Academici, ut plures perceptiones vulgo nominarent, sed de una perceptione, i. e. de percipiendi facultate disputabant. Cum igitur dixisset: *quae non ex una, sed ex pluribus perceptionibus constat,* inesset autem singularis numeri significatio in illo *una,* recte subiecit *quam* (i. e. perceptionem in universum) *si subtraxeris,* si percipi quidquam posse negaveris.» Madvig I, 139. — 14. *negauimus* $B^1 V^1$ — 15. *videbimus* Lambinus — 16. *animo* om. G prob. Goerenzio; at v. Madvig. l. c. p. 140. — *mol. aliquo* V — 17. *aut* A: *autem* B V; v. Madvig p. 141. — *geometris* A B — 20. *coque* B — 21. *posset* A B V^1 — *his* A — 25. *nos* A sup. lin. — *sed eam stabilem et imm.* G; *sed etiam stabilem atque imm.* Lamb. — 27. *ex se* V — 28. *nata* V corr. ex *nec tam*; *nacta* A B — *comodo* V — 29. *intollerabili* A V — 30. *quam aut* C: *quam ut* Lamb. 2 Parr. Davisii, O; at v. Hermannum l. c. p. 467. — *has igitur sibi* G O.

ut quisquam tanti aestimet aequitatem et fidem, ut eius conservandae causa nullum supplicium recuset, nisi iis rebus adsensus sit, quae falsae esse non possint. 24. Ipsa vero sapientia, si se ignorabit sapientia sit necne, quo modo primum obtinebit nomen sapientiae? deinde quo modo suscipere aliquam rem aut agere fidenter audebit, cum certi nihil erit quod sequatur? cum vero dubitabit, quid sit extremum et ultimum bonorum, ignorans quo omnia referantur, qui poterit esse sapientia? Atque etiam illud perspicuum est, constitui necesse esse initium, quod sapientia, cum quid agere incipiat, sequatur, idque initium esse naturae accommodatum. Nam aliter adpetitio — eam enim volumus esse ὁρμήν —, qua ad agendum impellimur et id adpetimus, quod est visum, moveri non potest. 25. Illud autem, quod movet, prius oportet videri eique credi: quod fieri non potest, si id, quod visum erit, discerni non poterit a falso. Quo modo autem moveri animus ad adpetendum potest, si id, quod videtur, non percipitur, accommodatumne naturae sit an alienum? Itemque, si quid offici sui sit non occurrit animo, nihil umquam omnino aget, ad nullam rem umquam impelletur, numquam movebitur. Quod si aliquid aliquando acturus est, necesse est id ei verum, quod occurrit, videri. 26. Quid quod, si ista vera sunt, ratio omnis tollitur, quasi quaedam lux lumenque vitae, tamenne in ista pravitate perstabitis? Nam quaerendi initium ratio attulit, quae perfecit virtutem, cum esset ipsa ratio confirmata quaerendo. Quaestio autem est adpetitio cognitionis quaestionisque finis inventio. At nemo invenit falsa, nec ea, quae incerta permanent, inventa esse possunt, sed, cum ea, quae quasi involuta fuerunt, aperta sunt, tum inventa dicuntur. Sic et initium quaerendi et exitus percipiundi et comprehendendi tenetur. Argumenti conclusio, quae est Graece ἀπόδειξις, ita definitur: ratio, quae ex rebus perceptis ad id, quod non percipiebatur, adducit.

IX. 27. Quod si omnia visa eius modi essent, qualia isti dicunt, ut ea vel falsa esse possent, neque ea posset ulla notio discernere, quo modo quemquam aut conclusisse aliquid aut invenisse diceremus? aut quae esset conclusi argumenti fides? Ipsa autem philosophia, quae rationibus progredi debet, quem habebit exitum? Sapientiae vero quid futurum est? quae neque de se ipsa dubitare debet neque de suis decretis, quae philosophi vocant δόγματα, quorum nullum sine scelere prodi poterit. Cum enim decretum proditur, lex veri rectique proditur:

---

1. *aestimat* A^1 V — 2. *nisi* B sup. lin. — *hiis* B, *his* A V — 3. *possint* C: *possunt* edd., ut iam v — *si se ign. sapientia* om. A^1 — 4 *primum quo modo* Lamb. — *dein* B — 6. *dubitauit* B^1 V — 7. *referatur* A^1 — 9. *itque* V — 10. *vol. esse* A B: *esse vol.* V O — *hormen* C — 16. *officii* V O — 17. *num mouebitur* V — 19. *quid quod* V, sed *quid* ead. m. expunctum — 20. *dux lumenque* Bentley — 21. *perfec.t* (i sup.) V, *perficit* E; *perficit virtutem, cum est ipsa* cet. coni. Christ — 23 *quaestionisque finis* B in ras. habet — *ad* A^1 — *nec ea* V corr. ex *necta* — 25. *in uoluptate* V, *ta fuerunt* B in ras. habet; fort. *involuta ante fuerunt* — 26. *exitum* 2 codd. Davisii — *percipiendi* O — *comprendendi* V^1 — *tenetur* Bentley: *tenet* C, quod tuebatur Guietus *ratio* ex v. 22 supplens; contra Walkero *ratio* ante *et initium* addendum videbatur. — *argumenti* A^1 V: *itaque argumenti* A^2 B O — 27. *apodixis* C — *ex* A corr. ex *et* — 30. *vel falsa vel vera* perperam est corr. in 2 codd. Davisii — 31. *quempiam* cod. Car. Stephani — *aliquit* A^1 — *dicemus* C — 35. *dogmata* C (*doc.* V) — 36. *uera* B^1.

quo e vitio et amicitiarum proditiones et rerum publicarum nasci solent. Non potest igitur dubitari quin decretum nullum falsum possit esse sapientis, neque satis sit non esse falsum, sed etiam stabile, fixum, ratum esse debeat, quod movere nulla ratio queat. Talia autem neque esse neque videri possunt eorum ratione, qui illa visa, e quibus omnia decreta sunt nata, negant quicquam a falsis interesse. 28. Ex hoc illud est natum, quod postulabat Hortensius, ut id ipsum saltem perceptum a sapiente diceretis, nihil posse percipi. Sed Antipatro hoc idem postulanti, cum diceret, ei, qui adfirmaret nihil posse percipi, unum tamen illud dicere percipi posse consentaneum esse, ut alia non possent, Carneades acutius resistebat. Nam tantum abesse dicebat, ut [id] consentaneum esset, ut maxime etiam repugnaret. Qui enim negaret quicquam esse quod perciperetur, eum nihil excipere: ita necesse esse ne id ipsum quidem, quod exceptum non esset, conprehendi et percipi ullo modo posse. 29. Antiochus ad istum locum pressius videbatur accedere. Quoniam enim id haberent Academici decretum — sentitis enim iam hoc me δόγμα dicere —, nihil posse percipi, non debere eos in suo decreto, sicut in ceteris rebus, fluctuari, praesertim cum in eo summa consisteret: hanc enim esse regulam totius philosophiae, constitutionem veri falsi, cogniti incogniti: quam rationem quoniam susciperent docereque vellent, quae visa accipi oporteret et quae repudiari, certe hoc ipsum, ex quo omne veri falsique iudicium esset, percipere eos debuisse: etenim duo esse haec maxima in philosophia, iudicium veri et finem bonorum, nec sapientem posse esse, qui aut cognoscendi esse initium ignoret aut extremum expetendi, ut aut unde proficiscatur aut quo perveniendum sit nesciat: haec autem habere dubia nec iis ita confidere, ut moveri non possint, abhorrere a sapientia plurimum. Hoc igitur modo potius erat ab his postulandum, ut hoc unum saltem, percipi nihil posse, perceptum esse dicerent. Sed de inconstantia totius illorum sententiae, si ulla sententia cuiusquam esse potest nihil adprobantis, est, ut opinor, dictum satis.

X. 30. Sequitur disputatio copiosa illa quidem, sed paulo abstrusior — habet enim aliquantum a physicis —, ut verear ne maiorem largiar ei, qui contra dicturus est, libertatem et licentiam. Nam quid eum facturum putem de abditis rebus et obscuris, qui lucem eripere conetur? Sed disputari poterat subtiliter, quanto quasi artificio natura fabricata

---

2. *sapientis neque satis sit* A (sed est *neq;* in ras.), ut coni. Davies: *sapientisque satis sit* B V; *sapientique satis non sit* Manutius et O — 5. post *uisa* in B rasura est quinque litterarum. — 8. *diceret his* V — *ante patro* A^1 — 9. *ei qui* A^1, ut coni. Manutius: *eique* A^2 B V — *unum . . posse consentaneum esse* V: *consentaneum esse unum . . posse consentaneum esse* A B; *consentaneum esse unum . . posse* O — 10. *diceret* V, fort. ex *illud ut diceret* — 11. *actius* A^1 — *ut id* A B: *ut ei* V, unde nolim cum Lamb. *ut id ei*, sed videtur *utei* vetus forma pro *uti* — 14. *ceptum* B — *conprendi* B, *comprendi* V — 15. *posset* V^2 — *praessius* A — 18. *fluctuari* C: *fluctuare* V sup. lin. et O — *eos* B^1 — 21. *quae uisa* scripsi: *quaeuis* C E G; *quae a quovis* edd. vitiosa iam orationis forma. — *et* om. A B E v fort. recte — 24. *esse* in A erasum, quod delendum esse Lamb. coni.; *initium esse* E — 25. *expetenti* B^1 — 26. *neque* O — *is* V, *his* A, *his* B O — 27. *possunt* B; *possit* (sc. sapiens) Walker — 30. *est ut* Ernesti: *sit ut* C, [*sit*,] *ut* O — 34. *ei* B in ras. habet — 36. *suptiliter* B V.

esset primum animal omne, deinde hominem maxime, quae vis esset in sensibus, quem ad modum primum visa nos pellerent, deinde adpetitio ab his pulsa sequeretur, tum ut sensus ad res percipiendas intenderemus. Mens enim ipsa, quae sensuum fons est atque etiam ipsa sensus est, naturalem vim habet, quam intendit ad ea, quibus movetur. Itaque alia visa sic arripit, ut iis statim utatur, alia quasi recondit, e quibus memoria oritur. Cetera autem similitudinibus construit, ex quibus efficiuntur notitiae rerum, quas Graeci tum ἐννοίας, tum προλήψεις vocant. Eo cum accessit ratio argumentique conclusio rerumque innumerabilium multitudo, tum et perceptio eorum omnium apparet, et eadem ratio perfecta his gradibus ad sapientiam pervenit. 31. Ad rerum igitur scientiam vitaeque constantiam aptissima cum sit mens hominis, amplectitur maxime cognitionem, et istam κατάληψιν, quam, ut dixi, verbum e verbo exprimentes, conprensionem dicemus, cum ipsam per se amat — nihil enim est ei veritatis luce dulcius — tum etiam propter usum. Quocirca et sensibus utitur et artes efficit, quasi sensus alteros, et usque eo philosophiam ipsam corroborat, ut virtutem efficiat, ex qua re una vita omnis apta est. Ergo ii, qui negant quicquam posse conprendi, haec ipsa eripiunt vel instrumenta vel ornamenta vitae, vel potius etiam totam vitam evertunt funditus ipsumque animal orbant animo, ut difficile sit de temeritate eorum, perinde ut causa postulat, dicere. 32. Nec vero satis constituere possum, quod sit eorum consilium aut quid velint. Interdum enim cum adhibemus ad eos orationem eius modi: si ea, quae disputent, vera sint, tum omnia fore incerta, respondent: Quid ergo istud ad nos? num nostra culpa est? naturam accusa, quae in profundo veritatem, ut ait Democritus, penitus abstruserit. Alii autem elegantius, qui etiam queruntur, quod eos insimulemus omnia incerta dicere, quantumque intersit inter incertum et id, quod percipi non possit, docere conantur eaque distinguere. Cum his igitur agamus, qui haec distinguunt: illos, qui omnia sic incerta dicunt, ut stellarum numerus par an inpar sit, quasi desperatos aliquos relinquamus. Volunt enim — et hoc quidem vel maxime vos animadvertebam moveri — probabile aliquid esse et quasi veri simile, eaque se uti regula et in agenda vita et in quaerendo ac disserendo.

XI. 33. Quae ista regula est [veri et falsi], si notionem veri et falsi,

---

2. *primum* scripsi: *prima* A V; *primo* B (?) O ex Lamb. coni. — *eos* Lamb. — *app.* C O — 4. *ipse sensus* Ernesti; at v. Sext. Emp. VII, § 350. Plut. de plac. philos. IV, 23. — 6. *iis* C: *his* O — *statim utatur* A, sed *m u* in ras. — *alia quasi* Faber: *aliqua sic* C; *aliqua* O — *recundit* A[1] — 7. *cetera* V m. 2 in marg. — *construit* C (sed A *ruit* in ras. habet): *constituit* v O — 8. *enoeas tum prolempsis* C — 10. *earum* mavult Christ, cf. tamen §§ 43 et 62. — 10. *profecta* Manutius — 11. *is* A — 13. *catalempsin* A B, *catallemsin* V — *ut dixi* Guieto glossa videbatur. — 14. *dicimus* Lamb. — *propter se* coni. Lamb. — 15. *est enim* O — *dilucius* V[1], *dilucidius* V[2] — 17. *re* auctore Ernestio del. Huelsemann — 18. *est* scripsi: *sit* C O — *hii* A, *hi* B V O — 23. *huiusmodi* O; at cf. Madvig ad l. de finn. b. et m. IV § 14. — 24. *disputent* Christ: *disputentur* C O — *uera non sint* B[2] — 25. *acusa* V — 26. *poenitus* A — *abstuserit* B — *eligantius* A[1] — 27. *quaeruntur* A — 28. *certum* B — 29. *conatur* B[1] — *destinguere* A — *his* C: *is* G[1], *iis* G[2] O — *distingunt* A B — 30. *ut* om. B[1] — 31. *disperatos aliquod* B[1] — 32. *animadvertebam vos* O — 33. *uere simile* A[1] V[1] — *eamque se uti* (*secuti* corr.) *regulam* V — *se* B sup. lin. — 35. *veri et falsi* spurium esse vidit Lamb. — *notiotionem* V.

propterea quod ea non possunt internosci, nullam habemus? Nam si habemus, interesse oportet ut inter rectum et pravum, sic inter verum et falsum. Si nihil interest, nulla regula est, nec potest is, cui est visio veri falsique communis, ullum habere iudicium aut ullam omnino veritatis notam. Nam cum dicunt hoc se unum tollere, ut quicquam possit ita videri, ut non eodem modo falsum etiam possit videri, cetera autem concedere, faciunt pueriliter. Quo enim omnia iudicantur sublato, reliqua se negant tollere: ut si quis quem oculis privaverit, dicat ea, quae cerni possent, se ei non ademisse. Ut enim illa oculis modo agnoscuntur, sic reliqua visis, sed propria veri, non communi veri et falsi nota. Quam ob rem, sive tu probabilem visionem, sive probabilem et quae non inpediatur, ut Carneades volebat, sive aliud quid proferes quod sequare, ad visum illud, de quo agimus, tibi erit revertendum. 34. In eo autem si erit communitas cum falso, nullum erit iudicium, quia proprium [in] communi signo notari non potest. Sin autem commune nihil erit, habeo quod volo: id enim quaero, quod ita mihi videatur verum, ut non possit item falsum videri. Simili in errore versantur, cum convitio veritatis coacti perspicua a perceptis volunt distinguere et conantur ostendere esse aliquid perspicui, verum illud quidem inpressum in animo atque mente, neque tamen id percipi ac conprendi posse. Quo enim modo perspicue dixeris album esse aliquid, cum possit accidere ut id, quod nigrum sit, album esse videatur? aut quo modo ista aut perspicua dicemus aut inpressa subtiliter, cum sit incertum, vere inaniterne moveamur? Ita neque color neque corpus nec veritas nec argumentum nec sensus neque perspicuum ullum relinquitur. 35. Ex hoc illud iis usu venire solet, ut, quidquid dixerint, a quibusdam interrogentur: «ergo istuc quidem percipis?» Sed qui ita interrogant, ab iis irridentur. Non enim urguent, ut coarguant, neminem ulla de re posse contendere nec adseverare sine aliqua eius rei, quam sibi quisque placere dicit, certa

---

1. *inter nos ullam* B^1 — 3. *his* V^1 — 4. *uera* A^1 — 5. *qum* B — *quidquam verum possit* Manutius ex vetere, ut dicit, libro. — 6. *possit videri* Lambinus: *possit ita uideri* C — 7. *concedere* C corr. ex *concidere* — 8. *ut, si quis quem o. pr.*] v. Madvig ad l. de finn. p. 530. — 9. *se ei non* A B r: *non* om. V; *non se ei* G O — *agnoscuntur* C: *cognoscuntur* O — 11. *sive improbabilem et quae* C; *sive prob. et quae* em. Faber ex Sexto Emp. VII, § 166: *ἀπαιτούμενος δὲ καὶ αὐτός* (Carneades) *τι κριτήριον πρός τε τὴν τοῦ βίου διεξαγωγὴν καὶ πρὸς τὴν τῆς εὐδαιμονίας περίκτησιν, δυνάμει ἐπαναγκάζεται καὶ καθ' αὐτὸν περὶ τούτου διατάττεσθαι, προσλαμβάνων τήν τε πιθανὴν φαντασίαν καὶ τὴν πιθανὴν ἅμα καὶ ἀπερίσπαστον καὶ διεξωδευμένην. (sive tu probabilem visionem et quae non impediatur, sive improbabilem et quae impediatur* coni. Lamb.) — 12. *proferens* A^1 B — 15. *in* del. videbatur Manutio et Lamb. — 16. *abeo* A^1 V, *habeo* B, sed *hab* in ras. — 17. *ut non* V^2: *non* V^1, *ne** A, *ne* B in ras. — *item* C (ut supra v. 6 *eodem modo*): *idem* r O — *convicio veritatis* (i. e. clamore v.) Madvig: *conuincio* (sup. lin. *iudicio) ueritatis* V; *conuinctio* (*conuincti ac* corr.) *ueritatis* B; *conuinti** (*conuicti ac* m. 2) *ueritate* A; ceterum nos *conuitio* scripsimus, ut in simili loco inferiore § 125 codd. nostri habent; v. Fleckeisen in *N. Rhein. Mus.* VIII, 227. — 18. *quoacti* B^1 — *uolant* A^1 — 19. *vere* Lamb.; *verum illud quidem et impressum subtiliter in animo* coni. Davies — 20. *ac* C: *atque* E, *aut* Lamb. — 23. *aut menti impressa* O cum Davisio ex lectione aliquot deteriorum *aut etiam* (vel *enim*, ut est in G) *impr.* (*menti* iam habet V in marg.) — *inaniterne* Manutius: *inaniterue* C O; cf. Madvig ad Cic. de finn. p. 604. — *moveamur* Christ: *moueatur* C O; *animus moveatur* Manut. coll. § 11. — 24. *neque color* B m. 2 sup. lin. — 25. *nullum* V — *iis* B: *hiis* A, *his* V O — 26. *quicquid* C — *dixerit* B^1 V — 27. *sol* B V — *ab hiis* V, *ab his* O — 28. *co* in *coarguant* habet A in ras.; *quoarguant* V^1 — *neque* G O.

et propria nota. Quod est igitur istuc vestrum probabile? Nam si, quod cuique occurrit et primo quasi adspectu probabile videtur, id confirmatur, quid eo levius? 36. Sin ex circumspectione aliqua et accurata consideratione quod visum sit, id se dicent sequi, tamen exitum non habebunt, primum quia iis visis, inter quae nihil interest, aequaliter omnibus abrogatur fides; deinde, cum dicant posse accidere sapienti ut, cum omnia fecerit diligentissimeque circumspexerit, exsistat aliquid, quod et veri simile videatur et absit longissime a vero, ne si magnam partem quidem, ut solent dicere, ad verum ipsum aut quam proxime accedant, confidere sibi poterunt. Ut enim confidant, notum iis esse debebit insigne veri: quo obscuro et oppresso quod tandem verum sibi videbuntur attingere? Quid autem tam absurde dici potest quam cum ita loquuntur: est hoc quidem illius rei signum aut argumentum, et ea re id sequor, sed fieri potest ut id, quod significatur, aut falsum sit aut nihil [sit] omnino. Sed de perceptione hactenus. Si quis enim ea, quae dicta sunt, labefactare volet, facile etiam absentibus nobis veritas se ipsa defendet.

XII. 37. His satis cognitis, quae iam explicata sunt, nunc de adsensione atque adprobatione, quam Graeci συγκατάθεσιν vocant, pauca dicemus, non quo non latus locus sit, sed paulo ante iacta sunt fundamenta. Nam cum vim, quae esset in sensibus, explicabamus, simul illud aperiebatur, comprendi multa et percipi sensibus, quod fieri sine adsensione non potest. Deinde cum inter inanimum et animal hoc maxime intersit, quod animal agit aliquid — nihil enim agens ne cogitari quidem potest quale sit —: aut ei sensus adimendus est aut ea, quae est in nostra potestate sita, reddenda adsensio. 38. At vero animus quodam modo eripitur iis, quos neque sentire neque adsentiri volunt. Ut enim necesse est lancem in libra ponderibus inpositis deprimi, sic animum perspicuis cedere. Nam quo modo non potest animal ullum non adpetere id, quod accommodatum ad naturam adpareat — Graeci id οἰκεῖον appellant —, sic non potest obiectam rem perspicuam non adprobare. Quamquam, si illa, de quibus disputatum est, vera sunt, nihil attinet de adsensione omnino loqui. Qui enim quid percipit, adsentitur statim. Sed haec etiam secuntur, nec memoriam sine adsensione posse constare nec notitias rerum nec artes: idque, quod maximum est,

---

1. *Quid* v et Davies — *histuc* A^1 — 2. *aspecto* B^1 — 3. *sint* B^1 — 5. *iis* B: *is* A V, *his* O — 7. *existat* A — 8. *a* in C m. 2 add. — *ne si* Madvig (p. 146 sqq.): *si* C — *magna parte* A B^2 — 9. *ad*] *at* V, *aut* A — 10. *potuerunt* A — *hiis* A — 11. *quod* A^1 — *obscuro* C: *obscurato* Lamb. O (*obruto* malebat Davies) — *obpr.* A^1 — *sibi verum* G O — 12. *atingere* A^1 — 14. *sit* post *nihil* in A sup. lin. m. 2. — 16. *tacentibus nobis* Walker — 18. *explicat* V^1; *expl. sunt* om. A^1 — *adsentione* V — 19. *sincatathesin* C — 20. *quo* B corr. ex *co* — *iecta* B — 21. *cum uinque esset* B^1, *cumque esset* V — 23. *inter animum* C — 24. *quod inanimum nihil agit, animal* b — *cogitari* V in rasura habet — 25. *quae non est* Walker; at v. Acad. post. I, § 40; potius malis: *quae sit in n. p.* — 26. *reddenda* A^2 B^2 V: *redenda* A^1, *credenda* V corr. (*pot. sit adredenda* B^1); *cedenda* coni. Davies — *at*] *et* B^1 V^1 — 27. *iis* B V: *hiis* A, *his* O — *quos sentire* coni. Christ — *adsentire* A^1 — 28. *libram* B V^2, *liberam* V^1 — 29. *non* om. V — 30. *acomm.* A^1 — 31. *oecion* A, *oetion* B, *occion* V — *persp. non adprobare* om. V — 33. *adtinent* B, *attinens* V — *omni loqui* C v, sed habet B *loqui* in ras. (*omnino* iam habet r) — 35. *notia rerum nec arte sitq;* B^1.

ut sit aliquid in nostra potestate, in eo, qui rei nulli adsentietur, non erit. 39. Ubi igitur virtus, si nihil situm est in ipsis nobis? Maxime autem absurdum, vitia in ipsorum esse potestate neque peccare quemquam nisi adsensione; hoc idem in virtute non esse, cuius omnis constantia et firmitas ex iis rebus constat, quibus adsensa est et quas adprobavit; omninoque ante videri aliquid quam agamus necesse est, eique, quod visum sit, adsentiatur. Quare qui aut visum aut adsensum tollit, is omnem actionem tollit e vita.

XIII. 40. Nunc ea videamus, quae contra ab his disputari solent. Sed prius potestis totius eorum rationis quasi fundamenta cognoscere. Conponunt igitur primum artem quandam de iis, quae visa dicimus, eorumque et vim et genera definiunt: in his, quale sit id, quod percipi et conprendi possit, totidem verbis quot Stoici. Deinde illa exponunt duo, quae quasi contineant omnem hanc quaestionem: quae ita videantur, ut etiam alia eodem modo videri possint nec in iis quicquam intersit, non posse eorum alia percipi, alia non percipi: nihil interesse autem, non modo si omni ex parte eiusdem modi sint, sed etiam si discerni non possint. Quibus positis unius argumenti conclusione tota ab his causa conprenditur. Conposita ea conclusio sic est: «Eorum, quae videntur, alia vera sunt, alia falsa:» et «quod falsum est, id percipi non potest: quod autem verum visum est, id omne tale est, ut eiusdem modi etiam falsum possit videri.» Et «quae visa sunt eius modi, ut in iis nihil intersit, non potest accidere ut eorum alia percipi possint, alia non possint. Nullum igitur est visum, quod percipi possit.» 41. Quae autem sumunt, ut concludant id, quod volunt, ex his duo sibi putant concedi: neque enim quisquam repugnat. Ea sunt haec: «quae visa falsa sint, ea percipi non posse:» et alterum: «inter quae visa nihil intersit, ex iis non posse alia talia esse, ut percipi possint, alia, ut non possint: reliqua vero multa et varia oratione defendunt, quae sunt item duo, unum: «quae videantur, eorum alia vera esse, alia falsa:» alterum: «omne visum, quod sit a vero, tale esse, quale etiam a falso possit esse.» 42. Haec duo proposita non praetervolant, sed ita dilatant, ut non mediocrem curam adhibeant et diligentiam. Dividunt enim in partes, et eas quidem magnas: primum in sensus, deinde in ea, quae ducuntur a sensibus et ab omni consuetudine, quam obscurari volunt. Tum perveniunt ad eam partem, ut ne ratione quidem et coniectura ulla res percipi possit. Haec autem universa concidunt etiam minutius.

---

1. *re* V — 5. *is* A, *his* B V — *et quasi* V — *adprobabit* $A^1 B^1$ — 7. *assentiri* Lamb. coni., *assentiamur* Davies, alter in mutata structura, alter in potestate passiva verbi offensus; at v. Madvig. I, p. 131 sq. — 8. *his* A^1 — 9. *ab iis* Ernesti — 10. *potestis*] fort. *oportebit* vel *opus erit* — *rationes* $B^1 V^1$ — 11. *de iis* Manutius: *de his* C — 12. *percipiat conprendi* B^1 — 13. *quod* A $B^1 V^1$ — 14. *contenoant* A^1 — 15. *alia multa* ed. Crat. — *in his* C O — 16. *non posse* Manutius: *posse* A^1 V G; *non omnes posse* B A^2 E — 17. *ex omni* v — 19. *conposita autem ea* A B — 20. *et* hic et v. 22 ab ipsa conclusione interpunctione seiunximus. — 22. *falsum etiam* A B — *sunt* r: *sint* C O — 23. *iis* $V^1 A^2$: *hiis* A^1 V^2, *his* B O — *potest* Manutius: *posse* C O — 28. *ex his* C — *alia aut non* B V^1 — 30. *unum eorum quae* $A^2 B^2$ — *eorum* in A B erasum est. — 31. *sit auaro* V^1 — 34. *partes eas* V — 35. *dicuntur* B V^1 — *quae obscurare volunt* coni. Davies, *quam observari nolunt* Christ — 36. *ut narratione* V^1 — 37. *unauersa* V^1.

Ut enim de sensibus hesterno sermone vidistis, item faciunt de reliquis, in singulisque rebus, quas in minima dispertiunt, volunt efficere iis omnibus, quae visa sint, veris adiuncta esse falsa, quae a veris nihil differant: ea cum talia sint, non posse conprendi.

XIV. 43. Hanc ego subtilitatem philosophia quidem dignissimam iudico, sed ab eorum causa, qui ita disserunt, remotissimam. Definitiones enim et partitiones et horum luminibus utens oratio, tum similitudines dissimilitudinesque et earum tenuis et acuta distinctio fidentium est hominum, illa vera et firma et certa esse, quae tutentur, non eorum, qui clament nihilo magis vera illa esse quam falsa. Quid enim agant, si, cum aliquid definierint, roget eos quispiam, num illa definitio possit in aliam rem transferri quamlubet? Si posse dixerint, quid dicere habeant, cur illa vera definitio sit? si negaverint, fatendum sit, quoniam [vel] illa vera definitio transferri non possit in falsum, quod ea definitione explicetur, id percipi posse: quod minime illi volunt. Eadem dici poterunt in omnibus partibus. 44. Si enim dicent ea, de quibus disserent, se dilucide perspicere nec ulla communione visorum impediri, conprendere ea se fatebuntur. Sin autem negabunt vera visa a falsis posse distingui, qui poterunt longius progredi? Occurretur enim, sicut occursum est. Nam concludi argumentum non potest nisi iis, quae ad concludendum sumpta erunt, ita probatis, ut falsa eiusdem modi nulla possint esse. Ergo si rebus conprensis et perceptis nisa et progressa ratio hoc efficiet, nihil posse conprendi, quid potest reperiri, quod ipsum sibi repugnet magis? cumque ipsa natura accuratae orationis hoc profiteatur, se aliquid patefacturam quod non appareat et, quo id facilius adsequatur, adhibituram et sensus et ea quae perspicua sint, qualis est istorum oratio, qui omnia non tam esse quam videri volunt? Maxime autem convincuntur, cum haec duo pro congruentibus sumunt, tam vehementer repugnantia: primum esse quaedam falsa visa: quod cum volunt, declarant quaedam esse vera: deinde ibidem, inter falsa visa et vera nihil interesse. At primum sumpseras, tamquam interesset: ita priori posterius, posteriori superius non iungitur. 45. Sed progrediamur longius et ita agamus, ut nihil nobis adsentati esse videamur, quaeque

---

2. *disperciunt* V — *hiis* A V[1] — 3. *sint* B in ras. habet — *aiucta* A[1], *aiunta* V[1] — 4. *non* C: *nihil* O, ut margo ed. Crat. — 6. *quae ita* B[1] — 7. *harum* Lamb. fort. *rhetorum* (vel *oratorum*) — 8. *similitudinesque* (om. *dissim.*) A — *et* om. V — *tenues* A[1] V (*tenuisset acuta* B) — *fid. sunt hominum* malim — 9. *putentur* Manutius — 11. *definient* B — 12. *alia* V[1] — *quam lubet* A: *quam iubet* B V — *quid enim dicere* C; *quidnam dic.* Manutius; *quid tum dic.* Lamb. — 13. *sin neg.* coni. Davies (G quoque, de quo Goerenz aut erravit aut mentitus est, *si* habet) — fort. *fatendum est* — 14. *vel* Davisius aliique hic locum non habere intellexerunt — 15. *illa uera* A B: *illa uero* (*a uero* corr.) V; *illa* O; equidem malim: *quoniam illa definitio*; nam verisimile est *vel vera* ab aliquo librario ad *illa* adscriptum esse. — 16. *potuerint* A, *poterint* B; cf. ad or. p. Sest. p. 934, 11. — *par.-tibus* A; *pariter rebus* Hermannus; *partibus* O auctore Goerenzio inclusit. — *disserant* Ernesti — 18. *se posse fat.* G — 19. *tur enim* V supra rasuram — 20. *potes* B[1] — *iis* A B corr. ex *is*, *his* V — 22. *nisa* Manutius: *uisa* C — 23. *repperiri* A — 24. *rationis* et v. 27. *ratio* vir doctus nescio quis; at est *oratio* h. l. idem quod syllogismus, ut docuit Faber coll. A. Gell. XV, 26. — 25. *apparebat* V[2] — 26. *et eque* V[1] — 30. *ant quaedam* V in ras. habet — *ibidem* om. E — 31. *at* C corr. ex *ad* — 32. *priore* B[1] — *posteriore* C[1] — *non iungitur* V[2]: *coniungitur* C.

ab iis dicuntur, sic persequamur, ut nihil in praeteritis relinquamus. Primum igitur perspicuitas illa, quam diximus, satis magnam habet vim, ut ipsa per sese ea, quae sint, nobis, ita ut sint, indicet. Sed tamen, ut maneamus in perspicuis firmius et constantius, maiore quadam opus est vel arte vel diligentia, ne ab iis, quae clara sint ipsa per sese, quasi praestigiis quibusdam et captionibus depellamur. Nam qui voluit subvenire erroribus Epicurus iis, qui videntur conturbare veri cognitionem, dixitque sapientis esse opinionem a perspicuitate seiungere, nihil fecit; ipsius enim opinionis errorem nullo modo sustulit.

XV. 46. Quam ob rem, cum duae causae perspicuis et evidentibus rebus adversentur, auxilia totidem sunt contra conparanda. Adversatur enim primum, quod parum defigunt animos et intendunt in ea, quae perspicua sunt, ut, quanta luce ea circumfusa sint, possint agnoscere; alterum est, quod fallacibus et captiosis interrogationibus circumscripti atque decepti quidam, cum eas dissolvere non possunt, desciscunt a veritate. Oportet igitur et ea, quae pro perspicuitate responderi possunt, in promptu habere, de quibus iam diximus, et esse armatos, ut occurrere possimus interrogationibus eorum captionesque discutere, quod deinceps facere constitui. 47. Exponam igitur generatim argumenta eorum, quoniam ipsi etiam illi solent non confuse loqui. Primum conantur ostendere multa posse videri esse, quae omnino nulla sint, cum animi inaniter moveantur eodem modo rebus iis, quae nullae sint, ut iis, quae sint. Nam cum dicatis, inquiunt, visa quaedam mitti a deo, velut ea, quae in somniis videantur quaeque oraculis, auspiciis, extis declarentur — haec enim aiunt probari Stoicis, quos contra disputant —, quaerunt, quonam modo, falsa visa quae sint, ea deus efficere possit probabilia, quae autem plane proxume ad verum accedant, efficere non possit? aut, si ea quoque possit, cur illa non possit, quae perdifficiliter, internoscantur tamen? et, si haec, cur non inter quae nihil sit omnino? 48. Deinde, cum mens moveatur ipsa per sese, ut et ea declarant, quae cogitatione depingimus, et ea, quae vel dormientibus vel furiosis videntur, non, inquiunt, veri simile sit sic etiam mentem moveri, ut non modo non

---

1. *hiis* C, sed *iis* A B corr.: *his* O — 5. *his* A — 7. *hiis* A¹ V¹ — *is qui videtur* V corr., ut voluit Goerenz, cuius errorem confutavit Madvig I, p. 150 sq. — 9. *fecit* V: *proficit* A¹ B¹, *profecit* A² B² O; cf. Tuscul. V, § 13: *tu, si quid es facturus, nova aliqua conquiras oportet.* — 11. *aduersatur enim* cod. C. Steph. et Manutius: *aduersantur* C — 13. *sint* Davies: *sunt* C O — 15. *quidem* V¹ — 16. *respondere possint* A¹ — 17. *inpromtu* A, *inprumptu* B¹ — 20. *illa* B² E; *illi* om. Par. sec., quod placebat Davisio, nisi malles scribere: *quae etiam illi solent* — 21. *ulla* A¹ — 22. *inaniter* Walkero delendum, *frequenter* eius loco Davisio scribendum videbatur. — *hiis* A, *his* B¹ — *ut hiis* A — 24. *in somniis* r: *in somnis* C O — 25. *a stoicis* A — 26. *deos* A¹ V¹ — 27. aut *plane* aut *proxime* Durando in curis secundis, quas Orelli in ed. propria Academicorum (Turici 1827) p. 327 sqq.) publicavit, ut glossema tollendum videtur. — *accedunt* C et edd. vett. — 28. *perdificiliter* C¹, *perdifficulter* V² — 29. *tamen*] post *tamen* Bentleio colon «*aut quae ne internoscantur quidem*» videtur intercidisse, coll. §§ 49 et 50, p. 19, v. 19 et 24. — *et* A corr. ex *at* — *quam* V, *quem* A¹ — *nihil sit* C: *nihil intersit* O cum Lamb. (de cod. G rursus mentitur Goerenz) — 31. *non, inquiunt* Goerenz (praeeunte Manutio, qui scripsit *nonne inquiunt*): *non inquam* B V, *non ñquam* A; *non numquam, verisimilest* Madvig ad Cic. de finn. b et m. p. 148; at videtur forma interrogativa et modus coniunctivus cum membrorum aequabilitate tum pertinacia instantis philosophi magis commendari.

internoscat, vera illa visa sint anne falsa, sed ut in iis nihil intersit omnino? ut si qui tremerent et exalbescerent, vel ipsi per se motu mentis aliquo, vel obiecta terribili re extrinsecus, nihil ut esset, qui distingueretur tremor ille et pallor, neque ut quicquam interesset inter intestinum et oblatum. Postremo, si nulla visa sunt probabilia, quae falsa sint, alia ratio est. Sin autem sunt, cur non etiam quae non facile internoscantur? cur non ut plane nihil intersit? praesertim cum ipsi dicatis sapientem in furore sustinere se ab omni adsensu, quia nulla in visis dictinctio appareat.

XVI. 49. Ad has omnes visiones inanes Antiochus quidem et permulta dicebat et erat de hac una re unius diei disputatio: mihi autem non idem faciundum puto, sed ipsa capita dicenda. Et primum quidem hoc reprehendendum, quod captiosissimo genere interrogationis utuntur, quod genus minime in philosophia probari solet, cum aliquid minutatim et gradatim additur aut demitur. S o r i t a s hoc vocant, quia acervum efficiunt uno addito grano. Vitiosum sane et captiosum genus! sic enim adscenditis: Si tale visum obiectum est a deo dormienti, ut probabile sit, cur non etiam ut valde veri simile? cur deinde non ut difficiliter a vero internoscatur? deinde ut ne internoscatur quidem? postremo ut nihil inter hoc et illud intersit? Huc si perveneris, me tibi primum quidque concedente, meum vitium fuerit: sin ipse tua sponte processeris, tuum. 50. Quis enim tibi dederit aut omnia deum posse aut ita facturum esse, si possit? quo modo autem sumis, ut, si quid cui simile esse possit, sequatur ut etiam difficiliter internosci possit? deinde ut ne internosci quidem? postremo ut eadem sint? ut, si lupi canibus similes, eosdem dices ad extremum. Et quidem honestis similia sunt quaedam non honesta et bonis non bona et artificiosis minime artificiosa: quid dubitamus igitur adfirmare nihil inter haec interesse? Ne repugnantia quidem videmus? nihil est enim, quod de suo genere in aliud genus transferri possit. At si efficeretur, ut inter visa differentium generum nihil interesset, reperirentur quae et in suo genere essent et in alieno. Quod fieri qui potest? 51. Omnium deinde inanium visorum una depulsio est, sive illa cogitatione informantur, quod fieri solere concedimus, sive in quiete sive per vinum sive per insaniam. Nam ab omnibus eiusdem modi visis perspicuitatem, quam mordicus tenere debemus, abesse dicemus. Quis enim, cum sibi fingit aliquid et cogitatione depingit, non, simul ac se ipse commovit atque ad se revocavit, sentit quid in-

---

1. *visa vera illa* O — *iis* r: *his* C O — 2. *et* A sup. lin. — *motus* B¹ — 3. *terribile* A¹ — *ut* et hoc et seq. versu delere malebat Lamb. — 4. *inter* A sup. lin. habet, om. V (*interesset intertinum* B¹) — 5. *uisa sint* A² — 10. *et* om. v — 11. *de ac* B — 13. *interrogationes* B — 14. *in* A B: *a* V — *probaria solet quom* B¹ (*solet. Cum* .. *demitur*, *soritas* distinxit Davies) — 15. *hoc* (sc. genus) C: *hos* O; cf. § 92. — *quia* Lambinus: *qui* C — 18. *uerissime* B¹ — 19. *an uero* B¹ — 21. *quodque* Ernesti — *concedente eum* A¹ — 24. *internosci diffic.* A O r — *possint* Davies — *deinde*] *cur non* coni. Lamb. — 25. *idem* B² — *sint* aliquot codd. Davisii: *sit* C — *ut* V²: *et* C — *sint similes* Lamb., *sim. sunt* Klotz cum Madvigio ad Cic. de finn. p. 531. — 26. *eosdem* B² et V corr.: *eodem* C — 29. *quo de* B¹. De interpunctione totius loci v. Madvigium, qui p. 151 egregie contra Goerenzium disputavit. — 30. *posset* A B¹ V¹ — 33. *formantur* A¹ — 35. *eius modi* E — *perspicuitatem* -- *abesse dicamus* (sic) affert Nonius p. 139, ut ex libro III Acad. — 37. *ipse* om. A — *commonuit atque ad sese* coni. Lamb.

tersit inter perspicua et inania? Eadem ratio est somniorum. Num censes Ennium, cum in hortis cum Servio Galba, vicino suo, ambulavisset, dixisse: «Visus sum mihi cum Galba ambulare?» At, cum somniavit, ita narravit:

....visus Homerus adesse poëta.

Idemque in Epicharmo:

Nam videbar somniare med ego esse mortuum.

Itaque, simul ut experrecti sumus, visa illa contemnimus neque ita habemus, ut ea, quae in foro gessimus. XVII. 52. «At enim dum videntur, eadem est in somniis species eorumque, quae vigilantes videmus.» Primum interest, sed id omittamus: illud enim dicimus, non eandem esse vim neque integritatem dormientium et vigilantium nec mente nec sensu. Ne vinolenti quidem quae faciunt, eadem adprobatione faciunt qua sobrii: dubitant, haesitant, revocant se interdum iisque, quae videntur, inbecillius adsentiuntur; cumque edormiverunt, illa visa quam levia fuerint intellegunt. Quod idem contingit insanis, ut et incipientes furere sentiant et dicant aliquid, quod non sit, id videri sibi, et, cum relaxentur, sentiant, atque illa dicant Alcmaeonis:

Sed mihi ne utiquam cor consentit cum oculorum adspectu.

53. «At enim ipse sapiens sustinet se in furore, ne adprobet falsa pro veris.» Et alias quidem saepe, si aut in sensibus ipsius est aliqua forte gravitas aut tarditas, aut obscuriora sunt quae videntur, aut a perspiciendo temporis brevitate excluditur. Quamquam totum hoc, sapientem aliquando sustinere adsensionem, contra vos est. Si enim inter visa nihil interesset, aut semper sustineret aut numquam. Sed ex hoc genere toto perspici potest levitas orationis eorum, qui omnia cupiunt confundere. Quaerimus gravitatis, constantiae, firmitatis, sapientiae iudicium: utimur exemplis somniantium, furiosorum, ebriosorum. Illud adtendimus, in hoc omni genere quam inconstanter loquamur? Non enim proferremus vino aut somno oppressos aut mente captos tam absurde, ut tum diceremus interesse inter vigilantium visa et sobriorum et sanorum et eorum, qui essent aliter adfecti, tum nihil interesse. 54. Ne hoc quidem cernunt, omnia se reddere incerta, quod nolunt; ea dico incerta, quae ἄδηλα Graeci. Si enim res se ita habeant, ut nihil intersit, utrum ita cui videatur, ut insano an sano, cui possit exploratum esse de sua sa-

---

1. *eodem* V¹ — *rationē et som.* B¹ — 2. *ortis* B V — 3. *ad* B¹ — 4. *narrat* O cum Goerenzio — 6. *inepio harmo* V — 7. *med ego* Manutius et Lamb.: *me et ego* C, *ego med* Scaliger Coni. p. 26, *memet ego* Guilelmus, *memet* Ernesti et O — 8. *simulac* Manutius — *contempnimus* A — 9. *ad* A¹ V¹ — *cum* V — 10. *in somnis* C O — *eorumque* C. F. Hermann: *eorum* C, *et eorum* O cum Lamb. — 11. *primum* C E r: *plurimum* V in marg. G O v — 13. *sensus* B¹ — *nec uin.* A² B² — *uinulenti* B¹ V — *quidem* om. V — 14. *iis quaeque* B¹, *hiis quaeque* A, *hisque quae* V — 15. *edormierunt* B² — 17. *furore* V¹, ex qua lect. Guilelmus: *incipiente furore* — *id* om. Lamb. — 18. *sentient* V¹ — *alcmeonis* A B — 19. *ne utiquam* Ribbeck: *neutiquam* O — *aspectu* A, ut semper — 20. *ad* V¹ — 22. *aut si obsc.* coni. Lamb. — *perspicendo* A V — 24. *nihil interesset* r v et V in marg.: om. C; fort. *interesset nihil inter visa* — 25. *ex ho* A¹ — 27. *iudicium* om. A¹ — 28. *ebriorum* cod. Cantabr. — *illud* C: *nec illud* Ursinus, *num illud* O cum Goerenzio; *illud attendamus* Manutius — 29. *proferemus* A — 34. *habeat* O cum Goerenzio; at v. Hermann p. 468. — 35. *ut* O cum Schuetzio incl., at v. Herm. l. c. — *an ut sano* Lambinus, recte, ut videtur.

nitate? quod velle efficere non mediocris insaniae est. Similitudines vero aut geminorum aut signorum anulis inpressorum pueriliter consectantur. Quis enim nostrum similitudines negat esse, cum eae plurimis in rebus appareant? Sed, si satis est ad tollendam cognitionem similia esse multa multorum, cur eo non estis contenti, praesertim concedentibus nobis? et cur id potius contenditis, quod rerum natura non patitur, ut non suo quidque genere sit tale, quale est, nec sit in duobus aut pluribus nulla re differens ulla communitas? ut [sibi] sint et ova ovorum et apes apium simillimae. Quid pugnas igitur? aut quid tibi vis in geminis? Conceditur enim similes esse, quo contentus esse potueras: tu autem vis eosdem plane esse, non similes; quod fieri nullo modo potest. 55. Dein confugis ad physicos eos, qui maxime in Academia inridentur, a quibus ne tu quidem iam te abstinebis: et ais Democritum dicere, innumerabiles esse mundos, et quidem sic quosdam inter sese non solum similes, sed undique perfecte et absolute [ita] pares, ut inter eos nihil prorsus intersit, [et eos quidem innumerabiles] itemque homines. Deinde postulas ut, si mundus ita sit par alteri mundo, ut inter eos ne minimum quidem intersit, concedatur tibi, ut in hoc quoque nostro mundo aliquid alicui sic sit par, ut nihil differat, nihil intersit. Cur enim, inquies, ex illis individuis, unde omnia Democritus gigni adfirmat, in reliquis mundis et in iis quidem innumerabilibus innumerabiles Quinti Lutatii Catuli non modo possint esse, sed etiam sint: in hoc tanto mundo Catulus alter non possit effici?

XVIII. 56. Primum quidem me ad Democritum vocas, cui non adsentior potiusque refello propter id, quod dilucide docetur a politioribus physicis singularum rerum singulas proprietates esse. Fac enim antiquos illos Servilios, qui gemini fuerunt, tam similes quam dicuntur: num censes etiam eosdem fuisse? Non cognoscebantur foris, at domi;

---

1. *insania est* A B — 2. *annulis* O — 4. *simillima* ed. Crat. — 6. *pocius id* G — 7. *quicque* A — *in genere* Lamb.: si *in* addendum est, ante *suo* additum malim — *sitale* A^1 — *nec* C: *aut* E, *et* Davies — 8. *different* V^1 — *nulla comm.* Lamb.; at v. Madvig p. 154 sqq. «Commemoratur Academicorum sententia reperiri quaedam adeo sibi similia, ut nulla prorsus nota differant; haec autem similitudo appellatur *nulla re differens communitas*. - - Una erat sententia, partim affirmative partim negative expressa, quam in omni hac disputatione Stoici tenendam dicebant Academicisque opponebant: *Suo quidque genere est tale, quale est, nec est in duobus aut pluribus nulla re differens qualitas.* Hoc igitur cum negaretur, una addenda erat negatio ad totam conexionem pertinens: *rerum natura non patitur, ut non suo quidque genere sit tale, quale est, nec sit — ulla communitas*, i. e. non patitur, ut perpetua illa lex, quae haec duo complectitur, tollatur.» — *communita* A — *ut sibi sint* C E: *ut igitur sint* G; *At tibi sint* Lamb.; *At, si vis, sint* Davies; *ut tibi sint* Christ; possis etiam: *etiam si sint*; † *Ut sibi sint . . simillimae*^{se}: *quid pugnas* O — 10. *simile esse qo* A^1 — 12. *deinde* G — 14. *inter esse* V (*se* m. 2) — 15. *ita* auctore Christo inclusimus — 16. *et* om. V — *eo* C — *quidem* C: *quoque* O ex cod. St. Vict.; *eoque innumerabiles item homines* coni. Davies; contra Manutio *et eos quidem innum.* glossema videtur. — 18. *ho quoque* A — 20. *ex illis* C E G r v: *quum ex illis*^{e} b O — 21. *iis* r: *hiis* C — 22. *scd* B corr. ex *et* — 23. *tantū* A^1 — 25. *potius qua* V, *potius quale* B, sed *potius* obscuratum propter rasuram et correctionem — *refello* V^2 E G v: *refallor* V^1, *refellam* A^2 r, *refellat* A^1, *fallor* B — *propter* V^2 G r v: *potest* A B V^1 E, quae lectio archetypi vereor ut recte in *propter* correcta sit. — 26. *singulas* A sup. lin. m. 2. — 27. *antiquo* A^1 V^1, *antico* B^1 — *illo* V^1 — *similes fuisse* Lamb. — 28. *dignoscebantur* coni. Davies, *intern.* Walker; at v. § 86. — *adomi* A^1 V^1.

non ab alienis, at a suis. An non videmus hoc usu venire, ut, quos numquam putassemus a nobis internosci posse, eos consuetudine adhibita tam facile internosceremus, uti ne minimum quidem similes viderentur? 57. Hic pugnes licet, non repugnabo: quin etiam concedam illum ipsum sapientem, de quo omnis hic sermo est, cum ei res similes occurrant, quas non habeat dinotatas, retenturum adsensum nec umquam ulli viso adsensurum, nisi quod tale fuerit, quale falsum esse non possit. Sed et ad ceteras res habet quandam artem, qua vera a falsis possit distinguere, et ad similitudines istas usus adhibendus est. Ut mater geminos internoscit consuetudine oculorum, sic tu internosces, si adsueveris. Videsne ut in proverbio sit ovorum inter se similitudo? Tamen hoc accepimus, Deli fuisse complures, salvis rebus illis, qui gallinas alere permultas quaestus causa solerent: ii cum ovum inspexerant, quae id gallina peperisset dicere solebant. 58. Neque id est contra nos; nam nobis satis est ova illa non internoscere: nihil enim magis adsentiri par est, hoc illud esse, quasi inter illa omnino nihil interesset: habeo enim regulam, ut talia visa vera iudicem, qualia falsa esse non possint: ab hac mihi non licet transversum, ut aiunt, digitum discedere, ne confundam omnia. Veri enim et falsi non modo cognitio, sed etiam natura tolletur, si nihil erit quod intersit: ut etiam illud absurdum sit, quod interdum soletis dicere, cum visa in animos inprimantur, non vos id dicere, inter ipsas inpressiones nihil interesse, sed inter species et quasdam formas eorum. Quasi vero non specie visa iudicentur! quae fidem nullam habebunt sublata veri et falsi nota. 59. Illud vero perabsurdum, quod dicitis, probabilia vos sequi, si re nulla inpediamini. Primum qui potestis non inpediri, cum a veris falsa non distent? deinde quod iudicium est veri, cum sit commune falsi? Ex his illa necessario nata est ἐποχή, id est adsensionis retentio, in qua melius sibi constitit Arcesilas,

---

1. *venisse* maluit Davies — 2. *adibita* A[1] — 3. *uti* om. B[1]; fort. *ut ii* — *ne minimum* V[2]: *minimum* A B[2], *minium* V[1], *nimium* B[1] — *similises* B (add. sup. lin. *se*), *similes esse* A[2] — 4. *pugnent* Manutius — 5. *res sim. ei* E — 6. *occurrent* Manutius — *habeant* A[1] B — *dinotatas* C E G: *denotatas* edd. — 7. *esse* om. E — 8. *et* om. A B — *ad* in A V m. 2 addidit — *possis* V[1] — 12. *accipimus* B[1] — *soluis* B — *illic* Guilelmus — *qui gallinas* -- *solebant* (v. 14.) affert Nonius p. 117 ex lib. III. — 13. *ii* B: *hii* A V, *hi* O; *ii* firmat etiam Nonius, qui habet, ut est in cod. Bamberg.: *solerent lib. II* (rell. codd. etiam pravius *solerent. idem lib. II*) *cum ovum* cet. — 14. *id* om. Nonius — *discernere* Manutii codex, etiam contra Nonium — *id est*] *idem* V — *nos nam nobis* G v: *uos nam nobis* V E r, *uos nam uobis* A B — 15. *ęt oua* V, sed *et* ead. m. deletum — *non internoscere* C E G v: *internoscere* r O. Sententia loci difficillimi videtur: neque id est contra nos, qui ova non aeque atque illi gallinarii internoscere possimus; nam cum inter ea, quae non internoscantur, tamen aliquid interesse possit (cf. § 50), non sequitur ut ea ova, quae non internoscamus, eadem esse (sive hoc ovum illud esse) fateamur. — *adsentiri* V[2] G v: *adsentire* C E r — *par est* Davies: *per* A B E (per compendium, in B linea, qua simplex *p* efficitur *per*, 2 m. addita est); *potest* G O r v et V sup. lin., qui in lectionis antiquae loco lacunam habet; *adsentiri potest* Madvigius p. 158 ita probat, ut *adsentiri* sensu passivo accipiatur. Videtur lectio *adsentire* ex superscripto *ē* = *est* orta esse. Reliquorum criticorum sententias in loco vexatissimo suppeditabit editio Davisiana. — 16. *quasi* Madvig: *quam si* C O — *in terra omnino* V — *interesse* V[1] — 17. *iudicem* om. V — 18. *nec* B[1], *non* A[1] — 19. *fundam* B (*nec̆fundam* corr.) — 21. *in animis* unus Par. Davisii et O — 22. *et quasi formas* Walker — 23. *formes* A[1] — *earum* ed. Veneta, qua usus est Durand — 25. *uos sed qui* A — *nulla re* A[2] B, *re* om. A[1] — 28. *id est ads. retentio* suspecta erant Manutio et Lamb. (*idaem* V pro *id est*) — *archesilas* A B, *archesillas* V.

si vera sunt quae de Carneade non nulli existimant. Si enim percipi nihil potest, quod utrique visum est, tollendus adsensus est. Quid enim est tam futile quam quicquam adprobare non cognitum? Carneadem autem etiam heri audiebamus solitum esse eo delabi interdum, ut diceret opinaturum, id est, peccaturum esse sapientem. Mihi porro non tam certum est esse aliquid, quod conprehendi possit, de quo iam nimium etiam diu disputo, quam sapientem nihil opinari, id est, numquam adsentiri rei vel falsae vel incognitae. 60. Restat illud, quod dicunt, veri inveniundi causa contra omnia dici oportere et pro omnibus. Volo igitur videre quid invenerint. Non solemus, inquit, ostendere. Quae sunt tandem ista mysteria? aut cur celatis, quasi turpe aliquid, sententiam vestram? Ut, qui audient, inquit, ratione potius quam auctoritate ducantur. Quid, si utroque, num peius est? Unum tamen illud non celant, nihil esse quod percipi possit. An in eo auctoritas nihil obest? Mihi quidem videtur vel plurimum. Quis enim ista tam aperte perspicueque et perversa et falsa secutus esset, nisi tanta in Arcesila, multo etiam maior in Carneade et copia rerum et dicendi vis fuisset?

XIX. 61. Haec Antiochus fere et Alexandreae tum et multis annis post multo etiam adseverantius, in Syria cum esset mecum, paulo ante quam est mortuus. Sed iam confirmata causa te, hominem amicissimum — me autem appellabat — et aliquot annis minorem natu, non dubitabo monere: Tune, cum tantis laudibus philosophiam extuleris Hortensiumque nostrum dissentientem commoveris, eam philosophiam sequere, quae confundit vera cum falsis, spoliat nos iudicio, privat adprobatione, omnibus orbat sensibus? Et Cimmeriis quidem, quibus adspectum solis sive deus aliquis sive natura ademerat sive eius loci, quem incolebant, situs, ignes tamen aderant, quorum illis uti lumine licebat: isti autem, quos tu probas, tantis offusis tenebris ne scintillam quidem ullam nobis ad dispiciendum reliquerunt: quos si sequamur, iis vinclis simus adstricti, ut nos commovere nequeamus. 62. Sublata enim adsensione omnem et motum animorum et actionem rerum sustulerunt: quod non modo recte fieri, sed omnino fieri non potest. Provide etiam ne uni tibi istam sententiam minime liceat defendere. An tu, cum res occultissimas aperueris in lucemque protuleris iuratusque dixeris ea te conperisse

---

1. *nonulli* A[1] — *extimant se enim* V[1] — 2. *utique* V — 4. *audebamus* A[1] V[1] — *esse delabi* C; *esse eo labi* Davies; *eo delabi* (om. *esse*) coni. Ernesti; *huc solitum esse delabi* Lamb.; *esse eo delabi* dedit Goerenz — 5 et 7. *id est*] *idem* V corr. in *item* — 6. *certum esse* A[1] — *conpedi* A[1] — *etiam nimium* Lamb. — 10. *inuenerit* C — *inquid* V — *tadem* A[1] V[1] — 11. *ista* B in marg. — 12. *ut quid* B — *inquid* C — 13. *utroque* cod. Cantabr. et Reg. Davisii 2 m.: *utrumque* C — *est* A sup. lin. — *caelant* A, *celamus* V, *celamur* coni. Guilelmus — 14. *posset* A[1] — 17. *carneadem et copia rerum* ē *et* B[1] — 18. *alexandreae* C: *Alexandriae* V[2] O — 19. *pos* A[1] — 20. *quam esset* E — *sed etiam* A[1] — 21. *aliquod* V[1] — 25. *omnibus* G V[2] r v: *omni* C E, quod rectius in *omnino* corrigi videtur, ut supra p. 15, 33 *omni* pro *omnino* codd. habent; de sententia cf. infra p. 27, 34 (*adprobatione omni, orbat* ed. Victoriana) — *cimeriis* A B — 26. *aliqui* Osann Anal. p. 4. — *adimerat* A[1] — 29. *ad disp.* V[2]: *ad desp.* V[1], *adesp.* A[1] B[1], *ad asp.* A[2] B[2] — *hiis* A, *his* V — *vinculis* O — *astricti* A — 30. *sublatentem adsensionem* V[1] — *assensione omnem et motum animorum et rationem* (sic) m. 2 in A in marg. addidit — 31. *sustullerunt* A[1] V[1] — 32. *proinde* E, *proinde vide* coni. Goerenz — 34. *eas* et v. seq. *illas* Lamb.; cf. ad p. 13, 9.

— quod mihi quoque licebat, qui ex te illa cognoveram —, negabis esse rem ullam, quae cognosci, conprendi, percipi possit? Vide, quaeso, etiam atque etiam ne illarum quoque rerum pulcherrimarum a te ipso minuatur auctoritas. Quae cum dixisset ille, finem fecit. 63. Hortensius autem vehementer admirans — quod quidem perpetuo Lucullo loquente fecerat, ut etiam manus saepe tolleret; nec mirum: nam numquam arbitror contra Academiam dictum esse subtilius — me quoque, iocansne an ita sentiens — non enim satis intellegebam —, coepit hortari ut sententia desisterem. Tum mihi Catulus: Si te, inquit, Luculli oratio flexit, quae est habita memoriter, accurate, copiose, taceo neque te quo minus, si tibi ita videatur, sententiam mutes deterrendum puto: illud vero non censuerim, ut eius auctoritate moveare. Tantum enim non te modo monuit, inquit adridens, ut caveres ne quis inprobus tribunus pl., quorum vides quanta copia semper futura sit, arriperet te et in contione quaereret, qui tibi constares, cum idem negares quicquam certi posse reperiri, idem te conperisse dixisses. Hoc, quaeso, cave ne te terreat. De causa autem ipsa malim quidem te ab hoc dissentire. Sin cesseris, non magno opere mirabor. Memini enim Antiochum ipsum, cum annos multos alia sensisset, simul ac visum sit, sententia destitisse. Haec cum dixisset Catulus, me omnes intueri.

XX. 64. Tum ego non minus conmotus, quam soleo in causis maioribus, huius modi quadam oratione sum exorsus: Me, Catule, oratio Luculli de ipsa re ita movit, ut docti hominis et copiosi et parati et nihil praetereuntis eorum, quae pro illa causa dici possent, non tamen, ut ei respondere posse diffiderem. Auctoritas autem tanta plane me movebat, nisi tu opposuisses non minorem tuam. Adgrediar igitur, si pauca ante quasi de fama mea dixero. 65. Ego enim si aut ostentatione aliqua adductus aut studio certandi ad hanc potissimum philosophiam me adplicavi, non modo stultitiam meam, sed etiam mores et naturam condemnandam puto. Nam si in minimis rebus pertinacia reprehenditur, calumnia etiam coërcetur, ego de omni statu consilioque totius vitae aut certare cum aliis pugnaciter aut frustrari cum alios tum etiam me ipsum velim? Itaque, nisi ineptum putarem in tali disputatione id facere, quod, cum de re publica disceptatur, fieri interdum solet, iurarem per Iovem

---

1. *liquebat* 2 codd. Goerenzii — 2. *ollam* V¹ — 3. *ne illa rerum quoque rerum* V — *quoque* B corr. ex *quod* — 6. *nec* B m. 2 sup. lin. — 10. *acurate* A¹ V¹ — *quom inusitibi* V¹ — 12. *non te modo* Davies: *te non modo* C; *non te* O. Madvig p. 160: «Scribae decepti *non modo* iungebant non videntes, *modo* esse *paulo ante*, quod cum ita sit, *tantum non* omnino retinendum est: *propemodum enim paulo ante te monuit* cet.; hanc autem interpretationem cum Catulus cavillando Luculli verbis subiceret (§ 62), cum a Lucullo tribunicii tumultus nulla mentio facta esset, particulam *modo* necessario adiecisse apparet.» Sed cum locutionis *tantum non* (= *μόνον οὐ* s. *οὐχί*) non aliud apud Ciceronem exstet exemplum, vide ne rectius scribatur, ut Christ coniecit: *tantum enim te modo monuit*, i. e. hoc tantum (nihil praeterea) te paulo ante monuit ut caveres cet., sed hoc quod monuit leve est nec dignum quod te terreat. — 13. *aridens* V — 14. *contentione* B — 16. *repperiri* A B — *cave* om. E — 17. *ipsam* B¹ — *equidem* Goerenz — 18. *magnopere* A B — *anthiochum* A — 19. *alia* C: *talia* r O — malim *visum est* — 22. *quandam orationem* O cum Lamb. — *catulle* A — 25. *responderi* Davies, *respondere me* Lamb.; at v. Madvig. I, 114. — 31. *ego* A²: *ergo* C — 32. *tum alios* V² — *ipsum. itaque uelim* C — 33. *putarem, quum in t. d. id facerem* Lamb.

deosque penates me et ardere studio veri reperiendi et ea sentire, quae dicerem. 66. Qui enim possum non cupere verum invenire, cum gaudeam, si simile veri quid invenerim? Sed, ut hoc pulcherrimum esse iudico, vera videre, sic pro veris probare falsa turpissimum est. Nec tamen ego is sum, qui nihil umquam falsi adprobem, qui numquam adsentiar, qui nihil opiner: sed quaerimus de sapiente. Ego vero ipse et magnus quidem sum opinator — non enim sum sapiens — et meas cogitationes sic dirigo, non ad illam parvulam Cynosuram,

qua fidunt duce nocturna Phoenices in alto,

ut ait Aratus, eoque directius gubernant, quod eam tenent,

quae cursu interiore brevi convertitur orbe,

sed Helicen et clarissimos Septentriones, id est, rationes has latiore specie, non ad tenue elimatas. Eo fit ut errem et vager latius. Sed non de me, ut dixi, sed de sapiente quaeritur. Visa enim ista cum acriter mentem sensumve pepulerunt, accipio iisque interdum etiam adsentior, nec percipio tamen; nihil enim arbitror posse percipi. Non sum sapiens: itaque visis cedo nec possum resistere. Sapientis autem hanc censet Arcesilas vim esse maximam, Zenoni adsentiens, cavere ne capiatur, ne fallatur videre. Nihil est enim ab ea cogitatione, quam habemus de gravitate sapientis, errore, levitate, temeritate diiunctius. Quid igitur loquar de firmitate sapientis? quem quidem nihil opinari tu quoque, Luculle, concedis. Quod quoniam a te probatur — ut praepostere tecum agam; mox referam me ad ordinem —, haec primum conclusio quam habeat vim considera.

XXI. 67. Si ulli rei sapiens adsentietur umquam, aliquando etiam opinabitur: numquam autem opinabitur; nulli igitur rei adsentietur. Hanc conclusionem Arcesilas probabat: confirmabat enim et primum et secundum. Carneades non numquam secundum illud dabat: adsentiri aliquando. Ita sequebatur etiam opinari: quod tu non vis et recte, ut mihi videris. Sed illud primum, sapientem, si adsensurus esset, etiam opinaturum, falsum esse [et] Stoici dicunt et eorum adstipulator Antio-

---

1. *repperiendi* A — 2. *uerom* V^1 — 4. *iudico* Ernesti: *iudicem* C — 6. *opinor* A^1 — 7. *quidam* Manutius. Loci meminit Augustinus c. Acad. III, 14, 31. — *sum* A sup. lin. — 8. *cynosyram* A, *cinosyram* B — 9. *phonices* B — 10. *directus* A^1 — *tenent* C G: *teneant* E O — 11. *conuetitur* V^1 (*conuehitur* corr.), *conuer* B^1 — 12. *sed* C: *sed ad* $A^2 B^2$ O. Cic. sic perrexit, ut quae sequuntur a verbis *quod eam tenent* aptaret, ex quibus *teneo* repetendum est; si *ad* interposueris, etiam ante *rationes* addendum erit; verba autem *ad tenue* ab *elimatas* suspensa sunt. — *septentriones* V: *septemtr.* A B O — 13. *ad tenue* A^2: *attenue* C — *elimatas* A B^2: *limatas* B^1 V O — 14. *dixisset de* B^1 — 15. *hiisquae* A, *isque* V corr. in *hisque* — 17. *neque* G O — 20. *diiuntius* B^1 — 21. *quidquid* V — 22. *loculle* A^1 — 23. *agam* V^2: *agam. iam* C; *agam. iam enim* $A^2 B^2$ — *haec pr. c. q. habeat* om. A^1 — 26. *autem opinabitur* sunt in V extrema verba paginae, sequens incipit a v. *nulli*, sed et in extrema priore columna et in summa nova spatium scriptura vacuum relictum est. — 27. *arcessilas* B — 28. *dabat opinari aliquando; ita sequeb. etiam adsentiri* Manutius — *et secundum* Lamb.; *secundum: et illud dabat* P. Faber; Davisio *secundum* cum uno Paris. delendum videbatur. Lectionis receptae sententia videtur: Carneades cum primum illud «sapientem, si adsensurus esset, opinaturum esse» aeque atque Arcesilas probasset, in secunda argumenti parte illud dabat «adsentiri aliquando», unde conclusione facta sequebatur sapientem etiam opinaturum esse. — 29. *ita sequebatur* Manutius: *id adsequebatur* C — 31. *falsum* -- *Antiochus* affert Nonius p. 69. — *esse stoici* A^1 et Nonius.

chus: posse enim eum falsa a veris et quae non possint percipi ab iis, quae possint, distinguere. 68. Nobis autem primum, etiam si quid percipi possit, tamen ipsa consuetudo adsentiendi periculosa esse videtur et lubrica. Quam ob rem cum tam vitiosum esse constet adsentiri quicquam aut falsum aut incognitum, sustinenda est potius omnis adsensio, ne praecipitet, si temere processerit. Ita enim finitima sunt falsa veris eaque, quae percipi non possunt, *iis, quae possunt* — si modo ea sunt quaedam; iam enim videbimus —, ut tam in praecipitem locum non debeat se sapiens committere. Sin autem omnino nihil esse, quod percipi possit, a me sumpsero et, quod tu mihi das, accepero, sapientem nihil opinari, effectum illud erit, sapientem adsensus omnes cohibiturum, ut videndum tibi sit, idne malis an aliquid opinaturum esse sapientem. Neutrum, inquies, illorum. Nitamur igitur, nihil posse percipi; etenim de eo omnis est controversia.

XXII. 69. Sed prius pauca cum Antiocho, qui haec ipsa, quae a me defenduntur, et didicit apud Philonem tam diu, ut constaret diutius didicisse neminem, et scripsit de his rebus acutissime; et idem haec non acrius accusavit in senectute quam antea defensitaverat. Quamvis igitur fuerit acutus, ut fuit, tamen inconstantia levatur auctoritas. Quis enim iste dies inluxerit, quaero, qui illi ostenderit eam, quam multos annos esse negitavisset, veri et falsi notam. Excogitavit aliquid? Eadem dicit quae Stoici. Paenituit illa sensisse? Cur non se transtulit ad alios et maxime ad Stoicos? eorum enim erat propria ista dissensio. Quid? eum Mnesarchi paenitebat? quid? Dardani? qui erant Athenis tum principes Stoicorum. Numquam a Philone discessit, nisi posteaquam ipse coepit qui se audirent habere. 70. Unde autem subito vetus Academia revocata est? Nominis dignitatem videtur, cum a re ipsa descisceret, retinere voluisse, quod erant qui illum gloriae causa fecisse dicerent, cum speraret iam fore ut ii, qui se sequerentur, Antiochii vocarentur. Mihi autem magis videtur non potuisse sustinere concursum omnium philosophorum. Etenim de ceteris sunt inter illos non nulla communia: haec Academicorum est una sententia, quam reliquorum philosophorum nemo probet. Itaque cessit; et ut ii, qui sub Novis solem non ferunt, item ille, cum aestuaret, veterum, ut Maenianorum, sic Academicorum

---

1. *a* sup. lin. A, *ad* B[1] — *possunt* A[1] — *percipi -- possint* om. V — 5. *adsensione praecepit et* V[1] — 7. *iis quae possunt* Lambinus: om. C — 8. *tam in praec.* V, ut voluit Madvig ad Cic. de finn. p. 660: *tamen in praec.* A B E, *in tam praec.* G, *tam praec. in* O — 10. *positame* B — *sumrsero* V — 13. *illorum nitamur. Nitamur* B[1] V — 16. *dicit* A[1] — *diutius dixisse* V, sed *dixisse* m. 2 in ras. — 17. *his* V[2]: *is* V[1], *iis* A B — 18. *non acutius* Goerenz, *acrius* (sine *non*) b; utrumque refutavit Madvig I, 164. — 19. *inconstanta* A[1] B[1] — *quis enim* Lambinus: *quisquam enim* C G v; *quis inquam enim* E r; *quisnam enim* Gruter — 20. *eam quam quam* B[1] — 21. *negauisset* A[2] B[2] — *aliquid? -- sensisse?*] signa interrogandi addidit Davies; cf. Madvig I, 162. — 22. *illa* C: *eum illa* O, ut habet A B, uterque m. 2. — 23. *stoichos* A — *defensio* G — 24. *innesarci* V, *inesarci* A — *adhenis tum* B (*tum* in ras.) — 27. *renovata* Manutius — 28. *fecisse dicerent* Davies: *fecerunt* V G, *facerent* A B E, *facere dicerent* O cum Camerario — 29. *cum speraret iam* scripsi: *speraret etiam* A B[2], *sperare etiam* B[1] V O — *ut i qui* A[1], *ut hi qui* A[2] V — *se* B sup. lin. — *antiochi* C — 33. *sub novis* P. Faber: *sub nubes* C; cf. W. A. Beckeri Antiq. Rom. I, 295 sqq. — 34. *interim* (sic) *ille cum aestuaret, veterum, ut Maenianorum, sic Academicorum viam secutus est* habet Nonius p. 65 ut ex l. IV. — *moenianorum* A, *men.* V.

umbram secutus est. 71. Quoque solebat uti argumento tum, cum ei placebat nihil posse percipi, cum quaereret, Dionysius ille Heracleotes utrum conprehendisset certa illa nota, qua adsentiri dicitis oportere, illudne, quod multos annos tenuisset Zenonique magistro credidisset, honestum quod esset, id bonum solum esse, an quod postea defensitavisset, honesti inane nomen esse, voluptatem esse summum bonum: qui ex illius commutata sententia docere vellet nihil ita signari in animis nostris a vero posse, quod non eodem modo possit a falso, is curavit ut, quod argumentum ex Dionysio ipse sumpsisset, ex eo ceteri sumerent. Sed cum hoc alio loco plura, nunc ad ea, quae a te, Luculle, dicta sunt.

XXIII. 72. Et primum quod initio dixisti videamus quale sit: similiter a nobis de antiquis philosophis commemorari atque seditiosi solerent claros viros, sed tamen populares aliquos nominare. Illi, cum res novas tractent, similes bonorum videri volunt: nos autem ea dicimus nobis videri, quae vosmet ipsi nobilissimis philosophis placuisse conceditis. Anaxagoras nivem nigram dixit esse. Ferres me, si ego idem dicerem? tu, ne si dubitarem quidem. At quis est? num hic sophistes? — sic enim appellabantur ii, qui ostentationis aut quaestus causa philosophabantur —: maxima fuit et gravitatis et ingeni gloria. 73. Quid loquar de Democrito? quem cum eo conferre possumus non modo ingenii magnitudine, sed etiam animi? qui ita est ausus ordiri: «Haec loquor de universis.» Nihil excipit de quo non profiteatur; quid enim esse potest extra universa? Quis hunc philosophum non anteponit Cleanthi, Chrysippo, reliquis inferioris aetatis? qui mihi cum illo collati quintae classis videntur. Atque is non hoc dicit, quod nos, qui veri esse aliquid non negamus, percipi posse negamus: ille verum plane negat esse, sensusque idem non obscuros dicit, sed tenebricosos; sic enim appellat [eos]. Is, qui hunc maxime est admiratus, Chius Metrodorus initio libri, qui est de natura: «Nego» inquit «scire nos sciamusne aliquid an nihil sciamus, ne id ipsum quidem, nescire aut scire, scire nos, nec omnino, sitne aliquid an nihil sit.» 74. Furere tibi Empedocles videtur: at mihi dignissimum rebus iis, de quibus loquitur, sonum fundere. Num ergo is excaecat nos aut orbat sensibus, si parum magnam vim censet in iis esse ad ea, quae sub eos subiecta sunt, iudicanda? Parmenides, Xenophanes, minus bonis quamquam versibus, sed

---

2. *queret* A^1 — *dionisyus* A, *dionius* B — *eracelo o.tes* A^1, *eracleotes* A^2 V — 3. *dicis* A^1 — 4. *tenuisset* om. A^1 — 8. *posita falso* B^1 — 9. *ut* Lamb.: om. C O — *dionisio* A — 13. *de antiquis physicis* Bentley coll. § 13; *antiquos philosophos* Lamb. — 15. *novas* Faber: *bonas* C, *non bonas* O cum ed. Ascens. et Crat. — 18. *tum nisi dub.* V^1 — *est num hic* V: *est nunc hic* A B; *est hic? num* O cum Manutio — 19. *sic enim -- philosophabantur* suspecta erant Schaefero ad Dionys. de comp. verb. p. 406. — *hi* V — 21. *demicroto* V^1 — 22. *est ausus* scripsi: *sit ausus* C O — 24. *cleanti* A V — 25. *chris.* V — *reliquisque* A^2 V^2 O — 26. *is* V in ras., *his* A — 27. *ille verum p. negat esse* Davies: *ille esse uerum p. negat esse* C, sed A *negat esse* m. 2 in ras. habet, unde suspicere posterius *esse* delendum esse. — 28. *sensusque idem* Davies: *sensus quidem* C O — *sed* Guietus: *nec* C; cf. Madvig. p. 165, qui recte vidit *eos* a librario adiectum esse. — 29. *appellat eos is, qui* ante Fabrum interpungebatur — 31. *scire scire nos* A^2 B^2: *scire nos* C; *scire* O ex codd. dett. Davisii — 32. *enpedocles* V — 33. *ad* A^1 — *his* C — 34. *excecat* A — 35. *in is* C — *at* V^1.

tamen illi versibus increpant eorum adrogantiam quasi irati, qui, cum sciri nihil possit, audeant se scire dicere. Et ab iis aiebas removendum Socraten et Platonem. Cur? an de ullis certius possum dicere? Vixisse cum iis equidem videor: ita multi sermones perscripti sunt, e quibus dubitari non possit quin Socrati nihil sit visum sciri posse. Excepit unum tantum «scire se nihil se scire,» nihil amplius. Quid dicam de Platone? qui certe tam multis libris haec persecutus non esset, nisi probavisset. Ironiam enim alterius, perpetuam praesertim, nulla fuit ratio persequi.

XXIV. 75. Videorne tibi, non, ut Saturninus, nominare modo inlustres homines, sed imitari numquam nisi clarum, nisi nobilem? Atqui habebam molestos vobis, sed minutos, Stilponem, Diodorum, Alexinum, quorum sunt contorta et aculeata quaedam sophismata; sic enim appellantur fallaces conclusiunculae. Sed quid eos colligam, cum habeam Chrysippum, qui fulcire putatur porticum Stoicorum? Quam multa ille contra sensus, quam multa contra omnia, quae in consuetudine probantur! At dissolvit idem. Mihi quidem non videtur: sed dissolverit sane. Certe tam multa non collegisset, quae nos fallerent probabilitate magna, nisi videret iis resisti non facile posse. 76. Quid Cyrenaici? [videntur minime contempti philosophi, qui] negant esse quicquam quod percipi possit extrinsecus: ea se sola percipere, quae tactu intumo sentiant, ut dolorem, ut voluptatem: neque se quo quid colore aut quo sono sit scire, sed tantum sentire adfici se quodam modo. Satis multa de auctoribus. Quamquam ex me quaesieras, nonne putarem post illos veteres tot saeculis inveniri verum potuisse, tot ingeniis tantisque studiis quaerentibus. Quid inventum sit paulo post videro, te ipso quidem iudice. Arcesilan vero non obtrectandi causa cum Zenone pugnavisse, sed verum invenire voluisse, sic intellegitur. 77. Nemo umquam superiorum non modo expresserat, sed ne dixerat quidem posse hominem nihil opinari, nec solum posse, sed ita necesse esse sapienti. Visa est Arcesilae cum vera sententia, tum honesta et digna sapiente. Quaesivit de Zenone fortasse, quid futurum esset, si nec percipere quicquam posset sapiens nec opinari sapientis esset. Ille, credo, nihil opinaturum, quoniam esset,

---

1. *illi* B^1 V^1, ut malebat Or. in adnot.: *illis* A B^2 V^2 O — *increpat* B^1 — 2. *ab iis* A B: *ab his* V O — *aiebas* Lamb.: *aiebat* C, *aiebant* B^2 — 3. *Socratem* O — *de illis* B^1 — *possumus* cod. Ursini — 4. *iis* C: *his* O — 5. *scire* A^1 — 7. *haec* C: *hoc* O — 8. *ironeam* C^1 — 11. *sed* V: *sed etiam* A B — *imitari? num quem* Manutius; *imitari neminem* malebat Davies; possis etiam *nullum* (vel *neminem*) *umquam*, sed recte sensit Davisius *numquam* hic minus aptum videri. — *atque* B — 12. *Stilponem* Lambinus: *silibonem* C — 13. *contor et* B^1 — 15. *chris.* V, *crys.* A; ad locum respicit Lactantius div. inst. VII, 23, 3. — 17. *at dissolvit* Davies: *addissoluit* B V, *..dissoluit* A — 19. *ni* V, *nili* B^1 — *uideretis res.* A V, *uideritis res.* B^1 — *cyranei* A, *cyrenei* B V, *Cyrenaei* O, quod ipse postea improbavit in Onomastico s. v. p. 207. — *uidentur minime* C: *videnturne tibi* Lamb.; *Quid? Cyrenaici videntur minime contemnendi philosophi* Davies; *videntur* O cum Grutero delevit. Nobis verba, quae inclusimus, potius glossema videntur; nam non sine causa Lamb. in voc. *qui* quoque offendit, cuius loco maluit *hi* — 22. *dolorem et vol.* G — *quid* A sup. lin. m. 2. — *somno* B — 23. *se tantum* A^1, *sed tamen* B — *sentire* om. G — 26. *quidem* C: *quoque* Lamb. et alii — 27. *arcessilan* B — *obtractandi* V — *zeno* B — 28. *umquam* A^2: *inquam* C O — 29. *exposuerat* coni. Davies — *disserat* B^1 — 31. *sapienti* A B — 32. *posse* B^1 — 33. *opinaturum* ed. Ascens.: *opinatur* C.

quod percipi posset. Quid ergo id esset? Visum, credo. Quale igitur visum? Tum illum ita definisse, ex eo, quod esset, sicut esset, inpressum et signatum et effictum. Post requisitum, etiamne, si eiusdem modi esset visum verum, quale vel falsum. Hic Zenonem vidisse acute nullum esse visum quod percipi posset, si id tale esset ab eo, quod est, ut eiusdem modi ab eo, quod non est, posset esse. Recte consensit Arcesilas; ad definitionem additum: neque enim falsum percipi posse neque verum, si esset tale, quale vel falsum. Incubuit autem in eas disputationes, ut doceret nullum tale esse visum a vero, ut non eiusdem modi etiam a falso posset esse. 78. Haec est una contentio, quae adhuc permanserit. Nam illud, nulli rei adsensurum esse sapientem, nihil ad hanc controversiam pertinebat. Licebat enim nihil percipere et tamen opinari, quod a Carneade dicitur probatum: equidem Clitomacho plus quam Philoni aut Metrodoro credens, hoc magis ab eo disputatum quam probatum puto. Sed id omittamus. Illud certe opinatione et perceptione sublata sequitur, omnium adsensionum retentio, ut, si ostendero nihil posse percipi, tu concedas numquam adsensurum esse.

XXV. 79. Quid ergo est quod percipi possit, si ne sensus quidem vera nuntiant? quos tu, Luculle, communi loco defendis: quod ne [id] facere posses, idcirco heri non necessario loco contra sensus tam multa dixeram. Tu autem te negas infracto remo neque columbae collo commoveri. Primum cur? Nam et in remo sentio non esse id, quod videatur, et in columba pluris videri colores nec esse plus uno. Deinde nihilne praeterea diximus? — Maneant illa omnia, † lacerat ista causa: veracis suos esse sensus dicit. — Igitur semper auctorem habes eum, qui magno suo periculo causam agat. Eo enim rem demittit Epicurus, si unus sensus semel in vita mentitus sit, nulli umquam esse credendum. 80. Hoc est verum esse, confidere suis testibus † et inportata

---

3. *effictum* Manutius: *effectum* C; cf. § 18. — *etiamne si eiusdem modi* Davies: *etiam nisi eiusmodi* C — 4. *uel quale f.* A¹ — 6. *ut* om. A B V¹ — *eiusdem* Davies: *eius* C — *quod non ut est posset esse* A, sed *quod non ut est pos* m. 2 in ras. — *est* om. B — 7. *finitionem* B¹ — 10. *posset* Ernesti: *possit* C O — *haec autem* E — 14. *philioni* V — 15. *oppinationem* B, idem *et percep.* sup. lin. habet — 17. *tu*] *te* malebat Davies — 18. *si* V corr. ex *se* — 19. *cummuni* A¹ — *id* om. Manutius, *tu* coni. Lamb.; *quamquam ne id f. posses* coni. Durand in cur. sec. — 22. *quur* V — 24. *lacerat* A V: *lecerat* B; *iaceat* O; *latrat* b, quod probavit Hermannus p. 469; *blaterat iste tamen et veraces* coni. Davies; fort. *lacera est ista causa.* Madvigius I, 174 sqq. lectionem *iaceat,* ut est in Davisii cod. Regio et Cantabr. sec. manu, ita commendavit: «Cum Cicero contra Stoicos disputasset allatis argumentis, ex quibus perspiceretur sensuum visis nos saepe decipi, adversarios ancipiti conclusione urget. Negas te his moveri; nihilne praeterea diximus? Fac haec manere, concedatur haec de sensuum quasi fallaciis a me dicta non refutari; iam concidet ista causa; verum repugnat adversarius; sensus suos veraces esse dicit. Ergo, tu cum hoc dicis, incidis in idem, in quod Epicurus, et cum eo communem causam habes magno sane cum periculo.» — 25. *ueracis uos esse* V — *dicit*] erant qui *Epicurus* addere vellent. — *habes et eum* A B, unde Madvig p. 176 coni. *habet eum.* «Videtur aliquo modo ferri posse mutatio personae *dicit - habes* (prius est enim Ciceronis de adversario fingentis, alterum quasi propius accedentis et urgentis): praeferrem tamen, si scriptum in codd. esset *habet.*» — 26. *dimittit* A B — 27. *umquam* A, sed *um* in ras. — 28. *verum esse* Madvigius in Emend. I, 177 sic explicat ut *verus* is dicatur qui sit simplex et nullis ad sententiam obtinendam ambagibus utatur; postea tamen in ep. crit. ad Orellium p. 139 sq. malebat *virum esse*; fort. *certum esse* — *inportata* C G v: *inportune* r E O. Quid lateat in scriptura *inportata,* aliis acutioribus ad divinandum relinqui-

insistere! Itaque Timagoras Epicureus negat sibi umquam, cum oculum torsisset, duas ex lucerna flammulas esse visas; opinionis enim esse mendacium, non oculorum. Quasi quaeratur, quid sit, non quid videatur. Sit hic quidem maiorum similis: tu vero, qui visa sensibus alia vera dicas esse, alia falsa, qui ea distinguis? sed desine, quaeso, communibus locis: domi nobis ista nascuntur. Si, inquis, deus te interroget, sanis modo et integris sensibus, num amplius quid desideres: quid respondeas? — Utinam quidem roget! Audiret, quam nobiscum male ageretur. Ut enim vera videamus, quam longe videmus? Ego Catuli Cumanum ex hoc loco cerno, Pompeianum non cerno neque quicquam interiectum est, quod obstet, sed intendi acies longius non potest. O praeclarum prospectum! Puteolos videmus: at familiarem nostrum C. Avianium, fortasse in porticu Neptuni ambulantem, non videmus. 81. At ille nescio qui, qui in scholis nominari solet, mille et octingenta stadia quod abesset videbat: quaedam volucres longius. Responderem igitur audacter isti vestro deo me plane his oculis non esse contentum. Dicet me acrius videre quam illos pisces fortasse: qui neque videntur a nobis, et nunc quidem sub oculis sunt, neque ipsi nos suspicere possunt. Ergo ut illis aqua, sic nobis aër crassus offunditur. — At amplius non desiderant. — Quid? talpam num desiderare lumen putas? Neque tam quererer cum deo quod parum longe quam quod falsum viderem. Videsne navem illam? stare nobis videtur: at iis, qui in nave sunt, moveri haec villa. Quaere rationem cur ita videatur: quam ut maxime inveneris, quod haud scio an non possis, non tu verum testem habere, sed eum non sine causa falsum testimonium dicere ostenderis. XXVI. 82. Quid ego de nave? vidi enim a te remum contemni. Maiora fortasse quaeris.

---

mus, certe non *inportune*, quae lectio adhuc nimis patienter tolerata est. Illud quoque Madvigius in ep. ad Or. recte monuit, *et* tertio loco positum vitiosum esse. — 1. *insistere* V — 2. *uisa* B¹ — 3. *mendatium* A — 4. *sit* B¹: *sic* A B² V; *sed* O — *hic* om. B¹ — *tuu* (o) *qui* B (*o* add. 2 m.) — *sensibi* B — 5. *sed desine* Goerenz: *et desine* B V, .. *desine* A; *Desine* O; *desine communibus locis* -- *nascuntur* affert Hieronymus adv. Pelagianos p. 491, A ed. Par. 1706. — 6. *uobis* E G — 7. *desideras* B corr. m. 1 ex *desideres*: *desideras* A V O — 8. *rogaret* malim — *audiret* Davies: *audies* C, *audiet* cod. Ursini, *audiat* O — *ageretur* Davies: *agerent* C, *agatur* Lamb., *egerit* O cum cod. Pal. 1. — 9. *videmus* cod. Ursini: *uidebimus* C, *viderimus* coni. Davies — *catule* V — *cum anum* V, *cu anum* B corr. in *cumanam* — 10. *loco cerno* scripsi: *loco cerno regionem video* C, sed in A B *cerno* expunctum; *loco video* O cum edd. plerisque. Nos *cerno* relicto *regionem video* abiecimus, quod colon ex glossemate ad vv. *Pomp. non cerno* adiectum esse apparet. — 11. *longius acies* O — 12. *ad* A¹ V¹ — *C.* om. B; *O* (sic) V; in A littera post *c* erasa est — 13. *Auianium* A V, ut scribendum esse vidit Bergk (*Z. f. Alterthumsw.* 1847 p. 172): *Avianum* B O — 14. *scolis* A V — *octingenta* C r: *octaginta* G; *octoginta* E O, ut Harduinus ex Plin. nat. hist. VII, 21, § 85 corrigendum esse censuit; at videntur potius apud Plinium numeri corrupti esse; v. inpr. Perizon. ad Ael. var. hist. XI, 13, 2. — 16. *ocolis* A¹ — 17. *illos* Ox. ψ: *ullos* C, *multos* Klotz; *mullos illos* (om. *pisces*) malebat Orelli — 19. *ad* A V — *desiderant* Christ: *desideramus* C O. Acute vidit amicus noster lectionem *desiderant* eo quod contra dicit Cicero requiri. Opponit enim, si hoc quod pisces meliorem visum non desiderent nos consolari debeat, tum nobis, ne si caeci quidem essemus talparum instar, fore cur cum deo quereremur, quoniam ne talpae quidem lumen desiderent. — 20. *tam quererer* -- *viderem* Manutius: *tamen* (*tum* V) *quaereretur* -- *uideret* C; *tamen tam quereretur* -- *videret* Davies; in *tum* vel *tamen* etiam *tantum* potest latere — 22. *ad* A¹ — *naue* B: *naua* V, *navi* A O — 24. *haud* C corr. ex *aut* — *non te verum* Lamb. — *te testem* coni. Dav. — 25. *Sed quid* coni. Ernesti — 26. *navi* A²V²O — *contempni* A.

Quid potest esse sole maius? quem mathematici amplius duodeviginti partibus confirmant maiorem esse quam terram. Quantulus nobis videtur! mihi quidem quasi pedalis. Epicurus autem posse putat etiam minorem esse eum quam videatur, sed non multo; ne maiorem quidem multo putat esse vel tantum esse, quantus videatur: ut oculi aut nihil mentiantur aut non multum mentiantur. Ubi igitur illud est semel? Sed ab hoc credulo, qui numquam sensus mentiri putat, discedamus: quin ne nunc quidem, cum ille sol, qui tanta incitatione fertur, ut celeritas eius quanta sit ne cogitari quidem possit, tamen nobis stare videatur! 83. Sed, ut minuam controversiam, videte, quaeso, quam in parvo lis sit. Quattuor sunt capita, quae concludant nihil esse, quod nosci, percipi, conprehendi possit, de quo haec tota quaestio est. E quibus primum est esse aliquod visum falsum, secundum non posse id percipi, tertium, inter quae visa nihil intersit, fieri non posse ut eorum alia percipi possint, alia non possint, quartum nullum esse visum verum a sensu profectum, cui non adpositum sit visum aliud, quod ab eo nihil intersit quodque percipi non possit. Horum quattuor capitum secundum et tertium omnes concedunt: primum Epicurus non dat; vos, quibuscum res est, id quoque conceditis. Omnis pugna de quarto est. 84. Qui igitur P. Servilium Geminum videbat, si Quintum se videre putabat, incidebat in eius modi visum, quod percipi non posset, quia nulla nota verum distinguebatur a falso: qua distinctione sublata quam haberet in C. Cotta, qui bis cum Gemino consul fuit, agnoscendo eius modi notam, quae falsa esse non posset? Negas tantam similitudinem in rerum natura esse. Pugnas omnino, sed cum adversario facili. Ne sit sane: videri certe potest. Fallet igitur sensum, et si una fefellerit similitudo, dubia omnia reddiderit. Sublato enim iudicio illo, quo oportet agnosci, etiam si ipse erit, quem videris, qui tibi videbitur, tamen non ea nota iudicabis, qua dicis oportere, ut non possit esse eiusdem modi falsa. 85. Quando igitur potest tibi Publius Geminus Quintus videri, quid habes explorati, cur non possit tibi Cotta videri, qui non sit, quoniam aliquid videtur esse, quod non est? Omnia dicis sui generis esse, nihil esse idem, quod sit aliud. Stoicum est quidem nec admodum credibile »nullum esse pilum omnibus rebus talem, qualis sit pilus alius, nullum

---

1. *esse* om. AB — *duodetriginta* malebat Goerenz, ut etiam G. Roeperus in *Z. f. die Alterthumsw.* 1852 p. 443; at v. § 128.— 4. *ne* C: *nec* V^2O — 5. *putant* AB — *aut nihil mentiantur aut non multum ment.* A B^2 (sed in A ante *aut non* voc. erasum est): *aut nihil mentiantur tamen aut non m. ment.* B^1; *aut nihil mentiantur* (om. cet.) V; *aut non multum mentiantur aut nihil* O — 7. *putant* B^1 — 8. *quin ne* scripsi (i. e. quin ne nunc quidem sensus mentiri putat): *qui ne* C O; *quid? ne* Davies; *ne* (om. *qui*) amicus Lambini — 10. *in parvo lis sit* Durand: *in paruolis sitis* A^1, *in parua lis sitis* V, *in paruulis sitis* A^2B; cf. Madvig I, 133. — 11. *concledant* A^1 — 15. *alia non possint* om. A^1 — 16. *aliud falsum quod* Lamb. — 19. *omnes* V^1 — 20. *si* B V: *si.* A (fort. ex *sed,* ut est in E, de qua prava lectione v. Madvig I, p. 178); *is si* ego malim — 22. *uero* A^1 — *in C.* B: *M. C* A; *C.* om. V — 23. *cum P. Gemino* O cum 2 codd. Davisii — *agnoscendum* V, unde Lamb. *ad noscendum*; *ad noscendum eum* malebat Davies; *agnoscendi* al. in marg. Lamb. — 24. *possit* A B — 28. *tibi uidetur* G — 29. *quam dicis esse oportere* Lamb. — 30. *quinctus* A ante rasuram — 31. *exploratu* V, *exploratum* B — *quur* V — *C. Cotta* coni. Or. — 33. *est* r: *sed est* A B, *sedem* V, *est id* Lamb., *id est* Davies; ego malim: *est istud* — 34. *quales sit* V^1, *qualesit* B^1.

granum.» Haec refelli possunt, sed pugnare nolo. Ad id enim, quod agitur, nihil interest, omnibusne partibus visa res a re nihil differat, an internosci non possit, etiam si differat. Sed, si hominum similitudo tanta esse non potest, ne signorum quidem? Dic mihi, Lysippus eodem aere, eadem temperatione, eodem caelo, aeque ceteris omnibus, centum Alexandros eiusdem modi facere non posset? Qua igitur notione discerneres? 86. Quid? si in eiusdem modi cera centum sigilla hoc anulo inpressero, ecquae poterit in agnoscendo esse distinctio? an tibi erit quaerendus anularius aliqui, quoniam gallinarium invenisti Deliacum illum, qui ova cognosceret?

XXVII. Sed adhibes artem advocatam etiam sensibus. Pictor videt quae nos non videmus, et, simul inflavit tibicen, a perito carmen agnoscitur. Quid? hoc nonne videtur contra te valere, si sine magnis artificiis, ad quae pauci accedunt, nostri quidem generis admodum, nec videre nec audire possimus? Iam illa praeclara, quanto artificio esset sensus nostros mentemque et totam constructionem hominis fabricata natura! 87. Cur non extimescam opinandi temeritatem? Etiamne hoc adfirmare potes, Luculle, esse aliquam vim, cum prudentia et consilio scilicet, quae finxerit vel, ut tuo verbo utar, quae fabricata sit hominem? Qualis ista fabrica est? ubi adhibita? quando? cur? quo modo? Tractantur ista ingeniose, disputantur etiam eleganter: denique videantur sane, ne adfirmentur modo. Sed de physicis mox, et quidem ob eam causam, ne tu, qui id me facturum paulo ante dixeris, videare mentitus. Sed ut ad ea, quae clariora sunt, veniam, res iam universas profundam, de quibus volumina impleta sunt non a nostris solum, sed etiam a Chrysippo: de quo queri solent Stoici, dum studiose omnia conquisierit contra sensus et perspicuitatem contraque omnem consuetudinem contraque rationem, ipsum sibi respondentem inferiorem fuisse, itaque ab eo armatum esse Carneadem. — 88. Ea sunt eius modi, quae a te diligentissime tractata sunt. Dormientium et vinolentorum et furiosorum visa inbecilliora esse dicebas quam vigilantium, siccorum, sano-

---

1. *possint* V^1 — 2. *res a re* scripsi: *re* C, *res* r V^2 O — 4. *potesne* B^1 — 5. *aeque* scripsi: *aqua* C, quod facile librarius fingere poterat, cui *caelum* non *γλυφεῖον*, sed *οὐρανός* videretur; *acu* (i. e. «*Schraffirnadel*») coni. Orelli (at debebat saltem *eadem acu*); *eadem caelatura* (pro *eodem caelo aqua*) Car. Fr. Hermannus. In loci scriptura constituenda hoc quoque tenendum est, colon *ceteris omnibus* post anaphoram vix sic nude addi potuisse. — *certum alexandrum* C, sed V *alexandrus* — 7. *in eiusdem* Lamb.: *in eius* C — *annulo* et 9. *annularius* B O — 8. *ecque* r, *haecquae* C — 9. *gallinarum* A^1V
i
— 10. *agnosceret* Pal. 2 et Par. 5, *dignosceret* Davies; at v. § 56. — 12. *tibicena perito* A — *adnoscitur* A — 13. *artificis* A^1 — 14. *adquae* C corr. ex *atque*. Verborum distinctionem correxit Madvig I, p. 181 recte monens *pauci* ad *admodum* repetendum esse, cum sit sententia: et omnino pauci eo perveniunt, et nostri generis paucissimi. — 15. *possumus* O — 17. *natura!*] signum exclamandi posuit Huelsemann; contra Ernesti auctore Davisio sic interpunxit: *Iam illa praeclara, quanto a. esset -- fabricata natura, cur non* cet., explicans: illa sunt praeclara ad id, ut non extimescam, propter quae non extimescam cet. — 19. *finserit* B^1 — *sit* A m. 2 in ras. — 21. *tranctantur* A^1 — *ingenio sed iis putantur* V^1 — 23. *qui id me* B^2: *quid me* B^1, *qui idem me* A V O — 24. *mentitus esse. Ut* coni. Davies et paulo post: *universas non prof.* — 25. *de*] *sed* B^1 — 26. *chris.* V — 27. *conquesierit* B — 28. *se ipso inferiorem* coni. Lamb. — 30. *ad te dil. tracta* A^1 B^1 — *uinulentorum* A^1 B V — 31. *sicorum* A.

rum. Quo modo? quia, cum experrectus esset Ennius, non diceret «se vidisse Homerum», sed «visum esse»: Alcmaeo autem,

Sed mihi ne utiquam cor consentit ...

Similia de vinolentis. Quasi quisquam neget et qui experrectus sit, eum † somniare, et, cuius furor consederit, putare non fuisse ea vera, quae essent sibi visa in furore. Sed non id agitur: tum, cum videbantur, quo modo viderentur, id quaeritur. Nisi vero Ennium non putamus ita totum illud audivisse,

O pietas animi ...,

si modo id somniavit, ut si vigilans audiret. Experrectus enim potuit illa visa putare, ut erant, somnia: dormienti vero aeque ac vigilanti probabantur. Quid? Iliona somno illo

Mater, te appello —

nonne ita credit filium locutum, ut experrecta etiam crederet? unde enim illa:

.. age adsta: mane, audi: itera dum eadem istaec mihi:

num videtur minorem habere visis quam vigilantes fidem?

XXVIII. 89. Quid loquar de insanis? Qualis tandem fuit adfinis tuus, Catule, Tuditanus? quisquam sanissimus tam certa putat quae videt quam is putabat quae videbantur? Quid ille, qui

Video, video te: vive, Ulixes, dum licet,

nonne etiam bis exclamavit se videre, cum omnino non videret? Quid? apud Euripidem Hercules, cum, ut Eurysthei filios, ita suos configebat sagittis, cum uxorem interemebat, cum conabatur etiam patrem, non perinde movebatur falsis, ut veris moveretur? Quid? ipse Alcmaeo tuus, qui negat «cor sibi cum oculis consentire», nonne ibidem incitato furore:

.. unde haec flamma oritur?

et illa deinceps,

Incedunt, incedunt: adsunt, me expetunt.

---

1. *diceret*, cuius loco Davies sine causa maluit *dixerit*, om. E O — 2. *alcmeo* A — 3. *neutiquam* O — 4. *uinulentis* A¹ B V — 5. *somniare* C, sed in V *re* punctatum: *somnia* O, at recte iam Davies monuit sic verborum structuram admodum duram fore; *somniasse* Lamb.; nobis in illa syllaba *re* terminatio verbi cuiusdam superesse videtur, velut *somnia reprobare (somnia sua visa putare)* vel simile aliquid. *(eum qui experr. sit et cuius furor consederit, putare non fuisse ea vera, quae essent sibi visa in somnis et in furore* coni. Davies) — 6. *videbantur* Davies: *uideantur* C — 10. *si* post *ut* inclusit Davies — 11. *ut erant somnia* Madvig (I, 182): *ut erant et somnia* C, *ut erant esse s.* Davies — *vigilantis* Davies — 12. *probantur* G — *somna* B¹ — 13. *apello* A — 14. *ita* Davies: *illa* C — *ita credidit* malim — 16. *asta* A V — *mane* A m. 2 in ras. habet — *audi* om. V — *itera dum* V: *iteradum* O — *istaec* Manutius: *et ista* C; *ista* codd. in Cic. Tusc. II, § 44 et in ep. ad Attic. XIV, 14, 1. — 17. *uigilantis* A B V¹; cf. Lachmanni comment. in Lucr. p. 56. — 20. *uidebat* V¹ — 21. *video te, video* Ribbeck (Trag. Lat. rel. p. 205) cum Botheo — *vive* Goerenz (ex Cic. de orat. III, § 162): *uiuum* C, sed in V verba *quid ille -- uiuum* in loco eraso scripta sunt — *dicet* V — 22. *se exclamavit* G O — 23. *ercules* V¹ — *eurystehi* B — *ita* del. Victorius, at v. Naegelsbach *Lat. Stilistik* p. 440 ed. II. — 24. *interimebat* C² O — 25. *alcmeo* A — 26. *sibi esse cum* V¹ — *incitatus* Davies; at recte explicat Wesenberg in *Observv. critt. ad or. p. Sestio* p. 51: cum furor eius initio remissior paullatim incitatior et vehementior factus esset; cf. etiam Wopkens lectt. Tull. p. 55 ed. Hand. — 29. *incede incede* codd. et O, sed V *in caede in caede*; necessariam emendationem *incedunt*, sc. Furiae, iam Lamb. habet in marg. — *adsunt me* C: *adsunt, adsunt: me, me* O; *adsunt adsunt adsunt, me expetunt* scripsit Ribbeck l. c. p. 16; vide ne sufficiat *adsunt, adsunt, me exp.*, ut versus non sit integer.

Quid? cum virginis fidem implorat:

Fer mi auxilium: pestem abige a me, flammiferam hanc
vim, quae me excruciat!
Caerulea incinctae angui incedunt: circumstant cum ardentibus taedis:

num dubitas quin sibi haec videre videatur? Itemque cetera:

Intendit crinitus Apollo
Arcum auratum luna innixus;
Diana facem iacit a laeva.

90. Qui magis haec crederet, si essent, quam credebat, quia videbantur? Apparet enim iam «cor cum oculis consentire». Omnia autem haec proferuntur, ut illud efficiatur, quo certius nihil potest esse, inter visa vera et falsa ad animi adsensum nihil interesse. Vos autem nihil agitis, cum illa falsa vel furiosorum vel somniantium recordatione ipsorum refellitis. Non enim id quaeritur, qualis recordatio fieri soleat eorum, qui experrecti sint, aut eorum, qui furere destiterint, sed qualis visio fuerit aut furentium aut somniantium tum, cum movebantur. Sed abeo a sensibus.

91. Quid est quod ratione percipi possit? Dialecticam inventam esse dicitis, veri et falsi quasi disceptatricem et iudicem. Cuius veri et falsi? et in qua re? In geometriane quid sit verum aut falsum dialecticus iudicabit an in litteris an in musicis? At ea non novit. In philosophia igitur? Sol quantus sit, quid ad illum? Quod sit summum bonum quid habet ut queat iudicare? Quid igitur iudicabit? quae coniunctio, quae diiunctio vera sit, quid ambigue dictum sit, quid sequatur quamque rem, quid repugnet. Si haec et horum similia iudicat, de se ipsa iudicat. Plus autem pollicebatur. Nam haec quidem iudicare ad ceteras res, quae sunt in philosophia multae atque magnae, non est satis. 92. Sed quoniam tantum in ea arte ponitis, videte ne contra vos tota nata sit: quae primo progressu festive tradit elementa loquendi et ambiguorum intellegentiam concludendique rationem, tum paucis additis venit ad soritas, lubricum sane et periculosum locum, quod tu modo dicebas esse vitiosum interrogandi genus. XXIX. Quid ergo? istius vitii num nostra culpa est? Rerum natura nullam nobis dedit cognitionem finium, ut ulla in re statuere possimus, quatenus; nec hoc in acervo tritici solum, unde nomen est, sed nulla omnino in re minutatim interrogati «dives pauper, clarus obscurus sit, multa pauca, magna parva, longa brevia, lata angusta,» quanto aut addito aut dempto certum respondeamus [non] habemus. — 93. At vitiosi sunt soritae. — Frangite igitur eos, si potestis, ne molesti sint;

2. *mihi* E, *modo* G — 4. *caerulea* V, ut videtur, et Goerenz: *caeruleae* A B r, *caeruleo* Columna ad fragm. Ennii p. 284. — *angui* Columna: *igni* C — 5. *tedis* A — 9. *leua* A — 10. *credebant* A — 11. *coreum* V[1] — 16. *sunt* A B; *sunt* - - *destiterunt* Lamb. — 17. *tum cum movebantur* scripsi: *tum commouebantur* C; *tum cum commov.* edd. — 18. *e͠e sed dicitis* B[1] — 19. *quasi disc.* - - *veri et falsi* V in marg. suppleta habet — *quasi* om. E — *decept.* A[1] — 20. *et in*] *in* V — *geometrine* V[1] — *dialectiscus* V, *lectiscus* B[1], *lectis cur* A — 21. *ad ea* B[1] — 22. *quod si* A[1] B[1] V — 23. *quae diiunctio* A[2]: *quae disiunctio* (*ae* et *is* ex corr.) B, *quae deconiunctio* A[1], *qua id e coniunctio* V — 24. *sit* sup. lin. A — *quid repugnet* edd. cum signo interrogandi — 28. *progressa* B[1] — 30. *dum* B[1] — *sortas* V[1] — 34. *acerbo* A[1] V — 35. *sed ulla* Manutius; at potius *non* v. 33, ut Christ monuit, delendum est. — *interroga* add. *ti* sup. lin. A, *interroganti* G — 37. *ad* B[1] — 38. *..angite* A, *fangite* B.

erunt enim, nisi cavetis. Cautum est, inquit. Placet enim Chrysippo, cum gradatim interrogetur, verbi causa «tria pauca sint anne multa», aliquanto prius quam ad multa perveniat quiescere, id est, quod ab his dicitur, ἡσυχάζειν. Per me vel stertas licet, inquit Carneades, non modo quiescas. Sed quid proficit? Sequitur enim, qui te ex somno excitet et eodem modo interroget: quo in numero conticuisti, si ad eum numerum unum addidero, multane erunt? Progrediere rursus, quoad videbitur. Quid plura? hoc enim fateris, neque ultimum te paucorum neque primum multorum respondere posse. Cuius generis error ita manat, ut non videam quo non possit accedere. 94. Nihil me laedit, inquit: ego enim, ut agitator callidus, prius quam ad finem veniam, equos sustinebo, eoque magis, si locus is, quo ferentur equi, praeceps erit. Sic me, inquit, ante sustineo nec diutius captiose interroganti respondeo. Si habes quod liqueat neque respondes, *facis* superbe: si non habes, ne tu quidem percipis. Si, quia obscura, concedo: sed negas te usque ad obscura progredi; inlustribus igitur rebus insistis. Si id tantum modo, ut taceas, nihil adsequeris. Quid enim ad illum, qui te captare vult, utrum tacentem inretiat te an loquentem? Sin autem usque ad novem, verbi gratia, sine dubitatione respondes pauca esse, in decumo insistis, etiam a certis et inlustrioribus cohibes adsensum. Hoc idem me in obscuris facere non sinis. Nihil igitur te contra soritas ars ista adiuvat, quae nec augentis nec minuentis, quid aut primum sit aut postremum, docet. 95. Quid? quod eadem illa ars, quasi Penelope telam retexens, tollit ad extremum superiora. Utrum ea vestra an nostra culpa est? Nempe fundamentum dialecticae est, quidquid enuntietur — id autem appellant ἀξίωμα, quod est quasi e c f a t u m — aut verum esse aut falsum. Quid igitur? haec vera an falsa sunt? «Si te mentiri dicis idque verum dicis, mentiris an verum dicis?» Haec scilicet inexplicabilia esse dicitis. Quod est odiosius quam illa, quae nos non conprehensa et non percepta dicimus.

---

3. *aliquando* B^1 — *pervenias* Ernesti, *perveniatur* Goerenz — *est* om. B — *iis* O — 4. *esychaziin* B, *esicaziin* A V — 5. *proficitur* cod. Dresd., *proficis* aut *prosit* Davies; at v. Madvig I, 184, qui subiectum esse τὸ ἡσυχάζειν monuit. — 6. *quo* cod. Manutii et 2 Davisii: *quod* C — *mero* B^1, *numere* V^1 — 7. *addidere* B^1 — 8. *fateberis* Lamb. — *te paucorum n. primum* om. A^1 — 9. *ita* A sup. lin. — 11. *veniat, equos sustinebit* malebat Davies; at Stoici est se ipsum callidum equorum agitatorem appellare, ut omnis operis optimus opifex sibi videbatur. — 12. *feruntur* V^1 — 13. *sustinebo -- respondebo* Lamb. — 14. *respondes, facis superbe* scripsi: *responde superbe* C G v, *respondes: superbi* r, *respondes superbis* O cum E et aliquot dett., quae vereor ut recta sit emendatio — 15. *percipis* cod. Cantabr.: *persipis* B V, *perspicis* A (sed *cis* et *si* sequens in ras.) — 19. *respondeas* A^2 V^2, item B, sed hic corr. ex *respondas* — 20. *lustrioribus* V, *illustribus* O cum Lamb. — 21. *adiubat* B^1 — 22. *augentis nec minuentis* scripsi: *augendi nec minuendi* A B^1 V, *augendo nec minuendo* B^2; *augenti nec minuenti* O cum Lamb. Ut saepe factum videmus, terminatio accus. plur. in *is* librarios in errorem induxit. — 23. *Penelopae* Lamb., *paenelope* A, sed *pe* in ras., item *tela retexens* — *tela* A B, *tecla* V, sed *c* erasa — 24. *ea nostra an vestra* malit Christ — 25. *quoquid* V, ortum ex *quicquid,* ut est in A B — *enuntiaetur* A — 26. *axioma* C — *elfatum* B^1, *exfatum* V^1, *effatum* A B^2 V^2 O, sed A *ef* in ras. — 27. *sunt? si* V corr. ex *sumsi* — *idque uere* A, sed *e* extrema in ras. — 28. *mentiris an verum dicis* Schuetz: *mentiris uerum* (*et uerum* A corr.) *dicis* C, *mentiris* O cum codd. Goer. Cf. A. Gellii N. A. XVIII, 2, 10: *Quaesitum ibi est, quae esset huius quoque sophismatis solutio: «cum mentior et mentiri me dico, mentior an verum dico?»* — *scilicet* B in ras. habet — 30. *dicimus* C corr. ex *dicitis.*

XXX. Sed hoc omitto: illud quaero, si ista explicari non possunt, nec eorum ullum iudicium invenitur, ut respondere possitis verane an falsa sint, ubi est illa definitio: «ecfatum esse id, quod aut verum aut falsum sit?» Rebus sumptis, adiungam ex iis sequendas esse alias, alias inprobandas, quae sint in genere contrario. 96. Quo modo igitur hoc conclusum esse iudicas? «Si dicis nunc lucere et verum dicis, *lucet; dicis autem nunc lucere et verum dicis:* lucet igitur.» Probatis certe genus et rectissime conclusum dicitis. Itaque in docendo eum primum concludendi modum traditis. Aut quidquid igitur eodem modo concluditur probabitis, aut ars ista nulla est. Vide ergo hanc conclusionem probaturusne sis: Si dicis te mentiri verumque dicis, mentiris; dicis autem te mentiri verumque dicis: mentiris igitur.» Qui potes hanc non probare, cum probaveris eiusdem generis superiorem? Haec Chrysippea sunt, ne ab ipso quidem dissoluta. Quid enim faceret huic conclusioni? «si lucet, lucet; lucet autem: lucet igitur:» cederet scilicet. Ipsa enim ratio conexi, cum concesseris superius, cogit inferius concedere. Quid ergo haec ab illa conclusione differt? «si mentiris, mentiris; mentiris autem: mentiris igitur.» Hoc negas te posse nec adprobare nec inprobare. Qui igitur magis illud? Si ars, si ratio, si via, si vis denique conclusionis valet, eadem est in utroque. 97. Sed hoc extremum eorum est: postulant ut excipiantur haec inexplicabilia. Tribunum aliquem censeo adhibeant: a me istam exceptionem numquam inpetrabunt. Etenim cum ab Epicuro, qui totam dialecticam et contemnit et inridet, non inpetrent ut verum esse concedat, quod ita effabimur, «aut vivet cras Hermarchus aut non vivet,» cum dialectici sic statuant, omne, quod ita disiunctum sit, quasi «aut etiam aut non» non modo verum esse, sed etiam necessarium: — vide quam sit catus is, quem isti tardum putant; si enim, inquit, alterutrum concessero necessarium esse, necesse erit cras Hermarchum aut vivere aut non vivere; nulla autem est in natura rerum talis necessitas —: cum hoc igitur dialectici pugnent, id est, Antiochus et Stoici; totam enim evertit dialecticam. Nam si e contrariis disiunctio — contraria autem ea dico, cum alterum aiat, alterum neget —, si talis disiunctio falsa potest esse, nulla vera est. 98. Mecum vero quid habent litium, qui ipsorum disciplinam sequor? Cum aliquid huius modi inciderat, sic ludere Carneades solebat: «Si recte conclusi, teneo: sin

---

1. *hoc* C: *haec* E G O — 2. *ut* V corr. ex *ui* — 3. *effectum* C, *effatum* r v O — 4. *his* B^1 V^1 O — *alias, alias* r v: *alias* semel C — 6. *lucet -- dicis*] haec quae litteris in obliquum versis imprimenda curavimus, addidit Manutius (sed sine *nunc*, quod a Davisio adsumsimus); om. C O — 9. *Aut* suspectum Goerenzio — *quicquid* C — 10. *uideo ergo* C et edd. vett. — 11. *mentirir* V^1 (ante *dicis*), *mentiri* A^1 B^1 — 12. *potest* B^1 V — 15. *lucet* post *si lucet* om. C; additum est m. sec. in A V — *licet igitur* V^1 — *ederet* B^1 — *connexi* O — 16. *igitur* G — 17. *haec* et 20. *est* A sup. lin. m. 2. — 21. *adhibeant* scripsi: *uidebant* A^1, *uideant* A^2 B V, *adeant* r v et V in marg.; cf. p. 32, 11 et or. p. Rab. perd. § 20. — 23. *contempnit* A^1 — 24. *Hermarchus* r: *hermarcus* C; *Hermachus* edd. recentt. — 26. *aut non modo* A B^1 — 27. *catus* Lambinus: *cautus* C O — *enim inquit alterutrum* om. V — 28. *ecessero* V^1 — *hermarcum* B V, *hermacum* A — 30. *necessitas. Cum* edd.; at est anacoluthon in oratione, quae in verbis *cum hoc igitur* ad propositum revertitur. — 32. *aiat* b: *ait* C O, sed habet A *ait* in ras. — *neget* C: *negat* O cum Lamb. — 33. *diiunctio* B — 34. *licium* V — 35. *sic cludere* B V — *conclusit eneo* B^1 V, *conclusit teneo* A B^2, *conclusi, te teneo* Davies.

vitiose, minam Diogenes mihi reddet:» ab eo enim Stoico dialecticam didicerat; haec autem merces erat dialecticorum. Sequor igitur eas vias, quas didici ab Antiocho, nec reperio, quo modo iudicem «si lucet, lucet» verum esse, ob eam causam, quod ita didici, omne, quod ipsum ex se conexum sit, verum esse, non iudicem «si mentiris, mentiris,» eodem modo [esse] conexum. Aut igitur hoc et illud, aut, nisi hoc, ne illud quidem iudicabo.

XXXI. Sed ut omnes istos aculeos et totum tortuosum genus disputandi relinquamus ostendamusque qui simus, iam explicata tota Carneadis sententia Antiochea ista conruent universa. Nec vero quicquam ita dicam, ut quisquam id fingi suspicetur: a Clitomacho sumam, qui usque ad senectutem cum Carneade fuit, homo et acutus, ut Poenus, et valde studiosus ac diligens. Et quattuor eius libri sunt de sustinendis adsensionibus. Haec autem, quae iam dicam, sunt sumpta de primo. 99. Duo placet esse Carneadi genera visorum: in uno hanc divisionem: «alia visa esse quae percipi possint, alia quae non possint,» in altero autem: «alia visa esse probabilia, alia non probabilia.» Itaque, quae contra sensus contraque perspicuitatem dicantur, ea pertinere ad superiorem divisionem: contra posteriorem nihil dici oportere; quare ita placere: tale visum nullum esse, ut perceptio consequeretur, ut autem probatio, multa. Etenim contra naturam est, probabile nihil esse: et sequitur omnis vitae ea, quam tu, Luculle, commemorabas, eversio. Itaque et sensibus probanda multa sunt, teneatur modo illud, non inesse in iis quicquam tale, quale non etiam falsum nihil ab eo differens esse possit. Sic, quidquid acciderit specie probabile, si nihil se offeret quod sit probabilitàti illi contrarium, utetur eo sapiens, ac sic omnis ratio vitae gubernabitur. Etenim is quoque, qui a vobis sapiens inducitur, multa sequitur probabilia, non conprehensa neque percepta neque adsensa, sed similia veri: quae nisi probet, omnis vita tollatur. 100. Quid enim? conscendens navem sapiens num conprehensum animo habet atque perceptum se ex sententia navigaturum? qui potest? Sed si iam ex hoc loco proficiscatur Puteolos stadia triginta, probo navigio, bono gubernatore, hac tranquillitate, probabile videatur se illuc venturum esse salvum. Huius modi

---

1. *minam* B in ras., *minima* V[1] — *Diogenes mihi* scripsi: *diogeni* C; *Diogenes* b O — *reddat* Manutius — *dialecticam* B[2] V: *dialectica* A B[1] O — 3. *antioco nec* (*ne* pr. m.) *repperio* A — *quomodo, cum iudicem* Davies; at v. Madv. I, p. 31. — *lucet* semel habent C; alterum in marg. V suppletum — 5 et 6. *conexsum* A[1] — 6. *esse* auctore Christo inclusimus, qui bene vidit sententiam esse: nec reperio, quo modo illud effatum «si mentiris, mentiris», eodem modo conexum, non iudicem esse verum. — *et* B[2]: *nec* C — *illut* B[1] — 7. *iudicabo* deleri iubet Durand in cur. sec. — 8. *omne si istos* V[1] — *et hoc totum* coni. Lamb. — 10. *Antiochea* cod. Cantabr.: *antioche* C G, *antiochi* E, *Antiochia* O; cf. § 115. — 13. *quattuor quidem* Durand in cur. sec. — 14. *quae iam dicam quae sunt* A B — 15. *alia visa esse -- probabilia alia non pro* habet V m. 2 in loco eraso; *que percipi possint alia quae percipi* (om. *percipi* m. 2 in V) *non possint. in altero autem alia uisa esse probabilia* in A in marg. m. 2 addita — 16. *possent* B[1] — *alia quae non possint* om. B, in marg. est *alia quae percipi non possint* — 17. *quae* om. A[1] — 20. fort. *consequatur* — 21. *est prob. nihil esse: et* Christ: *esset prob. nihil esset* C; *esset, si prob. nihil esset. Et* O (sic iam r, sed sine *Et*); *esset si prob. nihil esset; sequeretur enim* Lamb. — *sequetur* malim — 23. *in his* O — 25. *accederit* V[1] — *nil* V — *offerret -- uteretur* B[1] V[1] — 27. *his* A — *nobis* E et cod. Ursini — *indicitur* B — 29. *uiri* B[1] — 30. *num* A in ras., *non* B — 32. *hac* B[2]: *ac* C — 33. *ei videatur* Lamb.

igitur visis consilia capiet et agendi et non agendi, faciliorque erit, ut albam esse nivem probet, quam erat Anaxagoras, qui id non modo ita esse negabat, sed sibi, quia sciret aquam nigram esse, unde illa concreta esset, albam ipsam esse ne videri quidem. 101. Et quaecumque res eum sic attinget, ut sit visum illud probabile neque ulla re impeditum, movebitur. Non enim est e saxo sculptus aut e robore dolatus: habet corpus, habet animum, movetur mente, movetur sensibus, ut ei vera multa videantur; neque tamen habere insignem illam et propriam percipiendi notam: eoque sapientem non adsentiri, quia possit eiusdem modi exsistere falsum aliquod, cuius modi hoc verum. Neque nos contra sensus aliter dicimus ac Stoici, qui multa falsa esse dicunt longeque aliter se habere ac sensibus videantur.

XXXII. Hoc autem si ita sit, ut unum modo sensibus falsum videatur, praesto est qui neget rem ullam percipi posse sensibus. Ita nobis tacentibus ex uno Epicuri capite, altero vestro perceptio et conprehensio tollitur. Quod est caput Epicuri? «Si ullum sensus visum falsum est, nihil potest percipi.» Quod vestrum? «Sunt falsa sensus visa.» Quid sequitur? ut taceam, conclusio ipsa loquitur: «nihil posse percipi.» Non concedo, inquit, Epicuro. Certa igitur cum illo, qui a te totus diversus est: noli mecum, qui hoc quidem certe, falsi esse aliquid in sensibus, tibi adsentior. 102. Quamquam nihil mihi tam mirum videtur quam ista dici, ab Antiocho quidem maxime, cui erant ea, quae paulo ante dixi, notissima. Licet enim hoc quivis arbitratu suo reprehendat, quod negemus rem ullam percipi posse, certe levior reprehensio est: quod tamen dicimus esse quaedam probabilia, non videtur hoc satis esse vobis. Ne sit: illa certe debemus effugere, quae a te vel maxime agitata sunt: «nihil igitur cernis? nihil audis? nihil tibi est perspicuum?» Explicavi paulo ante Clitomacho auctore, quo modo ista Carneades diceret. Accipe, quem ad modum eadem dicantur a Clitomacho in eo libro, quem ad C. Lucilium scripsit [poëtam], cum scripsisset isdem de rebus ad L. Censorinum, eum, qui consul cum M'. Manilio fuit. Scripsit igitur his fere verbis — sunt enim mihi nota, propterea quod earum ipsarum rerum, de quibus agimus, prima institutio et quasi disciplina illo libro continetur —: sed scriptum est ita: 103. Academicis placere esse rerum eius modi dissimilitudines, ut aliae probabiles videantur, aliae contra: id autem non esse satis, cur alia posse percipi dicas, alia non posse, propterea quod multa falsa probabilia sint, nihil autem falsi perceptum et cognitum possit esse. Itaque ait vehementer errare eos, qui dicant ab Academia sensus eripi, a quibus numquam dictum sit aut

---

1. *capiet* om. V — *aut agendi aut non ag.* Durand in cur. sec. — *erat* A — 2. *probat* A¹ — 3. *concreta* Manutius: *congregata* C, *congreta* E — 5. *sic*] *sit* A B — *neque* A sup. lin. — 6. *enim* A sup. lin.; *est enim* Beier ad Cic. de off. I, p. 157 contra Nonium, qui p. 99 affert *non enim -- dolatus* — *aut e robore* Nonius: *aut ebore* C — 7. *sensibus* om. V¹ — 8. *habet* Lamb. — 10. *existere* A V² — 12. *uideatur* A¹ — 13. *modum* B¹ — 17. *potest* A sup. lin., om. V, fort. recte, si scribas: *falsum sit* — 18. *nil* B — 19. *inquid* V — 22. *ea* C: om. O — 23. *hoc* Christ: *haec* C O — 24. *est* B in ras. — 26. *sit* A B corr. in *sic* — 27. *cernes* V¹ — 29. *accepe* V¹ — 30. *poetam* ut manifestum glossema inclusimus — *iisdem* O — 31. *M'.*] *m̄.* A — 32. *is* A — 33. *rerum* om. O operarum errore — 35. *dissimilitudinem* V; *similitudines* Passeratius — 39. *sensis* V¹.

colorem aut saporem aut sonum nullum esse, illud sit disputatum, non inesse in iis propriam, quae nusquam alibi esset, veri et certi notam. 104. Quae cum exposuisset, adiungit dupliciter dici adsensus sustinere sapientem: uno modo, cum hoc intellegatur, omnino eum rei nulli adsentiri: altero, cum se a respondendo [ut aut adprobet quid aut inprobet] sustineat, ut neque neget aliquid neque aiat. Id cum ita sit, alterum placere, ut numquam adsentiatur, alterum tenere, ut sequens probabilitatem, ubicumque haec aut occurrat aut deficiat, aut «etiam» aut «non» respondere possit. † Nec ut placeat, eum, qui de omnibus rebus contineat se ab adsentiendo, moveri tamen et agere aliquid, reliquit eius modi visa, quibus ad actionem excitemur: item ea, quae interrogati in utramque partem respondere possimus, sequentes tantum modo, quod ita visum sit, dum sine adsensu: neque tamen omnia eius modi visa adprobavit, sed ea, quae nulla re inpedirentur. 105. Haec si vobis non probamus, sint falsa sane, invidiosa certe non sunt. Non enim lucem eripimus, sed ea, quae vos percipi comprehendique, eadem nos, si modo probabilia sint, videri dicimus.

XXXIII. Sic igitur inducto et constituto probabili, et eo quidem expedito, soluto, libero, nulla re inplicato, vides profecto, Luculle, iacere iam illud tuum perspicuitatis patrocinium. Isdem enim hic sapiens, de quo loquor, oculis, quibus iste vester, caelum, terram, mare intuebitur; isdem sensibus reliqua, quae sub quemque sensum cadunt, sentiet. Mare illud, quod nunc Favonio nascente purpureum videtur, idem huic nostro videbitur, nec tamen adsentietur, quia nobismet ipsis modo caeruleum videbatur, mane ravum, quodque nunc, qua a sole conlucet, albescit et vibrat, dissimileque est proximo et continenti: ut, etiam si possis rationem reddere, cur id eveniat, tamen non possis id verum esse, quod videbatur oculis, defendere. 106. Unde memoria, si nihil percipimus? sic enim quaerebas. Quid? meminisse visa nisi conprensa non possumus? Quid? Polyaenus, qui magnus mathematicus fuisse dicitur, is postea quam Epicuro adsentiens totam geometriam falsam esse credidit, num illa etiam, quae sciebat, oblitus est? Atqui, falsum quod est, id percipi non potest, ut vobismet ipsis placet. Si igitur

---

3. *exposuit* coni. Lamb.; al. in marg. Lamb. *adiunxit* — 5. *ut aut* cet. Verba inclusa, quae iam Gruterus glossema esse intellexit, ex recentioribus Hermannus p. 470 solus defendit, sed argumentis ille usus quae vereor ut cuiquam persuadeant. — 6. *ait* A B, sed est voc. in A in ras. — 7. *tenere* B corr. ex *tere* — 9. *aut non*] cum hic deficiat cod. V nunc mutilus, iam saepius afferemus lectiones codicis G, qui ex V descriptus videtur, sed ita ut plerumque lectiones secundae manus repetitae sint. — *posset* A B — *nec ut placeat* A B E: *ne ut pl.* G; *hic ut pl.* Manutius, *nam cum pl.* Lamb., *et cum pl.* Davies, *neu cui pl.* Hermann p. 470; certa emendatio loci corrupti nondum inventa est; ipse suspicatus sum: *sed cum pl.* — 10. *quit* in *reliquit* A in ras. habet — 14. *adprobavit* scripsi: *adprobari* C O; *adprobat* Manutius — 18. *inducta et constituta probabilia et* A B E G, quae emend. Manutius — 22. *cadunt* A B G: *cadent* E O — *sentient* A¹ B¹ — 24. *ceruleum* A — 25. *rauum* A¹ B¹ et Nonius (qui p. 164 affert *quia nobismet ipsis tum caeruleum tum rauum uidetur, quodque nunc a sole conlucet*): *flauum* A² B² E, *atrum* G (*quodque mane ravum, nunc, qua sole* coni. Hermannus p. 472) — *quodque* del. Lamb., *quaque nunc a sole* coni. Davies — *quia* G et Lamb. — 26. fort. *dissimile*; nam *quodque* non aliter ferendum videtur, nisi statuas *quod* esse pronomen — *et* Lambinus: *ei* A B O — 29. *percepimus* G — *quid* B¹ G: *quod* B² E, *quasi* A sed m. 2 in ras. — *meminisse* B — 30. *polyaemus* B¹, *polienius* A B² E — 32. *quaestiebat* B — 33. *nobismet* E G.

memoria perceptarum conprehensarumque rerum est, omnia, quae quisque meminit, habet ea conprehensa atque percepta; falsi autem conprendi nihil potest, et omnia meminit Sciron Epicuri dogmata: vera igitur illa sunt nunc omnia. Hoc per me licet: sed tibi aut concedendum est ita esse, quod minime vis, aut memoriam mihi remittas oportet et fateare esse ei locum, etiam si comprehensio perceptioque nulla sit. 107. Quid fiet artibus? Quibus? iisne, quae ipsae fatentur coniectura se plus uti quam scientia, an iis, quae tantum id, quod videtur, secuntur nec habent istam artem vestram, qua vera et falsa diiudicent?

Sed illa sunt lumina duo, quae maxime causam istam continent. Primum enim negatis fieri posse ut quisquam nulli rei adsentiatur. At id quidem perspicuum est. Cum Panaetius, princeps prope meo quidem iudicio Stoicorum, ea de re dubitare se dicat, quam omnes praeter eum Stoici certissimam putant, vera esse haruspicum *responsa*, auspicia, oracula, somnia, vaticinationes, seque ab adsensu sustineat: quod is potest facere vel de iis rebus, quas illi, a quibus ipse didicit, certas habuerint, cur id sapiens de reliquis rebus facere non possit? An est aliquid, quod positum vel inprobare vel adprobare possit, dubitare non possit? an tu in soritis poteris hoc, cum voles: ille in reliquis rebus non poterit eodem modo insistere? praesertim cum possit sine adsensione ipsam veri similitudinem non inpeditam sequi. 108. Alterum est, quod negatis, actionem ullius rei posse in eo esse, qui nullam rem adsensu suo conprobet. Primum enim videri oportet, in quo sit etiam adsensus. Dicunt enim Stoici sensus ipsos adsensus esse: quos quoniam adpetitio consequatur, actionem sequi; tolli autem omnia, si visa tollantur. XXXIV. Hac de re in utramque partem et dicta sunt et scripta multa, sed brevi res

---

1. *conprensarumque* B — 2. *conprensa* B — 3. *meminit seiron* (sic) -- *nunc omnia* A habet in marg. m. 2 add. — *sciron* B E: *seron* G; *Scyron* r O; *Syron* Goerenz ad Cic. de finn. II, § 119, ubi nunc v. Madvigium. Nobis tamen vera forma videtur *Sciron*, quam editores etiam ex Donati vita Vergilii § 79 et ex Catalectis Verg. 7, 9 et 10, 1 codd. spretis expulerunt. In Cic. epist. ad famil. VI, 11, 2. *Syronem* editur; sed Baitero teste codex Mediceus exhibet *sironem*. — *docmata* B[1] — 6. *fateare* Davies: *facile* A B[2] E, *facere* G, *facerē* B[1], *facias* cod. Manutii; *fateare* vel *patiare* Hermann. Lectionem *facere* defendit Christ, structuram post *oportet* variatam esse statuens, ut supra § 39 post *necesse est*; de infinitivo autem post *facere* v. Madv. ad Cic. de finn. p. 496. — 7. *quibus* om. B, in A punctatum — *iis que ipsae* A, sed *que* in ras. m. 2; *iis neq; ipsae* B G — 8. *an*] *aut* A in ras. — *is* A[1] — 9. *habet* B[1] — 9. *que* -- *diiudicet* G — 10. *limina* G, *vincula* vel *munimina* Davies, *columina* Bentley — 11. *ad* B[1]. Nos verborum interpunctionem per totum locum emendavimus, lectione librorum *quod is potest* v. 15 restituta; *At id quidem perspicuum est: quum Panaetius* -- *sustineat. Quod si is potest facere* cet. O — 13. *quem* -- *certissimum* A[1] B[1] (*quem* (a) ** *oms* A) — 14. *haruspicum* A B E G (sed *ar.* E, *aur.* G): *haruspicia* Faber, *haruspicinam* Ernesti et O, *haruspicium* Davies coll. Plin. nat. hist. VII, 56, § 203 (ubi nunc *haruspicam* legitur), iterum Hermannus coll. Catulli 90, 2; at cum nomen pluralis numeri requiri videatur, verisimilius videtur *responsa* post *haruspicum* intercidisse, ut idem Ernesti coniecit, quamquam in verborum contextu *haruspicinam* dedit. — *oracula somnia* A in ras. habet — 15. *sustineant* B — *quod is* A B E G (sed A *his*): *quod si is* O cum cod. Davisii — 16. *vel* Goerenz: *ut* B G, om. A E, sed est in A vox erasa — *his* O — *dicit* B[1] — 18. *positū* A B corr. ex *posito* — *dubitare* Davies: *dubitari* codd. — 19. *hoc* om. b — 21. *negantis* B[1] — 23. *etiam* suspectum Ernestio — 25. *tolit* B[1] — *ac* A[1] — 26. *sint* A[1] — *multa* Manutius: *multa vide superiora* codd.

potest tota confici. Ego enim etsi maximam actionem puto, repugnare visis, obsistere opinionibus, adsensus lubricos sustinere, credoque Clitomacho, ita scribenti, Herculi quendam laborem exanclatum a Carneade, quod, ut feram et inmanem beluam, sic ex animis nostris adsensionem, id est, opinationem et temeritatem extraxisset, tamen, ut ea pars defensionis relinquatur, quid inpediet actionem eius, qui probabilia sequitur, nulla re inpediente? 109. Hoc, inquit, ipsum inpediet, quod statuet ne id quidem, quod probet, posse percipi. Iam istuc te quoque inpediet in navigando, in conserendo, in uxore ducenda, in liberis procreandis plurimisque in rebus, in quibus nihil sequere praeter probabile. Et tamen illud usitatum et saepe repudiatum refers, non ut Antipater, sed, ut ais, «pressius». Nam Antipatrum reprensum, quod diceret consentaneum esse ei, qui adfirmaret nihil posse comprehendi, id ipsum saltem dicere posse conprendi, quod ipsi Antiocho pingue videbatur et sibi ipsum contrarium. Non enim potest convenienter dici nihil conprendi posse, si quicquam conprendi posse dicatur. Illo modo potius putat urguendum fuisse Carneadem: cum sapientis nullum decretum esse possit nisi comprensum, perceptum, cognitum, ut hoc ipsum decretum, quo sapientis esset nihil posse percipi, fateretur esse perceptum. Proinde quasi sapiens nullum aliud decretum habeat et sine decretis vitam agere possit! 110. Sed ut illa habet probabilia non percepta, sic hoc ipsum, nihil posse percipi. Nam si in hoc haberet cognitionis notam, eadem uteretur in ceteris: quam quoniam non habet, utitur probabilibus. Itaque non metuit ne confundere omnia videatur et incerta reddere. Non enim, quem ad modum, si quaesitum ex eo sit, stellarum numerus par an impar sit, item, si de officio multisque aliis de rebus, in quibus versatus exercitatusque sit, nescire se dicat. In incertis enim nihil est probabile: in quibus autem est, in iis non deerit sapienti nec quid faciat nec quid respondeat. 111. Ne illam quidem praetermisisti, Luculle, reprehensionem Antiochi — nec mirum; in primis enim est nobilis —, qua solebat dicere Antiochus Philonem maxime perturbatum. Cum enim sumeretur unum, esse quaedam falsa visa, alterum, nihil ea differre a veris, non adtendere superius illud ea re a se esse concessum, quod videretur esse quaedam in visis differentia; eam tolli altero, quo neget visa a falsis vera differre: nihil tam repugnare. Id ita esset, si nos verum omnino tolleremus. Non facimus; nam tam vera quam falsa cernimus. Sed probandi species est: percipiendi signum nullum habemus.

---

2. *credoque -- exanclatum* affert Nonius p. 107. — 4. *quo ut* A[1] — 5. *defensionem* A[1] — 8. *stuc* B[1] — 9. *in cons.* Manutius: *et in cons.* codd. — 11. *tamen* sup. lin. B — *illut* B — 12. *ut ais* B corr. ex *uitatis* — *praessius* A[1] — 14. *quod -- contrarium* habet Nonius p. 163. — 15. *ipsum* om. A, in B lin. transversa del., at tuetur Nonius — 16. *conprende* B[1] — *si quicquam conprendi posse* om. A B — *quicquam* G: *ipsum* E — 18. fort. *posset* — *cognotum* B[1] — 19. *quo* scripsi: *qui* A B G, *quidem* E, *quod* r O; cf. v. 34. — *perinde quasi sapiens aut nullum a. d. habeat aut sine d. v. agere non possit* coni. Durand in cur. sec. Cf. Davis. ad h. l. — 20. *et* om. G, *nec* Lamb. — 21. *illa* B E: *ille* A G O, *alia* Davies; intellegas ea, ex quibus vitam agit. — 23. *non* om. B — 26. *vers. excertitatusque sit* G: *uersatur* (*uersatus* B, ut videtur) *exercitatus* A B E, *uersetur exercitatus* r; fort. *versatus est atque exercitatus* — 27. *dicant* A[1] — 28. *in his* O — *neque -- neque* G — 30. *nec uirum* B — 31. *philionem* B — 33. *ea re a se* r: *a se* (om. *ea re*) A B E, sed habet A *a s*, B *a se* uterque in ras. maiore; *ea te* G, *ea re* v — 34. *alter* B E, *aliter* A — 35. *differe* A.

XXXV. 112. Ac mihi videor nimis etiam nunc agere ieiune. Cum sit enim campus in quo exsultare possit oratio, cur eam tantas in angustias et Stoicorum in dumeta compellimus? Si enim mihi cum Peripatetico res esset, qui id percipi posse diceret, «quod impressum esset e vero,» neque adderet illam magnam accessionem, «quo modo inprimi non posset a falso,» cum simplici homine simpliciter agerem nec magno opere contenderem, atque etiam, si, cum ego nihil dicerem posse conprendi, diceret ille sapientem interdum opinari, non repugnarem, praesertim ne Carneade quidem huic loco valde repugnante: nunc quid facere possum? 113. Quaero enim quid sit, quod conprendi possit. Respondet mihi non Aristoteles aut Theophrastus, ne Xenocrates quidem aut Polemo, sed qui his minor est: tale verum, quale falsum esse non possit. Nihil eius modi invenio. Itaque incognito nimirum adsentiar, id est, opinabor. Hoc mihi et Peripatetici et vetus Academia concedit: vos negatis, Antiochus in primis, qui me valde movet, vel quod amavi hominem, sicut ille me, vel quod ita iudico, politissimum et acutissimum omnium nostrae memoriae philosophorum. A quo primum quaero, quo tandem modo sit eius Academiae, cuius esse se profiteatur? Ut omittam alia, haec duo, de quibus agitur, quis umquam dixit aut veteris Academiae aut Peripateticorum, vel id solum percipi posse, quod esset verum tale, quale falsum esse non posset, vel sapientem nihil opinari? Certe nemo. Horum neutrum ante Zenonem magno opere defensum est. Ego tamen utrumque verum puto, nec dico temporis causa, sed ita plane probo. XXXVI. 114. Illud ferre non possum. Tu, cum me incognito adsentiri vetes idque turpissimum esse dicas et plenissimum temeritatis, tantum tibi adroges, ut exponas disciplinam sapientiae, naturam rerum omnium evolvas, mores fingas, fines bonorum malorumque constituas, officia describas, quam vitam ingrediar definias, idemque etiam disputandi et intellegendi iudicium dicas te et artificium traditurum, perficies ut ego ista innumerabilia conplectens nusquam labar, nihil opiner? Quae tandem ea est disciplina, ad quam me deducas, si ab hac abstraxeris? Vereor ne subadroganter facias, si dixeris tuam. Atqui ita dicas necesse est. Neque vero tu solus, sed ad suam quisque rapiet. 115. Age, restitero Peripateticis, qui sibi cum oratoribus cognationem esse, qui claros viros a se instructos dicant rem publicam saepe rexisse; sustinuero Epicureos, tot meos familiares, tam bonos, tam inter se amantes viros:

---

1. *At* G — 2. *exultare* A — 3. *et in stoic.* G — *in* nos: om. codd. et O — *dumecta* B¹ — 4. *id* om. B¹ — 5. *e uero* A m. 2 in ras. habet; *a vero* Lamb. — *adderet* scripsi: *aderere* B¹, *adhaerere* A B², *adherere* G v, *adhere* r, *adhibere* E, *adhiberet* b O — 9. *nec arneadae* A, *ne carneadem* B¹ — *huic* B in ras. — 10. *respondit* B¹ — 11. *ne*] *nec* codd. et edd. vett., cf. ad § 82. — 12. *sed qui his minor est* Io. Clericus (teste Durando): *sed mihi minores* A, *sed mihi minorē* B, *sed michi minores* E, *sed mihi minor est sed* G, *sed qui minor etiam* O cum Goerenzio; *sed his minores* Guietus, *sed minutior* Durand; ego malim: *sed minutiores* — 13. *incognito nimirum* Lambinus: *incognito nemirum* A (*ne* corr. in *nec*), *in cognitione mirum* B E G (G *cognitionem*); *in cognitione nimirum* r — *adsenciar* A — 16. *ita*] *illum* Davies; videtur potius *eum esse* post *acutissimum* desiderari — 21. *uero* A¹ — *nihil* B corr. ex *mihi* — 22. *magnopere* A B corr. ex *magno opere* — *est* A sup. lin. — 23. *ista* coni. Davies — 28. *quam viam* Durand — *atque etiam* G — 30. *inmerabilia* B — 31. *abtraxeris* B — 32. *atque* A — 33. *sed me ad* E — 35. *claro* B.

Diodoto quid faciam, Stoico, quem a puero audivi? qui mecum vivit tot annos? qui habitat apud me? quem et admiror et diligo? qui ista Antiochea contemnit. Nostra, inquies, sola vera sunt. Certe sola, si vera; plura enim vera discrepantia esse non possunt. Utrum igitur nos inpudentes, qui labi nolimus, an illi adrogantes, qui sibi persuaserint scire se solos omnia? Non me quidem, inquit, sed sapientem dico scire. Optime: nempe ista scire, quae sunt in tua disciplina. Hoc primum quale est, a non sapiente explicari sapientiam? Sed discedamus a nobismet ipsis: de sapiente loquamur, de quo, ut saepe iam dixi, omnis haec quaestio est.

116. In tres igitur partes et a plerisque et a vobismet ipsis distributa sapientia est. Primum ergo, si placet, quae de natura rerum sint quaesita, videamus, vel illud ante: estne quisquam tanto inflatus errore, ut sibi se illa scire persuaserit? Non quaero rationes eas, quae ex coniectura pendent; quae disputationibus huc et illuc trahuntur, nullam adhibent persuadendi necessitatem. Geometrae provideant, qui se profitentur non persuadere, sed cogere, et qui omnia vobis, quae describunt, probant. Non quaero ex his illa initia mathematicorum, quibus non concessis digitum progredi non possunt: punctum esse, quod magnitudinem nullam habeat: extremitatem et quasi libramentum, in quo nulla omnino crassitudo sit: liniamentum † sine ulla latitudine carentem. Haec cum vera esse concessero, si adigam ius iurandum sapientem, nec prius, quam Archimedes eo inspectante rationes omnes descripserit eas, quibus efficitur multis partibus solem maiorem esse quam terram, iuraturum putas? Si fecerit, solem ipsum, quem deum censet esse, contempserit. 117. Quod si geometricis rationibus non est crediturus, quae vim adferunt in docendo, vos ipsi ut dicitis, ne ille longe aberit ut argumentis credat philosophorum, aut, si est crediturus, quorum potissimum? Omnia enim physicorum licet explicare;

---

1. *Diodoro* E — 3. *Antiochea* B E r: *antyochaea* A, *athyothea* G, *Antiochia* v O — *contempnit* A — 5. *imprudentes* 1 cod. Dav. — *nolimus* scripsi: *nolumus* codd. et O (*uol.* B[1]) — 11. *nobismet* E G; at recte Madvig I, 184: «Cicero cum contra Stoicos disputaturus esset, monuit eandem eorum distributionem esse ac ceterorum.» — 13. *sint* A B E G: *sunt* O — *vel* scripsi: *uelut* codd. et O, sed hic cum crucis signo; *verum* coni. Davies; in lectione *velut* vera et depravata (nam *vel* et *ut* saepe inter se permutantur) coniunctae videntur. — *ante* A B E: *a te* G — *inflatus tumore* Bentley; at cf. de offic. I, § 91 *inflati opinionibus*. — 16. *nullam* A sup. lin. — 17. *et quia* A; *atqui -- probant?* Davies — 18. *nobis* 1 cod. Dav. — 19. *quibus concessis* A G, sed *con* A habet in ras., *quibus non cessis* B — 20. *extremitatem -- crass. sit* transposuit Guietus ante *Haec cum* — *et* del. Lamb. — *liberamentum* A[1] — 21. *liniamentum* A B E G: *lineamentum* O — *sine ulla l. carentem* codd.: *lineam autem longitudinem latitudine carentem* Ursinus, *lineam autem sine ulla lat. currentem* Manutius, *lineamentum longitudinem sine latitudine* coni. Davies, *lineam similiter lat. carentem* Hermann, *lineamentum longitudinem lat. carentem* O cum ed. Dav. Si formam orationis, qua duo illa priora, punctum et extremitas, describuntur, spectaveris, hoc fere requiri videtur: *liniamentum, quod sit sine ulla latitudine* — 22. *adigam iusiurandum* Manutius: *adiciamus iurandum* A B E G (sed G *uitandum*); *adiiciam iusiurandum* O. Manutii emendationem stabilivit Davisius coll. Caes. de b. civ. I, 76. II, 18. — 23. *sapientem nec prius* A B E: *sapientemne prius* G O. Locus, qui adhuc obscurissimus erat, egregia lectione nostrorum codd. *nec* nunc persanatus est. Ait enim Cicero: Si adigam iusiurandum sapientem nec prius adigam (sive: nec prius eum iurare iubebo), quam Archimedes -- descripserit, eumne iuraturum putas? — 26. *censent* Rosa — 28. *nae* O — 29. *enim* om. E O.

sed longum est: quaero tamen quem sequatur. Finge aliquem nunc fieri sapientem, nondum esse: quam potissimum sententiam eliget et disciplinam? etsi quamcumque eliget, insipiens eliget. Sed sit ingenio divino, quem unum e physicis potissimum probabit? nec plus uno poterit. Non persequor quaestiones infinitas: tantum de principiis rerum, e quibus omnia constant, videamus quem probet; est enim inter magnos homines summa dissensio.

XXXVII. 118. Princeps Thales, unus e septem, cui sex reliquos concessisse primas ferunt, ex aqua dixit constare omnia. At hoc Anaximandro, populari et sodali suo, non persuasit: is enim infinitatem naturae dixit esse, e qua omnia gignerentur. Post eius auditor Anaximenes infinitum aëra, sed ea, quae ex eo orerentur, definita: gigni autem terram, aquam, ignem, tum ex his omnia. Anaxagoras materiam infinitam, sed ex ea particulas, similes inter se, minutas; eas primum confusas, postea in ordinem adductas mente divina. Xenophanes, paulo etiam antiquior, unum esse omnia neque id esse mutabile, et id esse deum, neque natum umquam et sempiternum, conglobata figura. Parmenides ignem, qui moveat terram, quae ab eo formetur: Leucippus plenum et inane: Democritus huic in hoc similis, uberior in ceteris: Empedocles haec pervolgata et nota quattuor: Heraclitus ignem: Melissus hoc, quod esset infinitum et inmutabile, et fuisse semper et fore. Plato ex materia in se omnia recipiente mundum factum esse censet a deo sempiternum. Pythagorei ex numeris et mathematicorum initiis proficisci volunt omnia. Ex his eliget vester sapiens unum aliquem, credo, quem sequatur: ceteri tot viri et tanti repudiati ab eo condemnatique discedent. 119. Quamcumque vero sententiam probaverit, eam sic animo conprensam habebit, ut ea, quae sensibus; nec magis adprobabit nunc lucere, quam, quoniam Stoicus est, hunc mundum esse sapientem, habere mentem, quae et se et ipsum fabricata sit, et omnia moderetur, moveat, regat. Erit ei persuasum etiam solem, lunam, stellas omnes, terram, mare deos esse, quod quaedam animalis intellegentia per omnia ea permanet et transeat: fore tamen aliquando ut omnis hic mundus ardore deflagret.

XXXVIII. Sint ista vera — vides enim iam me fateri aliquid esse veri —, conprendi ea tamen et percipi nego. Cum enim tuus iste Stoicus sapiens syllabatim tibi ista dixerit, veniet flumen orationis aureum fundens Aristoteles, qui illum desipere dicat: neque enim ortum esse

---

2. *qua pot. sententia* A[2] E — *eliget* Davies: *melius eliget* codd. (*sententiamelius el.* B); videtur *melius* inter *m* et *eli* ex dittographia ortum — *et* Ernesti: om. codd. — 3. *quamcumque elegerit* maluit Davies coll. § 119 in. — 4. *probabimus* A B[2] — *nec enim* b — 9. *consensisse* A E G — *primas* B[1] G: *primos* A B[2] E — *ad* A[1] B[1]; *ad* (sic) *hoc* -- *infinitatem* affert Nonius p. 122. — *anaximandra* B[1] — 10. *his* A — 12. *orerentur* A[1] B[1]: *orirentur* O — 13. *iis* A B — 14. *sed ex ea* A B: *sed ea* G, *id est* coni. Lamb. — *et minutas* Lamb. —15. *a mente* O — 16. *esse uerum deum* G — 17. *usquam* A B E r, *unquam quicquam* G v — *et congl.* Lamb. — 20. *quatuor eraclitus* A — 22. *recipiente*, A — *esse factum* v O — 23. *ex* G: om. A B E, fort. *a* intercidit — *nu* in *numeris* A in ras. habet — *et* om. G — 24. *ex is* A, *ex hiis* B — *eleget* A[1] — 25. *discedant* G — 27. *nunc* b: *num* codd. — 29. *quae se* B — 30. *ei* om. E — 31. *permanet* G v: *permeet* A B E r, sed A *perme,et* et extrema *e* in ras., in B prior *e* in syll. *me* est in ras. duarum litterarum — 36. *sillabatim* A — *dictaverit* Durand in cur. sec.

umquam mundum, quod nulla fuerit novo consilio inito tam praeclari operis inceptio, et ita esse eum undique aptum, ut nulla vis tantos queat motus mutationemque moliri, nulla senectus diuturnitate temporum exsistere, ut hic ornatus umquam dilapsus occidat. Tibi hoc repudiare, illud autem superius, sicut caput et famam tuam, defendere necesse erit: mihi ne ut dubitem quidem relinquatur? 120. Ut omittam levitatem temere adsentientium, quanti libertas ipsa aestimanda est, non mihi necesse esse, quod tibi est, *respondere*, cur deus, omnia nostra causa cum faceret — sic enim vultis —, tantam vim natricum viperarumque fecerit? cur tam multa pestifera terra marique disperserit? Negatis haec tam polite tamque subtiliter effici potuisse sine divina aliqua sollertia. Cuius quidem vos maiestatem deducitis usque ad apium formicarumque perfectionem, ut etiam inter deos Myrmecides aliqui, minutórum opusculorum fabricator, fuisse videatur. 121. Negas sine deo posse quicquam. Ecce tibi e transverso Lampsacenus Strato, qui det isti deo inmunitatem magni quidem muneris — et cum sacerdotes deorum vacationem habeant, quanto est aequius habere ipsos deos! — negat opera deorum se uti ad fabricandum mundum. Quaecumque sint, docet omnia effecta esse natura, nec, ut ille, qui asperis et levibus et hamatis uncinatisque corporibus concreta haec esse dicat interiecto inani. Somnia censet haec esse Democriti, non docentis, sed optantis. Ipse autem singulas mundi partes persequens, quidquid aut sit aut fiat, naturalibus fieri aut factum esse docet ponderibus et motibus. Ne ille et deum opere magno liberat et me timore. Quis enim potest, cum existimet curari se a deo, non et dies et noctes divinum numen horrere? et, si quid adversi acciderit — quod cui non accidit? — extimescere ne id iure evenerit? Nec Stratoni tamen adsentior, nec vero tibi: modo hoc, modo illud probabilius videtur.

XXXIX. 122. Latent ista omnia, Luculle, crassis occultata et circumfusa tenebris, ut nulla acies humani ingenii tanta sit, quae pene-

---

1. *inito* P. Victorius: *initio* codd. — 2. *aptum* r: *apertum* A B E G — 3. *moleri* B^1 — *diuturnitasve* Davies — 4. *existere* A, *efficere* Walker recte, ut videtur — *hic natus* A^1 — 5. *aput* B^1 — *famam* G r: *flammam* A B — 6. *quidem* E: *quid* A B G r v — *relinquetur* Manutius — 7. *ista* G — 8. *respondere* nos addidimus: om. codd. et O. Cf. Lactantii inst. div. VII, 4, 11: *Respondendum est hoc loco philosophis maximeque Ciceroni, qui ait: Cur deus -- disperserit.* Vulgo distinguitur in Cic. loco: *quod tibi est. Cur deus -- disperserit?*, in qua orationis forma coniunctivi vitiosi sunt. — *nostri* E G et aliquot Lactantii codd. — 9. *sic enim -- fecerit* affert Nonius p. 65. — *natricum* Lact. et Nonius: *matricum* A B E G — 10. *tam multa pestifera* Lactantius: *mortifera tam multa perniciosa* codd. Cic., *mortifera tam multa, tam multa pernic.* Lamb., *mortifera tam multa* (del. *perniciosa*) Davies; fort. *tam multa mortifera, tam multa pern.* — 12. *solertia* A B — 13. *aliquid* B, *aliquis* A^2 O — 15. *quicquam esse* Davies — 16. *et* Goerenz: *sed* codd. et O — 19. *nec ut -- esse dicat* habet Nonius p. 489. — *laevibus* O — *amatis* A B — 20. *corpusculis* Nonius — 21. *opinantis* ed. Herv., at bene attulit Davies Tuscul. II, § 30: *optare hoc quidem est, non docere.* — 22. *naturabus* B^1 — 23. *Nae* O, *sic* $A^2 B^2$ — 24. *opera magna* Lamb., *onere magno* Hermannus; at stabilivit *opus* de re operosa et magni moliminis dictum Lachmannus ad Lucret. VI, 755 p. 390; add. Auct. ad Her. IV, c. 12 extr. — 25. *se curari* O (*curari se* habet etiam E G; tamen mentitus est Goerenz in suis omnibus *se curari* legi) — *nomen* B^1 — 27. *neque -- neque* G — 29. *Latent -- tenebris* affert Martianus Capella V, § 517 p. 444 ed. Kopp. — *magnis obscurata* Capella; cf. ad fragm. libri IV.

trare in caelum, terram intrare possit: corpora nostra non novimus; qui sint situs partium, quam vim quaeque pars habeat ignoramus. Itaque medici ipsa, quorum intererat ea nosse, aperuerunt, ut viderentur. Nec eo tamen aiunt empirici notiora esse illa, quia possit fieri ut patefacta et detecta mutentur. Sed ecquid nos eodem modo rerum naturas persecare, aperire, dividere possumus, ut videamus, terra penitusne defixa sit et quasi radicibus suis haereat an media pendeat? 123. Habitari ait Xenophanes in luna eamque esse terram multarum urbium et montium. Portenta videntur, sed tamen nec ille, qui dixit, iurare posset ita se rem habere, neque ego non ita. Vos etiam dicitis esse e regione nobis, in contraria parte terrae, qui adversis vestigiis stent contra nostra vestigia, quos ἀντίποδας vocatis: cur mihi magis suscensetis, qui ista non aspernor, quam eis, qui, cum audiunt, desipere vos arbitrantur? Hicetas Syracusius, ut ait Theophrastus, caelum, solem, lunam, stellas, supera denique omnia stare censet, neque praeter terram rem ullam in mundo moveri: quae cum circum axem se summa celeritate convertat et torqueat, eadem effici omnia, quae, si stante terra caelum moveretur. Atque hoc etiam Platonem in Timaeo dicere quidam arbitrantur, sed paulo obscurius. Quid tu, Epicure? loquere. Putas solem esse tantulum? — «Egone? ne bis quidem tantum.» Et vos ab illo inridemini et ipsi illum vicissim eluditis. Liber igitur a tali inrisione Socrates, liber Aristo Chius, qui nihil istorum sciri putat posse. 124. Sed redeo ad animum et corpus. Satisne tandem ea nota sunt nobis, quae nervorum natura sit, quae venarum? tenemusne, quid sit animus? ubi sit? denique sitne an, ut Dicaearcho visum est, ne sit quidem ullus? Si est, trisne partes habeat, ut Platoni placuit, rationis, irae, cupiditatis, an simplex unusque sit? si simplex, utrum sit ignis an anima an sanguis? an, ut Xenocrates, numerus nullo corpore? — quod intellegi quale sit vix potest — et, quidquid est, mortale sit an aeternum? nam utramque in partem multa dicuntur. Horum aliquid vestro sapienti certum videtur, nostro ne quid maxime quidem probabile sit occurrit: ita sunt in plerisque contrariarum rationum paria momenta.

---

3. *ipsa* scripsi: *ipsi* codd. et O — *utut* B; *ut ea viderent* Lamb., *ut viderent* Manutius — 4. *tamen taiunt...* B — *empiricis* A² B² — 5. *detecta* r: *deiecta* A B E G v — *sed haec quid* A B — 6. *ut videamus terra paenitusne defixa sit* A in marg. m. 2 habet — 7. *sint* B¹ — 9. *neque ille* G O — 10. *nec* (sic) *ego -- vestigia* habet Nonius p. 402. — *non ita, vos etiam dicitis* Nonius: *non enim etiam dicitis* A B; *non enim dicitis etiam* E, *nonne etiam dicitis* G, *non ita. Dicitis etiam* O — 11. *in contraria* Nonius: *e contr.* codd. et O; *e contr. parte terrae* glossema videbatur Lambino — *contra*] *ad* codd. Nonii — 13. *quam eos* A B G (*eo* in B ex corr.) — *Nicetas* b in marg. — 14. *syracosius* A¹ B — *theophrastum* B¹ — *supera* A in ras. m. 2 — 15. *stare omnia* G — 16. *quae* E r: *qua* A B, *quod* G — 17. *quae si stante* Manutius: *quasi stante* codd. — 19. *esse solem* G O — 20. *egone? ne bis* Lambinus: *egone uobis* A B E, *egone nos* G; *Ego ne bis* O; cf. Madv. I, 485 sqq. «Cum interrogatum esset, num tantulum (quasi pedalem 26, § 82) solem esse putaret, Epicurus non praecise definit (tantum enim esse censebat, quantus videretur, vel paulo aut maiorem aut minorem,) sed latius circumscribit, *ne bis quidem tantum esse*, sed inter pedalem magnitudinem et bipedalem (de Fin. I, 6, 20).» — *et* A B E: *sed* G, *sed et* O — 21. *aristhochus* A¹ — 24. *animus sit* O — 25. *an* Lamb.: *aut* codd. — *dicearcho* A — 27. *si simplex* A B E r: *et si unus et simplex sit* G et v (sed v sine *sit*); *si unus et simplex* O — *Xenocrati* Lamb.; at v. p. 49, 22 sqq. — 28. *numerus* Bentley: *mens* codd. — *intellege* A¹ — 29. *quicquid* A B — *utramque in partem* Pal. 1 et Cantabr.: *utraque in* (*in utr.* G) *parte* A B E G — 31. *in* corr. ex *exin* B.

XL. 125. Sin agis verecundius et me accusas, non quod tuis rationibus non adsentiar, sed quod nullis, vincam animum cuique adsentiar deligam. Quem potissimum? quem? Democritum; semper enim, ut scitis, studiosus nobilitatis fui. Urgebor iam omnium vestrum convitio. Tune aut inane quicquam putes esse, cum ita conpleta et conferta sint omnia, ut et, quo quid movebitur corporum, *corpus* cedat, et, qua quodque cesserit, aliud ilico subsequatur? aut atomos ullas, e quibus quidquid efficiatur, illarum sit dissimillimum? aut sine aliqua mente rem ullam effici posse praeclaram? et, cum in uno mundo ornatus hic tam sit mirabilis, innumerabilis supra infra, dextra sinistra, ante post, alios dissimiles, alios eiusdem modi mundos esse? et, ut nos nunc simus ad Baulos Puteolosque videamus, sic innumerabiles paribus in locis esse, eisdem nominibus, honoribus, rebus gestis, ingeniis, formis, aetatibus, isdem de rebus disputantes? et, si nunc aut si etiam dormientes aliquid animo videre videamur, imagines extrinsecus in animos nostros per corpus inrumpere? Tu vero ista ne asciveris neve fueris conmenticiis rebus adsensus. Nihil sentire est melius quam tam prava sentire. **126.** Non ergo id agitur, ut aliquid adsensu meo comprobem: quae tu vide ne inpudenter etiam postules, non solum adroganter, praesertim cum ista tua mihi ne probabilia quidem videantur. Nec enim divinationem, quam probatis, ullam esse arbitror, fatumque illud, quo omnia contineri dicitis, contemno. Ne exaedificatum quidem hunc mundum divino consilio existimo, atque haud scio an ita sit.

XLI. Sed cur rapior in invidiam? licetne per vos nescire quod nescio? an Stoicis ipsis inter se disceptare, cum iis non licebit? Zenoni et reliquis fere Stoicis aether videtur summus deus, mente praeditus, qua omnia regantur. Cleanthes, qui quasi maiorum est gentium Stoicus, Zenonis auditor, solem dominari et rerum potiri putat. Ita cogimur dissensione sapientium dominum nostrum ignorare, quippe qui nesciamus, soli an aetheri serviamus. Solis autem magnitudinem — ipse enim

---

1. *accussas* A — 4. *urgebar* B[1] — *conuitio* A B: *convicio* O — 5. *pulas* B — *co̅ita* A — 6. *ut et* r: *ut* om. A B, *et* om. E G — *quo quid* Christ: *quod* codd. et O; malim tamen *quo quidque*; de re cf. Lucret. I, 370 sqq. — *corpus cedat* scripsi: *cedat* codd. et O; *cedatur* alii maluerunt, ad sententiam recte, sed nescio quo pacto displicet genus passivum. (*ut et quacumque moveatur corpus, ea aliud cedat* Lambinus, *ut ei quod movebitur corpori cedatur* Davies) — *quodque* Ernesti: *quidque* codd. — 7. *ilico* ABE (*ico* A in ras.): *illico* GO — *quicquid* A B — 10. *sinixtra* A — 11. *sumus* - - *uidemus* G — 14. *iisdem* A[2] B[2] O — *disputantis* B[1] — 15. *extrisecus* A[1] — 16. *uero sta* A[1] — 17. *quantam prauam* B[1] — 18. *quod tu* Davies; at v. Madvig I, p. 187: «Finxerat Cicero se Democrito assentiri; urgebat eum Stoicorum convicium; hinc intelligit non tam id a Stoicis agi, ut aliquid comprobet, quam ut ipsorum Stoicorum dogmata. *Non ergo*, inquit, *id agitur, ut aliquid assensu meo comprobem; quae tu, vide, ne impudenter* cet., i. e. *ut ea, quae tu probas, comprobem assensu meo* cet. Supra § 125: *sin agis verecundius et me accusas, non quod tuis rationibus non assentiar, sed quod nullis* cet.» — 21. *probabitis* B[1] — *factumque* A — *illud* Christ: *illud esse* A B E G r v; *illud etiam* b O; videtur *esse* ex *ullam esse* male repetitum. — 22. *contempno* A — *mondum* A[1] — 23. *atqui* Davies male — 25. *cum iis* B: *cum his* A G r v, *de his* E, *mihi cum his* O; *mihi*, quod omni auctoritate videtur carere, inanis est interpolatio; nam est sententia: an Stoicis ipsis inter se disceptare licebit, non licebit aliis, qui non sunt eius sectae, contra eos disputare? — 28. *potiri* in ras. habet B — *itaque* E — *sapientum* v O — 30. *magnitudinem* A B E: *magnitudo* G O r v.

hic radiatus me intueri videtur admonens ut crebro faciam mentionem sui —: vos ergo huius magnitudinem quasi decempeda permensi refertis: ego me, quasi malis architectis, mensurae vestrae nego credere. Dubium est, uter nostrum sit, leviter ut dicam, inverecundior? 127. Nec tamen istas quaestiones physicorum exterminandas puto. Est enim animorum ingeniorumque naturale quoddam quasi pabulum consideratio contemplatioque naturae. Erigimur, altiores fieri videmur, humana despicimus cogitantesque supera atque caelestia haec nostra, ut exigua et minuta, contemnimus. Indagatio ipsa rerum cum maximarum tum etiam occultissimarum habet oblectationem: si vero aliquid occurrit, quod veri simile videatur, humanissima completur animus voluptate. 128. Quaeret igitur haec et vester sapiens et hic noster, sed vester, ut adsentiatur, credat, adfirmet, noster, ut vereatur temere opinari praeclareque agi secum putet, si in eius modi rebus veri simile quod sit invenerit. Veniamus nunc ad bonorum malorumque notionem. Sed paulum ante dicendum est. Non mihi videntur considerare, cum physica ista valde adfirmant, earum etiam rerum auctoritatem se, quae inlustriores videantur, amittere. Non enim magis adsentiuntur nec adprobant lucere nunc, quam, cum cornix cecinerit, tum aliquid eam aut iubere aut vetare; nec magis adfirmabunt signum illud, si erunt mensi, sex pedum esse, quam solem, quem metiri non possunt, plus quam duodeviginti partibus maiorem esse quam terram. Ex quo illa conclusio nascitur: si sol quantus sit percipi non potest, qui ceteras res eodem modo, *quo modo* magnitudinem solis, adprobat, is eas res non percipit; magnitudo autem solis percipi non potest: qui igitur id adprobat, quasi percipiat, nullam rem percipit. Responderint posse percipi quantus sol sit: non

---

1. *admonens* A B E: *admonet* r v, *admouet* G; *ac monet* Faber et O — 2. *uos ergo huius magnitudinem quasi decempeda hic* (*hinc* B, *huic* E, *huic enim* G) *me quasi malis architectis mensurae uestrae nego hoc* (*hec* G, *hoc* A sup. lin. habet) *permensi refertis* (*re* A sup. lin.) *ergo* (vel *Ergo*) *credere dubium* A B E G; *vos ergo huius magnitudinem, quasi decempeda permensi refertis: huic me, quasi malis architectis, mensurae vestrae nego credere. — Hoc ergo dubium* O. Nos loci scripturam, qui verborum transpositione magnam labem traxit, constituimus, superiorum criticorum vestigia secuti. Manutius primus vidit vv. *permensi refertis* ad *decempeda* pertinere; debebat tamen etiam sequens *ergo* adsumere, quod ex *ego* corruptum esse recte intellexit C. F. Hermannus p. 474, quem ita secuti sumus, ut et *hoc* post *uestrae nego* cum cod. A, in quo vox superscripta est, et *hic* post *decempeda* plane abicere quam transponere aut alia vocabula substituere maluerimus. Ut nos scripsimus, locus saltem commode intellegetur. — 3. *mali architecti* Davies — 4. *leniter* O cum Davisio; at v. Hermann. p. 474, qui tamen in eo graviter videtur errasse, quod *leviter* ferendum putavit retenta lectione *verecundior* — *inverecundior* Morgenstern (in *prolus. de liter. human.* p. 54): *uerecundior* codd. et O — *neque* G O — 6. *quasi quoddam* G — 7. *altiores* cod. Lambini: *latiores* A B E r, *elatiores* G O v; cf. de finn. b. et m. II, § 51. — *uidetur* A^1 — *dispicimus* A^1 B^1 — 8. *cogitantes* O nescio unde — *superata* B^1 — *minuta* Lambinus: *minima* codd. et O — 9. *cum* A B r: *tum* E G O v — 10. *occurrit* G v: *occurret* A B E O r; cf. Madvigii Opusc. II, 282. Lamb. *occurret* servans corrigit deinde *complebitur* — 11. *inmanissima* A sed *in* in ras., *divinissima* Bentley, *suavissima* Durand in cur. sec. — 14. *putent* A^1 — *sin* B^1 — 15. *sed* Crat. margo: *et* A B E G r v — 16. *considerare se* Lamb. — *physica* Manutius: *physici* codd. — *istam* B^1 — 17. *se, quae* Davies: *si quae* codd. O — 18. *amitere* A — *assentientur neque approbabunt* Ernesti — *neque* G O — *nunc quam* b: *nusquam* A B E r, *quisquam* G v — 20. *signum ullum* G — *sex mensi* G — 21. *mentiri* B^1 — 23. *quo modo* addidimus: om. A^1 B G v; *quo* E O, in A *quo* sup. lin. est — 24. *solus* B^1 — 26. *responderunt* A^1, *responderint* B cum lin. curvata sup. *er*, i. e. *responderuntint* — *quantos sit* A^1.

repugnabo, dum modo eodem pacto cetera percipi comprehendique dicant. Nec enim possunt dicere aliud alio magis minusve conprehendi, quoniam omnium rerum una est definitio comprehendendi.

XLII. 129. Sed quod coeperam: Quid habemus in rebus bonis et malis explorati? nempe fines constituendi sunt, ad quos et bonorum et malorum summa referatur: qua de re est igitur inter summos viros maior dissensio? Omitto illa, quae relicta iam videntur, ut Herillum, qui in cognitione et scientia summum bonum ponit: qui cum Zenonis auditor esset, vides quantum ab eo dissenserit et quam non multum a Platone. Megaricorum fuit nobilis disciplina, cuius, ut scriptum video, princeps Xenophanes, quem modo nominavi; deinde eum secuti, Parmenides et Zeno, itaque ab iis Eleatici philosophi nominabantur. Post Euclides, Socratis discipulus, Megareus, a quo idem illi Megarici dicti, qui id bonum solum esse dicebant, quod esset unum et simile et idem semper. Hi quoque multa a Platone. A Menedemo autem, quod is Eretria fuit, Eretriaci appellati, quorum omne bonum in mente positum et mentis acie, qua verum cerneretur: Herilli similia, sed, opinor, explicata uberius et ornatius. 130. Hos si contemnimus et iam abiectos putamus, illos certe minus despicere debemus, Aristonem, qui, cum Zenonis fuisset auditor, re probavit ea quae ille verbis, nihil esse bonum nisi virtutem, nec malum nisi quod virtuti esset contrarium: in mediis ea momenta, quae Zeno voluit, nulla esse censuit. Huic summum bonum est, in his rebus neutram in partem moveri, quae ἀδιαφορία ab ipso dicitur. Pyrrho autem ea ne sentire quidem sapientem, quae ἀπάθεια nominatur. Has igitur tot sententias ut omittamus, haec [nunc] videamus, quae diu multumque defensa sunt. 131. Alii voluptatem finem esse voluerunt, quorum princeps Aristippus, qui Socratem audierat; unde Cyrenaici. Post Epicurus, cuius est disciplina nunc notior nec tamen cum Cyrenaicis de ipsa voluptate consentiens. Voluptatem autem et honestatem finem esse Callipho censuit: vacare omni molestia Hieronymus: hoc idem cum honestate Diodorus; ambo hi Peripatetici. Honeste autem vivere fruentem rebus iis, quas primas homini natura conciliet, et vetus Academia censuit, ut indicant scripta Polemonis, quem Antio-

3. *definitio conp̄hendi* B¹; de potestate gerundii v. Madvig I, p. 197 sqq. — 4. *ceperam* B — *habus* B¹ — 5. *exploti* A¹B — 7. *omitto* Madvig p. 201: *et omitto* codd. O (*qua de re igitur i. s. v. m. dissensio est? Omitto* coni. Klotz) — *ut Herillum* Davies (prob. Madvigio p. 201): *erillum* A B; *et illum* E G, *et Herillum* b O — 10. *megari corum* B corr. in *megari quorum* — 12. *iis* B: *his* A O — *Eleatici* P. Victorius (cf. eius Var. lectt. X, 17): *ereatrici* codd. — *filosophi nominantur* A¹ — 13. *euclide* A¹, *euclydes* B — *socrates* B¹ — *iidem* O — 14. *quid* B¹ — *et idem et semper* G — 15. *multi* A²B²E — *his* A — 16. *seretria* B¹, *eretrias* E, *eretria* A, sed *etria* in ras. — 17. *e mentis* A B G v; malim *et in mentis* — *Herilli* Madvig: *ulli* codd. — 18. *uberus* A¹ — *contempnimus* A — 20. *probabit* A¹ — *illa quae* G — *ille* B corr. ex *illa* — 21. *neque* G O — *uirtutis* B — 22. *monenta* B¹ — 23. *iis* B — *adiaforia* A, *adiaphora* B — 24. *phyrro* A, *Pyrro* B, *Pyrrhoni* Davies; at v. p. 46, 27. — ἀπάθεια Lamb. ex uno suo Memmiano: *apati* A B E G (ἀπάθεια iam est in b) — 25. *ut* om. Man. et Lamb. — *nunc videamus quae* Lambinus: *uideamus quae nunc* codd.; nos *nunc* inclusimus, quo additamento facile caremus. — 27. *socraten* A — 28. *cirenaici* A — *nunc disciplinam notior* B, sed *disciplinam* expunctum — *neque* E G O — 29. *cir.* A — *uoluntate* A — *autem* om. G — 30. *finis* A B — *calippo* A B G, *calippus* E, *Calliphon* O; at v. Madv. ad Cic. de finn. II, § 19. — *Uacari* B — *hieronimus* A — 31. *hii* B — 32. *his* A B, *hiis* E G — 33. *que* G, *quae* b.

chus probat maxime, et Aristoteles eiusque amici huc proxime videntur accedere. Introducebat etiam Carneades, non quo probaret, sed ut opponeret Stoicis, summum bonum esse frui rebus iis, quas primas natura conciliavisset. Honeste autem vivere, quod ducatur a conciliatione naturae, Zeno statuit finem esse bonorum, qui inventor et princeps Stoicorum fuit.

XLIII. 132. Iam illud perspicuum est, omnibus his finibus bonorum, quos exposui, malorum fines esse contrarios. Ad vos nunc refero, quem sequar: modo ne quis illud tam ineruditum absurdumque respondeat: «quemlubet, modo aliquem:» nihil potest dici inconsideratius. Cupio sequi Stoicos. Licetne — omitto per Aristotelem, meo iudicio in philosophia prope singularem — per ipsum Antiochum? qui appellabatur Academicus, erat quidem, si perpauca mutavisset, germanissimus Stoicus. Erit igitur res iam in discrimine: nam aut Stoicus constituatur sapiens aut veteris Academiae. Utrumque non potest: est enim inter eos non de terminis, sed de tota possessione contentio. Nam omnis ratio vitae definitione summi boni continetur, de qua qui dissident, de omni vitae ratione dissident. Non potest igitur uterque esse sapiens, quoniam tanto opere dissentiunt, sed alter. Si Polemoneus, peccat Stoicus, rei falsae adsentiens — nam vos quidem nihil esse dicitis a sapiente tam alienum —: sin vera sunt Zenonis, eadem in veteres Academicos Peripateticosque dicenda. Hic igitur, neutri adsentiens, † si numquam uter est prudentior? 133. Quid? cum ipse Antiochus dissentit quibusdam in rebus ab his, quos amat, Stoicis, nonne indicat non posse illa probanda esse sapienti? Placet Stoicis omnia peccata esse paria: at hoc Antiocho vehementissime displicet. Liceat tandem mihi considerare utram sententiam sequar. Praecide, inquit: statue aliquando quidlibet. Quid? *si* quae dicuntur in utramque partem et acuta mihi videntur et paria, nonne

---

1. *eiusque aemuli* Bentley; at v. de finn. b. et m. II § 44 *et ipse* (Epicurus) *et amici eius* cet. — *huc* Io. Scala e codd.: *nunc* A B E G O — 2. *oppene rem* B[1] — 3. *simum* B[1] — *esse* del. censebat Ernesti — *frue* B[1] — *rebus his* (*hiis* G, *istis* E) A B E G; *iis rebus* O — 4. *honeste autem vivere* Davies e cod. uno: *honesta* (*honestum* A[2] B[2]) *autem uidere* (*uidetur* A B, sed *tur* B in ras.) A B G v; *honestum autem* E O r; cf. de finn. b. et m. II, § 34. IV, § 26. 43. — *dicatur* B[1] E — 7. *est in omnibus* A — *iis* B — 10. *quemlubet* B: *quemlibet* A O — 11. *stoicis* A — *per ipsos aristotilem* E, *per ipsum A.* b — 14. *constituetur* coni. Ernesti, ut iam est in marg. Lamb. — 16. *termini* B[1] — 17. *definitiones* B[1] — *contionetur* B[1] — 19. *tanto*ₓ*pere* A — *aliter* A B — 20. *nam vos quidem* Davies: *num* (*non* B[1]) *quidem* A B E r b; *vos quidem* G O v — *esse dicitis* A B E G: *esse* O — 21. *sin* b: *esse sin* codd. O; apparet *esse* ex dittographia ante *sin* ortum esse — *peripateticos* A, ut videtur, et O — 22. *assentientes* E — *si numquam* (*ñquam* B[1]) *uter est prudentior* codd. corrupte: *hic igitur neutri assentietis: sin utrique, uter es prud.?* Manutius; *hic i. n. assentiens si numquam, uter sit sapiens, apparebit, nonne utroque est prud.?* Lamb.; *hic i. n. a., si usquam, utroque est prudentior.* Davies; *hic i. n. a., si quicquam interest, prudentior.* Bentley; probabilius coni. Christ: *hic igitur, neutri adsentiens, multo quam vester est prudentior.* — 24. *probante* B[1]; *probabilia* Manutius; *non esse illa probanda* vel *non posse illa probata esse* Lamb. — 25. *sapiente* B[1] — *at* om. B, *ad* A[1] — 27. *Quid? si - - paria* Moserus (Symb. crit. IV, 9): *quid* (in A sup. lin.) *quae dicuntur quid et acuta mihi uidentur in utramque partem et paria* A B r; *quaelibet* (praecedit *quidlibet*) *dicuntur quae et acuta* cet. G v; *quaeque dicuntur quidem et acuta* cet. E; *Quid, quod quae dicuntur et acuta mihi videntur in utramque partem et paria?* Guietus prob. Madvigio I, p. 203; *Quid?* † *quae dicuntur* [*quidem*] *et acuta* cet. Orelli, qui in adnot. recte monuit verba *in utramque partem* transponenda esse. Nam in verborum ordine aliquid turbatum esse,

caveam ne scelus faciam? scelus enim dicebas esse, Luculle, dogma prodere. Contineo igitur me, ne incognito adsentiar: quod mihi tecum est dogma commune. 134. Ecce multo maior etiam dissensio. Zeno in una virtute positam beatam vitam putat. Quid Antiochus? Etiam, inquit, beatam, sed non beatissimam. Deus ille, qui nihil censuit deesse virtuti, homuncio hic, qui multa putat praeter virtutem homini partim cara esse, partim etiam necessaria. Sed ille vereor ne virtuti plus tribuat quam natura patiatur, praesertim Theophrasto multa diserte copioseque *contra* dicente. Et hic metuo ne vix sibi constet, qui cum dicat esse quaedam et corporis et fortunae mala, tamen eum, qui in his omnibus sit, beatum fore censeat, si sapiens sit. Distrahor: tum hoc mihi probabilius, tum illud videtur, et tamen, nisi alterutrum sit, virtutem iacere plane puto. Verum in his discrepant.

XLIV. 135. Quid? illa, in quibus consentiunt, num pro veris probare possumus? Sapientis animum numquam nec cupiditate moveri nec laetitia ecferri. Age, haec probabilia sane sint: num etiam illa, numquam timere, numquam dolere? Sapiensne non timeat ne patria deleatur? non doleat, si deleta sit? Durum, sed Zenoni necessarium, cui praeter honestum nihil est in bonis, tibi vero, Antioche, minime, cui praeter honestatem multa bona, praeter turpitudinem multa mala videntur, quae et venientia metuat sapiens necesse est et venisse doleat. Sed quaero, quando ista fuerint Academia vetere decreta, ut animum sapientis commoveri et conturbari negarent? Mediocritates illi probabant et in omni permotione naturalem volebant esse quendam modum. Legimus omnes Crantoris, veteris Academici, de luctu; est enim non magnus, verum aureolus et, ut Tuberoni Panaetius praecipit, ad verbum ediscendus libellus. Atque illi quidem etiam utiliter a natura dicebant permotiones istas animis nostris datas: metum cavendi causa, misericordiam aegritudinemque clementiae, ipsam iracundiam fortitudinis quasi cotem esse dicebant: recte secusne alias viderimus. 136. Atrocitas quidem ista tua quo modo in veterem Academiam inruperit, nescio: illa vero ferre non possum, non quo mihi displiceant — sunt enim Socratica pleraque mirabilia Stoicorum, quae paradoxa nominantur —, sed ubi Xenocrates, ubi Aristoteles ista tetigit? hos enim quasi eosdem esse vultis. Illi um-

---

etiam apparet ex illo *quid,* quod A B post *dicuntur* habent et ex eo quod *quid* ante *quae dicuntur* in A super lineam additum est. — 6. *homuntio* A — 7. *cara* Crat. margo: *clara* A B G r v, *elata* E — *etiam* om. G — 8. *theoprasto multa disserte* A — 9. *contra dicente* Goerenz (auctore Lambino, qui *contra* post *multa* addidit): om. codd. et O — 11. *censeat* B[2] G v: *senseat* A B[1], *sencial* E, *censet* r O — *cum hec* G — 14. *quid illa* ed. Asc.: *quid illud* codd. — 15. *neque - - neque* G — 16. *ecferri* A B[2]: *haecferri* B[1], *efferri* O — 17. *non timeat, ne patria deleatur? non* (*nec* Davies) *doleat, si deleta sit? Durum* Davies et iterum Madvig (ad Cic. de finn. p. 820): *non timeat nec si patria deleatur non doleat* (*doleant* B[1]) *si deletatis* (*deleta satis* B[2], *si delaesatis* A) *durum* A B; *non timeat neque si patria doleatur non doleat neque si durum* G, *timeat nec si patria deleatur non doleat satis durum* E; *non timeat? nec, si patria deleatur? non doleat? nec, si deleta sit? Satis durum!* O — 22. *quanda* B[1] — *ab Acad.* r O — *decreta* E r: *durata* B (sed *ra* non satis clare), *dunt tia* (sic) A, *dicta* G v; fort. *dictata* — *aut* B — 24. *omnis* A — 25. *Crantoris* r: *grantoris* A B E G — 26. *ut* om. B[1] — *panetius* A — 27. *a nat. utiliter* G — 28. *ditas* B[1] — 30. *ista quidem* Lamb. — 31. *illa* B, sed *a* in ras. — 33. *senocrates* A — 34. *tetigitur* B[1] — *hos* r: *hoc* A B E G v.

quam dicerent sapientes solos reges, solos divites, solos formosos? omnia, quae ubique essent, sapientis esse? neminem consulem, praetorem, imperatorem, nescio an ne quinquevirum quidem quemquam nisi sapientem? postremo solum civem, solum liberum? insipientes omnes peregrinos, exsules, servos, furiosos? denique scripta Lycurgi, Solonis, duodecim tabulas nostras non esse leges? ne urbis quidem aut civitatis, nisi quae essent sapientium? 137. Haec tibi, Luculle, si es adsensus Antiocho, familiari tuo, tam sunt defendenda quam moenia: mihi autem bono modo, tantum quantum videbitur.

XLV. Legi apud Clitomachum, cum Carneades et Stoicus Diogenes ad senatum in Capitolio starent, Aulum Albinum, qui tum P. Scipione et M. Marcello consulibus praetor esset, eum, qui cum avo tuo, Luculle, consul fuit, doctum sane hominem, ut indicat ipsius historia scripta Graece, iocantem dixisse Carneadi: «Ego tibi, Carneade, praetor esse non videor, quia sapiens non sum; nec haec urbs nec in ea civitas.» Tum ille: «Huic Stoico non videris.» Aristoteles aut Xenocrates, quos Antiochus sequi volebat, non dubitavisset quin et praetor ille esset et Roma urbs et eam civitas incoleret. Sed ille noster est plane, ut supra dixi, Stoicus perpauca balbutiens. 138. Vos autem mihi verenti, ne labar ad opinationem, et aliquid adsciscam et conprobem incognitum, quod minime vultis, quid consilii datis? Testatur saepe Chrysippus tres solas esse sententias, quae defendi possint, de finibus bonorum; circumcidit et amputat multitudinem: aut enim honestatem esse finem aut voluptatem aut utrumque; nam qui summum bonum dicant id esse, si vacemus omni molestia, eos invidiosum nomen voluptatis fugere, sed in vicinitate versari: quod facere eos etiam, qui illud idem cum honestate coniungerent, nec multo secus eos, qui ad honestatem prima naturae commoda adiungerent: ita tris relinquit sententias, quas putat probabiliter posse defendi. 139. Sit sane ita — quamquam a Polemonis et Peripateticorum et Antiochi finibus non facile divellor, nec quicquam habeo adhuc probabilius —, verum tamen video, quam suaviter voluptas sensibus nostris blandiatur. Labor eo, ut adsentiar Epicuro aut Aristippo: revocat virtus vel potius reprendit manu: pecudum illos motus esse dicit, hominem iungit deo. Possum esse medius, ut, quoniam Aristippus, quasi animum nullum habeamus, corpus solum tuetur, Zeno, quasi corporis simus expertes, animum solum conplectitur, ut Calliphontem se-

---

5. *exsules* A[1]: *exules* A[2] B E G — *furiosos denique?* Davies — *lycurgis* B[1] — 6. *quidem* Manutius: *denique* codd. et O; *quidem denique* Klotz, Manutii nota leviter inspecta — 8. *menia* A — 9. *bonum* A — 10. *aput* A — 11. *capitulio* A — *alpinum* B — *qui cum* A — 14. *iudicantem* B — 16. vide ne *Stoico* sit glossema — 18. *ille vester* Davies; at v. § 143 in. — *plane, ut supra dictus* (sic), *Stoicus perpauca balbuttiens* habet Nonius p. 80. — 19. *balbuttiens* B — *verenti ne* Christ: *uere mine* B[1], *ueremini ne* A B[2] E G O, sed *mini* A habet in ras.; *qui veremini ne* Bentley, *vereri videmini ne* Lamb.; cf. p. 48, 13. — 20. *opinationem* Bentley: *opinionem* codd. et O — 21. *tris* G: *tis* B, *ty* A, *tres* E O — 22. *qua* A E G — *de finibus* r: *definitu* B, *definitis* A E G v — 23. *enim* om. B[1] — 24. *utrum* B — 28. *commoda* A corr. ex *quomodo* — *relinquit* A B E G (sed A[1] B[1] G *relinquid*) *reliquit* r v; *relinqui* O cum Goerenzio — *putat* B[1]: *putet* A B[2] E G O (in B *putet* ead. m. correctum est) — 30. *Clitomachi* Hermannus p. 475. — *neque* G O — 32. *blandiantur* B[1] — *labor eo* Gruterus et Guietus: *laboro* A B[2] E, *labore* B[1] G — *Aristippo. Revocat* edd. — 34. *iungi* Davies sine causa — 35. *habemus* A[1] — 36. *ut* ante *Call.* del. Lamb.

quar, cuius quidem sententiam Carneades ita studiose defensitabat, ut eam probare etiam videretur — quamquam Clitomachus adfirmabat numquam se intellegere potuisse, quid Carneadi probaretur —: sed, si † ipsum finem velim sequi, nonne ipsa veritas et gravis et recta ratio mihi adversetur? Tu, cum honestas in voluptate contemnenda consistat, honestatem cum voluptate tamquam hominem cum belua copulabis?

XLVI. 140. Unum igitur par, quod depugnet, reliquum est, voluptas cum honestate. De quo Chrysippo fuit, quantum ego sentio, non magna contentio. Alteram si sequare, multa ruunt et maxime communitas cum hominum genere, caritas, amicitia, iustitia, reliquae virtutes: quarum esse nulla potest, nisi erit gratuita. Nam quae voluptate quasi mercede aliqua ad officium inpellitur, ea non est virtus, sed fallax imitatio simulatioque virtutis. Audi contra illos, qui nomen honestatis a se ne intellegi quidem dicant, nisi forte, quod gloriosum sit in vulgus, id honestum velimus dicere: fontem omnium bonorum in corpore esse, hanc normam, hanc regulam, hanc praescriptionem esse naturae, a qua qui aberravisset, eum numquam quid in vita sequeretur habiturum. 141. Nihil igitur me putatis, haec et alia innumerabilia cum audiam, moveri? Tam moveor quam tu, Luculle, nec me minus hominem quam te putaveris. Tantum interest, quod tu, cum es commotus, adsciscis, adsentiris, adprobas, verum illud, certum, comprehensum, perceptum, ratum, firmum, fixum vis, deque eo nulla ratione neque pelli neque moveri potes: ego nihil eius modi esse arbitror, cui si adsensus sim, non adsentiar saepe falso, quoniam vera a falsis nullo discrimine separantur, praesertim cum iudicia ista dialecticae nulla sint.

142. Venio enim iam ad tertiam partem philosophiae. Aliud iudicium Protagorae est, qui putat id cuique verum esse, quod cuique videatur: aliud Cyrenaicorum, qui praeter permotiones intumas nihil putant esse iudicii: aliud Epicuri, qui omne iudicium in sensibus et in rerum notitiis et in voluptate constituit. Plato autem omne iudicium veritatis veritatemque ipsam, abductam ab opinionibus et a sensibus, cogitationis ipsius et mentis esse voluit. 143. Num quid horum probat noster Antiochus? ille vero ne maiorum quidem suorum. Ubi enim aut Xenocraten sequitur, cuius libri sunt de ratione loquendi multi et multum probati, aut ipsum Aristotelem, quo profecto nihil est acutius, nihil

---

2. *videretur. Quamquam -- probaretur. Sed* vulgo distinguitur — 3. *si* B corr. ex *sicut* — *ipsum finem* A B E r v: *ipsius finem* Lamb.; *ipsum* Par. 5, G O, item Guietus coni., sed non video, quid h. l. *ipsum* eius loco quod exspectatur *eum* sibi velit; ipse conicio: *istum finem* — 4. *ueritas* v: *seueritas* A B E r, *uoluntas* G; cf. Madvig I, 145. — *adversetur* Lambinus: *obuersetur* codd. et O — 5. *tu* b: *tum* A B E, *tamen* G, *tun* Guilelmus — *si honest.* G, unde Goerenz male *sic h.*; v. Madv. I, 146. — 6. *copulabas* A^1 — 7. *reliqum* A^1 — 9. *alteram* B G: *altera* A^1, *alterum* A^2 E O — *sequere* E — *cummunitas* A^1 — 10. *iusticia* A — 12. *aliqua* om. G — 13. *imitio* A^1 — 14. *uolgus* A — 17. *sequatur* Lamb. — 18. *putabis* Manutius, *putas* Goerenz — 19. *neque* E G O — 20. *te* om. A B — *asciscis* G, *adscriscis* B, *ad.q.escis* A (cum i sup. *q*), *adquiescis* B^2 E O; cf. p. 52, 20. — 22. *fixum uis* G: *fixum fuisse uis* A B E r; *fixum esse vis* Durand — 23. *adsensu* B — 24. *falso* cod. Regius Davisii: *false* A E G r, *falsae* B, *falsa* v — *nullo insindis crimine* B^1 — 25. *dialectice* A — 27. *putat* B^2 et Lamb.: *putet* A B^1 E G O — 30. *notiis* A^1 — *constuit* B — 31. *cognitionis* A^1 E G — 32. *uolunt* B — 33. *vester* Davies; v. § 137 extr. — *aut*] *et* A B — 34. *xenochraten* B, *Xenocratem* O — 35. *probatū* B.

politius? A Chrysippo pedem numquam. XLVII. Quid ergo Academici appellamur? an abutimur gloria nominis? aut cur cogimur eos sequi, qui inter se dissident? In hoc ipso, quod in elementis dialectici docent, quo modo iudicare oporteat, verum falsumne sit, si quid ita conexum est, ut hoc «si dies est, lucet,» quanta contentio est! aliter Diodoro, aliter Philoni, Chrysippo aliter placet. Quid? cum Cleanthe, doctore suo, quam multis rebus Chrysippus dissidet! quid? duo vel principes dialecticorum, Antipater et Archidemus, † opinosissimi homines, nonne multis in rebus dissentiunt? 144. Quid me igitur, Luculle, in invidiam et tamquam in contionem vocas? et quidem, ut seditiosi tribuni solent, occludi tabernas iubes? Quo enim spectat illud, cum artificia tolli quereris a nobis, nisi ut opifices concitentur? qui si undique omnes convenerint, facile contra vos incitabuntur. Expromam primum illa invidiosa, quod eos omnes, qui in contione stabunt, exsules, servos, insanos esse dicatis: deinde ad illa veniam, quae iam non ad multitudinem, sed ad vosmet ipsos, qui adestis, pertinent. Negat enim vos Zeno, negat Antiochus scire quicquam. Quo modo? inquies; nos enim defendimus etiam insipientem multa conprendere. 145. At scire negatis quemquam rem ullam nisi sapientem. Et hoc quidem Zeno gestu conficiebat. Nam, cum extensis digitis adversam manum ostenderat, visum, inquiebat, huius modi est. Dein, cum paulum digitos contraxerat, adsensus huius modi. Tum, cum plane compresserat pugnumque fecerat, conprensionem illam esse dicebat; qua ex similitudine etiam nomen ei rei, quod ante non fuerat, κατάληψιν imposuit. Cum autem laevam manum admoverat et illum pugnum arte vehementerque conpresserat, scientiam talem esse dicebat, cuius compotem nisi sapientem esse neminem. Sed qui sapientes sint aut fuerint, ne ipsi quidem solent dicere. Ita tu nunc, Catule, lucere nescis, nec tu, Hortensi, in tua villa nos esse. 146. Num minus haec invidiose dicuntur? nec tamen nimis eleganter: illa subtilius. Sed quo modo tu, si conprehendi nihil posset, artificia concidere dicebas nec mihi dabas id, quod probabile esset, satis magnam vim habere ad artes, sic ego nunc tibi refero artem sine scientia esse non posse. An pateretur hoc Zeuxis aut Phidias aut

---

1. *nusquam* Davies e marg. cod. Regii — *Quid* Manutius: *qui* codd. et O — 2. *apell.* A — 5. *si* om. B[1] — *diodoro* A[2] E: *dioro* A[1] B G, *Diodoto* Gruter — 6. *cleante* A — 8. *rachidemus* B[1] — *opinosissimi* A B E: *opiniocissimi* r, *spinosissimi* Hermann sine ulla probabilitate; *opiniosissimi* G O. At ut concedamus hoc vocabulo, cuius certum exemplum ex Tertulliano affertur, iam Ciceronem usum esse, hoc saltem loco ineptum est; nam exspectatur epitheton, quod laudis praedicationem habeat, velut *ingeniosissimi*. — 11. *expectat* A — *quaereris* A — 13. *facile etiam contra* Goerenz — *pro* in *expromam* A in ras. — 14. *qui in cont. stabunt exs. ser* om. G v (*uos* ante *ins.* adest) — *contentione* A E, *contemptione* B — *exs.* habet A[1] — 18. *insip. etiam* G — 21. *dein* A B: *deinde* E G O — *contraxerat* cod. Cantabr.: *contexerat* A E r, *conxerat* B, *exstrinxerat* G v (*est.* G); *constrinxerat* O et Crat. margo; cf. Plin. nat. hist. XI, 26, § 94: *digitum contrahens aut remittens* — 24. *catalempsin* A B — *leuam* A — 25. *admouerat* A[2] B[2] E r: *aduerat* A[1] B[1], *aduerterat* G O v — *illa* Davies — 26. *cumpotem* A[1], *cūpotem* B (*ū* et *m* in ras.) — 27. *sapientes sint aut fuerint* nos: *sapientes aut fuerit* B[1], *sapiente* **** *aut fuerit* A[1], *sapiens sit aut fuerit* A[2] B[2] E r (sed E *sint*); *sapientes aut sint aut fuerint* G O v — 28. *nestis* B[1] — *neque* G, *et* Davies — 29. *num nimis* Manutius, *non minus* Lamb. — *neque tamen minus* G — 30. *eliganter* A[1] — *nihil compr.* G O — 31. *concedere* B[2] — *neque* G O.

Polyclitus, nihil se scire, cum in iis esset tanta sollertia? Quod si eos docuisset aliquis, quam vim habere diceretur scientia, desinerent irasci: ne nobis quidem suscenserent, cum didicissent id tollere nos, quod nusquam esset, quod autem satis esset ipsis, relinquere. Quam rationem maiorum etiam conprobat diligentia, qui primum iurare «ex sui animi sententia» quemque voluerunt; deinde ita teneri, «si sciens falleret,» quod inscientia multa versaretur in vita: tum, qui testimonium diceret, ut «arbitrari» se diceret, etiam quod ipse vidisset: quaeque iurati iudices cognovissent, ut ea non esse facta, sed ut «videri» pronuntiarentur.

XLVIII. 147. Verum, quoniam non solum nauta significat, sed etiam Favonius ipse insusurrat navigandi nobis, Luculle, tempus esse, et quoniam satis multa dixi, est mihi perorandum. Posthac tamen cum haec quaeremus, potius de dissensionibus tantis summorum virorum disseramus, de obscuritate naturae deque errore tot philosophorum, qui de bonis contrariisque rebus tanto opere discrepant, ut, cum plus uno verum esse non possit, iacere necesse sit tot tam nobiles disciplinas, quam de oculorum sensuumque reliquorum mendaciis et de sorite aut pseudomeno, quas plagas ipsi contra se Stoici texuerunt. 148. Tum Lucullus: Non moleste, inquit, fero nos haec contulisse. Saepius enim congredientes nos, et maxume in Tusculanis nostris, si quae videbuntur requiremus. Optume, inquam: sed quid Catulus sentit? quid Hortensius? Tum Catulus: Egone? inquit; ad patris revolvor sententiam, quam quidem ille Carneadeam esse dicebat, ut percipi nihil putem posse, adsensurum autem non percepto, id est, opinaturum sapientem existumem, sed ita, ut intellegat se opinari sciatque nihil esse, quod comprehendi et percipi possit: quare ἐποχὴν illam omnium rerum non probans illi alteri sententiae, nihil esse quod percipi possit, vehementer adsentior. Habeo, inquam, sententiam tuam, nec eam admodum aspernor. Sed tibi quid tandem videtur, Hortensi? Tum ille ridens, Tollendum. Teneo te, inquam: nam ista Academiae est propria sententia. Ita, sermone confecto, Catulus remansit: nos ad naviculas nostras descendimus.

---

1. *policlitus* A: *policlytus* B, *Polycletus* E G O; cf. de scriptura nominis or. Verr. IV, § 5. Tusc. I, § 4. — *cum in iis esset tanta* A in ras. habet — *iis* A B: *his* O — *solertia* A B — 2. *desinirent* A — 8. *qua***que* B, *quaque* A — *dices* B[1] — 9. *ut ea non* Manutius: *ut ea non aut* A B E, *ut ea non ut* G r v, *ea non ut* O cum Goer. — *pronuntiarent* O cum Manutio — 10. *solum* om. B[1] — 12. *est* A B, sed uterque in ras.: *sit* G et B[1], ut videtur; *et* E — *haec* (*c* in ras.) *tamen quaeremus* B[1] — 13. *de* om. A B — 14. *qui dein bonis* B — 15. *cum* A corr. ex *con* — 16. *tot et tam* Manutius; at v. in Verr. act. I, § 7 *tot tam graves legationes* — 17. *de sonte* B[1] — *aut seudomeno* A — 19. *enim*] *autem* Davies, fort. *etiam* — 20. *nostri* B[1] — *quae videbuntur requiramus* (sine *si*) mal. Davies — 21. *obtume* B[1] — *quit* A[1] — 22. *inquid* A[1] — 23. *dicebant* A — 25. *intelligat se* G r v: *intellegentes* B, *intelligentes* A (sed in utroque syllaba *es* in *is* mutata); *si intelligentis* E, unde Davies *simul intellegat se* — 26. *quare* Manutius: *per* codd., *nec* Turnebus, *nec semper* Faber — *epochem* A B — *non probans* Madvig I, p. 204: *conprobans* codd., sed in A *con* sup. lin., ut aeque verisimile sit Ciceronem *inprobans*, ut Davisius voluit, scripsisse. (÷ *per ἐποχὴν -- comprobans* O) — 27. *uementer* A[1] — 28. *Sed quid tibi* B — 29. *reddens* B[1] — 30. *achademia est* A[1] — 31. *M. T. Ciceronis Lucullus explicit* A; *M. Tulli Ciceronis Lucullus explicit. Incipit liber primus de legibus* B; *Explicit Lucullus* E; *Marci tullii ciceronis ad hortensium liber explicit* G.

M. TULLII CICERONIS

ACADEMICORUM POSTERIORUM

LIBER PRIMUS

AD

M. TERENTIUM VARRONEM.

EX RECENSIONE.

CAROLI HALMII.

NOTARUM INDEX.

G = codex Gedanensis. Contulit LUDOVICUS BOTZON.
P = codex Parisinus num. 6331, ab J. K. HUNZIKERO collatus.
A = codex olim Uffenbachianus, nunc HENRICI ALANI, cuius lectiones vir clarissimus ipse in usum nostrum exscripsit.
V = codex nunc Parisinus, olim in aede S. Victoris num. 90. Excussit EDUARDUS WOELFFLIN.
C = A G P V, qui sunt omnes saeculi XV.
El. = codex Eliensis Davisii.
Bas. = codex Basiliensis Goerenzii.
E U ψ = codices Oxonienses.
r = editio Romana a. 1471.
O = editio Orelliana prior.

Lectiones codicum A G P V integras in apparatum criticum recepimus, item editionis Romanae, sed aliquot vitiis foedis praetermissis, reliquorum codicum, ubi operae pretium visum est, mentionem fecimus. In rebus orthographicis secuti sumus codices vetustiores Luculli.

I. 1. In Cumano nuper cum mecum Atticus noster esset, nuntiatum est nobis a M. Varrone, venisse eum Roma pridie vesperi et, nisi de via fessus esset, continuo ad nos venturum fuisse. Quod cum audissemus, nullam moram interponendam putavimus quin videremus hominem nobiscum et studiis eisdem et vetustate amicitiae coniunctum. Itaque confestim ad eum ire perreximus, paulumque cum ab eius villa abessemus, ipsum ad nos venientem vidimus; atque illum complexi, ut mos

---

INSCRIPTIO LIBRI. *M. Tullii Ciceronis commentum super librum Achademicorum incipit* G; *Incipit liber I* P; *Pars libelli Ciceronis de philosophia* r. De reliquorum librorum inscriptione nihil certi constat.

2. *Romam* G^{1}, *a Roma* r — 6. *ab eius* G, ut coni. Wesenberg (*Emend. Cic. epist.* p. 62): *ab* om. A P V O r — *abessemus* om. V (*cum abissemus uia ipsum* r).

amicorum est se visentium longo intervallo, ad suam villam reduximus. 2. Hic pauca primo, atque [ea] percontantibus nobis, ecquid forte Roma novi, Atticus: Omitte ista, quae nec percontari nec audire sine molestia possumus, quaeso, inquit, et quaere potius, ecquid ipse novi; silent enim diutius Musae Varronis quam solebant, nec tamen istum cessare, sed celare quae scribat existimo. Minime vero, inquit ille; intemperantis enim arbitror esse scribere quod occultari velit: sed habeo opus magnum in manibus idque iam pridem: ad hunc enim ipsum — me autem dicebat — quaedam institui, quae et sunt magna sane et limantur a me politius. 3. Et ego: Ista quidem, inquam, Varro, iam diu exspectans, non audeo tamen flagitare: audivi enim e Libone nostro, cuius nosti studium — nihil enim eius modi celare possumus —, non te ea intermittere, sed accuratius tractare nec de manibus umquam deponere. Illud autem mihi ante hoc tempus numquam in mentem venit a te requirere: sed nunc, postea quam sum ingressus res eas, quas tecum simul didici, mandare monimentis philosophiamque veterem illam a Socrate ortam Latinis litteris inlustrare, quaero quid sit cur, cum multa scribas, hoc genus praetermittas, praesertim cum et ipse in eo excellas et id studium totaque ea res longe ceteris et studiis et artibus antecedat.

II. 4. Tum ille: Rem a me saepe deliberatam et multum agitatam requiris. Itaque non haesitans respondebo, sed ea dicam, quae mihi sunt in promptu, quod ista ipsa de re multum, ut dixi, et diu cogitavi. Nam cum philosophiam viderem diligentissime Graecis litteris explicatam, existimavi, si qui de nostris eius studio tenerentur, si essent Graecis doctrinis eruditi, Graeca potius quam nostra lecturos: sin a Graecorum artibus et disciplinis abhorrerent, ne haec quidem curaturos, quae sine eruditione Graeca intellegi non possunt: itaque ea nolui scribere, quae nec indocti intellegere possent nec docti legere curarent. 5. Vides autem ipse — didicisti enim eadem — non posse nos Amafinii aut Rabirii similes esse, qui nulla arte adhibita de rebus ante oculos positis vulgari sermone disputant: nihil definiunt, nihil partiuntur, nihil apta interro-

---

1. *est se visentium longo* Davisius: *est, satis eum longo* C O r — 2. *ea* C O: om. r, unde nos inclusimus, ut iam Durand voluit — *percunctantibus* P V et sic semper — *et si quid* A P V r — *romae* G — 3. *Atticus autem* Lamb. — 4. *et quare* G P V, *et quero* r — *et quid* C r — 5. *Varronis quam solebant* om. V — *istum* om. r, *ipsum* E — 6. Hieronymus *in Rufinum* lib. I, col. 349 affert: *intemperantis esse arbitror scribere quicquam quod occultare velis* (*velis* etiam coni. Walker). — 7. *magnum opus* G — 8. *idque* Christ: *que* V r, *quae* G A, *qui* P, *quo* U, *quia* Davies; *quod* O, sic distinguens: *in manibus, quod iam pridem ad hunc ipsum* cet. — *enim* G: *eum* A P V r, quod O cum Guieto et Walkero delevit. — 11. *tamen* om. G — *e liuione* V — 12. *enim* G: *eum* A P V; *enim eum* probabiliter Christ. cum sit sententia: cum tantum sit Libonis studium, nihil eum, si quid ego aut tu tractamus, celare possumus. — *non*] *si* V — 14. *hoc ante* r — 15. *tecum* om. G — 16. *philosophiam* r — 17. *quid sit*] *quidem* r — *cur non multa* V — 18. *hoc genus* G: *genus hoc* A P V O r — 19. *et* ante *id* om. r — *ea ars* E — *et rebus* Bentley — *antecellat* Lamb. — 20. *saepe* om. G — 21. *dico* V — *sed ea - - cogitavi* spuria videbantur Goerenzio, *quod ista - - cogitavi* Schuetzio — 22. *ista* om. r — *et* om. r — 26. *hoc* G — 27. *possent* P V — *ea scribere uolui* r — 28. *putent* G, sed in marg. al. m. *possent* — 29. *ipse (didicisti enim eadem)* Christ: *eadem ipse didicisti enim* C O r; *eadem enim ipse didicisti* Dav.; possis etiam: *vides autem; did. enim eadem ipse* — *amafanii* C, *T. Fannii* r; *Amafinius* homo dicitur in Tuscul. IV, §§ 6 et 7 (nisi quod § 6 libri optimi *Amifinius* habent) et in ep. ad Fam. XV, 19, 2. — *rabarii* G — 31. *disputant, nihil* O — *diffiniunt* A P V r — *aperta* r — *ar-*

gatione concludunt, nullam denique artem esse nec dicendi nec disserendi putant. Nos autem praeceptis dialecticorum et oratorum etiam, quoniam utramque vim virtutem esse nostri putant, sic parentes, ut legibus, verbis quoque novis cogimur uti: quae docti, ut dixi, a Graecis petere malent, indocti ne a nobis quidem accipient, ut frustra omnis suscipiatur *labor*. 6. Iam vero physica, si Epicurum, id est, si Democritum probarem, possem scribere ita plane, ut Amafinius. Quid est enim magnum, cum causas rerum efficientis sustuleris, de corpusculorum — ita enim appellat atomos — concursione fortuita loqui? Nostra tu physica nosti: quae cum contineantur ex effectione et ex materia ea, quam fingit et format effectio, adhibenda etiam geometria est: quam quibusnam quisquam enuntiare verbis aut quem ad intellegendum poterit adducere? Haec ipsa de vita et moribus et de expetendis fugiendisque rebus ** illi enim simpliciter pecudis et hominis idem bonum esse censent: apud nostros autem non ignoras quae sit et quanta subtilitas. 7. Sive enim Zenonem sequare, magnum est efficere ut quis intellegat, quid sit illud verum et simplex bonum, quod non possit ab honestate seiungi — quod bonum quale sit negat omnino Epicurus sine voluptatibus sensum moventibus ne suspicari quidem —: si vero Academiam veterem persequamur, quam nos, ut scis, probamus, quam erunt illa acute explicanda nobis! quam argute, quam obscure etiam contra Stoicos disserendum! Totum igitur illud philosophiae studium mihi quidem ipse sumo et ad vitae constantiam quantum possum et ad delectationem animi, nec ullum arbitror, ut apud Platonem est, maius aut melius a dis datum

---

gumentatione Bentley; at bene attulit Orelli Alexandrum Aphrod. apud Suidam s. v. *διεξοδικούς*: *τὴν διαλεκτικὴν -- μὴ διεξοδικοὺς ποιεῖσθαι τοὺς λόγους, ἀλλ' ἐν ἐρωτήσει καὶ ἀποκρίσει*. Cf. etiam fragm. *περὶ ἐρωτήσεως* in Rhet. Gr. ed. Speng. I, 165 et Cic. de Orat. I, § 43.— 1. *disserendi*] *scribendi* G — 2. *rhetorum* coni. Pearce — *etiam*] *et* A r; *etiam* om. Manut. et Lamb. — 3. *virtutem*] *unam* Manutius; equidem malim: *utramque unam virtutem*. De voc. *virtus* cf. de Orat. III, § 65. — *sic* om. G — 4. *quoque* GV, ut coni. Ernesti: *quamquam* A P r; *nonnumquam* Davies — 5. *malent -- accipient* Davies: *mallent -- accipiunt* C r — *indocti*] *iam vero* G[1] — *a nobis ne acc. quidem* r O, perperam; *ne a nobis quidem*, ut est in C, Orelli arrogantius dictum putat, in *ne -- quidem* vim augendi esse statuens; at nihil aliud valet nisi nostrum «*auch nicht*». — 6. *labor* r: om. C, sed add. est voc. in G in marg. m. recent.; in P margo habet: *omnis opera in scribendis illis susciperetur frustra*; ego malim: *omnis scribendi labor* (vel *opera*) *suscipiatur*. — *id est*] *idem* G — 7. *possum* A — *Amafanius* C, *fannius* r — 8. *efficientes* Lambinus: *efficientium* C O r, quam lectionem inepte defendit Wernsdorf in *Spec. I not. philol. in Acad.* (Leucopetrae 1807) p. 10. — 9. *appellant* G — 10. *phisicam* P V, *philosophica* r — *cum* G P V: om. A O r — *cum conficiantur* Moser in *Symb. crit. ad Cic.* spec. IV, p. 8. — *ea quae* G — 11. *etiam* G et Manutius: *enim* A P V r et O cum signo crucis — *quam* Durand signo interrogationis post *adducere* posito: *quoniam* C O r, sed O cum signo crucis, *iam* Manutius, *quamquam* Ernesti, *quin etiam* Davies; *quoniam* defendit Madvig p. 108 emendatione Durandi non cognita. — 13. *adducere haec ipsa* edd.; *adducere? Iam vero de vita* cet. Durand. Nos signum lacunae post *rebus* posuimus, praedicatum sententiae, velut «*quam varie tractantur!*» intercidisse rati. — *et de* C: *de* r O — 14. *enim* om. Lamb., post *pecudis* habet G — 15. *autem* Guietus: *enim* C r — 16. *sequatur* G — 17. *verum*] *unum* Walker — *potest* r — 18. *omnino negat* G; *se negat o.* Bas. — 19. *ne suspicari quidem* Durand: *nec suspicari* C O r; cf. Madvig. ad Cic. de finn. p. 819. Christ statuit ante *nec susp.* verbum *sentire* intercidisse. — *si vero*] *sive* Turnebus — *persequemur* P — 20. *quam non ut* C, *quam ut* r — *erunt* Ernesti: *erat* G, *erit* G P V O r — 22. *illud igitur* G — 23. *quantam* P V.

munus homini. 8. Sed meos amicos, in quibus est studium, in Graeciam mitto [id est, ad Graecos ire iubeo], ut ea a fontibus potius hauriant quam rivulos consectentur. Quae autem nemo adhuc docuerat, nec erat unde studiosi scire possent, ea quantum potui — nihil enim magno opere meorum miror — feci ut essent nota nostris. A Graecis enim peti non poterant, ac post L. Aelii nostri occasum ne a Latinis quidem. Et tamen in illis veteribus nostris, quae, Menippum imitati, non interpretati, quadam hilaritate conspersimus, multa admixta ex intima philosophia, multa dicta dialectice, quo facilius minus docti intellegerent, iucunditate quadam ad legendum invitati; in laudationibus, in his ipsis antiquitatum prooemiis philosophe scribere voluimus, si modo consecuti sumus.

III. 9. Tum ego: Sunt, inquam, ista, Varro. Nam nos in nostra urbe peregrinantis errantisque, tamquam hospites, tui libri quasi domum reduxerunt, ut possemus aliquando qui et ubi essemus agnoscere. Tu aetatem patriae, tu descriptiones temporum, tu sacrorum iura, tu sacerdotum, tu domesticam, tu bellicam disciplinam, tu sedem regionum locorum, tu omnium divinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, causas aperuisti, plurimumque idem poetis nostris omninoque Latinis et litteris luminis et verbis attulisti; atque ipse varium et elegans omni fere numero poema fecisti philosophiamque multis locis inchoasti, ad impellendum satis, ad edocendum parum. 10. Causam autem probabilem tu quidem adfers; aut enim Graeca legere malent qui erunt eruditi, aut ne haec quidem qui illa nescient: sed eam mihi non satis probas: immo vero et haec qui illa non poterunt, et qui Graeca poterunt non contemnent sua. Quid enim causae est cur poetas Latinos Graecis litteris eruditi legant, philosophos non legant? an quia delectat Ennius, Pacuvius, Attius, multi alii, qui non verba, sed vim Graecorum expresserunt poetarum? Quanto magis philosophi delectabunt, si, ut illi Aeschylum, Sophoclem, Euripidem, sic hi Platonem imitentur, Aristo-

---

1. *id est studium* Durand, in qua sententia Cicero potius *est hoc studium* dixisset. — 2. *id est ad Gr. ire iubeo* Lambino auctore inclusimus — *ea e f.* coni. Lamb.; equidem malim: *ut ex fontibus* — 3. *quam r. cons.*] *rivulos quam sectentur* P V, sed in P *quam* ex corr. — 4. *magnopere* C r — 6. *petere* A — *L. Aelii* Manutius: *laelii* C r — 7. *menippum quidem imitati* r — 9. *quae quo* C O r; nos *quae* delevimus, P. Fabrum et Bernhardyum secuti (v. *Grundr. der röm. Litteratur* p. 630 ed. 2.) — 10. *inuitaui* G — *in iis* r — 11. *premiis* G r — *philosophe* scripsi: *philosophie* C r; *philosophice* Manutius et O; cf. de adiectivo *philosophus* ad Tuscul. V, § 121. — *volumus* P — 13. *sunt vera ista inquam* G — *nos in nostra - - causas aperuisti* affert Augustinus de civ. dei VI, 2. — 14. *tanquam* P — 15. *reduxerunt* Augustinus, ut Lamb. voluit: *deduxerunt* C O r. Bene Durand: «*deducimus* honoris causa, sed errantes *reducimus* humanitatis». Idem contulit in cur. sec. Cic. Lael. c. 3. Brut. c. 22. Cat. m. c. 18. — 16. *sacerdotem* P V, *sacerdotum munera* Lamb. — 17. *bellicam*] *publicam* Augustinus — 18. *locorum regionum* r — *et locorum* Lamb. — *humanarum divinarumque* V — 19. *plurimumque idem* Gruterus: *plurimum quidem* C r; *plurimumque* O cum Bas. — *a poetis* A P V — 20. *verbis*] *rebus* Manutius sine ulla necessitate — 22. *implendum* G V r — *docendum* V — 23. *mallent* G P V r — 24. *hoc* G A r — *nescient* G: *nesciunt* A G V O r — *sed eam mihi non satis pr.* Durand (sed hic *satis non*): *sed ea mihi non sane pr.* G; *sed da mihi nunc, satisne probas?* A P V O r (P *nunc* in rasura habet, r *satis nec*); possis etiam *sed eam mihi non sane pr.* — 25. *non potuerunt* C r — *et qui Gr. poterunt* om. V — *potuerunt* G r — 26. *contemnent* Victorius: *contemnant* C r — 27. *quia* om. r — 28. *accius* vel *actius* C r — *sed*] *aut* r — 29. *ut illi*] *fuerint* G — 30. *aeschinem* P r; *echinem* A V — *si hi* G[1] — *mirentur* G.

telem, Theophrastum? Oratores quidem laudari video, si qui e nostris Hyperidem sunt aut Demosthenem imitati. 11. Ego autem — dicam enim, ut res est — dum me ambitio, dum honores, dum causae, dum rei publicae non solum cura, sed quaedam etiam procuratio multis officiis inplicatum et constrictum tenebat, haec inclusa habebam et, ne obsolescerent, renovabam, cum licebat, legendo. Nunc vero et fortunae gravissimo percussus vulnere et administratione rei publicae liberatus, doloris medicinam a philosophia peto et otii oblectationem hanc honestissimam iudico. Aut enim huic aetati hoc maxime aptum est, aut iis rebus, si quas dignas laude gessimus, hoc in primis consentaneum, aut etiam ad nostros cives erudiendos nihil utilius, aut, si haec ita non sunt, nihil aliud video quod agere possimus. 12. Brutus quidem noster, excellens omni genere laudis, sic philosophiam Latinis litteris persequitur, nihil ut isdem de rebus Graeca desideres, et eandem quidem sententiam sequitur quam tu. Nam Aristum Athenis audivit aliquam diu, cuius tu fratrem Antiochum. Quam ob rem da, quaeso, te huic etiam generi litterarum.

IV. 13. Tum ille: Istuc quidem considerabo, nec vero sine te. Sed de te ipso quid est, inquit, quod audio? Quanam, inquam, de re? Relictam a te veterem Academiam, inquit, tractari autem novam. Quid? ergo, inquam, Antiocho id magis licuerit, nostro familiari, remigrare in domum veterem e nova quam nobis in novam e vetere? certe enim recentissima quaeque sunt correcta et emendata maxime. Quamquam Antiochi magister Philo, magnus vir, ut tu existimas ipse, negat in libris, quod coram etiam ex ipso audiebamus, duas Academias esse erroremque eorum, qui ita putarunt, coarguit. Est, inquit, ut dicis: sed ignorare te non arbitror, quae contra Philonis *sententiam* Antiochus scripsit. 14. Immo vero et ista et totam veterem Academiam, a qua absum iam diu, renovari a te, nisi molestum est, velim; et simul, adsidamus, inquam, si videtur. Sane istuc quidem, inquit; sum enim admodum infirmus. Sed videamus, idemne Attico placeat fieri a me, quod te velle video. Mihi vero, ille: quid est enim quod malim quam ex Antiocho iam pridem audita recordari? et simul videre satisne ea commode dici possint Latine?

---

1. *e*] *est* V r — 2. *sunt* scripsi: *sint* C O r — *aut* om. G[1] — *autem*] *uarro* G — 5. *haec*] *animo haec* G — *absolescerent* G[1] — 7. *perculsus* A O — 8. *peto otii* G — 9. *apertum* r — *iis* r: *his* C — 14. *ut nihil in* G — *hisdem* G P V; *iisdem* A O — *Graeca* G, ut coni. Aldus Nepos: *Graecia* A P V O r — *desideres* Aldus Nepos: *desideret* C r; possis etiam *desiderentur* — *quidem* om. r — 15. *aristheum* G — *athetus* P — *aliquandiu* P — 16. *etiam* om. G — 18. *istud* V — *sine re* V — 20. *Academiam* Bentley: *iam* C O r; *illam* Madvig — *quod* G[1] — 21. *id* del. Ernesti — *remigare* G — 22. *e ueteri in nouam* r — 24. *phylo* V — *tu* om. r — *extimas* G — *negat* Davies: *negaret* C r; *negarat* Ascensius — 25. *ex te ipso* A — 26. *putarent* V — *ignore* V — 27. *non* om. r — *Philonis sententiam* scripsi: *Philonis* A G P O; *Philonem* V r, *Philonia* Madvig p. 115. — *scripsit* V r: *scripserit* A G P O — 28. *istam* A P r — *achademia* V — *absum iam diu* Davies: *absumptam* (*assumptam* A G r) *diu* C r; *absum tam diu* Manutius — 29. *revocari* Goerenz mendo operarum, ut ex eius adnot. apparet, quod vitium in edd. recentiores, etiam in Orell. et Klotzianam transiit — *assideamus* V — 30. *istuc* G: *istud* A P V O r; *illud* Lamb. — *quidem*] *quid est* P, *est* r — 32. *inquit ille* Manutius; si quid desit, *inquit* potius ante *quid* addendum est. — *malum* V — 33. *videri* G[1] — 34. *possunt* G V.

Quae cum dicta, in conspectu consedimus omnes.

15. Tum Varro ita exorsus est: Socrates mihi videtur, id quod constat inter omnes, primus a rebus occultis et ab ipsa natura involutis, in quibus omnes ante eum philosophi occupati fuerunt, avocavisse philosophiam et ad vitam communem adduxisse, ut de virtutibus et vitiis omninoque de bonis rebus et malis quaereret, caelestia autem vel procul esse a nostra cognitione censeret, vel, si maxime cognita essent, nihil tamen *valere* ad bene vivendum. 16. Hic in omnibus fere sermonibus, qui ab iis, qui illum audierunt, perscripti varie copioseque sunt, ita disputat, ut nihil adfirmet ipse, refellat alios: nihil se scire dicat nisi id ipsum, eoque praestare ceteris, quod illi quae nesciant scire se putent, ipse, se nihil scire, id unum sciat: ob eamque rem se arbitrari ab Apolline omnium sapientissimum esse dictum, quod haec esset una omnis sapientia, non arbitrari se scire quod nesciat. Quae cum diceret constanter et in ea sententia permaneret, omnis eius oratio tantum in virtute laudanda et in hominibus ad virtutis studium cohortandis consumebatur, ut ex Socraticorum libris maximeque Platonis intellegi potest. 17. Platonis autem auctoritate, qui varius et multiplex et copiosus fuit, una et consentiens duobus vocabulis philosophiae forma instituta est, Academicorum et Peripateticorum: qui rebus congruentes nominibus differebant. Nam cum Speusippum, sororis filium, Plato philosophiae quasi heredem reliquisset, duo autem praestantissimos studio atque doctrina, Xenocratem Chalcedonium et Aristotelem Stagiritem: qui erant cum Aristotele, Peripatetici dicti sunt, quia disputabant inambulantes in Lycio, illi autem, qui Platonis instituto in Academia, quod est alterum gymnasium, coetus erant et sermones habere soliti, e loci vocabulo nomen habuerunt. Sed utrique Platonis ubertate completi certam quandam disciplinae formulam composuerunt et eam quidem plenam ac refertam, illam autem Socraticam dubitantem de omnibus rebus et nulla adfirmatione adhibita consuetudinem disserendi reliquerunt. Ita facta est, quod minime Socrates probabat, ars quaedam philosophiae et rerum ordo et descriptio disciplinae. 18. Quae quidem erat primo duobus, ut dixi, nominibus una; nihil enim inter Peripateticos et illam veterem Academiam differebat. Abundantia quadam ingenii praestabat, ut mihi quidem

---

1. *dicta* Guilelmus: *essent dicta* G, *sint dicta* A P V r — 4. *omnibus* A P V r — *ante eum* om. V — *fuerant* maluit Ernesti — *advocavisse* G — 6. *autem et procul* V — 7. *nostra*] *nature* r — *censet* ψ — 8. *valere* nos addidimus; om. C O; *ad bene vivendum conferre* r; Klotz *facere* deesse putat — 9. *ab iis* r: *ab his* C — *praescripti* G — *copioseque* G A: *copiose* P V r; *et copiose* U O et Bas., ut est de Orat. I, § 240 *varie et copiose* — 10. *disputant* V — 11. *putant* G — 12. *se rem* G — 13. *hominum* coni. Davies — *una hominis s.* coni. Lamb. — 14. *se* G: *sese* A P V O r, quam formam supra malis: *ipse sese scire* cet. — *nesciebat* V — 15. *eius*] *enim* G — *tantum* Davies: *tam* G V; *tum* A P O r; *tamen* Gruterus (*cum in v. laud. tum in hom.* Lamb.) — 16. *hominibus* G: *hominibus omnibus* A P r, *omnibus* bis V — 17. *ex* nos: *et* G, *est* r, *e* A P V O — 19. *constituta* G — 22. *duo* G: *duos* A P V O r — *praestantissimos* E: *praestantissimo* C O r — 23. *calcedonicum* P — 25. *a platonis* G — 26. *haberi* A — *ex* Manut., *est* r — 27. *complecti* G[1] — 29. *dubitantem* G: *dubitationem* A G V O r, sed P *tionem* in rasura scriptum habet — 30. *adibita consuetudinem* P habet ex corr. — *est quod* G: *est disserendi quod* A P V O r, sed O [*disserendi*]; in P est *disserendi* ex corr. — 34. *mihi* om. r — *quidem videtur* Lambinus: *videtur quidem* C r; *quidem* O post *Aristoteles* habet. Cf. Wesenbergii *emend. Tuscul.* I, p. 22 sq. et v. infra ad p. 68, 11.

videtur, Aristoteles, sed idem fons erat utrisque et eadem rerum expetendarum fugiendarumque partitio.

V. Sed quid ago? inquit, aut sumne sanus, qui haec vos doceo? nam etsi non sus Minervam, ut aiunt, tamen inepte quisquis Minervam docet. Tum Atticus: Tu vero, inquit, perge, Varro; valde enim amo nostra atque nostros, meque ista delectant, cum Latine dicuntur et isto modo. Quid me, inquam, putas, qui philosophiam iam professus sim populo nostro me exhibiturum? Pergamus igitur, inquit, quoniam placet. 19. Fuit ergo iam accepta a Platone philosophandi ratio triplex: una de vita et moribus, altera de natura et rebus occultis, tertia de disserendo et, quid verum quid falsum quid rectum in oratione pravumve, quid consentiens quid repugnans, iudicando. Ac primum illam partem bene vivendi a natura petebant eique parendum esse dicebant, neque ulla alia in re nisi in natura quaerendum esse illud summum bonum, quo omnia referrentur; constituebantque extremum esse rerum expetendarum et finem bonorum, adeptum esse omnia e natura et animo et corpore et vita. Corporis autem alia ponebant esse in toto, alia in partibus: valetudinem, vires, pulchritudinem in toto, in partibus autem sensus integros et praestantiam aliquam partium singularum, ut in pedibus celeritatem, vim in manibus, claritatem in voce, in lingua etiam explanatam vocum impressionem: 20. animi autem, quae essent ad conprehendendam virtutem idonea; eaque ab iis in naturam et mores dividebantur. Naturae celeritatem ad discendum et memoriam dabant: quorum utrumque mentis esset proprium et ingenii. Morum autem putabant studia esse et quasi consuetudinem: quam partim exercitationis assiduitate, partim ratione formabant; in quibus erat philosophia ipsa. In qua quod inchoatum est neque absolutum, progressio quaedam ad virtutem appellatur: quod autem absolutum, id est virtus, quasi perfectio naturae omniumque rerum, quas in animis ponunt, una res optima. 21. Ergo haec animorum. Vitae autem — id enim erat tertium — adiuncta esse dicebant, quae ad virtutis usum valerent. Nam virtus in animi bonis et in corporis cernitur et in quibusdam, quae non tam naturae quam beatae

---

1. *et earum rerum* G V r — 2. *fugiendarumque* om. P V, *fugiendarum* r — 3. *qui hoc doceo* r — 4. *sum minerva* G[1]; *sus minervam docet* A — 5. *tum vero* V — 6. *atque nostras* G — 7. *inquit* r — *professus iam* G, *iam professum* V — *sum* G r — 8. *me* G: om. A P V O r — *inquit* om. G — 9. *fuit iam a Plat. accepta* r — 11. *verum quid* G, ut coni. Manutius: *verum et quid* A P V r — 12. *consentiens* C r: *consentiens sit* O cum Goerenzio, *consequens* probabiliter Krische p. 55 (nisi quod male *sit* addidit) coll. Acad. II, § 91. Orat. § 115. Tuscul. V, § 68. de legg. I, § 62. — *repugnans* Manutius: *repugnet* C O r — *primum* G E: *primam* A P V O r — *partem illam* O r — 14. *summum illud* P — 16. *omnia e nat.* om. G — *e* P V: *a* A r haud scio an rectius — *anima* G — 18. *pulcr.* P — 21. *impressionem* C r: *expressionem* ψ U O — *ad compr. ingeniis virtutem* C O r (*ingenii* r); *ingeniis* glossema esse iam Manutius intellexit. — 22. *eaque ab iis* om. E — *iis* r: *his* C — fort. *et in mores* — 23. *et ad memoriam* G — 24. *est* r; *esse* probabiliter Orelli — 25. *assiduitate exercitationis* G — 26. *ipsa philosophia* G — 27. *nec* V — *absolutum* A, ut videtur: om. G E P V; *perfectum* r — *a virtute* G — 28. *absolutum, virtus, id est quasi* probabiliter Christ coll. Cic. Luculli § 26, de finn. b. et m. IV, § 35. V, § 38; add. Galeni de decr. Hipp. et Plat. 5: *ἡ ἀρετὴ τελειότης ἐστὶ τῆς ἑκάστου φύσεως.* — 30. *enim erat* G P V r: *enim* om. A; *erat enim* Bas. et O — 31. *iam* G V r — *virtus in animi bonis et in corporis cernitur et in quibusdam* G: *virtus animi bonis et corporis cernitur in quibusdam* rell. codd. noti et r; *virtus cernitur in quibusdam* O cum Walkero (*Iam virtus,*

vitae adiuncta sunt. Hominem esse censebant quasi partem quandam civitatis et universi generis humani, eumque esse coniunctum cum hominibus humana quadam societate. Ac de summo quidem atque naturali bono sic agunt: cetera autem pertinere ad id putant aut adaugendum aut tenendum, ut divitias, ut opes, ut gloriam, ut gratiam. Ita tripartita ab iis inducitur ratio bonorum.

VI. 22. Atque haec illa sunt tria genera, quae putant plerique Peripateticos dicere. Id quidem non falso; est enim haec partitio illorum: illud inprudenter, si alios esse Academicos, qui tum appellarentur, alios Peripateticos arbitrantur. Communis haec ratio et utrisque hic bonorum finis videbatur, adipisci, quae essent prima natura quaeque ipsa per sese expetenda, aut omnia aut maxima. Ea sunt autem maxima, quae in ipso animo atque in ipsa virtute versantur. Itaque omnis illa antiqua philosophia sensit in una virtute esse positam beatam vitam, nec tamen beatissimam, nisi adiungerentur et corporis et cetera, quae supra dicta sunt, ad virtutis usum idonea. 23. Ex hac descriptione agendi quoque aliquid in vita et officii ipsius initium reperiebatur, quod erat in conservatione earum rerum, quas natura praescriberet. Hinc gignebatur fuga desidiae voluptatumque contemptio, ex quo laborum dolorumque susceptio multorum magnorumque recti honestique causa, et earum rerum * *, quae erant congruentes cum praescriptione naturae, unde et amicitia existebat et iustitia atque aequitas; eaeque et voluptatibus et multis vitae commodis anteponebantur. Haec quidem fuit apud eos morum institutio et eius partis, quam primam posui, forma atque descriptio. 24. De natura autem — id enim sequebatur — ita dicebant, ut eam dividerent in res duas; ut altera esset efficiens, altera autem quasi huic se praebens, ea quae efficeretur aliquid. In eo, quod efficeret, vim esse censebant, in eo autem, quod efficeretur, materiam quandam; in utroque tamen utrumque: neque enim materiam ipsam cohaerere potuisse, si nulla vi contineretur, neque vim sine aliqua ma-

---

praeterquam animi b. et corporis, cernitur in quibusdam, quae non t. n. quam beatissimae v. adi. sunt Bentley). — 1. *hominem enim esse* G — 2. *conuinctum* V— *cum omnibus* coni. Ernesti — 3. *humana* C: *communi* I. F. Gronovius; *mundana* Bentley coll. Tusc. V, § 108. — *atque de* G; *ac* V — 4. *adaugendum* Ernesti et G: *ad agendum* A P V r — 5. *aut tenendum* E G: *aut ad tenendum* A P U V ψ et codd. Davisii; *aut ad tuendum* r; *aut tuendum* O ex cod. Memmiano, in quo tamen num *tuendum* fuerit incertum est. — 6. *ab his* C — 7. *sunt* om. G — *plerique*] *philosophi* r — 9. *prudenter* G¹ — *qui dum* C E U ψ r; verendum est ut *qui tum appellarentur* recte emendatum sit; exspectares saltem *q. tum appellabantur* — *appellantur* G — 11. *videatur* A P V r; *videtur* G; *videbatur* O auctore Goerenzio inclusit — *prima natura* Davies: *prima in nat.* A G (fort. ex *prima a natura*), *in prima nat.* P V r; *prima naturae* Bremi — 13. *antiqua illa* G — 15. *etiam corporis* P — 18. *erit* r — *perscriberet* r — 19. *voluptatum* G — *contentio* V — 20. *magnorum* G P — 21. *earum rerum*] signum lacunae nos posuimus, qui censeamus *adpetitus* sive *adpetitio* vel simile substantivum, quod sit contrarium superiori *fuga*, aut hic aut post *praescr. naturae* intercidisse. Adhuc locus sic legebatur, quasi *et earum rerum* a *susceptio* penderet. — *praescriptione* G: *descriptione* A P V O r; cf. v. 18 et supra p. 53, 16. — 22. *eaeque* nos: *ea aeque* G; *haeque* A P V O, *haecque* E, *heeque* r, *haec* Manutius; *ea quae* Gruter — 23. *et cunctis* Davies — *fiunt* G — 24. *partis* Walker: *artis* C r — *primo* r — 25. *docebant* G — 27. *ea quae* Gruter: *eaque* C r; *ea qua* Manutius; *ex qua* Turnebus — *efficerentur* G — 28. *tantum modo materiam* G fort. recte — 29. *tamen* om. V — 30. *vim esse sine* Christ.

teria. Nihil est enim quod non alicubi esse cogatur. Sed quod ex utroque, id iam corpus et quasi qualitatem quandam nominabant: dabitis enim profecto, ut in rebus inusitatis, quod Graeci ipsi faciunt, a quibus haec iam diu tractantur, utamur verbis interdum inauditis.

VII. 25. Nos vero, inquit Atticus; quin etiam Graecis licebit utare, cum voles, si te Latina forte deficient. Bene sane facis: sed enitar ut Latine loquar, nisi in huiusce modi verbis, ut philosophiam aut rhetoricam aut physicam aut dialecticam appellem, quibus, ut aliis multis, consuetudo iam utitur pro Latinis. Qualitates igitur appellavi, quas ποιότητας Graeci vocant: quod ipsum apud Graecos non est vulgi verbum, sed philosophorum, atque id in multis. Dialecticorum vero verba nulla sunt publica: suis utuntur. Et id quidem commune omnium fere est artium: aut enim nova sunt rerum novarum facienda nomina aut ex aliis transferenda. Quod si Graeci faciunt, qui in his rebus tot iam saecula versantur, quanto id nobis magis concedendum est, qui haec nunc primum tractare conamur? 26. Tu vero, inquam, Varro, bene etiam meriturus mihi videris de tuis civibus, si eos non modo copia rerum auxeris, ut effecisti, sed etiam verborum. Audebimus ergo, inquit, novis verbis uti te auctore, si necesse erit. Earum igitur qualitatum sunt aliae principes, aliae ex iis ortae. Principes sunt unius modi et simplices, ex iis autem ortae variae sunt et quasi multiformes. Itaque aer — hoc quoque utimur iam pro Latino — et ignis et aqua et terra primae sunt, ex iis autem ortae animantium formae earumque rerum, quae gignuntur e terra. Ergo illa initia et, ut e Graeco vertam, elementa dicuntur: e quibus aër et ignis movendi vim habent et efficiendi, reliquae partes accipiendi et quasi patiendi, aquam dico et terram. Quintum genus, e quo essent astra mentesque, singulare eorumque quattuor, quae supra dixi, dissimile Aristoteles quoddam esse rebatur. 27. Sed subiectam putant omnibus sine ulla specie atque carentem omni illa qualitate — faciamus enim tractando usitatius hoc verbum et tritius — materiam quandam, e qua omnia expressa atque efficta sint: quae † tota omnia accipere possit omnibusque modis mutari atque ex omni parte:

---

1. *nihil est - - cogatur* Lambino suspecta perperam videbantur — 2. *id iam*] *etiam* r — *quasi* om. codd. Ursini — 3. *ut in* om. r — 4. *diu* om. r — *non auditis* r — 5. *utare* V — 6. *sed*] *ut* r — *enitar, inquit* Durand — 7. *eiuscemodi* G, *huiusmodi* r — *philosophiam aut ethicam aut physicam* Huelsemann; at v. Cic. de finn. b. et m. III, § 5, ex quo loco suspicari possis: *ut philosophiam, ut rhetoricam aut ph.*, ut est in U — *rhetoricem aut physicem aut dialecticem* A; *rhetoricam aut physicen aut dialecticen* U — 8. *multis iam utimur* r — 10. *poeotetas* A, *poiotecas* G, *poeothetas* P, *poethetas* V r — *appellant* G — 11. *vero* om. V et Bas., *non* r — 14. *in iis* r — 15. *secla* A P V — *nobis magis* G: *magis nobis* A P V O r — 16. *nunc* om. r — *tum vero* V — 17. *meritus* G — 18. *ut fecisti* Lamb.; *ut et fecisti* Bentley; *uti (utei) fecisti* Klotz — *etiam* om. r — 19. *fuerit* r — 20. *ex iis* (bis) r: *ex his* C O — 21. *variae ortae* G — 22. *aer hoc quoque* G: *aer quoque* A P V r; *aer quidem* Ernesti; *aer* O — *iam* scripsi: om. r; *enim* C O; cf. supra v. 9. — *et ignis* G et, ut videtur, A: *ignis* P V r — 23. *primae* Walker: *prima* C r — *ex his* C O — 24. *et* om. Manutius — 25. *aer movendi et ignis* r — 26. fort. *reliqua partes*; nam videtur *partes* accusativus — 27. *essent* om. r — *singulares* A G r — *eorum* r — *quatuor* V — 28. *quoddam* G P E U r: *quodam* A; *quodammodo* V; *quiddam* O — 29. *putant* r: *putabant* G; *putat* A P V E U — 30. *verbum contritius* G — 31. *e qua* G: *ex qua* A P V O r — *efficta* Turnebus: *effecta* C r — *omnia tota* A; *tot formas* Bentley; *formas omnis* probabilius Davies — 32. *possit* A, ut videtur, et cod. Eliensis: *possint* G P V r — *mutari*

eaque etiam interire, non in nihilum, sed in suas partes, quae infinite secari ac dividi possint, cum sit nihil omnino in rerum natura minimum, quod dividi nequeat: quae autem moveantur, omnia intervallis moveri, quae intervalla item infinite dividi possint. 28. Et cum ita moveatur illa vis, quam qualitatem esse diximus, et cum sic ultro citroque versetur, etiam materiam ipsam totam penitus commutari putant, et illa effici, quae appellant qualia: e quibus, omni natura cohaerente et continuata, cum omnibus suis partibus unum effectum esse mundum, extra quem nulla pars materiae sit nullumque corpus: partis autem esse mundi omnia, quae insint in eo, quae natura sentiente teneantur, in qua ratio perfecta insit, quae sit eadem sempiterna; nihil enim valentius esse, a quo intereat: 29. quam vim animum esse dicunt mundi eandemque esse mentem sapientiamque perfectam, quem deum appellant omniumque rerum, quae sunt ei subiectae, quasi prudentiam quandam, procurantem caelestia maxime, deinde in terris ea, quae pertineant ad homines: quam interdum eandem necessitatem appellant, quia nihil aliter possit atque ab ea constitutum sit † inter quasi fatalem et immutabilem continuationem ordinis sempiterni: nonnumquam eandem fortunam, quod efficiat multa inprovisa et necopinata nobis propter obscuritatem ignorationemque causarum.

VIII. 30. Tertia deinde philosophiae pars, quae erat in ratione et in disserendo, sic tractabatur ab utrisque. Quamquam oreretur a sensibus, tamen non esse iudicium veritatis in sensibus: mentem volebant esse rerum iudicem; solam censebant idoneam cui crederetur, quia sola cerneret id, quod semper esset simplex et unius modi et tale quale esset. Hanc illi ἰδέαν appellant, iam a Platone ita nominatam, nos recte speciem possumus dicere. 31. Sensus autem omnis hebetes et tardos esse arbitrabantur, nec percipere ullo modo res ullas, quae subiectae sensibus viderentur, quod aut ita essent parvae, ut sub sensum cadere non possent, aut ita mobiles et concitatae, ut nihil umquam unum esset et constans, ne idem quidem, quia continenter laberentur et fluerent omnia.

---

3 codd. Goerenzii: *mutare* C r — 1. *eaque* Davies: *aeque* G; *eoque* PVOr, *eo* A; *eamque* Christ (*eoque etiam omnia int.* Lamb.) — 5. *dicimus* r — *sit* G — *ultro introque* A G V, *ultro in utroque* r — 6. *etiam* nos: *et* C O r — *materiam iam totam ipsam* G — *et ita* ψ et Manutius — 7. *omni* Davies: *in omni* C r — *cohercente* A P — 8. *unum* G: om. A P V O r — 9. *quaeque* G — *materiae pars* G — *partes* A G O — *esse mundi* C r: *mundi esse* O cum Bas. — 12. *dicunt esse* r — 13. *esse* post *eandemque* om. G — 14. *providentiam* Lambinus; at v. de nat. d. II, § 58. — 15. *caelestia* -- *ad homines* om. r — *ea* om. G — *pertineant* G P: *pertinent* A V O — 16. *qua* r — *inter* A G P r: *interdum* V et P in marg., ut coni. Lambinus; *item* Bentley, quam ipsam quoque lectionem P in marg. habet; *fieri* coni. Manutius, *ire* Davies, *evenire* Turnebus, ipse: *intervenire* — 18. *nonnumquam* G: *nonnumquam quidem* A P V O r — 19. *et* Lambini codd.: *haec (hec)* C r, fort. ex *ac*; meminit loci Lactantius inst. div. III, 29. — 21. *in oratione* Lamb. — 22. *quamquam iudicium oriretur* Lamb. — *oriretur* C O r; cf. ad p. 44, 12. — 23. *non* om. G; *tamen non* P in ras. habet — *uolentem* V — 24. *esse rerum* G r: *rerum esse* A P V O — 26. *ideam* G P r — *appellant* G P: *appellabant* A V O r — *ita appellatam* r — 27. *omnes* G V O — *esse* om. G (*esse dicimus arbitrantur* r) — 28. *percipi* Christ, quod perceptio sit mentis, non sensuum — *ullas* G: *eas* A P V O r — 29. *quod autem ita essent* G; *quae essent aut ita* A P V O r; iam Gruterus *quod* vel *quia* voluerat. — *sensu* G — 30. *esset et* scripsi: *esset* C O r — 31. *ne idem* Manutius: *eidem* C r — *continentur* G[1] — *haberentur* V.

Itaque hanc omnem partem rerum **o p i n a b i l e m** appellabant. 32. Scientiam autem nusquam esse censebant nisi in animi notionibus atque rationibus: qua de causa definitiones rerum probabant et has ad omnia, de quibus disceptabatur, adhibebant. Verborum etiam explicatio probabatur, id est, qua de causa quaeque essent ita nominata, quam ἐτυμολογίαν appellabant: post argumentis quibusdam et quasi rerum notationibus utebantur ad probandum et ad concludendum id, quod explanari volebant: † in qua tradebatur omnis dialecticae disciplina, id est, orationis ratione conclusae: huic quasi ex altera parte [oratoria] vis dicendi adhibebatur, explicatrix orationis perpetuae ad persuadendum accommodatae. 33. Haec forma erat illis primum a Platone tradita: cuius quas acceperim immutationes, si vultis, exponam. Nos vero volumus, inquam, ut pro Attico etiam respondeam. Et recte, inquit, respondes; praeclare enim explicatur Peripateticorum et Academiae veteris auctoritas.

IX. Aristoteles igitur primus species, quas paulo ante dixi, labefactavit: quas mirifice Plato erat amplexatus, ut in iis quiddam divinum esse diceret. Theophrastus autem, vir et oratione suavis et ita moratus, ut probitatem quandam prae se et ingenuitatem ferat, vehementius etiam fregit quodam modo auctoritatem veteris disciplinae; spoliavit enim virtutem suo decore inbecillamque reddidit, quod negavit in ea sola positum esse beate vivere. 34. Nam Strato, eius auditor, quamquam fuit acri ingenio, tamen ab ea disciplina omnino semovendus est: qui cum maxime necessariam partem philosophiae, quae posita est in virtute et moribus, reliquisset totumque se ad investigationem naturae contulisset, in ea ipsa plurimum dissedit a suis. Speusippus autem et Xenocrates, qui primi Platonis rationem auctoritatemque susceperant, et post eos Polemo et Crates unaque Crantor, in Academia congregati, diligenter ea, quae a superioribus acceperant, tuebantur. Iam Polemonem audiverant assidue Zeno et Arcesilas. 35. Sed Zeno, cum Arcesilam anteiret aetate valdeque subtiliter dissereret et peracute moveretur, corrigere co-

---

1. *artem* Nonius, qui s. v. *opinabile* p. 148 affert *Itaque -- appellabat* (sic) — *opinabilium* Goerenz, *opinabile* malebat Orelli cum Nonii lemmate — 2. *notionibus* Lamb. ex uno suo cod.: *motionibus* C r; non plane similis est locus v. 30, in quo ipso dubitatur num lectio sana sit. — 3. *ad* om. A — 4. *explicari* G — *probatur* A r — 5. *esset* P — 6. *appellant* A r — *quibusdam* G: om. A P V O r — *notationibus* nos: *notis ducibus* C O r (sed A *nouis*); *notis* (sine *ducibus*) aliquot codd. Manutii et Lamb., *nodis ducibus* Bentley. Cf. Cic. Topica §§ 10 et 35. — 7. *et concl.* V — 8. *in qua* CO: *in quo* Manutius, *ita* Madv. p. 117; malim *itaque* — *dialectica* A r, sed r *disc. dial.* — *idem* A — 9. *conclusa* A, *inclusa* r — *oratoria* nos inclusimus — 10. *accommodate* A et Ernesti — 11. *forma erat illis primum* nos: *prima erat illis prima* G, *erat illis prima* A P V O r; *erat illis forma* Madvig p. 118 (coll. Acad. I, §§ 17 et 23. de Finn. IV, § 19. V, § 9. Tusc. III, § 39); *erat illis disciplina* (om. *prima*) Klotz, ut iam Davisius, sed hic om. *illis*; *erat illis primum a P. tradita disciplina* Krische *über Cic. Academica* p. 75; possis etiam: *haec erat ratio illis primum* cet. — 12. *immutationes* Davies: *disputationes* C O r. Fort. *dissupationes*; cf. v. 15 *labefactavit*, v. 19 *fregit* et var. lect. ad Cic. de Orat. III § 207. Bait. — 13. *resp. etiam* r — a verbis *Et recte inquit* in edd. vulg. novum caput orditur; at apparet ea cum praecedentibus artissime cohaerere. — 15. *igitur* G: om. A P V O r; cf. p. 67, 4. — 16. *iis* r: *his* C O — 17. *vir*] *vix* G — 18. *probitatem quandam prae se* G: *prae se prob. quandam* A P V O r — *ferret* Ernesti — 23. *et in moribus* O r — 24. *se* om. G — 25. *dissedit* G P: *discedit* A V O, *dissentit* r — 26. *eos* G P V r: *hos* A O — 27. *crator* P[1] V, *cratero* G[1] — *ea quae -- tuebantur* G: *eis quae (que) -- utebantur* A P V r — 28. *audiuerunt* r — 29. *archesilaum* P[1] V, *archesilas* G (*as* in *ā* corr.) — 30. *disseret* G[1], *definiret* Bentley — *perac. partiretur* Bentley.

natus est disciplinam. Eam quoque, si videtur, correctionem explicabo, sicut solebat Antiochus. Mihi vero, inquam, videtur: quod vides idem significare Pomponium.

X. Zeno igitur nullo modo is erat, qui, ut Theophrastus, nervos virtutis inciderit, sed contra qui omnia, quae ad beatam vitam pertinerent, in una virtute poneret nec quicquam aliud numeraret in bonis, idque appellaret honestum, quod esset simplex quoddam et solum et unum bonum. 36. Cetera autem etsi nec bona nec mala essent, tamen alia secundum naturam dicebat, alia naturae esse contraria. His ipsis alia interiecta et media numerabat. Quae autem secundum naturam essent, ea sumenda et quadam aestimatione dignanda docebat contraque contraria: neutra autem in mediis relinquebat, in quibus ponebat nihil omnino esse momenti. 37. Sed quae essent sumenda, ex iis alia pluris esse aestimanda, alia minoris. Quae pluris, ea praeposita appellabat, reiecta autem, quae minoris. Atque ut haec non tam rebus quam vocabulis commutaverat, sic inter recte factum atque peccatum officium et contra officium media locabat quaedam, recte facta sola in bonis actionibus ponens, prave, id est peccata, in malis: officia autem [et] servata praetermissaque media putabat, ut dixi. 38. Cumque superiores non omnem virtutem in ratione esse dicerent, sed quasdam virtutes natura aut more perfectas, hic omnis in ratione ponebat; cumque illi ea genera virtutum, quae supra dixi, seiungi posse arbitrarentur, hic nec id ullo modo fieri posse disserebat, nec virtutis usum modo, ut superiores, sed ipsum habitum per se esse praeclarum; nec tamen virtutem cuiquam adesse, quin ea semper uteretur. Cumque perturbationes animi illi ex homine non tollerent naturaque et condolescere et concupiscere et extimescere et efferri laetitia dicerent, sed eas contraherent in angustumque deducerent, hic omnibus his quasi morbis voluit carere sapientem. 39. Cumque eas perturbationes antiqui naturales esse dicerent et rationis expertes, aliaque in parte animi cupiditatem, in alia rationem conlocarent, ne his quidem adsentiebatur. Nam et perturbationes voluntarias esse putabat opinionisque iudicio suscipi, et omnium perturbationum matrem esse arbitrabatur immoderatam quandam intemperantiam. Haec fere de moribus.

XI. De naturis autem sic sentiebat, primum ut in quattuor initiis

---

1. *eamque si* V — *expl. corr.* r — 2. *vides* om. r — 4. *nervis* P — 5. *incideret* cod. Lamb. — *quae* Manutius et 3 codd. (?) Goer.: *quaeque* C r — 7. *quodamo et* V — 9. *dicebant* (*n* punctatum) *aliae* G — *iis* r; *his ipsis* - - *ea sumenda* om. V[1]. Verba *his ipsis* - - *numerabat* Christ post vv. *quae minoris* (v. 15) transponenda esse censet; mihi potius adiecticia videntur, quippe etiam de Latinitate suspecta. — 11. *extimatione* et 14. *existimanda* G — *eligenda* coni. Ernesti — *dicebat* Lamb. — 13. *esse* del. Ernesti — *sed*] *si* r — *sumenda*] *media* Davies — 17. *quaedam* Walker del., *quidem* coni. Davies — *factum* V — 18. *pones* V — *praua* A — *et* del. Lamb.; cf. Madv. ad Cic. de finn. p. 730.— 20. *diceret* P — *virtutes quasi natura* G — 21. *omnes* G V O, *omni* r — 22. *virtutis* E — *arbitrarentur* P, sed est terminatio ex corr. — *hic* - - *disserebat* om. A r — 23. *modo* C: om. O r — 25. *adesse* G corr. ex *ad rem* — *uterentur* r — *perturbationes* Walker: *perturbationem* C O r — 28. *eas* Walker: *ea* C O r, *eam* Ernesti — *angustum* G r — 29. *eas* om. r — 31. *in alia* Lambinus: *alia* C O r — *ratione* r — *iis* r — *assentiebatur* P, sed extremae syllabae ex corr. — 33. *suscipi iudicio* r — *matrem esse arb.* G P: *arb. matrem esse* A V O r — 35. *in* om. O cum libro Ursini (*ut quattuor initiis* - - *non adderet* coni. Davies).

rerum illis quintam hanc naturam, ex qua superiores sensus et mentem effici rebantur, non adhiberet. Statuebat enim ignem esse ipsam eam naturam, quae quidque gigneret et mentem atque sensus. Discrepabat etiam ab isdem, quod nullo modo arbitrabatur quicquam effici posse ab ea, quae expers esset corporis, cuius generis Xenocrates et superiores etiam animum esse dixerant; nec vero aut quod efficeret aliquid aut quod efficeretur posse esse non corpus. 40. Plurima etiam in illa tertia philosophiae parte mutavit: in qua primum de sensibus ipsis quaedam dixit nova, quos iunctos esse censuit e quadam quasi inpulsione oblata extrinsecus, quam ille *φαντασίαν*, nos visum appellemus licet: et teneamus hoc verbum quidem; erit enim utendum in reliquo sermone saepius. Sed ad haec, quae visa sunt et quasi accepta sensibus, adsensionem adiungit animorum, quam esse vult in nobis positam et voluntariam. 41. Visis non omnibus adiungebat fidem, sed iis solum, quae propriam quandam haberent declarationem earum rerum, quae viderentur: id autem visum, cum ipsum per se cerneretur, conprendibile, — feretis hoc? Nos vero, inquam; quonam enim alio modo *καταληπτόν* diceres? — sed, cum acceptum iam et adprobatum esset, conprehensionem appellabat, similem iis rebus, quae manu prenderentur: ex quo etiam nomen hoc duxerat, cum eo verbo antea nemo tali in re usus esset: plurimisque idem novis verbis — nova enim dicebat — usus est. Quod autem erat sensu conprehensum, id ipsum sensum appellabat et, si ita erat conprehensum, ut convelli ratione non posset, scientiam, sin aliter, inscientiam nominabat: ex qua exsisteret etiam opinio, quae esset inbecilla et cum falso incognitoque communis. 42. Sed inter scientiam et inscientiam conprehensionem illam, quam dixi, collocabat, eamque neque in rectis neque in pravis numerabat, sed soli credendum esse dicebat. E quo sensibus etiam fidem tribuebat, quod, ut supra dixi, conprehensio facta sensibus et vera esse illi et fidelis videbatur, non quod omnia, quae essent in re, conprehenderet, sed quia nihil, quod cadere in eam posset, relinqueret, quodque natura quasi normam scientiae et principium sui dedisset, unde postea notiones rerum in animis inprimerentur, e quibus non principia solum, sed latio-

---

1. *nat.*] *materiam* r — 2. *efficiebantur non* V — *ipsam eam* Christ: *ipsam* C O r — 3. *quae quicquid* r — *discrebat* V — 4. *isdem* G: *hisdem* P V, *iisdem* A (?) O r — *arbitrabantur* G[1] — *posse aut expers ab ea que esset* r — *a re ea* coni. Davies — 7. *etiam* G: *autem* A P V O r — 9. *uinctos* V et P, ut videtur (notum est *iunctus* et *uinctus* in codd. vix discerni); *cunctos* Ernesti, *punctos* (vel *ictos*) Davies ingeniose ille quidem, sed sic *pungi* dicendum erat et praepositio *e* abicienda. Novam loci interpretationem dedit Madvig ad Cic. de finn. p. 810 sq. — 10. *usum* G[1] — *appellemus* P corr.: *appellamus* C r — 11. *teramus* G[1] — immo *hoc quidem verbum*; cf. ad p. 61, 34. — 12. *ascensionem* G[1] — 14. *his* C r — 15. *prope* V — *habebant* G — *uidentur* G — 16. *comprendibile* G: *comprehendibile* A P, *comprehensione* r, *comprehensibile* V O — 17. *ferebat* V — *hoc* Davies: *hec* C r, *haec* O — *inquam* Manutius: *inquit* C O r; *inquit Atticus* Goerenz, ut item coni. Durand in curis secundis — *quoniam* G[1], *quonam* -- *diceres* P in ras. habet — *alio* G: om. A P V O r — *calepton* G, *captaleton* A, *catalempton* P, *captalempton* V — 18. *probatum* G — 19. *iis* r: *his* C — *preh.derentur* V, *prehenderetur* A — 20. *duxerat, cum* Manutius: *duxerat at* (*ac* G) *cum* C r — *tali iure* A V r — 22 et 23. *comprensum* P — 24. *extiterat* G, *existerat* P — 25. *ignotoque* G — *communi* V — 27. *dixit* r — *paruis* G[1] — 28. *soli* vereor ut sanum sit; *solum ei* Christ — *ex quo* 1 cod. Goer. — 29. *quod* om. G — *ut* om. V — *illi* om. r — 31. *quodque eam nat.* Faber.

res quaedam ad rationem inveniendam viae aperirentur: errorem autem et temeritatem et ignorantiam et opinationem et suspitionem et uno nomine omnia, quae essent aliena firmae et constantis adsensionis, a virtute sapientiaque removebat. Atque in his fere commutatio constitit omnis dissensioque Zenonis a superioribus.

XII. 43. Quae cum dixisset: Breviter sane minimeque obscure exposita est, inquam, a te, Varro, et veteris Academiae ratio et Stoicorum: verum esse [autem] arbitror, ut Antiocho, nostro familiari, placebat, correctionem veteris Academiae potius quam novam aliquam disciplinam putandam. Tunc Varro: Tuae sunt nunc partes, inquit, qui ab antiquorum ratione desciscis et ea, quae ab Arcesila novata sunt, probas, docere, quod et qua de causa discidium factum sit, ut videamus satisne ista sit iusta defectio. 44. Tum ego: Cum Zenone, inquam, ut accepimus, Arcesilas sibi omne certamen instituit, non pertinacia aut studio vincendi, ut mihi quidem videtur, sed earum rerum obscuritate, quae ad confessionem ignorationis adduxerant Socratem et iam ante Socratem Democritum, Anaxagoram, Empedoclem, omnes paene veteres: qui nihil cognosci, nihil percipi, nihil sciri posse dixerunt: angustos sensus, inbecillos animos, brevia curricula vitae, et, ut Democritus, in profundo veritatem esse demersam, opinionibus et institutis omnia teneri, nihil veritati relinqui, denique omnia tenebris circumfusa esse [dixerunt]. 45. Itaque Arcesilas negabat esse quicquam quod sciri posset, ne illud quidem ipsum, quod Socrates sibi reliquisset: sic omnia latere censebat in occulto. Neque esse quicquam, quod cerni aut intellegi posset: quibus de causis nihil oportere neque profiteri neque adfirmare quemquam neque adsensione adprobare, cohibereque semper et ab omni lapsu continere temeritatem, quae tum esset insignis, cum aut falsa aut incognita res adprobaretur: neque hoc quicquam esse turpius quam cognitioni et perceptioni adsensionem adprobationemque praecurrere. Huic rationi quod erat consentaneum faciebat, ut contra omnium sententias disserens de sua plerosque deduceret, ut, cum in eadem re paria contrariis in partibus momenta rationum invenirentur, facilius ab utraque parte adsensio sustineretur. 46. Hanc Academiam novam appellant, quae mihi

---

1. *muniendam* G — *aperirentur* Davies: *reperiuntur* C O r, *aperiuntur* Manutius, *reperirentur* Gruter — 2. *suspicionem* A G O — 4. *iis* r — *consistit* A G — 6. *dixisset* Lambinus: *dixisset et* C O r — 8. *verum esse autem* C r; incertum videtur, sitne *verum* post *Stoicorum* ex dittographia ortum an *autem* ex alio vocabulo, velut *eam* vel *illam* corruptum. — *ut* om. G, *at ab* A P V, *ut ab* r, *at* G² in marg. — 9. *correptionem* r — *novam aliquam* G: *aliquam novam* A P V O r — 10. *tum* O — *duae* A P V r — *nunc*] *modo* G — *qui* P in ras., *quoniam* Ursini — 11. *ratione* G (item A, ut videtur): *ratione nunc* G V r — *desistis* G — *ea* om. r — 12. *doce* r et P, sed hic corr. ex *docere* — 15. *quidem mihi* G P V — 16. *et iam ante* Davies: *et ueluti amantes* C r. Apparet *velut* ortum esse ex *vel ut*, quae est varia lectio ad *et* adscripta — 18. *inbecilles* G — 19. *et* om. G r — 20. *diuersam* P V r — 21. *ueritate* G — *denique* Bentley: *deinceps* C O r — *tenebris* om. G — *circumfusa* P — *dixerunt* aut hic aut supra (v. 18), ubi O inclusit, abiciendum esse Manutius intellexit — 22. *nec illud q.* G — 23. *reliquisset ut nihil se scire sciret sic* G — *censebat* C r (sed P V r *censebant*): om. O cum Goer. — 24. *nec* V — *posset* Ernesti: *possit* C r — 26. *assensione* G: *assertione* A P V r — *probare* G — 27. *tum*] *cum* G V r — *aut falsa* om. r — 28. *esset turpius* C r — 29. *preceptioni* r — *assertionem* A P V r — 30. *ut*] *aut* G — *disserens de sua* G: *dies iam* A P V O r, *dicens in eam* Madvig — 31. *pleros* A P V — 32. *assertio* A P V r; *assensio,* quod ter recte habet G, primus Lamb. restituit.

vetus videtur, si quidem Platonem ex illa vetere numeramus, cuius in libris nihil adfirmatur et in utramque partem multa disseruntur, de omnibus quaeritur, nihil certi dicitur: sed tamen illa, quam exposuisti, vetus, haec nova nominetur, quae usque ad Carneadem perducta, qui quartus ab Arcesila fuit, in eadem Arcesilae ratione permansit. Carneades autem nullius philosophiae partis ignarus et, ut cognovi ex iis, qui illum audierant, maximeque ex Epicureo Zenone, qui cum ab eo plurimum dissentiret, unum tamen praeter ceteros mirabatur, incredibili quadam fuit facultate et *copia dicendi* * * *

Fragmenta Academicorum posteriorum.

EX LIBRO I.

1. Nonius p. 65 Merc. *Digladiari dictum est dissentire et dissidere, dictum a gladiis. Cicero Academicorum lib. I:* Quid autem stomachatur Mnesarchus? quid Antipater digladiatur cum Carneade tot voluminibus?

2. Nonius s. v. *concinnare* p. 43. *Idem in Academicis lib. I:* qui cum similitudine verbi concinere maxime sibi videretur.

EX LIBRO II.

3. Nonius p. 65. *Aequor ab aequo et plano Cicero Academicorum lib. II vocabulum accepisse confirmat:* quid tam planum videtur quam mare? e quo etiam aequor illud poetae vocant.

4. Nonius p. 69. *Adamare. Cicero Academicorum lib. II:* qui enim serius honores adamaverunt, vix admittuntur ad eos nec satis commendati multitudini possunt esse.

5. Nonius p. 104. *Exponere pro exempla boni ostentare. Cicero Academicis lib. II:* frangere avaritiam, scelera ponere, vitam suam exponere ad imitandum iuventuti.

6. Nonius p. 121: *Hebes positum pro obscuro aut obtuso. Cicero Academicorum lib. II:* Quid? lunae quae liniamenta sint, potesne dicere? cuius et nascentis et senescentis alias hebetiora, alias acutiora videntur cornua.

7. Nonius p. 162. *Purpurascit. Cic. Academicorum lib. II:* Quid?

---

3. *exposuisti* Durand et iterum Krische p. 53: *exposui* C O r — 4. *perducta qui quartus ab* P, sed *per* et *us ab* in ras. — 6. *partis* et *ut* om. r — *iis* r: *his* C — 7. *que ex Epic.* om. r — 9. *facilitate* r — *et copia dicendi* Christ: *et to* (sic) G; om. codd. rell. noti et edd.; *facultate dicendi* clausulam fuisse coni. Krische p. 56

11. *stomachetur* O — 12. *mnsarcus* L W (i. e. cod. Leidensis et Wolfenbuettelanus Gerlachii et Rothii) — *digladiatur* scripsi: *digladietur* codd. et O — 13. *quae cum* L, ed. Ald. Nonii et O, qui fragmentum errore ad lib. II rettulit; cf. Krische p. 57; fort. *quicum* — 18. *ex quo* O — 19. *academico* cod. Bamb. — 25 *habes* L — *obstuso* W — 26. *lineomenta* O — *sint* Iunius: *sunt* L W — *potesne* W — 27. *ne cuius* L W — *et inseniscentis* W, om. L; fort. *et decrescentis* — *habetiora* L.

mare nonne caeruleum? at eius unda, cum est pulsa remis, purpurascit: et quidem aquae tinctum quodam modo et infectum . .

8. Nonius p. 162. *Perpendiculi et normae. Cic. Academicorum lib. II:* atqui, si id crederemus, non egeremus perpendiculis, non normis, non regulis.

9. Nonius p. 394. *Siccum dicitur aridum et sine humore . . . Siccum dicitur et sobrium, non madidum . . Cic. Academicorum lib. II:* alius adultis, alius adulescentibus, alius aegris, *alius sanis*, alius siccis, alius vinulentis . .

10. Nonius p. 474. *Urinantur. Cic. in Academicis lib. II:* si quando enim nos demersimus, ut qui urinantur, aut nihil superum aut obscure admodum cernimus.

11. Nonius p. 545. *Alabaster. Cic. Academicorum lib. II:* quibus etiam alabaster plenus unguenti puter esse videtur.

EX LIBRO III.

12. Nonius p. 65. *Digladiari . . . idem tertio*: digladiari autem semper, depugnare cum facinorosis et audacibus, quis non cum miserrimum, tum etiam stultissimum dixerit?

13. Nonius p. 65. *Exultare dictum est exilire. Cic. Academicorum lib. III:* et ut nos nunc sedemus ad Lucrinum pisciculosque exultantes videmus. .

14. Nonius p. 123. *Ingeneraretur ut innasceretur. Cic. Academicorum lib III:* in tanta animantium varietate, homini ut soli cupiditas ingeneraretur cognitionis et scientiae.

15. Nonius p. 419. *Vindicare, trahere, liberare . . Cicero Academicorum lib. III:* aliqua potestas sit, vindicet se in libertatem.

16. Lactantius inst. div. VI, 24. *Nec tamen deficiat aliquis aut de se ipse desperet, si aut cupiditate victus aut libidine impulsus aut errore deceptus aut vi coactus ad iniustitiae viam lapsus est. Potest enim reduci ac liberari, si eum paeniteat actorum et ad meliora conversus satis deo faciat. Quod fieri posse Cicero non putavit, cuius haec in Academico tertio verba sunt:* Quod si liceret, ut iis, qui in itinere deerravissent, sic vitam deviam secutis corrigere errorem paenitendo, facilior esset emendatio temeritatis.

17. Diomedes p. 373 ed. Putsch. *Cicero Academicarum tertio:* † malcho in opera affixa.

18. Nonius p. 139. *Mordicibus et mordicus pro morsu pro morsibus . . . Cic. Academicorum lib. III:* perspicuitatem, quam mordicus tenere debemus, abesse dicemus. = *Lucullus* § 51.

---

2. *aqua* Iunius; videtur sententia non plena esse; nam constat Nonium saepe enuntiatum ita exscripsisse, ut sententiam mediam interrumperet. — 4. *si id*] *sed* W — *egerimus* W, *non eg.* om. L — 7. *non* Mercerus: om. codd. — 8. *adulescentibus* scripsi: *lentibus* codd., *senibus* O — *eugris* codd. — *alius sanis* ed. Nonii 1511: om. codd.; fort. *alius laetis, alius aegris* — *vinolentis* O — 13. *puter esse* scripsi: *putrer esse* cod. Bamb.; *putre esse* L W et codd. Merceri: *putrere* O — *videatur* O — 14. de fragmentis ex l. III v. Krische p. 62 sq. — 15. *digladiari*] v. supra fragm. 1. — 16. *cum*] *in* codd. — 19. *pisculosq.* L W — 20. *uideamus* L W — 25. *si sit* O — 32. *secutis* Patricius: *secutos* codd. — 34. immo *Academicorum* — 38. *dicamus* codd. Nonii.

19. Nonius p. 117. *Gallinas. Cic. Academicorum lib. III:* qui gallinas -- dicere solebant. = *Lucullus* § 57.

EX LIBRO IIII.

20. Nonius p. 69. *Adstipulari positum est adsentiri. Cic. in Academicis lib. IIII:* falsum esse -- Antiochus. = *Lucullus* § 67.

21. Nonius p. 65: *Maeniana ab inventore eorum Maenio dicta sunt; unde et columna Maenia. Cic. Academicorum lib. IIII:* item ille, cum aestuaret, veterum, ut Maenianorum, sic Academicorum viam secutus est. = *Lucullus* § 70.

22. Nonius p. 99. *Dolitum, quod dolatum usu dicitur, quod est percaesum vel abrasum vel effossum .. Cicero dolatum Academicorum lib. IIII:* non enim est e saxo sculptus aut e robore dolatus. = *Luc.* § 100.

23. Nonius p. 164. *Ravum fulvum. Cic. Acad. l. IIII:* quia nobismet ipsis tum caeruleum, tum ravum videtur, quodque nunc a sole conlucet... = *Luc.* § 105.

24. Nonius p. 107. *Exanclare est perpeti vel superare. Cic. Acad. l. IIII:* credoque Clitomacho ita scribenti ut Herculi quendam laborem exanclatum. = *Luc.* § 108.

25. Nonius p. 163. *Pingue positum pro impedito et inepto. Cic. Acad. l. IIII:* quod ipsi -- contrarium. = *Luc.* § 109.

26. Nonius p. 122. *Infinitatem. Cic. Acad. lib. IIII:* at hoc Anaximandro -- infinitatem. = *Luc.* § 118.

27. Nonius p. 65. *Natrices dicuntur angues natantes. Cic. Acad. lib. IIII:* sic enim vultis -- fecerit = *Luc.* § 120.

28. Nonius p. 189. *Uncinatum ab unco. Cic. Acad. lib. IIII:* nec, ut ille, qui asperis et hamatis uncinatisque corpusculis concreta haec esse dicat. = *Luc.* § 121.

29. Martianus Capella V, § 517 p. 444 ed. Kopp. *Vitandum similiter ne in eodem loco tres aut quattuor longas brevesque continuo ponamus, neve in notissimos versus et maxime heroicos structura fundatur iambicosque versus, quamvis eos Cicero non evitet . . . et heroici versus finem vel initium non declinet, cum dicit:* o miserum cui peccare licebat, *et in Academicis:* latent ista omnia, Varro, magnis obscurata et circumfusa tenebris. = *Luc.* § 122.

30. Nonius p. 102: *E regione positum est ex adverso. Cic. Acad. lib. IIII:* nec ego non ita . vos etiam dicitis esse e regione nobis in contraria parte terrae, qui adversis vestigiis stent contra nostra vestigia. = *Luc.* § 123.

---

1. Krische p. 60 erravit, cum a Nonio hoc loco novum fragmentum ex libro II allatum putavit; deceptus est enim depravatione in scriptura Nonii, ab eius editoribus nondum correcta, in quo vera lectio ii abiit in *lib. II*; v. supra ad p. 22, 13. — 7. *item*] *iterum* codd. Nonii — 8. *viam*] *umbram* codd. Cic. — 12. *saxo aut cultus e robore* codd. Nonii — 13. *faluum* cod. Bamb., unde *flauum* scribendum videtur — 17. *ut* om. codd. Cic. — 19. *impedimento* cod. Bamb. — 26. *corporibus* codd. Luculli, incertum utrum errore librariorum an ita dederit ipse Cicero in priore scriptione. — 33. *omnia, Luculle, crassis occultata et c. t.* Cic. in Lucullo, quae ipse postea sic, ut apud Capellam leguntur, videtur mutasse; cf. Krische p. 63 sq. — 37. *stent ad contra vestigia* codd. Nonii.

31. Nonius p. 80. *Balbuttire est cum quadam linguae haesitatione et confusione trepidare. Cic. Acad. lib. IIII:* plane, ut supra dictus, Stoicus perpauca balbuttiens. = *Luc.* § 137.

EX LIBRIS INCERTIS.

32. Lactantius inst. div. III, 14: *Cedo igitur quid didiceris aut in qua secta veritatem deprehenderis. In Academia scilicet, quam secutus es, quam probasti. At haec nihil docet nisi ut scias te nihil scire. Tui ergo te libri arguunt, quam nihil a philosophia disci possit ad vitam. Haec tua verba sunt:* Mihi autem non modo ad sapientiam caeci videmur, sed ad ea ipsa, quae aliqua ex parte cerni videantur, hebetes et obtusi.

33. Augustinus contra Academicos II, 11, 26: *Audite ergo, inquam, quid sit, vos: Id probabile vel veri simile Academici vocant, quod nos ad agendum sine adsensione potest invitare. Sine adsensione autem dico, ut id quod agimus non opinemur verum esse aut non id scire arbitremur, agamus tamen. Ut verbi causa, utrum hesterna nocte tam liquida ac pura hodie tam laetus sol exorturus esset, si nos quispiam rogaret, credo, quod nos id scire negaremus, diceremus tamen ita videri.* Talia, *inquit Academicus,* mihi videntur omnia, quae probabilia vel veri similia putavi nominanda: quae tu si alio nomine vis vocare, nihil repugno. Satis enim mihi est te iam bene accepisse quid dicam, id est, quibus rebus haec nomina inponam; non enim vocabulorum opificem, sed rerum inquisitorem decet esse sapientem. *Satisne intellexistis, quo modo mihi ludicra illa, quibus vos agitabam, de manibus excussa sint? Hic cum ambo se intellexisse respondissent vultuque ipso responsionem postularent meam, Quid putatis, inquam, Ciceronem, cuius haec verba sunt, inopem fuisse Latinae linguae, ut minus apta rebus, quas sentiebat, nomina inponeret?*

34. Augustinus c. Acad. III, 7, 15: *Sed primo illud videamus quale sit, unde amatores Academicorum gloriari nimium solent. Nam est in libris Ciceronis, quos in huius causae patrocinium scripsit, locus quidam, ut mihi videtur, mira urbanitate conditus, ut nonnullis autem, etiam firmitate roboratus. Difficile est prorsus ut quemquam non moveat quod ibi dictum est.* Academico sapienti ab omnibus ceterarum sectarum, qui sibi sapientes videntur, secundas partes dari, cum primas sibi quemque vindicare necesse sit: ex quo posse probabiliter confici eum recte primum esse iudicio suo, qui omnium ceterorum iudicio sit secundus. Fac enim, verbi causa, Stoicum adesse sapientem; nam contra eos potissimum Academicorum exarsit ingenium. Ergo Zeno vel Chrysippus si interrogarentur, quis sit sapiens, respondebit eum esse, quem ipse descripserit.

---

2. immo *dictum* vel *dictumst*; in Lucullo est *dixi* — 11. Contulimus ad hoc fragmentum codicem Frisingensem num. 89 saec. X (= F), ad sequens etiam Benedictoburanum num. 14 (= B) et Emmeranum sive Ratisbonensem n. 330 (= E), utrumque saec. XII, qui nunc omnes sunt in bibliotheca Monacensi. — 12. *probabile an uel* F — 15. in edd. Augustini prave distinctum est: *hesterna nocte, tam liquida ac pura, hodie* cet., at est *tam liq. et pura* praedicatum et haec sententia: cum hesterna nox tam liquida ac pura fuerit. — 25. *Lat. linguae* F: *linguae Lat.* edd. — 26. *rebus imponeret quas sentiebat nomina* edd. — 27. Krische p. 60 hoc fragm. libro II adsignat. — *istud* B — 30. *conditus* B E[2]: *condicitus* E[1], *concidit* F — *autem* om. E — 33. *dare* E — 38. *qui* F fort. recte, *quid* B E.

Contra Epicurus vel quis alius adversariorum negabit suumque potius peritissimum voluptatum aucupem sapientem esse contendet. Inde ad iurgium: clamat Zeno et tota illa porticus tumultuatur, hominem natum ad nihil aliud esse quam *ad* honestatem: ipsam suo splendore ad se animos ducere, nullo prorsus commodo extrinsecus posito et quasi lenocinante mercede; voluptatemque illam Epicuri solis inter se pecoribus esse communem, in quorum societatem et hominem et sapientem trudere nefas esse. Contra ille convocata de hortulis in auxilium quasi Liber turba temulentorum, quaerentium tamen, quem incomptis unguibus bacchantes asperoque ore discerpant, voluptatis nomen, suavitatem, quietem teste populo exaggerans instat acriter, ut nisi ea beatus nemo esse posse videatur. In quorum rixam si Academicus incurrerit, utrosque audiet trahentes se ad suas partes, sed si in illos aut in istos concesserit, ab eis quos deseret, insanus, imperitus temerariusque clamabitur. Itaque cum et hac et illac aurem diligenter admoverit, interrogatus, quid ei videatur, dubitare se dicet. Roga nunc Stoicum, quis sit melior, Epicurusne, qui delirare illum clamat, an Academicus, qui sibi adhuc de re tanta deliberandum esse pronuntiat. Nemo dubitat Academicum praelatum iri. Rursus te ad illum converte et quaere, quem magis amet, Zenonem, a quo bestia vocatur, an Arcesilan, a quo audit: «Tu fortasse verum dicis, sed requiram diligentius.» Nonne apertum est totam illam porticum insanam, Academicos autem prae illis modestos cautosque homines videri Epicuro? *Ita peraeque prope de omnibus sectis copiosissime Cicero iucundissimum legentibus quasi spectaculum praebet, velut ostendens nullum illorum esse, qui non, cum sibi primas partes dederit, quod necesse est, secundas ei dicat dare, quem non repugnare, sed dubitare conspexerit.*

35. Augustinus c. Acad. III, 10, § 43. *Hoc mihi de Academicis interim probabiliter, ut potui, persuasi. Quod si falsum est, nihil ad me, cui satis est iam non arbitrari non posse ab homine inveniri veritatem. Quisquis autem putat hoc sensisse Academicos, ipsum Ciceronem audiat. Ait enim* illis morem fuisse occultandi sententiam suam nec eam cuiquam, nisi qui secum ad senectutem usque vixissent, aperire consuesse.

36. Augustinus de Civit. Dei VI, 2. *Denique et ipse Tullius huic* (M. Terentio Varroni) *tale testimonium perhibet, ut in libris Academicis dicat eam, quae ibi versatur, disputationem se habuisse cum Marco Varrone,* homine, *inquit,* omnium facile acutissimo et sine ulla dubitatione doctissimo. *Non ait «eloquentissimo» vel «facundissimo», quoniam re vera in hac facultate multum impar est, sed* omnium, *inquit,* facile acutissimo. *Et in eis libris, id est Academicis, ubi cuncta dubitanda esse contendit, addidit* sine ulla dubitatione doctissimo.

---

1. *quis* F: *quasi* B E (*alius quasi* B) — 3. *tumultuatus* F — 4. *ad* nos addidimus — 7. *et* ante *sap.* om. B — 9. *Liber* scripsi: *liber* E F, *libera* B et edd., *Liberi* coni. Orelli — *incomtis* F — 11. *nisi* E F: *sine nisi* B, *sine* O — 14. *deseret* B E F: *deserit* edd. — 15. *huc et illuc* O — *diligentem* Lamb. — 16. *qui sit* B E F — 20. *Arcesilam* edd. — *audit*] cf. Madvigii emend. I, 122. — 23. *visum iri* O — 26. *dari* B — 32. *vixisset* O. Krische p. 63 hoc fragm. extremo libro III adsignat, apte conferens Luculli § 60.

M. TULLII CICERONIS

DE FINIBUS BONORUM ET MALORUM

LIBRI QUINQUE.

RECOGNOVIT

IO. GEORGIUS BAITERUS.

NOTARUM INDEX.

A = cod. Palatinus (nunc Vaticanus) n. 1513 saeculi undecimi, quem Gruterus Palatinum primum nominavit. In priore parte passim correctus est, modo ab eadem manu, quae librum scripsit, modo ab alia. Desinit in libri IV, § 16. Accuratissime et hunc et proximum codicem excussit CAROLUS PRIEN. Cf. de hoc et de B Halm *Zur Handschriftenkunde der Ciceronischen Schriften* p. 16 sq.

B = cod. Palatinus (nunc Vaticanus) n. 1525 saeculi quinti decimi. A Grutero eum in libris de finibus Palatinum secundum vocatum esse falso traditur in ipsius codicis folio primo. Cf. Halm *Archiv f. Philologie und Paedagogik* vol. XV. p. 175. n. 35.

C = margo editionis Cratandrinae a. 1528 ex uno optimo codice multas scripturas exhibens cum Palatino primo plerumque congruentes. Cf. in primis varietatem lectionis ad III, § 19.

D = cod. Morelianus perbonus, ex quo multas scripturas protulit Gulielmus Morelius Tillianus in Observationum in Ciceronis libros de Finibus commentario Paris. 1546.

E = cod. Erlangensis n. 38 saeculi quinti decimi, quo Madvigius cum maximo fructu usus est. Ex eodem cum B fonte ductus et cum illo plerumque consentiens mendis aliquanto est inquinatior, neque tamen eius mentione ubique supersedere potuimus, quoniam non nullae apud Madvigium lectiones ex eo solo ductae sunt. In nostrum usum HALMIUS eum denuo contulit.

G = cod. Glogaviensis, nunc Vratislaviensis IV. F. 180, scriptus anno 1416, a C. E. Ch. Schneidero cum ed. Nobbiana anni 1827 collatus. Idem videtur esse atque is, e quo Zumptius lectiones aliquot admodum memorabiles, ex haud indocta interpolatione, ni fallor, ortas, attulerat in *Berl. Jahrbb. f. wissensch. Kritik* a. 1840. Vol. I. p. 214. Omnem autem eius ab editione Nobbiana discrepantiam exhibuit Schneiderus in Programmate Vratislav. a. 1841. Nos selectas tantum modo scripturas attulimus.

M = ed. Madvigiana.

O = ed Orelliana prior a. 1828.

In orthographia ubi tacite ab Orelliana ratione discessi secutus sum codicem A.

LIBER PRIMUS.

I. 1. Non eram nescius, Brute, cum, quae summis ingeniis exquisitaque doctrina philosophi Graeco sermone tractavissent, ea Latinis litteris mandaremus, fore ut hic noster labor in varias reprehensiones incurreret; nam quibusdam, et iis quidem non admodum indoctis, totum hoc displicet philosophari. Quidam autem non tam id reprehendunt, si remissius agatur, sed tantum studium tamque multam operam ponendam in eo non arbitrantur. Erunt etiam, et hi quidem eruditi Graecis litteris, contemnentes Latinas, qui se dicant in Graecis legendis operam malle consumere. Postremo aliquos futuros suspicor, qui me ad alias litteras vocent, genus hoc scribendi, etsi sit elegans, personae tamen et dignitatis esse negent. 2. Contra quos omnis dicendum breviter existimo: quamquam philosophiae quidem vituperatoribus satis responsum est eo libro, quo a nobis philosophia defensa et collaudata est, cum esset accusata et vituperata ab Hortensio. Qui liber cum et tibi probatus videretur et iis, quos ego posse iudicare arbitrarer, plura suscepi, veritus ne movere hominum studia viderer, retinere non posse. Qui autem, si maxime hoc placeat, moderatius tamen id volunt fieri, difficilem quandam temperantiam postulant in eo, quod semel admissum coerceri reprimique non potest, ut propemodum iustioribus utamur illis, qui omnino avocent a philosophia, quam his, qui rebus infinitis modum constituant in reque eo meliore, quo maior sit, mediocritatem desiderent. 3. Sive enim ad sapientiam perveniri potest, non paranda nobis solum ea, sed fruenda etiam est; sive hoc difficile est, tamen nec modus est ullus investigandi veri, nisi inveneris, et quaerendi defetigatio turpis est, cum id, quod quaeritur, sit pulcherrimum. Etenim si delectamur, cum scribimus, quis est tam invidus, qui ab eo nos abducat? sin laboramus, quis est, qui alienae modum statuat industriae? Nam ut Terentianus Chremes non inhumanus, qui novum vicinum non vult

fodere aut arare aut aliquid ferre denique,

— non enim illum ab industria, sed ab illiberali labore deterret, — sic isti curiosi, quos offendit noster minime nobis iniucundus labor. II. 4. Iis igitur est difficilius satis facere, qui se Latina scripta dicunt contemnere. In quibus hoc primum est, in quo admirer, cur in gravissimis rebus non delectet eos sermo patrius, cum idem fabellas

---

INSCRIPTIO. *Marci Tullii Ciceronis de finibus malorum et bonorum ad Brutum primus liber incipit* A; *Marci Tullii Ciceronis de finibus bonorum et malorum liber primus incipit* B.

4. *iis*] *his* A, *hys* B, et sic semper, ne semel quidem *iis* — 5. *non tam id* A B C E: *non id tam* O — *reprehenderunt* A¹ C — 8. *contempnentes* A B ubique — 13. *a nobis philosophia* A: *philosophia a nobis* B M — 17. *placet* B — 18. *semel iam missum* A B D — 22. *ad* om. B — 23. *etiam est* cod. Eliensis: *etiam sapientia est* A B; *etiam* [*sapientia*] *est* O — *ullus est* B — 24. *et* om. B — *defetigatio* A²: *defatigatio* A¹ B O — 26. *invidus*] *timidus* B — *abducat* A B: *deducat* E M — 29. *ferre*] *facere* Rich. Bentleius ap. Terentium Heautont. I, 1, 17, unde hic versus desumptus est. — 31. *ostendit* B — 32. *Iis* Manutius: *his* A B O — *latine* A² C — 33. *est, quod demirer* Lambinus; malim *est quod mirer* — 34. *sermo patrius* A B: *patrius sermo* M O — *cum*] *tum* B — *idem* A B: *iidem* M O.

Latinas ad verbum e Graecis expressas non inviti legant. Quis enim tam inimicus paene nomini Romano est, qui Ennii Medeam aut Antiopam Pacuvii spernat aut reiciat, quod se isdem Euripidis fabulis delectari dicat, Latinas litteras oderit? Synephebos ego, inquit, potius Caecilii aut Andriam Terentii quam utramque Menandri legam? 5. A quibus tantum dissentio, ut, cum Sophocles vel optime scripserit Electram, tamen male conversam Atilii mihi legendam putem, de quo Licinius, ferreum scriptorem, verum, opinor, scriptorem tamen, ut legendus sit. Rudem enim esse omnino in nostris poetis aut inertissimae segnitiae est aut fastidii delicatissimi. Mihi quidem nulli satis eruditi videntur, quibus nostra ignota sunt. An

utinam ne in nemore

nihilo minus legimus quam hoc idem Graecum: quae autem de bene beateque vivendo a Platone disputata sunt, haec explicari non placebit Latine? 6. Quod si nos non interpretum fungimur munere, sed tuemur ea, quae dicta sunt ab iis, quos probamus, eisque nostrum iudicium et nostrum scribendi ordinem adiungimus, quid habent cur Graeca anteponant iis, quae et splendide dicta neque sint conversa de Graecis? Nam si dicent ab illis has res esse tractatas, ne ipsos quidem Graecos est cur tam multos legant, quam legendi sunt. Quid enim est a Chrysippo praetermissum in Stoicis? Legimus tamen Diogenem, Antipatrum, Mnesarchum, Panaetium, multos alios in primisque familiarem nostrum Posidonium. Quid? Theophrastus mediocriterne delectat, cum tractat locos ab Aristotele ante tractatos? quid? Epicurei num desistunt de isdem, de quibus et ab Epicuro scriptum est et ab antiquis, ad arbitrium suum scribere? Quod si Graeci leguntur a Graecis isdem de rebus alia ratione compositis, quid est cur nostri a nostris non legantur? III. 7. Quamquam, si plane sic verterem Platonem aut Aristotelem, ut verterunt nostri poetae fabulas, male, credo, mererer de meis civibus, si ad eorum cognitionem divina illa ingenia transferrem: sed id neque feci adhuc nec mihi tamen ne faciam interdictum puto. Locos quidem quosdam, si videbitur, transferam, et maxime ab iis, quos modo nominavi, cum inciderit ut id apte fieri possit, ut ab Homero Ennius, Afranius a Menandro solet. Nec vero, ut noster Lucilius, recusabo quo minus omnes mea legant. Utinam esset ille Persius! Scipio vero et Rutilius multo etiam magis: quorum ille iudicium reformidans Tarentinis ait se et Consentinis et Siculis scribere. Facete is quidem, sicut alia; sed neque tam docti tum erant, ad quorum iudicium elaboraret, et sunt illius scripta leviora, ut urbanitas summa appareat, doctrina mediocris. 8. Ego autem quem timeam lectorem, cum ad te, ne Graecis quidem

---

1. *e* A B: *de* O — *legantur* E — 2. *nomini pene* B — 3. *quod* A B C: *qui* O — *se*] *si* E — 4. *Latinas litteras oderit* om. G et Davis. — [*literas*] O — 6. *tantum* A B: *tam* O — 7. *Atilii* A: *acilii* B; *Attilii* O — 11. *An* Muretus (ad Philipp. XIV, 5): *At* A B — 13. *quae*] *qui* B — 15. *Quid si* A — 18. *dicta* nos: *dicta sunt* A B E; *dicta sint* O — 19. *ipso* (in fine versus) A — 20. *multas* A¹ — 23. *quid Theophrastum* A B C D — 24. *non* (superscr. *num*) A — 25. *isdem* A B: *eisdem* O — 28. *plane*] *plane se* B — 29. *mali* B — *meretur* E — 30. *ingenita* B — 31. *ne*] *nec* A¹ — 33. *cum*] *tum* B — 34. *a Menandro*] *amandro* A¹ — *ut*] *aut* E (non B) — 35. *omnis* A — 36. *etiam*] *et* B — 37. *alia* Ursinus: *alias* A B O — 38. *tum* A B: *tunc* O — *elaborare* B — 40. *autem* A: *quid* B; *quidem* E — *timeatur* B.

cedentem in philosophia, audeam scribere? quamquam a te ipso id quidem facio provocatus gratissimo mihi libro, quem ad me de virtute misisti. Sed ex eo credo quibusdam usu venire ut abhorreant a Latinis, quod inciderint in inculta quaedam et horrida, de malis Graecis Latine scripta deterius. Quibus ego assentior, dum modo de isdem rebus ne Graecos quidem legendos putent. Res vero bonas, verbis electis graviter ornateque dictas, quis non legat? nisi qui se plane Graecum dici velit, ut a Scaevola est praetore salutatus Athenis Albucius. 9. Quem quidem locum cum multa venustate et omni sale idem Lucilius, apud quem praeclare Scaevola:

Graecum te, Albuci, quam Romanum atque Sabinum,
Municipem Ponti, Tritanni, centurionum,
Praeclarorum hominum ac primorum, signiferumque
Maluisti dici. Graece ergo praetor Athenis,
Id quod maluisti, te, cum ad me accedi', saluto:
Χαῖρε, inquam, Tite: lictores, turma omni' cohorsque.
Χαῖρε, Tite! hinc hostis mi Albucius, hinc inimicus.

10. Sed iure Mucius. Ego autem rimari non queo, unde hoc sit tam insolens domesticarum rerum fastidium. Non est omnino hic docendi locus, sed ita sentio et saepe disserui, Latinam linguam non modo non inopem, ut vulgo putarent, sed locupletiorem etiam esse quam Graecam. Quando enim nobis, vel dicam aut oratoribus bonis aut poetis, postea quidem quam fuit quem imitarentur, ullus orationis vel copiosae vel elegantis ornatus defuit?

IV. Ego vero, quoniam forensibus operis, laboribus, periculis non deseruisse mihi videor praesidium, in quo a populo Romano locatus sum, debeo profecto, quantumcumque possum, in eo quoque elaborare, ut sint opera, studio, labore meo doctiores cives mei, nec cum istis tanto opere pugnare, qui Graeca legere malint, modo legant illa ipsa, ne simulent, et iis servire, qui vel utrisque litteris uti velint vel, si suas habent, illas non magno opere desiderent. 11. Qui autem alia malunt scribi a nobis, aequi esse debent, quod et scripta multa sunt, sic ut plura nemini e nostris, et scribentur fortasse plura, si vita suppetet: et tamen qui diligenter haec, quae de philosophia litteris mandamus, legere assueverit, iudicabit nulla ad legendum his esse potiora. Quid est enim in vita tanto opere quaerendum, quam cum omnia in philoso-

---

2. *prouocatis* A[1] — 3. *usui uenire* corr. in *illud euenire* (ab ead. m.) A — 4. *malis* A B: *male* O — 5. *Quid ego assencio* B — *hisdem* A; *eisdem* B — 7. *dictas* Lambinus: *dictatas* A B — 8. *praetore* Manutius: *praetor* A B — 10. Inter *scevola* et *grecum* A[2] inserit *dicit* — 12. *pontii* A B — *tiranii* A[1]; *tritanii* A[2]; *tritunii* B; fort. *Tritani* — 14. *ergo*] *enim* B — 15. *accedis* codd. — 16. *chaere* A; *care* B — *omnis* codd. — *chorusque* codd. — 17. *chere* A B — *cite* B — *Hinc*] *hic* A[1] B — *mi* om. in rasura A — *albutius* A — 18. *rimari* Henr. Alanus: *mirari* codd.; *satis mirari* O cum P. Manutio; *mirari satis* Madvigius — 19. *hic omnino* B — 20. *non* post *modo* om. A B — 22. *vel*] *ut* E — 23. *quem* corr. ead. m. ex *quae* A — 24. *defuit*] *ne fuit* B — 25. *quoniam* Otto: *cum* A B; *quum* O — 26. *uideri* A B — *a*] *M* B — *sim* A B — 27. *possum* B: *possim* A O — 28. *tantopere* (item *magnopere*) A B ubique — 29. *malunt* B — *illa ipsa* A B: *ipsa illa* O (*illa* in A corr. ead. m. ex *ille*) — *ne* A B: *nec* O — 32. *ut* om. E — 33. *memini* A B — *suppetit* B — 35. *nulla*] *ullam* E; utrum B *nulla* habeat an *ullam* discerni nequit. — 36. *cum* om. E.

phia, tum id, quod his libris quaeritur, qui sit finis, quid extremum, quid ultimum, quo sint omnia bene vivendi recteque faciendi consilia referenda, quid sequatur natura ut summum ex rebus expetendis, quid fugiat ut extremum malorum? Qua de re cum sit inter doctissimos summa dissensio, quis alienum putet eius esse dignitatis, quam mihi quisque tribuit, quid in omni munere vitae optimum et verissimum sit, exquirere? 12. An, partus ancillae sitne in fructu habendus, disseretur inter principes civitatis, P. Scaevolam Maniumque Manilium, ab iisque M. Brutus dissentiet, quod et acutum genus est et ad usus civium non inutile, nosque ea scripta reliquaque eiusdem generis et legimus libenter et legemus: haec, quae vitam omnem continent, neglegentur? nam, ut sint illa vendibiliora, haec uberiora certe sunt. Quamquam id quidem licebit iis existimare, qui legerint. Nos autem hanc omnem quaestionem de finibus bonorum et malorum fere a nobis explicatam esse his litteris arbitramur, in quibus, quantum potuimus, non modo quid nobis probaretur, sed etiam quid a singulis philosophiae disciplinis diceretur, persecuti sumus.

V. 13. Ut autem a facillimis ordiamur, prima veniat in medium Epicuri ratio, quae plerisque notissima est, quam a nobis sic intelleges expositam, ut ab ipsis, qui eam disciplinam probant, non soleat accuratius explicari. Verum enim invenire volumus, non tamquam adversarium aliquem convincere. Accurate autem quondam a L. Torquato, homine omni doctrina erudito, defensa est Epicuri sententia de voluptate, a meque ei responsum, cum C. Triarius, in primis gravis et doctus adulescens, ei disputationi interesset. 14. Nam cum ad me in Cumanum salutandi causa uterque venisset, pauca primo inter nos de litteris, quarum summum erat in utroque studium; deinde Torquatus, Quoniam nacti te, inquit, sumus aliquando otiosum, certe audiam, quid sit quod Epicurum nostrum non tu quidem oderis, ut fere faciunt qui ab eo dissentiunt, sed certe non probes, eum, quem ego arbitror unum vidisse verum maximisque erroribus animos hominum liberavisse et omnia tradidisse, quae pertinerent ad bene beateque vivendum: sed existimo te, sicut nostrum Triarium, minus ab eo delectari, quod ista Platonis, Aristoteli, Theophrasti orationis ornamenta neglexerit; nam illud quidem adduci vix possum ut ea, quae senserit ille, tibi non vera videantur.

---

1. *tum*] *cum* B — *qui sit* Orellius et Madvigius (in Addendis): *quis sit* A; *quid sit* B M O — 2. *consilia*] *consimilia* (per compendium) B — 3. *referendi* E — 5. *dignitatis esse* B — 6. *tribuat* A^1 — 8. *Maniumque* nos: *M. que* A; *M.* B; *M'.* M O — *hisque* A B O — 9. *dissenciat* B — 11. *omnem continent* A B: *continent omnem* O — *neglegentur* Aldus: *neglegumtur* codd. — *sint*] *sunt* A — 12. *licebat* E — 13. *hanc*] *hoc* A^1 — 14. *litteris*] *libris* multi scribendum putarunt, coll. v. 1 et Tusc. III, § 6. Sed cf. de Orat. I, § 192. de Divin. II, § 5. Brut. § 13. ad Famil. V, 19, 2. — 15. *modo* om. B — *nobis*] *a nobis* B — 16. *disciplinae* A^1 — 19. *epicuro* B — 20. *ab* om. A^1 — 22. *L.*] *M.* B — 24. *c. cotarius* B — 26. *inter nos primo* B — inter *litteris* et *quarum* A^2 inseruit *contulimus* — 27. *nacti te*] *hac tite* A^1 B; *hac die* A^2 — 28. *ociosum* A B ubique — *quod* om. A^1; *quid* B — 29. *nostrum istiter non* A, sed *istiter* linea a prima manu subducta significatur delendum. — *quidem*] *quid e* A^1; *quide* A^2 — *oderis*] *oculis* B (i. e. *oclis* transfixa litt. *l* pro *odis* transfixa litt. *d*) — 33. *quid isti* A^1 — *aristoteli* A^1: *Aristotelis* A^2 B O — 34. *orationis ornamenta* A B: *ornamenta orationis* O — *nam illud* A^1 B: *nam ad illud* A^2; *nam illuc* O.

15. Vide quantum, inquam, fallare, Torquate. Oratio me istius philosophi non offendit; nam et complectitur verbis quod vult et dicit plane quod intellegam: et tamen ego a philosopho, si afferat eloquentiam, non asperner, si non habeat, non admodum flagitem: re mihi non aeque satis facit, et quidem locis pluribus. Sed quot homines, tot sententiae; falli igitur possumus. Quam ob rem tandem, inquit, non satis facit? te enim iudicem aequum puto, modo quae dicat ille bene noris. 16. Nisi mihi Phaedrum, inquam, mentitum aut Zenonem putas, quorum utrumque audivi, cum mihi nihil sane praeter sedulitatem probarent, omnes mihi Epicuri sententiae satis notae sunt, atque eos, quos nominavi, cum Attico nostro frequenter audivi, cum miraretur ille quidem utrumque, Phaedrum autem etiam amaret, cotidieque inter nos ea, quae audiebamus, conferebamus, neque erat umquam controversia, quid ego intellegerem, sed quid probarem.

VI. 17. Quid igitur est, inquit? audire enim cupio, quid non probes. Principio, inquam, in physicis, quibus maxime gloriatur, primum totus est alienus. Democritea dicit, perpauca mutans, sed ita, ut ea, quae corrigere vult, mihi quidem depravare videatur. Ille atomos, quas appellat, id est corpora individua propter soliditatem, censet in infinito inani, in quo nihil nec summum nec infimum nec medium nec ultimum nec extremum sit, ita ferri, ut concursionibus inter se cohaerescant, ex quo efficiantur ea, quae sint quaeque cernantur, omnia, eumque motum atomorum nullo a principio, sed ex aeterno tempore intellegi convenire. 18. Epicurus autem, in quibus sequitur Democritum, non fere labitur: quamquam utriusque cum multa non probo, tum illud in primis, quod, cum in rerum natura duo quaerenda sint, unum, quae materia sit, ex qua quaeque res efficiatur, alterum, quae vis sit, quae quidque efficiat, de materia disseruerunt, vim et causam efficiendi reliquerunt. Sed hoc commune vitium: illae Epicuri propriae ruinae; censet enim eadem illa individua et solida corpora ferri deorsum suo pondere ad lineam, hunc naturalem esse omnium corporum motum. 19. Deinde ibidem homo acutus, cum illud occurreret, si omnia deorsum e regione ferrentur et, ut dixi, ad lineam, numquam fore ut atomus altera alteram posset attingere, † itaque attulit rem commenticiam: declinare dixit atomum perpaulum, quo nihil posset fieri minus; ita effici complexiones et copulationes et

---

1. *fallere* B — 3. *quam int.* A[1] — *ego* A B: om. O — 5. *satis fecit* A B — *plurimis* B — 6. *possimus* A — 8. *Phaedrum*] *al' phedrum pulchrum* B — 9. *praeter sed utilitatem* A B — 12. *phedrum pulchrum autem* B — *cotidieque* A: *cottidieque* B; *quotidieque* O — 17. *Democritea dicit* nos: *democrite adicit* A[1] B E; *democrito adicit* A[2]; *Democrito adiicit* O (*Democritia dicit* M). Cf. § 21: *Ita quae mutat, ea corrumpit, quae sequitur, sunt tota Democriti*; IV, § 13: *Equidem etiam Epicurum, in physicis quidem, Democriteum puto. Pauca mutat* cet. — 18. *athomos* A B; *ἀτόμους* O — 20. *inani*] *inatu* B; *innatu* E — 21. *extremum* A B: *citimum* O — *ita ferri ut* om. A[1] — *fieri* B — 23. *ex aeterno*] *extremo* B — 25. *cum*] *tum* B — *proba* B — 26. *ex qua* B: *ex quo* A E — 27. *efficitur* B — *quidque* A: *quodque* B O — 28. *deseruerunt* A[1] B — 29. *uicium* A — 30. *deorsum suo* A B: *suo deorsum* O — *ad lineam*] *adlimam* A[1], in quo latere videtur *ad liniam*. Cf. Halm ad Vol. II, p. 1332, 12. — *hunc*] *habet* (ex compendio *ht* pro *hc*) B — 32. *deorsus* h. l. A — 33. *fore numquam ut* B — *athomos* A B; fort. *ἄτομος* — 34. *itaque* iure suspectum Manutio, Ursino, Ernestio. — *rem conueniencíam* B — *athomos* A; sed cf. p. 81, 4. · 35. *posset fieri posset minus* (altero *posset* ab ead. m. deleto) A.

adhaesiones atomorum inter se, ex quo efficeretur mundus omnesque partes mundi quaeque in eo essent. Quae cum res tota ficta sit pueriliter, tum ne efficit quidem quod vult. Nam et ipsa declinatio ad libidinem fingitur — ait enim declinare atomum sine causa, quo nihil turpius physico quam fieri quicquam sine causa dicere —, et illum motum naturalem omnium ponderum, ut ipse constituit, e regione inferiorem locum petentium, sine causa eripuit atomis; nec tamen id, cuius causa haec finxerat, assecutus est. 20. Nam si omnes atomi declinabunt, nullae umquam cohaerescent, sive aliae declinabunt, aliae suo nutu recte ferentur, primum erit hoc quasi provincias atomis dare, quae recte, quae oblique ferantur: deinde eadem illa atomorum — in quo etiam Democritus haeret — turbulenta concursio hunc mundi ornatum efficere non poterit. Ne illud quidem physici, credere aliquid esse minimum; quod profecto numquam putavisset, si a Polyaeno, familiari suo, geometrica discere maluisset quam illum etiam ipsum dedocere. Sol Democrito magnus videtur, quippe homini erudito in geometriaque perfecto: huic pedalis fortasse; tantum enim esse censet, quantus videtur, vel paulo aut maiorem aut minorem. 21. Ita, quae mutat, ea corrumpit, quae sequitur, sunt tota Democriti. Atomi, inane, imagines, quae εἴδωλα nominant, quorum incursione non solum videamus, sed etiam cogitemus, infinitio ipsa, quam ἀπειρίαν vocant, tota ab illo est; tum innumerabiles mundi, qui et oriantur et intereant cotidie. Quae etsi mihi nullo modo probantur, tamen Democritum, laudatum a ceteris, ab hoc, qui eum unum secutus esset, nollem vituperatum.

VII. 22. Iam in altera philosophiae parte, quae est quaerendi ac disserendi, quae λογικὴ dicitur, iste vester plane, ut mihi quidem videtur, inermis ac nudus est. Tollit definitiones; nihil de dividendo ac partiendo docet; non, quo modo efficiatur concludaturque ratio, tradit; non, qua via captiosa solvantur, ambigua distinguantur, ostendit: iudicia rerum in sensibus ponit, quibus si semel aliquid falsi pro vero probatum sit, sublatum esse omne iudicium veri et falsi putat. 23. Confirmat autem illud vel maxime, quod ipsa natura, ut ait ille, sciscat et probet, id est, voluptatem et dolorem: ad haec et quae sequamur et quae fugiamus refert omnia. Quod quamquam Aristippi est a Cyrenaicisque melius liberiusque defenditur, tamen eius modi esse iudico, ut nihil

---

1. *adhaesiones* B: *adhaesitationes* A O — 2. *tota res* B — *sit* om. B; *est* Heindorf — 3. *tum*] *cum* B — *quidem* om. A B — *et* om. B — 4. *fungitur* B — 5. *quicquam sine c.* A B: *sine c. quidquam* O — *illud* B — 6. *e*] *a* B — 8. *si -- sive*] *sive -- sive* G; *si -- sin* Davisius; cf. Kempf ad Val. Max. p. 201.— 9. *numquam* B — *nutu*] *motu* B — 10. *hoc*] *hic* B — 12. *eff. ornatum* B — 13. *esse* om. B — 14. *geometrica* I. F. Gronovius: *geometricam* A B; *geometriam* O — 15. *illum* A: *illud* B (cf. var. lect. v. 5); *illam* O — 17. *pedalis* A B: *bipedalis* O — *esse* om. B — 18. *Itaque mutat ea corrumpit* A; *Itaque corrumpit mutat ea* B (in A *ea* superscriptum est) — 19. *idola* A, *ydola* B — 20. *quarum* (sic) *incursionem -- quam apirian vocant* affert Nonius Marcellus p. 129, 31. — *incursionem* B et Nonius — 21. *infinitio*] *inuitricio* B — *apirian* A B — *uocantur* E — 22. *qui*] *quae* B — *nullo*] *in illo* B — 23. *eum* om. B — 24. *uituperare* A[1] — 25. *altera in* B — 26. *logice* A B — *quidem* om. B — 27. *nudus*] *mundus* E — 31. *putat.* **** *Confirmat* M O. Nihil excidisse demonstravit Graserus in Programmate Gymnasii Gubensis a. 1847. p. 1 sqq., qui totum hunc locum egregie interpretatus est. — 32. *vel*] *et* B — *sciscat et probet* A B: *adsciscat et reprobet* O — 33. *id est*] *idē* A; *idem* B — *et* ante *dolorem* om. B.

homine videatur indignius. Ad maiora enim quaedam nos natura genuit et conformavit, ut mihi quidem videtur. Ac fieri potest ut errem, sed ita prorsus existimo, neque eum Torquatum, qui hoc primus cognomen invenit, aut torquem illum hosti detraxisse, ut aliquam ex eo perciperet corpore voluptatem, aut cum Latinis tertio consulatu conflixisse apud Veserim propter voluptatem. Quod vero securi percussit filium, privavisse se etiam videtur multis voluptatibus, cum ipsi naturae patrioque amori praetulerit ius maiestatis atque imperii. 24. Quid? Torquatus is, qui consul cum Cn. Octavio fuit, cum illam severitatem in eo filio adhibuit, quem in adoptionem D. Silano emancipaverat, ut eum, Macedonum legatis accusantibus, quod pecunias praetorem in provincia cepisse arguerent, causam apud se dicere iuberet reque ex utraque parte audita pronuntiaret, eum non talem videri fuisse in imperio, quales eius maiores fuissent, et in conspectum suum venire vetuit, num quid tibi videtur de voluptatibus suis cogitavisse? Sed ut omittam pericula, labores, dolorem etiam, quem optimus quisque pro patria et pro suis suscipit, ut non modo nullam captet, sed etiam praetereat omnes voluptates, dolores denique quosvis suscipere malit quam deserere ullam officii partem, ad ea, quae hoc non minus declarant, sed videntur leviora, veniamus. 25. Quid tibi, Torquate, quid huic Triario litterae, quid historiae cognitioque rerum, quid poetarum evolutio, quid tanta tot versuum memoria voluptatis affert? Nec mihi illud dixeris: Haec enim ipsa mihi sunt voluptati et erant illa Torquatis. Numquam hoc ita defendit Epicurus neque Metrodorus aut quisquam eorum, qui aut saperet aliquid aut ista didicisset. Et quod quaeritur saepe, cur tam multi sint Epicurei, sunt aliae quoque causae, sed multitudinem haec maxime allicit, quod ita putant dici ab illo, recta et honesta quae sint, ea facere ipsa per se laetitiam, id est voluptatem. Homines optimi non intellegunt totam rationem everti, si ita res se habeat. Nam si concederetur, etiam si ad corpus nihil referatur, ista sua sponte et per se esse iucunda, per se esset et virtus et cognitio rerum, quod minime ille vult, expetenda. 26. Haec igitur Epicuri non probo, inquam. De cetero vellem equidem aut ipse doctrinis fuisset instructior — est enim, quod tibi ita videri necesse est, non satis politus iis artibus, quas qui tenent eruditi appellantur —, aut ne deterruisset alios a studiis: quamquam te quidem video minime esse deterritum.

VIII. Quae cum dixissem, magis ut illum provocarem quam ut ipse loquerer, tum Triarius leniter arridens, Tu quidem, inquit, totum Epi-

---

1. *natura* om. B — 3. *neque eum*] *ne enim enim* B — *primis* B — *cognicionem* B — 4. *inuenit* BG: *invenerit* AO — 5. *corpdre voluptatem* AB: *corporis·voluptatem* G; *voluptatem corpore* O — 6. *percussit* G et Madvigius: *percusserit* ABO — *priuauisse* A: *privasse* BM — 7. *etiam*] *et* B — *patriaque amore* B — 8. *Torquatus* nos: *l. torquatus* codd. (ex § 43); *T. Torquatus* cum fastis MO. Cf. v. 3. — 9. *Cn.*] *G. N.* A — 10. *adepcionem* B — *sillano* AB — 13. *pronunciare* B — 14. *tibi videtur* AB: *videtur tibi* MO — 16. *dolores* B — *suscepit* B — 19. *ueniamus* corr. ex *uideamus* A — 23. *torquati* AB — 24. *Metrodorus* G et Manutius: *uero tu* ABMO. Cf. II, § 92. — 25. *epicuri* B — 26. *haec* AB: *hoc* O — 28. *laetitiam*] *licenciam* B — 29. *res se* AB: *se res* O — *Non si* B — 30. *esset iocunda* A — 31. *et* ante *cogn.* om. B — 32. *quidem* B — 33. *tibi ita* AB: *ita tibi* MO — 35. *non deterruisse* B — 38. *leuiter* ABE — *Tum quid totum inquid* B.

eorum paene e philosophorum choro sustulisti. Quid ei reliquisti nisi te, quoquo modo loqueretur, intellegere, quid diceret? Aliena dixit in physicis, nec ea ipsa, quae tibi probarentur; si qua in iis corrigere voluit, deteriora fecit; disserendi artem nullam habuit; voluptatem cum summum bonum diceret, primum in eo ipso parum vidit, deinde hoc quoque alienum, nam ante Aristippus et ille melius; addidisti ad extremum etiam indoctum fuisse. 27. Fieri, inquam, Triari, nullo pacto potest ut non dicas, quid non probes eius, a quo dissentias. Quid enim me prohiberet Epicureum esse, si probarem, quae ille diceret? cum praesertim illa perdiscere ludus esset. Quam ob rem dissentientium inter se reprehensiones non sunt vituperandae: maledicta, contumeliae, tum iracundiae, contentiones concertationesque in disputando pertinaces indignae philosophia mihi videri solent. 28. Tum Torquatus, Prorsus, inquit, assentior; neque enim disputari sine reprehensione, nec cum iracundia aut pertinacia recte disputari potest. Sed ad haec, nisi molestum est, habeo quae velim. An me, inquam, nisi te audire vellem, censes haec dicturum fuisse? Utrum igitur, inquit, percurri omnem Epicuri disciplinam placet, an de una voluptate quaeri, de qua omne certamen est? Tuo vero id quidem, inquam, arbitratu. Sic faciam igitur, inquit: unam rem explicabo eamque maximam, de physicis alias, et quidem tibi et declinationem istam atomorum et magnitudinem solis probabo et Democriti errata ab Epicuro reprehensa et correcta permulta. Nunc dicam de voluptate, nihil scilicet novi, ea tamen, quae te ipsum probaturum esse confidam. Certe, inquam, pertinax non ero tibique, si mihi probabis ea, quae dices, libenter assentiar. 29. Probabo, inquit, modo ista sis aequitate, quam ostendis; sed uti oratione perpetua malo quam interrogare aut interrogari. Ut placet, inquam. Tum dicere exorsus est.

IX. Primum igitur, inquit, sic agam, ut ipsi auctori huius disciplinae placet: constituam, quid et quale sit id, de quo quaerimus, non quo ignorare vos arbitrer, sed ut ratione et via procedat oratio. Quaerimus igitur, quid sit extremum et ultimum bonorum, quod omnium philosophorum sententia tale debet esse, ut ad id omnia referri oporteat, ipsum autem nusquam. Hoc Epicurus in voluptate ponit, quod summum bonum esse vult, summumque malum dolorem; idque instituit docere sic: 30. omne animal, simul atque natum sit, voluptatem appetere eaque gaudere ut summo bono, dolorem aspernari ut summum malum et, quantum possit, a se repellere, idque facere nondum depravatum, ipsa natura incorrupte atque integre iudicante. Itaque negat opus esse ra-

---

1. *ei*] *enim* G et Manutius — 2. *quoquo* A² B C: *quoque* A¹; *quoque ut* D; *quoque ut id* G; *quocunque* Zumptius — 3. *ipsa ea* A — *qua* AB: *quae* O — *iis*] *his* ABO — 4. *deteriora -- voluptatem* om. B — 6. *quoque*] *quod* B — *addidisti*] *disti* E — 7. *triario* B — 8. *quid*] *quod* B — *eius* om. B — 9. *epicurum* B — *si*] *et* B — 10. *esset* om. B — *reprehensiones dissentientium inter se* B — 11. *tum*] *cum* E — 16. *An* G et Davisius: *at* AB — 17. *igitur*] *ergo* B; om. E — *inquit* A² (supra versum) G: *qui* B; om. A¹ — 19. *quidem*] *quid* B — 20. *et quidem*] *equidem* B — 25. *assencior* B — *modo inquit* E — 26. *racione* B — 27. *tum* AB: *Tunc* O — 29. *inquit, sicut ipsi -- placet, constituam* G — 32. *et* AB: *quid* O — *quod*] *qui* B — 33. *ut* om. B — 35. *idque instituit docere* om. B — 36. *sic; omne*] *Sic omne* AB — *voluptate* B — *eaque*] *que* (om. *ea*) BE.

tione neque disputatione, quam ob rem voluptas expetenda, fugiendus dolor sit. Sentiri haec putat, ut calere ignem, nivem esse albam, mel dulce, quorum nihil oportere exquisitis rationibus confirmare, tantum esse satis admonere; interesse enim inter argumentum conclusionemque rationis et inter mediocrem animadversionem atque admonitionem; altera occulta quaedam et quasi involuta aperiri, altera prompta et aperta iudicari. Etenim quoniam detractis de homine sensibus reliqui nihil est, necesse est, quid aut ad naturam aut contra sit, a natura ipsa iudicari. Ea quid percipit aut quid iudicat, quo aut petat aut fugiat aliquid, praeter voluptatem et dolorem? 31. Sunt autem quidam e nostris, qui haec subtilius velint tradere et negent satis esse, quid bonum sit aut quid malum, sensu iudicari, sed animo etiam ac ratione intellegi posse, et voluptatem ipsam per se esse expetendam et dolorem ipsum per se esse fugiendum. Itaque aiunt hanc quasi naturalem atque insitam in animis nostris inesse notionem, ut alterum esse appetendum, alterum aspernandum sentiamus. Alii autem, quibus ego assentior, cum a philosophis compluribus permulta dicantur, cur nec voluptas in bonis sit numeranda nec in malis dolor, non existimant oportere nimium nos causae confidere, sed et argumentandum et accurate disserendum et rationibus conquisitis de voluptate et dolore disputandum putant.

X. 32. Sed ut perspiciatis, unde omnis iste natus error sit voluptatem accusantium doloremque laudantium, totam rem aperiam eaque ipsa, quae ab illo inventore veritatis et quasi architecto beatae vitae dicta sunt, explicabo. Nemo enim ipsam voluptatem, quia voluptas sit, aspernatur aut odit aut fugit, sed quia consecuntur magni dolores eos, qui ratione voluptatem sequi nesciunt; neque porro quisquam est qui dolorem ipsum, quia dolor sit, amet, consectetur, adipisci velit, sed quia non numquam eius modi tempora incidunt, ut labore et dolore magnam aliquam quaerat voluptatem. Ut enim ad minima veniam, quis nostrum exercitationem ullam corporis suscipit laboriosam, nisi ut aliquid ex ea commodi consequatur? quis autem vel eum iure reprehenderit, qui in ea voluptate velit esse, quam nihil molestiae consequatur, vel illum, qui dolorem eum fugiat, quo voluptas nulla pariatur? 33. At vero eos et accusamus et iusto odio dignissimos ducimus, qui blanditiis praesentium voluptatum deleniti atque corrupti, quos dolores et quas molestias excepturi sint, obcaecati cupiditate non provident, similique sunt in culpa, qui officia deserunt mollitia animi, id est laborum et dolorum fuga. Et harum quidem rerum facilis est et expedita distinctio; nam libero tempore, cum soluta nobis est eligendi optio, cumque nihil impedit, quo minus id, quod maxime placeat, facere possimus, omnis

---

2. *haec* A: *hoc* BMO — *mel dulce* A: *dulce mel* BMO — 3. *oportere* Aldus nepos: *oporteret* codd. — *tantum* om. B — *esse satis* A: *satis esse* BMO — 4. *inter* om. B — *argumentumque* B; *augmentatum* A — 5. *ammonicionem* BE — 6. *iudicari* AB: *indicari* O — 7. *quoniam*] *quo* B — 8. *quid ad naturam* (om. *aut*) B; *quid aptum ad naturam* Graserus — 9. *Ea quid* AC: *Ei quid* B; *Ecquid* O — *aut quid* AB: *ecquid* O — 13. *ipsum per se ipsum esse* B — 15. *inesse*] *esse* B — 17. *quam pluribus* B — *dicant* B — *nec* om. E — 18. *nec in*] *ac in* B — 19. *sed* om. B — 21. *error sit* A: *si error* B; *sit error* EMO — 28. *dolore et labore* B — 30. *suscepit* BE — 32. *quia mea* E — 33. *quo*] *quid* A[1] — 34. *blanditiis*] *perblanditus* BE — 35. *deliniti* BE — 40. *placeat maxime* B — *possumus* B.

voluptas assumenda est, omnis dolor depellendus. Temporibus autem quibusdam et aut officiis debitis aut rerum necessitatibus saepe eveniet, ut et voluptates repudiandae sint et molestiae non recusandae. Itaque earum rerum hic tenetur a sapiente delectus, ut aut reiciendis voluptatibus maiores alias consequatur aut perferendis doloribus asperiores repellat. 34. Hanc ego cum teneam sententiam, quid est cur verear ne ad eam non possim accommodare Torquatos nostros? quos tu paulo ante cum memoriter, tum etiam erga nos amice et benevole collegisti; nec me tamen laudandis maioribus meis corrupisti nec segniorem ad respondendum reddidisti. Quorum facta quem ad modum, quaeso, interpretaris? Sicine eos censes aut in armatum hostem impetum fecisse aut in liberos atque in sanguinem suum tam crudelis fuisse, nihil ut de utilitatibus, nihil ut de commodis suis cogitarent? At id ne ferae quidem faciunt, ut ita ruant itaque turbent, ut, earum motus et impetus quo pertineant, non intellegamus: tu tam egregios viros censes tantas res gessisse sine causa? 35. Quae fuerit causa, mox videro; interea hoc tenebo, si ob aliquam causam ista, quae sine dubio praeclara sunt, fecerint, virtutem iis per se ipsam causam non fuisse. Torquem detraxit hosti: et quidem se texit, ne interiret. At magnum periculum adiit: in oculis quidem exercitus. Quid ex eo est consecutus? laudem et caritatem, quae sunt vitae sine metu degendae praesidia firmissima. Filium morte multavit: si sine causa, nollem me ab eo ortum, tam importuno tamque crudeli; sin, ut dolore suo sanciret militaris imperii disciplinam exercitumque in gravissimo bello animadversionis metu contineret, saluti prospexit civium, qua intellegebat contineri suam. 36. Atque haec ratio late patet. In quo enim maxime consuevit iactare vestra se oratio, tua praesertim, qui studiose antiqua persequeris, claris et fortibus viris commemorandis eorumque factis non emolumento aliquo, sed ipsius honestatis decore laudandis, id totum evertitur eo delectu rerum, quem modo dixi, constituto, ut aut voluptates omittantur maiorum voluptatum adipiscendarum causa aut dolores suscipiantur maiorum dolorum effugiendorum gratia.

XI. 37. Sed de clarorum hominum factis illustribus et gloriosis satis hoc loco dictum est; erit enim iam de omnium virtutum cursu ad voluptatem proprius disserendi locus. Nunc autem explicabo, voluptas ipsa quae qualisque sit, ut tollatur error omnis imperitorum, intellegaturque ea, quae voluptaria, delicata, mollis habeatur disciplina, quam gravis, quam continens, quam severa sit. Non enim hanc solam sequimur, quae suavitate aliqua naturam ipsam movet et cum iucunditate quadam percipitur sensibus, sed maximam voluptatem illam habemus, quae per-

---

1. *depellendus* A: *rep.* B M O — 3. *ut et*] *ut ei* B — 5. *maioris* - - *asperioris* A B — 7. *ad eam*] *eadem* E — 8. *etiam*] *et* B — *beniuole* A B — 9. *me* om. A^1 — *tamen*] *cum* B E — *corripuisti* A B C D. Cf. II, § 72. — 11. *sicine* A B: *Siccine* O — 12. *utilitatibus* A B C: *voluplatibus* O — 13. *Ad* (superscr. *at*) A — 14. *itaque* A B: *atque* O — 16. *ob aliquam*] *obliquam* A^1 — 17. *sint* E — 18. *iis*] *is* A^1; *si* B; *his* A^2 O — *per se ipsam* A B: *ipsam per se* O — 19. *se*] *te* B — *interirent* E — *At*] *ad* A B E — 23. *sanciret*] *sentiret* E — 24. *metum* E — 26. *nostra* B (per compendium) — 29. *deflectu* A; *defluxu* B; *deflexu* C — 30. *adipiscarum causa aut* || *lores* A^1 — 31. *effugandorum* B — 33. *est* cod. Spirensis: *sit* A B O — 35. *omnis*] *omnium* B — 36. *disciplinata* A B — 37. *sit* om. A^1 — 39. *uoluptatem illam* A B: *illam voluptatem* M O.

cipitur omni dolore detracto. Nam quoniam, cum privamur dolore, ipsa liberatione et vacuitate omnis molestiae gaudemus, omne autem id, quo gaudemus, voluptas est, ut omne, quo offendimur, dolor, doloris omnis privatio recte nominata est voluptas. Ut enim, cum cibo et potione fames sitisque depulsa est, ipsa detractio molestiae consecutionem affert voluptatis, sic in omni re doloris amotio successionem efficit voluptatis. 38. Itaque non placuit Epicuro medium esse quiddam inter dolorem et voluptatem: illud enim ipsum, quod quibusdam medium videretur, cum omni dolore careret, non modo voluptatem esse, verum etiam summam voluptatem. Quisquis enim sentit, quem ad modum sit affectus, eum necesse est aut in voluptate esse aut in dolore. Omnis autem privatione doloris putat Epicurus terminari summam voluptatem, ut postea variari voluptas distinguique possit, augeri amplificarique non possit. 39. At etiam Athenis, ut a patre audiebam, facete et urbane Stoicos irridente, statua est in Ceramico Chrysippi sedentis porrecta manu, quae manus significet illum in hac esse rogatiuncula delectatum: Num quidnam manus tua sic affecta, quem ad modum affecta nunc est, desiderat? Nihil sane. At, si voluptas esset bonum, desideraret? Ita credo. Non est igitur voluptas bonum. Hoc ne statuam quidem dicturam pater aiebat, si loqui posset; conclusum est enim contra Cyrenaicos satis acute, nihil ad Epicurum. Nam si ea sola voluptas esset, quae quasi titillaret sensus, ut ita dicam, et ad eos cum suavitate afflueret et illaberetur, nec manus esse contenta posset nec ulla pars vacuitate doloris sine iucundo motu voluptatis: sin autem summa voluptas est, ut Epicuro placet, nihil dolere, primum tibi recte, Chrysippe, concessum est, nihil desiderare manum, cum ita esset affecta, secundum non recte, si voluptas esset bonum, fuisse desideraturam; idcirco enim non desideraret, quia, quod dolore caret, id in voluptate est.

XII. 40. Extremum autem esse bonorum voluptatem ex hoc facillime perspici potest. Constituamus aliquem magnis, multis, perpetuis fruentem et animo et corpore voluptatibus, nullo dolore nec impediente nec impendente, quem tandem hoc statu praestabiliorem aut magis expetendum possimus dicere? Inesse enim necesse est in eo, qui ita sit affectus, et firmitatem animi nec mortem nec dolorem timentis, quod mors sensu careat, dolor in longinquitate levis, in gravitate brevis soleat esse, ut eius magnitudinem celeritas, diuturnitatem allevatio consoletur. 41. Ad ea cum accedit, ut neque divinum numen horreat nec praeteritas voluptates effluere patiatur earumque assidua recordatione laetetur, quid est quod huc possit, quod melius sit, accedere? Statue contra aliquem confectum tantis animi corporisque doloribus, quanti in hominem ma-

---

1. *quoniam* om. B — *dolore*] *omni dolore* B — 2. *autem* om. B — 3. *est*] *esset* B — 6. *sic in omni -- voluptatis* om. B (habet E) — 7. *quiddam* A: *quoddam* B O — 8. *videretur* Rathius: *videtur* codd. et O — 9. *cum omni d. careret*] *omni d. careret* (om. *cum*) D; *omni d. carere* Morelio auctore O — 10. *effectus* B E — 11. *omnis* Morelius: *omni* codd. — 14. *a* A: *e* B E O — 15. *irridente* Manutius: *arridente* A B; *ridente* M O — 19. *desideraret -- bonum* om. E — *credo ita* B — 20. *quidem*] *quam* B — 24. *nec ulla par* A; *ut ulla pars* B C; *ulla* O — *siue iocundo* B — 26. *effecta* E — 27. *si non recte* E — 31. *nec* om. E — 33. *possimus* A: *possumus* B M O — *quia ita* B — 35. *lenis* A — 36. *ut*] *et* B — *eleuacio* B — 37. *nomen* B E — 39. *accidere* B — 40. *tanti animi* B E — *maxime* B.

ximi cadere possunt, nulla spe proposita fore levius aliquando, nulla praeterea neque praesenti nec exspectata voluptate, quid eo miserius dici aut fingi potest? Quod si vita doloribus referta maxime fugienda est, summum profecto malum est vivere cum dolore; cui sententiae consentaneum est, ultimum esse bonorum cum voluptate vivere. Nec enim habet nostra mens quicquam, ubi consistat tamquam in extremo, omnesque et metus et aegritudines ad dolorem referuntur, nec praeterea est res ulla, quae sua natura aut sollicitare possit aut angere. 42. Praeterea et appetendi et refugiendi et omnino rerum gerendarum initia proficiscuntur aut a voluptate aut a dolore: quod cum ita sit, perspicuum est omnis rectas res atque laudabilis eo referri, ut cum voluptate vivatur. Quoniam autem id est vel summum vel ultimum vel extremum bonorum — quod Graeci τέλος nominant —, quod ipsum nullam ad aliam rem, ad id autem res referuntur omnes, fatendum est summum esse bonum iucunde vivere.

XIII. Id qui in una virtute ponunt et splendore nominis capti, quid natura postulet, non intellegunt, errore maximo, si Epicurum audire voluerint, liberabuntur. Istae enim vestrae eximiae pulchraeque virtutes nisi voluptatem efficerent, quis eas aut laudabilis aut expetendas arbitraretur? Ut enim medicorum scientiam non ipsius artis, sed bonae valetudinis causa probamus, et gubernatoris ars, quia bene navigandi rationem habet, utilitate, non arte laudatur, sic sapientia, quae ars vivendi putanda est, non expeteretur, si nihil efficeret; nunc expetitur, quod est tamquam artifex conquirendae et comparandae voluptatis. 43. Quam autem ego dicam voluptatem, iam videtis, ne invidia verbi labefactetur oratio mea. Nam cum ignoratione rerum bonarum et malarum maxime hominum vita vexetur, ob eumque errorem et voluptatibus maximis saepe priventur et durissimis animi doloribus torqueantur, sapientia est adhibenda, quae et terroribus cupiditatibusque detractis et omnium falsarum opinionum temeritate derepta certissimam se nobis ducem praebeat ad voluptatem. Sapientia enim est una, quae maestitiam pellat ex animis, quae nos exhorrescere metu non sinat; qua praeceptrice in tranquillitate vivi potest omnium cupiditatum ardore restincto. Cupiditates enim sunt insatiabiles, quae non modo singulos homines, sed universas familias evertunt, totam etiam labefactant saepe rem publicam. 44. Ex cupiditatibus odia, discidia, discordiae, seditiones, bella nascuntur, nec eae se foris solum iactant, nec tantum in alios caeco impetu incurrunt, sed intus etiam in animis inclusae inter se dissident atque discordant, ex quo vitam amarissimam necesse est effici, ut sapiens solum amputata circumcisaque inanitate omni et errore, naturae finibus

---

1. *aliquanto* A B E — 2. *nec* A B E : *neque* M O — 3. *Quid si* B — 8. *aut angere* Victorius: *aut tangere* A B — 10. *aut dolore* B — 12. *vel ultimum vel extremum bonorum* A B: *bonorum vel ultimum vel extremum* O (*bonorum* om. D) — 13. *telos* A B — 14. *feruntur* A; *ferentur* B E — *esse*] *est* B — 18. *uoluerunt* E — 19. *uoluptates* B E et M in praef. p. XLIII. — *arbitretur* A¹ — 22. *quae est ars v. p. est* B — 25. *ego* A B: om. O — 28. *durissimis* cod. Leidensis: *purissimis* A B; *gravissimis* O — 29. *est adhibenda* A: *adhibenda est* B M — *et erroribus* B E — 31. *enim est* A: *est* (om. *enim*) B; *est enim* M O — 34. *insaciabiles sunt* B — 35. *etiam*] *et* B E — 36. *discidia* A B: *dissidia* O — 37. *eae se* A: *eas se* B; *hae sese* O — 39. *necesse* om. B E — *est*] *esse* E.

contentus, sine aegritudine possit et sine metu vivere. 45. Quae est enim aut utilior aut ad bene vivendum aptior partitio quam illa, qua est usus Epicurus? qui unum genus posuit earum cupiditatum, quae essent et naturales et necessariae, alterum, quae naturales essent nec tamen necessariae, tertium, quae nec naturales nec necessariae: quarum ea ratio est, ut necessariae nec opera multa nec impensa expleantur; ne naturales quidem multa desiderant, propterea quod ipsa natura divitias, quibus contenta sit, et parabiles et terminatas habet; inanium autem cupiditatum nec modus ullus nec finis inveniri potest.

XIV. 46. Quod si vitam omnem perturbari videmus errore et inscientia, sapientiamque esse solam, quae nos a libidinum impetu et a formidinum terrore vindicet et ipsius fortunae modice ferre doceat iniurias et omnis monstret vias, quae ad quietem et tranquillitatem ferant, quid est cur dubitemus dicere, et sapientiam propter voluptates expetendam et insipientiam propter molestias esse fugiendam? 47. Eademque ratione ne temperantiam quidem propter se expetendam esse dicemus, sed quia pacem animis afferat et eos quasi concordia quadam placet ac leniat. Temperantia est enim, quae in rebus aut expetendis aut fugiendis ut rationem sequamur monet. Nec enim satis est iudicare, quid faciendum non faciendumve sit, sed stare etiam oportet in eo, quod sit iudicatum. Plerique autem, quod tenere atque servare id, quod ipsi statuerunt, non possunt, victi et debilitati obiecta specie voluptatis tradunt se libidinibus constringendos nec, quid eventurum sit, provident, ob eamque causam propter voluptatem et parvam et non necessariam et quae vel aliter pararetur et qua etiam carere possent sine dolore tum in morbos gravis, tum in damna, tum in dedecora incurrunt, saepe etiam legum iudiciorumque poenis obligantur. 48. Qui autem ita frui volunt voluptatibus, ut nulli propter eas consequantur dolores, et qui suum iudicium retinent, ne voluptate victi faciant id, quod sentiant non esse faciendum, ii voluptatem maximam adipiscuntur praetermittenda voluptate. Idem etiam dolorem saepe perpetiuntur, ne, si id non faciant, incidant in maiorem: ex quo intellegitur nec intemperantiam propter se esse fugiendam temperantiamque expetendam, non quia voluptates fugiat, sed quia maiores consequatur.

XV. 49. Eadem fortitudinis ratio reperietur. Nam neque laborum perfunctio neque perpessio dolorum per se ipsa allicit, nec patientia nec assiduitas nec vigiliae nec ipsa, quae laudatur, industria, ne fortitudo quidem, sed ista sequimur, ut sine cura metuque vivamus animumque et corpus, quantum efficere possimus, molestia liberemus. Ut enim mortis

---

2. *que e usu* A[1] — 3. *posuit*] *possit* E — 4. *et* ante *nat.* om. B — *non tamen* B — 10. *Quid si* A[1] — 14. *uoluptates* A B: *voluptatem* M (cf. tamen praef. p. XLIII) O — 17. *affert* B — 19. *ut rationem* A B: *aut rationem* E; *rationem ut* O — *admonet* B — 20. *sed*] *et* B — fort. *q. est iud.* — 21. *ipsi* A B: om. O — 22. *specie*] *spe͠* B E, quod compendium *specie* significat, non *spem* — 23. *se*] *si* A[1] — 24. *non* om. A[1] — 25. *vel* etiam E (non *ut*) — 28. *nullos* B — *consequantur dolores* A: *consequantur* (om. *dolores*) B; *dolores consequantur* M O — 29. *sentiant* A B: *sentiunt* M O — 30. *ii* A[1]: *in* B E; *hi* A[2] O — 31. *idem* A B: *iidem* M O — *non* om. A[1] — 33. *esse fugiendam* A B: *fugiendam esse* O — 37. *assiduitas* B E: *assiduitates* A — *nec ipsa* B: *ea ipsa* A; *nec ea ipsa* O — 38. *quidem*] *quam* B — *sed*] *et* B E — 39. *possumus* B.

metu omnis quietae vitae status perturbatur et ut succumbere doloribus eosque humili animo imbecilloque ferre miserum est, ob eamque debilitatem animi multi parentes, multi amicos, non nulli patriam, plerique autem se ipsos penitus perdiderunt, sic robustus animus et excelsus omni est liber cura et angore, cum et mortem contemnit, qua qui affecti sunt, in eadem causa sunt qua ante quam nati, et ad dolores ita paratus est, ut meminerit maximos morte finiri, parvos multa habere intervalla requietis, mediocrium nos esse dominos, ut, si tolerabiles sint, feramus, si minus, animo aequo e vita, cum ea non placeat, tamquam e theatro exeamus: quibus rebus intellegitur nec timiditatem ignaviamque vituperari nec fortitudinem patientiamque laudari suo nomine, sed illas reici, quia dolorem pariant, has optari, quia voluptatem.

XVI. 50. Iustitia restat, ut de omni virtute sit dictum; sed similia fere dici possunt. Ut enim sapientiam, temperantiam, fortitudinem copulatas esse docui cum voluptate, ut ab ea nullo modo nec divelli nec distrahi possint, sic de iustitia iudicandum est, quae non modo numquam nocet cuiquam, sed contra semper aliquid * * cum sua vi atque natura, quod tranquillet animos, tum spe, nihil earum rerum defuturum, quas natura non depravata desideret. *Et* quem ad modum temeritas et libido et ignavia semper animum excruciant et semper sollicitant turbulentaeque sunt, sic *improbitas si* cuius in mente consedit, hoc ipso, quod adest, turbulenta est; si vero molita quippiam est, quamvis occulte fecerit, numquam tamen id confidet fore semper occultum. Plerumque improborum facta primo suspicio insequitur, dein sermo atque fama, tum accusator, tum index; multi etiam, ut te consule, ipsi se indicaverunt. 51. Quod si qui satis sibi contra hominum conscientiam saepti esse et muniti videntur, deorum tamen horrent easque ipsas sollicitudines, quibus eorum animi noctesque diesque exeduntur, a dis immortalibus supplicii causa importari putant. Quae autem tanta ex improbis factis ad minuendas vitae molestias accessio potest fieri, quanta ad augendas, cum conscientia factorum, tum poena legum odioque civium? Et tamen in quibusdam neque pecuniae modus est neque honoris neque imperii nec libidinum nec epularum nec reliquarum cupiditatum, quas nulla praeda umquam improbe parta minuit, *sed* potius inflammat, ut coercendi magis quam dedocendi esse videantur. 52. Invitat igitur vera ratio bene sanos ad iustitiam, aequitatem, fidem. Neque homini infanti aut impotenti

---

1. *et* om. A — 5. [*quum*] O — *qui*] *quia* A^1BE — 8. *medicorum* B — 9. *feramus* om. A^1 — *si minus* A B E: *sin minus* M O — *animo aequo* A B: *aequo animo* M O — 12. *illos* B; om. E — *hos* B — 13. *sit*] *sic* A^1 — 14. *fere*] *uere* B — 16. *sic*] *sed* B (non E)— 17. *aliquid* A B: *allicit* O. Lacunae signum primus addidit Madvigius.— *sua vi* A: *in sua* B E; *vi sua* M O — 19. *Et* Lambinus: om. codd.— 21. *improbitas si* Madvigius: *iniustitia* cum Ursino O; om. codd.— 22. *turb. est: si* Gruterus: *turb. et si* A B C; *turb. non potest fieri et si* codd. plerique — *mollita* B E — 24. *dein* A B: *deinde* M O — 25. *accusator*] *accusatorum* B — *index* A: *iudex* B M O — *indicauerunt* A^2: *indicauerat* A^1; *iudicauerunt* B E — 26. *si qui*] *sequi* B — *satis* om. B — *satis hominum sibi contra conscientiam saepti* (om. *et muniti*) *esse* D — 27. *et* om. E — 28. *noctesque diesque* A E: *diesque noctesque* B; *noctes atque dies* cum Manutio O — *a dis*] *ad his* A^1; *a dys* B; *a diis* A^2 O — 30. *potest fieri* A B: *fieri potest* M O — 31. *odique* A^1 — 33. *nullas* B — 34. *improbe* om. B — *minuit*] *imminit* B E — *sed potius* nos: *potius* A B; *potius atque* alii codd.; *potiusque* Madvigius; *sed auget potius atque* O — 35. *docendi* E — 36. *instanti* B (non E).

iniuste facta conducunt, qui nec facile efficere possit, quod conetur, nec obtinere, si effecerit, et opes vel fortunae vel ingenii liberalitati magis conveniunt, qua qui utuntur, benevolentiam sibi conciliant et, quod aptissimum est ad quiete vivendum, caritatem, praesertim cum omnino nulla sit causa peccandi. 53. Quae enim cupiditates a natura proficiscuntur, facile explentur sine ulla iniuria: quae autem inanes sunt, iis parendum non est. Nihil enim desiderabile concupiscunt, plusque in ipsa iniuria detrimenti est quam in iis rebus emolumenti, quae pariuntur iniuria. Itaque ne iustitiam quidem recte quis dixerit per se ipsam optabilem, sed quia iucunditatis vel plurimum afferat. Nam diligi et carum esse iucundum est propterea, quia tutiorem vitam et voluptatem pleniorem efficit. Itaque non ob ea solum incommoda, quae eveniunt improbis, fugiendam improbitatem putamus, sed multo etiam magis, quod, cuius in animo versatur, numquam sinit eum respirare, numquam acquiescere. 54. Quod si ne ipsarum quidem virtutum laus, in qua maxime ceterorum philosophorum exsultat oratio, reperire exitum potest, nisi dirigatur ad voluptatem, voluptas autem est sola, quae nos vocet ad se et alliciat suapte natura, non potest esse dubium, quin id sit summum atque extremum bonorum omnium beateque vivere nihil aliud sit nisi cum voluptate vivere.

XVII. 55. Huic certae stabilique sententiae quae sint coniuncta, explicabo brevi. Nullus in ipsis error est finibus bonorum et malorum, id est in voluptate aut in dolore, sed in iis rebus peccant, cum, e quibus haec efficiantur, ignorant. Animi autem voluptates et dolores nasci fatemur e corporis voluptatibus et doloribus. Itaque concedo, quod modo dicebas, cadere causa, si qui e nostris aliter existimant, quos quidem video esse multos, sed imperitos; quamquam autem et laetitiam nobis voluptas animi et molestiam dolor afferat, eorum tamen utrumque et ortum esse e corpore et ad corpus referri, nec ob eam causam non multo maiores esse et voluptates et dolores animi quam corporis. Nam corpore nihil nisi praesens et quod adest sentire possumus, animo autem et praeterita et futura. Ut enim aeque doleamus, cum corpore dolemus, fieri tamen permagna accessio potest, si aliquod aeternum et infinitum impendere malum nobis opinemur: quod item licet transferre in voluptatem, ut ea maior sit, si nihil tale metuamus. 56. Iam illud quidem perspicuum est, animi maximam aut voluptatem aut molestiam plus aut ad beatam aut ad miseram vitam afferre momenti, quam eorum utrumvis, si aeque diu sit in corpore. Non placet autem detracta voluptate aegritudinem statim consequi, nisi in voluptatis locum dolor forte suc-

---

1. *quod*] *qui* B — 2. *fortuna uel* (non *ut*) *ing.* E — *ingenia* A B C D — 3. *utantur* A — *beniuolentiam* A B — 6. *ulla iniuria* A: *iniuria ulla* B M — *his* A O; *hys* B — 7. *non* om. A[1] — *plusque iniuria ipsa* A — 9. *quidem*] *quid* B; *quod* E — 11. *voluptatem pleniorem efficit* A: *pleniorem uoluptatem efficit* B M; *voluptatem efficit pleniorem* O — 12. *ea*] *eam* A[1] — *quae et ueniunt* A — 15. *quidem*] *quid* B E — 16. *exitum potest* A B: *potest exitum* M O — 20. *cum* om. A[1] — 23. *his* A O; *hys* B — *ei quibus* B E — 26. *cadere causa* Victorius: *cedere causae* codd. — *quidem* om. B — 27. *et*[2] om. B — 28. *et mol.*] *et dolores mol.* E — *afferet* A[1] B — 32. *doleamus* nos: *doleamus animo* codd. et O; *doleamus* [*animo*] M — *corpore non dolemus* B — 33. *aliquid* codd. — *aeternum*] *externum* B E — 35. *quidem*] *quod* B — 36. *animi maximam* A: *maximam animi* B M O — 37. *ad* bis om. E.

cesserit; at contra gaudere nosmet omittendis doloribus, etiam si voluptas ea, quae sensum moveat, nulla successerit; eoque intellegi potest, quanta voluptas sit non dolere. 57. Sed ut iis bonis erigimur, quae exspectamus, sic laetamur iis, quae recordamur; stulti autem malorum memoria torquentur, sapientes bona praeterita grata recordatione renovata delectant. Est autem situm in nobis, ut et adversa quasi perpetua oblivione obruamus et secunda iucunde ac suaviter meminerimus. Sed cum ea, quae praeterierunt, acri animo et attento intuemur, tum fit, ut aegritudo sequatur, si illa mala sint, laetitia, si bona.

XVIII. O praeclaram beate vivendi et apertam et simplicem et directam viam! Cum enim certe nihil homini possit melius esse quam vacare omni dolore et molestia perfruique maximis et animi et corporis voluptatibus, videtisne, quam nihil praetermittatur, quod vitam adiuvet, quo facilius id, quod propositum est, summum bonum consequamur? Clamat Epicurus, is, quem vos nimis voluptatibus esse deditum dicitis, non posse iucunde vivi, nisi sapienter, honeste iusteque vivatur, nec sapienter, honeste, iuste, nisi iucunde. 58. Neque enim civitas in seditione beata esse potest nec in discordia dominorum domus: quo minus animus a se ipse dissidens secumque discordans gustare partem ullam liquidae voluptatis et liberae potest. Atqui pugnantibus et contrariis studiis consiliisque semper utens nihil quieti videre, nihil tranquilli potest. 59. Quod si corporis gravioribus morbis vitae iucunditas impeditur, quanto magis animi morbis impediri necesse est! Animi autem morbi sunt cupiditates immensae et inanes divitiarum, gloriae, dominationis, libidinosarum etiam voluptatum; accedunt aegritudines, molestiae, maerores, qui exedunt animos conficiuntque curis hominum non intellegentium nihil dolendum esse animo, quod sit a dolore corporis praesenti futurove seiunctum. Nec vero quisquam stultus non horum morborum aliquo laborat: nemo igitur est non miser. 60. Accedit etiam mors, quae, quasi saxum Tantalo, semper impendet, tum superstitio, qua qui est imbutus, quietus esse numquam potest. Praeterea bona praeterita non meminerunt, praesentibus non fruuntur; futura modo exspectant, quae quia certa esse non possunt, conficiuntur et angore et metu, maximeque cruciantur, cum sero sentiunt frustra se aut pecuniae studuisse aut imperiis aut opibus aut gloriae. Nullas enim consecuntur voluptates, quarum potiendi spe inflammati multos labores magnosque susceperant. 61. Ecce autem alii minuti et angusti, aut omnia semper

---

6. *et* om. B — 7. *secunda*] *secula* B — 8. *attento* A: *intento* B M O; cf. de Orat. III, § 17. — *tum*] *cum* B — 9. *laetitia si bona* A: *si b. laetitia* B M — 13. *quam*] *quos* B (non E) — 14. *prosequamur* B — 17. *enim* A: om. B; [*enim*] M — 19. *dicordans* A — 20. *atqui* A B: *atque* O — 21. *quiete* B, sed idem *tranquilli* — 22. *vitae* - - *morbis* om. E (non B) — 23. *imp. necesse potest* (sed *necesse* linea a pr. m. subducta significatur delendum) A — 24. *inmanes* A B. Cf. § 53 et de permutatione horum verborum IV, § 23. — *dominationes* A B E — 26. *exedunt* (*exc.* B E) *animos* A B E: *animos exedunt* O — 27. *a dolore*] *adore* A[1]; *adore* A[2] — 29. *est* A B: *eorum* cum Ursino O — *Accedit* - - *imbutus* affert Nonius Marcellus p. 324, 29. — 30. *impendit* (sic) B E — *tum quia qui* (om. *superstitio*) Nonius. — 34. *pecuniis* B — 37. *Ecce autem mali minuti et angusti et omnia s. desp. aut malivoli, invidi, difficile est, lucifugi, maledici, monstruosi* Nonius Marc. p. 345, 27. — *minuti*] *minuci* B; *inimici* E — *aut*] *ut* B.

desperantes aut malevoli, invidi, difficiles, lucifugi, maledici, monstrosi, alii autem etiam amatoriis levitatibus dediti, alii petulantes, alii audaces, protervi, idem intemperantes et ignavi, numquam in sententia permanentes, quas ob causas in eorum vita nulla est intercapedo molestiae. Igitur neque stultorum quisquam beatus neque sapientum non beatus, multoque hoc melius nos veriusque quam Stoici. Illi enim negant esse bonum quicquam nisi nescio quam illam umbram, quod appellant honestum non tam solido quam splendido nomine; virtutem autem nixam hoc honesto nullam requirere voluptatem atque ad beate vivendum se ipsa esse contentam.

XIX. 62. Sed possunt haec quadam ratione dici non modo non repugnantibus, verum etiam approbantibus nobis. Sic enim ab Epicuro sapiens semper beatus inducitur: finitas habet cupiditates, neglegit mortem, de dis immortalibus sine ullo metu vera sentit, non dubitat, si ita melius sit, migrare de vita. His rebus instructus semper est in voluptate; neque enim tempus est ullum, quo non plus voluptatum habeat quam dolorum. Nam et praeterita grate meminit et praesentibus ita potitur, ut animadvertat, quanta sint ea quamque iucunda, neque pendet ex futuris, sed exspectat illa, fruitur praesentibus ab iisque vitiis, quae paulo ante collegi, abest plurimum et, cum stultorum vitam cum sua comparat, magna afficitur voluptate. Dolores autem, si qui incurrunt, numquam vim tantam habent, ut non plus habeat sapiens quod gaudeat quam quod angatur. 63. Optime vero Epicurus, quod exiguam dixit fortunam intervenire sapienti maximasque [ab eo] et gravissimas res consilio ipsius et ratione administrari, neque maiorem voluptatem ex infinito tempore aetatis percipi posse quam ex hoc percipiatur, quod videamus esse finitum. In dialectica autem vestra nullam existimavit esse nec ad melius vivendum nec ad commodius disserendum viam. In physicis plurimum posuit: ea scientia et verborum vis et natura orationis et consequentium repugnantiumve ratio potest perspici; omnium autem rerum natura cognita levamur superstitione, liberamur mortis metu, non conturbamur ignoratione rerum, e qua ipsa horribiles exsistunt saepe formidines; denique etiam morati melius erimus, cum didicerimus, quid natura desideret. Tum vero, si stabilem scientiam rerum tenebimus, servata illa, quae quasi delapsa de caelo est ad cognitionem omnium, regula, ad quam omnia iudicia rerum dirigentur, numquam ullius oratione victi sententia desistemus. 64. Nisi autem rerum natura perspecta erit, nullo modo poterimus sensuum iudicia defendere. Quicquid porro animo cernimus, id omne oritur a sensibus, qui si omnes veri erunt, ut Epicuri ratio docet, tum denique poterit aliquid cognosci et percipi. Quos

---

1. *monstrosi*] *morosi* probabiliter Lambinus — 3. *idem* AB: *iidem* MO — 5. *quisque* BE — *sapientum* AB: *sapientium* MO — 6. *uerius quam* B — *negant enim* B — *esse bonum q.* ABE: *esse q. bonum* M; *bonum q. esse* O — 13. *nec legit* A¹BE — 14. *diis* AO, *dys* B — 16. *uoluptatum habeat* AB: *habeat voluptatum* MO — 18. *sit in ea* A¹B; *sint in ea* A²E — *quamquam* BE — 23. *dixit* AB: *dicit* MO — 24. *ab eo* absunt a D et a Graecis Diogenis L. X, § 144; itaque nos seclusimus. — 26. *aetatis* om. B — 27. *nostra* B — *nullam -- disserendum viam* AB: *nullam vim -- disserendum* MO — 28. *nec -- nec* A: *neque -- neque* BM — 33. *quid* AB: *quae* O — 34. *scientiam*] *sententiam* E. Cf. var. lect. p. 94, 6. — 36. *diriguntur* B — *illius racione* B — 40. *et recipi* A¹B.

qui tollunt et nihil posse percipi dicunt, ii remotis sensibus ne id ipsum quidem expedire possunt, quod disserunt. Praeterea sublata cognitione et scientia tollitur omnis ratio et vitae degendae et rerum gerendarum. Sic e physicis et fortitudo sumitur contra mortis timorem et constantia contra metum religionis et sedatio animi omnium rerum occultarum ignoratione sublata et moderatio natura cupiditatum generibusque earum explicatis et, ut modo docui, cognitionis regula et iudicio ab eodem illo constituto veri a falso distinctio traditur.

XX. 65. Restat locus huic disputationi vel maxime necessarius de amicitia, quam, si voluptas summum sit bonum, affirmatis nullam omnino fore; de qua Epicurus quidem ita dicit, omnium rerum, quas ad beate vivendum sapientia comparaverit, nihil esse maius amicitia, nihil uberius, nihil iucundius. Nec vero hoc oratione solum, sed multo magis vita et factis et moribus comprobavit. Quod quam magnum sit, fictae veterum fabulae declarant, in quibus tam multis tamque variis ab ultima antiquitate repetitis tria vix amicorum paria reperiuntur, ut ad Orestem pervenias profectus a Theseo. At vero Epicurus una in domo, et ea quidem angusta, quam magnos quantaque amoris conspiratione consentientes tenuit amicorum greges! quod fit etiam nunc ab Epicureis. Sed ad rem redeamus: de hominibus dici non necesse est. 66. Tribus igitur modis video esse a nostris de amicitia disputatum. Alii, cum eas voluptates, quae ad amicos pertinerent, negarent esse per se ipsas tam expetendas, quam nostras expeteremus, quo loco videtur quibusdam stabilitas amicitiae vacillare, tuentur tamen eum locum seque facile, ut mihi videtur, expediunt. Ut enim virtutes, de quibus ante dictum est, sic amicitiam negant posse a voluptate discedere. Nam cum solitudo et vita sine amicis insidiarum et metus plena sit, ratio ipsa monet amicitias comparare, quibus partis confirmatur animus et a spe pariendarum voluptatum seiungi non potest. 67. Atque ut odia, invidiae, despicationes adversantur voluptatibus, sic amicitiae non modo fautrices fidelissimae, sed etiam effectrices sunt voluptatum tam amicis quam sibi, quibus non solum praesentibus fruuntur, sed etiam spe eriguntur consequentis ac posteri temporis. Quod quia nullo modo sine amicitia firmam et perpetuam iucunditatem vitae tenere possumus, neque vero ipsam amicitiam tueri, nisi aeque amicos et nosmet ipsos diligamus, idcirco et hoc ipsum efficitur in amicitia et amicitia cum voluptate conectitur; nam et laetamur amicorum laetitia aeque atque nostra et pariter

---

1. *posse percipi* A: *percipi posse* B M — *ii remotis*] *ire motis* A^1; *hi remotis* A^2; *hy remotis* B — 2. *subl. cognitione*] *cognata sublata cognicione* B (non E) — 4. *e*] *a* E — 5. *occultarum* om. B — 6. *eorum* B — 7. *docuimus* B — *eodem illo* (Epicuro) Madvigius: *ea dein illa* A^1; *eadem illa* A^2 B O — 9. *disputationi vel*] *disputationibus* A^1 — 11. *quidem*] *quam* B — 13. *iucundus* A — *nec* A B: *neque* M O — *hoc*] *hos* A^1 B E — 14. *comprobatur* B — *Quod quam*] *Quamquam* B — 15. *tamque*] *tam* E — 16. *repperiuntur* A — 18. *quidem*] *quod* B — 20. *igitur*] *ergo* B — 21. *esse a nostris* A D: *a nostris esse* B M — 22. *ipsos* A^1 — 25. *uirtus* E — *antea* B — 27. *manet* B E — 28. *confirmetur* A B — *et a spe*] *ad spem et* A B — 29. *atque ut odia*] *atque udia* A^1; *atque odia* A^2 — *inuidia* E; *iuuidiã* B — *dispicaciones* B (non E) — 31. *efficatrices* B — 32. *solum pro presentibus* B — 34. *uite te tenere* B E — *possimus* B (non E) — *neque* A B: *nec* O — 35. *nisi*] *ipsi* A — 36. *et amicitia* om. A, sed in marg. additum est *amicicia* — 37. *leticię* A^1.

dolemus angoribus. 68. Quocirca eodem modo sapiens erit affectus erga amicum, quo in se ipsum, quosque labores propter suam voluptatem susciperet, eosdem suscipiet propter amici voluptatem; quaeque de virtutibus dicta sunt, quem ad modum eae semper voluptatibus inhaererent, eadem de amicitia dicenda sunt. Praeclare enim Epicurus his paene verbis, Eadem, inquit, sententia confirmavit animum, ne quod aut sempiternum aut diuturnum timeret malum, quae perspexit in hoc ipso vitae spatio amicitiae praesidium esse firmissimum. 69. Sunt autem quidam Epicurei timidiores paulo contra vestra convitia, sed tamen satis acuti, qui verentur ne, si amicitiam propter nostram voluptatem expetendam putemus, tota amicitia quasi claudicare videatur. Itaque primos congressus copulationesque et consuetudinum instituendarum voluntates fieri propter voluptatem, cum autem usus progrediens familiaritatem effecerit, tum amorem efflorescere tantum, ut, etiam si nulla sit utilitas ex amicitia, tamen ipsi amici propter se ipsos amentur. Etenim si loca, si fana, si urbes, si gymnasia, si campum, si canes, si equos ludicra exercendi aut venandi consuetudine adamare solemus, quanto id in hominum consuetudine facilius fieri potuerit et iustius? 70. Sunt autem, qui dicant foedus esse quoddam sapientium, ut ne minus amicos quam se ipsos diligant. Quod et posse fieri intellegimus et saepe † enim videmus et perspicuum est nihil ad iucunde vivendum reperiri posse, quod coniunctione tali sit aptius. Quibus ex omnibus iudicari potest, non modo non impediri rationem amicitiae, si summum bonum in voluptate ponatur, sed sine hoc institutionem omnino amicitiae non posse reperiri.

XXI. 71. Quapropter si ea, quae dixi, sole ipso illustriora et clariora sunt, si omnia hausta e fonte naturae, si tota oratio nostra omnem sibi fidem sensibus confirmat, id est incorruptis atque integris testibus, si infantes pueri, mutae etiam bestiae paene loquuntur magistra ac duce natura, nihil esse prosperum nisi voluptatem, nihil asperum nisi dolorem, de quibus neque depravate iudicant neque corrupte, nonne ei maximam gratiam habere debemus, qui hac exaudita quasi voce naturae sic eam firme graviterque comprehenderit, ut omnes bene sanos in viam placatae, tranquillae, quietae, beatae vitae deduceret? Qui quod tibi

---

3. *susciperet* A B: *susceperit* O — *suscipiet* A: *susciperet* B; *recipiet* O — *amici*] *suam* B — 4. *eae* A: *haec* B; *hae* O — *inherent* B (non E) — 5. *eadem hys pene verbis* B — *paene*] *peuae* (sic) A[1]; *pene* A[2] — 6. *sententia* B: *scientia* A. Cf. var. lect. p. 92, 34.— 7. *diuturnum*] litteras *turn* in rasura habet A — 8. *prospexit* B — 9. *esse*] *est* BE — 10. *uestra conuitia* A: *conuicia nostra* B; *vestra convicia* M O — *qui verentur* om. B — *ueretur* A[1] — 13. *voluptates* D; om. B — 14. *effeceris* A[1] — 15. *ut*] *aut* B (non E) — 16. *fama* A — 17. *ludicra* Bake (ad Cic. de Legg. p. 463 sq.): *si ludicra* A[1] B M; *si ludicras* A[2] O — *aut* || *aut* A — *consuetudine* B: *consuetudines* A O — 19. *dicunt* E — *esse quoddam* A: *esse* (om. *quoddam*) B; *quoddam esse* O — 20. *sapientium* A B: *sapientum* O — *minus amicos quam* Manutius: *minus quam amicos* B; *minus quidem amicos quam* A. (Librarius codicis B frequentissimo errore particula *quidem* in *quam* mutata *quam* post *amicos* omisit.) — *sii ipsos* A[1] — *posse fieri* A: *fieri posse* B M — 21. *saepe etiam videmus* Davisius; *saepenumero videmus* Goerenzius; *saepe esse factum videmus* Klotzius coll. II, § 83; *saepe evenire videmus* Halmius — 22. *repperiri* A; *reperire* B E — 25. *omnino amicitiae* A B E: *amicitiae omnino* M O — 27. *omnia* Th. Bentleius: *omnia dixi* codd. et O; *omnia* [*dixi*] M — *oratio*] *cracio* A[1] — 28. *confirmat* om. B — *atque*] *et* B — 34. *vitae* om. B.

parum videtur eruditus, ea causa est, quod nullam eruditionem esse duxit, nisi quae beatae vitae disciplinam iuvaret. 72. An ille tempus aut in poetis evolvendis, ut ego et Triarius te hortatore facimus, consumeret, in quibus nulla solida utilitas omnisque puerilis est delectatio, aut se, ut Plato, in musicis, geometria, numeris, astris contereret, quae et a falsis initiis profecta vera esse non possunt et, si essent vera, nihil afferrent, quo iucundius, id est quo melius viveremus, — eas ergo artes persequeretur, vivendi artem tantam tamque operosam et perinde fructuosam relinqueret? Non ergo Epicurus ineruditus, sed ii indocti, qui, quae pueros non didicisse turpe est, ea putant usque ad senectutem esse discenda. Quae cum dixisset, Explicavi, inquit, sententiam meam, et eo quidem consilio, tuum iudicium ut cognoscerem, quae mihi facultas, ut id meo arbitratu facerem, ante hoc tempus numquam est data.

---

1. *ullam* E — 2. *an ille* A[1] B: *an si ille* A[2] — 3. *facimus* A[1] — 5. *ut*] *aut* B — 6. *profecta*] *perfecta* BE — 7. *est* om. B — 8. *tantam* om. B — *tamque et operosam* A — 9. *hii* A; *hy* B — 11. *Quae*] *qui* E — 12. *quidem*] *quod* BE — *consilium iudicium* (om. *tuum*) A[1] — *mihi*] *mea* AB — *Marci Tullii Ciceronis de finibus malorum et bonorum ad Brutum primus liber explicit. Incipit liber secundus* A; *Explicit liber primus de finibus bonorum et malorum. Marci tulii ciceronis de finibus bonorum et malorum liber secundus incipit* B.

M. TULLII CICERONIS

DE

FINIBUS BONORUM ET MALORUM

LIBER SECUNDUS.

I. 1. Hic cum uterque me intueretur seseque ad audiendum significarent paratos, Primum, inquam, deprecor ne me tamquam philosophum putetis scholam vobis aliquam explicaturum, quod ne in ipsis quidem philosophis magno opere umquam probavi. Quando enim Socrates, qui parens philosophiae iure dici potest, quicquam tale fecit? Eorum erat iste mos, qui tum sophistae nominabantur, quorum e numero primus est ausus Leontinus Gorgias in conventu poscere quaestionem, id est iubere dicere, qua de re quis vellet audire. Audax negotium, dicerem impudens, nisi hoc institutum postea translatum ad philosophos nostros esset. 2. Sed et illum, quem nominavi, et ceteros sophistas, ut e Platone intellegi potest, lusos videmus a Socrate. Is enim percontando atque interrogando elicere solebat eorum opiniones, quibuscum disserebat, ut ad ea, quae ii respondissent, si quid videretur, diceret. Qui mos cum a posterioribus non esset retentus, Arcesilas eum revocavit instituitque ut ii, qui se audire vellent, non de se quaererent, sed ipsi dicerent, quid sentirent; quod cum dixissent, ille contra. Sed eum qui audiebant, quoad poterant, defendebant sententiam suam. Apud ceteros autem philosophos qui quaesivit aliquid tacet; quod quidem iam fit etiam in Academia. Ubi enim is, qui audire vult, ita dixit: Voluptas mihi videtur esse summum bonum, perpetua oratione contra disputatur, ut facile intellegi possit eos, qui aliquid sibi videri dicant, non ipsos in ea sententia esse, sed audire velle contraria. 3. Nos commodius agimus. Non enim solum Torquatus dixit, quid sentiret, sed etiam cur: ego autem arbitror, quamquam admodum delectatus sum eius oratione perpetua, tamen commodius, cum in rebus singulis insistas et intellegas, quid quisque concedat, quid abnuat, ex rebus concessis concludi quod

---

1. *Hic*] *Sic* D — 2. *deprecor* om. D — 3. *scolam* A B ubique — *vobis* om. B — *quod*] *quid* B — *quidem* in marg. E post *ipsis* significatur inserendum. — 4. *magno pere* A; om. B E — *numquam* B E — 6. *e*] *est* E — 7. *leoncius* B E — *gorgius hi conuentu* A¹ — *posceret* A¹ — 9. *philosophos nostros* A: *nostros philosophos* B M — 10. *esse* A¹ — 11. *a* om. B (non E) — *percunctando* A¹ B E — 13. *ea* A B: *haec* O — *hii* A; *hi* B O — 15. *que* om. B E — *hi* A, *hy* B — *audite* A¹; *audiri* B — 16. *quid*] *quod* B — *eum* A B: om. O — 18. *quid quidem* E; *quicquid* B — 19. *etiam* om. B — 21. *possit ut eos* B E — *sibi aliquid* B E — 23. *etiam*] *esse* B — 26. *obnuat* B (non E) — *ex rebus concessis*] *ex quibus concessit* A¹.

velis et ad exitum perveniri. Cum enim fertur quasi torrens oratio, quamvis multa cuiusque modi rapiat, nihil tamen teneas, nihil apprehendas, nusquam orationem rapidam coerceas.

Omnis autem in quaerendo, quae via quadam et ratione habetur, oratio praescribere primum debet, ut quibusdam in formulis EA RES AGETUR, ut, inter quos disseritur, conveniat quid sit id, de quo disseratur. II. 4. Hoc positum in Phaedro a Platone probavit Epicurus sensitque in omni disputatione id fieri oportere. Sed quod proximum fuit non vidit; negat enim definiri rem placere, sine quo fieri interdum non potest ut inter eos, qui ambigunt, conveniat, quid sit id, de quo agatur; velut in hoc ipso, de quo nunc disputamus. Quaerimus enim finem bonorum: possumusne hoc scire quale sit, nisi contulerimus inter nos, cum finem bonorum dixerimus, quid finis, quid etiam sit ipsum bonum? 5. Atqui haec patefactio quasi rerum opertarum, cum quid quidque sit aperitur, definitio est: qua tu etiam imprudens utebare non numquam. Nam hunc ipsum sive finem sive extremum sive ultimum definiebas id esse, quo omnia, quae recte fierent, referrentur, neque id ipsum usquam referretur. Praeclare hoc quidem. Bonum ipsum etiam quid esset, fortasse, si opus fuisset, definisses aut quod esset natura appetendum aut quod prodesset aut quod iuvaret aut quod liberet modo. Nunc idem, nisi molestum est, quoniam tibi non omnino displicet definire et id facis, cum vis, velim definias, quid sit voluptas, de quo omnis haec quaestio est. 6. Quis, quaeso, inquit, est qui, quid sit voluptas, nesciat, aut qui, quo magis id intellegat, definitionem aliquam desideret? Me ipsum esse dicerem, inquam, nisi mihi viderer habere bene cognitam voluptatem et satis firme conceptam animo atque comprensam. Nunc autem dico ipsum Epicurum nescire et in eo nutare, eumque, qui crebro dicat diligenter oportere exprimi, quae vis subiecta sit vocibus, non intellegere interdum, quid sonet haec vox voluptatis, id est, quae res huic voci subiciatur.

III. Tum ille ridens, Hoc vero, inquit, optimum, ut is, qui finem rerum expetendarum voluptatem esse dicat, id extremum, id ultimum bonorum, id ipsum quid et quale sit, nesciat! Atqui, inquam, aut Epicurus, quid sit voluptas, aut omnes mortales, qui ubique sunt, nesciunt. Quonam, inquit, modo? Quia voluptatem hanc esse sentiunt omnes, quam sensus accipiens movetur et iucunditate quadam perfunditur. 7. Quid ergo? istam voluptatem, inquit, Epicurus ignorat? Non semper, inquam. Nam interdum nimis etiam novit, quippe qui testificetur ne

---

2. *multi* B — *reprehendas* B — 3. *coherceas* A[2] B — 4. *in quaerendo*] *inquirendo* B — *quae via -- ut quibusdam* om. A[1] — *et oracione* B — 5. *ut*] *ne* (superscr. *ut*) A — *in* om. B — 6. *agetur* A B: *agatur* O — 8. *proximum*] *primum* B — 9. *placere -- conveniat* om. A[1] — 10. *agatur -- de quo* om. B — 11. *uelit* A[1] — 12. *hoc scire* A: *hac scire* B E: *scire, hoc* M O — *quale sit* A[2]: *qualisunt* A[1]; *qualis sit* B — 13. *cum*] *meum* B — *etiam*] *esse* B — 14. *patefacio* A[1] — *sit* om. B — 15. *diffinitio* A B — 16. *extremum sive* om. A[1] — 17. *referentur* B — 18. *refferretur* A E; *referetur* B — *quidem*] *quam* B — 20. *liberet. Modo nunc* A — 21. *definire*] *finire* A B — 23. *Quis, quaeso* Goerenzius: *quis quasi* A[1] B; *quis quam* A[2] — *inquis* A[1] — *uoluptatis* A — 25. *habere* om. B — *cognitam bene* B — 26. *acceptam* B — *atque* om. B — 27. *et*] *ut* B — *nutare*] *mutare* E — 31. *inquid* A[1]; item §§ 7. 8. 9. — 33. *quid et* Bremius: *quid ē* A; *quidem* B O; cf. lib. I, § 29. — 35. *Quonam*] *quoniam* A B E — *esse* A B: om. O.

intellegere quidem se posse, ubi sit aut quod sit ullum bonum praeter illud, quod cibo et potione et aurium delectatione et obscena voluptate capiatur. An haec ab eo non dicuntur? Quasi vero me pudeat, inquit, istorum, aut non possim, quem ad modum ea dicantur, ostendere! Ego vero non dubito, inquam, quin facile possis, nec est quod te pudeat sapienti assentiri, qui se unus, quod sciam, sapientem profiteri sit ausus. Nam Metrodorum non puto ipsum professum, sed, cum appellaretur ab Epicuro, repudiare tantum beneficium noluisse; septem autem illi non suo, sed populorum suffragio omnium nominati sunt. 8. Verum hoc loco sumo verbis his eandem certe vim voluptatis Epicurum nosse quam ceteros; omnes enim iucundum motum, quo sensus hilaretur, Graece ἡδονήν, Latine voluptatem vocant. Quid est igitur, inquit, quod requiras? Dicam, inquam, et quidem discendi causa magis quam quo te aut Epicurum reprensum velim. Ego quoque, inquit, didicerim libentius, si quid attuleris, quam te reprenderim. Tenesne igitur, inquam, Hieronymus Rhodius quid dicat esse summum bonum, quo putet omnia referri oportere? Teneo, inquit, finem illi videri nihil dolere. Quid? idem iste, inquam, de voluptate quid sentit? 9. Negat esse eam, inquit, propter se expetendam. Aliud igitur esse censet gaudere, aliud non dolere. Et quidem, inquit, vehementer errat; nam, ut paulo ante docui, augendae voluptatis finis est doloris omnis amotio. Non dolere, inquam, istud quam vim habeat, postea videro: aliam vero vim voluptatis esse, aliam nihil dolendi, nisi valde pertinax fueris, concedas necesse est. Atqui reperies, inquit, in hoc quidem pertinacem; dici enim nihil potest verius. Estne quaeso, inquam, sitienti in bibendo voluptas? Quis istud possit, inquit, negare? Eademne, quae restincta siti? Immo alio genere; restincta enim sitis stabilitatem voluptatis habet, inquit, illa autem voluptas ipsius restinctionis in motu est. Cur igitur, inquam, res tam dissimilis eodem nomine appellas? 10. Quid paulo ante, inquit, dixerim, nonne meministi, cum omnis dolor detractus esset, variari, non augeri voluptatem? Memini vero, inquam. Sed tu istuc dixti bene Latine, parum plane; varietas enim Latinum verbum est, idque proprie quidem in disparibus coloribus dicitur, sed transfertur in multa disparia: varium poema, varia oratio, varii mores, varia fortuna; voluptas etiam varia dici solet, cum percipitur e multis dissimilibus rebus dis-

---

1. *quidem se* om. B — *quod sit* A B: *quid sit* O — 2. *et potione* A B: *aut potione* O — *et aurium*] *et auri* B; *aut auri* E — 4. *possim*] *possunt* A¹ — *ea*] *ista* B — 6. *sapienti* om. A¹ — 8. *bene officium* B — *uoluisse* A¹ — 9. *Verum - - vocant* habet Nonius Marcellus p. 421; *Verum - - voluptatis* idem p. 396. — 10. *verbis*] *de verbis* Nonius p. 396. — *nosse* A B: *non nosse* Nonius; *notasse* cum Davisio O — 11. *hilaretur* Nonius: *hiaretur* A B C; *titillaretur* B(ake) in Mnemos. II, p. 443. — 12. ἡδονήν] *hedonem* A B; *hedoneum* codd. Nonii — 13. *quidem* om. B — 14. *repensum* A¹ — 15. *inquam*] *inquit* B — *hieronimus* A B — 16. *quid* B: *quod* A O — *bonum summum* B — 18. *inquam* A B: om. O — *quid* om. B — 19. *se* A B: *se ipsam* O — 20. *Et quidem*] *equidem* B — 23. *aliam nihil - - necesse est* om. B — 25. *istud* A: *ista* B O — 26. *possit, inquit* A: *inquit, possit* B M O; *inquit* om. E — *eademne* A²: *eędemne* A¹; *eedem ne* B — *quae* A B: *inquam, quae* O; [*inquam,*] *quae* M — *siti*] *enim sitis* B¹; *enim siti* B² — 27. *inquit* A: om. B M — 28. *dissimilis*] *difficiles* A¹ — 29. *Quid*] *Quia* B — 31. *dixti*] Cf. pro Caecina § 82. Etiam Ep. ad Att. V, 9, 2. cod. Mediceus exhibet *rescripsti* — 32. *plane*] *plene* A¹ — 33. *caloribus* B — 34. *poema*] *pena* A¹ — 35. *dissimilis* A: *dissimiles* B C; *dissimiliter* O.

similis efficientibus voluptates. Eam si varietatem diceres, intellegerem, ut etiam non dicente te intellego. Ista varietas quae sit, non satis perspicio, quod ais, cum dolore careamus, tum in summa voluptate nos esse, cum autem vescamur iis rebus, quae dulcem motum afferant sensibus, tum esse in motu voluptatem, qui faciat varietatem voluptatum, sed non augeri illam non dolendi voluptatem, quam cur voluptatem appelles nescio.

IV. 11. An potest, inquit ille, quicquam esse suavius quam nihil dolere? Immo sit sane nihil melius, inquam, — nondum enim id quaero — num propterea idem voluptas est, quod, ut ita dicam, indolentia? Plane idem, inquit, et maxima quidem, qua fieri nulla maior potest. Quid dubitas igitur, inquam, summo bono a te ita constituto, ut id totum in non dolendo sit, id tenere unum, id tueri, id defendere? 12. Quid enim necesse est, tamquam meretricem in matronarum coetum, sic voluptatem in virtutum concilium adducere? Invidiosum nomen est, infame, suspectum. Itaque hoc frequenter dici solet a vobis, non intellegere nos quam dicat Epicurus voluptatem. Quod quidem mihi si quando dictum est — est autem dictum non parum saepe —, etsi satis clemens sum in disputando, tamen interdum soleo subirasci. Egone non intellego, quid sit ἡδονή Graece, Latine voluptas? utram tandem linguam nescio? deinde qui fit, ut ego nesciam, sciant omnes, quicumque Epicurei esse voluerunt? Quod vestri quidem vel optime disputant, nihil opus esse eum, philosophus qui futurus sit, scire litteras. Itaque ut maiores nostri ab aratro adduxerunt Cincinnatum illum, ut dictator esset, sic vos de pagis omnibus colligitis bonos illos quidem viros, sed certe non pereruditos. 13. Ergo illi intellegunt, quid Epicurus dicat, ego non intellego? Ut scias me intellegere, primum idem esse dico voluptatem, quod ille ἡδονήν. Et quidem saepe quaerimus verbum Latinum par Graeco et quod idem valeat: hic nihil fuit quod quaereremus. Nullum inveniri verbum potest, quod magis idem declaret Latine, quod Graece, quam declarat voluptas. Huic verbo omnes, qui ubique sunt, qui Latine sciunt, duas res subiciunt, laetitiam in animo, commotionem suavem iucunditatis in corpore. Nam et ille apud Trabeam voluptatem animi nimiam laetitiam dicit, eandem, quam ille Caecilianus, qui omnibus laetitiis laetum esse se narrat. Sed hoc interest, quod voluptas dicitur etiam in animo, — vitiosa res, ut Stoici putant, qui eam sic definiunt, sublationem animi sine ratione, opinantis se magno bono

---

1. *efficientes* B — 4. *cum autem*] *tunc autem* B — *afferunt* B — 5. *qui* Davisius: *quę* A; in B E est compendium incertum. — 8. *inquit ille* A: *ille inquit* B; [*ille*] *inquit* M; *inquit* [*ille*] O — 10. *praeterea* B — 11. *idem* A: *quidem* B; om. E; [*idem*] M — 12. *inquam*] *inquit* B — *ita* om. B — 17. *quam*] *quid* B — 19. *soleo*] *solet* A¹ — 20. *haedonae* A; *hedone* B — *linquam* A¹ — 21. *qui sit* B — *nesciam* om. B — 22. *uoluerunt* A: *voluerint* B M — *vestri*] *nostri* B — *esse opus* B — 23. *eum philosophus qui futurus sit* A: *eum qui futurus sit philosophus* B M; *eum, qui philosophus futurus sit* O — 24. *adduxerunt* A B: *abduxerunt* O — 25. *pagis* Turnebus et corrector codicis Eliensis prioris: *plagis* A B C D, unde *pelagis* et *pelasgis* alii. — *pereruditos*] *eruditos* A¹ — 26. *intelligant* B — *quid*] *quod* B — 27. [*esse*] M; *ego* coni. Madvig — 28. *hedonem* A B — *Et quidem*] *equidem* B — *quaeremus* A¹ — 30. *verbum* A B: om. M O — *quod gr.*] *quam gr.* B — *graece* A B: *graece ἡδονή* O — 31. *qui latine sciunt qui ubique sunt* B — 32. *suauem iucunditatis* A: *iucunditatis suavem* B M — 36. *sic* om. B.

frui —, non dicitur laetitia nec gaudium in corpore. 14. In eo autem voluptas omnium Latine loquentium more ponitur, cum percipitur ea, quae sensum aliquem moveat, iucunditas. Hanc quoque iucunditatem, si vis, transfer in animum: iuvare enim in utroque dicitur ex eoque iucundum: modo intellegas inter illum, qui dicát

Tanta laetitia auctus sum, ut nihil constet,

et eum, qui

Nunc demum mihi animus ardet,

quorum alter laetitia gestiat, alter dolore crucietur, esse illum medium,

Quamquam haec inter nos nuper notitia admodum est,

qui nec laetetur nec angatur, itemque inter eum, qui potiatur corporis expetitis voluptatibus, et eum, qui crucietur summis doloribus, esse eum, qui utroque careat.

V. 15. Satisne igitur videor vim verborum tenere an sum etiam nunc vel Graece loqui vel Latine docendus? Et tamen vide ne, si ego non intellegam, quid Epicurus loquatur, cum Graece, ut videor, luculenter sciam, sit aliqua culpa eius, qui ita loquatur, ut non intellegatur. Quod duobus modis sine reprensione fit, si aut de industria facias, ut Heraclitus, cognomento qui σκοτεινὸς perhibetur, quia de natura nimis obscure memoravit, aut cum rerum obscuritas, non verborum facit ut non intellegatur oratio, qualis est in Timaeo Platonis. Epicurus autem, ut opinor, nec non vult, si possit, plane et aperte loqui, nec de re obscura, ut physici, aut artificiosa, ut mathematici, sed de illustri et facili et iam in vulgus pervagata loquitur. Quamquam non negatis nos intellegere, quid sit voluptas, sed quid ille dicat; e quo efficitur, non ut nos non intellegamus, quae vis sit istius verbi, sed ut ille suo more loquatur, nostrum neglegat. 16. Si enim idem dicit quod Hieronymus, qui censet summum bonum esse sine ulla molestia vivere, cur mavult dicere voluptatem quam vacuitatem doloris, ut ille facit, qui quid dicat intellegit? sin autem voluptatem putat adiungendam eam, quae sit in motu — sic enim appellat hanc dulcem, in motu, illam nihil dolentis, in stabilitate —, quid tendit? cum efficere non possit ut cuiquam, qui ipse sibi notus sit, hoc est, qui suam naturam sensumque perspexerit, vacuitas doloris et voluptas idem esse videatur. Hoc est vim afferre, Torquate, sensibus, extorquere ex animis cognitiones verborum, quibus imbuti sumus. Quis enim est, qui non videat haec esse in natura rerum tria? unum, cum in voluptate sumus, alterum, cum in dolore, tertium hoc, in quo nunc equidem sum, credo item vos, nec in dolore nec in voluptate; ut in voluptate sit qui epuletur, in dolore

5. *iucundum*] *interdum* B — 6. *auctu'* M — *ut*] *et* B — *constetur eum* B — 9. *esse*] *ē* A[1] — 11. *corporis expetitis* A B: *expetitis corporis* O — 12. *voluptatis* B — *crucietur* A: *excrucietur* B M O — 14. *vim*] *uiam* B — 16. *loquitur* B — 19. *cognomenta* B — *scotinus* A B — 21. *platone* A — 24. *et iam* Goerenz: *etiam* A B — *loquatur* B — 25. *nos*] *non* E — *e quo* A B: *ex quo* O — 26. *efficiatur* B — *non* post *nos* om. B — 30. *putat* B: *putat dicat* A — 32. *cum*] *eum* B — 33. *sibi notus* A B: *notus sibi* O — 34. *prospexerit* A[1] — *uidetur* B — 35. *cognitiones*] *cogitationes* A — *verborum* delendum censet B(ake) in Mnemos. II, p. 443. Idem p. 101, 12 delet *dicebat* — 36. *enim est* A: *est enim* B M O — 38. *equidem sum* Madvig: *quidem sumus* A; *sumus* B — *item* Ernestius: *idem* A B C; *quidem* D — *nos* B D — 39. *voluptate* A B: *voluptate esse* D O.

qui torqueatur. Tu autem inter haec tantam multitudinem hominum interiectam non vides nec laetantium nec dolentium? 17. Non prorsus, inquit, omnisque, qui sine dolore sint, in voluptate, et ea quidem summa, esse dico. Ergo in eadem voluptate eum, qui alteri misceat mulsum ipse non sitiens, et eum, qui illud sitiens bibat?

VI. Tum ille, Finem, inquit, interrogandi, si videtur, quod quidem ego a principio ita me malle dixeram, hoc ipsum providens, dialecticas captiones. Rhetorice igitur, inquam, nos mavis quam dialectice disputare? Quasi vero, inquit, perpetua oratio rhetorum solum, non etiam philosophorum sit. Zenonis est, inquam, hoc Stoici: omnem vim loquendi, ut iam ante Aristoteles, in duas tributam esse partes, rhetoricam palmae, dialecticam pugni similem esse dicebat, quod latius loquerentur rhetores, dialectici autem compressius. Obsequar igitur voluntati tuae dicamque, si potero, rhetorice, sed hac rhetorica philosophorum, non nostra illa forensi, quam necesse est, cum populariter loquatur, esse interdum paulo hebetiorem. 18. Sed dum dialecticam, Torquate, contemnit Epicurus, quae una continet omnem et perspiciendi, quid in quaque re sit, scientiam et iudicandi, quale sit quidque, et ratione ac via disputandi, ruit in dicendo, ut mihi quidem videtur, nec ea, quae docere vult, ulla arte distinguit, ut haec ipsa, quae modo loquebamur. Summum a vobis bonum voluptas dicitur. Aperiendum est igitur, quid sit voluptas; aliter enim explicari quod quaeritur non potest. Quam si explicavisset, non tam haesitaret: aut enim eam voluptatem tueretur, quam Aristippus, id est, qua sensus dulciter ac iucunde movetur, quam etiam pecudes, si loqui possent, appellarent voluptatem, aut, si magis placeret suo more loqui quam ut

Omnes Danai atque Mycenenses,
Attica pubes, —

reliquique Graeci, qui hoc anapaesto citantur, hoc non dolere solum voluptatis nomine appellaret, illud Aristippeum contemneret, aut, si utrumque probaret, ut probat, coniungeret doloris vacuitatem cum voluptate et duobus ultimis uteretur. 19. Multi enim et magni philosophi haec ultima bonorum iuncta fecerunt, ut Aristoteles virtutis usum cum vitae perfectae prosperitate coniunxit, Callipho adiunxit ad honestatem voluptatem, Diodorus ad eandem honestatem addidit vacuitatem doloris. Idem fecisset Epicurus, si sententiam hanc, quae nunc Hieronymi est, coniunxisset cum Aristippi vetere sententia. Illi enim inter se dissentiunt; propterea singulis finibus utuntur et, cum uterque Graece egregie loquatur, nec Aristippus, qui voluptatem summum bonum dicit, in voluptate ponit non dolere, neque Hieronymus, qui summum bonum

---

2. *interiectam* A: [*interiectam*] M; om. B — 3. *quidem*] *quam* B — 4. *esse. Dico ergo* AB — 6. *interrogantis si* A[1]; *interrogandi fac si* A[2] — 7. *malle*] *male* A[1] — 8. *captiones* om. B — *inquam*] *inquit* A[1] — 11. *aristotiles* AB; item v. 33. — 12. *pugni* E: *pugnis* ABD — 13. *comprensius* A[1] — 18. *sit quidque* A: *quidque sit* BMO — 19. *docendo* B(ake) in Mnemos. II, p. 413. — 20. *doceri* D — *ulla*] *illa* B — 21. *dicitur* om. B — 27. *atque* Lambinus: *aut* ABE — 28. *Attica*] *aut artica* B; *ut artica* E — 30. *appellant* B — 31. *ut*] *aut* AB — 32. *enim et*] *autem* B — 33. *virtutis* AB: *qui virtutis* O — *usum*] *summi* BE — 34. *Callipho* AB: *Calliphon* O — *adiungit* B — 39. *nec*] *hec* B.

statuit non dolere, voluptatis nomine umquam utitur pro illa indolentia, quippe qui ne in expetendis quidem rebus numeret voluptatem. VII. 20. Duae sunt enim res quoque, ne tu verba solum putes: unum est sine dolore esse, alterum cum voluptate. Vos ex his tam dissimilibus rebus non modo nomen unum, nam id facilius paterer, sed etiam rem unam ex duabus facere conamini, quod fieri nullo modo potest. Hic, qui utrumque probat, ambobus debuit uti, sicut facit re, neque tamen dividit verbis. Cum enim eam ipsam voluptatem, quam eodem nomine omnes appellamus, laudat locis plurimis, audet dicere, ne suspicari quidem se ullum bonum seiunctum ab illo Aristippeo genere voluptatis, atque ibi hoc dicit, ubi omnis eius est oratio de summo bono. In alio vero libro, in quo breviter comprehensis gravissimis sententiis quasi oracula edidisse sapientiae dicitur, scribit his verbis, quae nota tibi profecto, Torquate, sunt: — quis enim vestrum non edidicit Epicuri *κυρίας δόξας*, id est quasi maxime ratas, quia gravissimae sint ad beate vivendum breviter enuntiatae sententiae? — Animadverte igitur, rectene hanc sententiam interpreter: 21. «Si ea, quae sunt luxuriosis efficientia voluptatum, liberarent eos deorum et mortis et doloris metu docerentque, qui essent fines cupiditatum, nihil haberemus, *quod reprehenderemus*, cum undique complerentur voluptatibus nec haberent ulla ex parte aliquid aut dolens aut aegrum, id est autem malum.»

Hoc loco tenere se Triarius non potuit. Obsecro, inquit, Torquate, haec dicit Epicurus? Quod mihi quidem visus est, cum sciret, velle tamen confitentem audire Torquatum. At ille non pertimuit saneque fidenter, Istis quidem ipsis verbis, inquit, sed quid sentiat, non videtis. Si alia sentit, inquam, alia loquitur, numquam intellegam, quid sentiat, sed plane dicit quod intellegam. Idque si ita dicit, non esse reprendendos luxuriosos, si sapientes sint, dicit absurde, similiter et si dicat non reprendendos parricidas, si nec cupidi sint nec deos metuant nec mortem nec dolorem. Et tamen quid attinet luxuriosis ullam exceptionem dari aut fingere aliquos, qui, cum luxuriose viverent, a summo philosopho non reprenderentur eo nomine dumtaxat, cetera caverent? 22. Sed tamen nonne reprenderes, Epicure, luxuriosos ob eam ipsam causam, quod ita viverent, ut persequerentur cuiusque modi voluptates, cum esset praesertim, ut ais tu, summa voluptas nihil dolere? Atqui reperiemus asotos primum ita non religiosos, ut edint de patella, deinde ita mortem non timentes, ut illud in ore habeant ex Hymnide,

Mihi sex menses sati' sunt vitae, septimum Orco spondeo.

---

1. *umquam*] *inquam* A¹; *numquam* B — 2. *rebus quidem* E — 3. *quoque*] *quarum* B — 6. *conamur* B — *nullo modo fieri* B — 7. *sicut* etiam E — *re* om. B — 9. *appellamus*] *appellant* A — 10. *seiunctum*] *se uictum* A — 11. *eius est oratio* A: *oratio eius est* B M — 13. *edisse* A¹ — 15. *cyrias doxas* A B — *ratas*] *tutas* E — 16. *enunciatae* A B — *animauerte* A¹ — 18. *efficienciam* B — *uoluptatum* A: *uoluptatem* A² B — 19. *haberemus quod reprehenderemus* Davisius: *haberemus* (om. *quod reprehenderemus*) codd.; *haberem quod reprehenderem* C. Cf. § 23: *nihil haberem, quod reprehenderem*; graece (ap. Diog. Laërt. X, 142, 9): *οὐκ ἄν ποτε εἴχομεν, ὅ τι μεμψαίμεθα αὐτοῖς*. — 21. *id est*] *idem* E — 23. *uelle* A¹ B: *uellē* A² — 24. *pertinuit* B — *que* om. B — 25. *videtis*] *uidet* B — 27. *quod intellegam*] *quod intellegit* A B: cf. I, § 15. — *si*] *se* A¹ — *rependendos* A¹; item v. 28. — *luxuriosos si*] *luxuriosi* A¹ — 34. *ut*] *quod* B — 35. *ut* om. B — *nihil*] *michi* B — 36. *edint* Madvig (Add.): *edient* A¹; *edent* A²; *edant* M O; om. B — *mortem ita* B — 38. *satis* codd. et O.

Iam doloris medicamenta illa Epicurea tamquam de narthecio proment: si gravis, brevis; si longus, levis. Unum nescio, quo modo possit, si luxuriosus sit, finitas cupiditates habere.

VIII. 23. Quid ergo attinet dicere nihil haberem, quod reprenderem, si finitas cupiditates haberent? hoc est dicere, non reprenderem asotos, si non essent asoti: isto modo, ne improbos quidem, si essent boni viri. Hic homo severus luxuriam ipsam per se reprendendam non putat. Et hercule, Torquate, ut verum loquamur, si summum bonum voluptas est, rectissime non putat. Nolim enim mihi fingere asotos, ut soletis, qui in mensam vomant et qui de conviviis auferantur crudique postridie se rursus ingurgitent, qui solem, ut aiunt, nec occidentem umquam viderint nec orientem, qui consumptis patrimoniis egeant: nemo nostrum istius generis asotos iucunde putat vivere: mundos, elegantis, optimis cocis, pistoribus, piscatu, aucupio, venatione, his omnibus exquisitis, vitantis cruditatem,

— — — — quibu' vinum
Defusum e pleno siet, † hirsizon (ut ait Lucilius,) cui nil
Dum sit vis et sacculus abstulerit,

adhibentis ludos et quae secuntur, illa, quibus detractis clamat Epicurus se nescire quid sit bonum: adsint etiam formosi pueri, qui ministrent; respondeat his vestis, argentum, Corinthium, locus ipse, aedificium: hos ergo asotos bene quidem vivere aut beate numquam dixerim. 24. Ex quo efficitur, non ut voluptas ne sit voluptas, sed ut voluptas non sit summum bonum. Nec ille, qui Diogenem Stoicum adulescens, post autem Panaetium audierat, Laelius, eo dictus est sapiens, quod non intellegeret, quid suavissimum esset, — nec enim sequitur, ut cui cor sapiat, ei non sapiat palatus, — sed quia parvi id duceret.

O lapathe, ut iactare, nec es sati' cognitu' qui sis!
In quo Laeliu' clamores, σοφὸς ille, solebat
Edere, compellans gumias ex ordine nostros.

Praeclare Laelius, et recte σοφός, illudque vere:

O Publi, o gurges, Galloni: es homo miser, inquit.
Cenasti in vita numquam bene, cum omnia in ista
Consumis squilla atque acipensere cum decimano.

Is haec loquitur, qui in voluptate nihil ponens negat eum bene cenare,

---

1. *narthetio* A — 4. *Quod ergo* B — *habere* A — 7. *quidem*] *quam* B — *hoc homini* B — 8. *torquate* (superscr. *o* sec. m.: *o torquate*) A — 11. *posteri die* A^1; *postero die* A^2 C — 12. *occidentem*] *hoc cadentem* A^1 — 13. *istius -- venatione* affert Nonius Marcellus p. 217. — *vivere, mundos* O — 16. *quibus* codd. — 17. *siet*] *sit* A B — *hirsizon* A: *hrysizon* B; *hirsiphon* alii; *hir siphove* O; ÷ *ir siphoue* M — *nil*] *nihil* A B — 18. *dum sit* A B C E: *Dempsit* M O — *vis*] *nix* Lambinus — *et* A B: *aut* O — 19. *adh. ludos* Lucilio tribuit O — 20. *adsit* A^1 — 22. *ergo* A B: *ego* O — *aut*] *at* B — 26. *enim sequitur ut cui*] *ergo sequer et* B — 27. *palatum* e duobus codd. Davisius — 28. *ut*] *et* E — *nec es satis* Lachmannus (ad Lucret. p. 29): *ne cessatis* A B; *necesse est* C M O — *cognitu qui* A B: *cognitu quis* E; *cognitu' cui* M O — 29. *Laeliu'*] *cognitu laelius* A B — *sophos* A B, item v. 31. — 30. *gumias* A: *guimas* B E — 31. *illud uere* B — 32. *miser* A^2: *miseri* A^1 B — 33. *cenasti* A; *cenastis* B; *coenasti* M O — *isto* A — 34. *Consumis*] *cū sumis* A^1 — *acipensere*] *accubans aere* A B; *accubant aere* E — *cum in dec.* Lambinus — *decimano* A: *decimacio* B; *decumano* M O — 35. *haec*] *hic* B — *cenare* A B: *coenare* M O; item infra.

qui omnia ponat in voluptate, et tamen non negat libenter umquam cenasse Gallonium — mentiretur enim —, sed bene. Ita graviter et severe voluptatem secrevit a bono. Ex quo illud efficitur, qui bene cenent, omnis libenter cenare, qui libenter, non continuo bene. Semper Laelius bene. 25. Quid bene? Dicet Lucilius:

cocto,

Condito,

sed cedo caput cenae:

sermone bono,

quid ex eo?

si quaeri', libenter:

veniebat enim ad cenam, ut animo quieto satiaret desideria naturae. Recte ergo is negat umquam bene cenasse Gallonium, recte miserum, cum praesertim in eo omne studium consumeret: quem libenter cenasse nemo negat. Cur igitur non bene? Quia quod bene, id recte, frugaliter, honeste: ille porro prave, nequiter, turpiter cenabat; non igitur *bene*. Nec lapathi suavitatem acipenseri Galloni Laelius anteponebat, sed suavitatem ipsam neglegebat: quod non faceret, si in voluptate summum bonum poneret.

IX. Semovenda est igitur voluptas, non solum ut recta sequamini, sed etiam ut loqui deceat frugaliter. 26. Possumusne ergo in vita summum bonum dicere, cum id ne in cena quidem posse videamur? Quo modo autem philosophus loquitur? «Tria genera cupiditatum: naturales et necessariae, naturales et non necessariae, nec naturales nec necessariae.» Primum divisit ineleganter; duo enim genera quae erant fecit tria: hoc est non dividere, sed frangere. Qui haec didicerunt, quae ille contemnit, sic solent: Duo genera cupiditatum, naturales et inanes; naturalium duo, necessariae et non necessariae. Confecta res esset; vitiosum est enim in dividendo partem in genere numerare. 27. Sed hoc sane concedamus: contemnit enim disserendi elegantiam; confuse loquitur: gerendus est mos, modo recte sentiat. Equidem illud ipsum non nimium probo et tantum patior, philosophum loqui de cupiditatibus

---

1. *quia* B — *ponit* B — *non* om. A B — *cenasse unquam* B — 2. *sed bene* A^1B: *si bene* A^2 — 3. *secreuit* A B: *secernit* M O — 5. *dicit* B — 11. *quaeris* codd. — 12. *enim*] *autem* E — *ut in animo* B — 13. *his negatum quam* A^1B — 14. *in eo* om. B — *studium* om E — 15. *quod*] *quid* A^1 — *fugaliter* A^1 — 16. *prave* Wesenberg: *male prave* codd. et O; [*male*,] *prave* M — *cenabat; non igitur bene. Nec* Madvig: *cenabat. Non igitur nec* codd. et O — 17. *lapithi* A; *laphatis* B — *acipenseri*] *accubans ęre* A C; *accūbans ere* B — *Galloni* A: *gallony* B; *Gallonii* O — 21. *ergo* A B: *igitur* O — 23. *loquitur tria* M — 24. *et necessariae* nos: *et necessarias* A^1B M O; *et necessariarum* (per compendium non satis certum) A^2 — *et non necessariae* A^2: *et necessariae* A^1; *et in necessarius* B; *et non necessarias* M; *non necessarias* (om. et) O — *nec nat. nec necess.* om. B — *nec necessariae* A: *nec necessarias* M O — 25. *ineleganter*] *negligenter* D; sed cf. p. 105, 6. — *erat* A^1 — *fecit* om. B — 26. *frangere. Qui haec -- esset; uitiosum* A B C D (D tamen om. verba *didicerunt -- naturales* et pro *esset* habet *est*): *frangere. Qui si diceret, cupiditatum esse duo genera, naturales et inanes; naturalium quoque item duo, necessarias et non necessarias: confecta res esset. Qui haec didicerunt, quae ille contemnit, sic solent. Vitiosum* O (verba *qui haec -- sic solent* in multis codd. desunt) — 27. *inane* B — 28. *essent* B — 29. *nominare* B — *Sed* (non *si*) etiam E — 30. *enim* A: om. B M — *loquitur* (non *loquar*) etiam E; male enim interpretatus est compendium qui codicem Madvigio contulit. — 31. *Equidem* B: *et quidem* A — 32. *tm̄* A; *tn̄* (*tamen*) B — *loqui* om. B.

finiendis. An potest cupiditas finiri? Tollenda est atque extrahenda radicitus. Quis est enim, in quo sit cupiditas, quin recte cupidus dici possit? Ergo et avarus erit, sed finite, et adulter, verum habebit modum, et luxuriosus eodem modo. Qualis ista philosophia est, quae non interitum afferat pravitatis, sed sit contenta mediocritate vitiorum? Quamquam in hac divisione rem ipsam prorsus probo, elegantiam desidero. Appellet haec desideria naturae: cupiditatis nomen servet alio, ut eam, cum de avaritia, cum de intemperantia, cum de maximis vitiis loquetur, tamquam capitis accuset. 28. Sed haec quidem liberius ab eo dicuntur et saepius. Quod equidem non reprendo; est enim tanti philosophi tamque nobilis audacter sua decreta defendere: sed tamen ex eo, quod eam voluptatem, quam omnes gentes hoc nomine appellant, videtur amplexari saepe vehementius, in magnis interdum versatur angustiis, ut hominum conscientia remota nihil tam turpe sit, quod voluptatis causa non videatur esse facturus. Deinde, ubi erubuit, — vis enim est permagna naturae, — confugit illuc, ut neget accedere quicquam posse ad voluptatem nihil dolentis. At iste non dolendi status non vocatur voluptas. «Non laboro,» inquit, «de nomine». Quid, quod res alia tota est? «Reperiam multos vel innumerabilis potius non tam curiosos nec tam molestos, quam vos estis, quibus, quicquid velim, facile persuadeam.» Quid ergo dubitamus quin, si non dolere voluptas sit summa, non esse in voluptate dolor sit maximus? cur non id ita fit? «Quia dolori non voluptas contraria est, sed doloris privatio.»

X. 29. Hoc vero non videre, maximo argumento esse voluptatem illam, qua sublata neget se intellegere omnino, quid sit bonum, — eam autem ita persequitur, quae palato percipiatur, quae auribus: cetera addit, quae si appelles, honos praefandus sit —: hoc igitur, quod solum bonum severus et gravis philosophus novit, idem non videt ne expetendum quidem esse, quod eam voluptatem hoc eodem auctore non desideremus, cum dolore careamus. Quam haec sunt contraria! 30. Hic si definire, si dividere didicisset, si loquendi vim, si denique consuetudinem verborum teneret, numquam in tantas salebras incidisset. Nunc vides, quid faciat. Quam nemo umquam voluptatem appellavit, appellat, quae duo sunt, unum facit. Hanc in motu voluptatem — sic enim has suaves et quasi dulces voluptates appellat — interdum ita extenuat, ut M'. Curium putes loqui, interdum ita laudat, ut, quid praeterea sit bonum, neget se posse ne suspicari quidem. Quae iam oratio non a philosopho aliquo, sed a censore opprimenda est. Non

---

2. *quin* A: *qui non* B — 3. *adulter verum* O — 6. *rem ipsam*] *remissam* B; *remissionem* A — *probo* B: *probam* A^1; *reprobo* A^2 — 7. *appellat* B — 9. *quidem*] *quae* (per compendium) A — 11. *tamque*] *tantique* B — *audaciter* B — 12. *hoc* om. B — 13. *vehementius sepe* B — 14. *quod*] *quid* B — 15. *videatur causa* (om. *non*) B — *Deinde*] *deinde enim* B — 16. *enim est* A: *est* (om. *enim*) B E, unde *est enim* M — 17. *nihil*] *nichi* (non *mihi*) E — 22. *maximis* A^1 — *non id* A: *id non* B M O — 26. *percipiatur* etiam E — 27. *bonos prefraudus* E; *bonos perfraudus* B — 28. *uidit* B — 31. *Hic* - - *incidisset* affert Nonius p. 177. — *si dividere* B et Nonius: *indiuidere* A^1; *uel* (per compendium syllabae *in* superscriptum) *diuidere* A^2 — *didicisset*] *potuisset* Nonius — 34. *quae* A B: [*atque*] *quae* O (*atque* addidit Goerenz) — 35. *suaves has* B — 36. *M'.*] *marcum* A B; *M.* ceteri codd. — *putes*] *potes* A^1 — 37. *ne*] *nec* E — 38. *est* om. B (non E).

est enim vitium in oratione solum, sed etiam in moribus. Luxuriam non reprendit, modo sit vacua infinita cupiditate et timore. Hoc loco discipulos quaerere videtur, ut qui asoti esse velint philosophi ante fiant. 31. A primo, ut opinor, animantium ortu petitur origo summi boni. Simul atque natum animal est, gaudet voluptate et eam appetit ut bonum, aspernatur dolorem ut malum. De malis autem et bonis ab iis animalibus, quae nondum depravata sint, ait optime iudicari. Haec et tu ita posuisti et verba vestra sunt. Quam multa vitiosa! Summum enim bonum et malum vagiens puer utra voluptate diiudicabit, stante an movente? quoniam, si dis placet, ab Epicuro loqui discimus. Si stante, hoc natura videlicet vult, salvam esse se, quod concedimus; si movente, quod tamen dicitis, nulla turpis voluptas erit, quae praetermittenda sit, et simul non proficiscitur animal illud modo natum a summa voluptate, quae est a te posita in non dolendo. 32. Nec tamen argumentum hoc Epicurus a parvis petivit aut etiam a bestiis, quae putat esse specula naturae, ut diceret ab iis duce natura hanc voluptatem expeti nihil dolendi. Neque enim haec movere potest appetitum animi, nec ullum habet ictum, quo pellat animum, status hic non dolendi. Itaque in hoc eodem peccat Hieronymus. At ille pellit, qui permulcet sensum voluptate. Itaque Epicurus semper hoc utitur, ut probet voluptatem natura expeti, quod ea voluptas, quae in motu sit, et parvos ad se alliciat et bestias, non illa stabilis, in qua tantum inest nihil dolere. Qui igitur convenit ab alia voluptate dicere naturam proficisci, in alia summum bonum ponere? XI. 33. Bestiarum vero nullum iudicium puto. Quamvis enim depravatae non sint, pravae tamen esse possunt. Ut bacillum aliud est inflexum et incurvatum de industria, aliud ita natum, sic ferarum natura non est illa quidem depravata mala disciplina, sed natura sua. Nec vero, ut voluptatem expetat, natura movet infantem, sed tantum ut se ipse diligat, ut integrum se salvumque velit. Omne enim animal, simul et ortum est, et se ipsum et omnes partes suas diligit, duasque, quae maximae sunt, in primis amplectitur, animum et corpus, deinde utriusque partes. Nam sunt et in animo praecipua quaedam et in corpore, quae cum leviter agnovit, tunc discernere incipit, ut ea, quae prima data sint natura, appetat asperneturque contraria. 34. In his primis naturalibus voluptas insit necne, magna quaestio est. Nihil vero putare esse praeter voluptatem, non membra, non sensus, non ingenii motum, non integritatem corporis, non valetudinem, summae mihi videtur inscitiae. Atque

---

2. *sit*] *si* B — 5. *animal*] *animale* A B — 6. *ut malum*] *et malum* A^1 — 7. *sint*] *sunt* A — *iudicare* A^1 — 9. *an*] *ante* A B. (In A syllaba *te* est extra versum, fortasse a sec. m.) — 10. *dis placet* A: *displicet* B — *discimus loqui* B — 12. *sit. Et* O — 15. *aut etiam*] *ante et* B — *spicula* B — 16. *iis* Victorius: *his* A O; *hys* B — 17. *Nec* B — 18. *ictum*] *ritum* E — *animum, status* Victorius: *animi statum* codd. — 20. *utitur* (superscr. a sec. m. *nititur*) A: *utatur* B — 21. *voluptas*] *uobis* A^1 — 22. *nihil*] *non* B — *Qui* Lambinus: *Quid* codd. — 25. *sint*] *sunt* A — *Ut bacillum - - ita natum* (om. *de industria*) affert Nonius Marcellus p. 78. — *baccillum* A^1 et Nonius — 28. *se*] *si* A^1 — 29. *simul et* A B: *simul ut* O; *simul* [*ut*] M; *simul* [*et*] idem in Addendis. Cf. V § 24. Epp. ad Att. II, 20, 2. X, 4, 12. 16, 4. XVI, 11, 6. ad Q. fr. II, 6, 3. — 30. *est* om. A B — 33. *agnovit*] *nouit* B — *tunc* A: *tum* B M O — *primo* B — *sint* A B: *sunt* O — 34. *aspernaturque* A^1 — *primis*] *primas* A^1 — 37. *non valetudinem*] *non ualitudinem corporis* A B; om. E (*non integritatem, non valetudinem corporis* Klotzius (in Prooemio).

ab isto capite fluere necesse est omnem rationem bonorum et malorum. Polemoni et iam ante Aristoteli ea prima visa sunt, quae paulo ante dixi. Ergo nata est sententia veterum Academicorum et Peripateticorum, ut finem bonorum dicerent secundum naturam vivere, id est, virtute adhibita frui primis a natura datis. Callipho ad virtutem nihil adiunxit nisi voluptatem, Diodorus vacuitatem doloris. * * * His omnibus, quos dixi, consequentes sunt fines bonorum, Aristippo simplex voluptas, Stoicis consentire naturae, quod esse volunt e virtute, id est honeste, vivere, quod ita interpretantur, vivere cum intellegentia rerum earum, quae natura evenirent, eligentem ea, quae essent secundum naturam, reicientemque contraria. 35. Ita tres sunt fines expertes honestatis, unus Aristippi vel Epicuri, alter Hieronymi, Carneadi tertius; tres, in quibus honestas cum aliqua accessione, Polemonis, Calliphontis, Diodori; una simplex, cuius Zeno auctor, posita in decore tota, id est in honestate; nam Pyrrho, Aristo, Erillus iam diu abiecti. Reliqui sibi constiterunt, ut extrema cum initiis convenirent, ut Aristippo voluptas, Hieronymo doloris vacuitas, Carneadi frui principiis naturalibus esset extremum. XII. Epicurus autem cum in prima commendatione voluptatem dixisset, si eam, quam Aristippus, idem tenere debuit ultimum bonorum, quod ille: sin eam, quam Hieronymus, fecisset idem, ut voluptatem illam [Aristippi] in prima commendatione poneret.

36. Nam quod ait sensibus ipsis iudicari voluptatem bonum esse, dolorem malum, plus tribuit sensibus, quam nobis leges permittunt, *cum* privatarum litium iudices sumus. Nihil enim possumus iudicare nisi quod est nostri iudicii. In quo frustra iudices solent, cum sententiam pronuntiant, addere SI QVID MEI IVDICII EST. Si enim non fuit eorum iudicii, nihilo magis hoc non addito illud est iudicatum. Quid iudicant sensus? Dulce amarum, leve asperum, prope longe, stare movere, quadratum rotundum. 37. Aequam igitur pronuntiabit sententiam ratio adhibita primum divinarum humanarumque rerum scientia, quae potest appellari rite sapientia, deinde adiunctis virtutibus, quas ratio rerum omnium dominas, tu voluptatum satellites et ministras esse voluisti, quarum adeo omnium sententia pronuntiabit primum de voluptate, nihil esse ei loci, non modo ut sola ponatur in summi boni sede, quam quaerimus, sed

---

2. *et iam* Bremius: *etiam* codd. — 5. *Callipho* A B: *Calliphon* O — 6. Lacunam primus indicavit Madvigius — 7. *fines sunt* B — *stoici* A B — 9. *rerum earum* A B: *earum rerum* O — 10. *euenerint* B — *reficientemque* A¹ B — 12. *Carneadi* A¹ B: *Carneadis* A² O — 13. Fort. *accessione ē, P.* — 14. *in* ante *honestate* om. B — 15. *Pyrrho*] *parirho* A; *pyrro* B — *erillus* A B: *Herillus* M O; sed aspiratio huius nominis admodum exigua nititur auctoritate; cf. Acad. II, § 129. infra § 43. IV, § 36. 40. V, § 23. 73. Tuscul. V, § 85. Offic. I, § 6. Etiam ap. Diogenem Laërt. incerta est. — 19. *si*] *sed* B — 19 et 20. *idem*] *id est* A¹ — *tenere -- idem* om. B — 20. *ut uoluptatem illam aristippi* A: *ut uol. illam aristippo* B; *ut ÷ voluptatem illam non Aristippi* O. *Aristippi* perversum esse additamentum librarii *illam* infelici conatu definientis ante Madvigium viderunt P. Marsus, Ursinus, Schuetzius. — 23. *cum* Th. Bentleius: om. codd.; post v. *litium* inseruit O cum Lambino. — 24. *priuatarum*] *priuarium* (sic) A¹ — *enim possumus*] litteras *m p* in rasura habet A — 25. *solent iudices* B — 26. *si quod* B — 27. *hoc* [*non*] *addito* cum Bremio O — *Quid iudicant* Ernestius: *quid iudicat* A; *quod iudicant* B — 28. *leue* (ut voluit Ernestius) A: *lene* B M O — *mouere stare* B — 29. *Aequam* ed. Ascensiana: *quam* codd. et O — 30. *primo* B — *rite potest appellari* B.

ne illo quidem modo, ut ad honestatem applicetur. De vacuitate doloris eadem sententia erit. 38. Reicietur etiam Carneades, nec ulla de summo bono ratio aut voluptatis non dolendive particeps aut honestatis expers probabitur. Ita relinquet duas, de quibus etiam atque etiam consideret. Aut enim statuet nihil esse bonum nisi honestum, nihil malum nisi turpe, cetera aut omnino nihil habere momenti aut tantum, ut nec expetenda nec fugienda, sed eligenda modo aut reicienda sint, aut anteponet eam, quam cum honestate ornatissimam, tum etiam ipsis initiis naturae et totius perfectione vitae locupletatam videbit. Quod eo liquidius faciet, si perspexerit, rerum inter eas verborumne sit controversia.

XIII. 39. Huius ego nunc auctoritatem sequens idem faciam. Quantum enim potero, minuam contentiones omnesque sententias simplices eorum, in quibus nulla inest virtutis adiunctio, omnino a philosophia semovendas putabo, primum Aristippi Cyrenaicorumque omnium, quos non est veritum in ea voluptate, quae maxima dulcedine sensum moveret, summum bonum ponere, contemnentis istam vacuitatem doloris. 40. Hi non viderunt, ut ad cursum equum, ad arandum bovem, ad indagandum canem, sic hominem ad duas res, ut ait Aristoteles, ad intellegendum et ad agendum esse natum, quasi mortalem deum, contraque ut tardam aliquam et languidam pecudem ad pastum et ad procreandi voluptatem hoc divinum animal ortum esse voluerunt, quo nihil mihi videtur absurdius. 41. Atque haec contra Aristippum, qui eam voluptatem non modo summam, sed solam etiam ducit, quam omnes unam appellamus voluptatem. Aliter autem vobis placet. Sed ille, ut dixi, vitiose. Nec enim figura corporis nec ratio excellens ingenii humani significat ad unam hanc rem natum hominem, ut frueretur voluptatibus. Nec vero audiendus Hieronymus, cui summum bonum est idem, quod vos interdum vel potius nimium saepe dicitis, nihil dolere. Non enim, si malum est dolor, carere eo malo satis est ad bene vivendum. Hoc dixerit potius Ennius:

Nimium boni est, cui nihil est mali.

Nos beatam vitam non depulsione mali, sed adeptione boni iudicemus, nec eam cessando, sive gaudentem, ut Aristippus, sive non dolentem, ut hic, sed agendo aliquid considerandove quaeramus. 42. Quae possunt eadem contra Carneadeum illud summum bonum dici, quod is non tam, ut probaret, protulit, quam ut Stoicis, quibuscum bellum gerebat, opponeret. Id autem eius modi est, ut additum ad virtutem auctoritatem

---

2. *erit* Th. Bentleius: *est* codd. et O — *etiam*] *autem* B — *carniades* A¹ — *summa honoracio* B — 3. *expers probabitur* A²: *exprobabitur* A¹; *expers probatur* B — 4. *relinquunt* B — 8. *ipsis* om. B — 9. *locupletam* B — 12. *sent. simpl.* A: *simpl. sent.* BMO — 13. *inest* A: *est* BM — *adiunctio, omnino* A: *omnino adiunctio* E; *omnis adiunccio* B — 14. *semouenda* B — *primum -- ponere* affert Gellius XV, 13. Cf. Auctorem incertum de verbo in Analectis gramm. Endlicheri p. 166. — *cyrenaicorumque omnium* etiam E — 18. *ad* ante *duas* om. E — *ad intellegendum et ad agendum* Ernestius: *ad intelleg. et agendum* A BE; *intelleg. et agendum* alii — 21. *quod nichil* B — 22. *astippum* A — 23. *ducit* A: *dicit* B — 24. *ille* om. B — 26. *unam hanc* AB: *hanc unam* O — 28. *potius* om. B — *sepe minimum* B — 29. *est dolor* AB: *dolor est* O — 31. *Nimium boni est cui nil est* [*in diem*] *mali* Io. Vahlen (Ennianae poesis Reliq. p. 118) coll. Eurip. Hec. 627. — 32. *boni dicemus* B — 35. *carneadum* B — 36. *opponeret* ACD: *apponerent* B.

videatur habiturum et expleturum cumulate vitam beatam, de quo omnis haec quaestio est. Nam qui ad virtutem adiungunt vel voluptatem, quam unam virtus minimi facit, vel vacuitatem doloris, quae, etiam si malo caret, tamen non est summum bonum, accessione utuntur non ita probabili, nec tamen, cur id tam parce tamque restricte faciant, intellego. Quasi enim emendum eis sit, quod addant ad virtutem, primum vilissimas res addunt, dein singulas potius quam omnia, quae prima natura approbavisset, ea cum honestate coniungerent. 43. Quae quod Aristoni et Pyrrhoni omnino visa sunt pro nihilo, ut inter optime valere et gravissime aegrotare nihil prorsus dicerent interesse, recte iam pridem contra eos desitum est disputari. Dum enim in una virtute sic omnia esse voluerunt, ut eam rerum selectione exspoliarent nec ei quicquam aut unde oriretur darent aut ubi niteretur, virtutem ipsam, quam amplexabantur, sustulerunt. Erillus autem ad scientiam omnia revocans unum quoddam bonum vidit, sed nec optimum nec quo vita gubernari possit. Itaque hic ipse iam pridem est reiectus; post enim Chrysippum non sane est disputatum.

XIV. Restatis igitur vos: nam cum Academicis incerta luctatio est, qui nihil affirmant et quasi desperata cognitione certi id sequi volunt, quodcumque veri simile videatur. 44. Cum Epicuro autem hoc plus est negotii, quod e duplici genere voluptatis coniunctus est, quodque et ipse et amici eius et multi postea defensores eius sententiae fuerunt, et nescio quo modo is, qui auctoritatem minimam habet, maximam vim, populus cum illis facit. Quos nisi redarguimus, omnis virtus, omne decus, omnis vera laus deserenda est. Ita ceterorum sententiis semotis relinquitur non mihi cum Torquato, sed virtuti cum voluptate certatio: quam quidem certationem homo et acutus et diligens, Chrysippus, non contemnit totumque discrimen summi boni in earum comparatione positum putat. Ego autem existimo, si honestum esse aliquid ostendero, quod sit ipsum sua vi propter seque expetendum, iacere vestra omnia. Itaque eo quale sit breviter, ut tempus postulat, constituto accedam ad omnia tua, Torquate, nisi memoria forte defecerit. 45. Honestum igitur id intellegimus, quod tale est, ut detracta omni utilitate sine ullis praemiis fructibusve per se ipsum possit iure laudari. Quod quale sit, non tam definitione, qua sum usus, intellegi potest, quamquam aliquantum potest, quam communi omnium iudicio et optimi cuiusque studiis atque

---

5. *intelligunt cum enim dandum eis* B — 7. *addunt* B — *dein* A: *deinde* B M O — 8. *ea c. honestate coniungerent* A B: *ea cum voluptate coniungerent* alii codd.; om. O cum P. Marso et Lambino. — *quod* Madvig: *cum* codd. et O — 9. *pirroni* A, *pyrroni* B — *sunt uisa* B — 11. *desitum est contra eos* B — 12. *selectione* A: *electione* B — *expoliauerunt* A; *spoliauerunt* B — 13. *oriretur darent* A: *ore retunderet* B — 14. *erillus* A B: *Herillus* M O. Cf. p. 107, 15. — 16. *reiectus* parvo spatio relicto om. B — *crisippum* A B; item v. 27. — 18. *incerta*] *uncta* A; *iuncta* B — *locucio* B — 20. *plus est* A B: *est plus* O — 23. *is*] *his* A — *habet* A¹ B: *habent* A² — 24. *populus cum illis* A C D: *cum illis populus* B — 26. *non mihi*] *enim michi* B — 27. *homo -- putat* affert Nonius p. 282. — *et diligens*] *sed diligens* A; om. B — 28. *earum* A B: *ea rerum* Nonii cod. Basil.; *eam rem rerum* Nonius Rothii; *eadem* O — 29. *existimo* om. B — *esse aliquid* A: *aliquid esse* B M O — 30. *sua ui* A: *in sua* B; *vi sua* M O — 32. *tua* A B: *via* E O — *nisi ubi memoria* D — *forte* om. B — 33. *int. tale quod detracta* (om. *est ut*) B — 34. *fructibus uespere* B — 36. *atque*] *et* B.

factis, qui permulta ob eam unam causam faciunt, quia decet, quia rectum, quia honestum est, etsi nullum consecuturum emolumentum vident. Homines enim, etsi aliis multis, tamen hoc uno plurimum a bestiis differunt, quod rationem habent a natura datam mentemque acrem et vigentem celerrimeque multa simul agitantem et, ut ita dicam, sagacem, quae et causas rerum et consecutiones videat et similitudines transferat et disiuncta coniungat et cum praesentibus futura copulet omnemque complectatur vitae consequentis statum. Eademque ratio fecit hominem hominum appetentem cumque iis natura et sermone et usu congruentem, ut profectus a caritate domesticorum ac suorum serpat longius et se implicet primum civium, deinde omnium mortalium societate, atque, ut ad Archytam scripsit Plato, non sibi se soli natum meminerit, sed patriae, sed suis, ut perexigua pars ipsi relinquatur. 46. Et quoniam eadem natura cupiditatem ingenuit homini veri videndi, quod facillime apparet, cum vacui curis etiam quid in caelo fiat scire avemus, his initiis inducti omnia vera diligimus, id est fidelia, simplicia, constantia, tum vana, falsa, fallentia odimus, ut fraudem, periurium, malitiam, iniuriam. Eadem ratio habet in se quiddam amplum atque magnificum, ad imperandum magis quam ad parendum accommodatum, omnia humana non tolerabilia solum, sed etiam levia ducens, altum quiddam et excelsum, nihil timens, nemini cedens, semper invictum. 47. Atque his tribus generibus honestorum notatis quartum sequitur et in eadem pulchritudine et aptum ex illis tribus, in quo inest ordo et moderatio. Cuius similitudine perspecta in formarum specie ac dignitate transitum est ad honestatem dictorum atque factorum. Nam ex his tribus laudibus, quas ante dixi, et temeritatem reformidat et non audet cuiquam aut dicto protervo aut facto nocere, vereturque quicquam aut facere aut eloqui, quod parum virile videatur.

XV. 48. Habes undique expletam et perfectam, Torquate, formam honestatis, quae tota quattuor his virtutibus, quae a te quoque commemoratae sunt, continetur. Hanc se tuus Epicurus omnino ignorare dicit, quam aut qualem esse velint, qui honestate summum bonum metiantur. Si ad honestatem enim omnia referantur, neque in ea voluptatem dicant inesse, ait eos voce inani sonare — his enim ipsis verbis utitur — neque intellegere nec videre, sub hanc vocem honestatis quae sit subicienda sententia. Ut enim consuetudo loquitur, id solum dicitur honestum, quod est populari fama gloriosum. Quod, inquit, quamquam voluptatibus

---

1. *unam causam* A: *causam unam* B M O — 3. *plurimum a bestiis* A B: *a bestiis plurimum* O — *habeant* A B — 5. *acrem* A B C: *et acrem* O — *et* om. B — *simul multa* B — 7. *diiuncta* M — 8. *consequentis*] *presentis* B — 9. *r. hominem fecit* B — *amicicias* post *hominum* inserendum significat A² in margine — *iis*] *his* A B O — 10. *a* om. B — 12. *mortalium omnium* B — 13. *solo* B — 14. *eadem*] *eam* B — 15. *etiam quid*] *et quid iam* B — 16. *avemus*] *habemus* A B — 18. *malitiam* om. B — *eadem enim r.* B — *quoddam* B — 21. *nemini*] *nulli* B — 24. *spē* E, ut et *spem* et *specie* legi possit. — 25. *ac dignitate*] *adignitate* A B — 27. *audet*] *audi* B — *nocere*] *nuere* A¹ — 28. *aut* post *facere* om. B — *eloqui* A B: *loqui* O — 30. *quattuor his* A: *his quattuor* B M O — 31. *si*] *se* B — 32. *qui* A: *hy qui* B; *ii qui* M — 33. *Si ad honestatem enim* A: *Si enim ad h.* B M O — *referant* Th. Bentleius — *dicunt* B — 34. *uoce inani* A B: *inani voce* O — 35. *intelligitur* E — *nec* A B: *neque* O — *hanc vocem* Wesenberg: *hac uoce* codd. et O.

quibusdam est saepe iucundius, tamen expetitur propter voluptatem. 49. Videsne, quam sit magna dissensio? Philosophus nobilis, a quo non solum Graecia et Italia, sed etiam omnis barbaria commota est, honestum quid sit, si id non sit in voluptate, negat se intellegere, nisi forte illud, quod multitudinis rumore laudetur. Ego autem hoc etiam turpe esse saepe iudico et, si quando turpe non sit, tum esse non turpe, cum id a multitudine laudetur, quod sit ipsum per se rectum atque laudabile, non ob eam causam tamen illud dici esse honestum, quia laudetur a multis, sed quia tale sit, ut, vel si ignorarent id homines vel si obmutuissent, sua tamen pulchritudine esset specieque laudabile. Itaque idem natura victus, cui obsisti non potest, dicit alio loco id, quod a te etiam paulo ante dictum est, non posse iucunde vivi nisi etiam honeste. 50. Quid nunc honeste dicit? idemne, quod iucunde? Ergo ita, non posse honeste vivi, nisi honeste vivatur. An nisi populari fama? Sine ea igitur iucunde negat posse *se* vivere? Quid turpius quam sapientis vitam ex insipientium sermone pendere? Quid ergo hoc loco intellegit honestum? Certe nihil nisi quod possit ipsum propter se iure laudari. Nam si propter voluptatem, quae est ista laus, quae possit e macello peti? Non is vir est, ut, cum honestatem eo loco habeat, ut sine ea iucunde neget posse vivi, illud honestum, quod populare sit, sentiat et sine eo neget iucunde vivi posse, aut quicquam aliud honestum intellegat nisi quod sit rectum ipsumque per se, sua vi, sua sponte, sua natura laudabile.

XVI. 51. Itaque, Torquate, cum diceres clamare Epicurum non posse iucunde vivi, nisi honeste et sapienter et iuste viveretur, tu ipse mihi gloriari videbare. Tanta vis inerat in verbis propter earum rerum, quae significabantur his verbis, dignitatem, ut altior fieres, ut interdum insisteres, ut nos intuens quasi testificarere, laudari honestatem et iustitiam aliquando ab Epicuro. Quam te decebat iis verbis uti, quibus si philosophi non uterentur, philosophia omnino non egeremus. Istorum enim verborum amore, quae perraro appellantur ab Epicuro, sapientiae, fortitudinis, iustitiae, temperantiae, praestantissimis ingeniis homines se ad philosophiae studium contulerunt. 52. Oculorum, inquit Plato, est in nobis sensus acerrimus, quibus sapientiam non cernimus. Quam illa ardentis amores excitaret sui, si videretur! Cur tandem? an quod ita callida est, ut optime possit architectari voluptates? Cur iustitia lauda-

---

1. *quibus* om. B — 2. *nobilis*] *nobis hys* B — 3. *h. quod sit* B — 4. *non sit* Madvigius: *non est* codd. et O — 5. *laudetur* A B: *laudatur* O — 6. *esse* om. B — *tum esse* A B E: *tum non esse* O — 7. *quod sit* A B: *Quod si sit* O — 8. *non ob eam causam tamen* A: *tamen non ob eam c.* B M — *esse h.* A: *h. esse* B M O — *laudatur* B — 10. *Ita idemque* E — 11. *quod*] *quid* B — 12. *ante paulo* E; *ante populo* B — *etiam* post *nisi* A B: om. O — 13. *Ergo*] *ego* B — 15. *posse se vivere* nos: *posse uiuere* codd.; *posse vivi* cum Lambino et Th. Bentleio M O. At h. l. non universe dici sententiam, sed ad Epicurum ipsum (sapientem) adhiberi, docent proxima verba. — 16. *ex*] *et* B — *pendere sermone* B — 18. *Non si* B — 19. *petitur* B — *et cum* B — 20. *quod populare sit*] *propter populare sic* B — 21. *neget iocunde* A B: *iucunde neget* M O — 22. *sua sponte, sua natura* A: *sua natura sua sponte* B M O — 25. *tū ipse* B — 28. *testificarere* A²: *testificare* A¹; *testificari* B — 29. *decebat* A²: *dicebat* A¹ B — *iis*] *his* A B O — 30. *non* ante *uterentur* om. B, non E — 34. *acerrimis* A¹ — 35. *si videretur* om. A B; *si cerneretur* Halmius — *an quod - - voluptates* Nonius p. 70. — 36. *callida est*] *classidas* Nonius.

tur? aut unde est hoc contritum vetustate proverbium, quicum in tenebris? Hoc dictum in una re latissime patet, ut in omnibus factis re, non teste moveamur. 53. Sunt enim levia et perinfirma, quae dicebantur a te, animi conscientia improbos excruciari, tum etiam poenae timore, qua aut afficiantur aut semper sint in metu ne afficiantur aliquando. Non oportet timidum aut imbecillo animo fingi non bonum illum virum, qui, quicquid fecerit, ipse se cruciet omniaque formidet, sed omnia callide referentem ad utilitatem, acutum, versutum, veteratorem, facile ut excogitet, quo modo occulte, sine teste, sine ullo conscio fallat. 54. An tu me de Lucio Tubulo putas dicere? qui cum praetor quaestionem inter sicarios exercuisset, ita aperte cepit pecunias ob rem iudicandam, ut anno proximo P. Scaevola tribunus pl. ferret ad plebem, vellentne de ea re quaeri. Quo plebiscito decreta a senatu est consuli quaestio Cn. Caepioni: profectus in exsilium Tubulus statim nec respondere ausus *est*; erat enim res aperta.

XVII. Non igitur de improbo, sed de callido improbo quaerimus, qualis Q. Pompeius in foedere Numantino infitiando fuit, nec vero omnia timente, sed primum qui animi conscientiam non curet, quam scilicet comprimere nihil est negotii. Is enim, qui occultus et tectus dicitur, tantum abest ut se indicet, perficiet etiam ut dolere alterius improbo facto videatur: quid est enim aliud esse versutum? 55. Memini me adesse P. Sextilio Rufo, cum is rem ad amicos ita deferret, se esse heredem Q. Fadio Gallo, cuius in testamento scriptum esset, se ab eo rogatum, ut omnis hereditas ad filiam perveniret. Id Sextilius factum negabat. Poterat autem impune: quis enim redargueret? Nemo nostrum credebat eratque veri similius hunc mentiri, cuius interesset, quam illum, qui id se rogasse scripsisset, quod debuisset rogare. Addebat etiam se in legem Voconiam iuratum contra eam facere non audere, nisi aliter amicis videretur. Aderamus nos quidem adulescentes, sed multi amplissimi viri, quorum nemo censuit plus Fadiae dandum, quam posset ad eam lege Voconia pervenire. Tenuit permagnam Sextilius hereditatem, unde, si secutus esset eorum sententiam, qui honesta et recta emolumentis omnibus et commodis anteponerent, nummum nullum attigisset. Num igitur eum postea censes anxio animo aut sollicito fuisse? Nihil minus contraque illa hereditate dives ob eamque rem laetus; magni enim aestimabat pecuniam non modo non contra leges, sed etiam legibus partam, quae quidem vel cum periculo est quaerenda vobis: est enim effectrix multarum et magnarum voluptatum. 56. Ut igitur illis,

---

4. *animi*] *cum animi* ed. Veneta a. 1488. — *etiam*] *enim* B — 5. *qua aut* A[2]: *qua ut* A[1] B — 6. *oportet* AB: *omnem* E — *inbecilli* B — 7. *quicquid* A: *quicquam* B — 8. *uersatum* E — 9. *excogitare* B — *quo modo* AB: *quo* O — 10. *lucio* AB: *L.* MO — 11. *ita*] *itaque* B — 12. *tribunus pl.*] TR. PL. AB; *tribunus plebis* MO — *ferrent* B — 13. *Quo*] *quae* B — 14. *Caepioni* AD: *scipioni* B — 15. *ausus est* ed. Romana: *ausus* (om. *est*) codd. et MO — 16. *sed callido* AB; *sed de callide* O — 17. *fodere* A; *federe* B — 18. *timente* Lambinus: *timentē* A, *timentem* B — 19. *rectus* B — 20. *etiam* A: *et* B — *improbo* AC: *improbe* B MO — 22. *Rufo*] *fuso* A — *rem ad amicos* AB: *ad amicos rem* O — 23. *Fadio*] *fabio* AB, qui tamen recte infra v. 30 habent *fadiae* et p. 113, 21 *fadius* — 24. *factum Sextilius* B — 25. *redarguet* A[1] — 26. *hānc* B — 27. *id* om. B — 29. *sed* AB: *sed etiam* O — 33. *nummum nullum* ABC: *ne nummum quidem unum* O — 35. *eamque*] *eam* B.

qui, recta et honesta quae sunt, ea statuunt per se expetenda, adeunda sunt quaevis pericula decoris honestatisque causa, sic vestris, qui omnia voluptate metiuntur, pericula adeunda sunt, ut adipiscantur magnas voluptates. Si magna res, magna hereditas agetur, cum pecunia voluptates pariantur plurimae, idem erit Epicuro vestro faciendum, si suum finem bonorum sequi volet, quod Scipioni, magna gloria proposita, si Hannibalem in Africam retraxisset. Itaque quantum adiit periculum! ad honestatem enim illum omnem conatum suum referebat, non ad voluptatem. Sic vester sapiens magno aliquo emolumento commotus † cum causa, si opus erit, dimicabit. 57. Occultum facinus esse potuerit, gaudebit: deprehensus omnem poenam contemnet. Erit enim instructus ad mortem contemnendam, ad exsilium, ad ipsum etiam dolorem. Quem quidem vos, cum improbis poenam proponitis, impetibilem facitis, cum sapientem semper boni plus habere vultis, tolerabilem.

XVIII. Sed finge non solum callidum eum, qui aliquid improbe faciat, verum etiam praepotentem, ut M. Crassus fuit — qui tamen solebat uti suo bono —, ut hodie est noster Pompeius, cui recte facienti gratia est habenda: esse enim quam vellet iniquus poterat impune. Quam multa vero iniuste fieri possunt, quae nemo possit reprehendere! 58. Si te amicus tuus moriens rogaverit, ut hereditatem reddas suae filiae, nec usquam id scripserit, ut scripsit Fadius, nec cuiquam dixerit, quid facies? Tu quidem reddes: ipse Epicurus fortasse redderet, ut Sextus Peducaeus, Sex. f., is, qui hunc nostrum reliquit effigiem et humanitatis et probitatis suae filium, cum doctus, tum omnium vir optimus et iustissimus, cum sciret nemo eum rogatum a Gaio Plotio, equite Romano splendido, Nursino, ultro ad mulierem venit eique nihil opinanti viri mandatum exposuit hereditatemque reddidit. Sed ego ex te quaero, quoniam idem tu certe fecisses, nonne intellegas eo maiorem vim esse naturae, quod ipsi vos, qui omnia ad vestrum commodum et, ut ipsi dicitis, ad voluptatem referatis, tamen ea faciatis, e quibus appareat non voluptatem vos, sed officium sequi, plusque rectam naturam quam rationem pravam valere? 59. Si scieris, inquit Carneades, aspidem occulte latere uspiam et velle aliquem imprudentem super eam assidere, cuius mors tibi emolumentum futura sit, improbe feceris, nisi monueris ne assidat. Sed impunite tamen; scisse enim te quis coarguere possit? Sed nimis multa. Perspicuum est enim, nisi aequitas, fides, iustitia proficiscantur a natura, et si omnia haec ad utilitatem referantur, virum

1. *qui*] *que* B — 2. *quaevis*] *ceu* (correctum, ut videtur, ex *seu*) A; *scpe* B — 5. *periantur* A[1] — *idem* codd. aliquot: *idemque* A B O (*voluptates; si magnae res - - pariantur plurimae: idemque* distinxit O) — *vestro*] *nescio* E — 8. *illum* A B: *ille* O — 9. *cum causa si* A B: *animi causa si* C et obelo praefixo O; *cum iam sibi* G; *capitis causa si* Klotzius; *cum amico si* Madvigius (in commentario) — 10. *erit* A B E: *fuerit* M O — *Occultum*] *si occultum* G — 12. *Quem*] *quam* B — *impetibilem* A B G: *impatibilem* O — 17. *noster*] *uester* B — 18. *iniquus*] *iniquus iustus* A — 20. *suae filiae* A D: *filiae suae* B M O — 21. *ut scripsit* om. D — *Fadius*] *foedus* D — 22. *quid*] *quod* B — *Sextus* A B: *Sex.* M O — 24. *cum* A B: *tum* O — 25. *tum sc.* E — *gaio* A B: *C.* M O — 26. *Nursino*] *mirsino* A[1] — 29. *et ipsi ut* B — 31. *plus quam rectam* B — 34. *emolumentum futura* A B C D: *emolumentum factura* G O; *emolumento futura* codd. Oxonn. duo. — *monueris eum ne* B — 35. *assidat* A B: *assideat* O — *impunite* A B: *impune* O.

bonum non posse reperiri, deque his rebus satis multa in nostris de re publica libris sunt dicta a Laelio.

XIX. 60. Transfer idem ad modestiam vel temperantiam, quae est moderatio cupiditatum rationi oboediens. Satisne ergo pudori consulat, si quis sine teste libidini pareat? An est aliquid per se ipsum flagitiosum, etiam si nulla comitetur infamia? Quid? fortes viri voluptatumne calculis subductis proelium ineunt, sanguinem pro patria profundunt, an quodam animi ardore atque impetu concitati? Utrum tandem censes, Torquate, Imperiosum illum, si nostra verba audiret, tuamne de se orationem libentius auditurum fuisse an meam, cum ego dicerem nihil eum fecisse sua causa omniaque rei publicae, tu contra nihil nisi sua? Si vero id etiam explanare velles apertiusque diceres nihil eum fecisse nisi voluptatis causa, quo modo eum tandem laturum fuisse existimas? 61. Esto: fecerit, si ita vis, Torquatus propter suas utilitates — malo enim *ita* dicere quam voluptates, in tanto praesertim viro —: num etiam eius collega P. Decius, princeps in ea familia consulatus, cum se devoveret et equo admisso in mediam aciem Latinorum irruebat, aliquid de voluptatibus suis cogitabat? Ubi ut eam caperet aut quando, cum sciret confestim esse moriendum eamque mortem ardentiore studio peteret, quam Epicurus voluptatem petendam putat? Quod quidem eius factum nisi esset iure laudatum, non esset imitatus quarto consulatu suo filius, neque porro ex eo natus cum Pyrrho bellum gerens consul cecidisset in proelio seque e continenti genere tertiam victimam rei publicae praebuisset. 62. Contineo me ab exemplis. Graecis hoc modicum est, Leonidas, Epaminondas, tres aliqui aut quattuor: ego, si nostros colligere coepero, perficiam illud quidem, ut se virtuti tradat constringendam voluptas; sed dies me deficiet et, ut Aulus Varius, qui est habitus iudex durior, dicere consessori solebat, cum datis testibus alii tamen citarentur, «aut hoc testium satis est aut nescio, quid satis sit,» sic a me satis datum est testium. Quid enim? te ipsum, dignissimum maioribus tuis, voluptasne induxit ut adulescentulus eriperes P. Sullae consulatum? Quem cum ad patrem tuum rettulisses, fortissimum virum, qualis ille vel consul vel civis cum semper, tum post consulatum fuit! quo quidem auctore nos ipsi ea gessimus, ut omnibus potius quam ipsis nobis consuluerimus. 63. At quam pulchre dicere videbare, cum ex altera parte ponebas cumulatum aliquem plurimis et maximis voluptatibus, nullo nec praesenti nec futuro dolore, ex altera autem cruciatibus

---

3. *uel cupiditatum temperantiam quae est moderatio rationi* B — 4. *obediens* A B O — 13. *existimas* A B: *existimes* O — 15. *ita* Bremius: *sic* Klotzius in Prooemio; om. codd. et M O. Cf. Wesenberg *Emendatt. Cic. Epist.* p. 51. — *etiam*] *et* B — 16. *eius collega* A: *collega eius* B M — *devoverat et equo - - irruebat, aliquid* cum Davisio M; *devoveret — et equo admisso - - irruebat —, aliquid* Wexius (ad Taciti Agric. p. 33) cum hac adnotatione: «Parenthesis hanc adicit sententiam *et in certam ille ruebat mortem,* quam paulo post repetitam legimus *cum sciret confestim esse moriendum.* Cf. Tuscul. I, § 89. Amant autem Latini particulam *et* in interposita sententia. Liv. 23, 44. 24, 7. 25, 47. 29, 23.» — 18. *ubi ut* A[1] B: *ubi aut* A[2]: *Nam ubi* O — 21. *iure esset* B — *consolatu* A — 22. *pirro* A, *pyrro* B — 23. *e* om. B — 24. *modicum*] *modo cum* A[1] — 26. *quidem*] *quid est* B — 27. *et* om. B — *aulus* A B: *A.* M O — 28. *habitus est* B — *confessori* B — 29. *sit* om. B — 32. *retulisses* A B O — 33. *ciuis eum semper cum* B — 36. *aliquem cumulatum* B.

maximis, toto corpore, nulla nec adiuncta nec sperata voluptate, et quaerebas: quis aut hoc miserior aut superiore illo beatior? deinde concludebas, summum malum esse dolorem, summum bonum voluptatem!

XX. Lucius Thorius Balbus fuit, Lanuvinus, quem meminisse tu non potes. Is ita vivebat, ut nulla tam exquisita posset inveniri voluptas, qua non abundaret. Erat et cupidus voluptatum et eius generis intellegens et copiosus, ita non superstitiosus, ut illa plurima in sua patria sacrificia et fana contemneret, ita non timidus ad mortem, ut in acie sit ob rem publicam interfectus. 64. Cupiditates non Epicuri divisione finiebat, sed sua satietate. Habebat tamen rationem valetudinis: utebatur iis exercitationibus, ut ad cenam et sitiens et esuriens veniret, eo cibo, qui et suavissimus esset et idem facillimus ad concoquendum, vino et ad voluptatem et ne noceret. Cetera illa adhibebat, quibus demptis negat se Epicurus intellegere quid sit bonum. Aberat omnis dolor, qui si adesset, nec molliter ferret et tamen medicis plus quam philosophis uteretur: color egregius, integra valetudo, summa gratia, vita denique conferta voluptatum omnium varietate. 65. Hunc vos beatum: ratio quidem vestra sic cogit: at ego quem huic anteponam non audeo dicere: dicet pro me ipsa virtus nec dubitabit isti vestro beato M. Regulum anteponere, quem quidem, cum sua voluntate, nulla vi coactus praeter fidem, quam dederat hosti, ex patria Karthaginem revertisset, tum ipsum, cum vigiliis et fame cruciaretur, clamat virtus beatiorem fuisse quam potantem in rosa Thorium. Bella magna gesserat, bis consul fuerat, triumpharat, nec tamen sua illa superiora tam magna neque tam praeclara ducebat quam illum ultimum casum, quem propter fidem constantiamque susceperat, qui nobis miserabilis videtur audientibus, illi perpetienti erat voluptarius. Non enim hilaritate nec lascivia nec risu aut ioco, comite levitatis, saepe etiam tristes firmitate et constantia sunt beati. 66. Stuprata per vim Lucretia a regis filio, testata civis, se ipsa interemit. Hic dolor populi Romani duce et auctore Bruto causa civitati libertatis fuit, ob eiusque mulieris memoriam primo anno et vir et pater eius consul est factus. Tenuis Lucius Verginius unusque de multis sexagesimo anno post libertatem receptam virginem filiam sua manu occidit potius, quam ea Ap. Claudii libidini, qui tum erat summo imperio, dederetur.

XXI. 67. Aut haec tibi, Torquate, sunt vituperanda aut patrocinium

---

1. *adiuncto* A[1] — 2. *miseriorum* -- *beatiorum* B — *beatior* AB: *beatior foret* MO. Cf. I, § 41. — 4. *lucius* AB: *L.* MO — 5. *uol. posset inueniri* B — 6. *eius gen.* AB: *cuiusvis generis eius* O; *cuiusuis generis* [*eius*] M — 8. *sacrificia* codd.: *et sacrificia* O — 10. *habebat. tamen ratione ualitudinis* codd. — 11. *iis*] *his* AO; *hys* B — *cenam* A; *scenam* B; *coenam* MO — *et sitiens et esuriens* AB: *et esuriens et sitiens* MO — 12. *ad coquendum* B — 17. *vita*] *una* B — *voluptatum conferta* B — *omni* DE — 18. *cogit: at ego* Th. Bentleius: *cogitat ego* codd.; *cogit: ego* O — *quem huic* AB: *huic quem* O — 20. *uoluptate* BE — 21. *Kartag.* B, *cartag.* A — 22. *tum*] *eum* ABD — 23. *fuisse*] *esse* B — *rosa. thorius b.* AB — 24. *sua illa superiora* A: *illa sua superiora* BM; *sua superiora illa* O — 25. *propter* B: *praeter* AC — 27. *voluptarius* P. Marsus: *uoluntarius* codd. — *hilaritate*] *in largitate* A[1] — *nec* A: *et* BMO — 28. *saepe* AB: *et saepe* E; *sed saepe* MO — 30. *ipsa* A: *ipsam* B — *interfecit* B — 32. *factus est* B — *lucius* AB: *L.* MO — *uerginius* AB: *Virginius* O — 33. *suam manu* AB — 34. *potius*] *post* A[1] — *Ap.*] *P.* AB; *App.* O — *tum*] *tamen* B — 35. *imperio* AB: *in imperio* O.

voluptatis repudiandum. Quod autem patrocinium aut quae ista causa est voluptatis, quae nec testes ullos e claris viris nec laudatores poterit adhibere? Ut enim nos ex annalium monimentis testes excitamus eos, quorum omnis vita consumpta est in laboribus gloriosis, qui voluptatis nomen audire non possent, sic in vestris disputationibus historia muta est. Numquam audivi in Epicuri schola Lycurgum, Solonem, Miltiadem, Themistoclem, Epaminondam nominari, qui in ore sunt ceterorum omnium philosophorum. Nunc vero, quoniam haec nos etiam tractare coepimus, suppeditabit nobis Atticus noster e thesauris suis quos et quantos viros! 68. Nonne melius est de his aliquid quam tantis voluminibus de Themista loqui? Sint ista Graecorum, quamquam ab iis philosophiam et omnes ingenuas disciplinas habemus, sed tamen est aliquid, quod nobis non liceat, liceat illis. Pugnant Stoici cum Peripateticis. Alteri negant quicquam esse bonum nisi quod honestum sit, alteri plurimum se et longe longeque plurimum tribuere honestati, sed tamen et in corpore et extra esse quaedam bona. Et certamen honestum et disputatio splendida! omnis est enim de virtutis dignitate contentio. At cum tuis cum disseras, multa sunt audienda etiam de obscenis voluptatibus, de quibus ab Epicuro saepissime dicitur. 69. Non potes ergo ista tueri, Torquate, mihi crede, si te ipse et tuas cogitationes et studia perspexeris: pudebit te, inquam, illius tabulae, quam Cleanthes sane commode verbis depingere solebat. Iubebat eos, qui audiebant, secum ipsos cogitare pictam in tabula Voluptatem, pulcherrimo vestitu et ornatu regali in solio sedentem: praesto esse Virtutes ut ancillulas, quae nihil aliud agerent, nullum suum officium ducerent, nisi ut Voluptati ministrarent et eam tantum ad aurem admonerent, si modo id pictura intellegi posset, ut caveret ne quid faceret imprudens, quod offenderet animos hominum, aut quicquam, e quo oriretur aliquis dolor. «Nos quidem Virtutes sic natae sumus, ut tibi serviremus; aliud negotii nihil habemus.»

XXII. 70. At negat Epicurus — hoc enim vestrum lumen est — quemquam, qui honeste non vivat, iucunde posse vivere. Quasi ego id curem, quid ille aiat aut neget: illud quaero, quid ei, qui in voluptate summum bonum ponat, consentaneum sit dicere. Quid affers, cur Thorius, cur † Chius Postumius, cur omnium horum magister, Orata, non iucundissime vixerit? Ipse negat, ut ante dixi, luxuriosorum vitam reprendendam, nisi plane fatui sint, id est, nisi aut cupiant aut metuant: quarum ambarum rerum cum medicinam pollicetur, luxuriae

3. *animalium* BE — *monimentis* AB: *monumentis* MO — 4. *qui* om. E; *ubi* Madvig in adnotatione; *qui* (labores) *voluptatis nomen adire* Halmius. — 6. *ligurcum* A, *lygurgum* B — *miliciadem* A — 7. *ceterorum omnium philosophorum* A: *philosophorum ceterorum omnium* B; *ceterorum philosophorum omnium* EM — 8. *etiam*] *et* B — 9. *suppeditabat* B — *e* AB: *et* E; *de* O — 11. *loqui?*] *loquitur* B — *iis*] *his* ABO — 17. *est* om. B — *tuis*] *tu vis* B — 18. *cum* in A subducta linea deletum et sec. m. superscriptum est *tu* — *desideras* B; *dissertas* Naegelsbach — *de* ante *quibus* om. AB — 19. *dicitur*] *dici* E — *ergo*] *igitur* B — 24. *ut*] *ac* B — 25. *ministraret* BE — 28. *quicquid* B — *dolor*] *dolorum* BE — 29. *negotium nihil* A; *negocium non* BE — 30. *epicurus negat* B — 31. *quasi* -- *neget* Nonius p. 70. — 32. *quid*] *quod* Nonius — *aiat*] *alat* ABE — *qui uoluptatē* B — 33. *ponat* ABE: *putat* codd. plerique — 34. *cur chius* ACDE: *curehius* B; *cur C. Hirrius* Scaliger (coll. Varrone de R. R. III, 17, 3 et Plinio N. H. IX, § 171) et O — *postumus* BE — 36. *id est*] *idē* B, *idem* E — 37. *medicinam cum* E; *cum* om. B.

licentiam pollicetur. His enim rebus detractis negat se reperire in asotorum vita quod reprendat. 71. Non igitur potestis voluptate omnia dirigentes aut tueri aut retinere virtutem. Nam nec vir bonus ac iustus haberi debet, qui, ne malum habeat, abstinet se ab iniuria: nosti credo illud:

Nemo pius est, qui pietatem - - -

cave putes quicquam esse verius. Nec enim, dum metuit, iustus est: et certe, si metuere destiterit, non erit: non metuet autem, sive celare potuerit sive opibus magnis, quicquid fecerit, optinere, certeque malet existimari bonus vir, ut non sit, quam esse, ut non putetur. Ita, quod † certissimum est, pro vera certaque iustitia simulationem nobis iustitiae traditis praecipitisque quodam modo ut nostram stabilem conscientiam contemnamus, aliorum errantem opinionem aucupemur. 72. Quae dici eadem de ceteris virtutibus possunt, quarum omnium fundamenta vos in voluptate tamquam in aqua ponitis. Quid enim? fortemne possumus dicere eundem illum Torquatum? — delector enim, quamquam te non possum, ut ais, corrumpere, delector, inquam, et familia vestra et nomine. Et hercule mihi vir optimus nostrique amantissimus, Aulus Torquatus, versatur ante oculos, cuius quantum studium et quam insigne fuerit erga me temporibus illis, quae nota sunt omnibus, scire necesse est utrumque vestrum: quae mihi ipsi, qui volo et esse et haberi gratus, grata non essent, nisi eum perspicerem mea causa mihi amicum fuisse, non sua, nisi hoc dicis sua, quod interest omnium recte facere. Si id dicis, vicimus; id enim volumus, id contendimus, ut officii fructus sit ipsum officium. 73. Hoc ille tuus non vult omnibusque ex rebus voluptatem quasi mercedem exigit: sed ad illum redeo. — Si voluptatis causa cum Gallo apud Anienem depugnavit provocatus et ex eius spoliis sibi et torquem et cognomen induit ullam aliam ob causam, nisi quod ei talia facta digna viro videbantur, fortem non puto. Iam si pudor, si modestia, si pudicitia, si uno verbo temperantia poenae aut infamiae metu coercebuntur, non sanctitate sua se tuebuntur, quod adulterium, quod stuprum, quae libido non se proripiet ac proiciet aut occultatione proposita aut impunitate aut licentia? 74. Quid? illud, Torquate, quale tandem videtur, te isto nomine, ingenio, gloria, quae facis, quae cogitas, quae contendis quo referas, cuius rei causa perficere quae conaris velis, quid optimum denique in vita iudices, non audere in conventu dicere? Quid enim mereri velis, iam cum magistratum inieris et in contionem ascenderis — est enim tibi edicendum, quae sis observaturus in iure dicendo, et fortasse etiam, si tibi erit visum, aliquid de maioribus tuis

---

3. *nec*] *nisi* B (non E) — 6. *pietate* E — 7. *putes quicquam* AB: *quidquam putes* O — 8. *destiterit*] *desistit* A; *destitere* B — 9. *poterit* A: *potuerit* BMO — *quicquid* ABDE. Errat Madvigius adnotans: «*quicquam* omnes.» — *malet*] *mallet* ABDE; *malle* C — 10. *bonus uir* AD: *uir bonus* BM — 11. *certissimum*] *turpissimum* Th. Bentleius; *perniciosissimum* Bremius; *perversissimum* Klotzius — 15. *fortem non p.* E — 17. *possum*] *possumus* B — 18. *nostri* Q (sic) *am.* E — *aulus* B: *aulius* A; *A.* MO — 19. *et quam* (*tam* B) *insigne fuerit* AB: *fuerit et tam insigne fuerit* E; *fuerit et quam insigne* MO — 25. *voluptatem* om. B — 27. *eius* om. A¹ — 28. *ullam* ed. Veneta a. 1480: *nullam* codd. — 29. *pudor* AB: *pudor est* E — 30. *poenae* om. B — 33. *ac licentia* Lambinus — *Quid*] *quod* B — 35. *quo*] *quae* B (non E) — 36. *quid*] *quod* ABE — 37. *merere* B — *contencionem* B.

et de te ipso dices more maiorum —, quid merearis igitur, ut dicas te in eo magistratu omnia voluptatis causa facturum esse teque nihil fecisse in vita nisi voluptatis causa? An me, inquis, tam amentem putas, ut apud imperitos isto modo loquar? At tu eadem ista dic in iudicio aut, si coronam times, dic in senatu: numquam facies. Cur, nisi quod turpis oratio est? Mene ergo et Triarium dignos existimas, apud quos turpiter loquare?

XXIII. 75. Verum esto: verbum ipsum voluptatis non habet dignitatem, nec nos fortasse intellegimus: hoc enim identidem dicitis, non intellegere nos, quam dicatis voluptatem. Rem videlicet difficilem et obscuram! Individua cum dicitis et intermundia, quae nec sunt ulla nec possunt esse, intellegimus: voluptas, quae passeribus nota est omnibus, a nobis intellegi non potest? Quid? si efficio ut fateare me non modo quid sit voluptas scire — est enim iucundus motus in sensu —, sed etiam, quid eam tu velis esse? Tum enim eam ipsam vis, quam modo ego dixi, et nomen imponis, in motu ut sit et faciat aliquam varietatem, tum aliam quandam summam voluptatem, quo addi nihil possit: eam tum adesse, cum dolor omnis absit: eam stabilem appellas. 76. Sit sane ista voluptas. Dic in quovis conventu te omnia facere, ne doleas. Si ne hoc quidem satis ample, satis honeste dici putas, dic te omnia et in isto magistratu et in omni vita utilitatis tuae causa facturum, nihil nisi quod expediat, nihil denique nisi tua causa: quem clamorem contionis aut quam spem consulatus eius, qui tibi paratissimus est, futuram putas? Eamne rationem igitur sequere, qua tecum ipse et cum tuis utare, profiteri et in medium proferre non audeas? At vero illa, quae Peripatetici, quae Stoici dicunt, semper tibi in ore sunt, in iudiciis, in senatu: officium, aequitatem, dignitatem, fidem, recta, honesta, digna imperio, digna populo Romano, omnia pericula pro re publica, mori pro patria, haec cum loqueris, nos barones stupemus, tu videlicet tecum ipse rides. 77. Nam inter ista tam magnifica verba tamque praeclara non habet ullum voluptas locum, non modo illa, quam in motu esse dicitis, quam omnes urbani, rustici, omnes, inquam, qui Latine locuntur, voluptatem vocant, sed ne haec quidem stabilis, quam praeter vos nemo appellat voluptatem.

XXIV. Vide igitur ne non debeas verbis nostris uti, sententiis tuis. Quod si vultum tibi, si incessum fingeres, quo gravior viderere, non esses tui similis: verba tu fingas et ea dicas, quae non sentias? aut etiam, ut vestitum, sic sententiam habeas aliam domesticam, aliam forensem, ut in fronte ostentatio sit, intus veritas occultetur? Vide, quaeso,

---

1. *dicas te* A B: *te dicas* O — 5. *quod* A: om. B — 6. *existimas* B: *existimes* A — *quos*] *quod* B (non E) — 7. *loquare uerum. esto* A; *loquere verum esto* B E — 10. *voluptatis* B — *videlicet* Manutius: *uides* codd. et O — 11. *cum dicitis* om. D — 12. *nota est omnibus* A: *omnibus nota est* B M O — 13. *ut* om. B (non E) — *me*] *ne* B E — 14. *scire*] *sciretur* B — 15. *eam tu uelis* A: *velis tu eam* B M — 16. *dixi ego* B E — *n. iam ponis* B — 17. *quo* A: *qua* B E; *cui* M O — 18. *assit* B — *eam* A B: *eamque* M O — 19. *in quo conventu vis* B — *te omnia*] *omnia te* A; sed incertum est utrum h. l. an v. 20. — 20. *Si ne*] *Sum* E — *quidem* A: *quid est* B E — 22. *tua* A: *tui* B — 24. *putas* cod. Monacensis Madvigii: *putes* A B O — *sequere* A: *sequare* B M O — 25. *profiteri* A B: *profiteri autem* M O — 30. *magnificata verba* B — 35. *debeas*] *dubites* D — 36. *fringeres* A — 37. *esse* B — 38. *ut*] *sic* B; *sit* E.

rectumne sit. Mihi quidem eae verae videntur opiniones, quae honestae, quae laudabiles, quae gloriosae, quae in senatu, quae apud populum, quae in omni coetu concilioque profitendae sint, ne id non pudeat sentire, quod pudeat dicere. 78. Amicitiae vero locus ubi esse potest aut quis amicus esse cuiquam, quem non ipsum amet propter ipsum? Quid autem est amare, e quo nomen ductum amicitiae est, nisi velle bonis aliquem affici quam maximis, etiam si ad se ex iis nihil redeat? Et prodest, inquit, mihi eo esse animo. Immo videri fortasse: esse enim, nisi videris, non prodest. Qui autem esse poteris, nisi te amor ipse ceperit? quod non subducta utilitatis ratione effici solet, sed ipsum a se oritur et sua sponte nascitur. «At enim sequor utilitatem.» Manebit ergo amicitia tam diu, quam diu sequetur utilitas, et, si utilitas constituet amicitiam, tollet eadem. 79. Sed quid ages tandem, si utilitas ab amicitia, ut fit saepe, defecerit? Relinquesne? quae ista amicitia est? Retinebis? qui convenit? quid enim de amicitia statueris utilitatis causa expetenda, vides. «Ne in odium veniam, si amicum destitero tueri.» Primum cur ista res digna odio est, nisi quod est turpis? Quod si, ne quo incommodo afficiare, non relinques amicum, tamen, ne sine fructu alligatus sis, ut moriatur optabis. Quid? si non modo utilitatem tibi nullam afferet, sed iacturae rei familiaris erunt faciundae, labores suscipiendi, adeundum vitae periculum, ne tum quidem te respicies et cogitabis sibi quemque natum esse et suis voluptatibus? Vadem te ad mortem tyranno dabis pro amico, ut Pythagoreus ille Siculo fecit tyranno, aut, Pylades cum sis, dices te esse Oresten, ut moriare pro amico? aut, si esses Orestes, Pyladem refelleres, te indicares et, si id non probares, quo minus ambo una necaremini non precarere?

XXV. 80. Faceres tu quidem, Torquate, haec omnia; nihil enim arbitror esse magna laude dignum, quod te praetermissurum credam aut mortis aut doloris metu. Non quaeritur autem, quid naturae tuae consentaneum sit, sed quid disciplinae. Ratio ista, quam defendis, praecepta, quae didicisti, quae probas, funditus evertunt amicitiam, quamvis eam Epicurus, ut facit, in caelum efferat laudibus. «At coluit ipse amicitias.» Quis, quaeso, illum negat et bonum virum et comem et humanum fuisse? De ingenio eius in his disputationibus, non de moribus

---

1. *quidem*] *quid* B E — *eae*] *hae* A; *et* B E — 3. *profitendae* A B D: *proferendae* O — *ne id pudeat non* (*ne* E) *sentire quod non p. d.* B E — 7. *ex his nihil* A; *nihil ex hys* B; *nihil ex iis* M O — *redeunt* A B E — *et* A B: *Et quidem* O; *At* Madvig in commentario. Cf. M. Seyffert *Scholl. Latt.* p. 146. — 9. *nisi videris, non prodest* Graserus: *nisi eris, non potes* codd. et M O — *qui autem -- solet* Nonius p. 399. — *poteris*] *potes* Nonius — 10. *subducta* Nonius: *subdubia* codd. Tulliani — *a* A B: *ad* E — 11. *sequor utilitatem*] *sequitur utilitas* Graserus — 12. *quam diu* om. A' B — *constituet amicitiam* A: *amicitiam constituet* B M O — 13. *agis* B — 14. *relinques neque ista* A — 16. *veniam*] *ueniantur* B — 17. *digna odio est non quod est turpis nisi quod est. sine quo incommodo* D — *si ne* (*sine* D) *quo* B D: *si ne tuo* A C -- 19. *quod si* A — 20. *erit* E — 21. *quidem*] *quid est* B — 22. *et* om. B E — *Vadem te*] *uadente* B — 23. *tyranno* spurium censuit iam Gruterus, *Siculo* quoque Davisius et Bremius, qui verba cum deterioribus codd. hoc ordine legebant *fecit Siculo tyranno*. Fort. etiam *fecit* spurium est, quod om. cod. Madvigii Leidensis. — 24. *oresten* A: *Orestem* B M O — 25. *si* om. E — 26. *precarere* A B: *deprecarere* O — 28. *esse m. l. dignum* A: *m. l. dignum esse* (*esset* E) B E M; *esse* om. O — 29. *quid n.* A: *quod n.* B — 30. *quod disc.* A B — 33. *quaeso* Davisius: *quasi* codd.

quaeritur. Sit ista in Graecorum levitate perversitas, qui maledictis insectantur eos, a quibus de veritate dissentiunt. Sed quamvis comis in amicis tuendis fuerit, tamen, si haec vera sunt — nihil enim affirmo —, non satis acutus fuit. «At multis se probavit.» 81. Et quidem iure fortasse, sed tamen non gravissimum est testimonium multitudinis. In omni enim arte vel studio vel quavis scientia vel in ipsa virtute optimum quidque rarissimum est. Ac mihi quidem, quod et ipse bonus vir fuit et multi Epicurei et fuerunt et hodie sunt et in amicitiis fideles et in omni vita constantes et graves nec voluptate, sed officio consilia moderantes, hoc videtur maior vis honestatis et minor voluptatis. Ita enim vivunt quidam, ut eorum vita refellatur oratio. Atque ut ceteri dicere existimantur melius quam facere, sic hi mihi videntur facere melius quam dicere.

XXVI. 82. Sed haec nihil sane ad rem: illa videamus, quae a te de amicitia dicta sunt. E quibus unum mihi videbar ab ipso Epicuro dictum cognoscere, amicitiam a voluptate non posse divelli ob eamque rem colendam esse, quod *cum* sine ea tuto et sine metu vivi non posset, ne iucunde quidem posset. Satis est ad hoc responsum. Attulisti aliud humanius horum recentiorum, numquam dictum ab ipso illo, quod sciam, primo utilitatis causa amicum expeti, cum autem usus accessisset, tum ipsum amari per se, etiam omissa spe voluptatis. Hoc etsi multimodis reprendi potest, tamen accipio quod dant; mihi enim satis est, ipsis non satis. Nam aliquando posse recte fieri dicunt nulla exspectata nec quaesita voluptate. 83. Posuisti etiam dicere alios foedus quoddam inter se facere sapientis, ut, quem ad modum sint in se ipsos animati, eodem modo sint erga amicos: id et fieri posse et saepe esse factum et ad voluptates percipiendas maxime pertinere. Hoc foedus facere si potuerunt, faciant etiam illud, ut aequitatem, modestiam, virtutes omnes per se ipsas gratis diligant. An vero, si fructibus et emolumentis et utilitatibus amicitias colemus, si nulla caritas erit, quae faciat amicitiam ipsam sua sponte, vi sua, ex se et propter se expetendam, dubium est quin fundos et insulas amicis anteponamus? 84. Licet hic rursus ea commemores, quae optimis verbis ab Epicuro de laude amicitiae dicta sunt. Non quaero quid dicat, sed quid convenienter possit rationi et sententiae suae dicere. «Utilitatis causa amicitia est quaesita.» Num igitur utiliorem tibi hunc Triarium putas esse posse, quam si tua sint

---

2. *in amicis tuendis fuerit* A: *fuerit in amicis tuendis* B M; *in amicitiis tuendis fuerit* O — 7. *quodque* B — *carissimum* B (non E) — *est* A B: om. O — 8. *et multi et epicurei* A — *et fuerunt* Lambinus: *sunt fuerunt* B; *fuerunt* A (in quo *et* male ante *epicurei* transpositum videtur) M O — *amicicia* B E — 9. *sed*] *se* B E — 11. *quidam* A¹ B: *quidem* A² — 14. *ad te* A — 15. *de amiciciis* A — *uidebar* A² B: *uidebatur* A¹ — 17. *cum* Madvigius: om. codd. et O — 18. *ne iucunde q. posset* om. B — *ne* Madvigius: *nec* codd. et O — *quidem*] *quid* E — *est enim ad* B — 19. *horum - - sciam* Nonius p. 167. — *ipso illo* A: *illo ipso* B M; *ipso* om. Nonius — *quod*] *qui* B — 21. *voluptatis*] in marg. *vel utilitatis* addit A² — *etsi* A: *etiamsi* B M — *multimodis* A B E (non *in multimodis*): *multis modis* M O. Ex Oratore § 153 Ciceronem contractam formam *multimodis* respuisse temere colligitur; cf. Corn. Nep. Themist. 10, 4. — 23. *p. non recte* B — *expecta* (sic) E; *expectacione* B — 24. *quaesita* A: *exquisita* B — 26. *modo* om. B (non E) — 27. *perspiciendas* A B — 29. *an* B: *at* A O — 33. *laude* A B: *laudibus* O — 34. *sed quod* B E — 35. *est quaesita* A: *quaesita est* B M O — 36. *si* A B: om. O.

Puteolis granaria? Collige omnia, quae soletis. «Praesidium amicorum.» Satis est tibi in te, satis in legibus, satis in mediocribus amicitiis praesidii: iam contemni non poteris; odium autem et invidiam facile vitabis; ad eas enim res ab Epicuro praecepta dantur. Et tamen tantis vectigalibus ad liberalitatem utens etiam sine hac Pyladea amicitia multorum te benevolentia praeclare tuebere et munies. 85. At quicum ioca seria, ut dicitur, quicum arcana, quicum occulta omnia? Tecum optime, deinde etiam cum mediocri amico. Sed fac ista esse non importuna, quid ad utilitatem tantae pecuniae? Vides igitur, si amicitiam sua caritate metiare, nihil esse praestantius, sin emolumento, summas familiaritates praediorum fructuosorum mercede superari. Me igitur ipsum ames oportet, non mea, si veri amici futuri sumus.

XXVII. Sed in rebus apertissimis nimium longi sumus. Perfecto enim et concluso neque virtutibus neque amicitiis usquam locum esse, si ad voluptatem omnia referantur, nihil praeterea est magno opere dicendum. Ac tamen, ne cui loco non videatur esse responsum, pauca etiam nunc dicam ad reliquam orationem tuam. 86. Quoniam igitur omnis summa philosophiae ad beate vivendum refertur, idque unum expetentes homines se ad hoc studium contulerunt, beate autem vivere alii in alio, vos in voluptate ponitis, item contra miseriam omnem in dolore, id primum videamus, beate vivere vestrum quale sit. Atque hoc dabitis, ut opinor, si modo sit aliquid esse beatum, id oportere totum poni in potestate sapientis. Nam si amitti vita beata potest, beata esse non potest. Quis enim confidit semper sibi illud stabile et firmum permansurum, quod fragile et caducum sit? Qui autem diffidit perpetuitati bonorum suorum, timeat necesse est ne aliquando amissis illis sit miser. Beatus autem esse in maximarum rerum timore nemo potest: nemo igitur esse beatus potest. 87. Neque enim in aliqua parte, sed in perpetuitate temporis vita beata dici solet, nec appellatur omnino vita nisi confecta atque absoluta, nec potest quisquam alias beatus esse, alias miser: qui enim existimabit posse se miserum esse, beatus non erit. Nam cum suscepta semel est beata vita, tam permanet quam ipsa illa effectrix beatae vitae sapientia neque exspectat ultimum tempus aetatis, quod Croeso scribit Herodotus praeceptum a Solone. At enim, quem ad modum tute dicebas, negat Epicurus diuturnitatem quidem temporis ad

---

1. *granaria*] *gramana* A; *grauiana* B; *gramina* codd. deteriores. — 2. *praesidii* C: *praesidium* A B O — 4. *res enim* B E (*enim* non om. E) — 5. *libertatem* A B D — *etiam* Manutius: *eam* A B D; *eis* O — 6. *te* om. D — *beniuolentia* A B — *praeclare t.* B: *praeclare et t.* A D O — *tuebare* B E — *ioca et seria* A — 8. *etiam*] *et* B — *cum*] *qui* E — *fac*] *facta* B — *inportuna* A[1] B: *inoportuna* corr. A fort. prima manu; *inopportuna* O — 10. *sin*] *suo* B — *fructuosorum*] *preciosorum* C — 11. *igitur ipsum* A B: *ipsum igitur* O — 13. *Sed*] *Si* B — *longi fuimus* E — *Perfecto*] *profecto* A[1] — 14. *concluso*] *concludo* A[1] — 15. *magnopere* A B — 16. *ac tamen* A B: *Attamen* O — 18. *omnis summa* A: *summa omnis* B M — 20. *in dolore*] *indole* E — 23. *beata* ante *esse* om. B — 24. *Quid* B E — *semper sibi* A: *sibi semper* B M O — *illud* A B: *id* E M O — 25. *diffidit* B E: *diffidet* A M — 28. *esse beatus* A B: *beatus esse* E M — 29. *dici*] *duci* A B — *nec* A B G: *neque* M O — *uita* A B: *vita beata* M O — 30. *absoluta* om. B — 32. *est semel* B (non E) — 34. *At enim* Manutius: *etenim* codd. — 35. *ducebas* B E — *diuturnitatem* A G: *nec diuturnitate* B E; *nec diuturnitatem* O; *nec diuturnitatem* M — *quidem* om. G et Lambinus (*ne diuturnitatem quidem* Madvigio auctore Klotzius).

beate vivendum aliquid afferre, nec minorem voluptatem percipi in brevitate temporis, quam si illa sit sempiterna. 88. Haec dicuntur inconstantissime. Cum enim summum bonum in voluptate ponat, negat infinito tempore aetatis voluptatem fieri maiorem quam finito atque modico. Qui bonum omne in virtute ponit, is potest dicere perfici beatam vitam perfectione virtutis; negat enim summo bono afferre incrementum diem: qui autem effici voluptate beatam vitam putabit, qui sibi is conveniet, si negabit voluptatem crescere longinquitate? Igitur ne dolorem quidem. An dolor longissimus quisque miserrimus, voluptatem non optabiliorem diuturnitas facit? Quid est igitur cur ita semper deum appellet Epicurus beatum et aeternum? Dempta enim aeternitate nihilo beatior Iuppiter quam Epicurus; uterque enim summo bono fruitur, id est voluptate. «At enim hic etiam dolore.» At eum nihili facit; ait enim se, si uratur, «quam hoc suave!» dicturum. 89. Qua igitur re ab deo vincitur, si aeternitate non vincitur? In qua quid est boni praeter summam voluptatem et eam sempiternam? Quid ergo attinet gloriose loqui, nisi constanter loquare? In voluptate corporis — addam, si vis, animi, dum ea ipsa, ut vultis, sit ex corpore — situm est vivere beate. Quid? istam voluptatem perpetuam quis potest praestare sapienti? Nam quibus rebus efficiuntur voluptates, eae non sunt in potestate sapientis; non enim in ipsa sapientia positum est beatum esse, sed in iis rebus, quas sapientia comparat ad voluptatem. Totum autem id externum est, et quod externum, id in casu est. Ita fit beatae vitae domina fortuna, quam Epicurus ait exiguam intervenire sapienti.

XXVIII. 90. «Age» inquies «ista parva sunt. Sapientem locupletat ipsa natura, cuius divitias Epicurus parabiles esse docuit.» Haec bene dicuntur, nec ego repugno, sed inter sese ipsa pugnant. Negat enim tenuissimo victu, id est contemptissimis escis et potionibus, minorem voluptatem percipi quam rebus exquisitissimis ad epulandum. Huic ego, si negaret quicquam interesse ad beate vivendum, quali uteretur victu, concederem, laudarem etiam; verum enim diceret, idque Socratem, qui voluptatem nullo loco numerat, audio dicentem, cibi condimentum esse famem, potionis sitim. Sed qui ad voluptatem omnia referens vivit ut Gallonius, loquitur ut Frugi ille Piso, non audio nec eum quod sentiat dicere existimo. 91. Naturales divitias dixit parabiles esse, quod parvo esset natura contenta. Certe, nisi voluptatem tanti aestimaretis. «Non minor» inquit «voluptas percipitur ex vilissimis rebus quam ex pretiosissimis.» Hoc est non modo cor non habere, sed ne palatum quidem.

---

1. *aliquid*] *quicquam* G — 2. *Haec*] *nec* B — 5. *perfici* A B: *perspici* E — 7. *effici uoluptate beatam uitam* A: *uoluptate uitam effici beatam* B M O — *is* A: om. B M — *conueniret* B — 8. *negabit* A B¹: *negabat* B² E — 9. *optabilem* A¹ — 10. *appellet Epicurus beatum* A: *epicurus appellet beatum* B; *Epicurus beatum appellet* E M; *beatum Epicurus appellet* O — 11. *iupiter* A B O — 13. *nihili*] *nihil* A B — *se* supra versum A (fort. prima m.): om. B E; [*se*] O — 14. *ab* A: *a* B M O — 15. *qua* codd.: *quo* cum Walkero O — 17. *loquare*] *loqui* B — 18. *ut*] *aut* B E — *ex* nos: *et* A; *e* B M O — 20. *eae*] *hę* A; *hee* B — *sunt in potestate* A: *in potestate sunt* B E O (*in* om. A¹) — 21. *qua sapientia* B E — 22. *externum* A: *extremum* B (bis) — *est* A B E: om. M O — 26. *Haec*] *Nec* B — 27. *ipsa repugnant* B — 28. *id est*] *idem* B — 32. *nullo loco*] *inillo* A — 34. *frui ille ipso* B E — *nec* A B: *nec enim* codd. deteriores; *nec* [*enim*] O — *quod* om. E — 38. *ne* om. B.

Qui enim voluptatem ipsam contemnunt, iis licet dicere se acipenserem maenae non anteponere: cui vero in voluptate summum bonum est, huic omnia sensu, non ratione sunt iudicanda, eaque dicenda optima, quae sint suavissima. 92. Verum esto: consequatur summas voluptates non modo parvo, sed per me nihilo, si potest; sit voluptas non minor in nasturcio illo, quo vesci Persas esse solitos scribit Xenophon, quam in Syracusanis mensis, quae a Platone graviter vituperantur; sit, inquam, tam facilis, quam vultis, comparatio voluptatis: quid de dolore dicemus? cuius tanta tormenta sunt, ut in iis beata vita, si modo dolor summum malum est, esse non possit. Ipse enim Metrodorus, paene alter Epicurus, beatum esse describit his fere verbis: «cum corpus bene constitutum sit et sit exploratum ita futurum.» An id exploratum cuiquam potest esse, quo modo se hoc habiturum sit corpus, non dico ad annum, sed ad vesperum? Dolor igitur, id est summum malum, metuetur semper, etiam si non aderit: iam enim adesse poterit. Qui potest igitur habitare in beata vita summi mali metus? 93. Traditur, inquit, ab Epicuro ratio neglegendi doloris. Iam *id* ipsum absurdum, maximum malum neglegi. Sed quae tandem ista ratio est? Maximus dolor, inquit, brevis est. Primum quid tu dicis breve? deinde dolorem quem maximum? Quid enim? Summus dolor plures dies manere non potest? Vide ne etiam menses! nisi forte eum dicis, qui simul atque arripuit interficit. Quis istum dolorem timet? Illum mallem levares, quo optimum atque humanissimum virum, Cn. Octavium, Marci filium, familiarem meum, confici vidi, nec vero semel nec ad breve tempus, sed et saepe et plane diu. Quos ille, di immortales! cum omnes artus ardere viderentur, cruciatus perferebat! Nec tamen miser esse, quia summum id malum non erat, tantum modo laboriosus videbatur: at miser, si in flagitiosa atque vitiosa vita afflueret voluptatibus.

XXIX. 94. Quod autem magnum dolorem brevem, longinquum levem esse dicitis, id non intellego quale sit. Video enim et magnos et eosdem bene longinquos dolores, quorum alia toleratio est verior, qua uti vos non potestis, qui honestatem ipsam per se non amatis. Fortitudinis quaedam praecepta sunt ac paene leges, quae effeminari virum vetant in dolore. Quam ob rem turpe putandum est, non dico dolere — nam id quidem interdum est necesse —, sed saxum illud Lemnium clamore Philocteteo funestare:

Quod eiulatu, questu, gemitu, fremitibus
Resonando mutum flebiles voces refert.

---

1. *Qui enim -- anteponere* Nonius Marc. p. 550. — *uoluptates ipsas* Nonius — *eis* Nonius; *is* A¹; *his* B E — *accupem se rē me* A; *accupenserem mene* B E; *accipienserem maenae* Nonii codex Bambergensis. — 4. *sint* A: *sunt* B M O — *suavissima*] *firmissima* B — 6. *nasturcio* A B et Nonius p. 550 (ex Tusc. V, § 99): *nasturtio* M O — 9. *hys* B; *his* E O — 10. *alter* A² B C: *aliter* A¹ D — 13. *se hoc* A E: *se hic* B; *sese* M O — 14. *id* om. B — 16. *inquit*] *enim* B — 17. *id* Ernestius: *ad* B; om. A O — 21. *nisi*] *ne* E — *qui si simulatque* B — *interfecit* B — 24. *et s.*] *etiam s.* B — *et plane diu* Halmius: *plane diu* A B; *plane et diu* M O — 25. *dii* A O; *dy* B — 27. *flagitiosa atque uitiosa* A B: *vitiosa et flagitiosa* O — 29. *Quid* B E — *levem*] *lenem* A — 30. *esse* A: om. B M O — 31. *quorum* A B C: *quae non* D; *quaenam* codd. dett. — 34. *dolere*] *dolore* B — 35. *interdum est* A: *est interdum* B M O — 36. *philocteteo* A: *philoctere* B E; *Philoctetaeo* M O — 37. *heiulatu* A — 38. *mutu* E.

Huic Epicurus praecentet, si potest, cum

E viperino morsu venae viscerum
Veneno imbutae ta'etros cruciatus cient!

Sic Epicurus: Philocteta! si gravis dolor, brevis. At iam decimum annum in spelunca iacet! «Si longus, levis; dat enim intervalla et relaxat.» 95. Primum non saepe, deinde quae est ista relaxatio, cum et praeteriti doloris memoria recens est et futuri atque impendentis torquet timor? «Moriatur» inquit. Fortasse id optimum, sed ubi illud «plus semper voluptatis»? Si enim ita est, vide ne facinus facias, cum mori suadeas. Potius ergo illa dicantur, turpe esse, viri non esse debilitari dolore, frangi, succumbere. Nam ista vestra «Si gravis, brevis; si longus, levis» dictata sunt. Virtutis, magnitudinis animi, patientiae, fortitudinis fomentis dolor mitigari solet.

XXX. 96. Audi, ne longe abeam, moriens quid dicat Epicurus, ut intellegas facta eius cum dictis discrepare. Epicurus Hermarcho salutem. Cum ageremus, inquit, vitae beatum et eundem supremum diem, scribebamus haec. Tanti aderant vesicae et torminum morbi, ut nihil ad eorum magnitudinem posset accedere. Miserum hominem! Si dolor summum malum est, dici aliter non potest. Sed audiamus ipsum: Compensabatur, inquit, tamen cum his omnibus animi laetitia, quam capiebam memoria rationum inventorumque nostrorum. Sed tu, ut dignum est tua erga me et philosophiam voluntate ab adulescentulo suscepta, fac ut Metrodori tueare liberos. 97. Non ego iam Epaminondae, non Leonidae mortem huius morti antepono, quorum alter cum vicisset Lacedaemonios apud Mantineam atque ipse gravi vulnere exanimari se videret, ut primum dispexit, quaesivit salvusne esset clipeus? Cum salvum esse flentes sui respondissent, rogavit essentne fusi hostes? Cum id quoque, ut cupiebat, audivisset, evelli iussit eam, qua erat transfixus, hastam. Ita multo sanguine profuso in laetitia et victoria est mortuus. Leonidas autem, rex Lacedaemoniorum, se in Thermopylis trecentosque eos, quos eduxerat Sparta, cum esset proposita aut fuga turpis aut gloriosa mors, opposuit hostibus. Praeclarae mortes sunt imperatoriae: philosophi autem in suis lectulis plerumque moriuntur. Refert tamen, quo modo. *Beatus* sibi videtur esse moriens:

---

1. *praecentet* B: *et* A; *competenter et* C; *comparet se* O — *si*] *si qui* C — *potest, cum E viperino* nos (coll. Tusc. II § 19 et Nonio p. 324): *potest cui uiperino* A B; *potest, cui-uiperino* M; *potest: Cui viperino* O — 3. *tetros* M O — 4. *sic* B: *sit* A O — *Epicurus Philocteta: Si* O — *gravis dolor, brevis*] *breuis dolor leuis* A B — 5. *leuis*] *lenis* A — 6. *cum*] *quae* B — 7. *recens sit et* A — 9. *facias facinus* B — *mori si uideas* B E — 14. *ut intellegas* A B: *et intellige* O — 17. *haec. Tanti*] *Ne tanti* B — *tanti aderant* A: *tanti autem* B; *tanti autem aderant* D M O. Etiam in Graecis verbis ap. Diogen. Laërt. X, 22. deest particula adversativa. — 18. *torminum* A B C D: *viscerum* codd. deteriores. Cf. Plin. N. H. XXXII § 24: *torminum ac vesicae ac calculorum mala*. — 19. *Miserum* A B: *En miserum* G; *Ecce miserum* codd. deteriores; [*Ecce*] *miserum* O — *hominem, si dolor s. m. est. Dici* O — 20. *compensabat* B — 23. *et ph.* A (graece *καὶ φιλοσοφίαν*): *et erga ph.* B M O; *et erga* om. E — 27. *exanimati* B E — *dispexit* A: *despexit* ceteri codd. — 30. *et* A B: *et in* O — 31. *rex si laced.* B (non E) — 35. *quo modo. Beatus sibi uidetur* Madvigius: *quo modo sibi uidetur* A; *quo modo sibi uidebatur* B; *quod sibi videtur* O — *moriens* A B E: *morienti* O.

magna laus. Compensabatur, inquit, cum summis doloribus laetitia. 98. Audio equidem philosophi vocem, Epicure. Sed quid tibi dicendum sit oblitus es. Primum enim, si vera sunt ea, quorum recordatione te gaudere dicis, hoc est, si vera sunt tua scripta et inventa, gaudere non potes. Nihil enim iam habes, quod ad corpus referas: est autem a te semper dictum nec gaudere quemquam nisi propter corpus nec dolere. «Praeteritis» inquit «gaudeo». Quibusnam praeteritis? Si ad corpus pertinentibus, rationes tuas te video compensare cum istis doloribus, non memoriam corpore perceptarum voluptatum: sin autem ad animum, falsum est quod negas animi ullum esse gaudium, quod non referatur ad corpus. Cur deinde Metrodori liberos commendas? quid *in* isto egregio tuo officio et tanta fide — sic enim existimo — ad corpus refers?

XXXI. 99. Huc et illuc, Torquate, vos versetis licet: nihil in hac praeclara epistula scriptum ab Epicuro congruens et conveniens decretis eius reperietis. Ita redarguitur ipse a se convincunturque scripta eius probitate ipsius ac moribus. Nam ista commendatio puerorum, memoria et caritas amicitiae, summorum officiorum in extremo spiritu conservatio indicat innatam esse homini probitatem gratuitam, non invitatam voluptatibus nec praemiorum mercedibus evocatam. Quod enim testimonium maius quaerimus, quae honesta et recta sint ipsa esse optabilia per sese, cum videamus tanta officia morientis? 100. Sed, ut epistulam laudandam arbitror eam, quam modo totidem fere verbis interpretatus sum, quamquam ea cum summa eius philosophiae nullo modo congruebat, sic eiusdem testamentum non solum a philosophi gravitate, sed etiam ab ipsius sententia iudico discrepare. Scripsit enim et multis saepe verbis et breviter aperteque in eo libro, quem modo nominavi, mortem nihil ad nos pertinere; quod enim dissolutum sit, id esse sine sensu, quod autem sine sensu sit, id nihil ad nos pertinere omnino. Hoc ipsum elegantius poni meliusque potuit. Nam quod ita positum est, quod dissolutum sit, id esse sine sensu, id eius modi est, ut non satis plane dicat, quid sit dissolutum. 101. Sed tamen intellego, quid velit. Quaero autem, quid sit quod, cum dissolutione, id est morte, sensus omnis exstinguatur et cum reliqui nihil sit omnino, quod pertineat ad nos, tam accurate tamque diligenter caveat et sanciat, ut Amynomachus et Timocrates, heredes sui, de Hermarchi sententia dent quod satis sit ad diem agendum natalem suum quotannis mense Gamelione itemque omnibus mensibus vicesimo die lunae dent ad eorum epulas, qui una secum philosophati sint, ut et sui et Metrodori memoria

---

6. *ne gaudere quicquam* B E — 12. *in* Madvigius (in adnotatione): *ex* cum Manutio M O: om. codd. — 15. *scriptum epistola* B — 16. *redarguetur* A B — *se* A: *sese* B M O — *convincunturque* Davisius: *uincunturque* A B C O; *vaeneanturque* D — 20. *Quid enim* B E — 22. *sese*] *se* B (non E) — *tanta* A B: *tanta esse* O — 24. *ea*] *ei* B — *philosophiae* nos: *philosophi* A; *philosophia* B M O. Cf. § 86. — 25. *a* Manutius: om. codd. — 26. *et multis*] *multis et* E — 27. *breviter*] *licenter* B — *aperteque* B E G: *apteque* A O — 28. *quid enim* B — 30. *Nam quid* B — 33. *cum* om. B — 35. *sanctiat* A; *sanctitat* B — 36. *Amynomachus* B C: *aminomachus* A D; *antinomachus* codd. dett. — *de*] *ad* B — 40. *sint* A B: *sunt* E — *ut et*] *et ut* A.

colatur. 102. Haec ego non possum dicere non esse hominis quamvis et belli et humani, sapientis vero nullo modo, physici praesertim, quem se ille esse vult, putare ullum esse cuiusquam diem natalem. Quid? idemne potest esse dies saepius, qui semel fuit? Certe non potest. An eiusdem modi? Ne id quidem, nisi multa annorum intercesserint milia, ut omnium siderum eodem, unde profecta sint, fiat ad unum tempus reversio. Nullus est igitur cuiusquam dies natalis. «At habetur!» Et ego id scilicet nesciebam! Sed ut sit, etiamne post mortem coletur? idque testamento cavebit is, qui nobis quasi oraculum ediderit nihil ad nos pertinere post mortem? Haec non erant eius, qui innumerabilis mundos infinitasque regiones, quarum nulla esset ora, nulla extremitas, mente peragravisset. Num quid tale Democritus? Ut alios omittam, hunc appello, quem ille unum secutus est. 103. Quod si dies notandus fuit, eumne potius, quo natus, an eum, quo sapiens factus est? Non potuit, inquies, fieri sapiens, nisi natus esset. Isto modo ne si avia quidem eius nata non esset. Res tota, Torquate, non doctorum hominum, velle post mortem epulis celebrari memoriam sui nominis. Quos quidem dies quem ad modum agatis et in quantam hominum facetorum urbanitatem incurratis, non dico; nihil opus est litibus: tantum dico, magis fuisse vestrum, agere Epicuri diem natalem, quam illius, testamento cavere ut ageretur.

XXXII. 104. Sed ut ad propositum revertamur — de dolore enim cum diceremus, ad istam epistulam delati sumus —, nunc totum illud concludi sic licet: Qui in summo malo est, is tum, cum in eo est, non est beatus; sapiens autem semper beatus est et est aliquando in dolore: non est igitur summum malum dolor. Iam illud quale tandem est, bona praeterita non effluere sapienti, mala meminisse non oportere? Primum in nostrane est potestate quid meminerimus? Themistocles quidem, cum ei Simonides an quis alius artem memoriae polliceretur, «oblivionis» inquit «mallem; nam memini etiam quae nolo, oblivisci non possum quae volo.» 105. Magno hic ingenio, sed res se tamen sic habet, ut nimis imperiosi philosophi sit vetare meminisse. Vide ne ista sint Manliana vestra aut maiora etiam, si imperes quod facere non possim. Quid, si etiam iucunda memoria est praeteritorum malorum? ut proverbia non nulla veriora sint quam vestra dogmata. Vulgo enim dicitur «Iucundi acti labores», nec male Euripides: concludam, si potero, Latine; Graecum enim hunc versum nostis omnes:

Suavis laborum est praeteritorum memoria.

Sed ad bona praeterita redeamus. Quae si a vobis talia dicerentur, qualibus Gaius Marius uti poterat, ut expulsus, egens, in palude demersus, tropaeorum recordatione levaret dolorem suum, audirem et plane pro-

---

3. *putari* A B — 5. *nisi* A B: *nisi quum* O — 7. *Nullius* E — *et habet* B E — 8. *id scilicet* A² B E: *scilicet id* M O; *scilicet* om. A¹ — 9. *uobis* E — *ad nos pertinere post mortem* A: *post mortem ad nos pertinere* B M O — 11. *ora*] *hora* A B — 12. *Num quod* B — *Ut* om. B — 13. *quid si* B — 14. *eumne*] *eumque* B E — 15. *esset. isto* Manutius: *esset. et isto* codd. et O — 19. *incurrat* E — *fuisse* om. B — 22. *revertamur* om. A B — 23. *dilati* E — 24. *is tum* Lambinus: *istum* A¹; *iste* A² B — 28. *est potestate* A: *potestate est* B M O — *quod mem.* B — 33. *possum* B E — 35. *iucunde* (A) vel *iocunde* (B) codd. — 37. *nostis* om. B E — 38. *memoria est praeteritorum* B — 40. *gaius* A: *graius* B; *C.* M O — *dimersus* A.

barem; nec enim absolvi beata vita sapientis neque ad exitum perduci poterit, si prima quaeque bene ab eo consulta atque facta ipsius oblivione obruentur. 106. Sed vobis voluptatum perceptarum recordatio vitam beatam facit, et quidem corpore perceptarum. Nam si quae sunt aliae, falsum est omnis animi voluptates esse e corporis societate. Corporis autem voluptas si etiam praeterita delectat, non intellego, cur Aristoteles Sardanapalli epigramma tanto opere derideat, in quo ille rex Syriae glorietur omnis se secum libidinum voluptates abstulisse. Quod enim ne vivus quidem, inquit, diutius sentire poterat, quam dum fruebatur, quo modo id potuit mortuo permanere? Fluit igitur voluptas corporis et prima quaeque avolat saepiusque relinquit causam paenitendi quam recordandi. Itaque beatior Africanus cum patria illo modo loquens,

Desine Roma tuos hostis ---

reliquaque praeclare,

Nam tibi moenimenta mei peperere labores.

Laboribus hic praeteritis gaudet, tu iubes voluptatibus; et hic se ad ea revocat, e quibus nihil umquam rettulerit ad corpus, tu totus haeres in corpore.

XXXIII. 107. Illud autem ipsum qui optineri potest, quod dicitis omnis animi et voluptates et dolores ad corporis voluptates ac dolores pertinere? Nihilne te delectat umquam — video, quicum loquar —, te igitur, Torquate, ipsum per se nihil delectat? Omitto dignitatem, honestatem, speciem ipsam virtutum, de quibus ante dictum est, haec leviora ponam: poema, orationem cum aut scribis aut legis, cum omnium factorum, cum regionum conquiris historiam, signum, tabula, locus amoenus, ludi, venatio, villa Luculli — nam si tuam dicerem, latebram haberes: ad corpus diceres pertinere —, sed ea, quae dixi, ad corpusne refers, an est aliquid, quod te sua sponte delectet? Aut pertinacissimus fueris, si persriteris ad corpus ea, quae dixi, referre aut deserueris totam Epicuri voluptatem, si negaveris. 108. Quod vero a te disputatum est, maiores esse voluptates et dolores animi quam corporis, quia trium temporum particeps animus sit, corpore autem praesentia solum sentiantur, qui id probari potest, ut is, qui propter me aliquid gaudeat, plus quam ego ipse gaudeat? [Animo voluptas oritur propter voluptatem cor-

3. *obruerentur* A B E — 5. *uoluptas* (sic) *animi* B E — *e* om. B — 7. *sardanapalli* AB: *Sardanapali* O — 7. *tanto opere* B: *tantopere* AE — 8. *omnis se* nos: *omnis* A; *se omnes* B M O — *libid. uoluptates abstulisse* A: *abstulisse libid. uoluptates* B M — 9. verba *inquit diutius sentire poterat* in A vix legi possunt. — *poterat*] *potuit* B — 10. *potuit m.* A: *m. potuit* B M — *Fluit* om. B E — 11. *penitendi* A B, *poenitendi* M O — 13. *Despice* van der Hoeven — 15. *Nam* E et Muretus: *namque* A B — *moenimenta* Klotzius: *monimenta* A E, *monumenta* B: *munimenta* cum Mureto (Varr. Lectt. XI, 1) M O. Cf. Orellii Inscr. Lat. (Vol. III. ed. Henzen) n. 7142. — *peperere*] *repperere* A — 16. *et* A B: om. M O — 17. *nihil* om. B — *retulerit* A B O — 20. *ad corporis uoluptates ac dolores* om. B — 21. *Nihilne te* A: *Nihil tene* B M O — 23. *antea d.* B — 24. *ponam: poema*] *poema ponam* A B — *cum aut*] *aut cum* B — *omnium factorum*] *hominum facta* Bake ad Cic. de Legg. p. 342. — 25. *cum reg.*] *aut reg.* B — 26. *amenus* A B — *uenaciones* B — *lucilli* A B E — 27. *dicere* E — 29. *si persliteris -- referre* B: *si hi* (vel *in*) *persliteris -- referre* A; *si in eo persliteris -- referre* O; *si in eo persliteris -- referri* cum Ernestio M — *quae* om. B (non E) — 30. *vero* om. E — 33. *qui id* B: *quid* A; *quid id* E; *qui* M O — *gaudeat* A B: *gaudet* O — *plus quam ego ipse gaudeat* C E: om. A B — 34. *Animo -- gratulator* spuria esse vidit Bremius. — *animo* A B C: *Animi* O.

poris, et maior est animi voluptas quam corporis: ita fit ut gratulator laetior sit quam is, cui gratulatur.] Sed, dum efficere vultis beatum sapientem, cum maximas animo voluptates percipiat omnibusque partibus maiores quam corpore, quid occurrat non videtis: animi enim dolores quoque percipiet omnibus partibus maiores quam corporis. Ita miser sit aliquando necesse est is, quem vos beatum semper vultis esse, nec vero id, dum omnia ad voluptatem doloremque referetis, efficietis umquam. 109. Quare aliud aliquod, Torquate, hominis summum bonum reperiendum est: voluptatem bestiis concedamus, quibus vos de summo bono testibus uti soletis. Quid? si etiam bestiae multa faciunt, duce sua quaeque natura, partim indulgenter vel cum labore, ut in gignendo, in educando perfacile appareat aliud quiddam iis propositum, non voluptatem: partim cursu et peragratione laetantur; congregatione aliae coetum quodam modo civitatis imitantur. 110. Videmus in quodam volucrium genere non nulla indicia pietatis, cognitionem, memoriam; in multis etiam desideria videmus. Ergo in bestiis erunt secreta a voluptate humanarum quaedam simulacra virtutum, in ipsis hominibus virtus nisi voluptatis causa nulla erit? et homini, qui ceteris animantibus plurimum praestat, praecipui a natura nihil datum esse dicemus?

XXXIV. 111. Nos vero, si quidem in voluptate sunt omnia, longe multumque superamur a bestiis, quibus ipsa terra fundit ex sese pastus varios atque abundantes nihil laborantibus, nobis autem aut vix aut ne vix quidem suppetunt multo labore quaerentibus. Nec tamen ullo modo summum pecudis bonum et hominis idem mihi videri potest. Quid enim tanto opus est instrumento in optimis artibus comparandis, quid tanto concursu honestissimorum studiorum, tanto virtutum comitatu, si ea nullam ad aliam rem nisi ad voluptatem conquiruntur? 112. Ut, si Xerxes, cum tantis classibus tantisque equestribus et pedestribus copiis, Hellesponto iuncto, Athone perfosso, maria ambulavisset, terram navigavisset, si, cum tanto impetu in Graeciam venisset, causam quis ex eo quaereret tantarum copiarum tantique belli, mel se auferre ex Hymetto voluisse diceret, certe sine causa videretur tanta conatus, sic nos sapientem plurimis et gravissimis artibus atque virtutibus instructum et ornatum non, ut illum, maria pedibus peragrantem, classibus montes, sed omne caelum totamque cum universo mari terram mente complexum, voluptatem petere si dicemus, mellis causa dicemus tanta molitum. 113. Ad altiora quaedam et magnificentiora, mihi crede, Torquate, nati sumus, nec id ex animi solum partibus, in quibus inest memoria rerum innumerabilium, in te quidem infinita, inest coniectura consequentium

---

2. *cui*] *qui* E — *gratulatur* A B: *gratuletur* M O — 4. *maioris* A B E — *quod occ.* B — *dolores quoque* Madvigius: *quoque dolores* codd. et O — 7. *refertis* B E — 8. *aliquod* Lambinus: *aliquid* codd. et O — 11. *quaque* A B — 13. *et* om. E — *peragratione* A B C D: *peregrinatione* O — 14. *cetum* A; *tecum* B E — *volucrium* Charisius (p. 119 P.): *uolucrum* A; *uoluerunt* B — 15. *iudicia* B E — 16. *desideria* A B C: *disciplinam* O — *Ergo*] *Erunt* E — 19. *praecipui* Manutius: *praecipue* A B; *praecipuum* alii codd. — *esse dicemus datum* B — 21. *separamur* E — *ex sese fundit* B E — 22. *habundantibus* B — 23. *labore multo* E; *labores multo* B — 25. *qui tanto* B — 26. *si*] *sed* E — 27. *nullam*] *iam non* B — *si exerses* B E — 29. *Athone* B D: *althone* A; *Atho* C. Cf. Priscianum Inst. Gramm. VI, 13, 70. — *nauigauisset* A B E: *nauigasset* M O — 38. *inest* om. B (non E) — 39. *in te* A: *inde* B E; *uite* ceteri codd.; *et ea* cum Manutio O — *consequencia* E.

non multum a divinatione differens, inest moderator cupiditatis pudor, inest ad humanam societatem iustitiae fida custodia, inest in perpetiendis laboribus adeundisque periculis firma et stabilis doloris mortisque contemptio: ergo haec in animis, tu autem etiam membra ipsa sensusque considera, qui tibi, ut reliquae corporis partes, non comites solum virtutum, sed ministri etiam videbuntur. 114. Quod si in ipso corpore multa voluptati praeponenda sunt, ut vires, valetudo, velocitas, pulchritudo, quid tandem in animis censes? in quibus doctissimi illi veteres inesse quiddam caeleste et divinum putaverunt. Quod si esset in voluptate summum bonum, ut dicitis, optabile esset maxima in voluptate nullo intervallo interiecto dies noctesque versari, cum omnes sensus dulcedine omni quasi perfusi moverentur. Quis est autem dignus nomine hominis, qui unum diem totum velit esse in genere isto voluptatis? Cyrenaici quidem non recusant, vestri haec verecundius, illi fortasse constantius. 115. Sed lustremus animo non has maximas artis, quibus qui carebant inertes a maioribus nominabantur, sed quaero num existimes, non dico Homerum, Archilochum, Pindarum, sed Phidian, Polyclitum, Zeuxim ad voluptatem artes suas direxisse? Ergo opifex plus sibi proponet ad formarum quam civis excellens ad factorum pulchritudinem? Quae autem est alia causa erroris tanti, tam longe lateque diffusi, nisi quod is, qui voluptatem summum bonum esse decernit, non cum ea parte animi, in qua inest ratio atque consilium, sed cum cupiditate, id est cum animi levissima parte, deliberat? Quaero enim de te, si sunt di, ut vos etiam putatis, qui possint esse beati, cum voluptates corpore percipere non possint, aut si sine eo genere voluptatis beati sunt, cur similem animi usum in sapiente esse nolitis?

XXXV. 116. Lege laudationes, Torquate, non eorum, qui sunt ab Homero laudati, non Cyri, non Agesilai, non Aristidi aut Themistocli, non Philippi aut Alexandri: lege nostrorum hominum, lege vestrae familiae: neminem videbis ita laudatum, ut artifex callidus comparandarum voluptatum diceretur. Non elogia monimentorum id significant, velut hoc ad portam: VNVM HVNC PLVRIMAE CONSENTIVNT GENTES POPVLI PRIMARIVM FVISSE VIRVM. 117. Idne consensisse de Calatino plurimas gentis arbitramur, primarium fuisse populi, quod praestantissimus fuisset in conficiendis voluptatibus? Ergo in iis adulescentibus bonam spem esse dicemus et magnam indolem, quos suis commodis inservituros et

---

5. *corporis* A: om. B; [*corporis*] M — 6. *Quod* B: *Quid* A — 10. *opt. esse* B E — *maxima in uoluptate* A: *in maxima uoluptate* B M; *in voluptate maxima* O — 11. *intervallo*] *vallo* B — 13. *genere isto* A B: *isto genere* M O — 14. *haec*] *hic* B — 16. *qui* om. A — *a maioribus* E: *amoribus* A B — 17. *phidian* A B E: *Phidiam* M O — *polyclitum* E: *policlitum* A; *piloclitum* B; *Polycletum* O — 18. *zeuxim* A: *ceurim* B E; *Zeuxin* M O — 20. *autem est* A B: *est autem* M O — *alia*] *ilia* A — 21. *esse* om. B — *decerit* B; *dicerint* (sic) E — *non* om. B — 22. *in* om. A B — 23. *deliberatur q.* B — 24. *dii* A B O — *possint* Lambinus: *possunt* codd. et O — 25. *percipe* A; *percipi* B — 26. *sunt*] *sint* A B — 28. *hagesi. lai* A B E — 31. *voluptatum*] *utilitatum* A B — *elogia*] *eulogia* A B; at cf. Cat. m. § 61. — *monimentorum* A B E: *monumentorum* M O — *significant? velut* O — 32. *unum hunc* Orellius (collato elogio L. Scipionis Barbati F. Inscrr. Latt. n. 552): *uno cum* A B; *uno cui* alii codd., unde *uno ore cui* ex interpolatione editum est ante Orellium; *hunc unum* Madvig; v. Ritschl in N. Mus. Rhen. IX, p. 7. — *populi* om. B (non E) — 33. *Idne*] *et due* B — 34. *fuisse populi* A: *populi fuisse* B M O; *fuisse populi virum* G.

quicquid ipsis expediat facturos arbitrabimur? Nonne videmus, quanta perturbatio rerum omnium consequatur, quanta confusio? Tollitur beneficium, tollitur gratia, quae sunt vincla concordiae. Nec enim, cum tua causa cui commodes, beneficium illud habendum est, sed faeneratio, nec gratia deberi videtur ei, qui sua causa commodaverit. Maximas vero virtutes iacere omnis necesse est voluptate dominante. Sunt etiam turpitudines plurimae, quae, nisi honestas natura plurimum valeat, cur non cadant in sapientem non est facile defendere. 118. Ac, ne plura complectar — sunt enim innumerabilia —, bene laudata virtus voluptatis aditus intercludat necesse est. Quod iam a me exspectare noli: tute introspice in mentem tuam ipse eamque omni cogitatione pertractans percontare ipse te, perpetuisne malis voluptatibus perfruens in ea, quam saepe usurpabas, tranquillitate degere omnem aetatem sine dolore, assumpto etiam illo, quod vos quidem adiungere soletis, sed fieri non potest, sine doloris metu, an cum de omnibus gentibus optime mererere, cum opem indigentibus salutemque ferres, vel Herculis perpeti aerumnas. Sic enim maiores nostri labores non fugiendos tristissimo tamen verbo aerumnas etiam in deo nominaverunt. 119. Exigerem ex te cogeremque ut responderes, nisi vererer ne Herculem ipsum ea, quae pro salute gentium summo labore gessisset, voluptatis causa gessisse diceres.

Quae cum dixissem, Habeo, inquit Torquatus, ad quos ista referam, et, quamquam aliquid ipse poteram, tamen invenire malo paratiores. Familiares nostros, credo, Sironem dicis et Philodemum, cum optimos viros, tum homines doctissimos. Recte, inquit, intellegis. Age sane, inquam; sed erat aequius Triarium aliquid de dissensione nostra iudicare. Eiuro, inquit arridens, iniquum, hac quidem de re: tu enim ista lenius, hic Stoicorum more nos vexat. Tum Triarius, Posthac quidem, inquit, audacius; nam haec ipsa mihi erunt in promptu, quae modo audivi, nec ante aggrediar, quam te ab istis, quos dicis, instructum videro. Quae cum essent dicta, finem fecimus et ambulandi et disputandi.

---

1. *facturos arbitrabimur* A D: *facturos esse arbitramur* B — *Nonne*] *nomine* A — 3. *uincla* A: *uincula* B M O — *cum* A B: *si* M O — 4. *tua causa* G: *tuā causā* A, *tuam causam* B; *tuam ob causam* M O — *cui* A B: *cuiquam* ceteri codd. et O; *cuipiam* Madvig — *uoneratio* A; *feneratio* B M O — 5. *sua causa commodaverit* nos: *suā causā commodaverit* A; *suam commodauerit causam* B; *suam ob causam commodaverit* M O — 6. *necesse*] *nec* (*ne*, non *ut*, E) *esse* B E — 7. *honestas* C: *honesta* A B D — *valent* D — 8. *cadant insipientem* E — *Ac*] *at* B E — 10. *aditus*] *bene aditus* B — 12. *quam*] *quem* A — 15. *gentibus* om. B — *merere* A B E — 17. *m. uestri* B — *figiendos* A; *fingendo* B E — 18. *Exigerem*] *Eligerem* A B E; fort. *elicerem* — 20. *dicere* B E — 21. *que dum* B (non E) — 22. *paratiores. Familiares nostros, credo* Madvigius (in Addendis): *paratiores familiares nostros. Credo* M O — 23. *credo inquam* S. G — *sironem* A B E: *Syronem* M O; *Scyronem* ed. Rom. a. 1471; *Scironem* Halmius ad p. 40, 3. — 24. *homines doctissimos* A B: *doctissimos homines* O — *sane* om. B E — 25. *aliquod* B — *dissensione nostra* A B E: *nostra dissensione* M O — *iudicare. Eiuro* Goerenzius: *iudicare. Iuro* codd. — 27. *leuius* B E — 30. *Incipit liber tertius de finibus bonorum et malorum* A; *Explicit liber secundus de finibus bonorum et malorum marci tuly ciceronis. Marci tuly ciceronis de finibus bonorum et malorum liber tertius incipit* B.

M. TULLII CICERONIS

DE

FINIBUS BONORUM ET MALORUM

AD M. BRUTUM

LIBER TERTIUS.

I. 1. Voluptatem quidem, Brute, si ipsa pro se loquatur nec tam pertinaces habeat patronos, concessuram arbitror convictam superiore libro dignitati. Etenim sit impudens, si virtuti diutius repugnet aut si honestis iucunda anteponat aut pluris esse contendat dulcedinem corporis ex eave natam laetitiam quam gravitatem animi atque constantiam. Quare illam quidem dimittamus et suis se finibus tenere iubeamus, ne blanditiis eius illecebrisque impediatur disputandi severitas. 2. Quaerendum est enim, ubi sit illud summum bonum, quod reperire volumus, quoniam et voluptas ab eo remota est et eadem fere contra eos dici possunt, qui vacuitatem doloris finem bonorum esse voluerunt, nec vero ullum probetur summum bonum, quod virtute careat, qua nihil potest esse praestantius. Itaque quamquam in eo sermone, qui cum Torquato est habitus, non remissi fuimus, tamen haec acrior est cum Stoicis parata contentio. Quae enim de voluptate dicuntur, ea nec acutissime nec abscondite disseruntur; neque enim qui defendunt eam versuti in disserendo sunt nec qui contra dicunt causam difficilem repellunt. 3. Ipse etiam dicit Epicurus ne argumentandum quidem esse de voluptate, quod sit positum iudicium eius in sensibus, ut commoneri nos satis sit, nihil attineat doceri. Quare illa nobis simplex fuit in utramque partem disputatio. Nec enim in Torquati sermone quicquam implicatum aut tortuosum fuit nostraque, ut mihi videtur, dilucida oratio. Stoicorum autem non ignoras quam sit subtile vel spinosum potius disserendi genus, idque cum Graecis tum magis nobis, quibus etiam verba parienda sunt imponendaque nova rebus novis nomina. Quod quidem nemo mediocriter doctus mirabitur cogitans in omni arte, cuius usus vulgaris communisque non sit, multam novitatem nominum esse, cum constituantur

---

1. *ipsa prosequatur* E — *tam* om. B — 3. *Etenim*] *enim* B — *si virtuti diutius repugnet*] *flunt tuti diucius te pugnet* A — 4. *corporis* A B D: *corporis et titillantem* alii codd.; *corporis et titillationem* O — 6. *quidem*] *quit* B; *inquit* E — *tenere*] *petere* A B; *cedere* G — 9. *eadem*] *ea* B (non E) — 11. *probetur* tres Madvigii codices: *probetur ut* A B O; *probetur* [*ut*] M — *potest*] *posset* A E; *possit* B — 14. *contentio*] *intencio* (non *inuentio*) E — *Que uero de* B — 18. *ut*] *et* B — *commoueri* B E — 20. *sermone nec quicquam* A B E — 23. *parienda*] *pariendaq'* A — 24. *rebus nouis* A B: *novis rebus* O.

earum rerum vocabula, quae in quaque arte versentur. 4. Itaque et dialectici et physici verbis utuntur iis, quae ipsi Graeciae nota non sint; geometrae vero et musici, grammatici etiam more quodam locuntur suo. Ipsae rhetorum artes, quae sunt totae forenses atque populares, verbis tamen in docendo quasi privatis utuntur ac suis.

II. Atque ut omittam has artis elegantis et ingenuas, ne opifices quidem tueri sua artificia possent, nisi vocabulis uterentur nobis incognitis, usitatis sibi. Quin etiam agricultura, quae abhorret ab omni politiore elegantia, tamen eas res, in quibus versatur, nominibus notavit novis. Quo magis hoc philosopho faciendum est: ars est enim philosophia vitae, de qua disserens arripere verba de foro non potest. 5. Quamquam ex omnibus philosophis Stoici plurima novaverunt, Zenoque eorum princeps non tam rerum inventor fuit quam verborum novorum. Quod si in ea lingua, quam plerique uberiorem putant, concessum est ut doctissimi homines de rebus non pervagatis inusitatis verbis uterentur, quanto id nobis magis est concedendum, qui ea nunc primum audemus attingere? Et quoniam saepe diximus, et quidem cum aliqua querella non Graecorum modo, sed eorum etiam, qui se Graecos magis quam nostros haberi volunt, nos non modo non vinci a Graecis verborum copia, sed esse in ea etiam superiores, elaborandum est ut hoc non in nostris solum artibus, sed etiam in illorum ipsorum assequamur: quamquam ea verba, quibus instituto veterum utimur pro Latinis, ut ipsa philosophia, ut rhetorica, dialectica, grammatica, geometria, musica, quamquam Latine ea dici poterant, tamen, quoniam usu percepta sunt, nostra ducamus. Atque haec quidem de rerum nominibus. 6. De ipsis rebus autem saepe numero, Brute, vereor ne reprehendar, cum haec ad te scribam, qui cum in philosophia tum in optimo genere philosophiae tantum processeris. Quod si facerem quasi te erudiens, iure reprehenderer, sed ab eo plurimum absum neque ut ea cognoscas, quae tibi notissima sunt, ad te mitto, sed quia facillime in nomine tuo acquiesco et quia te habeo aequissimum eorum studiorum, quae mihi communia tecum sunt, existimatorem et iudicem. Attendes igitur, ut soles, diligenter eamque controversiam diiudicabis, quae mihi fuit cum avunculo tuo, divino ac singulari viro. 7. Nam in Tusculano cum essem vellemque e bibliotheca pueri Luculli quibusdam libris uti, veni in eius villam, ut eos ipse, ut solebam, depromerem. Quo cum venissem, M. Catonem, quem ibi esse nescieram, vidi in bibliotheca sedentem, multis circumfusum Stoicorum libris. Erat enim, ut scis, in eo avi-

---

1. *earum*] *eam* (non *ea*) BE — *et* om. B — 2. *non* B: om. A — *sint* Madvigius: *sunt* codd. et O — 3. *Geometriae* A; *geometri* BE — 4. *Ipsae* AB: *Item ipsae* O — 6. *has* A: om. B; [*has*] M — *opificis* AE; *opositis* B — 8. *abhorret*] *oborret* A — 9. *eas* tres Madvigii codices: *ea* ABO — 10. *est* (post *ars*) om. B — 12. *stoicis* ABE — 14. *concessum* B: *concessum a grecia* A; *concessum* [*a Graecia*] O — 17. *Et quoniam* Madvigius: *etsi quoniam* AB; *Etsi,quod* O — 18. *quaerela* A; *querela* BMO — *eorum etiam* ABE: *etiam eorum* M — 20. *superioris* ABE — 21. *in nostris*] *inq̄ris* A — *assequamur* ABDE: *consequamur* MO — 22. *ea*] *eam* BE — *pro Latinis*] *prolationis* ABE — 23. *geometrica* A — 24. *quoniam*] *quia* B — 28. *quid si* BE — 32. *attendens* A — 33. *mihi fuit cum -- uiro* A: *mihi cum -- uiro fuit* BM — 35. *lucilli* BE — 36. *depromerem* AB: *inde promerem* (cf. p. 133, 10) MO — 38. *auiditas* AB: *inexhausta aviditas* O; † *inexhausta auiditas* M. «Videtur omnino excidisse

ditas legendi nec satiari poterat, quippe qui ne reprensionem quidem vulgi inanem reformidans in ipsa curia soleret legere saepe, dum senatus cogeretur, nihil operae rei publicae detrabens: quo magis tum in summo otio maximaque copia quasi helluari libris, si hoc verbo in tam clara re utendum est, videbatur. 8. Quod cum accidisset, ut alter alterum nec opinato videremus, surrexit statim. Deinde prima illa, quae in congressu solemus, Quid tu, inquit, huc? a villa enim, credo, et, si ibi te esse scissem, ad te ipse venissem. Heri, inquam, ludis commissis ex urbe profectus veni ad vesperum; causa autem fuit huc veniendi, ut quosdam hinc libros promerem. Et quidem, Cato, hanc totam copiam iam Lucullo nostro notam esse oportebit; nam his libris eum malo quam reliquo ornatu villae delectari. Est enim mihi magnae curae — quamquam hoc quidem proprium tuum munus est — ut ita erudiatur, ut et patri et Caepioni nostro et tibi tam propinquo respondeat. Laboro autem non sine causa; nam et avi eius memoria moveor — nec enim ignoras, quanti fecerim Caepionem, qui, ut opinio mea fert, in principibus iam esset, si viveret — et Lucullus mihi versatur ante oculos, vir cum omnibus excellens, tum mecum et amicitia et omni voluntate sententiaque coniunctus. 9. Praeclare, inquit, facis, cum et eorum memoriam tenes, quorum uterque tibi testamento liberos suos commendavit, et puerum diligis. Quod autem meum munus dicis, non equidem recuso, sed te adiungo socium. Addo etiam illud, multa iam mihi dare signa puerum et pudoris et ingenii, sed aetatem vides. Video equidem, inquam, sed tamen iam infici debet iis artibus, quas si, dum est tener, combiberit, ad maiora veniet paratior. Sic, et quidem diligentius saepiusque ista loquemur inter nos agemusque communiter: sed residamus, inquit, si placet; itaque fecimus.

III. 10. Tum ille: Tu autem, cum ipse tantum librorum babeas, quos hic tandem requiris? Commentarios quosdam, inquam, Aristotelios, quos hic sciebam esse, veni ut auferrem, quos legerem, dum essem otiosus: quod quidem nobis non saepe contingit. Quam vellem, inquit, te ad Stoicos inclinavisses! erat enim, si cuiusquam, certe tuum, nihil praeter virtutem in bonis ducere. Vide ne magis, inquam, tuum fuerit, cum re idem tibi quod mihi videretur, non nova te rebus nomina imponere; ratio enim nostra consentit, pugnat oratio. Minime vero, inquit ille, consentit; quicquid enim praeter id, quod honestum sit, expetendum esse dixeris in bonisque numeraveris, et honestum ipsum quasi

---

adiectivum, quod Ciceroni ipsi placuit, hocque *(inexhausta)* esse e supplemento.» OR. Adiectivum propter vim vocis *aviditas* necessarium esse Klotzius recte negare videtur. — 1. *ne prensionem* ABE — 4. *helluari* BCD: *belluari* A; *heluari* MO — *in tam* A: *vitam* B; *tam in* codd. dett. — *clara*] *praeclara* Lambinus. — 7. *si* om. B — 10. *hinc* B: *hic* A — *hanc totam* AB: *totam hanc* O — 11. *notam*] *totam* BE — 13. *ut et* B: *et ut* A — 14. *et* post *patri* om. B (non E) — *cepioni* A; *scipioni* B — 15. *nec*] *hec* B — 16. *cepionem* AB — *fert*] *refert* AB — 17. *et L. Lucullus* Halmius — 18. *omnibus*] *rebus omnibus* margo editt. Lambinianarum; *omnibus* [*rebus*] Klotzius. — 19. *memoria* A — 20. *testamento liberos suos tibi* B — 23. *puerum et* om. B — 24. *iam* om. B — 25. *uenerit* B — *paratior. Sic*] *paratior sit* ABE; *paratior. Sic est* Lambinus — 26. *agemus comm.* BE — *residamus* AB: *resideamus* O — 27. *itaque*] *ita* B — 29. *quos* om. B — *hic*] *his* A, *hys* B — *Aristotelios* A: *aristotilis* B — 30. *aufferrem* B; *afferrem* E — 31. *nobis* AB: *nobis, sicut scis* M; *nobis, ut scis* O — 32. *Stoicos*] *stoi* A — 37. *que* om. B.

virtutis lumen exstinxeris et virtutem penitus everteris. 11. Dicuntur ista, Cato, magnifice, inquam, sed videsne verborum gloriam tibi cum Pyrrhone et cum Aristone, qui omnia exaequant, esse communem? de quibus cupio scire quid sentias. Egone quaeris, inquit, quid sentiam? quos bonos viros, fortes, iustos, moderatos aut audivimus in re publica fuisse aut ipsi vidimus, qui sine ulla doctrina naturam ipsam secuti multa laudabilia fecerunt, eos melius a natura institutos fuisse, quam institui potuissent a philosophia, si ullam aliam probavissent praeter eam, quae nihil aliud in bonis habet nisi honestum, nihil nisi turpe in malis: ceterae philosophorum disciplinae, omnino alia magis alia, sed tamen omnes, quae rem ullam virtutis ** expertem aut in bonis aut in malis numerent, eas non modo nihil adiuvare arbitror neque † affirmare, quo meliores simus, sed ipsam depravare naturam. Nam nisi hoc optineatur, id solum bonum esse, quod honestum sit, nullo modo probari possit beatam vitam virtute effici. Quod si ita sit, cur opera philosophiae sit danda, nescio. Si enim sapiens aliquis miser esse possit, ne ego istam gloriosam memorabilemque virtutem non magno aestimandam putem.

IV. 12. Quae adhuc, Cato, a te dicta sunt, eadem, inquam, dicere posses, si sequerere Pyrrhonem aut Aristonem. Nec enim ignoras iis istud honestum non summum modo, sed etiam, ut tu vis, solum bonum videri: quod si ita est, sequitur id ipsum, quod te velle video, omnes semper beatos esse sapientes. Hosne igitur laudas et hanc eorum, inquam, sententiam sequi nos censes oportere? Minime vero istorum quidem, inquit. Cum enim virtutis hoc proprium sit, earum rerum, quae secundum naturam sunt, habere delectum, qui omnia sic exaequaverunt, ut in utramque partem ita paria redderent, uti nulla selectione uterentur, ii virtutem ipsam sustulerunt. 13. Istud quidem, inquam, optime dicis, sed quaero, nonne tibi faciendum idem sit, nihil dicenti bonum, quod non rectum honestumque sit, reliquarum rerum discrimen omne tollenti? Si quidem, inquit, tollerem, sed relinquo. 14. Quonam modo? inquam. Si una virtus, unum istud, quod honestum appellas, rectum, laudabile, decorum — erit enim notius quale sit pluribus notatum vocabulis idem declarantibus —, id igitur, inquam, si solum est bonum, quid habebis praeterea quod sequare? aut, si nihil malum nisi quod turpe, inhonestum, indecorum, pravum, flagitiosum, foedum — ut hoc

---

2. *gloria* A — 3. *pyrrone* AB, item v. 20. — *exaequant esse* nos: *exequantes se* AB; *exaequent esse* MO — 4. *Egone?* MO — [*quaeris*] O cum Goerenzio — *inquam* AB — *quid sentiam* ABD: *scire quid sentiam* codd. dett.; [*scire, quid sentiam?*] O cum Goerenzio — 9. *habet*] *haberet* AB — 11. *virtutis* ** *expertem* Bremius: *uirtutis expertem* AMO; *expertem uirt.* (non *expetere uirt.*) BE; *virtutis aut vitii exp.* Davisius; *virt. aut turpitudinis exp.* alii — *aut malis* (om. *in*) A — 12. *arbitrare neque* B — *affirmare*] *afferre* cod. Leidensis; *confirmare* G et Orellius; *firmare* Madvigius — 13. *nisi hoc* ABC: *si hoc non* O — 15. *cur* A: om. B — 16. *sint d.* BE — *ne* AB: *nae* MO — 19. *a te*] *ante* A — 20. *aut*] *et* B — *ignoras iis* Madvigius: *ignoras siis* A; *ignoras si* B; *ignoras,* [*similiter*] *his* O — 22. *sequi id* E — 25. *quae*] *qui* A — 26. *sunt* G: *sint* ABMO — *qui*] *quae* AB — 27. *ut*] *et* BE — *uti nulla*] *ut in nulla* ABCE — 28. *ii* Bremius: *hy* B; *hi* M; *huius* AC; *eius* vel *eiusmodi* codd. dett.; om. O — 29. *fac. nichil idem sit dic.* B — *dicendi* ABE — 30. *rerum* om. A — 31. *tollendi* A — *modo? inquam. Si* Bremius: *modo, inquam, si* O — 33. *pluribus*] *plurimus* A — 34. *igitur* A: *ergo* BMO — 35. *nisi*] *nihil* A; *nil* B.

quoque pluribus nominibus insigne faciamus —, quid praeterea dices esse fugiendum? Non ignoranti tibi, inquit, quid sim dicturus, sed aliquid, ut ego suspicor, ex mea brevi responsione arripere cupienti, non respondebo ad singula, explicabo potius, quoniam otiosi sumus, nisi alienum putas, totam Zenonis Stoicorumque sententiam. Minime id quidem, inquam, alienum, multumque ad ea, quae quaerimus, explicatio tua ista profecerit. 15. Experiamur igitur, inquit, etsi habet haec Stoicorum ratio difficilius quiddam et obscurius. Nam cum in Graeco sermone haec ipsa quondam rerum nomina novarum ** non videbantur, quae nunc consuetudo diuturna trivit, quid censes in Latino fore? Facillimum id quidem est, inquam. Si enim Zenoni licuit, cum rem aliquam invenisset inusitatam, inauditum quoque ei rei nomen imponere, cur non liceat Catoni? Nec tamen exprimi verbum e verbo necesse erit, ut interpretes indiserti solent, cum sit verbum, quod idem declaret, magis usitatum; equidem soleo etiam, quod uno Graeci, si aliter non possum, idem pluribus verbis exponere. Et tamen puto concedi nobis oportere, ut Graeco verbo utamur, si quando minus occurret Latinum, ne hoc ephippiis et acratophoris potius quam proegmenis et apoproegmenis concedatur, quamquam haec quidem praeposita recte et reiecta dicere licebit. 16. Bene facis, inquit, quod me adiuvas, et istis quidem, quae modo dixisti, utar potius Latinis, in ceteris subvenies, si me haerentem videbis. Sedulo, inquam, faciam. Sed fortuna fortis: quare conare, quaeso. Quid enim possumus hoc agere divinius?

V. Placet his, inquit, quorum ratio mihi probatur, simulatque natum sit animal — hinc enim est ordiendum —, ipsum sibi conciliari et commendari ad se conservandum et ad suum statum eaque, quae conservantia sunt eius status, diligenda, alienari autem ab interitu iisque rebus, quae interitum videantur afferre. Id ita esse sic probant, quod ante quam voluptas aut dolor attigerit, salutaria appetant parvi aspernenturque contraria, quod non fieret, nisi statum suum diligerent, interitum timerent. Fieri autem non posset, ut appeterent aliquid, nisi sensum haberent sui eoque se diligerent. Ex quo intellegi debet principium ductum esse a se diligendo. 17. In principiis autem naturalibus plerique Stoici non putant voluptatem esse ponendam: quibus ego vehementer assentior, ne, si voluptatem natura posuisse in iis rebus videa-

---

1. *quod pr.* B E — 2. *esse* om. B E — *tibi, inquit, quid* nos: *tibi quid* A B; *inquit, tibi, quid* M O — 5. *alienam* B E — *que* om B — *quidem*] *quod* B E — 7. *igitur, inquit*] *inquam* B — 8. *quoddam* B E — 9. *rerum* om. B — *nouarum non uidebantur* A: *uocarunt non uidebantur* B; *novarum novabantur* O; *nouarum* [*noua erant, ferenda*] *non uidebantur* Madvigius in adnotatione — 10. *trivit*] *tenuit* B E — *quod c.* B E — *facillimum* B C: *famillimum* A; *Faciendum* O — 14. *cum sit verbum quod magis idem declarat usitatum* D — 16. *Et* om. B — 17. *minus*] *munus* A B E — 18. *pegmenis et appopegmenis* B — 20. *licebat* B — *quod*] *ut* E — 22. *Sedulo -- quaeso* Nonius p. 37. — 23. *fortis* A B et Nonius: *fortes* M O — *possumus hoc* A B: *hoc possumus* O — 25. *probatur*] *probaturque* B (non E) — 26. *hinc*] *hin* A; *huic* B E — *est ordiendum* A: *ordiendum est* B M — 27. *eaque*] *eque* A B — 29. *ita* om. B (non E) — 30. *parvi* (non *qui*) etiam E — 31. *statum* A B: *statum ipsum* O — 32. *possent* B E — 33. *se* A B: *se et sua* O — 34. *dctum* (sic) *esse* B; *dictum esse* (non *esse dictum*) E — *naturalibus* Ursinus: *naturalibus diligendi sui* codd. — 36. *ne*] *nam* E — *posuisse in iis*] *posuisset in his* A; *potuisset in hys* B.

tur, quae primae appetuntur, multa turpia sequantur. Satis esse autem argumenti videtur, quam ob rem illa, quae prima sunt adscita natura, diligamus, quod est nemo quin, cum utrumvis liceat, aptas malit et integras omnis partis corporis quam eodem usu imminutas aut detortas habere. Rerum autem cognitiones, quas vel comprehensiones vel perceptiones vel, si haec verba aut minus placent aut minus intelleguntur, καταλήψεις appellemus licet, eas igitur ipsas propter se adsciscendas arbitramur, quod habeant quiddam in se quasi complexum et continens veritatem. Id autem in parvis intellegi potest, quos delectari videamus, etiam si eorum nihil intersit, si quid ratione per se ipsi invenerint. 18. Artis etiam ipsas propter se assumendas putamus, cum quia sit in iis aliquid dignum assumptione, tum quod constent ex cognitionibus et contineant quiddam in se ratione constitutum et via. A falsa autem assensione magis nos alienatos esse quam a ceteris rebus, quae sint contra naturam, arbitrantur. Iam membrorum, id est partium corporis, alia videntur propter eorum usum a natura esse donata, ut manus, crura, pedes, ut ea, quae sunt intus in corpore, quorum utilitas quanta sit a medicis etiam disputatur, alia autem nullam ob utilitatem quasi ad quendam ornatum, ut cauda pavoni, plumae versicolores columbis, viris mammae atque barba. 19. Haec dicuntur fortasse ieiunius; sunt enim quasi prima elementa naturae, quibus ubertas orationis adhiberi vix potest, nec equidem eam cogito consectari: verum tamen cum de rebus grandioribus dicas, ipsae res verba rapiunt: ita fit cum gravior tum etiam splendidior oratio. Est ut dicis, inquam; sed tamen omne, quod de re bona dilucide dicitur, mihi praeclare dici videtur. Istius modi autem res dicere ornate velle puerile est, plane autem et perspicue expedire posse docti et intellegentis viri.

VI. 20. Progrediamur igitur, quoniam, inquit, ab his principiis naturae discessimus, quibus congruere debent quae secuntur. Sequitur autem haec prima divisio: Aestimabile esse dicunt — sic enim, ut opinor, appellemus — id, quod aut ipsum secundum naturam sit aut tale quid efficiat, ut selectione dignum propterea sit, quod aliquod pondus habeat dignum aestimatione, quam illi ἀξίαν vocant, contraque inaestimabile, quod sit superiori contrarium. Initiis igitur ita constitutis, ut ea, quae secundum naturam sunt, ipsa propter se sumenda sint, contrariaque item reicienda, primum est officium — id enim appello καθῆκον —, ut se conservet in naturae statu, deinceps ut ea teneat, quae

---

2. *adscita* A: *asserta* B — 3. *apta* A — 5. *quas vel comprehensiones vel perceptiones* om. A — 6. *si hoc uerbo aut* B — 7. *catalepsis* A B — *appellamus* B E — *eas* A B: *has* O — 8. *quod* (non *quam*) etiam E — 9. *in* om. A B — *quos* (non *quod*) etiam E — *videmus* G — 10. *si quid*] *sed quid* B — *inuenerint* A B: *invenerunt* O — 11. *propter*] *pro* A — *cum* A B: *tum* O — 12. *iis*] *his* A O, *hys* B — *quo const.* B E — 14. *sint* A B: *sunt* O — 17. *ut ea* A: *et ea* B — 18. *a med. etiam* (non *etiam a med.*) etiam E — 24. *ut* om. B — 25. *mihi p. dici* om. B — *autem*] *ut* E — 26. *puerili* A — 28. *quoniam*] *qui ideo* B — 30. *haec prima diuisio* A B: *prima divisio haec* O — *dicunt* A B E: *dicitur* M O — *opinior* A — 31. *appellemus* Th. Bentleius: *appellamus* codd. — 32. *praeterea* B E — *aliquod* om. A — 33. *illi - vocant* Pearcius: *ille - vocat* codd. et O — *axian* A B E — 34. *Initiis*] *Intus* B — 36. *primum*] *primum enim* B — *officium est* E — *id enim*] *idem* B — *cathecon* A B.

secundum naturam sint, pellatque contraria: qua inventa selectione et item reiectione sequitur deinceps cum officio selectio, deinde ea perpetua, tum ad extremum constans consentaneaque naturae, in qua primum inesse incipit et intellegi, quid sit quod vere bonum possit dici. 21. Prima est enim conciliatio hominis ad ea, quae sunt secundum naturam: simul autem cepit intellegentiam vel notionem potius, quam appellant ἔννοιαν illi, viditque rerum agendarum ordinem et, ut ita dicam, concordiam, multo eam pluris aestimavit quam omnia illa, quae prima dilexerat, atque ita cognitione et ratione collegit, ut statueret in eo collocatum summum illud hominis per se laudandum et expetendum bonum, quod cum positum sit in eo, quod ὁμολογίαν Stoici, nos appellemus convenientiam, si placet —: cum igitur in eo sit id bonum, quo omnia referenda sunt, honeste facta ipsumque honestum, quod solum in bonis ducitur, quamquam post oritur, tamen id solum vi sua et dignitate expetendum est; eorum autem, quae sunt prima naturae, propter se nihil est expetendum. 22. Cum vero illa, quae officia esse dixi, proficiscantur ab initiis naturae, necesse est ea ad haec referri, ut recte dici possit omnia officia eo referri, ut adipiscamur principia naturae, nec tamen ut hoc sit bonorum ultimum, propterea quod non inest in primis naturae conciliationibus honesta actio: consequens enim est et post oritur, ut dixi. Est tamen ea secundum naturam multoque nos ad se expetendam magis hortatur quam superiora omnia. Sed ex hoc primum error tollendus est, ne quis sequi existimet ut duo sint ultima bonorum. Ut enim si cui propositum sit conliniare hastam aliquo aut sagittam, sic nos ultimum in bonis dicimus. [sic illi facere omnia, quae possit, ut conliniet.] Huic in eius modi similitudine omnia sint facienda, ut conliniet, et tamen ut omnia faciat, quo propositum assequatur, sit hoc quasi ultimum, quale nos summum in vita bonum dicimus, illud autem, ut feriat, quasi seligendum, non expetendum.

VII. 23. Cum autem omnia officia a principiis naturae proficiscantur, ab isdem necesse est proficisci ipsam sapientiam. Sed quem ad modum saepe fit ut is, qui commendatus sit alicui, pluris eum faciat, cui commendatus, quam illum, a quo sit, sic minime mirum est, primo nos sapientiae commendari ab initiis naturae, post autem ipsam sapientiam

---

1. *qua* A: *que* B E, *quae* O — 3. *primum* codd.: *quum primum* cum Goerenzio O — 4. *incipit et intelligi* B: *incipit et intellegit* A; *incipit, intelligit* cum Schuetzio O — 5. *primum* E — 6. *vel*] *et* B — 7. *ennoeā* A, *ennoean* B — 8. *concordia* A — *estimabit* A B; *existimabit* E — 11. *quod*] *qua* B — *cum positum*] *cūpositum* A — *homologian* A B — 13. *sint* B — *honeste facta*] *omnia honeste facta* A E; *omnia honesta facta* B; om. de Davisii sententia O — *quod solum* B: *quo solum* E; *solum* om. ceteri codd. (etiam A) — 14. *id* A E: *illud* B — *vi sua et d.*] *in sua d.* B — 16. *est* A B: om. O — 17. *necesse est ea* A B E: *ea necesse est* M — 20. *inest* A: *est* B M — *enim est* A: *est enim* B M O — 24. *conliniare* A B: *collimare* C D; *conlineare* M; *collineare* O; item v. 26 et 27. Cf. ad p. 80, 30. — *aliquo hastam* B — 25. *sic nos* duo codd. Goerenzii: *sicut nos* A B O — *sic illi f. omnia q. p. ut conliniet* delenda esse iudicarunt Ursinus, Marsus, Matthiaeus, Madvigius; *sicut illi* cet. scribendum censet Fr. Iacobus in Philol. Schneidew. VI, p. 487 sqq., qui deinceps verba *Huic -- expetendum* et falsa esse ait neque a Cicerone potuisse addi. — 28. *sit* Ernestius: *sed* codd. — 31. *isdem* A B: *iisdem* O — 32. *alicui -- commendatus sit* om. B — *cui commendatus* A: *cui commendatus sit* M O — 33. *sit, sic*] *sic* (om. *sit*) A E; *sit* (om. *sic*) B — 34. *ipsam autem* B.

nobis cariorem fieri, quam illa sint, a quibus ad hanc venerimus. Atque ut membra nobis ita data sunt, ut ad quandam rationem vivendi data esse appareant, sic appetitio animi, quae ὁρμή Graece vocatur, non ad quodvis genus vitae, sed ad quandam formam vivendi videtur data, itemque et ratio et perfecta ratio. 24. Ut enim histrioni actio, saltatori motus non quivis, sed certus quidam est datus, sic vita agenda est certo genere quodam, non quolibet: quod genus conveniens consentaneumque dicimus. Nec enim gubernationi aut medicinae similem sapientiam esse arbitramur, sed actioni illi potius, quam modo dixi, et saltationi, ut in ipsa insit, non foris petatur extremum, id est artis effectio. Et tamen est etiam alia cum his ipsis artibus sapientiae dissimilitudo, propterea quod in illis quae recte facta sunt non continent tamen omnes partes, e quibus constant: quae autem nos aut recta aut recte facta dicamus, si placet, illi autem appellant κατορθώματα, omnes numeros virtutis continent. Sola enim sapientia in se tota conversa est, quod idem in ceteris artibus non fit. 25. Inscite autem medicinae et gubernationis ultimum cum ultimo sapientiae comparatur. Sapientia enim et animi magnitudinem complectitur et iustitiam et ut omnia, quae homini accidant, infra se esse iudicet, quod idem ceteris artibus non contigit. Tenere autem virtutes eas ipsas, quarum modo feci mentionem, nemo poterit, nisi statuerit nihil esse quod intersit aut differat aliud ab alio praeter honesta et turpia.

26. Videamus nunc, quam sint praeclare illa his, quae iam posui, consequentia. Cum enim hoc sit extremum — sentis enim, credo, me iam diu, quod τέλος Graeci dicunt, id dicere tum extremum, tum ultimum, tum summum: licebit etiam finem pro extremo aut ultimo dicere —, cum igitur hoc sit extremum, congruenter naturae convenienterque vivere, necessario sequitur omnes sapientes semper feliciter, absolute, fortunate vivere, nulla re impediri, nulla prohiberi, nulla egere. Quod autem continet non magis eam disciplinam, de qua loquor, quam vitam fortunasque nostras, id est ut, quod honestum sit, id solum bonum iudicemus, potest id quidem fuse et copiose et omnibus electissimis verbis gravissimisque sententiis [rhetorice] et augeri et ornari, sed consectaria me Stoicorum brevia et acuta delectant. VIII. 27. Concluduntur igitur eorum argumenta sic: Quod est bonum, omne laudabile est: quod autem laudabile est, omne est honestum: bonum igitur quod est, honestum est. Satisne hoc conclusum videtur? Certe: quod enim efficiebatur ex iis duobus, quae erant sumpta, in eo vides esse conclusum. Duorum autem, e quibus effecta conclusio est, contra superius dici solet

---

2. *d. sint* B — *date esse* AB — 3. *appareat* Lambinus. Cf. Vol. II, p. 572, 9. — *horme* AB — 7. *quodam*] *non quodam* B — 11. *etiam* AB: om. O — 12. *recta f.* B — 13. *rectae fata d.* A — 14. *catorthomata* AB — 17. *ultimum* om. B — *Sapi enim* A — 18. [*et*] *ut* O, auctore Ernestio — *accidant* A: *accidunt* BM — 19. *ceteris* AB: *in ceteris* MO — *contigit* A: *contingit* BMO — 20. *quorum* A — 22. *praeter*] *nisi* BE — 23. *sint*] *sit* E — *his* AB: *iis* O — 25. *telos graeci* A: *greci telos* BE — *dicant* D — 27. *hoc sit extremum* A: *extremum hoc sit* BM — 28. *necessario -- fortunate vivere* om. A — 29. *egeri* BE — 30. *loquar* E — 33. *rhetorice* in aliquot codd. dett. omissum damnavit Davisius, defendit Madvig — 35. *eorum* om. B — 38. *iis* nos: *his* codd. et MO — *vides*] *uide* ABE — 39. *autem*] *enim* B.

non omne bonum esse laudabile; nam quod laudabile sit, honestum esse conceditur. Illud autem perabsurdum, bonum esse aliquid, quod non expetendum sit, aut expetendum, quod non placens, aut, si id, non etiam diligendum: ergo et probandum: ita etiam laudabile: id autem honestum. Ita fit ut, quod bonum sit, id etiam honestum sit. 28. Deinde quaero, quis aut de misera vita possit gloriari aut de non beata? De sola igitur beata: ex quo efficitur gloriatione, ut ita dicam, dignam esse beatam vitam, quod non possit nisi honestae vitae iure contingere. Ita fit ut honesta vita beata vita sit. Et quoniam is, cui contingit ut iure laudetur, habet insigne quiddam ad decus et ad gloriam, ut ob ea, quae tanta sint, beatus dici iure possit, idem de vita talis viri rectissime dicetur. Ita, si beata vita honestate cernitur, quod honestum est, id bonum solum habendum est. 29. Quid vero? negarin' ullo modo possit, *numquam* quemquam stabili et firmo et magno animo, quem fortem virum dicimus, effici posse, nisi constitutum sit non esse malum dolorem? Ut enim qui mortem in malis ponit non potest eam non timere, sic nemo ulla in re potest id, quod malum esse decreverit, non curare idque contemnere: quo posito et omnium assensu approbato illud assumitur, eum, qui magno sit animo atque forti, omnia, quae cadere in hominem possint, despicere ac pro nihilo putare. Quae cum ita sint, effectum est nihil esse malum, quod turpe non sit. Atque iste vir altus et excellens, magno animo, vere fortis, infra se omnia humana ducens, is, inquam, quem efficere volumus, quem quaerimus, certe et confidere sibi debet ac suae vitae et actae et consequenti et bene de sese iudicare, statuens nihil posse mali incidere sapienti. Ex quo intellegitur idem illud, solum bonum esse quod honestum sit, idque esse beate vivere, honeste, id est cum virtute, vivere.

IX. 30. Nec vero ignoro varias philosophorum fuisse sententias, eorum dico, qui summum bonum, quod ultimum appello, in animo ponerent. Quae quamquam vitiose quidam secuti sunt, tamen non modo iis tribus, qui virtutem a summo bono segregaverunt, cum aut voluptatem aut vacuitatem doloris aut prima naturae in summis bonis ponerent, sed etiam alteris tribus, qui mancam fore putaverunt sine aliqua accessione virtutem ob eamque rem trium earum rerum, quas supra dixi, singuli singulas addiderunt, his tamen omnibus eos antepono, cuicuimodi sunt, qui summum bonum in animo atque in virtute posuerunt.

---

2. *esse* post *bonum* om. B — *aliquod* B — 3. *sit* om. D — *aut expetendum* om. BD — 4. *et*] fort. *etiam* — *id autem* -- *bonum sit* om. B — 6. *de non beata* Madvigius: *non beata* (om. *de*) B; *non de beata* A O — 7. *quo*] *qua* A B C D — *gloriatio. ne ut* A B — 8. *dignum* B — *vitam* om. B (non E) — *possit* A B: *possit quidem* D O — 9. *h. vita beata sit* (om. *vita*) D — *is*] *si* B — 11. *ob* Manutius: *ad* A B: *ab* «alii codices» ap. Morelium — 12. *honestate*] *honeste* A B — 13. *Quid vero? negarine ullo* Davisius: *Quod uero negari nullo* A G; *quod vero negari etiam nullo* D; *qui uero negari nullo* B; *Qui vero negari ullo* O — 14. *numquam* Madvigius: om. codd. — *quequam* E — *et magno* om. D — 19. *atque forti* -- *magno animo* (v. 22) om. A — 20 *cadere*] *eadem* B — *ac*] *at* E — 24. *ac* A B: *et* O — 26. *idem*] *id est* B — 27. *honeste* om. B — 29. *eorum* -- *ponerent* Nonius Marcellus p. 417. — *appellant* Nonius — 30. *Quae* A: *que* B; *Quas* M; *Quos* O — *quidam*] *quidem* B — 31. *iis*] *his* A B O — 33. *sed etiam* -- *virtutem* Nonius p. 141. — 35. *singuli* P. Faber: *singulis* codd. (etiam E) — *antepono cuicuimodi* Lambinus: *ante potui modi* A; *antepono cuimodi* B; *antepono cuiusmodi* ceteri codd.

31. Sed sunt tamen perabsurdi et ii, qui cum scientia vivere ultimum bonorum, et qui nullam rerum differentiam esse dixerunt, atque ita sapientem beatum fore, nihil aliud alii momento ullo anteponentem, ut quidam Academici constituisse dicuntur, extremum bonorum et summum munus esse sapientis, obsistere visis assensusque suos firme sustinere. His singulis copiose responderi solet, sed quae perspicua sunt longa esse non debent. Quid autem apertius quam, si selectio nulla sit ab iis rebus, quae contra naturam sint, earum rerum, quae sint secundum naturam, tollatur omnis ea, quae quaeratur laudeturque, prudentia? Circumscriptis igitur iis sententiis, quas posui, et iis, si quae similes earum sunt, relinquitur ut summum bonum sit vivere scientiam adhibentem earum rerum, quae natura eveniant, seligentem quae secundum naturam et quae contra naturam sint reicientem, id est convenienter congruenterque naturae vivere. 32. Sed in ceteris artibus cum dicitur artificiose, posterum quodam modo et consequens putandum est, quod illi *ἐπιγεννηματικόν* appellant: cum autem in quo sapienter [dicimus], id a primo rectissime dicitur. Quicquid enim a sapiente proficiscitur, id continuo debet expletum esse omnibus suis partibus; in eo enim positum est id, quod dicimus esse expetendum. Nam ut peccatum est patriam prodere, parentes violare, fana depeculari, quae sunt in effectu, sic timere, sic maerere, sic in libidine esse peccatum est etiam sine effectu. Verum ut haec non in posteris et in consequentibus, sed in primis continuo peccata sunt, sic ea, quae proficiscuntur a virtute, susceptione prima, non perfectione, recta sunt iudicanda.

X. 33. Bonum autem, quod in hoc sermone totiens usurpatum est, id etiam definitione explicatur. Sed eorum definitiones paulum oppido inter se differunt, et tamen eodem spectant. Ego assentior Diogeni, qui bonum definierit id, quod esset natura absolutum. Id autem sequens illud etiam quod prodesset — *ὠφέλημα* enim sic appellemus — motum aut statum esse dixit e natura absoluto. Cumque rerum notiones in animis fiant, si aut usu aliquid cognitum sit aut coniunctione aut similitudine aut collatione rationis, hoc quarto, quod extremum posui, boni notitia facta est. Cum enim ab iis rebus, quae sunt secundum naturam, ascendit animus collatione rationis, tum ad notionem boni pervenit. 34. Hoc autem ipsum bonum non accessione neque crescendo aut cum ceteris comparando, sed propria vi sua et sentimus et appellamus bonum. Ut enim mel, etsi dulcissimum est, suo tamen proprio genere saporis,

---

1. ii] *hi* A, *hy* B — *ultimum*] *summum* B — 2. *rer. diff.* (non *diff. rer.*) etiam E — 3. *ut* A: *aut* B; *aut, ut* O — 5. *visis* om. B — 7. *quam ut si* G — 8. *earum* AB: *ut earum* cum Goerenzio O — 9. ┼ *tollatur* M; *fore ut tollatur* Lambinus; sed vide ne anacoluthon sit ex eo genere, quo ex interiectis verbis nectitur id, quod cum sententia primaria coniungendum erat. Cf. Matthiae *Verm. Schr.* p. 59 sqq. — 10. *si* A B D E: om. codd. dett. — 13. *et quae* A B D: *et si quae* O — *sint* Madvigius: *sunt* codd. et O — 14. *congruenterque* om. B (non E) — 16. *epigenematicon* A B — *cum* Ernestius: *quod* codd. et O — *dicimus* om. A; nos seclusimus. — 17. *a primo* B E: *ad primo* A — 19. *positum est enim* B — 20. *violari* B — *effecto* B — 21. *timere* (non *tunc*) etiam E — 22. *haec*] *hic* B — 26. *opido* A B — 27. *Ergo* B — 28. *esset enatura* A; *esse a natura* B — 29. *prodesset ophelem* (*ὠφέλημ'*) *enim* A; *prodesse tophelem enim* B E — 30. *absoluto* Bremius: *absoluta* codd. — 31. *fiant, si aut*] *fiant fiant* B — *aliquod* B E — 32. *collatione*] *cognatione* D — *boni* Lambinus: *bonum* codd. — 33. *noticia* A: *nocio* B E, *notio* O.

non comparatione cum aliis, dulce esse sentitur, sic bonum hoc, de quo agimus, est illud quidem plurimi aestimandum, sed ea aestimatio genere valet, non magnitudine. Nam cum aestimatio, quae ἀξία dicitur, neque in bonis numerata sit nec rursus in malis, quantumcumque eo addideris, in suo genere manebit. Alia est igitur propria aestimatio virtutis, quae genere, non crescendo valet. 35. Nec vero perturbationes animorum, quae vitam insipientium miseram acerbamque reddunt, quas Graeci πάθη appellant, poteram ego verbum ipsum interpretans morbos appellare, sed non conveniret ad omnia: quis enim misericordiam aut ipsam iracundiam morbum solet dicere? at illi dicunt πάθος: sit igitur perturbatio, quae nomine ipso vitiosa declarari videtur [nec eae perturbationes vi aliqua naturali moventur], omnesque eae sunt genere quattuor, partibus plures, aegritudo, formido, libido, quamque Stoici communi nomine corporis et animi ἡδονήν appellant, ego malo laetitiam appellare, quasi gestientis animi elationem voluptariam: perturbationes autem nulla naturae vi commoventur, omniaque ea sunt opiniones ac iudicia levitatis: itaque his sapiens semper vacabit.

XI. 36. Omne autem, quod honestum sit, id esse propter se expetendum, commune nobis est cum multorum aliorum philosophorum sententiis. Praeter enim tres disciplinas, quae virtutem a summo bono excludunt, ceteris omnibus philosophis haec est tuenda sententia, maxime tamen Stoicis, qui nihil aliud in bonorum numero nisi honestum esse voluerunt. Sed haec quidem est perfacilis et perexpedita defensio. Quis est enim aut quis umquam fuit aut avaritia tam ardenti aut tam effrenatis cupiditatibus, ut eandem illam rem, quam adipisci scelere quovis velit, non multis partibus malit ad sese, etiam omni impunitate proposita, sine facinore quam illo modo pervenire? 37. Quam vero utilitatem aut quem fructum petentes scire cupimus illa, quae occulta nobis sunt, quo modo moveantur quibusque de causis ea versentur in caelo? Quis autem tam agrestibus institutis vivit, aut quis contra studia naturae tam vehementer obduruit, ut a rebus cognitione dignis abhorreat easque sine voluptate aut utilitate aliqua non requirat et pro nihilo putet? aut quis est qui maiorum aut Africanorum aut eius, quem tu in ore semper habes, proavi mei, ceterorumque virorum fortium atque omni virtute praestantium facta, dicta, consilia cognoscens nulla animo afficiatur voluptate? 38. Quis autem honesta in familia institutus et educatus ingenue non

---

2. *ea estimacione g.* E — 3. *axia* A B — *dicit* B — 4. *nec* A B: *neque* O — *rursus*] *risus* A B — 6. *Nec vero* cet.] Totum hunc locum de animi perturbationibus inepte interpositum censet Madvigius, eiciendum Bake ad Cic. de Legg. p. 262. — 7. *reddunt: (quas -- declarari videtur:) nec* O — *grece pathe* A B E — 9. *conveniret* Manutius: *conueniet* codd. — *misericordiam* om. B, spatio vacuo. — 10. *pathos* A B — *igitur*] *ergo* B (non E) — 11. *ipso vitiosa* om. B — *nec -- moventur* spuria esse primus vidit Madvigius — *nec ea e perturbatione sui* A B E; *nec hae perturbationes vi* O' — 12. *eae* Madvigius: *hee* G; *hae* codd. dett. et edd. ante Davisium; *hec* B E; om. A (in rasura unius vocabuli) O — 13. *firmido* B E — 14. *hedonē* A; *hedonen* B — 18. *Omnem autem* A — 22. *Stoicis* Lachmannus (ad Lucret. p. 231): *hisstoicis* (unus *instoicis*) codd.; *his* cum Lambino M; *his* [*Stoicis*] O — 23. *haec* om. B — *perexpedita* A: *expedita* B M — 25. *ut*] *et* B E — *quam*] *quam quam* A B — 26. *imp. postposita* B — 29. *quo modo moveantur* om. B — *ea versantur* A; *ea, quae uersantur* (i. e. corpora caelestia) Madvigius in adnot. — 31. *obdurauit* A B C — 32. *et*] *aut* B — 33. *aut Afr.*] *ut Afr.* Goerenzius probante Madvigio — *habes* om. A — 34. *que* om. A.

ipsa turpitudine, etiam si eum laesura non sit, offenditur? quis animo aequo videt eum, quem impure ac flagitiose putet vivere? quis non odit sordidos, vanos, leves, futiles? Quid autem dici poterit, si turpitudinem non ipsam per se fugiendam esse statuemus, quo minus homines tenebras et solitudinem nacti nullo dedecore se abstineant, nisi eos per se foeditate sua turpitudo ipsa deterreat? Innumerabilia dici possunt in hanc sententiam, sed non necesse est. Nihil est enim, de quo minus dubitari possit, quam et honesta expetenda per se et eodem modo turpia per se esse fugienda. 39. Constituto autem illo, de quo ante diximus, quod honestum esset, id esse solum bonum, intellegi necesse est pluris id, quod honestum sit, aestimandum esse quam illa media, quae ex eo comparentur. Stultitiam autem et timiditatem et iniustitiam et intemperantiam cum dicimus esse fugienda propter eas res, quae ex ipsis eveniant, non ita dicimus, ut cum illo, quod positum est, solum id esse malum, quod turpe sit, haec pugnare videatur oratio, propterea quod ea non ad corporis incommodum referuntur, sed ad turpes actiones, quae oriuntur e vitiis. Quas enim Graeci κακίας appellant, vitia malo quam m a l i t i a s nominare.

XII. 40. Ne tu, inquam, Cato, verbis illustribus et id, quod vis, declarantibus! Itaque mihi videris Latine docere philosophiam et ei quasi civitatem dare: quae quidem adhuc peregrinari Romae videbatur nec offerre sese nostris sermonibus, et ista maxime propter limatam quandam et rerum et verborum tenuitatem. Scio enim esse quosdam, qui quavis lingua philosophari possint; nullis enim partitionibus, nullis definitionibus utuntur ipsique dicunt ea se modo probare, quibus natura tacita assentiatur. Itaque in rebus minime obscuris non multus est apud eos disserendi labor. Quare attendo te studiose et, quaecumque rebus iis, de quibus hic sermo est, nomina imponis, memoriae mando. Mihi enim erit isdem istis fortasse iam utendum. Virtutibus igitur rectissime mihi videris et ad consuetudinem nostrae orationis vitia posuisse contraria. Quod enim vituperabile est per se ipsum, id eo ipso vitium nominatum puto vel etiam a vitio dictum vituperari. Sin κακίαν malitiam dixisses, ad aliud nos unum certum vitium consuetudo Latina traduceret: nunc omni virtuti vitium contrario nomine opponitur. 41. Tum ille, His igitur ita positis, inquit, sequitur magna contentio, quam tractatam a Peripateticis mollius — est enim eorum consuetudo dicendi non satis acuta propter ignorationem dialecticae — Carneades tuus egregia quadam exercitatione in dialecticis summaque eloquentia rem in summum discrimen adduxit, propterea quod pugnare non destitit, in omni hac quaestione, quae de bonis et malis appelletur, non esse rerum Stoicis cum Peripateticis controversiam, sed nominum. Mihi autem nihil

---

2. *ac*] *et* E — 4. *ipsam non* B — 5. *n. delectore se* B E — 7. *non* om. A — 9. *Custodito* A — 12. *timiditatem* Guyetus: *temeritatem* codd. et O — 13. *fugienda* Manutius: *fugiendā* A, *fugiendam* B; *fugiendū* E — 14. *quod* A: *quo* B O — 17. *cacias graeci* A B: *Graeci* κακίας O — 19. *ne* A B: *Nae* C D M O; *haec* ceteri codd. — 21. *videbantur* B E — 22. *sese*] *se* D — 24. *quāuis* A B E — *nullus enim* A — 25. *ipsique* A: *ipsisque* B O — 29. *rectissime igitur* B E — 31. *vitium*] *uitio* A B — 32. κακίαν] *catiū* A B E — 33. *dixisset* B E — 35. *His* om. A — *qua tractata* Guyetus — 36. *mollior* B E — *eorum* om. B — 37. *egrecia* A B — 38. *rem* delendum censet Madvigius — 39. *quod*] *quid* A.

tam perspicuum videtur quam has sententias eorum philosophorum re inter se magis quam verbis dissidere: maiorem multo inter Stoicos et Peripateticos rerum esse aio discrepantiam quam verborum, quippe cum Peripatetici omnia, quae ipsi bona appellant, pertinere dicant ad beate vivendum, nostri non ex omni, quod aestimatione aliqua dignum sit, compleri vitam beatam putent.

XIII. 42. An vero certius quicquam potest esse quam illorum ratione, qui dolorem in malis ponunt, non posse sapientem beatum esse, cum eculeo torqueatur? Eorum autem, qui dolorem in malis non habent, ratio certe cogit ut in omnibus tormentis conservetur beata vita sapienti. Etenim si dolores eosdem tolerabilius patiuntur qui excipiunt eos pro patria quam qui leviore de causa, opinio facit, non natura, vim doloris aut maiorem aut minorem. 43. Ne illud quidem est consentaneum, ut, si, cum tria genera bonorum sint, quae sententia est Peripateticorum, eo beatior quisque sit, quo sit corporis aut externis bonis plenior, ut hoc idem approbandum sit nobis, ut qui plura habeat ea, quae in corpore magni aestimantur, sit beatior. Illi enim corporis commodis compleri vitam beatam putant, nostri nihil minus. Nam cum ita placeat, ne eorum quidem bonorum, quae nos bona vere appellemus, frequentia beatiorem vitam fieri aut magis expetendam aut pluris aestimandam, certe minus ad beatam vitam pertinet multitudo corporis commodorum. 44. Etenim, si et sapere expetendum sit et valere, coniunctum utrumque magis expetendum sit quam sapere solum, neque tamen, si utrumque sit aestimatione dignum, pluris sit coniunctum quam sapere ipsum separatim. Nam qui valetudinem aestimatione aliqua dignam iudicamus neque eam tamen in bonis ponimus, idem censemus nullam esse tantam aestimationem, ut ea virtuti anteponatur. Quod idem Peripatetici non tenent: quibus dicendum est, quae et honesta actio sit et sine dolore, eam magis esse expetendam, quam si esset eadem actio cum dolore. Nobis aliter videtur: recte secusne postea, sed potestne rerum maior esse dissensio?

XIV. 45. Ut enim obscuratur et offunditur luce solis lumen lucernae et ut interit *in* magnitudine maris Aegaei stilla mellis et ut in divitiis Croesi teruncii accessio et gradus unus in ea via, quae est hinc in Indiam, sic, cum sit is bonorum finis, quem Stoici dicunt, omnis ista rerum corporearum aestimatio splendore virtutis et magnitudine obscuretur et ob-

---

1. *re interesse m.* B — 3. *esse aio* A B C E: *esse animo* D — *cum* om. B E — 5. *nostri non ex omni, quod aestimatione* Davisius: *nostri non quod ex omni estimatione* A; *nostri novo quod ex omni estimacione* B; *nostri vero, quod aestimatione omnino* O — 6. *putent* A: *putant* B; *non putent* O — 7. *illorum* Lambinus: *illo* A; *illa* B. Cf. § 48. — 10. *uti nominibus* A B: *uti in omnibus* O — *uita beata* B — 12. *leuiore* A: *leuiori* B. Cf. Wesenberg Observ. critt. in or. p. Sestio p. 7 et 8. — *opinio* om. B, uacuo spatio. — *non naturarum d.* B — 15. *exterius* B E — 18. *minus*] *munus* A — 19. *ne*] *ut* B — *uere* A B C: *quidem* D; *naturae* O — 20. *f. atque magis* B — 22. *sit* A B D: om. E O — 23. *solum neque -- quam sapere* om. D — *utrumque sit* A: *utrumque* (om. *sit*) B O — 25. *separatim* A B D: *separatum* M O — 26. *idem* A: *idest* B; *iidem* M O — *esse* om. A — 28. *tenerent* D — 30. *potestne*] *postne* A B — 33. *in* Halmius (coll. *ut in divitiis* et v. 34 *in ea via*): om. codd. et M O — *mellis* A B C D: *muriae* O — *cro essit er runtii* A; *croessit eruntii* B E — 34. *via*] *vita* B E — *in Indiam*] *inuidiam* B E — 35. *corporearum* G: *in corpore harum* A B C; *in corpore sitarum* O — 36. *aestimatione* A C — *obscuratur* B E.

ruatur atque intereat necesse est. Et quem ad modum opportunitas — sic enim appellemus εὐκαιρίαν — non fit maior productione temporis — habent enim suum modum quae opportuna dicuntur —, sic recta effectio — κατόρθωσιν enim ita appello, quoniam rectum factum κατόρθωμα —, recta igitur effectio, item convenientia, denique ipsum bonum, quod in eo positum est ut naturae consentiat, crescendi accessionem nullam habet. 46. Ut enim opportunitas illa, sic haec, de quibus dixi, non fiunt temporis productione maiora, ob eamque causam Stoicis non videtur optabilior nec magis expetenda beata vita, si sit longa, quam si brevis, utunturque simili: Ut, si cothurni laus illa esset, ad pedem apte convenire, neque multi cothurni paucis anteponerentur nec maiores minoribus, sic, quorum omne bonum convenientia atque opportunitate finitur, nec plura paucioribus nec longinquiora brevioribus anteponent. 47. Nec vero satis acute dicunt: Si bona valetudo pluris aestimanda sit longa quam brevis, sapientiae quoque usus longissimus quisque sit plurimi. Non intellegunt valetudinis aestimationem spatio iudicari, virtutis opportunitate, ut videantur qui illud dicunt idem hoc esse dicturi, bonam mortem et bonum partum meliorem longum esse quam brevem. Non vident alia brevitate pluris aestimari, alia diuturnitate. 48. Itaque consentaneum est his, quae dicta sunt, ratione illorum, qui illum bonorum finem, quod appellamus extremum, quod ultimum, crescere putent posse, isdem placere esse alium alio etiam sapientiorem, itemque alium magis alio vel peccare vel recte facere, quod nobis non licet dicere, qui crescere bonorum finem non putamus. Ut enim qui demersi sunt in aqua nihilo magis respirare possunt, si non longe absunt a summo, ut iam iamque possint emergere, quam si etiam tum essent in profundo, nec catulus ille, qui iam appropinquat ut videat, plus cernit quam is, qui modo est natus, item qui processit aliquantum ad virtutis habitum nihilo minus in miseria est quam ille, qui nihil processit.

XV. Haec mirabilia videri intellego, sed cum certe superiora firma ac vera sint, his autem ea consentanea et consequentia, ne de horum quidem est veritate dubitandum. Sed quamquam negant nec virtutes nec vitia crescere, tamen utrumque eorum fundi quodam modo et quasi dilatari putant. 49. Divitias autem Diogenes censet non eam modo vim habere, ut quasi duces sint ad voluptatem et ad valetudinem bonam, sed etiam uti ea contineant, non idem facere eas in virtute neque in ceteris artibus, ad quas esse dux pecunia potest, continere autem non

---

1. *oport.* AB ubique — 2. *eucerian* AB — *fit*] *sit* B — 3. *quae* ABD: *quaequae* O — 4. *catordiosin* A; *catortosim* B — *quoniam*] *quod* B — *catorthoma* AB — 8. *fiunt* om. B (non E) — 10. *si sit breuis* E — *si* ante *coth.* om. BE — 13. *finiture* A — *anteponent* Madv.: *anteponentur* AO; *anteponerentur* BE — 14. *Si*] *sed* E — 15. *sit. Plurimi non* A — 17. *qui illud dicunt* om. A — *dicunt* G: *dicant* BMO — *idem* AG: *id est* B; *iidem* MO — 18. *longum esse* A: *esse longum* BM — 22. *etiam*] *et* AB — *que* om. E — 27. *appropinquat*] *ut propinquat* ABE — 29. *habitum* cod. Leidensis Madvigii: *aditum* ABO. Cf. IV, § 37. — *in miseria est* om. B — *qui* om. B — *nihil* om. A — 30. *Haec*] *nec* B — *cum*] *tam* BE — 32. *dubitandum, sed -- putant, divitias autem* cum G. Hermanno O, ut a verbis *non idem* (v. 36) apodosis incipiat. — 33. *crescere, tamen* ed. Veneta a. 1480: *crescere et tamen* ABCO — *fundi* om. A — 34. *non* om. AB — 35. *sint*] *sit* A — 36. *uti ea* nos: *ut in ea* AB; *ut mea* E; *ut ea* MO. Cf. p. 134, 27. — *neque cet.* (om. *in*) B; *nec cet.* E.

potest; itaque si voluptas aut si bona valetudo sit in bonis, divitias quoque in bonis esse ponendas, at, si sapientia bonum sit, non sequi ut etiam divitias bonum esse dicamus; neque ab ulla re, quae non sit in bonis, id, quod sit in bonis, contineri potest, ob eamque causam, quia cognitiones comprensionesque rerum, e quibus efficiuntur artes, appetitionem movent, cum divitiae non sint in bonis, nulla ars divitiis contineri potest. 50. Quod si de artibus concedamus, virtutis tamen non sit eadem ratio, propterea quod haec plurimae commentationis et exercitationis indigeat, quod idem in artibus non sit, et quod virtus stabilitatem, firmitatem, constantiam totius vitae complectatur nec haec eadem in artibus esse videamus.

Deinceps explicatur differentia rerum, quam si non ullam esse diceremus, confunderetur omnis vita, ut ab Aristone, neque ullum sapientiae munus aut opus inveniretur, cum inter res eas, quae ad vitam degendam pertinerent, nihil omnino interesset neque ullum dilectum adhiberi oporteret. Itaque cum esset satis constitutum, id solum esse bonum, quod honestum, et id malùm solum, quod turpe, tum inter illa, quae nihil valerent ad beate misereve vivendum, aliquid tamen quod differret esse voluerunt, ut essent eorum alia aestimabilia, alia contra, alia neutrum. 51. Quae autem aestimanda essent, eorum in aliis satis esse causae, quam ob rem quibusdam anteponerentur, ut in valetudine, ut in integritate sensuum, ut in doloris vacuitate, ut gloriae, divitiarum, similium rerum, alia autem non esse eius modi, itemque eorum, quae nulla aestimatione digna essent, partim satis habere causae, quam ob rem reicerentur, ut dolorem, morbum, sensuum amissionem, paupertatem, ignominiam, similia horum, partim non item. Hinc est illud exortum, quod Zeno *προηγμένον*, contraque quod *ἀποπροηγμένον* nominavit, cum uteretur in lingua copiosa factis tamen nominibus ac novis, quod nobis in hac inopi lingua non conceditur: quamquam tu hanc copiosiorem etiam soles dicere. Sed non alienum est, quo facilius vis verbi intellegatur, rationem huius [verbi] faciendi Zenonis exponere. XVI. 52. Ut enim, inquit, nemo dicit in regia regem ipsum quasi productum esse ad dignitatem — id est enim *προηγμένον* —, sed eos, qui in aliquo honore sunt, quorum ordo proxime accedit, ut secundus sit, ad regium principatum, sic in vita non ea, quae priore loco sunt,

1. *ita si* B (non E) — *aut bona* (om. *si*) B E — 2. *at*] *aut* A B E — 3. *ut*] *aut* E — 4. *in bonis*] *in nobis* A — *id qua sit in bonis* B E; *nulla ars diuitiis* A C. Aberravit librarii oculus ad v. 6. — 5. *cognitionesque rerum* E — 6. *appetitionem* A B E: *appetitiones* O — 8. *commendationis* A — 10. *complectitur* B (non E) — *nec*] *ne* B E — 12. *non ullam* A: *nonulla* (sic) E; *non nulla* B — 13. *confunderetur* A B: *et confunderetur* O — 15. *dilectum* A B: *delectum* M O — 17. *quod h.* A: *quod esset h.* B M O — 19. *quod differret* A B: *quo differrent* O — *voluerint* E — 20. *alia neutrum*] *aliane uerum* A; *alia neutrumque* B — *Quae* A: *que* B; *Quaeque* O — 22. *ut in int. -- ut in dol.*] *aut in int. -- aut in dol.* B — 23. *alia*] *alii* A — *non esse* om. A — 26. *non item. Hinc* Wesenberg: *non. Item hinc* A B E; *non; itemque hinc* O — *est illud* A B: *est id* E M; *esse illud* O — *exortum* om. B E — 27. *quod*] *quod est* E — *Zeno προηγμένον* om. B (non E) — *proegmenon* A; *peregemon* E — *apoproegmenon* A B E, qui omnia verba Graeca Latinis litteris exprimunt. — 30. *soles dicere* A B E: *dicere soles* M — 31. *verbi* om. A; nos seclusimus. — 32. *dicit ut in* E — 33. *id est enim* Madvigius: *idem* (*idē* A) *enim est* codd.; *id enim est* O — 34. *sunt* Victorius: *sint* codd. et O — 35. *sit, ad* Madvigius: *sit ad* O — *ad regnum p.* B — *sit ea in vita non p.* (om. *quae*) B — *priore* Klotz: *primorie* A B C; *primario* O; † *primario* M.

sed ea, quae secundum locum optinent, *προηγμένα*, id est producta, nominentur: quae vel ita appellemus — id erit verbum e verbo — vel promota et remota vel, ut dudum diximus, praeposita vel praecipua, et illa reiecta; re enim intellecta in verborum usu faciles esse debemus. 53. Quoniam autem omne, quod est bonum, primum locum tenere dicimus, necesse est nec bonum esse nec malum hoc, quod praepositum vel praecipuum nominamus. Idque ita definimus, quod sit indifferens cum aestimatione mediocri: quod enim illi *ἀδιάφορον* dicunt, id mihi ita occurrit, ut indifferens dicerem: neque enim illud fieri poterat ullo modo, ut nihil relinqueretur in mediis, quod aut secundum naturam esset aut contra, nec, cum id relinqueretur, nihil in his poni, quod aestimabile esset, nec hoc posito non aliqua esse praeposita. 54. Recte igitur haec facta distinctio est, atque etiam ab iis, quo facilius res perspici possit, hoc simile ponitur. Ut enim, inquiunt, si hoc fingamus esse quasi finem et ultimum, ita iacere talum, ut rectus assistat, qui ita talus erit iactus, ut cadat rectus, praepositum quiddam habebit ad finem, qui aliter, contra, neque tamen illa praepositio tali ad eum, quem dixi, finem pertinebit: sic ea, quae sunt praeposita, referuntur illa quidem ad finem, sed ad eius vim naturamque nihil pertinent. 55. Sequitur illa divisio, ut bonorum alia sint ad illud ultimum pertinentia — sic enim appello quae *τελικά* dicuntur: nam hoc ipsum instituamus, ut placuit, pluribus verbis dicere, quod uno non poterimus, ut res intellegatur —, alia autem efficientia, quae Graeci *ποιητικά*, alia utrumque. De pertinentibus nihil est bonum praeter actiones honestas, de efficientibus nihil praeter amicum, sed et pertinentem et efficientem sapientiam volunt esse. Nam quia sapientia est conveniens actio, est in illo pertinenti genere, quod dixi: quod autem honestas actiones affert et efficit, efficiens dici potest.

XVII. 56. Haec, quae praeposita dicimus, partim sunt per se ipsa praeposita, partim quod aliquid efficiunt, partim utrumque per se, ut quidam habitus oris et vultus, ut status, ut motus, in quibus sunt et praeponenda quaedam et reicienda; alia ob eam rem praeposita dicentur, quod ex se aliquid efficiant, ut pecunia; alia autem ob utramque rem, ut integri sensus, ut bona valetudo. 57. De bona autem fama — quam enim appellant *εὐδοξίαν* aptius est bonam famam hoc loco appellare quam gloriam —, Chrysippus quidem et Diogenes detracta utilitate ne digitum quidem eius causa porrigendum esse dicebant, qui-

---

3. *uel ut* (non *ut ut*) etiam E — 4. *reiecto* A — 6. *propositum* A B — 7. *vel*] *ut* E — *Idque ita* ABD: *Itaque id* O — 9. *ut ind.*] *ait ind.* A — 12. *quod* A: *quod satis* BMO — *esse* Manutius: *esset* ABD; *essent* O — 13. *haec*] *hic* B — *distinctio*] *definitio* D — 16. *habet* B — 17. *qui aliter, contra*] *qualiter qui contra* A; *qui aliter qui contra* B E — 18. *referunt illa quid est ad* B — 21. *quae celica d.* A B — 22. *uno* om. A B — 23. *autem*] *nunc* B — *poetica* A B — 25. *de efficientibus*] *deficientibus* A — 26. *sapientiam*] *sapientem* A B — 27. *in* Davisius: *cum* codd. dett.; om. A B O — 28. *efficit, efficiens* nos: *efficit id efficiens* codd. et O; *ecficit,* [*id*] *ecficiens* M; *efficit, ideo efficiens* Lambinus — 31. *quidam*] *quia* B — *voltus status et motus* B — *sunt et ponenda* A; *et praeponenda sunt* B E — 33. *autem obrutamque r.* A — 34. *ut b.*] *et b.* E — *bona*] *integra* D — *autem*] *enim* B — 35. *bonam famam hoc loco* A B: *hoc loco bonam famam* M O — 36. *detractata* (*detractate* E) *quidem utilitate* B E — 37. *causa* A C D: *tā* (pro *c̄a*) B.

bus ego vehementer assentior. Qui autem post eos fuerunt, cum Carneadem sustinere non possent, hanc, quam dixi, bonam famam, ipsam propter se praepositam et sumendam esse dixerunt: esse hominis ingenui et liberaliter educati velle bene audire a parentibus, a propinquis, a bonis etiam viris, idque propter rem ipsam, non propter usum, dicuntque, ut liberis consultum velimus, etiam si postumi futuri sint, propter ipsos, sic futurae post mortem famae tamen esse propter rem, etiam detracto usu, consulendum. 58. Sed cum, quod honestum sit, id solum bonum esse dicamus, consentaneum tamen est fungi officio, cum id officium nec in bonis ponamus nec in malis. Est enim aliquid in his rebus probabile, et quidem ita, ut eius ratio reddi possit, ergo ut etiam probabiliter acti ratio reddi possit: est autem officium, quod ita factum est, ut eius facti probabilis ratio reddi possit: ex quo intellegitur officium medium quiddam esse, quod neque in bonis ponatur neque in contrariis. Quoniamque in iis rebus, quae neque in virtutibus sunt neque in vitiis, est tamen quiddam, quod usui possit esse, tollendum id non est. Est autem eius generis actio quoque quaedam, et quidem talis, ut ratio postulet agere aliquid et facere eorum: quod autem ratione actum est, id officium appellamus: est igitur officium eius generis, quod nec in bonis ponatur nec in contrariis.

XVIII. 59. Atque perspicuum etiam illud est, in istis rebus mediis aliquid agere sapientem. Iudicat igitur, cum agit, officium illud esse. Quod quoniam numquam fallitur in iudicando, erit in mediis rebus officium: quod efficitur hac etiam conclusione rationis. Quoniam enim videmus esse quiddam, quod recte factum appellemus, id autem est perfectum officium, erit etiam inchoatum, ut, si iuste depositum reddere in recte factis sit, in officiis ponatur depositum reddere: illo enim addito iuste fit recte factum, per se autem hoc ipsum reddere in officio ponitur. Quoniamque non dubium est quin in iis, quae media dicamus, sit aliud sumendum, aliud reiciendum, quicquid ita fit aut dicitur, omne officio continetur. Ex quo intellegitur, quoniam se ipsos omnes natura diligant, tam insipientem quam sapientem sumpturum quae secundum naturam sint reiecturumque contraria. Ita est quoddam commune officium sapientis et insipientis: ex quo efficitur versari in iis, quae media dicamus. 60. Sed cum ab his omnia proficiscantur officia, non sine causa dicitur ad ea referri omnes nostras cogitationes, in his et excessum e vita et in vita mansionem. In quo enim plura sunt, quae secundum naturam sunt, huius officium est in vita manere: in quo autem aut sunt plura contraria aut fore videntur, huius officium est e vita excedere.

---

3. *esse* A: *esseque* B M O; *etenim esse* G — 5. *non dicuntque propter usumque ut* B — 7. *rem* om. B — 14. *quiddam* Madvigius: *quoddam* codd. et O — *in* ante *contr.* om. A — 15. *Quoniamque -- nec in contrariis* ab interpolatore male agglutinata censet Fr. Iacobus. — *iis*] *his* A O, *hys* B — *rebus* om. B — 19. *est* Madvigius: *sit* codd. et O — 21. *atqui* A B C; «nec tamen in hac adiunctione novi argumenti locum habere videtur.» Madvig. — 26. *etiam* Lambinus: *autem etiam* codd.; [*autem*] *etiam* O — 28. *fit* Lambinus: *facit* codd. — 29. *in* om. B E — *iis*] *his* A O, *hys* B — *dicamus* A: *dicimus* B M O — 30. *aliud reic.*] *ad illud reic.* A — *omne* Gruterus: *omni* A B; *omnium* D; *communi* cum Manutio O — 31. *ipsos* A G: *ipsi* B M O — 34. *iis*] *his* A B O — 35. *dicimus* Bremius cum Madvigii cod. Leid.; cf. v. 29. — 38. *autem* om. B E — 39. *est de uita* A B D; sed cf. v. 37 et p. 148, 1. 16.

E quo apparet et sapientis esse aliquando officium excedere e vita, cum beatus sit, et stulti manere in vita, cum sit miser. 61. Nam bonum illud et malum, quod saepe iam dictum est, postea consequitur: prima autem illa naturae, sive secunda sive contraria, sub iudicium sapientis et dilectum cadunt, estque illa subiecta quasi materia sapientiae. Itaque et manendi in vita et migrandi ratio omnis iis rebus, quas supra dixi, metienda. Nam neque * * * virtute retinetur in vita, nec iis, qui sine virtute sunt, mors est oppetenda. Et saepe officium est sapientis desciscere a vita, cum sit beatissimus, si id opportune facere possit. Sic enim censent, opportunitatis esse beate vivere, quod est convenienter naturae vivere. Itaque a sapientia praecipitur, se ipsam, si usus sit, sapiens ut relinquat. Quam ob rem cum vitiorum ista vis non sit, ut causam afferant mortis voluntariae, perspicuum est etiam stultorum, qui idem miseri sint, officium esse manere in vita, si sint in maiore parte rerum earum, quas secundum naturam esse dicimus. Et quoniam excedens e vita et manens aeque miser est, nec diuturnitas magis ei vitam fugiendam facit, non sine causa dicitur iis, qui pluribus naturalibus frui possint, esse in vita manendum.

XIX. 62. Pertinere autem ad rem arbitrantur intellegi, natura fieri ut liberi a parentibus amentur: a quo initio profectam communem humani generis societatem persequimur. Quod primum intellegi debet figura membrisque corporum, quae ipsa declarant procreandi a natura habitam esse rationem. Neque vero haec inter se congruere possent, ut natura et procreari vellet et diligi procreatos non curaret. Atque etiam in bestiis vis naturae perspici potest: quarum in fetu et in educatione laborem cum cernimus, naturae ipsius vocem videmur audire. Quare *ut* perspicuum est natura nos a dolore abhorrere, sic apparet a natura ipsa ut eos, quos genuerimus, amemus impelli. 63. Ex hoc nascitur ut etiam communis hominum inter homines naturalis sit commendatio, ut oporteat hominem ab homine ob id ipsum, quod homo sit, non alienum videri. Ut enim in membris alia sunt tamquam sibi nata, ut oculi, ut aures, alia etiam ceterorum membrorum usum adiuvant, ut crura, ut manus, sic immanes quaedam bestiae sibi solum natae sunt, at illa, quae in concha patula pina dicitur, isque, qui enat e concha, qui, quod eam custodit, pinoteres vocatur in eamque cum se recepit includitur, ut

---

1. *appareret* B E — *sapientie* E — 5. *dilectum* A B: *delectum* M O — *materia* A: *materie* B; *materies* cum Goerenzio M. Cf. p. 156, 32. — 6. *omnis* A B: *omnibus* M O — 7. *neque uirtute retinetur* A B: *neque iis, qui virtute retinentur* O. Lacunae signum addidit Madvigius, qui Ciceronem scripsisse opinatur: *neque is, qui virtute fruitur, retinetur* cet., aut similibus verbis, sed hac orationis forma. — *nec his* A B; *neque iis* M O — *qui*] *que* B E — 8. *Et* Ursinus: *ut* codd.; *At* O — *desciscere* A B C: *desistere* D — 9. *possit. Sic enim -- beate vivere, quod est -- vivere. Itaque* Madvigius: *possit, quod est -- naturae uiuere. Sic enim -- beate uiuere. Itaque* codd. et M O — 11. *ipsam suis sit* B — 13. *qui idem* A G: *quidem* B; *qui iidem* M O — 15. *rerum earum* A: *earum rerum* B M O — 16. *magis ei* A: *ei* (*et* E) *magis* B M O — 17. *dicit hys* E — 18. *possunt* B — 23. *possint* A B — 25. *fetu etiam in* B E — 26. *ut* Manutius: om. codd. — 27. *a d. abhorrore* A — 28. *ut etiam* A: *etiam ut* B M O — 31. *sunt*] *sint* A B — 32. *alia* Marsus: *aliaque* E; *aliqua* A B M O — *ut crura ut manus* om. B — 33. *bestie quedam* B E — *sibi solum sibi nata* B E — *quae incencha* (vel *incendia*) A; *quem concha* B — 34. *pina* codd.: *pinna* M O — 35. *pinotheres* A B; *pinnoteres* M O — *eamque* A: *eandemque* B M — *recepit* G: *recipit* A B.

videatur monuisse ut caveret, itemque formicae, apes, ciconiae aliorum etiam causa quaedam faciunt. Multo * * haec coniunctio est hominis. Itaque natura sumus apti ad coetus, concilia, civitates. 64. Mundum autem censent regi numine deorum eumque esse quasi communem urbem et civitatem hominum et deorum, et unum quemque nostrum eius mundi esse partem, ex quo illud natura consequi, ut communem utilitatem nostrae anteponamus. Ut enim leges omnium salutem singulorum saluti anteponunt, sic vir bonus et sapiens et legibus parens et civilis officii non ignarus utilitati omnium plus quam unius alicuius aut suae consulit. Nec magis est vituperandus proditor patriae quam communis utilitatis aut salutis desertor propter suam utilitatem aut salutem. Ex quo fit ut laudandus is sit, qui mortem oppetat pro re publica, quod deceat cariorem nobis esse patriam quam nosmet ipsos. Quoniamque illa vox inhumana et scelerata ducitur eorum, qui negant se recusare, quo minus ipsis mortuis terrarum omnium deflagratio consequatur — quod vulgari quodam versu Graeco pronuntiari solet —, certe verum est etiam iis, qui aliquando futuri sint, esse propter ipsos consulendum. XX. 65. Ex hac animorum affectione testamenta commendationesque morientium natae sunt. Cumque nemo in summa solitudine vitam agere velit, ne cum infinita quidem voluptatum abundantia, facile intellegitur nos ad coniunctionem congregationemque hominum et ad naturalem communitatem esse natos. Impellimur autem natura ut prodesse velimus quam plurimis in primisque docendo rationibusque prudentiae tradendis. 66. Itaque non facile est invenire, qui quod sciat ipse non tradat alteri: ita non solum ad discendum propensi sumus, verum etiam ad docendum. Atque ut tauris natura datum est ut pro vitulis contra leones summa vi impetuque contendant, sic ii, qui valent opibus atque id facere possunt, ut de Hercule et de Libero accepimus, ad servandum genus hominum natura incitantur. Atque etiam Iovem cum Optimum et Maximum dicimus cumque eundem Salutarem, Hospitalem, Statorem, hoc intellegi volumus, salutem hominum in eius esse tutela. Minime autem convenit, cum ipsi inter nos viles neglectique simus, postulare ut dis immortalibus cari simus et ab iis diligamur. Quem ad modum igitur membris utimur prius quam didicimus, cuius ea causa utilitatis habeamus, sic inter nos natura ad civilem communitatem coniuncti et consociati sumus. Quod ni ita se haberet, nec iustitiae ullus esset nec bonitati locus. 67. Et quo modo hominum inter homines iuris esse

---

2. *Multo ** haec* nos: *multo haec* A B: *Multo magis haec* (inepto supplemento lacunae quae fuit in archetypo) codd. dett. et M O — 3. *itaque n. s. apti ad coetus, concilia, civitatis* Nonius Marcellus p. 234, 20. — 5. *et de eorum* A — 10. *est uituperandus* A B: *vituperandus est* O — 12. *is sit* B: *his sit* A; *sit is* O — *oppetant* B E — 13. *deceat* G: *diceat* pr. A; *doceat* B E et corr. (ead. m.) A — *nobis esse patriam* A B: *esse patriam nobis* O — 14. *ducitur*] *dicitur* M operarum errore, quem propagavit Klotzius. — 15. *terrarum*] *terret* B — 16. *Graeco*] *grecia* A — 18. *animorum*] *amicorum* M, operarum errore. — 19. *Cumque* Bremius: *Quodque* codd. et M O — 20. *nec cum* B E — 24. *alter* B E — 25. *ita non*] *tam̄ (tamen)* A — 26. *Atque* om. B — 27. ii] *hi* A B — 32. *viles* Gruterus: *cules* A; *ciuiles* B; *abiecti* O; *uiles abiecti* Palatinus tertius Gruteri — *que* om. B — 33. *diis* A O — 34. *causa utilitatis* A B: *utilitatis causa* M O — 37. *Et*] *Sed* Madvigius (in adnot.) — *quo*] *quō (quoniam)* B.

vincula putant, sic homini nihil iuris esse cum bestiis. Praeclare enim Chrysippus, cetera nata esse hominum causa et deorum, eos autem communitatis et societatis suae, ut bestiis homines uti ad utilitatem suam possint sine iniuria; quoniamque ea natura esset hominis, ut ei cum genere humano quasi civile ius intercederet, qui id conservaret, eum iustum, qui migraret, iniustum fore. Sed quem ad modum, theatrum cum commune sit, recte tamen dici potest eius esse eum locum, quem quisque occuparit, sic in urbe mundove communi non adversatur ius, quo minus suum quidque cuiusque sit. 68. Cum autem ad tuendos conservandosque homines hominem natum esse videamus, consentaneum est huic naturae, ut sapiens velit gerere et administrare rem publicam atque, ut e natura vivat, uxorem adiungere et velle ex ea liberos. Ne amores quidem sanctos a sapiente alienos esse arbitrantur. Cynicorum autem rationem atque vitam alii cadere in sapientem dicunt, si qui eius modi forte casus inciderit, ut id faciendum sit, alii nullo modo.

XXI. 69. Ut vero conservetur omnis homini erga hominem societas, coniunctio, caritas, et emolumenta et detrimenta, quae ὠφελήματα et βλάμματα appellant, communia esse voluerunt: quorum altera prosunt, nocent altera. Neque solum ea communia, verum etiam paria esse dixerunt. Incommoda autem et commoda — ita enim εὐχρηστήματα et δυσχρηστήματα appello — communia esse voluerunt, paria noluerunt. Illa enim, quae prosunt aut quae nocent, aut bona sunt aut mala, quae sint paria necesse est: commoda autem et incommoda in eo genere sunt, quae praeposita et reiecta diximus: ea possunt paria non esse. Sed emolumenta communia esse dicuntur, recte autem facta et peccata non habentur communia. 70. Amicitiam autem adhibendam esse censent, quia sit ex eo genere, quae prosunt. Quamquam autem in amicitia alii dicant aeque caram esse sapienti rationem amici ac suam, alii autem sibi cuique cariorem suam, tamen hi quoque posteriores fatentur alienum esse a iustitia, ad quam nati esse videamur, detrahere quid de aliquo, quod sibi assumat. Minime vero probatur huic disciplinae, de qua loquor, aut iustitiam aut amicitiam propter utilitates adscisci aut probari; eaedem enim utilitates poterunt eas labefactare atque pervertere. Etenim nec iustitia nec amicitia esse omnino poterunt, nisi ipsae per se expetantur. 71. Ius autem, quod ita dici appellarique possit, id esse natura, alienumque esse a sapiente non modo iniuriam cui facere, verum etiam

---

3. *uti* A: *ut* B E — *possint suam* B E — 4. *ei* Lambinus: *et* A B; om. codd. dett. Cf. var. lect. § 73. — 6. *migraret* B: *negaret* A C — 7. *cum* A B: *ut* E M O — 9. *quidque* A: *quodque* B O — 13. *quidem*] *quam* B — *arbitramur cunctorum* B E — 14. *rationem atque uitam* (non *uitam atque rationem*) etiam E — *cadere*] *eadem* B — *si qui* A: *si quis* B M O — 15. *forte casus* (non *casus forte*) etiam E — 20. *et* (ante *comm.*) om. B — *et δυσχρηστήματα* om. B (non E) — 21. *esse uoluerunt* (non *noluerunt*) *paria esse uoluerunt* B E — 23. *et* om. B — 24. *diximus* A: *dicimus* B M O — *dicimus. Ea -- non esse; sed* O — 25. *emolumenta*] *emolumenta et detrimenta* Lambinus — 26. *communia*] *quia* E — 27. *eo*] *eorum* G; sed cf. Stuerenb. ad or. p. Archia (1832) p. 185 sq. — 28. *alii autem s. c. c. suam* om. B (non E) — 30. *a iust.* A B: *ab iust.* O. Cf. Addenda ad Vol. II, p. 1079, 4. Etiam Epp. ad Fam. XII, 17, 1 cod. Mediceus non habet *ab iudicio*, sed *a iud.* — 32. *iusticiam aut amiciciam* A B: *amicitiam aut iustitiam* O — 33. *eadem* A — 34. *nec iusticiae nec amicicie esse* A B. «Ex *amicitia esse* factum est *amicitiae esse,* deinde ad id adcommodatum *iustitiae.*» Madvig. — *poterunt esse omnino* B — *expetuntur* A B — 35. *naturam alienamque* A B E.

nocere. Nec vero rectum est cum amicis aut bene meritis consociare aut coniungere iniuriam, gravissimeque et verissime defenditur numquam aequitatem ab utilitate posse seiungi et, quicquid aequum iustumque esset, id etiam honestum, vicissimque, quicquid esset honestum, id iustum etiam atque aequum fore. 72. Ad easque virtutes, de quibus disputatum est, dialecticam etiam adiungunt et physicam, easque ambas virtutum nomine appellant, alteram, quod habeat rationem, ne cui falso assentiamur neve umquam captiosa probabilitate fallamur, eaque, quae de bonis et malis didicerimus, ut tenere tuerique possimus. Nam sine hac arte quemvis arbitrantur a vero abduci fallique posse. Recte igitur, si omnibus in rebus temeritas ignoratioque vitiosa est, ars ea, quae tollit haec, virtus nominata est.

XXII. 73. Physicae quoque non sine causa tributus idem est honos, propterea quod, qui convenienter naturae victurus est, ei proficiscendum est ab omni mundo atque ab eius procuratione. Nec vero potest quisquam de bonis et malis vere iudicare nisi omni cognita ratione naturae et vitae etiam deorum, et utrum conveniat necne natura hominis cum universa. Quaeque sunt vetera praecepta sapientium, qui iubent tempori parere et sequi deum et se noscere et nihil nimis, haec sine physicis quam vim habeant — et habent maximam —, videre nemo potest. Atque etiam ad iustitiam colendam, ad tuendas amicitias et reliquas caritates quid natura valeat, haec una cognitio potest tradere. Nec vero pietas advorsum deos, nec quanta iis gratia debeatur, sine explanatione naturae intellegi potest. 74. Sed iam sentio me esse longius provectum, quam proposita ratio postularet. Verum admirabilis compositio disciplinae incredibilisque rerum traxit ordo, quem, per deos immortalis! nonne miraris? Quid enim aut in natura, qua nihil est aptius, nihil descriptius, aut in operibus manu factis tam compositum tamque compactum et coagmentatum inveniri potest? quid posterius priori non convenit? quid sequitur, quod non respondeat superiori? quid non sic aliud ex alio nectitur, ut, si ullam litteram moveris, labent omnia? Nec tamen quicquam est, quod moveri possit.

75. Quam gravis vero, quam magnifica, quam constans conficitur persona sapientis! qui, cum ratio docuerit, quod honestum esset, id esse solum bonum, semper sit necesse est beatus vereque omnia ista nomina possideat, quae irrideri ab imperitis solent. Rectius enim appellabitur

---

1. *meritis sociare* B — 2. *iniuriam* om. B (non E) — *grauissime et* B — 5. *eas virt.* B — 8. *fallamur* om. A — *eaque*] *aeque* A, *eque* B E — 9. *didicerimus* B: *didiceremus* A; *diceremus* codd. dett. — *teneri* A; *ne* B — 10. *quamuis* B E — *a uero* A: *ab vero* B E O — 11. *ignorantiaque* D — *ars* A B C D: *ab his* codd. deteriores; *ars ab his* cum Marso O — 12. *haec*] *huius* B — 13. *quoque*] *quidem* B — *est* om. B — 14. *est* Madvigius: *sit* codd. et M O — *ei*] *et* A B; cf. § 67. — 17. *et utrumque c.* E — 18. *universa: quaeque -- nimis. Haec sine* O — *ueterum* Goerenzius (in Addendis), coll. IV, § 17. — 19. *et sequi et deum* B E — *haec*] *nec* B — 23. *haec vero p. adv. deos, nec qua isti gratia debeatur, sine explanatione n. int. potest* Nonius p. 232 s. v. *Advorsum* — *aduorsum -- explanatione* Nonius: *adversus -- explicatione* codd. Cic. et M O — *iis*] *his* A O, *hys* B — 24. *int. non potest* B — 26. *rerum*] *me rerum* B — 27. *qua*] *quod* B E — 29. *cocicmentatum* A; *coaugmentatum* B — 30. *quod non sit alter iudex alio* B E — 31. *ut* Aug. Matthiaeus: *ut non* codd. et O. Cf. IV, § 53: *Et ais, si una littera commota sit, fore tota ut labet disciplina.* — *ullam* A B: *unam* de Marklandi coniect. O — 32. *quod* B: *quo* A — 35. *sit*] *si* A — *vereque -- possideat* om. B.

rex quam Tarquinius, qui nec se nec suos regere potuit, rectius magister populi — is enim est dictator — quam Sulla, qui trium pestiferorum vitiorum, luxuriae, avaritiae, crudelitatis magister fuit, rectius dives quam Crassus, qui, nisi eguisset, numquam Euphraten nulla belli causa transire voluisset. Recte eius omnia dicentur, qui scit uti solus omnibus: recte etiam pulcher appellabitur; animi enim liniamenta sunt pulchriora quam corporis: recte solus liber nec dominationi cuiusquam parens nec oboediens cupiditati: recte invictus, cuius etiam si corpus constringatur, animo tamen vincula inici nulla possint. 76. Nec exspectet ullum tempus aetatis, ut tum denique iudicetur beatusne fuerit, cum extremum vitae diem morte confecerit, quod ille unus e septem sapientibus non sapienter Croesum monuit. Nam si beatus umquam fuisset, beatam vitam usque ad illum a Cyro exstructum rogum pertulisset. Quod si ita est, ut neque quisquam nisi bonus vir et omnes boni beati sint, quid philosophia magis colendum aut quid est virtute divinius?

---

2. *is*] *his* A — *est dictator* A: *dictator est* B M — *sylla* A B — 4. *euphraten* A: *eufraten* B; *Euphratem* M O — 5. *omni adicientur* B E — 6. *liniamenta* G: *linimenta* A; *laniamenta* B E; *lineamenta* M O. Cf. § 22. — 7. *corporis*] *corporibus* A B — 8. *nec* A B: *neque* O — *obediens* codd. et M O — 9. *nec* A B: *Neque* O — *expetet* (sic) B E — 10. *ut tum*] *uirtutum* A B — 14. *vir et*] *iuret* B — *omnis* A B E — 15. *aut quod est* B E — *Et sic est finis tercy libri de finibus bonorum et malorum marci tuly ciceronis* B.

M. TULLII CICERONIS

DE

FINIBUS BONORUM ET MALORUM

LIBER QUARTUS.

I. 1. Quae cum dixisset, finem ille. Ego autem, Ne tu, inquam, Cato, ista exposuisti ut tam multa memoriter, ut tam obscura dilucide. Itaque aut omittamus contra omnino velle aliquid aut spatium sumamus ad cogitandum: tam enim diligenter, etiam si minus vere — nam nondum id quidem audeo dicere —, sed tamen accurate non modo fundatam, verum etiam exstructam disciplinam non est facile perdiscere. Tum ille, Ain' tandem? inquit, cum ego te hac nova lege videam eodem die accusatori respondere et tribus horis perorare, in hac me causa tempus dilaturum putas? quae tamen a te agetur non melior, quam illae sunt, quas interdum optines. Quare istam quoque aggredere, tractatam praesertim et ab aliis et a te ipso saepe, ut tibi deesse non possit oratio. 2. Tum ego, Non mehercule, inquam, soleo temere contra Stoicos, non quo illis admodum assentiar, sed pudore impedior: ita multa dicunt, quae vix intellegam. Obscura, inquit, quaedam esse confiteor, nec tamen ab illis ita dicuntur de industria, sed inest in rebus ipsis obscuritas. Cur igitur easdem res, inquam, Peripateticis dicentibus verbum nullum est quod non intellegatur? Easdemne res? inquit, an parum disserui non verbis Stoicos a Peripateticis, sed universa re et tota sententia dissidere? Atqui, inquam, Cato, si istud optinueris, traducas me ad te totum licebit. Putabam equidem satis, inquit, me dixisse. Quare ad ea primum, si videtur: sin aliud quid voles, postea. Immo istud quidem, inquam, quo loco quidque ** nisi iniquum postulo, arbitratu meo. Ut placet, inquit. Etsi enim illud erat aptius, aequum cuique concedere.

Incipit liber Quartus de finibus bonorum et malorum Marci Tullii (*tulij* B) *Ciceronis* AB — 1. *ne* ABE: *Nae* MO — 2. *ut tam multa* B: *uitam multa* A; *tam multa* (om. *ut*) O — *ut tam obscura* Madvigius: *in tam obscura* A; *vitam obscura* B; *tam obscura* (om. *ut*) O — 3. *aliquod* BE — 4. *etiamsi* AB: *etsi* O — 5. *sed tamen*] *sed tam* Davisius; *sed tamen tam* Lambinus — 7. *ain* AC: *an* B — *videam*] *audiam* D — 12. *sole temere* B; *sole te temere* A — 16. *igitur*] *qui* B — 17. *intelligitur* BE — 18. *deserui* A — *a* om. E — 21. *quid*] *quod* BE — 22. *inquam quo loco quidque nisi* ABC: *inquam, loco: nisi* O — Lacunae signum addidit Madvigius, qui supplet: *quo loco quidque uisum fuerit* s. *occurrerit.* — *nisi inicium* B — *postulo* AB: *postulo, respondere* O — *arbitratum. eo ut* ABC.

II. 3. Existimo igitur, inquam, Cato, veteres illos Platonis auditores, Speusippum, Aristotelem, Xenocratem, deinde eorum Polemonem, Theophrastum satis et copiose et eleganter habuisse constitutam disciplinam, ut non esset causa Zenoni, cum Polemonem audisset, cur et ab eo ipso et a superioribus dissideret: quorum fuit haec institutio, in qua animadvertas velim quid mutandum putes nec exspectes, dum ad omnia dicam, quae a te dicta sunt: universa enim illorum ratione cum tota vestra confligendum puto. 4. Qui cum viderent ita nos esse natos, ut et communiter ad eas virtutes apti essemus, quae notae illustresque sunt, iustitiam dico, temperantiam, ceteras generis eiusdem — quae omnes similes artium reliquarum materia tantum ad meliorem partem et tractatione differunt —, easque ipsas virtutes viderent nos magnificentius appetere et ardentius, habere etiam insitam quandam vel potius innatam cupiditatem scientiae, natosque esse ad congregationem hominum et ad societatem communitatemque generis humani, eaque in maximis ingeniis maxime elucere, totam philosophiam tris in partis diviserunt, quam partitionem a Zenone esse retentam videmus. 5. Quarum cum una sit, qua mores conformari putantur, differo eam partem, quae quasi stirps est huius quaestionis. Qui sit enim finis bonorum, mox: hoc loco tantum dico, a veteribus Peripateticis Academicisque, qui re consentientes vocabulis differebant, eum locum, quem civilem recte appellaturi videmur, Graeci πολιτικόν, graviter et copiose esse tractatum.

III. Quam multa illi de re publica scripserunt, quam multa de legibus! quam multa non solum praecepta in artibus, sed etiam exempla in orationibus bene dicendi reliquerunt! Primum enim ipsa illa, quae subtiliter disserenda erant, polite apteque dixerunt, tum definientes, tum partientes, ut vestri etiam, sed vos squalidius, illorum vides quam niteat oratio. 6. Deinde ea, quae requirebant orationem ornatam et gravem, quam magnifice sunt dicta ab illis, quam splendide! de iustitia, de temperantia, de fortitudine, de amicitia, de aetate degenda, de philosophia, de capessenda re publica, † hominum spinas vellentium, ut Stoici, nec ossa nudantium, sed eorum, qui grandia ornate vellent, enucleate minora dicere. Itaque quae sunt eorum consolationes, quae cohortationes, quae etiam monita et consilia scripta ad summos viros! Erat enim apud eos, ut est rerum ipsarum natura, sic dicendi exercitatio duplex. Nam quicquid quaeritur, id habet aut generis ipsius sine personis temporibusque aut iis adiunctis facti aut iuris aut nominis controversiam. Ergo in utroque exercebantur, eaque disciplina effecit tantam illorum utroque

---

1. *auditores platonis* B — 6. *quid*] *quod* B — *mutandum putes* A: *imitandum putes* BE; *putes mutandum* O — 7. *a te* ed. Romana: *ante* codd. (*ad te* G) — 13. *appetere* non om. E — *insitamque quandam* AB; *insitam quasi quandam* G — *vel*] *uelud* B — 16. *tris* AB: *tres* O — 17. *esse retentam* AB: *retentam esse* O — 18. *sit quam oris* BE — *confirmari* ABC — 19. *qui* A: *quis* BM — 21. *eum* A: *illum* BM — 23. *publica* om. B — 26. *apteque*] *atque* B — 29. *de temperantia, de fortitudine -- de capessenda re publica* G et Madvig (in adnot.): *de fortitudine, -- de capessenda re p., de temperantia, de fortitudine* ABD; *de fortitudine -- de capessenda re publica, de temperantia* MO — 30. *de amicitia* om. BE — 31. *hominum* AB: *homini* E; *nec more hominum* cum Marso O; *more hominum non* alii apud Lambinum. Cf. p. 206.— *spinas*] *de spinas* ABC; *de spinis* D; *nec spinas* G; *acu spinas* cum Heinrichio O — 33. *quae* om. B — 37. *iis*] *his* ABO — *Ergo*] *ego* A — 38. *efficit* AB.

in genere dicendi copiam. 7. Totum genus hoc Zeno et qui ab eo sunt aut non potuerunt aut noluerunt, certe reliquerunt: quamquam scripsit artem rhetoricam Cleanthes, Chrysippus etiam, sed sic, ut, si quis obmutescere concupierit, nihil aliud legere debeat. Itaque vides, quo modo loquantur. Nova verba fingunt, deserunt usitata. At quanta conatur! «Mundum hunc omnem oppidum esse nostrum.» Vides, quantam rem agat, ut Circeiis qui habitet totum hunc mundum suum municipium esse existimet. «Incendit igitur eos, qui audiunt.» Quid? ille incendat? restinguet citius, si ardentem acceperit. Ista ipsa, quae tu breviter, regem, dictatorem, divitem solum esse sapientem, a te quidem apte ac rotunde: quippe; habes enim a rhetoribus: illorum vero ista ipsa quam exilia de virtutis vi! quam tantam volunt esse, ut beatum per se efficere possit. Pungunt quasi aculeis interrogatiunculis angustis, quibus etiam qui assentiuntur nihil commutantur animo et idem abeunt qui venerant: res enim fortasse verae, certe graves, non ita tractantur, ut debent, sed aliquanto minutius.

IV. 8. Sequitur disserendi ratio cognitioque naturae; nam de summo bono mox, ut dixi, videbimus et ad id explicandum disputationem omnem conferemus. In iis igitur partibus duabus nihil erat quod Zeno commutare gestiret; res enim se praeclare habebat, et quidem in utraque parte. Quid enim ab antiquis ex eo genere, quod ad disserendum valet, praetermissum est? qui et definierunt plurima et definiendi artes reliquerunt, quodque est definitioni adiunctum, ut res in partes dividatur, id et fit ab illis et quem ad modum fieri oporteat traditur: item de contrariis, a quibus ad genera formasque generum venerunt. Iam argumenti ratione conclusi caput esse faciunt ea, quae perspicua dicunt, deinde ordinem secuntur, tum quid verum sit in singulis extrema conclusio est. 9. Quanta autem ab illis varietas argumentorum ratione concludentium eorumque cum captiosis interrogationibus dissimilitudo! Quid, quod pluribus locis quasi denuntiant, ut neque sensuum fidem sine ratione nec rationis sine sensibus exquiramus atque ut eorum alterum ab altero *ne* separemus? Quid? ea, quae dialectici nunc tradunt et docent, nonne ab illis instituta sunt? De quibus etsi a Chrysippo maxime

---

1. *Zeno* A B: *et Zeno* O — *qui ab eo* A B: *ab eo qui* O — 2. *voluerunt* B E — *relinquerunt* A — 5. *At*] *aut* E — *conatur* ed. Veneta a. 1480, Davisius, Ernestius: *conantur* codd. «Sed numerus pluralis hoc loco ortus est e praecedentibus *loquantur* -- *fingunt, deserunt.*» Or. — 6. *nostrum. Vides* Davisius: *nostrum. incendi igitur* (*ergo* B) *eos qui audiunt. uides* A B; *nostrum. Incendit igitur eos, qui audiunt. Vides* M — *quanta res* B — 7. *agat* ed. Veneta a. 1480, aliae, Davisius: *agas* A B C M — *ut Circeiis* om. B — *mundum totum hunc* B — 8. *Incendit* -- *audiunt* a versu 6 huc transposuit Davisius: om. codd. et M — 9. *restinguet* om. B — *tū* B — 10. *regem* -- *rhetoribus* Nonius p. 164. — 13. *pungunt* A: *pungunt enim* B M — *interrogati vinculis* B E — 14. *idem* A B: *iidem* M O — 16. *aliquando* B E — 19. *iis*] *his* A B M — *duabus* om. B — 20. *commotare gestiret* A; *commota registire* B E — *se* (*si* B) *praeclare* A B: *praeclare se* O — *habebat* nos: *habeat* A B; *habent* M O — 22. *diffinierunt* A; *diffiniuerunt* B E — 24. *itemque de* B (non E) — 25. *uenenerunt* A — 26. *esse* suspectum fuit Bremio — *ea, quae* D: *eaque* A B — 28. *Quantam* B E — 30. *pluribus* A: *plurimis* B C — *ut neue* -- *neu rationis* Wesenberg ad or. p. Sestio p. 36. — 31. *sine* om. A B — *ut* A B: om. O — 32. *ne* Lambinus: om. codd. et O — 33. *instituta sunt* cod. Leidensis Madvigii: *instituta sunt inuenta sunt* A B; *instituta sunt et inventa* cum ed. Iuntina O.

est elaboratum, tamen a Zenone minus multo quam ab antiquis: ab hoc autem quaedam non melius quam veteres, quaedam omnino relicta. 10. Cumque duae sint artes, quibus perfecte ratio et oratio compleatur, una inveniendi, altera disserendi, hanc posteriorem et Stoici et Peripatetici, priorem autem illi egregie tradiderunt, hi omnino ne attigerunt quidem. Nam e quibus locis quasi thesauris argumenta depromerentur vestri ne suspicati quidem sunt, superiores autem artificio et via tradiderunt. Quae quidem res efficit ne necesse sit isdem de rebus semper quasi dictata decantare neque a commentariolis suis discedere. Nam qui sciet ubi quidque positum sit quaque eo veniat, is, etiam si quid obrutum erit, poterit eruere semperque esse in disputando suus. Quod etsi ingeniis magnis praediti quidam dicendi copiam sine ratione consecuntur, ars tamen est dux certior quam natura. Aliud est enim poetarum more verba fundere, aliud ea, quae dicas, ratione et arte distinguere.

V. 11. Similia dici possunt de explicatione naturae, qua hi utuntur et vestri, neque vero ob duas modo causas, quo modo Epicuro videtur, ut pellatur mortis et religionis metus, sed etiam modestiam quandam cognitio rerum caelestium affert iis, qui videant quanta sit etiam apud deos moderatio, quantus ordo, et magnitudinem animi deorum opera et facta cernentibus, iustitiam etiam, cum cognitum habeas, quod sit summi rectoris ac domini numen, quod consilium, quae voluntas: cuius ad naturam apta ratio vera illa et summa lex a philosophis dicitur. 12. Inest in eadem explicatione naturae insatiabilis quaedam e cognoscendis rebus voluptas, in qua una confectis rebus necessariis vacui negotiis honeste ac liberaliter possimus vivere. Ergo in hac ratione tota de maximis fere rebus Stoici illos secuti sunt, ut et deos esse et quattuor ex rebus omnia constare dicerent. Cum autem quaereretur res admodum difficilis, num quinta quaedam natura videretur esse, ex qua ratio et intellegentia oriretur, in quo etiam de animis, cuius generis essent, quaereretur, Zeno id dixit esse ignem: non nulla deinde aliter, sed ea pauca: de maxima autem re eodem modo, divina mente atque natura mundum universum atque eius maximas partis administrari. 13. Materiam vero rerum et copiam apud hos exilem, apud illos uberrimam reperiemus. Quam multa ab iis conquisita et collecta sunt de omnium animantium genere, ortu, membris, aetatibus! quam multa de rebus iis, quae gignuntur e terra! quam multae quamque de variis rebus et causae, cur quidque fiat, et demonstrationes, quem ad modum quidque fiat! qua ex omni copia plurima et certissima argumenta sumuntur ad cuiusque rei naturam explicandam. Ergo adhuc, quantum equidem intellego, causa non videtur fuisse mutandi nominis: non enim, si omnia non sequebatur, idcirco

---

1. *tamen*] *tum* B — 3. *perfecta* E; *perfectā* B — 8. *res* om. A — *efficit* A B: *effecit* O — *ne* om. B E — 12. *consequitur* B — 13. *est* ante *dux* om. B — 15. *qua hic* A; *que hic* B E; *qua et hi* Madvigius — 16. *quo modo* A: *quō* B (cf. § 26. 33); *quod* M O — 17. *ut*] *et* E — 23. *e* A: om. B; [*e*] M — 24. *negotiis*] *nec ociis* A B; *et ociis* E — 25. *possimus* A B: *possumus* O — 26. *esse quia quat*. B — 28. *ratio et intellegentia*] *et intelligencia et racio* B (non E) — 32. *atque eius*] *et eius* B — 34. *iis*] *his* A B O — *omni* B — 36. *multa equamque* A B E — *uariis rebus* A B E: *rebus uariis* M O — *quidquid fiet* B E — 37. *quidque fiat* A: *quicquid fiat* B E; *quaeque fiant* O — 38. *cuius rei* B.

non erat ortus illinc. Equidem etiam Epicurum, in physicis quidem, Democriteum puto. Pauca mutat, vel plura sane: at cum de plurimis eadem dicit, tum certe de maximis. Quod idem cum vestri faciant, non satis magnam tribuunt inventoribus gratiam.

VI. 14. Sed haec hactenus. Nunc videamus, quaeso, de summo bono, quod continet philosophiam, quid tandem attulerit, quam ob rem ab inventoribus tamquam a parentibus dissentiret. Hoc igitur loco, quamquam a te, Cato, diligenter est explicatum, finis hic bonorum et quis a Stoicis et quem ad modum diceretur, tamen ego quoque exponam, ut perspiciamus, si potuerimus, quidnam a Zenone novi sit allatum. Cum enim superiores, e quibus planissime Polemo, secundum naturam vivere summum bonum esse dixissent, his verbis tria significari Stoici dicunt: unum eius modi, vivere adhibentem scientiam earum rerum, quae natura evenirent: hunc ipsum Zenonis aiunt esse finem, declarantem illud, quod a te dictum est, convenienter naturae vivere: alterum significari idem, ut si diceretur, officia media omnia aut pleraque servantem vivere. 15. Hoc sic expositum dissimile est superiori. Illud enim rectum est — quod κατόρθωμα dicebas — contingitque sapienti soli, hoc autem inchoati cuiusdam officii est, non perfecti, quod cadere in non nullos insipientes potest. Tertium autem, omnibus aut maximis rebus iis, quae secundum naturam sint, fruentem vivere. Hoc non est positum in nostra actione: completur enim et ex eo genere vitae, quod virtute fruitur, et ex iis rebus, quae sunt secundum naturam neque sunt in nostra potestate Sed hoc summum bonum, quod tertia significatione intellegitur, eaque vita, quae ex summo bono degitur, quia coniuncta ei virtus est, in sapientem solum cadit, isque finis bonorum, ut ab ipsis Stoicis scriptum videmus, a Xenocrate atque ab Aristotele constitutus est. Itaque ab iis constitutio illa prima naturae, a qua tu quoque ordiebare, his prope verbis exponitur.

VII. 16. Omnis natura vult esse conservatrix sui, ut et salva sit et in genere conservetur suo. Ad hanc rem aiunt artis quoque requisitas, quae naturam adiuvarent, in quibus ea numeretur in primis, quae est vivendi ars, ut tueatur quod a natura datum sit, quod desit acquirat, idemque diviserunt naturam hominis in animum et corpus. Cumque eorum utrumque per se expetendum esse dixissent, virtutes quoque utriusque eorum per se expetendas esse dicebant: cum animum infinita

---

1. *epicurorum* A B — 2. *Democritium* Victorius et MO; *democritum* codd. Cf. I, § 17. — *uel* (non *ul*) etiam E — *at*] *aut* E — *de plurimis* Lambinus: *e plurimis* codd. et O — 3. *quod idem* Ernestius: *quod item* A; *Quid item* (non *quit idem*) B E — 5. *haec*] *hic* B — 6. *quid* A B: *ecquid* cum Manutio O — 8. *bonorum* Ernestius: *bonorum qui continet philosophiam* codd. — *et qui a* B — 11. *Polemon* D; om. A — 12. *dixisset* A B — 14. *euenerint* B E — *esse finem* A B: *finem esse* O — 15. *significare* A — 16. *media omnia* A: *omnia media* B M O — *pleraque*] *plena* B — 17. *sic*] *si* A — *rectum est quod* A: *rectum est* (om. *quod*) B M; *rectum, quod* (om. *est*) O — 18. *contingitque* B: *contigitque* A; *contingit* O — 20. *aut* om. B — 21. *nat. sint* A: *nat. sunt* B O — 22. *et* om. E — *fruitur* A B C G: *finitur* O — 23. *sunt secundum naturam* A B G: *secundum naturam sunt* O — 25. *est uirtus* B — 27. *Ita ab* B (non E) — 28. *iis*] *his* A B O — *naturae*] *natura* A B — *ordiebatis prope* B E — *his*] *is* A — 32. *quae est uiuen*] In his desinit A, additis verbis *Multa desunt* — 33. *tuentur* E — 34. *idemque* B E: *iidemque* M O — 35. *utrumque* B C D: *unumquodque* O — 36. *cum*] *et cum* Lambinus; *cum autem* Davisius — *infinita quadam*

quadam laude anteponerent corpori, virtutes quoque animi bonis corporis anteponebant. 17. Sed cum sapientiam totius hominis custodem et procuratricem esse vellent, quae esset naturae comes et adiutrix, hoc sapientiae munus esse dicebant, ut, *cum* eum tueretur, qui constaret ex animo et corpore, in utroque iuvaret eum ac contineret. Atque ita re simpliciter primo collocata, reliqua subtilius persequentes, corporis bona facilem quandam rationem habere censebant: de animi bonis accuratius exquirebant in primisque reperiebant esse in iis iustitiae semina, primique ex omnibus philosophis natura tributum esse docuerunt ut ii, qui procreati essent, a procreatoribus amarentur et, id quod temporum ordine antiquius est, ut coniugia virorum et uxorum natura coniuncta esse dicerent, qua ex stirpe orirentur amicitiae cognationum. Atque ab his initiis profecti omnium virtutum et originem et progressionem persecuti sunt. Ex quo magnitudo quoque animi exsistebat, qua facile posset repugnari obsistique fortunae, quod maximae res essent in potestate sapientis. Varietates autem iniuriasque fortunae facile veterum philosophorum praeceptis instituta vita superabat. 18. Principiis autem a natura datis amplitudines quaedam bonorum excitabantur, partim profectae a contemplatione rerum occultarum, quod erat insitus menti cognitionis amor, e quo etiam rationis explicandae disserendique cupiditas consequebatur, quodque hoc solum animal natum est pudoris ac verecundiae particeps appetensque convictum hominum ac societatem, animadvertensque in omnibus rebus, quas ageret aut diceret, ut ne quid ab eo fieret nisi honeste ac decore, his initiis *et*, ut ante dixi, seminibus a natura datis temperantia, modestia, iustitia et omnis honestas perfecte absoluta est.

VIII. 19. Habes, inquam, Cato, formam eorum, de quibus loquor, philosophorum. Qua exposita scire cupio, quae causa sit, cur Zeno ab hac antiqua constitutione desciverit, quidnam horum ab eo non sit probatum: quodne omnem naturam conservatricem sui dixerint, an quod omne animal ipsum sibi commendatum, ut se salvum in suo genere incolumeque vellet? an *quod*, cum omnium artium finis is esset, quem natura maxime quaereret, idem statui debere de totius arte vitae, an quod, cum ex animo constaremus et corpore, et haec ipsa et eorum

---

B: *quadam infinita* O — 4. *cum* Madvigius: om. codd. et O — 5. *utroque*] *utroque enim* E — *iuuaret eum* codd. omnes (etiam E): *eum iuuaret* M — *ac* BG: om. E; *atque* codd. dett. et O; *et* Goerenzio auctore M. Cf. ad Vol. II, p. 485, 29 ubi adde: Epp. ad Fam. X, 34, 1: *ac contra* — 6. *simpliciter primo* B: *primo simpliciter* O — 8. *esse in hys* BG; *inesse in his* O — 9. *natura* BG: *a natura* O. Cf. II, § 33. III, § 66. V, § 2. de Legg. I, § 16. — *ii*] *hy* B — 19. *occultarum* DG: *oculciorum* B; *occultiorum* CO. Cf. I, § 61. V, § 10. Acad. I, § 15. — 20. *amor, e quo* nos: *amore quo* BE; *amor, ex quo* MO — *explicandae rationis* D — 22. *conuictum* Madvigius (coll. de Offic. III, § 21: *tollit convictum humanum et societatem*): *coniunctium* BE; *coniunctionem* O — *ac*] *et* B (non E) — *animaduertentes in* B — 23. *aut*] *ut* BE — *quid*] *quod* BE — 24. *ac* B: *et* O — *initiis et, ut ante dixi, seminibus* Madvigius (in Addendis): *initiis ut ante dixi seminibus* BG; *initiis, ut ante dixi, tamquam seminibus* MO — 27. *eorum* B: *illorum omnium* O — 29. *constitutione* B: *institutione* MO. Cf. § 3: *eleganter habuisse constitutam disciplinam.* — *quodnam* BE — 31. *salvum* Lambinus: *et salvum* codd. et MO. Cf. II, § 33. — *incolumeque*] *incolumē* B; cf. ad p. 159, 10. — 32. *quod* Davisius: om. codd. et O — *quem* BD: *quid* O — 34. *ex* BG: om. O — *hac ipsa* BE.

virtutes per se esse sumendas? An vero displicuit ea, quae tributa est animi virtutibus tanta praestantia? an, quae de prudentia, de cognitione rerum, de coniunctione generis humani, quaeque ab isdem de temperantia, de modestia, de magnitudine animi, de omni honestate dicuntur? Fatebuntur Stoici haec omnia dicta esse praeclare neque eam causam Zenoni desciscendi fuisse. 20. Alia quaedam dicent, credo, magna antiquorum esse peccata, quae ille veri investigandi cupidus nullo modo ferre potuerit. Quid enim perversius, quid intolerabilius, quid stultius quam bonam valetudinem, quam dolorum omnium vacuitatem, quam integritatem oculorum reliquorumque sensuum ponere in bonis potius, quam dicerent nihil omnino inter eas res iisque contrarias interesse? ea enim omnia, quae illi bona dicerent, praeposita esse, non bona, itemque illa, quae in corpore excellerent, stulte antiquos dixisse per se esse expetenda, sumenda potius quam expetenda, ea denique omni vita, quae in virtute una consisteret, illam vitam, quae etiam ceteris rebus, quae essent secundum naturam, abundaret, magis expetendam non esse, sed magis sumendam, cumque ipsa virtus efficiat ita beatam vitam, ut beatior esse non possit, tamen quaedam deesse sapientibus tum, cum sint beatissimi: itaque eos id agere, ut a se dolores, morbos, debilitates repellant.

IX. 21. O magnam vim ingenii causamque iustam cur nova exsisteret disciplina! Perge porro. Secuntur enim ea, quae tu scientissime complexus es, omnium insipientiam, iniustitiam, alia vitia similia esse omniaque peccata esse paria, eosque, qui natura doctrinaque longe ad virtutem processissent, nisi eam plane consecuti essent, summe esse miseros, neque inter eorum vitam et improbissimorum quicquam omnino interesse, ut Plato, tantus ille vir, si sapiens non fuerit, nihilo melius quam quivis improbissimus nec beatius vixerit. Haec videlicet est correctio philosophiae veteris et emendatio, quae omnino aditum nullum habere potest in urbem, in forum, in curiam. Quis enim ferre posset ita loquentem eum, qui se auctorem vitae graviter et sapienter agendae profiteretur, nomina rerum commutantem, cumque idem sentiret quod omnes, quibus rebus eandem vim tribueret, alia nomina imponentem, verba modo mutantem de opinionibus nihil detrahentem? 22. Patronusne causae in epilogo pro reo dicens negaret esse malum exsilium, publicationem bonorum? haec reicienda esse, non fugienda? nec misericordem iudicem esse oportere? In contione autem si loqueretur, si Hannibal ad portas venisset murumque iaculo traiecisset, negaret esse in malis capi, venire, interfici, patriam amittere? An senatus, cum triumphum Africano decer-

---

3. *ab hisdem* B; *ad hisdem* E; *ab eisdem* M O — 7. *uere* B — 10. *que* om. B — 11. *dicerent* B C: *dicere* O — *iisque*] *hysque* B, *hisque* O — 14. *ea denique* B et Davisius: *Eademque* E cum ceteris codd.; † *eademque* O — *omnia vita* B — 15. *virtute una* B: *una virtute* O. Cf. § 36 et 51. — *quā etiam* B E — 16. *essent se expetendam* (mediis omissis) B — 18. *possel* B — *tamen quaedam*] *cum quidam* B; *cum quedam* E — 22. *Secuntur* B: *Sequentur* O — *ea* B: om. M O — 23. *omnium* B: *omni* E; *omnem* M O. Cf. § 68. — 25. *plane* B E: *plene* M O — 27. *planto* B E — 28. *beatus* B — *Haec*] *nec* B — *correpcio* B — 29. *nullum habere* B: *habere nullum* M O — 31. *agenda* B E — 32. *nomina rerum commutantem* spuria visa sunt Manutio multisque postea. — 33. *modo*] *non* (*nō* pro *mō*) E — 36. *fugienda*] *facienda* B — 38. *veniret* B.

neret, QVOD EIVS VIRTVTE aut FELICITATE posset dicere, si neque virtus in ullo nisi in sapiente nec felicitas vere dici potest? Quae est igitur ista philosophia, quae communi more in foro loquitur, in libellis suo? praesertim cum, quod illi suis verbis significent, in eo nihil novetur, eaedem res maneant alio modo. 23. Quid enim interest, divitias, opes, valetudinem bona dicas anne praeposita, cum ille, qui ista bona dicit, nihilo plus iis tribuat quam tu, qui eadem illa praeposita nominas? Itaque homo in primis ingenuus et gravis, dignus illa familiaritate Scipionis et Laelii, Panaetius, cum ad Q. Tuberonem de dolore patiendo scriberet, quod esse caput debebat, si probari posset, nusquam posuit, non esse malum dolorem, sed quid esset et quale, quantumque in eo esset alieni, deinde quae ratio esset perferendi: cuius quidem, quoniam Stoicus fuit, sententia condemnata mihi videtur esse inanitas ista verborum.

X. 24. Sed ut propius ad ea, Cato, accedam, quae a te dicta sunt, pressius agamus eaque, quae modo dixisti, cum iis conferamus, quae tuis antepono. Quae sunt igitur communia vobis cum antiquis, iis sic utamur quasi concessis, quae in controversiam veniunt, de iis, si placet, disseramus. Mihi vero, inquit, placet agi subtilius et, ut ipse dixisti, pressius. Quae enim adhuc protulisti, popularia sunt, ego autem a te elegantiora desidero. A mene tu? inquam, sed tamen enitar et, si minus multa mihi occurrent, non fugiam ista popularia. 25. Sed positum sit primum nosmet ipsos commendatos esse nobis primamque ex natura hanc habere appetitionem, ut conservemus nosmet ipsos. Hoc convenit: sequitur illud, ut animadvertamus qui simus ipsi, ut nos quales oportet esse servemus. Sumus igitur homines: ex animo constamus et corpore, quae sunt cuiusdam modi, nosque oportet, ut prima appetitio naturalis postulat, haec diligere constituereque ex his finem illum summi boni atque ultimi: quem, si prima vera sunt, ita constitui necesse est, earum rerum, quae sint secundum naturam, quam plurima et quam maxima adipisci. 26. Hunc igitur finem illi tenuerunt, quodque ego pluribus verbis, illi brevius, secundum naturam vivere, hoc iis bonorum videbatur extremum.

XI. Age nunc isti doceant vel tu potius — quis enim ista melius? —, quonam modo ab isdem principiis profecti efficiatis ut honeste vivere, id est enim vel e virtute vel naturae congruenter vivere, summum bonum sit et quonam modo aut quo loco corpus subito deserueritis omniaque ea, quae, secundum naturam cum sint, absint a nostra

2. *in nullo* B E — *nisi sapiente* B — 3. *libellis* B D: *libello* C O — 4. *sui uerbis* B E — *novetur* P. Faber: *mouetur* B E; *moueatur* G. Quod in plerisque codd. additur glossema *de ipsis rebus nihil mutetur* om. G M, seclusit O — 6. *bonam d.* B E — 7. *iis*] *his* B O — 9. *et Laelii*] *edulii* B — *Q.* om. B — 10. *possit* B — 11. *et* om. B — 12. *esset* B G: *inesset* M O. Cf. p. 158, 8. — *perferenda* E — 13. *quoniam*] *quem* B — 14. *inanitas* B G: *inmanitas* M O — 15. *a te*] *antea* B — 16. *iis*] *his* B O — 17. *vobis*] *nobis* B E — *iis*] *his* B O — 18. *in* om. B — 20. *a te* om. B — 22. *multa michi* B: *mihi multa* M O — 25. *ut nos* (non *et nos*) etiam E — 27. *prima peticio* B E — 30. *quam plurima -- secundum naturam* om. B — 32. *vivere, hoc* Wesenberg: *vivere. Hoc* O — *iis*] *his* B D O — *videbatur* Wesenberg: *videatur* B D G; *videtur* C M O — 34. *ista* B — 35. *hysdem* B; *eisdem* O — 37. *et quonam*] *ecquonam* D.

potestate, ipsum denique officium. Quaero igitur, quo modo hae tantae commendationes a natura profectae subito a sapientia relictae sint. 27. Quod si non hominis summum bonum quaereremus, sed cuiusdam animantis, is autem esset nihil nisi animus — liceat enim fingere aliquid eius modi, quo verum facilius reperiamus —, tamen illi animo non esset hic vester finis. Desideraret enim valetudinem, vacuitatem doloris, appeteret etiam conservationem sui earumque rerum custodiam finemque sibi constitueret secundum naturam vivere, quod est, ut dixi, habere ea, quae secundum naturam sint, vel omnia vel plurima et maxima. 28. Cuiuscumque enim modi animal constitueris, necesse est, etiam si id sine corpore sit, ut fingimus, tamen esse in animo quaedam similia eorum, quae sunt in corpore, ut nullo modo, nisi ut exposui, constitui possit finis bonorum. Chrysippus autem exponens differentias animantium ait alias earum corpore excellere, alias autem animo, non nullas valere utraque re, deinde disputat, quod cuiusque generis animantium statui deceat extremum. Cum autem hominem in eo genere posuisset, ut ei tribueret animi excellentiam, summum bonum id constituit, non ut excellere animus, sed ut nihil esse praeter animum videretur. XII. Uno autem modo in virtute sola summum bonum recte poneretur, si quod esset animal, quod totum ex mente constaret, id ipsum tamen sic, ut ea mens nihil haberet in se, quod esset secundum naturam, ut valetudo est. 29. Sed id ne cogitari quidem potest quale sit, ut non repugnet ipsum sibi.

Sin dicit obscurari quaedam nec apparere, quia valde parva sint, nos quoque concedimus: quod dicit Epicurus etiam de voluptate, quae minimae sint voluptates, eas obscurari saepe et obrui. Sed non sunt in eo genere tantae commoditates corporis tamque productae temporibus tamque multae. Itaque in quibus propter eorum exiguitatem obscuratio consequitur, saepe accidit ut nihil interesse nostra fateamur, sint illa necne sint, ut in sole, quod a te dicebatur, lucernam adhibere nihil interest aut teruncium adicere Croesi pecuniae. 30. Quibus autem in rebus tanta obscuratio non fit, fieri tamen potest ut id ipsum, quod interest, non sit magnum. Ut ei, qui iucunde vixerit annos decem, si aeque vita iucunda menstrua addatur, quia momentum aliquod habeat ad iucundum accessio, bonum sit: si autem id non concedatur, non continuo vita beata tollitur. Bona autem corporis huic sunt, quod posterius posui, similiora. Habent enim accessionem dignam, in qua elaboretur, ut mihi in hoc Stoici iocari videantur interdum, cum ita dicant, si ad illam vitam, quae cum virtute degatur, ampulla aut strigilis acce-

---

1. *quo modo*] *quō* B E. Cf. § 11. 33. — *hae*] *hec* B E — 3. *homines* B E — *queremus* B E — 4. *is*] *hys* B E — 12. *ut nullo*] *et nullo* B — 15. *animantium* B: *animantis* O — 16. *genere* om. B — 18. *excellere animus* B C: *excelleret animus* D; *excellere animo* O — 21. *sicut* (non *sic*) etiam E — 22. *id ne*] *ne id* B — 24. *dicunt* B E (B per compendium) — *obscurari quaedam* codd.: *quaedam obscurari* O — 25. *etiam* B E: om. M O — 26. *et*] *eciam* B — 28. *eorum* P. Manutius: *earum* codd. et O — 30. *necne*] *necue* B E — *in solem* B D — *quod*] *qui* B — 31. *aut*] *ut* E — 32. *fit* Madvigius: *sit* codd. et O — 35. *ad iucundum accessio* Lambinus: *ad iucundum accessionem* D; *ad iocundam accessionem* B E — *bonum autem si. Si autem* D — *si* codd.: *sin* cum Manutio O — 37. *similiora*] *si meliora* B E — 39. *degatur*] *dicatur* B.

dat, sumpturum sapientem eam vitam potius, quo haec adiecta sint, nec beatiorem tamen ob eam causam fore. 31. Hoc simile tandem est? non risu potius quam oratione eiciendum? Ampulla enim sit necne sit, quis non iure optimo irrideatur, si laboret? At vero pravitate membrorum et cruciatu dolorum si quis quem levet, magnam ineat gratiam, nec si sapiens ad tortoris eculeum a tyranno ire cogatur, similem habeat vultum et si ampullam perdidisset, sed ut magnum et difficile certamen iniens, cum sibi cum capitali adversario, dolore, depugnandum videret, excitaret omnes rationes fortitudinis ac patientiae, quarum praesidio iniret difficile illud, ut dixi, magnumque proelium. Deinde non quaerimus, quid obscuretur aut intereat, quia sit admodum parvum, sed quid tale sit, ut expleat summam. Una voluptas e multis obscuratur in illa vita voluptaria, sed tamen ea, quamvis parva sit, pars est eius vitae, quae posita est in voluptate. Nummus in Croesi divitiis obscuratur, pars est tamen divitiarum. Quare obscurentur etiam haec, quae secundum naturam esse dicimus, in vita beata, sint modo partes vitae beatae.

XIII. 32. Atqui si, ut convenire debet inter nos, est quaedam appetitio naturalis ea, quae secundum naturam sunt, appetens, eorum omnium est aliqua summa facienda. Quo constituto, tum licebit otiose ista quaerere, de magnitudine rerum, de excellentia, quanta in quoque sit ad beate vivendum, de istis ipsis obscurationibus, quae propter exiguitatem vix aut ne vix quidem appareant. Quid, de quo nulla dissensio est? Nemo enim est qui aliter dixerit quin omnium naturarum simile esset id, ad quod omnia referrentur, quod est ultimum rerum appetendarum; omnis enim est natura diligens sui. Quae est enim quae se umquam deserat aut partem aliquam sui aut eius partis habitum aut vim aut ullius earum rerum, quae secundum naturam sunt, aut motum aut statum? Quae autem natura suae primae institutionis oblita est? *Est* nulla profecto, quin suam vim retineat a primo ad extremum. 33. Quo modo igitur evenit ut hominis natura sola esset, quae hominem relinqueret, quae oblivisceretur corporis, quae summum bonum non in toto homine, sed in parte hominis poneret? Quo modo autem, quod ipsi etiam fatentur constatque inter omnis, conservabitur, ut simile sit omnium naturarum illud ultimum, de quo quaeritur? Tum enim esset simile, si in ceteris quoque naturis id cuique esset ultimum, quod in quaque excelleret; tale enim visum est ultimum Stoicorum. 34. Quid dubitas igitur mutare principia naturae? Quid enim? omne animal, simul atque sit ortum, applicatum esse ad se diligendum esseque in se con-

1. *quo* codd.: *cui* O — 2. *est? non* Madvigius: *est non* O — *non risu*] *nostris ut* B — 4. *non* om. B — *pravitate* Bentleius (ad Tusc. III, § 1): *gravitate* codd. et M O. Cf. Tusc. IV, § 29. — 5. *nec*] *ne* B — 6. *sapiens* B: [*ille*] *sapiens* M; *ille sapiens* O — 7. *et si* B: *ac si* O. Cf. II, § 21. — 10. *difficile illud* B: *illud difficile* O — *quaerimus* ed. Romana: *quaeremus* codd. et O — 16. *in vita*] *intuta* B E — 19. *aliqua e summa* B E — 21. *de istis*] *in istis* B — 23. *naturarum* B C: *naturalium* O — 24. *referrentur* E: *referentur* B; *referuntur* O — 29. *Est nulla profecto* nos: *nulla profecto* (om. *est*) codd. et O; *nulla est profecto* Goerenzius; *Nulla profecto est* M — 30. *Quo modo*] *Quō* B E. Cf. §§ 11. 26. 34. 50. — 32. *poneretur* B — 34. *naturarum* cod. Sigonii et Leidensis Madvigii: *naturale* B O — *Tum*] *Cum* B E — 36. *est* Wesenberg: *esset* codd. et O — *ultimi* E — 37. *enim* B: *enim dicis* O.

servando occupatum? quin potius ita dicis, omne animal applicatum esse ad id, quod in eo sit optimum, et in eius unius occupatum esse custodia, reliquasque naturas nihil aliud agere nisi ut id conservent, quod in quaque optimum sit? Quo modo autem optimum, si bonum praeterea nullum est? Sin autem reliqua appetenda sunt, cur, quod est ultimum rerum appetendarum, id non aut ex omnium earum aut ex plurimarum et maximarum appetitione concluditur? Ut Phidias potest a primo instituere signum idque perficere, potest ab alio inchoatum accipere et absolvere, huic similis est sapientia: non enim ipsa genuit hominem, sed accepit a natura inchoatum. Hanc ergo intuens debet institutum illud quasi signum absolvere. 35. Qualem igitur hominem natura inchoavit? et quod est munus, quod opus sapientiae? quid est quod ab ea absolvi et perfici debeat? Si nihil in eo perficiendum est praeter motum ingenii quendam, id est rationem, necesse est huic ultimum esse ex virtute agere; rationis enim perfectio est virtus: si nihil nisi corpus, summa erunt illa, valetudo, vacuitas doloris, pulchritudo, cetera. Nunc de hominis summo bono quaeritur. XIV. 36. Quid ergo dubitamus in tota eius natura quaerere quid sit effectum? Cum enim constet inter omnes omne officium munusque sapientiae in hominis cultu esse occupatum, alii — ne me existimes contra Stoicos solum dicere — eas sententias afferunt, ut summum bonum in eo genere ponant, quod sit extra nostram potestatem, tamquam de inanimo aliquo loquantur, alii contra, quasi corpus nullum sit hominis, ita praeter animum nihil curant, cum praesertim ipse quoque animus non inane nescio quid sit — neque enim id possum intellegere —, sed in quodam genere corporis, ut ne is quidem virtute una contentus sit, sed appetat vacuitatem doloris. Quam ob rem utrique idem faciunt ut si laevam partem neglegerent, dexteram tuerentur, aut ipsius animi, ut fecit Erillus, cognitionem amplexarentur, actionem relinquerent. Eorum enim omnium, multa praetermittentium, dum eligant aliquid, quod sequantur, quasi curta sententia: at vero illa perfecta atque plena eorum, qui cum de hominis summo bono quaererent, nullam in eo neque animi neque corporis partem vacuam tutela reliquerunt. 37. Vos autem, Cato, quia virtus, ut omnes fatemur, altissimum locum in homine et maxime excellentem tenet et quod eos, qui sapientes sunt, absolutos et perfectos putamus, aciem animorum nostrorum virtutis splendore praestringitis. In omni enim animante est summum aliquid atque optimum, ut in equis, in canibus, quibus tamen et

---

4. *Quo modo*] *quō* B (non E). Cf. § 33. — 5. *sint* B — 6. *appetendum* B — *omni earum* B E — 7. *plur. aut max.* E — 9. *absolvere. Huic* O — *similis est sapientia* B: *est sapientia similis* codd. dett.; *sapientia similis* (om. *est*) O — 11. *Qualem*] *Quare* B — *hominem natura* B E: *natura hominem* M O — 12. *quid*] *quod* B E — *ab eo* B E — 13. *Sic n.* B — *in eo* Palat. 5: *quidem in eo* G; *in quo* («in animali aliquo») Madvig; *in eo, quod* B O — 14. *id est* per compendium *i* (non *id*) exhibent B E — 15. *e virtute* D — *agere* B D: *vitam agere (augere, frangere)* codd. dett.; *vitam fingere* O — *sic nichil* B — 16. *pulchritudo* om. B (non E) — 17. *queritur bono* B — *ergo*] *igitur* B — 19. *sapiencia ō in* B — 20. *stoicum* B — 22. *de* om. B — *inanimo aliquo* Madvigius: *in animali quo* B; *in annali quo* E; *animali aliquo* O — 24. *enim* om. B — 28. *erillus* B E: *Herillus* M O. Cf. II, § 35. — 30. *aliquid quod*] *aliquod* B — *sententia*] *sententia est* Marsus et Lambinus — 33. *relinquerent* B — *Nos* B E — 35. *aciem -- praestringitis* Nonius p. 35.

dolore vacare opus est et valere: sic igitur in homine perfectio ista in eo potissimum, quod est optimum, id est in virtute, laudatur. Itaque mihi non satis videmini considerare, quod iter sit naturae quaeque progressio. Non enim, quod facit in frugibus, ut, cum ad spicam perduxerit ab herba, relinquat et pro nihilo habeat herbam, idem facit in homine, cum eum ad rationis habitum perduxerit. Semper enim ita assumit aliquid, ut ea, quae prima dederit, non deserat. 38. Itaque sensibus rationem adiunxit et ratione effecta sensus non reliquit. Ut si cultura vitium, cuius hoc munus est, ut efficiat ut vitis cum omnibus partibus suis quam optime se habeat —, sed sic intellegamus, licet enim, ut vos quoque soletis, fingere aliquid docendi causa —: si igitur illa cultura vitium in vite insit ipsa, cetera, credo, velit, quae ad colendam vitem attinebunt, sicut antea, se autem omnibus vitis partibus praeferat statuatque nihil esse melius in vite quam se: similiter sensus, cum accessit ad naturam, tuetur illam quidem, sed etiam se tuetur, cum autem assumpta est ratio, tanto in dominatu locatur, ut omnia illa prima naturae huius tutelae subiciantur. 39. Itaque non discedit ab eorum curatione, quibus praeposita vitam omnem debet gubernare, ut mirari satis istorum inconstantiam non possim. Naturalem enim appetitionem, quam vocant ὁρμήν, itemque officium, ipsam etiam virtutem volunt esse earum rerum, quae secundum naturam sunt. Cum autem ad summum bonum volunt pervenire, transiliunt omnia et duo nobis opera pro uno relinquunt, ut alia sumamus, alia expetamus, potius quam uno fine utrumque concluderent.

XV. 40. At enim iam dicetis virtutem non posse constitui, si ea, quae extra virtutem sint, ad beate vivendum pertineant. Quod totum contra est. Introduci enim virtus nullo modo potest, nisi omnia, quae leget quaeque reiciet, unam referentur ad summam. Nam si omnino ea neglegemus, in Aristonea vitia et peccata incidemus obliviscemurque, quae virtuti ipsi principia dederimus: sin ea non neglegemus neque tamen ad finem summi boni referemus, non multum ab Erilli levitate aberrabimus; duarum enim vitarum nobis erunt instituta capienda. Facit enim ille duo seiuncta ultima bonorum, quae, ut essent vera, coniungi debuerunt: nunc ita separantur, ut diiuncta sint, quo nihil potest esse perversius. 41. Itaque contra est ac dicitis; nam con-

---

2. *id est* eodem quo § 35 compendio BE — 3. *iter sit* D: *intersit* B — 4. *non enim -- perduxerit* Nonius p. 225. — *Non enim* om. B — *ut cum*] *uictum* Nonius — *produxerit* BE, sed iidem v. 6 *perduxerit* — 7. *non* B: *ne* MO — *Itaque*] *atque* B (non E) — 8. *reliquit* B: *relinquit* O — 9. *omnibus partibus suis* B: *partibus suis omnibus* O — 13. *omnibus* om. B (non E) — 14. *melius esse* B — 15. *se tuetur* EG: *si tuetur* B; *tuetur se* O — 16. *est r.* B: *r. est* MO — *tanta* BE — 18. *ut*] *et* BE — 19. *istorum* Wesenberg: *eorum* codd. et O — *possim* C: *possum* B; *possimus* codd. dett. et O — 23. *expetamus* nos: *ea petamus* BE; *appetamus* O. Cf. § 20 et var. lect. p. 168, 6. — 24. *utrumque concluderent* BD: *omnia concludant* codd. dett.; *utrumque concludant* O — 25. *iam dicetis* D: *nam dicitis* B; [*nam*] *dicitis* M; *natura dicitis* O — 26. *sunt* B — 28. *leget*] *legi* B; *elliget* G. Cf. p. 166, 21. 173, 28. — *reficiet* B — *referentur* B: *referantur* O — *ea* Bremius: *nos* codd.; † *nos* M — 29. *neglegemus* Lambinus: *negligimus* codd. — *incidemus et peccata* BM — 30. *negligemus* B: *intelligemus* E; *negligimus* ceteri codd. — 32. *erilli* BE: *Herilli* MO. Cf. II, § 35. — *aberrauimus* (non *aberramus*) BE — 34. *ita* Manutius: *ista* codd. et O — *ut*] *et* B — *seiuncta* B; *disiuncta* O.

stitui virtus nullo modo potest, nisi ea, quae sunt prima naturae, ut ad summam pertinentia tenebit. Quaesita enim virtus est, non quae relinqueret naturam, sed quae tueretur. At illa, ut vobis placet, partem quandam tuetur, reliquam deserit. Atque ipsa institutio hominis si loqueretur, hoc diceret, primos suos quasi coeptus appetendi fuisse, ut se conservaret in ea natura, in qua ortus esset. Nondum autem explanatum satis erat, quid maxime natura vellet; explanetur igitur. Quid ergo aliud intellegetur, nisi uti ne quae pars naturae neglegatur? In qua si nihil est praeter rationem, sit in una virtute finis bonorum: sin est etiam corpus, ista explanatio naturae nempe hoc effecerit, ut ea, quae ante explanationem tenebamus, relinquamus. Ergo id est convenienter naturae vivere, a natura discedere! 42. Ut quidam philosophi, cum a sensibus profecti maiora quaedam et diviniora vidissent, sensus reliquerunt, sic isti, cum ex appetitione rerum virtutis pulchritudinem adspexissent, omnia, quae praeter virtutem ipsam viderant, abiecerunt, obliti naturam omnem appetendarum rerum ita late patere, ut a principiis permanaret ad fines, neque intellegunt se rerum illarum pulchrarum atque admirabilium fundamenta subducere.

XVI. 43. Itaque mihi videntur omnes quidem illi errasse, qui finem bonorum esse dixerunt honeste vivere, sed alius alio magis: Pyrrho scilicet maxime, qui virtute constituta nihil omnino quod appetendum sit relinquat, deinde Aristo, qui nihil relinquere non est ausus, introduxit autem, quibus commotus sapiens appeteret aliquid, quodcumque in mentem incideret et quodcumque tamquam occurreret. Is hoc melior quam Pyrrho, quod aliquod genus appetendi dedit, deterior quam ceteri, quod penitus a natura recessit. Stoici autem, quod finem bonorum in una virtute ponunt, similes sunt illorum: quod autem principium officii quaerunt, melius quam Pyrrho, quod ea non occurrentia fingunt, vincunt Aristonem: quod autem ea, quae ad naturam accommodata et per se assumenda esse dicunt, non adiungunt ad finem bonorum, desciscunt a natura et quodam modo sunt non dissimiles Aristonis. Ille enim occurrentia nescio quae comminiscebatur: hi autem ponunt illi quidem prima naturae, sed ea seiungunt a finibus et summa bonorum. Quae cum praeponunt, ut sit aliqua rerum selectio, naturam videntur sequi: cum autem negant ea quicquam ad beatam vitam pertinere, rursus naturam relinquunt. 44. Atque adhuc ea dixi, causam Zenoni non fuisse, quam ob rem a superiorum auctoritate discederet: nunc reliqua videamus, nisi aut ad haec, Cato, dicere aliquid vis aut nos iam lon-

---

1. *modo* om. B (non E) — *sunt* Manutius: *se* B; *sint* O — 2. *summam* Manutius: *summum* codd. — 3. *relinquerent* B E — 4. *hominis institutio* B — 5. *hoc* B: *haec* O — *quasi*] *quas* B E — 8. *ergo*] *igitur* D — *intelligeretur* B D — *uti ne quae*] *ut ineque* B; *ut inęque* D; *ut ne quae* O — 13. *perfecti* B E — *et* B: *ac* O — 15. *quae praeter* B: *quae propter* codd. dett.; *propter quae* O — 17. *permaneret* B E; *perueniret* G — 23. *quodcumque* P. Manutius: *quod cuique* codd. Cf. § 47. — 24. *Is*] *his* B E — 25. *aliquod* B: *vel aliquod* O; [*uel*] *aliquod* M — 26. *a* om. E — 28. *quod* om. B — 29. *ad* codd.: *et ad* cum Goerenzio O — 31. *illa enim* B — 32. *illi* B: *illa* O — 33. *et* B: *et a* O — 34. *proponunt* B E — 35. *ea quicquid ad* B E — 36. *atque huc* E — *causam Z. non fuisse* Madvigius (in adnotatione): *causa cum Z. non fuisset* B; *causa cur Z. non fuisset* O; † *caussa cur Z. non fuisset* M.

giores sumus. Neutrum vero, inquit ille; nam et a te perfici istam disputationem volo, nec tua mihi oratio longa videri potest. Optime, inquam: quid enim mihi potest esse optatius quam cum Catone omnium virtutum auctore de virtutibus disputare? 45. Sed primum illud vide, gravissimam illam vestram sententiam, quae familiam ducit, honestum quod sit, id esse solum bonum honesteque vivere bonorum finem, communem fore vobis cum omnibus, qui in una virtute constituunt finem bonorum, quodque dicitis, informari non posse virtutem, si quicquam nisi quod honestum sit numeretur, idem dicetur ab illis, quos modo nominavi. Mihi autem aequius videbatur Zenonem cum Polemone disceptantem, a quo quae essent principia naturae acceperat, a communibus initiis progredientem videre, ubi primum insisteret et unde causa controversiae nasceretur, non stantem cum iis, qui ne dicerent quidem sua summa bona esse a natura profecta, uti isdem argumentis, quibus illi uterentur, isdemque sententiis.

XVII. 46. Minime vero illud probo, quod, cum docuistis, ut vobis videmini, solum bonum esse quod honestum sit, tum rursum dicitis initia proponi necesse esse apta et accommodata naturae, quorum ex selectione virtus possit exsistere. Non enim in selectione virtus ponenda erat, ut id ipsum, quod erat bonorum ultimum, aliud aliquid acquireret. Nam omnia, quae sumenda quaeque legenda aut optanda sunt, inesse debent in summa bonorum, ut is, qui eam adeptus sit, nihil praeterea desideret. Videsne ut, quibus summa est in voluptate, perspicuum sit, quid iis faciendum sit aut non faciendum? ut nemo dubitet, eorum omnia officia quo spectare, quid sequi, quid fugere debeant? Sit hoc ultimum bonorum, quod nunc a me defenditur: apparet statim, quae sint officia, quae actiones. Vobis autem, quibus nihil est aliud propositum nisi rectum atque honestum, unde officii, unde agendi principium nascatur, non reperietis. 47. Hoc igitur quaerentes omnes, et ii, qui quodcumque in mentem veniat aut quodcumque occurrat se sequi dicent, et vos ad naturam revertemini: quibus natura iure responderit non esse verum aliunde finem beate vivendi, a se principia rei gerendae peti: esse enim unam rationem, qua et principia rerum agendarum et ultima bonorum continerentur, atque ut Aristonis esset explosa sententia, dicentis nihil differre aliud ab alio nec esse res ullas praeter virtutes et vitia, inter quas quicquam omnino interesset, sic errare Zenonem, qui nulla in re nisi in virtute [aut vitio] propensionem ne minimi quidem momenti ad summum bonum adipiscendum esse diceret et, cum ad beatam vitam nullum momentum cetera haberent, ad ap-

2. *mihi or. longa mihi uid.* B — 6. *quid sit* B E — *bonum solum* B E — 8. *conformari* D — *quicquam* codd.: *quidpiam* O — 9. *modo quos* B — 11. *acceperat*] *accederet* B — 14. *a* om. B — *ut hisdem* B — 15. *Idemque* B; *iisdemque* O — 17. *bonum solum* B — *sit* non om. E — 18. *esse*] *est* E — *apta*] *acta* B E — *ex selectione* Aldus nepos: *ex electione* codd. — 20. *aliud aliquod* B È — 24. *quod hys* B E — 25. *que spectare* E — *quod fugere* B E — *debeant. Sit* O — 29. *reperieris* (non *reperies*) B E — *hec* B — *quaerentes* Goerenzius: *quaeretes* cod. Spirensis; *queritis* B; *quaeres* alii — *et hy quod quidcumque* B; *et hy quod quicumque* E — 31. *reuertemini* codd. multi: *revertimini* B O — 32. *gerendi* B — 33. *peti: esse*] *peciisse* B — 36. *quicquid* E — 37. *aut vitio* primus seclusit Davisius; sine uncis M — 39. *cetera haberent* Bremius: *ea res haberet* codd. et O (*ceterae res haberent* Davisius).

petitionem tamen rerum esse in iis momenta diceret, quasi vero haec appetitio non ad summi boni adeptionem pertineret! 48. Quid autem minus consentaneum est quam, quod aiunt, cognito summo bono reverti se ad naturam, ut ex ea petant agendi principium, id est officii? Non enim actionis aut officii ratio impellit ad ea, quae secundum naturam sunt, appetenda, sed ab iis et appetitio et actio commovetur.

XVIII. Nunc venio ad illa tua brevia, quae consectaria esse dicebas, et primum illud, quo nihil potest brevius: Bonum omne laudabile, laudabile autem omne honestum: bonum igitur omne honestum. O plumbeum pugionem! Quis enim tibi primum illud concesserit? quo quidem concesso nihil opus est secundo; si enim omne bonum laudabile est, omne honestum est. 49. Quis igitur tibi istud dabit praeter Pyrrhonem, Aristonem eorumve similes? quos tu non probas. Aristoteles, Xenocrates, tota illa familia non dabit, quippe qui valetudinem, vires, divitias, gloriam, multa alia bona esse dicant, laudabilia non dicant. Et hi quidem ita non sola virtute finem bonorum contineri putant, ut rebus tamen omnibus virtutem anteponant: quid censes eos esse facturos, qui omnino virtutem a bonorum fine segregaverunt, Epicurum, Hieronymum, illos etiam, si qui Carneadeum finem tueri volunt? 50. Iam aut Callipho aut Diodorus quo modo poterunt tibi istud concedere, qui ad honestatem aliud adiungunt, quod ex eodem genere non sit? Placet igitur tibi, Cato, cum res sumpseris non concessas, ex illis efficere quod velis? Iam ille sorites, quo nihil putatis esse vitiosius: quod bonum sit, id esse optabile; quod optabile, id expetendum; quod expetendum, id laudabile; dein reliqui gradus. Sed ego in hoc resisto; eodem enim modo tibi nemo dabit, quod expetendum sit, id esse laudabile. Illud vero minime consectarium, sed in primis hebes illorum scilicet, non tuum, gloriatione dignam esse beatam vitam, quod non possit sine honestate contingere ut iure quisquam glorietur. 51. Dabit hoc Zenoni Polemo: etiam magister eius et tota illa gens et reliqui, qui virtutem omnibus rebus multo anteponentes adiungunt ei tamen aliquid summo in bono finiendo. Si enim virtus digna est gloriatione, ut est, tantumque praestat reliquis rebus, ut dici vix possit, et beatus esse poterit virtute una praeditus, carens ceteris, nec tamen illud tibi concedet, praeter virtutem nihil in bonis esse ducendum. Illi autem, quibus summum bonum sine virtute est, non dabunt fortasse, vitam beatam habere, in quo possit iure gloriari: etsi illi quidem etiam voluptates faciunt interdum gloriosas.

---

1. *tamen* Davisius: *autem* codd. et O — *iis*] *hys* B, *his* O — 4. *ex* B: *ab* O — 6. *appetenda*] *petenda* B — *iis*] *hys* B, *his* O — 7. *tua illa* B — 9. *omne* post *autem* om. B E — *bonum igitur omne honestum* E: *igitur omne bonum honestum* O; om. B — 10. *primum illud* B: *illud primum* O — *quidem*] *quam* B E — 12. *est* om. B — *igitur tibi* B: *tibi ergo* O — 17. *esse* B: om. O — 19. *carneadeum* codd.: *Carneadium* M O. Sed cf II, § 42. — *calippo* B E; *Calliphon* O — 20. *quo modo*] *quō* B E. Cf. § 33. — 21. *adiungunt* B: *adiungant* O — 22. *quod*] *quid* B E — *velis. Iam* O — 23. *quid bonum* B E — 24. *quod optabile* om. B E — *id exp.* B E: *id esse exp.* M O — *id laud.* B: *id* om. O — 25. *dein* B: *deinde* O — *modo enim* B (non E) — 26. *illud vero* - - *illorum* Nonius Marc. s. v. *coniectarium* p. 91. — 27. *consectarum* B E; *coniecturarium* Nonius. — *hebes* B (?): *habes* ceteri codd., etiam Nonii. Cf. ad p. 171, 37. — *scilicet, non tuum* Madvigius: *scilicet non tum* B; *scilicet nominum* codd. plerique; om. Mureto auctore O — 28. *non*] *nisi* E — 33. *reliquis* B C: *ceteris* O — 36. *possit iure* B: *iure possit* M O.

XIX. 52. Vides igitur te aut ea sumere, quae non concedantur, aut ea, quae etiam concessa te nihil iuvent. Equidem in omnibus istis conclusionibus hoc putarem philosophia nobisque dignum, et maxime, cum summum bonum quaereremus, vitam nostram, consilia, voluntates, non verba corrigi. Quis enim potest istis, quae te, ut ais, delectant, brevibus et acutis auditis de sententia decedere? Nam cum exspectant et avent audire, cur dolor malum non sit, dicunt illi asperum esse dolere, molestum, odiosum, contra naturam, difficile toleratu, sed, quia nulla sit in dolore nec fraus nec improbitas nec malitia nec culpa nec turpitudo, non esse illud malum. Haec qui audierit, ut ridere non curet, discedet tamen nihilo firmior ad dolorem ferendum quam venerat. 53. Tu autem negas fortem esse quemquam posse, qui dolorem malum putet. Cur fortior sit, si illud, quod tute concedis, asperum et vix ferendum putabit? Ex rebus enim timiditas, non ex vocabulis nascitur. Et ais, si una littera commota sit, fore tota ut labet disciplina. Utrum igitur tibi litteram videor an totas paginas commovere? Ut enim sit apud illos, id quod est a te laudatum, ordo rerum conservatus et omnia inter se apta et conexa — sic enim aiebas —, tamen persequi non debemus, si a falsis principiis profecta congruunt ipsa sibi et a proposito non aberrant. 54. In prima igitur constitutione Zeno tuus a natura recessit; cumque summum bonum posuisset in ingenii praestantia, quam virtutem vocamus, nec quicquam aliud esse bonum dixisset, nisi quod esset honestum, nec virtutem posse constare, si in ceteris rebus esset quicquam, quod aliud alio melius esset aut peius: his propositis tenuit prorsus consequentia. Recte dicis: negare non possum. Sed ita falsa sunt ea, quae consecuntur, ut illa, e quibus haec nata sunt, vera esse non possint. 55. Docent enim nos, ut scis, dialectici, si ea, quae rem aliquam sequantur, falsa sint, falsam illam ipsam esse, quam sequantur. Ita fit illa conclusio non solum vera, sed ita perspicua, ut dialectici ne rationem quidem reddi putent oportere: Si illud, hoc; non autem hoc: igitur ne illud quidem. Sic consequentibus vestris sublatis prima tolluntur. Quae secuntur igitur? Omnes, qui non sint sapientes, aeque miseros esse, sapientes omnes summe beatos, recte facta omnia aequalia, omnia peccata paria. Quae cum magnifice primo dici viderentur, considerata minus probabantur. Sensus enim cuiusque et natura rerum atque ipsa veritas clamabat quodam modo non posse adduci, ut inter eas res, quas Zeno exaequaret, nihil interesset.

XX. 56. Postea tuus ille Poenulus — scis enim Citieos, clientes tuos, e Phoenica profectos —, homo igitur acutus causam non obtinens

---

1. *sumere -- aut ea* om. E (non B) — 2. *conclusionibus istis* E; *istis conclusionibus istis* B — 4. *voluptates* B E — 5. *quae tu ut ois brevibus delectant et acutis* B C E — 6. *exspectant* Th. Bentleius: *ea spectant* codd. (etiam E). Cf. var. lect. p. 164, 23.— 7. *avent*] *habent* codd. — 10. *Haec*] *Nec* B — 13. *asperum*] *asperniri* B. Cf. p. 173, 36. — *et* om. B — 15. *fore*] *forte* B E — 16. *videor litteram* B — 18. *debeamus* B E — 19. *congruunt* Lambinus: *congruenti* B E; *congruent* ceteri. — 21. *in* om. B — *uirtutes* B — 22. *esse bonum* B: *bonum esse* O — 25. *negare* B G: *negare enim* M O — 26. *illa e*] *ille* B — 28. *sint*] *sunt* B E — 29. *fit*] *sit* B E — 30. *reddi* om. B E — 32. *sint* B: *sunt* O — 33. *beatos* B E: *beatos esse* M O — 35. *probabantur* Gruterus: *probantur* codd. et O — 37. *exequare* B — 38. *tuus* (non *ciuis*) etiam E — *Citieos*] *cicius* codd. — 39. *e* Manutius: *a* codd. — *Phoenica* Iac. Gronovius:

repugnante natura verba versare coepit et primum rebus iis, quas nos bonas dicimus, concessit ut haberentur aptae [habiles] et ad naturam accommodatae, faterique coepit sapienti, hoc est summe beato, commodius tamen esse, si ea quoque habeat, quae bona non audet appellare, naturae accommodata esse concedit, negatque Platonem, si sapiens non sit, eadem esse in causa qua tyrannum Dionysium: huic mori optimum esse propter desperationem sapientiae, illi propter spem vivere; peccata autem partim esse tolerabilia, partim nullo modo, propterea quod alia peccata plures, alia pauciores quasi numeros officii praeterirent; iam insipientes alios ita esse, ut nullo modo ad sapientiam possent pervenire, alios, qui possent, si id egissent, sapientiam consequi. 57. Hic loquebatur aliter atque omnes, sentiebat idem quod ceteri. Nec vero minoris aestimanda ducebat ea, quae ipse bona negaret esse, quam illi, qui ea bona esse dicebant. Quid igitur voluit sibi qui illa mutaverit? Saltem aliquid de pondere detraxisset et paulo minoris aestimavisset ea quam Peripatetici, ut sentire quoque aliud, non solum dicere videretur. Quid? de ipsa beata vita, ad quam omnia referuntur, quae dicitis? Negatis eam esse, quae expleta sit iis rebus omnibus, quas natura desideret, totamque eam in una virtute ponitis, cumque omnis controversia aut de re soleat aut de nomine esse, utraque earum nascitur, si aut res ignoratur aut erratur in nomine. Quorum si neutrum est, opera danda est ut verbis utamur quam usitatissimis et quam maxime aptis, id est rem declarantibus. 58. Num igitur dubium est quin, si in re ipsa nihil peccatur a superioribus, verbis illi commodius utantur? Videamus igitur sententias eorum, tum ad verba redeamus.

XXI. Dicunt appetitionem animi moveri, cum aliquid ei secundum naturam esse videatur, omniaque, quae secundum naturam sint, aestimatione aliqua digna, eaque pro eo, quantum in quoque sit ponderis, esse aestimanda, quaeque secundum naturam sint, partim nihil habere in sese eius appetitionis, de qua saepe iam diximus, quae nec honesta nec laudabilia dicantur, partim, quae voluptatem habeant in omni animante, sed in homine rationem etiam; ex ea quae sint apta, ea honesta, ea pulchra, ea laudabilia, illa autem superiora naturalia nominantur, quae coniuncta cum honestis vitam beatam perficiunt et absolvunt. 59. Omnium autem eorum commodorum, quibus non illi plus tribuunt, qui illa bona esse dicunt, quam Zeno, qui negat, longe praestantissimum esse quod honestum esset atque laudabile, sed si duo honesta proposita sint, alterum cum valetudine, alterum cum morbo, non esse dubium, ad utrum eorum natura nos ipsa deductura sit, sed tamen tantam vim esse honestatis tantumque eam rebus omnibus praestare

---

poenica B; *poetica* codd. plerique: *Phoenicia* Manutius. — 2. *dicimus* B: *ducimus* O — *aptae et habiles* Madvigius (in commentario); *habiles* Orellio auctore seclusimus. — 5. *naturae accommodata* Madvigius: *natura ea commodata* B; *natura ea commodam* E; *natura ipsa commodata* O — 7. *partim autem peccata* B — 8. *essent toll.* B — 9. *quasi*] *quas* B E — 10. *possunt peruenire* B — 12. *senciebant* B — 13. *ipsa* B — *quam illi -- dicebant esse* om. E — 14. *dicebant esse* B — 16. *aliud quoque* B — 18. *hys rebus omnibus* B; *omnibus iis rebus* O — 22. *est* ante *ut* om. B — 27. *omnia queque* B E; item p. 170, 2. — 28. *quoque* Manutius: *quaque* codd. — 31. *habent* B — 32. *ex ea* B: *ex eis* O — 35. *illi*] *illis* B — 39. *utrum*] *utrumque* B.

et excellere, ut nullis nec suppliciis nec praemiis demoveri possit ex eo, quod rectum esse decreverit, omniaque, quae dura, difficilia, adversa videantur, ea virtutibus iis, quibus a natura essemus ornati, obteri posse: non † faciles illas quidem nec contemnendas — quid enim esset in virtute tantum? — sed ut hoc iudicaremus, non esse in his partem maximam positam beate aut secus vivendi. 60. Ad summam ea, quae Zeno aestimanda et sumenda et apta naturae esse dixit, eadem illi bona appellant, vitam autem beatam illi eam, quae constaret ex iis rebus, quas dixi, aut plurimis aut gravissimis. Zeno autem, quod suam, quod propriam speciem habeat cur appetendum sit, id solum bonum appellat, beatam autem vitam eam solam, quae cum virtute degatur.

XXII. Si de re disceptari oportet, nulla mihi tecum, Cato, potest esse dissensio. Nihil est enim de quo aliter tu sentias atque ego, modo commutatis verbis ipsas res conferamus. Nec hoc ille non vidit, sed verborum magnificentia est et gloria delectatus: qui si ea, quae dicit, ita sentiret, ut verba significant, quid inter eum et vel Pyrrhonem vel Aristonem interesset? Sin autem eos non probabat, quid attinuit cum iis, quibuscum re concinebat, verbis discrepare? 61. Quid, si reviviscant Platonis illi et deinceps qui eorum auditores fuerunt et tecum ita loquantur? «Nos cum te, M. Cato, studiosissimum philosophiae, iustissimum virum, optimum iudicem, religiosissimum testem, audiremus, admirati sumus, quid esset cur nobis Stoicos anteferres, qui de rebus bonis et malis sentirent ea, quae ab hoc Polemone Zeno cognoverat, nominibus uterentur iis, quae prima specie admirationem, re explicata risum moverent. Tu autem, si tibi illa probabantur, cur non propriis verbis illa tenebas? sin te auctoritas commovebat, nobisne omnibus et Platoni ipsi nescio quem illum anteponebas? praesertim cum in re publica princeps esse velles ad eamque tuendam cum summa tua dignitate maxime a nobis ornari atque instrui posses. A nobis enim ista quaesita, a nobis descripta, notata, praecepta sunt, omniumque rerum publicarum rectionis genera, status, mutationes, leges etiam et instituta ac mores civitatum perscripsimus. Eloquentiae vero, quae et principibus maximo ornamento est et qua te audimus valere plurimum, quantum tibi ex monumentis nostris addidisses!» Ea cum dixissent, quid tandem talibus viris responderes? 62. Rogarem te, inquit, ut diceres pro me tu idem, qui illis orationem dictavisses, vel potius paulum loci mihi, ut iis re-

---

3. *obteri* C: *aptari* B; *optari* alii. Menda orta sunt ex scriptura *opteri*. — 4. *facilia illa quidem nec contemnenda* Sigonii codex; *faciles illas quidem res nec contemnendas* Bremius. Corruptelae signum addidit Madvigius. — 7. *et apta*] *atque apta* B (non E) — 8. *hys* B; *his* O — 9. *aut omnibus aut plurimis et gravissimis* Wesenberg. Cf. § 27. 34. — *quod suam quandam propriam* Madvigius (in adnotatione). Sed vide ne potius verba *quod propriam* delenda sint. — 16. *ut*] *et* E — *eum uel* (om. *et*) B — 17. *uel* (non *ut*) etiam E — *cum is, cum quibus re concinebat, urhis discrepare* Nonius p. 43. — 18. *quibus* om. B — *concineret* D — 20. *M.*] *marco* B E — 21. *testem, audiremus* Wesenberg: *testem audiremus* O — *mirati* et I, § 16 *admiraretur* Bake de emendando Ciceronis Oratore p. 37 coll. Cic. de Orat. II, § 59. — 24. *specie in ammiracionem* B; *sp. in animi racionem* E — 26. *vobisne* B; *uobisue* E — 29. *A nobis* Lambinus: *Nobis* codd. et O. Cf. var. lect. §§ 45. 73. 78. — 31. *rectionis genera* Madvigius (in adnotatione): *rectiones, genera* codd. (etiam B C) et M O — 32. *maximo orn.* D: *maximo e orn.* B; *maximo corn.* E; *maxime orn.* ceteri codd. — 34. *quid*] *quod* B E — 36. *hys* B; *his* O.

sponderem, dares, nisi et te audire nunc mallem et istis tamen alio tempore responsurus essem, tum scilicet, cum tibi.

XXIII. Atque, si verum respondere velles, Cato, haec erant dicenda: non eos tibi non probatos, tantis ingeniis homines tantaque auctoritate, sed te animadvertisse, quas res illi propter antiquitatem parum vidissent, eas a Stoicis esse perspectas, eisdemque de rebus hos cum acutius disseruisse, tum sensisse gravius et fortius, quippe qui primum valetudinem bonam expetendam negent esse, eligendam dicant, nec quia bonum sit valere, sed quia sit non nihilo aestimandum — neque tamen pluris illis videtur, qui illud non dubitant bonum dicere: — hoc vero te ferre non potuisse, quod antiqui illi quasi barbati, ut nos de nostris solemus dicere, crediderint eius, qui honeste viveret, si idem etiam bene valeret, bene audiret, copiosus esset, optabiliorem fore vitam melioremque et magis expetendam quam illius, qui aeque vir bonus multis modis essét, ut Ennii Alcmaeo,

circumventus morbo, exsilio atque inopia.

63. Illi igitur antiqui non tam acute optabiliorem illam vitam putant, praestantiorem, beatiorem, Stoici autem tantum modo praeponendam in seligendo, non quo beatior ea vita sit, sed quod ad naturam accommodatior, et, qui sapientes non sint, omnes aeque miseros esse. Stoici hoc videlicet viderunt, illos autem id fugerat superiores, homines sceleribus et parricidiis inquinatos nihilo miseriores esse quam eos, qui cum caste et integre viverent nondum perfectam illam sapientiam essent consecuti. 64. Atque hoc loco similitudines eas, quibus illi uti solent, dissimillimas proferebas. Quis enim ignorat, si plures ex alto emergere velint, propius fore eos quidem ad respirandum, qui ad summam aquam iam appropinquent, sed nihilo magis respirare posse quam eos, qui sint in profundo? Nihil igitur adiuvat procedere et progredi in virtute, quo minus miserrimus sit, ante quam ad eam pervenerit, quoniam in aqua nihil adiuvat, et quoniam catuli, qui iam dispecturi sunt, caeci aeque et ii, qui modo nati, Platonem quoque necesse est, quoniam nondum videbat sapientiam, aeque caecum animo ac Phalarim fuisse.

XXIV. 65. Ista similia non sunt, Cato: in quibus quamvis multum processeris, tamen illud in eadem causa est, a quo abesse velis, donec evaseris; nec enim ille respirat ante quam emersit, et catuli aeque caeci prius quam dispexerunt, ac si ita futuri semper essent. Illa sunt similia: Hebes acies est cuipiam oculorum, corpore alius languescit: hi

---

3. *Atque* B G: *Atqui* O — 6. *que* om. B E — *cum* B et Madvigius: *tum* ceteri codd. et O — *deseruisse* B E — 7. *qui* om. B — 8. *nec* B D: *non* O — 9. Verba interposita *neque* - - *bonum dicere* et mox *ut nos de n. solemus dicere* eicienda censet Fr. Iacobus in Philol. Schneidew. VI, p. 481 sq. — *pluris* Goerenzius: *plures quam* codd. (etiam B E); *pluris quam* O; *pluris* [*quam*] M — 13. *fore*] *esse* B — 14. *multis modis* Ciceroni tribuit O — 15. *Ennii*] *enim* B — *alemeo* B; *alemo* E — 18. *in se legendo* B E — 19. *quo b.* (non *quod b.*) etiam E — *ea* nos: *ex* B; *haec* M O. Cf. var. lect. p. 164, 23. 168, 6. — *accommodior* B C — 20. *esse* om. B — 21. *superiores* Goerenzius: *superiores qui arbitrabantur* codd.; *superiores,* [*qui arbitrabantur*] O; etiam v. *superiores* delendum censet Halmius. — 23. *illam perfectam* B — 24 *uti* om. B — 26. *quidem*] *quid est* B — *aquam iam* B: *iam aquam* O — 27. *appropinquent* B E: *appropinquant* O — *sint* B E: *sunt* O — 28. *igitur* B C D E: *ergo* O — 29. *perueniret* B (non E) — 30. *dispecturi* Lambinus: *despecturi* codd., item v. 36. — *caeco* D — 37. *Hebes*] *habes* B E G. Cf. ad p. 167, 27. — *languescit*] *nescit* B.

curatione adhibita levantur in dies: valet alter plus cotidie, alter videt. His similes sunt omnes, qui virtuti student: levantur vitiis, levantur erroribus: nisi forte censes Ti. Gracchum patrem *non* beatiorem fuisse quam filium, cum alter stabilire rem publicam studuerit, alter evertere. Nec tamen ille erat sapiens — quis enim hoc aut quando aut ubi aut unde? —, sed quia studebat laudi et dignitati, multum in virtute processerat. 66. Conferam avum tuum Drusum cum C. Graccho eius fere aequali. Quae hic rei publicae vulnera imponebat, eadem ille sanabat. Si nihil est quod tam miseros faciat quam impietas et scelus, ut iam omnes insipientes sint miseri, quod profecto sunt, non est tamen aeque miser qui patriae consulit et is, qui illam exstinctam cupit. Levatio igitur vitiorum magna fit iis, qui habent ad virtutem progressionis aliquantum. 67. Vestri autem progressionem ad virtutem fieri aiunt, levationem vitiorum fieri negant. At, quo utantur homines acuti argumento ad probandum, operae pretium est considerare. Quarum, inquit, artium summae crescere possunt, earum etiam contrariorum summa poterit augeri: ad virtutis autem summam accedere nihil potest: ne vitia quidem igitur crescere poterunt, quae sunt virtutum contraria. Utrum igitur tandem perspicuisne dubia aperiuntur an dubiis perspicua tolluntur? Atqui hoc perspicuum est, vitia alia aliis esse maiora: illud dubium, ad id, quod summum bonum dicitis, ecquaenam fieri possit accessio. Vos autem cum perspicuis dubia debeatis illustrare, dubiis perspicua conamini tollere. 68. Itaque rursus eadem ratione, qua sum paulo ante usus, haerebitis. Si enim propterea vitia alia aliis maiora non sunt, quia ne ad finem quidem bonorum eum, quem vos facitis, quicquam potest accedere, quoniam perspicuum est vitia non esse omnium paria, finis bonorum vobis mutandus est. Teneamus enim illud necesse est, cum consequens aliquod falsum sit, illud, cuius id consequens sit, non posse esse verum.

XXV. Quae est igitur causa istarum angustiarum? Gloriosa ostentatio in constituendo summo bono. Cum enim, quod honestum sit, id solum bonum esse confirmatur, tollitur cura valetudinis, diligentia rei familiaris, administratio rei publicae, ordo gerendorum negotiorum, officia vitae; ipsum denique illud honestum, in quo uno vultis esse omnia, deserendum est: quae diligentissime contra Aristonem dicuntur a Chry-

---

3. *Ti.* om. B — *graccum* B E, item v. 7. — *non* om. codd. — 4. *studierit* B — 5. Fortasse *qui enim* i. e. «qua ratione sapiens fieri potuit Gracchus pater?» Nam de aliis hic non quaeritur. — 7. *conferam* B: *Conferam autem* O; *Conferam* [*autem*] M — *tuum, M. Drusum* Goerenzius. — *eius*] *est ius* B E — 9. *ut iam*] *utinam* B — 11. *is*] *hys* B — 12. *iis*] *in iis (hys)* E (solus) M — 14. *At quo*] *ad quod* B: *ad quod quo* G — *utantur* Lambinus: *utuntur* B G; † *utuntur* M; *nituntur* O — 15. *considere* B: *confidere* E — 16. *summa ecrescere possunt* B; *summa crescere possunt* D; *summa crescere potest* O — *contrariorum* Lambinus: *contrariarum* codd. — 17. *potest*] *possunt* B — 18. *quidem*] *quid* B — 20. *alia aliis* Madvig (in adnotatione): *aliis alia* G; *alia in aliis* B M O. Cf. v. 24. — 21. *ecquaenam*] *hec que iam* B — 23. *Itaque*] *atque* B — *rursus* G et (*rusus*) Lachmannus (ad Lucret. p. 144): *usus* B; om. M O. («Vocabulum *(usus)* errore librarii e proxima sede in hunc locum translatum esse viderat qui ed. a. 1480 curavit, tum Manutius, alii, ut lusurus sit qui effecerit *rursus eadem* cet.» MADVIG.) — 26. *vitia*] *intra* B E — *omnia p.* G — 28. *cuius inconsequens* B E — 30. *istarum*] *illarum* B E — 35. *quae diligentissime* - - *illae fallaciloquentiae* Nonius Marcellus p. 113.

sippo. Ex ea difficultate illae fallaciloquae, ut ait Attius, malitiae natae sunt. 69. Quod enim sapientia pedem ubi poneret non habebat sublatis officiis omnibus, officia autem tollebantur delectu omni et discrimine remoto, quae esse *non* poterant rebus omnibus sic exaequatis, ut inter eas nihil interesset, ex istis angustiis ista evaserunt deteriora quam Aristonis. Illa tamen simplicia, vestra versuta. Roges enim Aristonem, bonane ei videantur haec, vacuitas doloris, divitiae, valetudo: neget. Quid? quae contraria sunt his, malane? nihilo magis. Zenonem roges: respondeat totidem verbis. Admirantes quaeramus ab utroque, quonam modo vitam agere possimus, si nihil interesse nostra putemus, valeamus aegrine simus, vacemus an cruciemur dolore, frigus, famem propulsare possimus necne possimus. Vives, inquit Aristo, magnifice atque praeclare; quod erit cumque visum ages, numquam angere, numquam cupies, numquam timebis. 70. Quid Zeno? Portenta [haec] esse dicit neque ea ratione ullo modo posse vivi, sed differre inter honestum et turpe nimium quantum, nescio quid immensum, inter ceteras res nihil omnino interesse. 71. Idem adhuc: audi reliqua et risum contine, si potes. Media illa, inquit, inter quae nihil interest, tamen eius modi sunt, ut eorum alia eligenda sint, alia reicienda, alia omnino neglegenda, hoc est, ut eorum alia velis, alia nolis, alia non cures. — At modo dixeras nihil in istis esse quod interesset. — Et nunc idem dico, inquiet, sed ad virtutes et ad vitia nihil interesse.

XXVI. 72. Quis istud, quaeso, nesciebat? Verum audiamus. Ista, inquit, quae dixisti, valere, locupletem esse, non dolere, bona non dico, sed dicam Graece προηγμένα, Latine autem producta — sed praeposita aut praecipua malo, sic tolerabilius et mollius —: illa autem, morbum, egestatem, dolorem, non appello mala, sed, si libet, reiectanea. Itaque illa non dico me expetere, sed legere, nec optare, sed sumere, contraria autem non fugere, sed quasi secernere. Quid ait Aristoteles reliquique Platonis alumni? Se omnia, quae secundum naturam sint, bona appellare, quae autem contra, mala. Videsne igitur Zenonem tuum cum Aristone verbis consistere, re dissidere, cum Aristotele et illis re consentire, verbis discrepare? Cur igitur, cum de re conveniat, non malumus usitate loqui? Aut doceat paratiorem me ad contemnendam pecuniam fore, si illam in rebus praepositis quam si in bonis duxero, fortioremque in patiendo dolore, si eum asperum et difficilem perpessu, si contra naturam esse, quam si malum dixero. 73. Facete M. Piso, familiaris noster, et alia multa et hoc modo Stoicos irridebat. Quid

---

1. *fallaciloquae* Manutius: *fallaciloquelae* C D; *fallaci loquele* B; *fallaciloquentiae* Nonius. Cf. de Orat. III, § 154. — *actius* B E — 2. *nati* B — 3. *delecto* B — 4. *quae esse non poterant* Madvig: *que et esse poterant* B; *quae enim esse poterant* O — 5. *istis* B: *his* M O; cf. p. 172, 30. — 8. *negetur quodque contraria* B E — 12. *prop. possumus* B — 13. *ages* B E: *agens* O — 14. *portenta esse dicis* B; *portenta dicis* C; *haec* nos seclusimus. — 15. *neque* B: *nec* O — *differre*] *dicere* B — 16. *quid immensum*] *quod inmensum sit* B E — 17. *Idem*] *id est* B — *adhuc, (audi -- si potes:) media* O — 23. *istud* B: *istuc* O — *quaeso* Lambinus: *quasi* codd. — 26. *praecipuo* B E — *sic*] *sit* B E — *mollitus* B E — 30. *alumpni* B E — 32. *consistere dissidere* (om. *re*) B — 34. *malumus* B: *malimus* O — *usitare* B E — 35. *quam si*] *quasi* B — 36. *asperum*] *asperniti* (non *asperniri*) B. Cf. § 53. — *perpessu, si* Goerenzius: *perpessi* B; *perpessu et* M O — 38. *modo* B E: *loco* M O. Cf. p. 174, 12.

enim? aiebat, bonum negas esse divitias, praepositum esse dicis: quid adiuvas? avaritiamne minuis? quo modo? Si verbum sequimur, primum longius verbum «praepositum» quam «bonum». — Nihil ad rem! — Ne sit sane: at certe gravius. Nam bonum ex quo appellatum sit, nescio, praepositum ex eo credo, quod praeponatur aliis. Id mihi magnum videtur. Itaque dicebat plus tribui divitiis a Zenone, qui eas in praepositis poneret, quam ab Aristotele, qui bonum esse divitias fateretur, sed neque magnum bonum et prae rectis honestisque contemnendum ac despiciendum, nec magno opere expetendum, omninoque de istis omnibus verbis a Zenone mutatis ita disputabat et, quae bona negarentur esse ab eo et quae mala, illa laetioribus nominibus appellari ab eo, quam a nobis, haec tristioribus. Piso igitur hoc modo, vir optimus tuique, ut scis, amantissimus. Nos paucis ad haec additis finem faciamus aliquando; longum est enim ad omnia respondere, quae a te dicta sunt.

XXVII. 74. Nam ex eisdem verborum praestigiis et regna nata vobis sunt et imperia et divitiae et tantae quidem, ut omnia, quae ubique sint, sapientis esse dicatis. Solum praeterea formosum, solum liberum, solum civem: *stultos* omnia contraria, quos etiam insanos esse vultis. Haec παράδοξα illi, nos admirabilia dicamus. Quid autem habent admirationis, cum prope accesseris? Conferam tecum quam cuique verbo rem subicias: nulla erit controversia. Omnia peccata paria dicitis. Non ego tecum iam ita iocabor, ut isdem his de rebus, cum L. Murenam te accusante defenderem. Apud imperitos tum illa dicta sunt, aliquid etiam coronae datum: nunc agendum est subtilius. 75. Peccata paria. Quonam modo? Quia nec honesto quicquam honestius nec turpi turpius. Perge porro; nam de isto magna dissensio est. Illa argumenta propria videamus, cur omnia peccata sint paria. Ut, inquit, in fidibus pluribus, si nulla earum ita contenta nervis sit, ut concentum servare possit, omnes aeque incontentae sint, sic peccata, quia discrepant, aeque discrepant: paria sunt igitur. Hic ambiguo ludimur. Aeque enim contingit omnibus fidibus, ut incontentae sint, illud non continuo, ut aeque incontentae. Collatio igitur ista te nihil iuvat; nec enim, omnes avaritias si aeque avaritias esse dixerimus, sequetur ut etiam aequas esse dicamus. 76. Ecce aliud simile dissimile. Ut enim, inquit, gubernator aeque peccat, si palearum navem evertit et si auri, item aeque peccat qui parentem et qui servum iniuria verberat. Hoc non videre, cuius generis onus navis vehat, id ad gubernatoris artem nihil pertinere! itaque aurum paleamne portet ad bene aut ad male gubernandum nihil inter-

---

2. *quo modo? Si* B: *Quod si* O — 4. *ad certe* B E — 5. *preponantur* B — 6. *a* om. E — 9. *magnopere* B E ubique — 10. *disputabant* B — 11. *ab eo esse* B — *appellari ab eo* B: *ab eo appellari* O — 13. *ut* om. B — 18. *stultos* Morelius (sed post *contraria*): *stultorum* cum Manutio O; om. codd. — 21. *Non*] *noui* B — 22. *iocabor* C D: *locabor* B; *loquar* O — *his*] *is* E; om. B — *murenate accusate* B E — 23. *aliquod et cor.* B — 24. *paria quonam* O — 27. *sint paria peccata* B — *pluribus* (non *plurimis*) etiam E — 28. *nervis* B D: *numeris* O — 29. *aeque discrepant* om. D — 30. *igitur*] *sibi* B C (*paria sunt. Igitur hic* D; *paria sunt igitur. Hoc* «alii», non is codex, e quo pleraeque lectiones desumptae sunt, in mg. Crat.) — 33. *ut etiam* B: *etiam ut* O — *aequas*] *equa* B — 35. *pectat* (non *petunt*) *qui* E — 36. *et seruum* (om. *qui*) B — 37. *nil* B E — 38. *paleamne* codd. aliquot: *paleamve* B E O — *portet* B; *praeter* E.

esse. At quid inter parentem et servulum intersit, intellegi et potest et debet. Ergo in gubernando nihil, in officio plurimum interest, quo in genere peccetur. Et si in ipsa gubernatione neglegentia est navis eversa, maius est peccatum in auro quam in palea. Omnibus enim artibus volumus attributam esse eam, quae communis appellatur prudentia, quam omnes, cuicumque artificio praesunt, debent habere. Ita ne hoc quidem modo paria peccata sunt.

XXVIII. 77. Urguent tamen et nihil remittunt. Quoniam, inquiunt, omne peccatum imbecillitatis et inconstantiae est, haec autem vitia in omnibus stultis aeque magna sunt, necesse est paria esse peccata: quasi vero aut concedatur in omnibus stultis aeque magna esse vitia et eadem imbecillitate et inconstantia L. Tubulum fuisse, qua illum, cuius is condemnatus est rogatione, P. Scaevolam, et quasi nihil inter res quoque ipsas, in quibus peccatur, intersit, ut, quo hae maiores minoresve sint, eo quae peccentur in his rebus aut maiora sint aut minora! 78. Itaque — iam enim concludatur oratio — hoc uno vitio maxime mihi premi videntur tui Stoici, quod se posse putant duas contrarias sententias optinere. Quid enim est tam repugnans quam eundem dicere, quod honestum sit, solum id bonum esse, qui dicat appetitionem rerum ad vivendum accommodatarum a natura profectam? Ita cum ea volunt retinere, quae superiori sententiae conveniunt, in Aristonem incidunt: cum id fugiunt, re eadem defendunt quae Peripatetici, verba tenent mordicus. Quae rursus dum sibi evelli ex ore nolunt, horridiores evadunt, asperiores, duriores et oratione et moribus. 79. Quam illorum tristitiam atque asperitatem fugiens Panaetius nec acerbitatem sententiarum nec disserendi spinas probavit, fuitque in altero genere mitior, in altero illustrior, semperque habuit in ore Platonem, Aristotelem, Xenocratem, Theophrastum, Dicaearchum, ut ipsius scripta declarant: quos quidem tibi studiose et diligenter tractandos magno opere censeo. 80. Sed quoniam et advesperascit et mihi ad villam revertendum est, nunc quidem hactenus, verum hoc idem faciamus saepe. Nos vero, inquit ille; nam quid possumus facere melius? et hanc quidem primam exigam a te operam, ut audias me, quae a te dicta sunt, refellentem; sed memento te, quae nos sentiamus, omnia probare, nisi quod verbis aliter utamur, mihi autem vestrorum nihil probari. Scrupulum, inquam, abeunti, sed videbimus. Quae cum essent dicta, discessimus.

---

1. *et* ante *potest* om. B — 6. *cuicumque* Madvigius: *qui cuique* codd. (etiam B C) et O — *presint* B (non E) — *quidem modo paria* Lambinus: *modo paria quidem* codd. et M O; cf. II, § 37. — 7. *sint* E — 8. *Quoniam*] *quam* B — 9. *vitia*] *sunt vicia* B — 14. *hae*] *nec* B; *ne* E — 15. *Itaque*] *atque* B (non E) — 16. *premi*] *primi* B E — 18. *enim est* B E: *est enim* alii; *enim* (om. *est*) M O — 20. *accommodare natura* B — 23. *mordicus* om. B E spatio vacuo relicto. (De E Madvigius falsus est.) — *ex ore* Manutius: *ex ordine* codd. (etiam E) et M O — *volunt* B — 32. *quid*] *quod* B E — 33. *operam - - a te* om. E — 34. *nisi* G et Manutius: *ni* ceteri codd. — *quid* B (non E) — 36. *esse dicta* B E — *Explicit liber quartus* B.

M. TULLII CICERONIS

DE

FINIBUS BONORUM ET MALORUM

LIBER QUINTUS.

I. 1. Cum audissem Antiochum, Brute, ut solebam, cum M. Pisone in eo gymnasio, quod Ptolemaeum vocatur, unaque nobiscum Q. frater et T. Pomponius Luciusque Cicero, frater noster cognatione patruelis, amore germanus, constituimus inter nos ut ambulationem postmeridianam conficeremus in Academia, maxime quod is locus ab omni turba id temporis vacuus esset. Itaque ad tempus ad Pisonem omnes. Inde vario sermone sex illa a Dipylo stadia confecimus. Cum autem venissemus in Academiae non sine causa nobilitata spatia, solitudo erat ea, quam volueramus. 2. Tum Piso, Naturane nobis hoc, inquit, datum dicam an errore quodam, ut, cum ea loca videamus, in quibus memoria dignos viros acceperimus multum esse versatos, magis moveamur, quam si quando eorum ipsorum aut facta audiamus aut scriptum aliquod legamus? Velut ego nunc moveor. Venit enim mihi Platonis in mentem, quem accepimus primum hic disputare solitum: cuius etiam illi propinqui hortuli non memoriam solum mihi afferunt, sed ipsum videntur in conspectu meo ponere. Hic Speusippus, hic Xenocrates, hic eius auditor Polemo, cuius illa ipsa sessio fuit, quam videmus. Equidem etiam curiam nostram — Hostiliam dico, non hanc novam, quae minor esse mihi videtur, postea quam est maior — solebam intuens Scipionem, Catonem, Laelium, nostrum vero in primis avum cogitare: tanta vis admonitionis inest in locis, ut non sine causa ex iis memoriae ducta sit disciplina. 3. Tum Quintus, Est plane, Piso, ut dicis, inquit; nam me ipsum huc modo venientem convertebat ad sese Coloneus ille locus, cuius incola Sophocles ob oculos versabatur, quem scis quam admirer quamque eo delecter. Me quidem ad altiorem memoriam Oedipodis huc venientis et illo mollissimo carmine, quaenam essent haec ipsa loca,

---

Incipit liber quintus marci tuly ciceronis de finibus bonorum et malorum B — 1. *audissem* B G: *audiuissem* E — *solebam* P. Victorius: *solebat* codd. et O — 2. *quod*] *quo* B — *ptholomeum* B E — *vocantur* B (non E) — 3. *T.*] *l* B E — *luciusque* B E: *et L.* M O — *cognatione*] *cogitacione* B E — 7. *sermone vario* B; *serm. uarie* E — *a dypilio* B E; *ab Dipylo* O — 11. *quam si*] *quasi quasi* B E — 14. *quem*] *quam* B E — *propinqui hortuli* B: *hortuli propinqui* O — 17. *illa ipsa* B E: *ipsa illa* M O — 18. *esse mihi* B: *mihi esse* E M O — 21. *hys* B, *his* O — 22. *piane* B E — 23. *Coloneus ille lucus* Valckenarius ad Callimach. p. 216. — 25. *quidem*] *quid* B — 26. *haec ipsa* B: *ipsa haec* O.

requirentis species quaedam commovit, inaniter scilicet, sed commovit tamen. Tum Pomponius: At ego, quem vos ut deditum Epicuro insectari soletis, sum multum equidem cum Phaedro, quem unice diligo, ut scitis, in Epicuri hortis, quos modo praeteribamus, sed veteris proverbii admonitu vivorum memini, nec tamen Epicuri licet oblivisci, si cupiam, cuius imaginem non modo in tabulis nostri familiares, sed etiam in poculis et in anulis habent.

II. 4. Hic ego, Pomponius quidem, inquam, noster iocari videtur, et fortasse suo iure. Ita enim se Athenis collocavit, ut sit paene unus ex Atticis, ut id etiam cognomen videatur habiturus. Ego autem tibi, Piso, assentior, usu hoc venire ut acrius aliquanto et attentius de claris viris locorum admonitu cogitemus. Scis enim me quodam tempore Metapontum venisse tecum neque ad hospitem ante devertisse, quam Pythagorae ipsum illum locum, ubi vitam ediderat, sedemque viderim. Hoc autem tempore, etsi multa in omni parte Athenarum sunt in ipsis locis indicia summorum virorum, tamen ego illa moveor exhedra. Modo enim fuit Carneadis: quem videre videor — est enim nota imago — a sedeque ipsa tanta ingenii magnitudine orbata desiderari illam vocem puto. 5. Tum Piso, Quoniam igitur aliquid omnes, quid Lucius noster? inquit, an eum locum libenter invisit, ubi Demosthenes et Aeschines inter se decertare soliti sunt? suo enim unus quisque studio maxime ducitur. Et ille, cum erubuisset, Noli, inquit, ex me quaerere, qui in Phalerieum etiam descenderim, quo in loco ad fluctum aiunt declamare solitum Demosthenem, ut fremitum assuesceret voce vincere. Modo etiam paulum ad dexteram de via declinavi, ut ad Pericli sepulcrum accederem. Quamquam id quidem infinitum est in hac urbe: quacumque enim ingredimur, in aliqua historia vestigium ponimus. 6. Tum Piso, Atqui, Cicero, inquit, ista studia, si ad imitandos summos viros spectant, ingeniosorum sunt, sin tantum modo ad indicia veteris memoriae cognoscenda, curiosorum. Te autem hortamur omnes, currentem quidem, ut spero, ut eos, quos novisse vis, imitari etiam velis. Hic ego, Etsi facit hic quidem, inquam, Piso, ut vides, ea, quae praecipis, tamen mihi grata hortatio tua est. Tum ille amicissime, ut solebat, Nos vero, inquit, omnes omnia ad huius adulescentiam conferamus, in primisque ut aliquid suorum studiorum philosophiae quoque impertiat, vel ut te imitetur, quem amat, vel ut illud ipsum, quod studet, facere possit ornatius. Sed utrum hortandus es nobis, Luci, inquit, an etiam tua

---

1. *inaniter* B C D E: *inanis* M O. Cf. Acad. II, § 34. — 4. *praeteriebamus* B — *ammoniti* B E — 5. *nec tamen Epicureum licet -- et in anellis habebant* Nonius Marcellus p. 70. — 6. *cuius*] *eius* B — *tabulis*] *talibus* B E — 7. *anulis* B E: *annulis* O; *anellis* D et Nonius. — 11. *usu* om. B — *venire* B E: *evenire* ceteri codd. — *ut acrius -- admonitum* (sic) *cogitemus* Nonius p. 490 sq. — *ut*] *ac* B — *aliquando* B E — 13. *devertisse* Lambinus: *diuertisse* B — 15. *sunt -- exhedra* Nonius p. 107. — 16. *exedra* M O — 17. *Carneadis* Madvigius (in adnotatione): *carneades* codd. et M; *Charmadas* Valesio auctore O — 18. *tanta* B C G: *tanti* D O — 19. *aliquod* B — 20. *libenter*] *diligenter* D — 21. *unus* B E: om. M O — 23. *ad fluctum*] *afflictum* B E — *declinare* E — 24. *assuescerit* B E — 25. *Pericli* Goerenzius: *pericy* B E; *Periclis* ceteri codd. — *sepulchrum* B E — 26. *quidem*] *quid* B E; item v. 30. — 27. *aliqua historia* B: *aliquam historiam* O — 29. *iudicia* B E — 31. *novisse vis*] *nouis seu hys* B — *imitari etiam* B E: *etiam imitari* M O — 33. *gr. h. tua est* B E: *gr. est h. tua* M O — 35. *vel ut -- quem amat* om. B — 37. *tua*] *tuta* B E.

sponte propensus es? Mihi quidem Antiochum, quem audis, satis belle videris attendere. Tum ille timide vel potius verecunde, Facio, inquit, equidem, sed audistine modo de Carneade? Rapior illuc: revocat autem Antiochus, nec est praeterea quem audiamus.

III. 7. Tum Piso, Etsi hoc, inquit, fortasse non poterit sic abire, cum hic adsit — me autem dicebat —, tamen audebo te ab hac Academia nova ad illam veterem vocare, in qua, ut dicere Antiochum audiebas, non ii soli numerantur, qui Academici vocantur, Speusippus, Xenocrates, Polemo, Crantor ceterique, sed etiam Peripatetici veteres, quorum princeps *est* Aristoteles, quem excepto Platone haud scio an recte dixerim principem philosophorum. Ad eos igitur converte te, quaeso; ex eorum enim scriptis et institutis cum omnis doctrina liberalis, omnis historia, omnis sermo elegans sumi potest, tum varietas est tanta artium, ut nemo sine eo instrumento ad ullam rem illustriorem satis ornatus possit accedere. Ab his oratores, ab his imperatores ac rerum publicarum principes exstiterunt. Ut ad minora veniam, mathematici, poëtae, musici, medici denique ex hac tamquam omnium artium officina profecti sunt. 8. Atque ego, Scis me, inquam, istud idem sentire, Piso, sed a te opportune facta mentio est; studet enim meus audire Cicero, quaenam sit istius veteris, quam commemoras, Academiae de finibus bonorum Peripateticorumque sententia. Censemus autem facillime te id explanare posse, quod et Staseam Neapolitanum multos annos habueris apud te et complures iam menses Athenis haec ipsa te ex Antiocho videamus exquirere. Et ille ridens, Age, age, inquit, — satis enim scite me nostri sermonis principium esse voluisti — exponamus adulescenti, si quae forte possumus; dat enim id nobis solitudo, quod si qui deus diceret, numquam putarem me in Academia tamquam philosophum disputaturum! sed ne, dum huic obsequor, vobis molestus sim. Mihi, inquam, qui te id ipsum rogavi? Tum, Quintus et Pomponius cum idem se velle dixissent, Piso exorsus est: cuius oratio, attende quaeso, Brute, satisne videatur Antiochi complexa esse sententiam, quam tibi, qui fratrem eius Aristum frequenter audieris, maxime probatam existimo. Sic est igitur locutus.

IV. 9. Quantus ornatus in Peripateticorum disciplina sit, satis est a me, ut brevissime potuit, paulo ante dictum; sed est forma eius disciplinae, sicut fere ceterarum, triplex. Una pars est naturae, disserendi altera, vivendi tertia. Natura sic ab iis investigata est, ut nulla pars caelo, mari, terra, ut poetice loquar, praeter-

---

1. *Antiochum quom audis* Madvigius (in adnotatione). — 2. *uel* (non *ut*) etiam E — 3. *audisti me modo* B E — *Carneade* codd.: *Charmada* O. Cf. § 4. — 5. *poteris* codd. — 7. *illam veterem* B: *veterem illam* O — 8. *non hy* B — 9. *Crantor*] *craton* B — 10. *est nos*: om. codd. et M O — 11. *conuertere te* B E — 12. *Ex* om. B (non E) — 17. *omnium* B: *ex omnium* O — 18. *artium*] *artificum* B C D — 19. *sed a te -- sententia* Nonius p. 91. — 20. *meus* om. E — 21. *Academicorum et de f.* Nonius. — 22. *autem facillime te* B: *autem te facillime* codd. dett.; *te autem facillime* O — *Staseam*] *stans eam* B E — 23. *complures*] *quam plures* B — 27. *solitudo. Quod* O — *si qui deus* Goerenzius: *si quid eos* B E; *si quis deus* M O — 28. *sed verendum ne* Lambinus. — 31. *complexam* B E — 36. *pars*] *par* B — *naturae* B (?): *natura* C E — 37. *iis*] *his* B O — 38. *ut poetice loquar*] Tria haec vocabula perquam inepte ab alio adscripta neque Ciceronis esse posse censet Bakius (ad Cic. de Legg. p. 451) coll. II, § 112.

missa sit. Quin etiam, cum de rerum initiis omnique mundo locuti essent, ut multa non modo probabili argumentatione, sed etiam necessaria mathematicorum ratione concluderent, maximam materiam ex rebus per se investigatis ad rerum occultarum cognitionem attulerunt. 10. Persecutus est Aristoteles animantium omnium ortus, victus, figuras, Theophrastus autem stirpium naturas omniumque fere rerum, quae e terra gignerentur, causas atque rationes, qua ex cognitione facilior facta est investigatio rerum occultissimarum. Disserendique ab isdem non dialectice solum, sed etiam oratorie, praecepta sunt tradita, ab Aristoteleque principe de singulis rebus in utramque partem dicendi exercitatio est instituta, ut non contra omnia semper, sicut Arcesilas, diceret, et tamen ut in omnibus rebus quicquid ex utraque parte dici posset expromeret. 11. Cum autem tertia pars bene vivendi praecepta quaereret, ea quoque est ab isdem non solum ad privatae vitae rationem, sed etiam ad rerum publicarum rectionem relata. Omnium fere civitatum non Graeciae solum, sed etiam barbariae, ab Aristotele mores, instituta, disciplinas, a Theophrasto leges etiam cognovimus. Cumque uterque eorum docuisset, qualem in re publica principem *esse* conveniret, pluribus praeterea conscripsisset, qui esset optimus rei publicae status, hoc amplius Theophrastus, quae essent in re publica rerum inclinationes et momenta temporum, quibus esset moderandum, utcumque res postularet. Vitae autem degendae ratio maxime illis quidem placuit quieta, in contemplatione et cognitione posita rerum, quae quia deorum vitae erat simillima, sapiente visa est dignissima. Atque his de rebus et splendida est eorum et illustris oratio.

V. 12. De summo autem bono quia duo genera librorum sunt, unum populariter scriptum, quod ἐξωτερικόν appellabant, alterum limatius, quod in commentariis reliquerunt, non semper idem dicere videntur, nec in summa tamen ipsa aut varietas est ulla apud hos quidem, quos nominavi, aut inter ipsos dissensio. Sed cum beata vita quaeratur idque sit unum, quod philosophia spectare et sequi debeat, sitne ea tota sita in potestate sapientis an possit aut labefactari aut eripi rebus adversis, in eo non numquam variari inter eos et dubitari videtur. Quod maxime efficit Theophrasti de beata vita liber, in quo multum admodum fortunae datur. Quod si ita se habeat, non possit beatam vitam praestare sapientia. Haec mihi videtur delicatior, ut ita dicam, molliorque ratio quam virtutis vis gravitasque postulat. Quare teneamus Aristotelem et eius filium Nicomachum, cuius accurate scripti de moribus libri dicuntur illi quidem esse Aristoteli, sed non video, cur non potuerit patris similis

---

3. *matematicorum* E; *in achademicorum* B — *ratione* om. D — 4. *Persecutus - - figuras* Nonius Marcellus p. 232. — 5. *est* om. B et Nonius. — *figuras. Theophrastus - - rationes. Qua* O — 6. *e* om. B — 7. *ex cogitacione* B — 8. *hysdem* B; *eisdem* O — 14. *isdem* B: *eisdem* O — *ad rerum - - sed etiam* om. B — 18. *esse* ed. Cratandrina: om. codd. — 19. *status - - in re publica* om. B — 20. *rerum inclinationes* B: *inclinationes rerum* O — 21. *etcumque* B E — 22. *degendae*] *eligendae* B C — *illis quidem* B: *quidem illis* M O — 23. *uite erat* B: *erat vitae* M O — 28. *videantur* E — 30. *dissio* B E — 31. *philosophiam* B — 32. *aut labef.*] *an labef.* B — 35. *vitam praestare* B: *praestare vitam* O — 39. *Aristoteli* B: *Aristotelis* O — *patris* Lambinus: *patri* codd. et M O. Cf. Cic. in Verr. III, § 160 et 162. V, § 30. Tusc. I, § 81. de Offic. I, § 121.

esse filius. Theophrastum tamen adhibeamus ad pleraque, dum modo plus in virtute teneamus, quam ille tenuit, firmitatis et roboris. 13. Simus igitur contenti his. Namque horum posteri meliores illi quidem mea sententia quam reliquarum philosophi disciplinarum, sed ita degenerant, ut ipsi ex se nati esse videantur. Primum Theophrasti Strato physicum se voluit: in quo etsi est magnus, tamen nova pleraque et perpauca de moribus. Huius Lyco oratione locuples, rebus ipsis ieiunior. Concinnus deinde et elegans huius Aristo, sed ea, quae desideratur a magno philosopho, gravitas in eo non fuit: scripta sane et multa et polita, sed nescio quo pacto auctoritatem oratio non habet. 14. Praetereo multos, in his doctum hominem et suavem, Hieronymum, quem iam cur Peripateticum appellem nescio. Summum enim bonum exposuit vacuitatem doloris: qui autem de summo bono dissentit, de tota philosophiae ratione dissentit. Critolaus imitari voluit antiquos, et quidem est gravitate proximus et redundat oratio: ac tamen *ne* is quidem in patriis institutis manet. Diodorus, eius auditor, adiungit ad honestatem vacuitatem doloris. Hic quoque suus est: de summo bono dissentiens vere Peripateticus dici non potest. Antiquorum autem sententiam Antiochus noster mihi videtur persequi diligentissime, quam eandem Aristoteli fuisse et Polemonis docet.

VI. 15. Facit igitur Lucius noster prudenter, qui audire de summo bono potissimum velit; hoc enim constituto in philosophia constituta sunt omnia. Nam ceteris in rebus sive praetermissum sive ignoratum est quippiam, non plus incommodi est quam quanti quaeque earum rerum est, in quibus neglectum est aliquid: summum autem bonum si ignoretur, vivendi rationem ignorari necesse est, ex quo tantus error consequitur, ut quem in portum se recipiant scire non possint. Cognitis autem rerum finibus cum intellegitur, quid sit et bonorum extremum et malorum, inventa vitae via est conformatioque omnium officiorum. 16. Est igitur quo quidque referatur, ex quo, id quod omnes expetunt, beate vivendi ratio inveniri et comparari potest. Quod quoniam in quo sit magna dissensio est, Carneadia nobis adhibenda divisio est, qua noster Antiochus libenter uti solet. Ille igitur vidit non modo quot fuissent adhuc philosophorum de summo bono, sed quot omnino esse possent sententiae. Negabat igitur ullam esse artem, quae ipsa a se proficisceretur; etenim semper illud extra est, quod arte comprehenditur. Nihil opus est exemplis hoc facere longius; est enim perspicuum nullam artem ipsam in se versari, sed esse aliud artem ipsam, aliud quod propositum sit arti. Quoniam igitur, ut medicina valetudinis, navigationis gubernatio, sic vivendi ars est prudentia, necesse est eam quoque ab aliqua re esse constitutam et profectam. 17. Constitit autem fere inter

---

7. *de* om. B — *Huius*] *hus* (non *his*) E — *Lyco* D: *Lysias* alii codd.; om. B, vacuo spatio relicto. — 14. *voluit antiquos* B: *antiquos voluit* O — 15. *ac tamen* B: *Attamen* O — *ne* Bremius: om. codd. et O — 17. *summo* B: *summoque* M O — 18. *dici uere peripatheticus dici non p.* B; *dici vere P. non p.* M O — 19. *Aristoteli* B: *Aristotelis* O — 24. *earum*] *carum* E — 25. *rerum* om. B E (falsus est Madvigius in Add. p. 637) — *aliquod* B — 27. *possunt* B E — 28. *quid* codd. plerique: *quod* B O — 29. *vitae via* codd. plerique: *et uia una* B; *et vitae via* cum Goerenzio O — *Est*] *Cum* B — 30. *quidque* codd. plerique: *quodque* B O — 33. *quot -- quot*] *quod -- quod* B E — 35. *a* om. B.

omnes id, in quo prudentia versaretur et quod assequi vellet, aptum et accommodatum naturae esse oportere et tale, ut ipsum per se invitaret et alliceret appetitum animi, quem ὁρμήν Graeci vocant. Quid autem sit, quod ita moveat itaque a natura in primo ortu appetatur, non constat, deque eo est inter philosophos, cum summum bonum exquiritur, omnis dissensio. Totius enim quaestionis eius, quae habetur de finibus bonorum et malorum, cum quaeritur in his quid sit extremum, quid ultimum, fons reperiendus est, in quo sint prima invitamenta naturae, quo invento omnis ab eo quasi capite de summo bono et malo disputatio ducitur.

VII. 18. Voluptatis alii primum appetitum putant et primam depulsionem doloris: vacuitatem doloris alii censent primum ascitam et primum declinatum dolorem: ab iis alii, quae prima secundum naturam nominant, proficiscuntur, in quibus numerant incolumitatem conservationemque omnium partium, valetudinem, sensus integros, doloris vacuitatem, viris, pulchritudinem, cetera generis eiusdem, quorum similia sunt prima in animis quasi virtutum igniculi et semina. Ex his tribus cum unum aliquid sit, quo primum natura moveatur vel ad appetendum vel ad repellendum, nec quicquam omnino praeter haec tria possit esse, necesse est omnino officium aut fugiendi aut sequendi ad eorum aliquid referri, ut illa prudentia, quam artem vitae esse diximus, in earum trium rerum aliqua versetur, a qua totius vitae ducat exordium. 19. Ex eo autem, quod statuerit esse, quo primum natura moveatur, exsistet recti etiam ratio atque honesti, quae cum aliquo uno ex tribus illis congruere possit, ut aut id honestum sit, facere omnia voluptatis causa, etiam si eam non consequare, aut non dolendi, etiam si id assequi nequeas, aut eorum, quae secundum naturam sunt, adipiscendi, etiam si nihil consequare. Ita fit ut, quanta differentia est in principiis naturalibus, tanta sit in finibus bonorum malorumque dissimilitudo. Alii rursum isdem a principiis omne officium referent aut ad voluptatem aut ad non dolendum aut ad prima illa secundum naturam obtinenda. 20. Expositis iam igitur sex de summo bono sententiis, trium proximarum hi principes: voluptatis Aristippus, non dolendi Hieronymus, fruendi rebus iis, quas primas secundum naturam esse diximus, Carneades non ille quidem auctor, sed defensor disserendi causa fuit. Superiores tres erant quae esse possent, quarum est una sola defensa, eaque vehementer. Nam voluptatis causa facere omnia, cum

---

2. *invitaret*] *mutaret* E — *et* non om. E — 4. *itaque*] *atque* B (non E) — 7. *quid ultimum* cod. Spirensis: *et quid ultimum* B; *et ultimum* ceteri codd. — 8. *sint*] *sunt* E — 9. *quasi* om. B — 12. *vacuitatem doloris* B: om. O — *ascitam* G et Madvigius: *assertum* B C; *ascitum* ceteri codd.; *ascitum, non dolere* cum Ursino O — 13. *hys* B; *his* O — 14. *numerat* B E — 18. *aliquid* Wesenberg: *aliquod* codd. et O — *prima* B — *uel* (non *ut*) *appetendum* (om. *ad*) B E — 19. *possint* B — 20. *ad*] *aut* B — *aliquod* B E O — 21. *esse* om. B — *dixerimus* B — 25. *aut id* B: om. O — *voluptatis* nos: *aut voluptatis* codd. et O; [*aut*] *voluptatis* M — 26. *etiam si id*] *aut si id* B — 27. *etiam si nihil consequare* B E (sed male additis verbis *aut nihil dolendi*): om. ceteri codd.; *etiam si non adipiscare* (cum ed. a. 1480) O — 30. *rursum* B: *rursus* O — *referent* B: *referunt* O — 31. *ad non dolendum*] *non dolendi* B — 32. *iam igitur* B: *igitur iam* E (de quo Madvigius falsus est); [*iam*] *igitur* M — 33. *proximare* B E.

etiam si nihil consequamur, tamen ipsum illud consilium ita faciendi per se expetendum et honestum et solum bonum sit, nemo dixit. Ne vitationem quidem doloris ipsam per se quisquam in rebus expetendis putavit, nisi etiam evitare posset. At vero facere omnia, ut adipiscamur quae secundum naturam sint, etiam si ea non assequamur, id esse et honestum et solum per se expetendum et solum bonum Stoici dicunt.

VIII. 21. Sex igitur hae sunt simplices de summa bonorum malorumque sententiae, duae sine patrono, quattuor defensae. Iunctae autem et duplices expositiones summi boni tres omnino fuerunt, nec vero plures, si penitus rerum naturam videas, esse potuerunt. Nam aut voluptas adiungi potest ad honestatem, ut Calliphonti Dinomachoque placuit, aut doloris vacuitas, ut Diodoro, aut prima naturae, ut antiquis, quos eosdem Academicos et Peripateticos nominamus. Sed quoniam non possunt omnia simul dici, haec in praesentia nota esse debebunt, voluptatem semovendam esse, quando ad maiora quaedam, ut iam apparebit, nati sumus. De vacuitate doloris eadem fere dici solent quae de voluptate. 22. Nec vero alia sunt quaerenda contra Carneadiam illam sententiam. Quocumque enim modo summum bonum sic exponitur, ut id vacet honestate, nec officia nec virtutes in ea ratione nec amicitiae constare possunt. Coniunctio autem cum honestate vel voluptatis vel non dolendi id ipsum honestum, quod amplecti vult, id efficit turpe. Ad eas enim res referre quae agas, quarum una, si quis malo careat, in summo eum bono dicat esse, altera versetur in levissima parte naturae, obscurantis est omnem splendorem honestatis, ne dicam inquinantis. Restant Stoici, qui, cum a Peripateticis et Academicis omnia transtulissent, nominibus aliis easdem res secuti sunt. Hos contra singulos dici est melius: sed nunc, quod agimus, de illis, cum volemus. 23. Democriti autem securitas, quae est animi tamquam tranquillitas, quam appellavit εὐθυμίαν, eo separanda fuit ab hac disputatione, quia ista animi tranquillitas ea est ipsa beata vita: quaerimus autem, non quae sit, sed unde sit. Iam explosae eiectaeque sententiae Pyrrhonis, Aristonis, Erilli, quod in hunc orbem, quem circumscripsimus, incidere non possunt, adhibendae omnino non fuerunt. Nam cum omnis haec quaestio de finibus et quasi de extremis bonorum et malorum ab eo proficiscatur, quod diximus naturae esse aptum et accommodatum, quodque ipsum per se primum appetatur, hoc totum et ii tollunt, qui in rebus iis, in quibus nihil

---

2. *et* ante *solum* om. B — *dixit* B: *dicit* M O — 4. *putavit*] *putant* B — *nisi* Ursinus: *ne si* codd. Cf. var. lect. § 55. — 5. *sunt* B O — 7. *hee* B E — *de summo* C — 8. *quatuor defense quatuor* B — 9. *tres*] *teres* B E — 11. *Calliphonti* Schuetzius: *calliphoin* B E; *calliphoni* ceteri codd. — 13. *nominauimus* E — 16. *fere*] *vere* B — *quae de voluptate*] Post haec verba omnes codd. addunt (etiam O, sed cum uncis): *Quoniam (Quando* B E) *igitur et de uoluptate cum Torquato et de honestate, in qua una omne bonum poneretur, cum Catone est disputatum, primum, quae contra uoluptatem dicta sunt, eadem fere cadunt contra uacuitatem doloris.* Vetus additamentum primus notavit Nissenius. — 21. *id* (post *vult*) B: om. O — 23. *dicat* B: *dicas* (cum Gud. sec.) O — 27. *quod*] *quid* B E — 28. *animi tranquillitas tamquam quam* B — *appellavit*] *appellant* B. Cf. v. 4. — *εὐθυμίαν eo*] *enthuman eo* B E (*eo* igitur non om. E) — 30. *ea est ipsa* B: *ipsa est* (om. *ea*) O — *sint* -- *sint* B — 31. *eiectaeque* non om. E — *erilli* B E: *Herilli* M O. Cf. II, § 35. — 34. *quod*] *quid* B E — *diximus* B: *dicimus* O.

aut honestum aut turpe sit, negant esse ullam causam, cur aliud alii anteponatur, nec inter eas res quicquam omnino putant interesse, et Erillus, si ita sensit, nihil esse bonum praeter scientiam, omnem consilii capiendi causam inventionemque officii sustulit. Sic exclusis sententiis reliquorum, cum praeterea nulla esse possit, haec antiquorum valeat necesse est. Ergo instituto veterum, quo etiam Stoici utuntur, hinc capiamus exordium.

IX. 24. Omne animal se ipsum diligit ac, simul et ortum est, id agit, ut se conservet, quod hic ei primus ad omnem vitam tuendam appetitus a natura datur, se ut conservet, atque ita sit affectum, ut optime secundum naturam affectum esse possit. Hanc initio institutionem confusam habet et incertam, ut tantum modo se tueatur, qualecumque sit, sed nec quid sit nec quid possit nec quid ipsius natura sit intellegit. Cum autem processit paulum et, quatenus quidque se attingat ad seque pertineat, perspicere coepit, tum sensim incipit progredi seseque agnoscere et intellegere, quam ob causam habeat eum, quem diximus, animi appetitum, coeptatque et ea, quae naturae sentit apta, appetere et propulsare contraria. Ergo omni animali illud, quod appetit, positum est in eo, quod naturae est accommodatum. Ita finis bonorum exsistit secundum naturam vivere sic affectum, ut optime affici possit ad naturamque accommodatissime. 25. Quoniam autem sua cuiusque animantis natura est, necesse est finem quoque omnium hunc esse, ut natura expleatur — nihil enim prohibet quaedam esse et inter se animalibus reliquis et cum bestiis homini communia, quoniam omnium est natura communis —, sed extrema illa et summa, quae quaerimus, inter animalium genera distincta et dispertita sint et sua cuique propria et ad id apta, quod cuiusque natura desideret. 26. Quare cum dicimus omnibus animalibus extremum esse secundum naturam vivere, non ita accipiendum est, quasi dicamus unum esse omnium extremum, sed ut omnium artium recte dici potest commune esse, ut in aliqua scientia versentur, scientiam autem suam cuiusque artis esse, sic commune animalium omnium secundum naturam vivere, sed naturas esse diversas, ut aliud equo sit e natura, aliud bovi, aliud homini, et tamen in omnibus summa communis, et quidem non solum in animalibus, sed etiam in rebus omnibus iis, quas natura alit, auget, tuetur: in quibus videmus ea, quae gignuntur e terra, multa quodam modo efficere ipsa sibi per se, quae ad vivendum crescendumque valeant, ut suo genere perveniant ad extremum, ut iam liceat una comprehensione omnia complecti non dubi-

1. *aut* (ante *hon.*) Lambinus: *quod non aut* codd. (etiam E); [*quod*] *aut* O — 2. *quicquid omn.* B — 3. *erillus* B: *Herillus* M O. Conf. p. 182, 31. — 6. *Ergo*] *igitur* B C — 8. *simul et* B: *simul* [*et*] M; *simul ut* O. Cf. II, § 33. — 9. *primus* (non *primum*) etiam E — 11. *institutionem* B C D: *constitutionem* O. Cf. IV, § 32 et 41. — 13. *intelligit. Quam ad causam habet eum quem diximus. Cum* E ex v. 16. — 14. *quidque* nos: *quicquid* codd. et M O. Cf. var. lect. IV, § 13. — *que* om. E — 15. *sensim*] *sensum* B; *sensu* E — 16. *ob*] *ad* B — *habeat* Lambinus: *habet* codd. — 17. *coepletque* E — 21. *que* om. B (non E) — 22. *expleatur. Nihil* - - *communis. Sed* O — 26. *dispartita* B E — *sint* - - *desideret* B: *sunt* - - *desiderat* O — 28. *esse* om. B E (Madvigius falsus est) — 30. *uersentur* B: *versetur* O — 33. *e* B: om. O. Cf. p. 191, 22. — 35. *alet* B — *auget* om. B (non E) — 37. *ut suo* Madvigius: *et suo* codd. et O. Cf. var. lect. p. 184, 2. — 38. *dubitantemque* (non *dubitemque*) B E: *dubitanterque* cum Goerenzio O.

tantemque dicere, omnem naturam esse servatricem sui idque habere propositum quasi finem et extremum, se ut custodiat quam in optimo sui generis statu, ut necesse sit omnium rerum, quae natura vigeant, similem esse finem, non eundem. Ex quo intellegi debet homini id esse in bonis ultimum, secundum naturam vivere, quod ita interpretemur, vivere ex hominis natura undique perfecta et nihil requirente. 27. Haec igitur nobis explicanda sunt, sed si enodatius, vos ignoscetis; huius enim aetati et huic nunc haec primum fortasse audienti servire debemus. Ita prorsus, inquam: etsi ea quidem, quae adhuc dixisti, quamvis ad aetatem recte isto modo dicerentur.

X. Exposita igitur, inquit, terminatione rerum expetendarum, cur ista se res ita habeat, ut dixi, deinceps demonstrandum est. Quam ob rem ordiamur ab eo, quod primum posui, quod idem reapse primum est, ut intellegamus omne animal se ipsum diligere. Quod quamquam dubitationem non habet — est enim infixum in ipsa natura comprehenditurque suis cuiusque sensibus, sic, ut, contra si quis dicere velit, non audiatur —, tamen, ne quid praetermittamus, rationes quoque, cur hoc ita sit, afferendas puto. 28. Etsi qui potest intellegi aut cogitari esse aliquod animal, quod se oderit? res enim concurrent contrariae. Nam cum appetitus ille animi aliquid ad se trahere coeperit consulto, quod sibi obsit, quia sit sibi inimicus, cum id sua causa faciet, et oderit se et simul diliget, quod fieri non potest. Necesseque est, si quis ipse sibi inimicus est, eum quae bona sunt mala putare, bona contra quae mala, et quae appetenda fugere et quae fugienda appetere, quae sine dubio vitae est eversio. Neque enim, si non nulli reperiuntur, qui aut laqueos aut alia exitia quaerant, aut, ut ille apud Terentium, qui «decrevit tantisper se minus iniuriae suo nato facere», ut ait ipse, «dum fiat miser», inimicus ipse sibi putandus est. 29. Sed alii dolore moventur, alii cupiditate, iracundia etiam multi efferuntur, et cum in mala scientes irruunt, tum se optime sibi consulere arbitrantur. Itaque dicunt nec dubitant:

Mihi sic est usus, tibi ut opus est facto, face.

Qui ipsi sibi bellum indixissent, cruciari dies, noctes torqueri vellent, nec vero sese ipsi accusarent ob eam causam, quod se male suis rebus

---

1. *seruatricem* B: *conservatricem* O — 2. *et*] *ut* B (non E) — *quam in* codd.: *in quam* cum Cratandro O — 3. *natura al'* (non *uel*) *ingerat uigeant* E; *natura al' ingerat* (om. *vigeant*) B — 4. *non*) *et* B — 7. *Haec igitur* - - *aetati* Nonius Marcellus p. 15. — 8. *cuius aetati* (om. *enim*) Nonius. — *Huius enim aetati, nunc* - - *audientis, servire* Madvigius in commentario. — *haec* Aldus nepos: *hic* B; *hoc* O — *audiendi* B E — 11. *inquit* om. B E — 12. *se*] *si* B (non E) — 13. *re ab se* B E — 14. *diligi* B — 15. *natura comprehenditurque* Cratander: *natura comprehenditur* codd. Fort. *natura ac comprehenditur*; cf. IV, § 17. — 18. *qui*] *quid* B — 19. *occurrent* D — 20. *cum*] *cur* B — 22. *diligit* B — *necesseque est* B E (*est* non om. E): *necesse est quidem* O — *ipse* Ernestius: *ipsi* codd. Cf. v. 28. 33. p. 185, 5. — 23. *est* om. E — *contraque mala* B E — 24. *fugienda petere* B — 25. *est* Madvigius: *sunt* codd. et O — 26. «Deleto *ut* omnia recta erunt: *Neque enim, si* - - *quaerant, aut ille apud Terentium* cet.» MADVIG. — 27. *tantisper se*] *tantum per se* B E — *nato* codd. plerique: *noto* (non *nodo*) B E; *gnato* O — *ut ait, ipse dum* cum Bremio O — 28. *ipsi sibi* E — *est* om. E — 32. *est usus* B et Terentius (Heautont. I, 1, 28): *usus est* M O — *face. Qui* Madvigius: *fac Equi* B; *face: uelut qui* O — 33. *sibi*] *si* B — 34. *quod se* codd.: *quod sese* O.

consuluisse dicerent; eorum enim est haec querella, qui sibi cari sunt seseque diligunt. Quare, quotienscumque dicetur male quis de se mereri sibique inimicus esse atque hostis, vitam denique fugere, intellegatur aliquam subesse eius modi causam, ut ex eo ipso intellegi possit sibi quemque esse carum. 30. Nec vero id satis est, neminem esse qui ipse se oderit, sed illud quoque intellegendum est, neminem esse qui, quo modo se habeat, nihil sua censeat interesse. Tolletur enim appetitus animi, si, ut in iis rebus, inter quas nihil interest, neutram in partem propensiores sumus, item in nobismet ipsis, quem ad modum affecti simus, nihil nostra arbitrabimur interesse.

XI. Atque etiam illud, si qui dicere velit, perabsurdum sit, ita diligi a sese quemque, ut ea vis diligendi ad aliam rem quampiam referatur, non ad eum ipsum, qui sese diligat. Hoc cum in amicitiis, cum in officiis, cum in virtutibus dicitur, quomodocumque dicitur, intellegi tamen, quid dicatur, potest, in nobismet ipsis autem *ne* intellegi quidem, *ut* propter aliam quampiam rem, verbi gratia propter voluptatem, nos amemus; propter nos enim illam, non propter eam nosmet ipsos diligimus. 31. Quamquam quid est, quod magis perspicuum sit quam non modo carum sibi quemque, verum etiam vehementer carum esse? quis est enim aut quotus quisque, cui, mors cum appropinquet, non

refugiat timido sanguen atque exalbescat metu?

Etsi hoc quidem est in vitio, dissolutionem naturae tam valde perhorrescere — quod item est reprehendendum in dolore —, sed quia fere sic afficiuntur omnes, satis argumenti est ab interitu naturam abhorrere, idque quo magis quidam ita faciunt, ut iure etiam reprehendantur, hoc magis intellegendum est haec ipsa nimia in quibusdam futura non fuisse, nisi quaedam essent modica natura. Nec vero dico eorum metum mortis, qui, quia privari se vitae bonis arbitrentur aut quia quasdam post mortem formidines extimescant aut si metuant, ne cum dolore moriantur, idcirco mortem fugiant: in parvis enim saepe, qui nihil eorum cogitant, si quando iis ludentes minamur praecipitaturos alicunde, extimescunt. Quin etiam ferae, inquit Pacuvius,

quibus abest ad praecavendum intellegendi astutia,

iniecto terrore mortis horrescunt. 32. Quis autem de ipso sapiente aliter existimat, quin, etiam cum decreverit esse moriendum, tamen

---

1. *querela* B O — 2. *quis de se* B: *de se quis* O — 3. *inimicus esse* B: *esse inimicus* O — 4. *possint* B E — 5. *id satis est* Manutius: *id satis* B; *satis est id* O — 8. *si, ut*] *sed ut* B — *interest*] *est* B — 9. *sumus* Lambinus: *simus* codd. — 10. *sumus* E — 11. *si quid d.* B E; *si quis d.* M O — *velit absurdum* B — 13. *ipsum*] *ipse* B — 14. *quoquomodocumque* B — 15. *ipsis autem* B: *autem ipsis* O — *ne intellegi quidem, ut* Manutius: *intellegi quidem* (*quid* B) codd. (om. *ne* et *ut*) — 17. *not* (sic) *propter* E — 19. *quam* G et Manutius: om. B O — 20. *quotus quisque est cui - - exalbescat metu* Nonius Marcellus p. 224. — 21. *fugiat* Nonius — *sanguen* Nonius: *sanguis* codd. Tulliani — 22. *quid est* B — 23. «Pro *quod item* videri possit scribendum *quod idem* (ut III, 50); eiusdem enim rei magis quam eiusdem modi reprehensionem significat, nimii horroris.» MADVIG. — *sed*] *sic* B — 24. *satis* om. B — 25. *quidam*] *quia* B — *reprehendatur hic* B E — 27. *modica natura essent* B — 30. *in parvis - - extimescunt*] «hoc est: in parvis saepe fit ut extimescant.» MADV. — 31. *iis*] *hys* B, *his* O — *aliunde* B — *extumescunt* B E — 33. *quibus* cum Bremio a versu seiunxit O — *astucias iniecto* B; *astutia, sibi iniecto* O — 34. *horrescent* B; *horrescente* E — 35. *quin* B C: *qui* O — *tamen*] *cum* B.

discessu a suis atque ipsa relinquenda luce moveatur? Maxime autem in hoc quidem genere vis est perspicua naturae, cum et mendicitatem multi perpetiantur, ut vivant, et angantur appropinquatione mortis confecti homines senectute et ea perferant, quae Philoctetam videmus in fabulis: qui cum cruciaretur non ferendis doloribus, propagabat tamen vitam aucupio, «configebat tardus celeres, stans volantes,» ut apud Attium est, pennarumque contextu corpori tegumenta faciebat. 33. De hominum genere aut omnino de animalium loquor, cum arborum et stirpium eadem paene natura sit? Sive enim, ut doctissimis viris visum est, maior aliqua causa atque divinior hanc vim ingenuit, sive hoc ita fit fortuito, videmus ea, quae terra gignit, corticibus et radicibus valida servari, quod contingit animalibus sensuum distributione et quadam compactione membrorum. Qua quidem de re quamquam assentior iis, qui haeç omnia regi natura putant, quae si natura neglegat, ipsa esse non possint: tamen concedo ut, qui de hoc dissentiunt, existiment quod velint ac vel hoc intellegant, si quando naturam hominis dicam, hominem dicere me: nihil enim hoc differt. Nam prius a se poterit quisque discedere quam appetitum earum rerum, quae sibi conducant, amittere. Iure igitur gravissimi philosophi initium summi boni a natura petiverunt et illum appetitum rerum ad naturam accommodatarum ingeneratum putaverunt omnibus, quia continentur ea commendatione naturae, qua se ipsi diligunt.

XII. 34. Deinceps videndum est, quoniam satis apertum est sibi quemque natura esse carum, quae sit hominis natura; id est enim, de quo quaerimus. Atqui perspicuum est hominem e corpore animoque constare, cum primae sint animi partes, secundae corporis. Deinde id quoque videmus, et ita figuratum corpus, ut excellat aliis, *et* animum ita constitutum, ut et sensibus instructus sit et habeat praestantiam mentis, cui tota hominis natura pareat, in qua sit mirabilis quaedam vis rationis et cognitionis et scientiae virtutumque omnium. Nam quae corporis sunt, ea nec auctoritatem cum animi partibus comparandam et cognitionem habent faciliorem. Itaque ab his ordiamur. 35. Corporis igitur nostri partes totaque figura et forma et statura quam apta ad naturam sit apparet, neque est dubium quin frons, oculi, aures et reliquae partes quales propriae sint hominis intellegatur. Sed certe opus est ea valere et vigere et naturales motus ususque habere, ut nec absit quid eorum nec aegrum debilitatumve sit; id enim natura desiderat. Est autem etiam actio quaedam corporis, quae motus et status naturae congruentes tenet: in quibus si peccetur distortione et depravatione quadam ac motu statuve deformi, ut si aut manibus ingrediatur quis aut

2. *cum etiam mend.* B — 3. *et agant adpropinquacione* B; *et agant ad apropinquacione* (sic) E — 4. *perforant* B E — 6. *aucupio* B: *aucupio sagittarius* G; *aucupio sagittarum* O — 7. *pinnarumque* O — 8. *aut* om. B — 11. *fit*] *sit* B — *fortuitu* B O — *videmus* Marsus: *uideamus* codd. — 13. *quidem*] *quid* B E — 15. *possit* B — 16. *quando*] *quid* B — 17. *hoc* om. O — 21. *putauerim* B E — *quia* Davisius: *qui* codd. et O — 26. *secundae*] *sedere* B — *id*] *ad* B E — 27. *aliis* -- *constitutum* om. E — *et animum* nos: *animum* B; *animumque* M O — 35. *sint* Lambinus (in curis secundis): *sunt* codd. et O — 37. *dubitatumus* B — 38. *autem* B D: om. O.

non ante, sed retro, fugere plane se ipse et hominem exuens ex homine naturam odisse videatur. Quam ob rem etiam sessiones quaedam et flexi fractique motus, quales protervorum hominum aut mollium esse solent, contra naturam sunt, ut, etiam si animi vitio id eveniat, tamen in corpore immutari hominis natura videatur. 36. Itaque e contrario moderati aequabilesque habitus, affectiones ususque corporis apti esse ad naturam videntur. Iam vero animus non esse solum, sed etiam cuiusdam modi debet esse, ut et omnis partis suas habeat incolumis et de virtutibus nulla desit. Atque in sensibus est sua cuiusque virtus, ut ne quid impediat, quo minus suo sensus quisque munere fungatur in iis rebus celeriter expediteque percipiendis, quae subiectae sunt sensibus. XIII. Animi autem et eius animi partis, quae princeps est quaeque mens nominatur, plures sunt virtutes, sed duo prima genera: unum earum, quae ingenerantur suapte natura appellanturque non voluntariae, alterum autem earum, quae in voluntate positae magis proprio nomine appellari solent, quarum est excellens in animorum laude praestantia. Prioris generis est docilitas, memoria: quae fere omnia appellantur uno ingenii nomine, easque virtutes qui habent ingeniosi vocantur. Alterum autem genus est magnarum verarumque virtutum, quas appellamus voluntarias, ut prudentiam, temperantiam, fortitudinem, iustitiam et reliquas eiusdem generis.

37. Et summatim quidem haec erant de corpore animoque dicenda, quibus quasi informatum est, quid hominis natura postulet: ex quo perspicuum est, quoniam ipsi a nobis diligamur omniaque et in animo et in corpore perfecta velimus esse, ea nobis ipsa cara esse propter se et in iis esse ad bene vivendum momenta maxima. Nam cui proposita sit conservatio sui, necesse est huic partes quoque sui caras esse carioresque, quo perfectiores sint et magis in suo genere laudabiles. Ea enim vita expetitur, quae sit animi corporisque expleta virtutibus, in eoque summum bonum poni necesse est, quando quidem id tale esse debet, ut rerum expetendarum sit extremum. Quo cognito dubitari non potest quin, cum ipsi homines sibi sint per se et sua sponte cari, partes quoque et corporis et animi et earum rerum, quae sunt in utriusque motu et statu, sua caritate colantur et per se ipsae appetantur. 38. Quibus expositis facilis est coniectura, ea maxime esse expetenda ex nostris, quae plurimum habent dignitatis, ut optimae cuiusque partis, quae per se expetatur, virtus sit expetenda maxime. Ita fiet ut animi virtus corporis virtuti anteponatur animique virtutes non voluntarias vincant virtutes voluntariae, quae quidem proprie virtutes appellantur multumque excellunt, propterea quod ex ratione gignuntur, qua nihil est in homine

1. *hominem exuens ex homine* B: *hominem ex homine exuens* celeri codd.; *exuens hominem ex homine* cum Goerenzio O — 5. *mutari* B — 6. *apti* B D: *apta* O — 8. *cuiusdam*] *cuius* B — *esse debet* O — *suas* non om. E — 9. *atque* B E: *atqui* O — *ut* om. B — 12. *partis, quae*] *partique* B E — 14. *alterum* - - *voluntate* om. B (non E) — 15. *autem* E G: om. M O — 16. *exc. maiorum* E — 19. *qua appellās* B; *qua appellans* E — 20. *ut*] *et* B — *generis eiusdem* B — 23. *quid* Bremius: *quod* codd. et O — 24. *et animo et corpore* B — 26. *hys* B, *his* O — *momenta* om. B — 28. *quo*] *duo* B E — 30. *quidem*] *quid* B E — 34. *sua ecaritate* B — 35. *adpetenda* M typothetae errore — *ex*] *a* B — 36. *habeant* Ernestius.

divinius. Etenim omnium rerum, quas et creat natura et tuetur, quae aut sine animo sunt aut *non* multo secus, earum summum bonum in corpore est, ut non inscite illud dictum videatur in sue, animum illi pecudi datum pro sale, ne putisceret. XIV. Sunt autem bestiae quaedam, in quibus inest aliquid simile virtutis, ut in leonibus, ut in canibus, ut in equis, in quibus non corporum solum, ut in suibus, sed etiam animorum aliqua ex parte motus quosdam videmus. In homine autem summa omnis animi est et in animo rationis, ex qua virtus est, quae rationis absolutio definitur, quam etiam atque etiam explicandam putant.

39. Earum etiam rerum, quas terra gignit, educatio quaedam et perfectio est non dissimilis animantium. Itaque et vivere vitem et mori dicimus arboremque et novellam et vetulam et vigere et senescere. Ex quo non est alienum, ut animantibus, sic illis et apta quaedam ad naturam putare et aliena, earumque augendarum et alendarum quandam cultricem esse, quae sit scientia atque ars agricolarum, quae circumcidat, amputet, erigat, extollat, adminiculet, ut, quo natura ferat, eo possint ire, ut ipsae vites, si loqui possint, ita se tractandas tuendasque esse fateantur. Et nunc quidem, quod eam tuetur, ut de vite potissimum loquar, est id extrinsecus; in ipsa enim parum magna vis inest, ut quam optime se habere possit, si nulla cultura adhibeatur. 40. At vero si ad vitem sensus accesserit, ut appetitum quendam habeat et per se ipsa moveatur, quid facturam putas? an ea, quae per vinitorem antea consequebatur, per se ipsa curabit? Sed videsne accessuram ei curam, ut sensus quoque suos eorumque omnem appetitum et si qua sint adiuncta ei membra tueatur? Sic ad illa, quae semper habuit, iunget ea, quae postea accesserint, nec eundem finem habebit, quem cultor eius habebat, sed volet secundum eam naturam, quae postea ei adiuncta est, vivere. Ita similis erit ei finis boni atque antea fuerat, neque idem tamen: non enim iam stirpis bonum quaeret, sed animalis. Quid? si non sensus modo ei sit datus, verum etiam animus hominis, non necesse est et illa pristina manere, ut tuenda sint, et haec multo esse cariora, quae accesserint, animique optimam quamque partem carissimam, in eaque expletione naturae summi boni finem consistere, cum longe mul-

---

2. *sunt* Ernestius: *sint* codd. et O — *non* Manutius: om. codd. — *eorum* codd. — 3. *non inscite -- ne putisceret* Nonius Marcellus pag. 161. — *animam -- datam* cum Lambino O — 4. *putisceret* Nonius: *putesceret* Madvigius in adnotatione (coll. Tusc. Disp. I, § 102. de natura deorum II, § 160); *putresceret* codd. — 5. *aliquod* B E — *ut in canibus, ut in equis* ed. prima: *ut in canibus, in equis* B; *in canibus, in equis* O. Cf. III, § 51. — 12. *vitem*] *et vigere* D — 13. *vetulam*] *vetulam dicimus* B — 14. *animalibus* B — 16. *circumdat* B — 17. *adminiculet* B: *adminiculetur* M O — *possint* Davisius: *possit* codd. — 18. *possint* Manutius: *possent* codd. (etiam E) — 19. *de vite*] *debite* B E (*de vite*, non *uiti*, mg. E) — 20. *id* om. B — *parum*] *partim* B E — *inest* B: *est* O — 23. *ipsa* Cratander: *ipsam* codd. et O — *quod fact.* B E — *antea*] *ante* B — 24. *ipsa* Cratander: *ipsam* codd. (etiam E) et O — 25. *ut sensus*] *et sensus* B E — *omnem* B C D: *omnium* O — *adiuncta ei membra* B: *ei membra adiuncta* O — 28. *eam*] *eius* B — *est* Madvigius: *sit* codd. et O — 29. *ei* Goerenzius: *et* codd. — 30. *Quid si* B: *Quod si* O — 31. *modo sensus non* B E — *datus sit* B — *etiam animus*] *animus est etiam animus* B; *etiam animus, et animus* cum Victorio O — *hominis? non* M. Cf. Verr. V, § 84. — 32. *ut*] *ad* B — *tuenda sint et haec* Orellius: *tuendas inter haec* B et P Madvigii; *tuenda inter haec* ceteri codd.

tumque praestet mens atque ratio? † Sicque extremum omnium appetendorum atque ductum a prima commendatione naturae multis gradibus adscendit, ut ad summum perveniret, quod cumulatur ex integritate corporis et ex mentis ratione perfecta.

XV. 41. Cum igitur ea sit, quam exposui, forma naturae, si, ut initio dixi, simul atque ortus esset, se quisque cognosceret iudicareque posset, quae vis et totius esset naturae et partium singularum, continuo videret, quid esset hoc, quod quaerimus, omnium rerum, quas expetimus, summum et ultimum, nec ulla in re peccare posset: nunc vero a primo quidem mirabiliter occulta natura est nec perspici nec cognosci potest. Progredientibus autem aetatibus sensim tardeve potius quasi nosmet ipsos cognoscimus. Itaque prima illa commendatio, quae a natura nostri facta est nobis, incerta et obscura est, primusque appetitus ille animi tantum agit, ut salvi atque integri esse possimus. Cum autem dispicere coepimus et sentire, quid simus et quid ab animantibus ceteris differamus, tum ea sequi incipimus, ad quae nati sumus. 42. Quam similitudinem videmus in bestiis, quae primo, in quo loco natae sunt, ex eo se non commovent, deinde suo quaeque appetitu movetur: serpere anguiculos, nare anaticulas, evolare merulas, cornibus uti videmus boves, nepas aculeis, suam denique cuique naturam esse ad vivendum ducem. Quae similitudo in genere etiam humano apparet. Parvi enim primo ortu sic iacent, tamquam omnino sine animo sint: cum autem paulum firmitatis accessit, et animo utuntur et sensibus conitunturque, sese ut erigant, et manibus utuntur et eos agnoscunt, a quibus educantur: deinde aequalibus delectantur libenterque se cum iis congregant dantque se ad ludendum fabellarumque auditione ducuntur deque eo, quod ipsis superat, aliis gratificari volunt animadvertuntque ea, quae domi fiunt, curiosius incipiuntque commentari aliquid et discere et eorum, quos vident, volunt non ignorare nomina, quibusque rebus cum aequalibus decertant, si vicerunt, efferunt se laetitia, victi debilitantur animosque demittunt: quorum sine causa fieri nihil putandum est. 43. Est enim natura sic generata vis hominis, ut ad omnem virtutem percipiendam facta videatur, ob eamque causam parvi virtutum simulacris, quarum in se habent semina, sine doctrina moventur; sunt enim prima elementa naturae, quibus auctis virtutis quasi germen efficitur. Nam

---

1. *sicque* (vel *silque*) B E: *sic et* ceteri codd.; *Sic* [*et*] O; *Sic extitit* Madvigius (in commentario) — 2. *ductum*] *doctum* B — *commendatione* Lambinus: *commutatione* B C; *communitate* codd. deteriores. — 3. *quod*] *quid* B E — 8. *expetemus* B E — 9. *nunc vero quod mirabiliter* D — 10. *prospici* D — 12. *prima illa* B: *illa prima* O — 13. *nobis incerta et obscura est* om. B (non E) — 15. *despicere* B E — *coepimus* D: *ceperimus* B E — *ab* B(?) G: om. E O — 16. *incepimus* E — 17. *loco* om. E — 18. *serpere* - - *ducem* Nonius Marcellus p. 145. — 19. *nare*] *natare* Nonius. — *aneticulas* B E; *anaticulos* Nonius. — *volare* Nonius. — *uti boues uidemus* B E; *uti uideamus boues* Nonius. — 20. *nepas* Nonius: *vespas* codd. Tulliani — 21. *in g. etiam in humano* B (non E) — 23. *accessit* B: *accesserit* O — *conitunturque* B E: *connitunturque* M O — 24. *sese ut* B: *ut sese* O — *utuntur* ed. Iuntina: *utantur* codd. — 25. *libenterque* - - *ducuntur* Nonius p. 143 et 191. — *hys* B, *his* Nonius et O — 26. *dantque* - - *ducuntur* Nonius p. 282. — 28. *et discere*] *facere* D — 29. *quibusque de rebus* Lambinus — *cum* om. B — 30. *vicerunt* Madvigius: *vicerint* B O; *vincunt* ceteri codd. — *afferunt se* B (non E) — 31. *que* om. B E — *nihil putandum est fieri* E (sed *fieri* ante *nihil* transponendum significavit librarius) M — 35. *natura* E — *quibus actis* D — *germen* I. F. Gronovius: *carmen* codd. et M O.

cum ita nati factique simus, ut et agendi aliquid et diligendi aliquos et liberalitatis et referendae gratiae principia in nobis contineremus atque ad scientiam, prudentiam, fortitudinem aptos animos haberemus a contrariisque rebus alienos, non sine causa eas, quas dixi, in pueris virtutum quasi scintillas videmus, e quibus accendi philosophi ratio debet, ut eam quasi deum ducem subsequens ad naturae perveniat extremum. Nam, ut saepe iam dixi, in infirma aetate imbecillaque mente vis naturae quasi per caliginem cernitur: cum autem progrediens confirmatur animus, agnoscit ille quidem naturae vim, sed ita, ut progredi possit longius, per se sit tantum inchoata.

XVI. 44. Intrandum est igitur in rerum naturam et penitus quid ea postulet pervidendum: aliter enim nosmet ipsos nosse non possumus. Quod praeceptum quia maius erat, quam ut ab homine videretur, idcirco assignatum est deo. Iubet igitur nos Pythius Apollo noscere nosmet ipsos. Cognitio autem haec est una nostri, ut vim corporis animique norimus sequamurque eam vitam, quae iis perfruatur. Quoniam autem is animi appetitus a principio fuit, ut ea, quae dixi, quam perfectissima natura haberemus, confitendum est, cum id adepti simus, quod appetitum sit, in eo quasi in ultimo consistere naturam atque id esse summum bonum: quod certe universum sua sponte ipsum expeti et propter se necesse est, quoniam ante demonstratum est etiam singulas eius partes esse per se expetendas. 45. In enumerandis autem corporis commodis si quis praetermissam a nobis voluptatem putabit, in aliud tempus ea quaestio differatur. Utrum enim sit voluptas in iis rebus, quas primas secundum naturam esse diximus, necne sit, ad id, quod agimus, nihil interest. Si enim, ut mihi quidem videtur, non explet bona naturae voluptas, iure praetermissa est: sin autem est in ea, quod quidam volunt, nihil impedit hanc nostram comprehensionem summi boni. Quae enim constituta sunt prima naturae, ad ea si voluptas accesserit, unum aliquod accesserit commodum corporis, neque eam constitutionem summi boni, quae est proposita, mutaverit.

XVII. 46. Et adhuc quidem ita nobis progressa ratio est, ut ea duceretur omnis a prima commendatione naturae. Nunc autem aliud iam argumentandi sequamur genus, ut non solum quia nos diligamus, sed quia cuiusque partis naturae et in corpore et in animo sua quaeque vis sit, idcirco in his rebus summe nostra sponte moveamur. Atque ut a corpore ordiar, videsne ut, si quae in membris prava aut debilitata aut

---

5. *scintillas* B G: *scintillulas* M O — 7. *infima* B. Cf. p. 192, 36. — 9. *ille quidem* Manutius: *quid ille* B E; *quidem ille* ceteri codd. — *tantum* Madvig (in commentario) et Wesenberg: *tamen* codd. et M O (*longius per se, virtute inchoata* Bakius coll. Cic. de Legg. I, § 27.) — 11. *igitur est* B — 12. *prouidendum* B — 14. *deo*] *de eo* B E — 15. *una nostri, ut vim corporis* Madvigius: *una nostri ut corporis* B; *una, ut vim nostri corporis* O — 16. *quae* Bremius: *quae rebus* codd. et O; *quae* [*rebus*] M — *iis* Madvigius: *hys* B; *ipsis* O — *perficiatur* C — 17. *is*] *hys* B E — 19. *quasi in* B G: *quasi* (om. *in*) O — 21. *quoniam ante d. est* om. E (non B) — 23. *ea* B: om. O — 25. *quod*] *quid* B E — 26. *quidem*] *quid* B — 27. *iure*] *in re* B E — † *sin* O — *autem* B: om. O — *quidam*] *quidem* B E — 28. *hanc nostram* B E: *nostram hanc* M O — 29. *unum aliquod accesserit* om. B — 30. *aliquid* E — 32. *ita nobis p. r. nobis est* B — 34. *diligamur* B E — 36. *summe* M. Brutus: *summa* codd. — 37. *ordear* B E — *ut* om. B G — *quae* B: *qua* O — *debita* B.

imminuta sint, occultent homines? ut etiam contendant et elaborent, si efficere possint, ut aut non appareat corporis vitium aut quam minimum appareat? multosque etiam dolores curationis causa perferant, ut, si ipse usus membrorum non modo non maior, verum etiam minor futurus sit, eorum tamen species ad naturam revertatur? Etenim, cum omnes natura totos se expetendos putent, nec id ob aliam rem, sed propter ipsos, necesse est eius etiam partis propter se expeti, quod universum propter se expetatur. 47. Quid? in motu et in statu corporis nihil inest, quod animadvertendum esse ipsa natura iudicet? quem ad modum quis ambulet, sedeat, qui ductus oris, qui vultus in quoque sit? nihilne est in his rebus, quod dignum libero aut indignum esse ducamus? Nonne odio multos dignos putamus, qui quodam motu aut statu videntur naturae legem et modum contempsisse? Et quoniam haec deducuntur de corpore, quid est cur non recte pulchritudo etiam ipsa propter se expetenda ducatur? Nam si pravitatem imminutionemque corporis propter se fugiendam putamus, cur non etiam, ac fortasse magis, propter se formae dignitatem sequamur? Et si turpitudinem fugimus in statu et motu corporis, quid est cur pulchritudinem non sequamur? Atque etiam valetudinem, vires, vacuitatem doloris non propter utilitatem solum, sed etiam ipsas propter se expetemus. Quoniam enim natura suis omnibus expleri partibus vult, hunc statum corporis per se ipsum expetit, qui est maxime e natura, quae tota perturbatur, si aut aegrum corpus est aut dolet aut caret viribus.

XVIII. 48. Videamus animi partes, quarum est conspectus illustrior: quae quo sunt excelsiores, eo dant clariora indicia naturae. Tantus est igitur innatus in nobis cognitionis amor et scientiae, ut nemo dubitare possit quin ad eas res hominum natura nullo emolumento invitata rapiatur. Videmusne ut pueri ne verberibus quidem a contemplandis rebus perquirendisque deterreantur? ut pulsi recurrant? ut aliquid scire se gaudeant? ut id aliis narrare gestiant? ut pompa, ludis atque eius modi spectaculis teneantur, ob eamque rem vel famem et sitim perferant? Quid vero? qui ingenuis studiis atque artibus delectantur, nonne videmus eos nec valetudinis nec rei familiaris habere rationem omniaque perpeti ipsa cognitione et scientia captos et cum maximis curis et laboribus compensare eam, quam ex discendo capiant, voluptatem? 49. Mihi quidem Homerus huius modi quiddam vidisse videtur in iis, quae de Sirenum cantibus finxit. Neque enim vocum suavitate videntur aut novitate quadam et varietate cantandi revocare eos solitae, qui praetervehebantur, sed quia multa se scire profitebantur, ut homines ad earum

---

8. *Quid* ed. Veneta a. 1480: *quod* codd. — *et in*] *etiam in* B — *nihil inest* C D E: *nichil* (om. verbo) B; *nihil non est* ceteri codd. — *quod*] *qui* B — 12. *multos dignos* B G: *dignos multos* O — 14. *est* om. B (non E) — 16. *etiam, ac*] *iam et hanc* B — 17. *fugimus* Manutius: *fugiamus* codd. — 19. *sed* om. B — 22. *si autem egrum opus est* B — 24. *Videmus* B — *conspectus* B C D: *adspectus* O — 25. *iudicia natura* B E — 26. *et nemo dubitari* B (non E) — 27. *emolimento* B E — 29. *aut pulsi* E — *ut aliquid* D: *aliquid* (om. *ut*) B E; *et aliquid* ceteri codd. — *se scire* D G — 30. *id* B: om. M O — *aut pompa* E — 32. *quid ingeniis* B E — 36. *quoddam* B — *videatur* B E — 37. *finxit* codd. aliquot: *finxerint* B; *finxerit* M O.

saxa discendi cupiditate adhaerescerent. Ita enim invitant Ulixem — nam verti, ut quaedam Homeri, sic istum ipsum locum —:

O decus Argolicum, quin puppim flectis, Ulixes,
Auribus ut nostros possis agnoscere cantus!
Nam nemo haec umquam est transvectus caerula cursu,
Quin prius adstiterit vocum dulcedine captus,
Post variis avido satiatus pectore musis,
Doctior ad patrias lapsus pervenerit oras.
Nos grave certamen belli clademque tenemus,
Graecia quam Troiae divino numine vexit,
Omniaque e latis rerum vestigia terris.

Vidit Homerus probari fabulam non posse, si cantiunculis tantus vir irretitus teneretur: scientiam pollicentur, quam non erat mirum sapientiae cupido patria cariorem *esse*. Atque omnia quidem scire, cuiuscumque modi sint, cupere curiosorum, duci vero maiorum rerum contemplatione ad cupiditatem scientiae summorum virorum est putandum.

XIX. 50. Quem enim ardorem studii censetis fuisse in Archimede, qui dum in pulvere quaedam describit attentius, ne patriam quidem captam esse senserit? quantum Aristoxeni ingenium consumptum videmus in musicis? quo studio Aristophanem putamus aetatem in litteris duxisse? Quid de Pythagora? quid de Platone aut de Democrito loquar? a quibus propter discendi cupiditatem videmus ultimas terras esse peragratas. Quae qui non vident nihil umquam † magna cognitione dignum amaverunt. Atque hoc loco qui propter animi voluptates coli dicunt ea studia, quae dixi, non intellegunt idcirco esse ea propter se expetenda, quod nulla utilitate obiecta delectentur animi atque ipsa scientia, etiam si incommodatura sit, gaudeant. 51. Sed quid attinet de rebus tam apertis plura requirere? Ipsi enim quaeramus a nobis, stellarum motus contemplationesque rerum caelestium eorumque omnium, quae naturae obscuritate occultantur, cognitiones quem ad modum nos moveant, et quid historia delectet, quam solemus persequi usque ad extremum, praetermissa repetimus, inchoata persequimur. Nec vero sum nescius esse utilitatem in historia, non modo voluptatem. Quid? cum fictas fabulas, e quibus utilitas nulla elici potest, cum voluptate legimus? 52. Quid? cum volumus nomina eorum, qui quid gesserint, nota nobis esse, parentes, patriam, multa praeterea minime necessaria? Quid? quod homines infima fortuna, nulla spe rerum gerendarum, opifices denique delectantur historia? maximeque eos videre possumus res gestas audire et legere

---

2. *ut*] *aut* B E — 3. *quin*] *qui* B E — *Ulixe* O — 6. *Quin*] *qui* B E — 7. *sociatus* E — 11. *rerum* Marsus: *regum* codd. (etiam E) — 13. *irretitus uir* B — 14. *p. cariorē ēē* nos: *p. cariorē* codd.; *p. esse cariorem* cum Lambino M O. Cf. p. 179, 18.— 16. *summorum*] *suorum* B E — 17. *enim*] *cum* B — 18. *quidem* om. B — 19. *ingenii* D — 23. *magna*] *magnum aut* Davisius; *magnum ac* Bremius. — 25. *ea* om. O — 30. *cognitionesque admodum* B E — 31. *persequi* B: *prosequi* E O — 32. *nescius* B: *inscius* O — *esse*] *etiam* B — 33. *non*] *nullo* B — «Offendor nonnihil in temporis significatione *quid, cum fictas fabulas* et *quid, cum volumus*: nam neque per se apta videtur, quoniam ante non ea forma Cicero usus est, ut, cum hoc vel illud faceremus, tum aliquid intellegi diceret, et sequitur: *quid, quod homines* cet. Neque tamen mutare audeo.» MADV. — 34. *elici*] *dici* B — *tum voluptates* E — 35. *qui quod* B E — 36. *infirma* B E. Cf. p. 190, 7.

velle, qui a spe gerendi absunt confecti senectute. Quocirca intellegi necesse est in ipsis rebus, quae discuntur et cognoscuntur, invitamenta inesse, quibus ad discendum cognoscendumque moveamur. 53. Ac veteres quidem philosophi in beatorum insulis fingunt qualis futura sit vita sapientium, quos cura omni liberatos, nullum necessarium vitae cultum aut paratum requirentes, nihil aliud acturos putant nisi ut omne tempus inquirendo ac discendo in naturae cognitione consumant. Nos autem non solum beatae vitae istam esse oblectationem videmus, sed etiam levamentum miseriarum. Itaque multi, cum in potestate essent hostium aut tyrannorum, multi in custodia, multi in exsilio dolorem suum doctrinae studiis levarunt. 54. Princeps huius civitatis Phalereus Demetrius, cum patria pulsus esset iniuria, ad Ptolemaeum se regem Alexandream contulit. Qui cum in hac ipsa philosophia, ad quam te hortamur, excelleret Theophrastique esset auditor, multa praeclara in illo calamitoso otio scripsit non ad usum aliquem suum, quo erat orbatus, sed animi cultus ille erat ei quasi quidam humanitatis cibus. Equidem e Cn. Aufidio praetorio, erudito homine, oculis capto, saepe audiebam, cum se lucis magis quam utilitatis desiderio moveri diceret. Somnum denique nobis, nisi requietem corporibus et medicinam quandam laboris afferret, contra naturam putaremus datum; aufert enim sensus actionemque tollit omnem. Itaque si aut requietem natura non quaereret aut eam posset alia quadam ratione consequi, facile pateremur, qui etiam nunc agendi aliquid discendique causa prope contra naturam vigilias suscipere soleamus.

XX. 55. Sunt autem etiam clariora vel plane perspicua minimeque dubitanda indicia naturae, maxime scilicet in homine, sed in omni animali, ut appetat animus agere semper aliquid neque ulla conditione quietem sempiternam possit pati. Facile est hoc cernere in primis puerorum aetatulis. Quamquam enim vereor ne nimius in hoc genere videar, tamen omnes veteres philosophi, maxime nostri, ad incunabula accedunt, qui in pueritia facillime se arbitrentur naturae voluntatem posse cognoscere. Videmus igitur ut conquiescere ne infantes quidem possint. Cum vero paulum processerunt, lusionibus vel laboriosis delectantur, ut ne verberibus quidem deterreri possint, eaque cupiditas agendi aliquid adulescit una cum aetatibus. Itaque, ne si iucundissimis quidem nos somniis usuros putemus, Endymionis somnum nobis velimus dari, idque si accidat, mortis instar putemus. 56. Quin etiam inertissimos homines

---

2. *invita mente* B E — 3. *Ac*] *ut* B (non E) — 4. *futura* Clericus: *natura* codd. — 5. *sapiencia* B (non E) — 6. *aut apparatum* Lambinus. — 8. *esse oblectationem esse uidemus* B — 9. *lauamentum* B E — *Itaque*] *Ita* E — *in* om. B E — 11. *leuarunt* B: *levaverunt* O — *phalerius* B E G — 12. *ptholomeum* B E — 13. *alexandream* B E: *Alexandriam* O — *ipsa* om. B — 15. *scribit* codd. — 22. *putaremur quin etiam* B — 25. *clariora* om. B — *minimeque* B C: *nec* O — 26. *iudicia* B E — 27. *agere semper aliquod* B E; *aliquid agere semper* O — 29. *etatibus* B; *etatis* E — *quaquam* B E — *enim* om. B — *ne*] *nec* B (non E) — 31. *qui -- arbitrentur*] «Mihi prorsus aut *cum -- arbitrentur* aut (ut est in aliquot codicibus) *quod -- arbitrantur* dicendum fuisse videtur.» Madv. — *voluntatem* Lambinus: *uoluptatem* codd. — 32. *Cum hi vero -- delectantur* Nonius Marcellus p. 211. — 33. *processerunt* Nonius: *processerint* codd. Cic. et O — *vel*] *et* B — *laboriosius* Nonius. — 35. *ne si*] *nisi* codd. — *quidem*] *quam* B — 36. *somnis* D — *somnium nobis nolimus dari. id si* D — 37. *quia etiam notissimos* D.

nescio qua singulari nequitia praeditos videmus tamen et corpore et animo moveri semper et, cum re nulla impediantur necessaria, aut alveolum poscere aut quaerere quempiam ludum aut sermonem aliquem requirere, cumque non habeant ingenuas ex doctrina oblectationes, circulos aliquos et sessiunculas consectari. Quin ne bestiae quidem, quas delectationis causa concludimus, cum copiosius alantur, quam si essent liberae, facile patiuntur sese contineri motusque solutos et vagos a natura sibi tributos requirunt. 57. Itaque, ut quisque optime natus institutusque est, esse omnino nolit in vita, si gerundis negotiis orbatus possit paratissimis vesci voluptatibus. Nam aut privatim aliquid gerere malunt, aut qui altiore animo sunt capessunt rem publicam honoribus imperiisque adipiscendis, aut totos se ad studia doctrinae conferunt: qua in vita tantum abest ut voluptates consectentur, etiam curas, sollicitudines, vigilias perferunt, optimaque parte hominis, quae in nobis divina ducenda est, ingenii et mentis acie fruuntur, nec voluptatem requirentes nec fugientes laborem. Nec vero intermittunt aut admirationem earum rerum, quae sunt ab antiquis repertae, aut investigationem novarum: quo studio cum satiari non possint, omnium ceterarum rerum obliti nihil abiectum, nihil humile cogitant, tantaque est vis talibus in studiis, ut eos etiam, qui sibi alios proposuerunt fines bonorum, quos utilitate aut voluptate dirigunt, tamen in rebus quaerendis explicandisque naturis aetates conterere videamus.

XXI. 58. Ergo hoc quidem apparet, nos ad agendum esse natos. Actionum autem genera plura, ut obscurentur etiam minora maioribus, maximae autem sunt primum, ut mihi quidem videtur et iis, quorum nunc in ratione versamur, consideratio cognitioque rerum caelestium et earum, quas a natura occultatas et latentes indagare ratio potest, deinde rerum publicarum administratio aut administrandi scientia, tum prudens, temperata, fortis, iusta ratio reliquaeque virtutes et actiones virtutibus congruentes, quae uno verbo complexi omnia honesta dicimus: ad quorum et cognitionem et usum iam corroborati natura ipsa praeeunte deducimur. Omnium enim rerum principia parva sunt, sed suis progressionibus usa augentur, nec sine causa: in primò enim ortu inest teneritas ac mollitia quaedam, ut nec res videre optimas nec agere possint. Virtutis enim beataeque vitae, quae duo maxime expetenda sunt, serius lumen apparet, multo etiam serius, ut plane qualia sint

---

1. *qua*] *qui* B — *nequitia* C G: *segnitia* B D — *videamus* D — *et* ante *corp.* om. E (non B D) — 2. *cum* (non *tamen*) *re* etiam E — *nulla*] *ut illa* B — 4. *non*] *enim* B — 5. *quin ne* B: *quin te* (non *de*) E; *Ne* M O. Coniunctionem particularum *quin* et *ne - quidem* in enuntiatione negativa sermo Latinus non magis respuere videtur quam coniunctionem particularum *quin* et *etiam* in sententia affirmativa. — *quidem*] *quid* B — 7. *sese* (non *se*) etiam E — 8. *requirit* B — 9. *si gerundis n. possit orbatus p. v. voluptatibus* Nonius p. 416. — 10. *aliquod* B E — 13. *solicitudines* B; *solitudines* E — 15. *nec voluptatem requirentes* om. B — 17. *ab*] *sub* B — *inuestigationi* E — 18. *possint* Ernestius: *possunt* codd. et M O — 20. *etiam*] *et* B — 24. *minora maioribus*] *maioribus minoribus* B — 25. *hys* B; *his* O — 26. *cognitioque* Manutius: *cognicione* B; *cogitatiove* D — 27. *latentes*] *iacentes* D — 29. *fortis*, *iusta r.* Madvigius: *forti si iusta* B; *fortis r.* D; *fortis et iusta r.* O — 30. *dicimus* (non *diximus*) etiam E — 33. *nec*] *et* B — *in primo -- m. quaedam* Nonius p. 495. — 34. *teneritas* Nonius: *temeritas* codd. Tulliani. — *ac mollitia* B E et Nonius: *et mollitia* M; *et mollities* O — 35. *possunt* B.

intellegantur. Praeclare enim Plato: **Beatum, cui etiam in senectute contigerit ut sapientiam verasque opiniones assequi possit!** Quare, quoniam de primis naturae commodis satis dictum est, nunc de maioribus consequentibusque videamus. 59. Natura igitur corpus quidem hominis sic et genuit et formavit, ut alia in primo ortu perficeret, alia progrediente aetate fingeret, neque sane multum adiumentis externis et adventiciis uteretur. Animum autem reliquis rebus ita perfecit, ut corpus: sensibus enim ornavit ad res percipiendas idoneis, ut nihil aut non multum adiumento ullo ad suam confirmationem indigeret: quod autem in homine praestantissimum atque optimum est, id deseruit: etsi dedit talem mentem, quae omnem virtutem accipere posset, ingenuitque sine doctrina notitias parvas rerum maximarum et quasi instituit docere et induxit in ea, quae inerant, tamquam elementa virtutis. Sed virtutem ipsam inchoavit, nihil amplius. 60. Itaque nostrum est — quod nostrum dico, artis est — ad ea principia, quae accepimus, consequentia exquirere, quoad sit id, quod volumus, effectum: quod quidem pluris sit haud paulo magisque ipsum propter se expetendum quam aut sensus aut corporis ea, quae diximus, quibus tantum praestat mentis excellens perfectio, ut vix cogitari possit, quid intersit. Itaque omnis honos, omnis admiratio, omne studium ad virtutem et ad eas actiones, quae virtuti sunt consentaneae, refertur, eaque omnia, quae aut ita in animis sunt aut ita geruntur, uno nomine honesta dicuntur: quorum omnium quae sint notitiae quibusque significentur rerum vocabulis quaeque cuiusque vis et natura sit, mox videbimus.

XXII. 61. Hoc autem loco tantum explicemus, haec honesta, quae dico, praeterquam quod nosmet ipsos diligamus, praeterea suapte natura per se esse expetenda. Indicant pueri, in quibus ut in speculis natura cernitur. Quanta studia decertantium sunt! quanta ipsa certamina! ut illi efferuntur laetitia, cum vicerunt! ut pudet victos! ut se accusari nolunt! quam cupiunt laudari! quos illi labores perferunt, ut aequalium principes sint! quae memoria est in iis bene merentium! quae referendae gratiae cupiditas! Atque ea in optima quaque indole maxime apparent, in qua haec honesta, quae intellegimus, a natura tamquam adumbrantur. 62. Sed haec in pueris: expressa vero in iis aetatibus, quae iam confirmatae sunt. Quis est tam dissimilis homini, qui non moveatur et offensione turpitudinis et comprobatione honestatis? quis est qui non oderit libidinosam, protervam adulescentiam? quis contra in illa aetate pudorem, constantiam, etiam si sua nihil intersit, non tamen diligat? quis Pullum Numitorium, Fregellanum proditorem, quam-

---

5. *ut alia in p. hortu perficere, alia p. aetate fingere* Nonius p. 308. — 16. *quoad sit*] *quo assit* B — 17. *sit* om. B — *haut* (non *hanc*) B E — 19. *profectio* E — *quid*] *quod* B — 21. *consentanee sunt* B — 23. *quae* Matthiaeus: *quaeque* codd.; † *quaeque* M O — *quibusque* Davisius: *quaeque* B M O — *significent* B E — *cuiusque vis*] *cuiusuis* (non *cum suis*) B E — 27. *iudicant* B E — 28. *decertantum sint* B E — 29. *vicerunt* Madvigius: *vicerint* codd. et O — 30. *volunt* B — *perferunt* Madvigius (in adnotatione): *non perferunt* B E M O; *non ferunt* G (non E) — 31. *hys* B; *his* O — 32. *eam optima* B E — *indole quaque* B — 34. *expressa vero in hys* B: *expressa in iis vero* alii codd.; *In iis vero* cum Marso O — 35. *sunt, quis* O — 36. *et* ante *offens.* om. B — 39. *diligatur* B — *quamquam*] *numquam* B.

quam rei publicae nostrae profuit, non odit? quis *huius* urbis conservatorem Codrum, quis Erechthei filias non maxime laudat? cui Tubuli nomen odio non est? quis Aristidem non mortuum diligit? An obliviscimur, quanto opere in audiendo legendoque moveamur, cum pie, cum amice, cum magno animo aliquid factum cognoscimus? 63. Quid loquor de nobis, qui ad laudem et ad decus nati, suscepti, instituti sumus? Qui clamores vulgi atque imperitorum excitantur in theatris, cum illa dicuntur:

Ego sum Orestes.

contraque ab altero,

Immo enimvero ego sum, inquam, Orestes!

Cum autem etiam exitus ab utroque datur conturbato errantique regi, Ambo ergo una necarier precamur, quotiens hoc agitur, ecquandone nisi admirationibus maximis? Nemo est igitur, quin hanc affectionem animi probet atque laudet, qua non modo utilitas nulla quaeritur, sed contra utilitatem etiam conservatur fides. 64. Talibus exemplis non fictae solum fabulae, verum etiam historiae refertae sunt, et quidem maxime nostrae. Nos enim ad sacra Idaea accipienda optimum virum delegimus, nos tutores regibus misimus, nostri imperatores pro salute patriae sua capita voverunt, nostri consules regem inimicissimum moenibus iam appropinquantem monuerunt, a veneno ut caveret, nostra in re publica et quae per vim oblatum stuprum voluntaria morte lueret inventa est et qui filiam interficeret, ne stupraretur: quae quidem omnia et innumerabilia praeterea quis est quin intellegat et eos, qui fecerint, dignitatis splendore ductos immemores fuisse utilitatum suarum nosque, cum ea laudemus, nulla alia re nisi honestate duci?

XXIII. Quibus rebus breviter expositis — nec enim sum copiam, quam potui, quia dubitatio in re nulla erat, persecutus —, sed his rebus concluditur profecto et virtutes omnes et honestum illud, quod ex iis oritur et in illis haeret, per se esse expetendum. 65. In omni autem honesto, de quo loquimur, nihil est tam illustre nec quod latius pateat quam coniunctio inter homines hominum et quasi quaedam societas et communicatio utilitatum et ipsa caritas generis humani, quae nata a primo satu, quo a procreatoribus nati diliguntur et tota domus coniugio et stirpe coniungitur, serpit sensim foras, cognationibus primum, tum affinitatibus, deinde amicitiis, post vicinitatibus, tum civibus

---

1. *quis* om. E — *huius* Madvigius (in adnotatione) coll. § 54 et 88: om. codd. et M O — *vrbis* (non *uerbis*) etiam E — 2. *erectei* B E — 4. *legendoque* codd. aliquot et edd. antiquissimae: *in legendoque* B O; [*in*] *legendoque* M — 5. *aliquod* B C E — *loquor* Morgensternius et Matthiaeus: *loquar* codd. et O — 6. *et ad*] *qui ad* B — 7. *imperatorum* B E — 13. *ambo* B: † *ambos* O — *una necarier* Madvigius: *sunaneganum* (sic) B E; *una vivere* O — *hoc*] *hic* B — *ecquandone* Davisius: *et quando ne* (non *ue*) B E; *et quandoue* alii codd. — 14. *quin* (non *qui*) B E: *qui non* ceteri codd. — 16. *Talibus* - - *refertae* Nonius p. 309. — 17. *verum*] *sed* Nonius — *quidem*] *quid* B E — 19. *regibus misimus* B: *misimus regibus* O — 20. *nouerunt* B E — *regem* om. B — 22. *et quae* Victorius: *Lucretia et quae* codd. — *per vim*] *pium* B — 23. *filiam interficeret* B: *interficeret filiam* O — *quae*] *ne* B — 24. *quin* Madvigius: *qui* B; *qui non* O — 26. *re* om. B (non E) — *ducti* B — 27. *breviter expositis* B: *expositis breviter* O — 29. *ex hys oritur et in illis* B: *ex his virtutibus exoritur et in his* O — 30. *autem*] *enim* B C — 31. *nec* om. B — 34. *quo*] *quod* B — 36. *deinde*] *deinde cum* (vel *tum*) B.

et iis, qui publice socii atque amici sunt, deinde totius complexu gentis humanae: quae animi affectio suum cuique tribuens atque hanc, quam dico, societatem coniunctionis humanae munifice et aeque tuens iustitia dicitur, cui sunt adiunctae pietas, bonitas, liberalitas, benignitas, comitas quaeque sunt generis eiusdem. Atque haec ita iustitiae propria sunt, ut sint virtutum reliquarum communia. 66. Nam cum sic hominis natura generata sit, ut habeat quiddam ingenitum quasi civile atque populare, quod Graeci πολιτικόν vocant, quicquid aget quaeque virtus, id a communitate et ea, quam exposui, caritate ac societate humana non abhorrebit, vicissimque iustitia, ut ipsa se fundet [usu] in ceteras virtutes, sic illas expetet; servari enim iustitia nisi a forti viro, nisi a sapiente non potest. Qualis est igitur omnis haec, quam dico, conspiratio consensusque virtutum, tale est illud ipsum honestum, quando quidem honestum aut ipsa virtus est aut res gesta virtute: quibus rebus vita consentiens virtutibusque respondens recta et honesta et constans et naturae congruens existimari potest. 67. Atque haec coniunctio confusioque virtutum tamen a philosophis ratione quadam distinguitur. Nam cum ita copulatae conexaeque sint, ut omnes omnium participes sint, nec alia ab alia possit separari, tamen proprium suum cuiusque munus est, ut fortitudo in laboribus periculisque cernatur, temperantia in praetermittendis voluptatibus, prudentia in dilectu bonorum et malorum, iustitia in suo cuique tribuendo. Quando igitur inest in omni virtute cura quaedam quasi foras spectans aliosque appetens atque complectens, exsistit illud, ut amici, ut fratres, ut propinqui, ut affines, ut cives, ut omnes denique — quoniam unam societatem hominum esse volumus — propter se expetendi sint. Atqui eorum nihil est eius generis, ut sit in fine extremo bonorum. 68. Ita fit ut duo genera propter se expetendorum reperiantur, unum, quod est in iis, in quibus completur illud extremum, quae sunt aut animi aut corporis: haec autem, quae sunt extrinsecus, id est, quae neque in animo insunt neque in corpore, ut amici, ut parentes, ut liberi, ut propinqui, ut ipsa patria, sunt illa quidem sua sponte cara, sed eodem in genere quo illa non sunt. Nec vero umquam summum bonum assequi quisquam posset, si omnia illa, quae sunt extra, quamquam expetenda, summo bono continerentur.

XXIV. 69. Quo modo igitur, inquies, verum esse poterit, omnia referri ad summum bonum, si amicitiae, si propinquitates, si reliqua externa summo bono non continentur? Hac videlicet ratione, quod ea, quae externa sunt, iis tuemur officiis, quae oriuntur a suo cuiusque genere virtutis. Nam et amici cultus et parentis ei, qui officio fungitur,

---

1. *deinde totius* cet.] «Exspectari poterat *denique*, quod hic per cetera membra ad postremum, quod rem continet, pervenitur.» MADVIG. — 7. *quoddam* B — *ingenitum* B C: *innatum* O — 8. *id a communitate* om. B — 9. *ac* B G: *atque* O — 10. *ipsa* (non *ipsam*) *fundet se* B E — *usu* om. B; nos seclusimus. — 13. *quidem*] *quid* B E — 14. *rebus* B: *in rebus* O — 19. *munus*] *minus* B E — 21. *dilectu* B E: *delectu* M O — 22. *Quando*] *quoniam* codd. aliquot deteriores; *Cum* G. (Confusae sunt notae *qm̃* et *qñ*.) — 23. *foris* B — 25. *quoniam* B: *quam* G; *quando* O — 26. *atqui* B: *atque* O — 28. *in* ante *quibus* om. O — 30. *quae nec in* B E — 32. *umquam* -- *quisquam* G: *inquam* -- *quisquam* B; *quisquam* -- *umquam* O — 33. *illa* om. B E — 34. *expetenda*] *expetenda sunt* Madvigius (in commentario) — *contineremur* B — 39. *ei* Orellius (in adnotatione): *et* codd.; † *et* O.

in eo ipso prodest, quod ita fungi officio in recte factis est, quae sunt orta *a* virtutibus. Quae quidem sapientes secuntur duce natura: non perfecti autem homines et tamen ingeniis excellentibus praediti excitantur saepe gloria, quae habet speciem honestatis et similitudinem. Quod si ipsam honestatem undique perfectam atque absolutam, rem unam praeclarissimam omnium maximeque laudandam, penitus viderent, quonam gaudio complerentur, cum tanto opere eius adumbrata opinione laetentur? 70. Quem enim deditum voluptatibus, quem cupiditatum incendiis inflammatum, in iis potiendis, quae acerrime concupivisset, tanta laetitia perfundi arbitramur, quanta aut superiorem Africanum Hannibale victo aut posteriorem Karthagine eversa? quem Tiberina descensio festo illo die tanto gaudio affecit, quanto L. Paullum, cum regem Persem captum adduceret, eodem flumine invectio? 71. Age nunc, Luci noster, exstrue animo altitudinem excellentiamque virtutum: iam non dubitabis, quin earum compotes homines, magno animo erectoque viventes, semper sint beati: qui omnis motus fortunae mutationesque rerum et temporum levis et imbecillos fore intellegant, si in virtutis certamen venerint. Illa enim, quae sunt a nobis bona corporis numerata, complent ea quidem beatissimam vitam, sed ita, ut sine illis possit beata vita exsistere. Ita enim parvae et exiguae sunt istae accessiones bonorum, ut, quem ad modum stellae in radiis solis, sic istae in virtutum splendore ne cernantur quidem. 72. Atque hoc ut vere dicitur, parva esse ad beate vivendum momenta ista corporis commodorum, sic nimis violentum est nulla esse dicere; qui enim sic disputant obliti mihi videntur, quae ipsi fecerint principia naturae. Tribuendum est igitur his aliquid, dum modo, quantum tribuendum sit, intellegas. Est enim philosophi non tam gloriosa quam vera quaerentis nec pro nihilo putare ea, quae secundum naturam illi ipsi gloriosi esse fatebantur, et videre tantam vim virtutis tantamque, ut ita dicam, auctoritatem honestatis, ut reliqua non illa quidem nulla, sed ita parva sint, ut nulla esse videantur. Haec est nec omnia spernentis praeter virtutem et virtutem ipsam suis laudibus amplificantis oratio, denique haec est undique completa et perfecta explicatio summi boni. Hinc ceteri particulas arripere conati suam quisque videri voluit afferre sententiam.

XXV. 73. Saepe ab Aristotele, a Theophrasto mirabiliter est laudata per se ipsa rerum scientia. Hoc uno captus Erillus scientiam summum bonum esse defendit nec rem ullam aliam per se expetendam. Multa dicta sunt ab antiquis de contemnendis ac despiciendis rebus humanis.

---

2. *a* G et Lambinus: om. ceteri codd. et O. Cf. p. 197, 38 et II, § 78. — *qua equidem* B; *que equidem* E — *secuntur duce natura* Madvigius: *utentes sequuntur duce natura tanquam* B; *sequuntur utentes tamquam duce natura* cum Marso O — 4. *speciem* B D: *formam* O — 8. *Que* B E — *quem* (non *quae*) *cup.* etiam E — 9. *potiendis*] *cupiendis* B — *tanta*] *est tanta* B — 11. *descensio* B C: *dissensio* D; *decursio* O — 12. *persem* B E: *Persen* M O — 13. *auge* B — 18. *ea*] *eam* B — 19. *consistere* D — 20. *sint iste* B E — 22. *esse*] *est* B — 25. *fecerint* Lambinus: *egerint* codd.; † *egerint* M O — *aliquod* B E — 26. *enim* Davisius: *tamen* codd. et O; † *tamen* M — 28. *fatentur* E M — *tantam esse vim* Madvigius (in commentario) — 30. *nulla* ante *sed* om. B — 36. *ipsa* non om. E — *erillus* B E: *Herillus* M O. Cf. II, § 35. — *scientiam*] *sententiam* E — 38. *dicta sunt* B: *sunt dicta* M O.

Hoc unum Aristo tenuit: praeter vitia atque virtutes negavit rem esse ullam aut fugiendam aut expetendam. Positum est a nostris in iis esse rebus, quae secundum naturam essent, non dolere. Hoc Hieronymus summum bonum esse dixit. At vero Callipho et post eum Diodorus, cum alter voluptatem adamasset, alter vacuitatem doloris, neuter honestate carere potuit, quae est a nostris laudata maxime. 74. Quin etiam ipsi voluptarii deverticula quaerunt et virtutes habent in ore totos dies voluptatemque primo dumtaxat expeti dicunt, deinde consuetudine quasi alteram quandam naturam effici, qua impulsi multa faciant nullam quaerentes voluptatem. Stoici restant. Ei quidem non unam aliquam aut alteram *rem* a nobis, sed totam ad se nostram philosophiam transtulerunt. Atque, ut reliqui fures earum rerum, quas ceperunt, signa commutant, sic illi, ut sententiis nostris pro suis uterentur, nomina tamquam rerum notas mutaverunt. Ita relinquitur sola haec disciplina digna studiosis ingenuarum artium, digna eruditis, digna claris viris, digna principibus, digna regibus. 75. Quae cum dixisset paulumque institisset, Quid est? inquit, satisne vobis videor pro meo iure in vestris auribus commentatus? Et ego, Tu vero, inquam, Piso, ut saepe alias, sic hodie ita nosse ista visus es, ut, si tui nobis potestas saepius fieret, non multum Graecis supplicandum putarem. Quod quidem eo probavi magis, quia memini Staseam Neapolitanum, doctorem illum tuum, nobilem sane Peripateticum, aliquanto ista secus dicere solitum, assentientem iis, qui multum in fortuna secunda aut adversa, multum in bonis aut malis corporis ponerent. Est, ut dicis, inquit: sed haec ab Antiocho, familiari nostro, dicuntur multo melius et fortius, quam a Stasea dicebantur: quamquam ego non quaero, quid tibi a me probatum sit, sed huic Ciceroni nostro, quem discipulum cupio a te abducere.

XXVI. 76. Tum Lucius: Mihi vero ista valde probata sunt, quod item fratri puto. Tum mihi Piso, Quid ergo, inquit, dasne adulescenti veniam? an eum discere ea mavis, quae cum plane perdidicerit, nihil sciat? Ego vero isti, inquam, permitto, sed nonne meministi licere mihi ista probare, quae sunt a te dicta? Quis enim potest ea, quae probabilia videantur ei, non probare? An vero, inquit, quisquam potest probare, quod perceptum, quod comprehensum, quod cognitum non habet? Non est ita, inquam, Piso, magna dissensio. Nihil est enim aliud, quam ob rem mihi percipi nihil posse videatur, nisi quod percipiendi vis ita

---

2. *aut petendam* B — *esse* om. O — 4. *Calliphon* cum Schuetzio O — 5. *adamavisset* O — 6. *Quin etiam -- quaerunt -- habent -- dicunt* Lambinus: *Quin etiam -- quaerant -- habeant -- dicant* codd.; † *Quin etiam -- quaerant -- habeant -- dicant* M — 8. *dumtaxat primo* B E — 9. *faciant* Ernestius: *faciunt* codd. et M O — *nullam -- restant* Nonius p. 378. — 10. *ei* B: *Hi* O; *Ii* M — 11. *rem* Davisius: om. codd.; [*rem*] O — 12. *cleperunt* Davisio auctore O — 15. *digna principibus* om. D — 16. *parumque* (non *paruumque*) B E. Cf. ad p. 204, 11. — 17. *Quid*] *quod* E — *est* om. D — *satis* om. E — *nobis -- nostris* B E — 18. *commendatus* B E — *alia* B E — 19. *nobis potestas saepius* B: *copia nobis semper* O (*potestas* habent etiam C D) — 21. *nemini istas eam* B E — 22. *aliquando* B E O — 24. *familiari nostro* B: *nostro familiari* O — 25. *a Stasea*] *ista ea* B; *istas ea* E — 27. *ab te* B — 30. *plane* B: *praeclare* O — *perdidicerit* Goerenzius: *perdiderit* B; *perdidicit* cod. Spirensis; *didicerit* O — 31. *isti inquam* codd. (etiam E, de quo deceptus est Madvigius): *inquam, isti* M — *nonne*] *in me* B — *lucere mihi ista probare* B; *mihi licere probare ista* O — 32. *potest ea*] *postea* B — *quae* (non *quam*) etiam E — 36. *nihil percipi* O.

definitur a Stoicis, ut negent quicquam posse percipi nisi tale verum, quale falsum esse non possit. Itaque haec cum illis est dissensio, cum Peripateticis nulla sane. Sed haec omittamus; habent enim et bene longam et satis litigiosam disputationem. 77. Illud mihi a te nimium festinanter dictum videtur, sapientis omnis esse semper beatos. Nescio quo modo praetervolavit oratio. Quod nisi ita efficitur, quae Theophrastus de fortuna, de dolore, de cruciatu corporis dixit, cum quibus coniungi vitam beatam nullo modo posse putavit, vereor ne vera sint. Nam illud vehementer repugnat, eundem beatum esse et multis malis oppressum. Haec quo modo conveniant, non sane intellego. Utrum igitur tibi, inquit, non placet, virtutisne esse tantam vim, ut ad beate vivendum se ipsa contenta sit? an, si id probas, fieri ita posse negas, ut ii, qui virtutis compotes sint, etiam quibusdam malis affecti beati sint? Ego vero volo in virtute vim esse quam maximam, sed quanta sit alias; nunc tantum, possitne esse tanta, si quicquam extra virtutem habeatur in bonis. 78. Atqui, inquit, si Stoicis concedis ut virtus sola, si adsit, vitam efficiat beatam, concedis etiam Peripateticis. Quae enim mala illi non audent appellare, aspera autem et incommoda et reicienda et aliena naturae esse concedunt, ea nos mala dicimus, sed exigua et paene minima. Quare si potest esse beatus is, qui est in asperis reiciendisque rebus, potest is quoque esse, qui est in parvis malis. Et ego, Piso, inquam, si est quisquam, qui acute in causis videre soleat, quae res agatur, is es profecto tu. Quare attende, quaeso: nam adhuc meo fortasse vitio, quid ego quaeram, non perspicis. Istic sum, inquit, exspectoque quid ad id, quod quaerebam, respondeas.

XXVII. 79. Respondebo me non quaerere, inquam, hoc tempore, quid virtus efficere possit, sed quid constanter dicatur, quid ipsum a se dissentiat. Quo, inquit, modo? Quia, cum a Zenone, inquam, hoc magnifice tamquam ex oraculo editur: «Virtus ad beate vivendum se ipsa contenta est»: Quare? inquit: respondet: «Quia, nisi quod honestum est, nullum est aliud bonum.» Non quaero iam, verumne sit: illud dico, ea, quae dicat, praeclare inter se cohaerere. 80. Dixerit hoc idem Epicurus, semper beatum esse sapientem: — quod quidem solet ebullire non numquam; quem quidem, cum summis doloribus conficiatur, ait dicturum: «Quam suave est! quam nihil curo!» — non pugnem cum homine, † cur tantum habeat in natura boni: illud urgeam, non intellegere eum, quid sibi dicendum sit, cum dolorem summum malum esse dixerit. Eadem nunc mea adversum te oratio est. Dicis eadem omnia et bona et mala, quae dicunt ii, qui numquam philosophum pictum, ut dicitur,

1. *negant* B E — *quicquam* (non *quicquid*) etiam E — 3. *haec*] *hic* B (non E) — 8. *vitam beatam* B E: *beatam vitam* M O — *putavit* spurium videtur Bakio de emend. Cic. Oratore p. 40. — 9. *repugnet* B — *eundem et beatum* O cum Manutio — *malis*] *modis* B C — 10. *quo modo*] *quō* B E. Cf. ad p. 156, 16. — 13. *quibusdam malis* B: *malis quibusdam* O — 18. *audient* B E — 19. *paene* B C: *porro* O; *plane* Madvigius in commentario. — 21. *Et* om. B — 24. *quod ego* B E — 25. *quaerebam* Madvig et Wesenberg: *quaeram* codd. et O — 27. *possit efficere* O — 28. *Quo* B: *Quo igitur* O — 33. *Quid quidem* B E — *solet* om. B — *ebulli rem* B — 35. *curo* (non *curae*) etiam E — 36. *cur*] *quid* Madvig in commentario; *quin* Ieep in Iahnii Annall vol. 73 p. 297 sq. — *in natura*] *in* (Phalaridis) *tauro* Graserus; *innatum natura* Ieep. — 37. *esse* om. B — 39. *quae* nos: *que quē* B; *quae quidem* M O. «Quid particula *quidem* in hac forma orationis (*eadem, quae quidem*)

viderunt, valetudinem, vires, staturam, formam, integritatem unguiculorum omnium *bona*, deformitatem, morbum, debilitatem mala. 81. Iam illa externa parce tu quidem, sed haec cum corporis bona sint, eorum conficientia certe in bonis numerabis, amicos, liberos, propinquos, divitias, honores, opes. Contra haec attende me nihil dicere: *illud dicere*, si ista mala sunt, in quae potest incidere sapiens, sapientem esse non satis esse ad beate vivendum. Immo vero, inquit, ad beatissime vivendum parum est, ad beate satis. Animadverti, inquam, te isto modo paulo ante ponere et scio ab Antiocho nostro dici sic solere. Sed quid minus probandum quam esse aliquem beatum nec satis beatum? Quod autem satis est, eo quicquid accesserit, nimium est: et nemo nimium beatus est: † et nemo beato beatior. 82. Ergo, inquit, tibi Q. Metellus, qui tris filios consules vidit, e quibus unum etiam et censorem et triumphantem, quartum autem praetorem, eosque salvos reliquit et tris filias nuptas, cum ipse consul, censor, augur fuisset et triumphasset, ut sapiens fuerit, nonne beatior quam, ut item sapiens fuerit, qui in potestate hostium vigiliis et inedia necatus est, Regulus?

XXVIII. 83. Quid me istud, inquam, rogas? Stoicos roga. Quid igitur, inquit, eos responsuros putas? nihilo beatiorem esse Metellum quam Regulum. Inde igitur, inquit, ordiendum est. Tamen a proposito, inquam, aberramus; non enim quaero, quid verum, sed quid cuique dicendum sit. Utinam quidem dicerent alium alio beatiorem! iam ruinas videres. In virtute enim sola et in ipso honesto cum sit bonum positum, cumque nec virtus, ut placet illis, nec honestum crescat, idque bonum solum sit, quo qui potiatur necesse est beatus sit, cum augeri id non possit, in quo uno positum est beatum esse, qui potest esse quisquam alius alio beatior? Videsne, ut haec concinant? Et hercule — fatendum est enim quod sentio — mirabilis est apud illos contextus rerum. Respondent extrema primis, media utrisque, omnia omnibus; quid sequatur, quid repugnet, vident. Ut in geometria, prima si dederis, danda sunt omnia: concede nihil esse bonum, nisi quod honestum sit, concedendum est in virtute *esse* positam vitam beatam. Vide rursus retro. Dato hoc, dandum est illud: quod vestri non item. 84. «Tria genera bonorum»: proclivi currit oratio: venit ad extremum, haeret in salebra; cupit enim dicere nihil posse ad beatam vitam deesse sapienti. Honesta oratio, Socratica, Platonis etiam. Audeo dicere, in-

---

agat, nescio.» Madvig. — ii] *hy* B; om. O — 2. *omnium bona, deformitatem* Lambinus: *omnium deformitatem* codd.; *omnium:* † *deformitatem* O — 3. *quidem*] *quid* B — *sed* † *haec* O — 5. *me nihil dicere: illud dicere, si* Madvigius: *me nihil dicere si* B; *me nihil dicere sed si* G; *me* [*nihil*] *dicere: si* O — 6. *sunt*] fort. *sint* — *satis esse ad b. uiuendum* B: *esse ad b. v. satis* M O — 8. *beate* B: *beate vero* codd. deteriores; *beate* [*vero*] O — 9. Ante v. *dici* in E nota est incerta (non *et*) — *quod minus* B E — 10. *nec satis beatum* om. B — 12. *et nemo beato*] *nemo ergo beato* Madvigius in commentario; *et* delevit Kernius. Mendi nota abest ab O — *tris* B E: *tres* O — 13. *triumphantem*] *triumphantem vidit* B — 15. *consul, censor*] *censor consul esset* B — *et* om. B — 18. *inquam, rogas* B: *rogas, inquam* O — 20. *ordiendum* Madvigius (in commentario): *audiendum* codd. et O; † *audiendum* M — 21. *enim quaero* B: *enim, inquam, quaero* M O — *cuiquam* B — 27. *Et* om. B — 28. *quod*] *ut* B E — 30. *quod sequatur* B E — *quid* om. B — *videret* B — *Ut in* B: *In* O — 32. *virtute*] *virtute sola* O — *esse positam* nos: *positam esse* M O; *esse* om. codd. — *vitam beatam* B: *beatam vitam* O — 33. *date* B — *est* B: *erit* M O — 34. *venit -- dicere* Nonius p. 477.

quit. Non potes, nisi retexueris illa: paupertas si malum est, mendicus esse beatus nemo potest, quamvis sit sapiens. At Zeno eum non beatum modo, sed etiam divitem dicere ausus est. Dolere malum est: in crucem qui agitur beatus esse non potest. Bonum liberi, misera orbitas: bonum patria, miserum exsilium: bonum valetudo, miser morbus: bonum integritas corporis, misera debilitas: bonum incolumis acies, misera caecitas. Quae si potest singula consolando levare, universa quo modo sustinebit? Sit enim idem caecus, debilis, morbo gravissimo affectus, exsul, orbus, egens, torqueatur eculeo: quem hunc appellas, Zeno? Beatum, inquit. Etiam beatissimum? Quippe, inquiet, cum docuerim gradus istam rem non *magis* habere quam virtutem, in qua sit ipsum etiam beatum. 85. Tibi hoc incredibile, quod beatissimum. Quid? tuum credibile? Si enim ad populum me vocas, eum, qui ita sit affectus, beatum esse numquam probabis: si ad prudentes, alterum fortasse dubitabunt, sitne tantum in virtute, ut ea praediti vel in Phalaridis tauro beati sint, alterum non dubitabunt, quin et Stoici convenientia sibi dicant et vos repugnantia. Theophrasti igitur, inquit, tibi liber ille placet de beata vita? Tamen aberramus a proposito, et, ne longius, prorsus, inquam, Piso, si ista mala sunt, placet. 86. Nonne igitur, inquit, tibi videntur mala? Id quaeris, inquam, in quo, utrum respondero, verses te huc atque illuc necesse est. Quo tandem modo? inquit. Quia, si mala sunt, is, qui erit in iis, beatus non erit: si mala non sunt, iacet omnis ratio Peripateticorum. Et ille ridens, Video, inquit, quid agas: ne discipulum abducam, times. Tu vero, inquam, ducas licet, si sequetur: erit enim mecum, si tecum erit.

XXIX. Audi igitur, inquit, Luci: tecum enim mihi instituenda oratio est. Omnis auctoritas philosophiae, ut ait Theophrastus, consistit in beata vita comparanda; beate enim vivendi cupiditate incensi omnes sumus. 87. Hoc mihi cum tuo fratre convenit. Quare hoc videndum est, possitne nobis hoc ratio philosophorum dare. Pollicetur certe. Nisi enim id faceret, cur Plato Aegyptum peragravit, ut a sacerdotibus barbaris numeros et caelestia acciperet? cur post Tarentum ad Archytam? cur ad reliquos Pythagoreos, Echecratem, Timaeum, Arionem Locros, ut,

---

1. *potes* G et Davisius: *potest* ceteri codd. et M O — 2. *eum*] *cum* B E — 3. *dolere* (non *dolore*) etiam E — *malum est* B C D: *est* om. O — 4 *qui agitur* C D: *quia igitur* B — *misera orb.* codd.: *miserum orb.* O cum Davisio — 5. *miser morbus* Madvigius: *morbus* (om. *miser*) B; *miserum morbus* ceteri codd et O — 6. *misera* - - *misera* codd.: *miserum* - - *miserum* O cum Davisio. — 7. *quo modo*] *quõ* E; cf. ad p. 200, 10. — 8. *sustinebis* B E — 9. *aculeo* B E — 10. *cum docuerim* - - *non magis habere* Madvigius (in adnotatione): *cum docuerim* - - *non habere* B G; *cum tam docuerim* - - *non habere* M O — 12. *quod* Madvigius (in adnotatione): *quid* B; *quia* E M O. «Quoniam non tantum propter hoc incredibilis Zenonis sententia est, sed hoc ipsum in illa sententia incredibile est, poterat Cicero scribere et scripsisset fortasse rectius: *incredibile, quod beatissimum* (dicit).» Madv. — 14. *esse* B: om. O — 15. *uel* (non *ut*) etiam E — 16. *sunt* B — 19. *igitur, inquit, tibi videntur* G: *inquit igitur tibi videntur* B; *igitur tibi videntur, inquit* M O. Cf. §§ 69. 83. 85. — 20. *quaeris* Manutius: *quaeres* codd. — *utrum respondero* Lambinus: *respondebo utrum* B E; *utrum respondebo* ceteri codd. — 22. *hys* B; *his* O — 24. *sequetur* B: *sequatur* O — 26. *tecum enim* Lambinus: *tecum enim, ut ait Theophrastus* codd. et O — 27. *Omnis* - - *comparanda* Nonius p. 256. — *ut ait Theophrastus* Lambinus: om. codd., Nonius, O — *constituit* Nonius. — 28. *enim vivendi enim cup.* B E — *vivendi* - - *convenit* Nonius p. 274. — 29. *Hoc*] *atque hoc* Nonius. — 33. *arrionem* B; *Acrionem* M O. Cf. Kempf ad Val. Max. p. 627.

cum Socratem expressisset, adiungeret Pythagoreorum disciplinam eaque, quae Socrates repudiabat, addisceret? cur ipse Pythagoras et Aegyptum lustravit et Persarum magos adiit? cur tantas regiones barbarorum pedibus obiit, tot maria transmisit? cur haec eadem Democritus? qui — vere falsone, *non* quaeremus — dicitur se oculis privasse, certe, ut quam minime animus a cogitationibus abduceretur, patrimonium neglexit, agros deseruit incultos, quid quaerens aliud nisi vitam beatam? Quam si etiam in rerum cognitione ponebat, tamen ex illa investigatione naturae consequi volebat bono ut esset animo. Id enim ille summum bonum εὐθυμίαν et saepe ἀθαμβίαν appellat, id est animum terrore liberum. 88. Sed haec etsi praeclare, nondum tamen perpolita; pauca enim, neque ea ipsa enucleate, ab hoc de virtute quidem dicta. Post enim haec in hac urbe primum a Socrate quaeri coepta, deinde in hunc locum delata sunt, nec dubitatum quin in virtute omnis ut bene, sic etiam beate vivendi spes poneretur. Quae cum Zeno didicisset a nostris, ut in actionibus praescribi solet, DE EADEM RE ALIO MODO. Hoc tu nunc in illo probas. Scilicet vocabulis rerum mutatis inconstantiae crimen ille effugit, nos effugere non possumus! Ille Metelli vitam negat beatiorem quam Reguli, praeponendam tamen, nec magis expetendam, sed magis sumendam et, si optio esset, eligendam Metelli, Reguli reiciendam: ego, quam ille praeponendam et magis eligendam, beatiorem hanc appello, nec ullo minimo momento plus ei vitae tribuo quam Stoici. 89. Quid interest, nisi quod ego res notas notis verbis appello, illi nomina nova quaerunt, quibus idem dicant? Ita quem ad modum in senatu semper est aliquis, qui interpretem postulet, sic isti nobis cum interprete audiendi sunt. Bonum appello, quicquid secundum naturam est, quod contra, malum, nec ego solus, sed tu etiam, Chrysippe, in foro, domi: in schola desinis. Quid ergo? aliter homines, aliter philosophos loqui putas oportere? Quanti quidque sit, aliter docti et indocti. Sed cum constiterit inter doctos, quanti res quaeque sit — si homines essent, usitate loquerentur —, dum res maneant, verba fingant arbitratu suo.

XXX. 90. Sed venio ad inconstantiae crimen, ne saepius dicas me aberrare: quam tu ponis in verbis, ego positam in re putabam. Si satis erit hoc perceptum, in quo adiutores Stoicos optimos habemus, tantam vim esse virtutis, ut omnia, si ex altera parte ponantur, ne appareant quidem, cum omnia, quae illi commoda certe dicunt esse et sumenda et eligenda et praeposita — quae ita definiunt, ut satis magno aestimanda sint —, haec igitur cum ego tot nominibus a Stoicis appellata,

---

5. *non* Davisius: om. codd. et O — *quaeremus* G: *quaereremus* B; ┼ *quaereremus* O — *se oculis* B: *oculis se* O — 7. *vitam beatam* B: *beatam vitam* O — 9. *Id*] *ideo* B O, in qua scriptura haec significari videtur Madvigio: *id est enim illi summum bonum*; *εὐθυμίαν* cet. — 11. *tamen* B G: *tamen et* codd. dett.; *tamen* ┼ *et* O — 12. *ab hoc enucleate* B E (falsus est Madvigius) — *quidem*] *quam* B — 14. *sint* B — *nec dubium* D — *in* om. B — 16. *de eadem re* B: ┼ *de re eadem* O — *alio modo* Manutius: *fecit alio modo* codd. et O; [*fecit*] *alio modo* M. Cf. Epp. ad Fam. XIII, 27, 1. — 17. *Scilicet*] *si* E — 20. *Ego*] *Et* B — 22. *minimo*] *omnino* B — 24. *idem dicant*] *illa appellant* B; *illa appellent* C — 25. *cum interpretem* B E — 26. *quod*] *quam* B — 29. *oportere? Quanti quidque sit, aliter docti et indocti* B et Lambinus: *oportere*, [*quanti quidque sit?*] *aliter doctos et indoctos?* O — 30. *essent*] *si* B; *se* E — 31. *maneat* B — 32. *ne*] *ut* B; *ut* E; *ut ne* Goerenzius — 36. *quidem*] *quid* B.

partim novis et commenticiis, ut ista producta et reducta, partim idem significantibus — quid enim interest expetas an eligas? mihi quidem etiam lautius videtur quod eligitur et ad quod dilectus adhibetur —, sed, cum ego ista omnia bona dixero, tantum refert quam magna dicam; cum expetenda, quam valde. Sin autem nec expetenda ego magis quam tu eligenda, nec illa pluris aestimanda ego, qui bona, quam tu, qui producta appellas, omnia ista necesse est obscurari nec apparere et in virtutis tamquam in solis radios incurrere. 91. At enim, qua in vita est aliquid mali, ea beata esse non potest. Ne seges quidem igitur spicis uberibus et crebris, si avenam uspiam videris, nec mercatura quaestuosa, si in maximis lucris paulum aliquid damni contraxerit. An hoc usque quaque, aliter in vita? et non ex maxima parte de tota iudicabis? an dubium est quin virtus ita maximam partem obtineat in rebus humanis, ut reliquas obruat? Audebo igitur cetera, quae secundum naturam sunt, bona appellare nec fraudare suo vetere nomine potius quam aliquod novum exquirere, virtutis autem amplitudinem quasi in altera librae lance ponere. 92. Terram, mihi crede, ea lanx et maria deprimet. Semper enim ex eo, quod maximas partes continet latissimeque funditur, tota res appellatur. Dicimus aliquem hilare vivere: ergo, si semel tristior effectus est, hilara vita amissa est? At hoc in eo M. Crasso, quem semel ait in vita risisse Lucilius, non contigit, ut ea re minus ἀγέλαστος, ut ait idem, vocaretur. Polycratem Samium felicem appellabant: nihil acciderat ei quod nollet, nisi quod anulum, quo delectabatur, in mari abiecerat. Ergo infelix una molestia, felix rursus, cum is ipse anulus in praecordiis piscis inventus est? Ille vero, si insipiens — quod certe, quoniam tyrannus —, numquam beatus: si sapiens, ne tum quidem miser, cum ab Oroete praetore Darei in crucem actus est. «At multis malis affectus.» Quis negat? sed ea mala virtutis magnitudine obruebantur.

XXXI. 93. An ne hoc quidem Peripateticis concedis, ut dicant, omnium bonorum virorum, id est sapientium, omnibus virtutibus ornatorum, vitam omnibus partibus plus habere semper boni quam mali? Quis hoc dicit? Stoici scilicet. Minime, sed isti ipsi, qui voluptate et dolore omnia metiuntur, nonne clamant sapienti plus semper adesse quod velit quam quod nolit? Cum tantum igitur in virtute ponant ii, qui

---

2. *quidem*] *quid* B — 3. *latius* B D (non E) — *dilectus* B E: *delectus* M O — 5. *valde sint autem* B E — 6. *pluris existimanda* E — *quam qui cum prodiit appellas* B — 8. *virtutis* Manutius: *virtutes* codd — 9. *quidem*] *quid* B E — 10. *mercatura*] *michi tura* B E — 11. *paulum* Bremius: *parum* codd; † *parum* M O. Cf ad p. 199, 16. — 12. *usque quaque aliter in vita, et non* O — 14. *reliqua* Goerenzius — *cetera* B: om. O — 15. *sunt* cod. Leidensis: *sint* B M O — *vetere* nos: *veteri* codd. et M O. Vid. Wesenberg ad or. p. Sestio p. 7 sq. — 16. *potius quam aliquod* Lambinus: *potius quam aliud* G; *quam aliquid* (*aliquam* BE) *potius* ceteri codd. et O; † *quam aliquid potius* M — *acquirere* E — 17. *ea*] *ut* B; *et* E — 20. *At*] *an* B D — 21. *Crassum illum, quem Cicero auctore Lucilio semel in vita risisse scribit* Macrob. Sat. II, 1, 6. — *ut* (non *aut*) *ea* etiam E — 22. *agelastus* B E — *aut ait* B E — 23. *acciderat* B — *annulum* - - *annulus* B O — 24. *in mare* Victorius — 27. *quidem*] *quid* B E; item v. 30. — *Oroete* Victorius: *oronte* codd. (etiam E) — 28. *At*] *et* B — 31. *bonorum virorum* B: *virorum bonorum* M O — 33. *Stoici scilicet* Lambinus: *stoicis licet* codd. — *ista* B — 34. *mentiuntur* B — 35. *ponunt* Bake ad Cic. de Legg. p. 375 sq. — *ii*] *hy* B; *hi* O.

fatentur se virtutis causa, nisi ea voluptatem crearet, ne manum quidem versuros fuisse, quid facere nos oportet, qui quamvis minimam animi praestantiam omnibus bonis corporis anteire dicamus, ut ea ne in conspectu quidem relinquantur? Quis est enim qui hoc cadere in sapientem dicere audeat, ut, si fieri possit, virtutem in perpetuum abiciat, ut dolore omni liberetur? Quis nostrum dixerit, quos non pudet ea, quae Stoici aspera dicunt, mala dicere, melius esse turpiter aliquid facere cum voluptate quam honeste cum dolore? 94. Nobis Heracleotes ille Dionysius flagitiose descivisse videtur a Stoicis propter oculorum dolorem. Quasi vero hoc didicisset a Zenone, non dolere, cum doleret! Illud audierat nec tamen didicerat, malum illud non esse, quia turpe non esset, et esse ferendum viro. Hic si Peripateticus fuisset, permansisset, credo, in sententia, qui dolorem malum dicunt esse, de asperitate autem eius fortiter ferenda praecipiunt eadem quae Stoici. Et quidem Arcesilas tuus, etsi fuit in disserendo pertinacior, tamen noster fuit; erat enim Polemonis. Is cum arderet podagrae doloribus, visitassetque hominem Charmides, Epicuri perfamiliaris, et tristis exiret, Mane quaeso, inquit, Charmide noster; nihil illinc huc pervenit: ostendit pedes et pectus. Ac tamen hic mallet non dolere.

XXXII. 95. Haec igitur est nostra ratio, quae tibi videtur inconstans, cum propter virtutis caelestem quandam et divinam tantamque praestantiam, ut, ubi virtus sit resque magnae et summe laudabiles virtute gestae, ibi esse miseria et aerumna non possit, tamen labor possit, possit molestia, non dubitem dicere omnes sapientes semper beatos esse, sed tamen fieri posse ut sit alius alio beatior. Atqui iste locus est, Piso, tibi etiam atque etiam confirmandus, inquam: quem si tenueris, non modo meum Ciceronem, sed etiam me ipsum abducas licebit. 96. Tum Quintus, Mihi quidem, inquit, satis hoc confirmatum videtur, laetorque eam philosophiam, cuius antea supellectilem pluris aestimabam quam possessiones reliquarum — ita mihi dives videbatur, ut ab ea petere possem quicquid in studiis nostris concupissem —, hanc igitur laetor etiam acutiorem repertam quam ceteras, quod quidam ei deesse dicebant. Non quam nostram quidem, inquit Pomponius iocans, sed me hercule pergrata mihi fuit oratio tua. Quae enim dici Latine posse non arbitrabar, ea dicta sunt a te, nec minus plane quam dicuntur a

---

1. *fatentur se* E G: *fatentur si* B; *se fatentur* O — *voluptatem crearet* nos: *voluptate maceret* B; *voluptatem acciret* M O — *quidem*] *quid* B E — 3. *praestantiam animi* B — 6. *quos*] *quis* B E — 9. *oculorum*] *genu* D. «Volebat *renum*, ut est Tusc. II, § 60.» OR. — 10. *Quasi* Lambinus: *Quis* codd. — *didicisset et a* B E — 12. *et esse* Manutius: *et esset* codd. et O — *viro*] *vero* B — 13. *qui* B: *quoniam* O — *malum dicunt* B E: *dicunt malum* M O — *esse. De* E (non *se*) O — 17. *Charmides* B: *Carneades* ceteri codd. et M; *Corniades* cum Davisio O — *epicurus* B — 18. *carmide* B; *carnide* E; *Carneade* M; *Corniade* O — 20. *est* non om. E — 21. *virtutes* B — 22. *et* om. B — 25. *esse beatos* B — *sint* B (non E) — 28. *quidem*] *quid* B — 29. *laetorque eam* Davisius: *laetor quidem* codd. et O — 30. *quam*] *quid* B E — *reliquarum* Madvig et Wesenberg: *reliquorum* codd. et O — 32. *quidam* (non *quidem*) etiam E — 34. *mihi fuit* G et Madvigius (in adnotatione): *fuit mihi* Lambinus; *fuit* om. ceteri codd. et M O — 35. *a te nec minus plane uerbis quam dicuntur a Graecis aptis* B; *a te nec minus plane, quam dicuntur a Graecis, nec minus aptis uerbis* G; *a te verbis aptis, nec minus plane quam dicuntur a Graecis* Schuetzius.

Graecis [verbis aptis]. Sed tempus est, si videtur, et recta quidem ad me. Quod cum ille dixisset et satis disputatum videretur, in oppidum ad Pomponium perreximus omnes.

---

1. Verba seclusa a Cicerone aliena esse primus vidit Goerenzius. Est manifestum glossema ad adverbium *plane*. — *a me* E G — *Expliciunt quinque libri de finibus bonorum et malorum Marci tuly Ciceronis* B E.

SUPPLEMENTA ADNOTATIONIS.

Pag. 154, 31. «Fortasse tamen Cicero solum genitivum superioribus adiunxit, significans haec, quae dicerent illi, hominum esse non spinas vellentium. Si enim sic scripsisset: *quam magnifica sunt,* rectissime per adpositionem adderetur: *hominum* cet. Nunc cum ante dixerit: *quam magnifice sunt dicta ab illis!* post plura interposita liberiore quadam brevitate orationis usus videri potest, quae sic explenda sit: *quam magnifice sunt dicta ab illis* — (ita ut ea sint) *hominum* cet. Post *hominum* facillime *non* excidere potuit. Sed adfirmari nihil potest.» MADVIG.

Pag. 183, 21. *Quoniam autem -- natura desideret*] Uniuscuiusque ex his tribus membris sententia plana est et perspicua, neque oppositionis ratio, quae inter secundum ac tertium membrum intercedit, quemquam fallere potest. Sed qua ratione primo membro secundum per causalem particulam *enim* adiungi potuerit, non intelligo. An forte propterea omnium animalium finis hic est, ut natura expleatur, quoniam quaedam iis inter se communia sunt? Scribendum est haud dubie *nihil etiam prohibet.* SCHOEMANN (Opusc. Acad. III, p. 399).

Pag. 186, 21. «Ne sic quidem (recepta Davisii emendatione *quia*) locum sanum esse arbitror. Nam *contineri* prima commendatione homines non alio sensu latine dici posse iudico, nisi ut ea *coërceri, cohiberi, frenari* dicantur, quod alienum esse apparet. Scribendum itaque *qui continetur,* ut relativum referatur ad illum appetitum rerum ad naturam accommodatarum, qui sane continetur prima commendatione naturae, h. e. quem haec in se habet et complectitur, eiusque fons et causa est. Nam propterea quod se quisque diligit, fit ut ea appetat, quae pertineant ad naturam explendam.» SCHOEMANN (ibidem).

M. TULLII CICERONIS

TUSCULANARUM DISPUTATIONUM

AD M. BRUTUM

LIBRI QUINQUE.

RECOGNOVIT

IO. GEORGIUS BAITERUS.

NOTARUM INDEX.

G = cod. Gudianus num. 294 (ap. Ebert. n. 238, Gud. I apud Moserum). Hunc codicem Fr. G. Schneidewinus in editione Moseriana Tusculanarum vol. I p. XIV ita descripsit: «Membranaceus in 4. minore; in una quaque pagina 20 versus habet; lineae ductae sunt instrumento acuto, ut aliquot locis dissecta membrana sit. Praeter Tusculanas nihil continet. In fronte Lauterbachius, bibliothecae olim ab epistolis, notavit: *Codex integer et bonae notae.* Saeculo scriptus est decimo nonove et plerumque conspirat cum Regio optumo. Verba ipsa nullo intervallo distincta cohaerent, scribendi compendia fere nulla. Scribendi ratio integra et Cicerone digna, ut quae Beierianam rationem plerumque sequatur. Ubi verba mutata sunt, mutata sunt a manu librario fere aequali, interdum ab eadem manu.» Denuo eum excussit Halmius, cuius collatione multi errores, qui in editione Moseriana deprehenduntur, correcti sunt. Is Schneidewini verbis haec addidit: «Conspirat codex cum insigni Parisino n. 6332, quem Regium vocant, fere ad verbum; nec tamen alter ab altero descriptus est, sed ex communi fonte deducti sunt, pretio inter se pares. Altera manus, quae in codice apparet, aequalis videtur, saltem est perantiqua; videturque exemplum ad illud, ex quo codex descriptus est, ab alio homine diligenter recognitum et loci quidam, quos librarius in transcribendo praetermisit, suppleti esse. Versiculi, quibus cod. Regius distinctus est, in Gudiano quoque comparent. Plene exstant in prima codicis pagina; in proximis paginis librarius, ubi novus versus in cod. archetypo erat, maius intervallum in mediis lineis reliquit novique versus initium littera maiore distinxit. (Alias nusquam litterae maiores inveniuntur neque in nominibus appellativis neque in propriis.) Postea autem haec quoque intervalla omisit et versiculos nulla re nisi litteris maioribus distinxit. Plane iidem sunt atque ii, quos habet cod. Regius. Personarum distinctiones codex tantum habet usque ad § 10 extremam libri I. Constat codex quaternionibus numeratis 17, foliis 136, ut singuli quaterniones octona folia habeant.»

R = cod. Regius Parisiensis n. 6332, saeculi noni, forma quartana, binis in quaque pagina columnis, versiculis secundum enuntiationes et sententias distinctus, velut L. 1 § 1 et 2: *Cum -- revocavi.* || *Et cum -- putavi.* || *Non quia -- elaborarent.* || *Nam mores -- et legibus.* || *Quid loquar -- etiam disciplina.* || *Iam illa -- sunt conferenda.* || *Quae enim -- comparanda.* Dubitationem ex repugnantia collationum adhuc institutarum, Gudianae, Bergerianae, Krarupianae, passim ortam prorsus sustulit Halmii diligentia, qui hunc quoque codicem accuratissime excussit.

B = cod. Bruxellensis (olim Gemblacensis) n. 5351 et 5352, saeculi duodecimi, forma maxima, binis columnis exaratus, quarum singulae 43 versus habent. Constat 36 foliis, quorum 33 et dimidium Tusculanus, cetera orationem pro A. Licinio Archia poëta continent. Hunc codicem ipse contuli.

C = codices G R B.

W = A. S. Wesenberg, qui tribus libellis scholasticis (Viburgi annis 1841, 1843, 1844) scripsit atque defendit *Emendationes M. Tullii Ciceronis Tusculanarum Disputationum*. Wesenbergii argumentationem, cum eius libelli vel in Dania, nedum apud nostrates, sint rarissimi, commentario nostro inseruimus.

O = ed. Orelliana prior a. 1828.

In rebus orthographicis nisi monito lectore a scriptura codicum G R non discessi. E codice B neque scribendi rationem nisi raro, neque omnia menda enotavi. Emendationes, quarum auctorem non indicavi, debentur vel codicibus interpolatis vel antiquis editionibus.

LIBER PRIMUS.

I. 1. Cum defensionum laboribus senatoriisque muneribus aut omnino aut magna ex parte essem aliquando liberatus, rettuli me, Brute, te hortante maxime ad ea studia, quae retenta animo, remissa temporibus, longo intervallo intermissa revocavi, et cum omnium artium, quae ad rectam vivendi viam pertinerent, ratio et disciplina studio sapientiae, quae philosophia dicitur, contineretur, hoc mihi Latinis litteris inlustrandum putavi, non quia philosophia Graecis et litteris et doctoribus percipi non posset, sed meum semper iudicium fuit omnia nostros aut invenisse per se sapientius quam Graecos aut accepta ab illis fecisse meliora, quae quidem digna statuissent in quibus elaborarent. 2. Nam mores et instituta vitae resque domesticas ac familiaris nos profecto et melius tuemur et lautius, rem vero publicam nostri maiores certe melioribus temperaverunt et institutis et legibus. Quid loquar de re militari? in qua cum virtute nostri multum valuerunt, tum plus etiam disciplina. Iam illa, quae natura, non litteris adsecuti sunt, neque cum Graecia neque ulla cum gente sunt conferenda. Quae enim tanta gravitas, quae tanta constantia, magnitudo animi, probitas, fides, quae tam excellens in omni genere virtus in ullis fuit, ut sit cum maioribus nostris comparanda? 3. Doctrina Graecia nos et omni litterarum genere superabat, in quo erat facile vincere non repugnantes. Nam cum apud Graecos antiquissimum e doctis genus sit poëtarum, si quidem Homerus fuit et Hesiodus ante Romam conditam, Archilochus regnante Romulo, serius poëticam nos

---

INSCRIPTIO. *M. TULLII CICERONIS TUSCULANARUM INCIPIT LIBER PRIMUS* G; *MARCI TULLII CICERONIS TUSCULANARUM DISPUTATIONUM INCIPIT LIBER PRIMUS* B: inscriptione caret R[1], sed spatium vacuum a rubricatore relictum sic explevit manus recentior saeculi XV: *M. TULLII CICERONIS TUSCULANARUM QUAESTIONUM LIBRI V.* — *Tusculanas disputationes* hos libros vocat ipse Cicero V § 1. de fato § 4. ad Att. XV, 2, 4. 4, 2. Lactantius III, 13. Boëthius ad Top. p. 372, 30 ed. Bait.; *Tusculanas* simpliciter Grammatici Latini, Nonius, Charisius, Diomedes, Priscianus, ceteri.

2. *retuli* C O — 12. *latius* R[1].

accepimus. Annis [enim] fere CCCCCX post Romam conditam Livius fabulam dedit C. Claudio, Caeci filio, M. Tuditano consulibus anno ante natum Ennium [qui fuit maior natu quam Plautus et Naevius]. II. Sero igitur a nostris poëtae vel cogniti vel recepti. Quamquam est in Originibus solitos esse in epulis canere convivas ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus, honorem tamen huic generi non fuisse declarat oratio Catonis, in qua obiecit ut probrum M. Nobiliori, quod is in provinciam poëtas duxisset; duxerat autem consul ille in Aetoliam, ut scimus, Ennium. Quo minus igitur honoris erat poëtis, eo minora studia fuerunt, nec tamen, si qui magnis ingeniis in eo genere extiterunt, non satis Graecorum gloriae responderunt. 4. An censemus, si Fabio, nobilissimo homini, laudi datum esset quod pingeret, non multos etiam apud nos futuros Polyclitos et Parrhasios fuisse? Honos alit artes, omnesque incenduntur ad studia gloria, iacentque ea semper, quae apud quosque improbantur. Summam eruditionem Graeci sitam censebant in nervorum vocumque cantibus: igitur et Epaminondas, princeps meo iudicio Graeciae, fidibus praeclare cecinisse dicitur, Themistoclesque aliquot ante annis, cum in epulis recusaret lyram, est habitus indoctior. Ergo in Graecia musici floruerunt, discebantque id omnes, nec qui nesciebat satis excultus doctrina putabatur. 5. In summo apud illos honore geometria

---

1. *enim* B: om. G R, «quod non, ut Bentleio visum est, rectius abest, quia *igitur* sequitur; ea enim particula hoc loco non simpliciter concludentis est, sed conclusione ex parenthesi facta ad superiora redeuntis.» W. — *CCCCCX* Manutius: *CCCCX* R B et (inter *C* et *X* superscr. syll. *us*) G — 2. *C.*] *gaio* G B (de R propter laesam membranam non constat) — *claudo* (superscr. *i*) G — *cōs.* G B — 3. Unci absunt ab O. «Quae verba Tregderus ex Buherii coniectura delevit *qui* (= *is autem* i. e. Livius) *fuit* - - *et Naevius*, non modo non falsa (cf. Brut. 18, 72 sq.) neque supervacanea, sed ad illud, in quo tota argumentatio consistit, significandum, *primum* omnium Livium fabulam docuisse, plane necessaria sunt. Pronominis ad nomen remotius illud quidem, sed de quo tum maxime ageretur, relati exempla si requiras, cf. § 27. 74 (*idem* i. e. Socrates). 75 (*quo, quam*) II, 37 (*quae*). IV, 49 (*cuius*). Catil. IV, 17 (*quorum* i. e. eorum, qui in tabernis sunt). Verrin. V, 98 (*quae superata est*). Milon. 70. p. Tullio 50, ubi *qui* ad *maiores nostri* (49) referendum est (cf. Emendd. Cic. Epist. Haun. 1840 p. 122. Catil. III, 22. Muren. § 89. Har. Resp. 28. 58. Balb. 9. Lael. 68, ubi vide ne ex codicum vestigiis scribendum sit *qui locis ipsis delectemur* sive *delectamur*). Divin. II, 70 (*quam* i. e. opinionem). Wopk. Lectt. Tull. p. 192.» W. Rectius Kuehnerus: «Quid vero? si concedamus, *qui* referendum esse ad Livium, ut temporum ratio constet, nonne istud additamentum ieiunum plane est et languidum, hoc videlicet loco, ubi non de temporum ratione quaeritur, sed obiter tantum Livii aetas commemoratur. Longe alia res est in Bruto l. d., ubi de industria et dedita opera in Livii aetatem inquiritur. Itaque equidem non dubito quin verba *qui* - - *Naevius* a glossatore, qui loci dicti in Bruto memor esset, ad accuratius definiendam Livii aetatem margini adscripta, postea alieno loco in ipsum verborum ordinem adscita sint.» (Conf. Ritschl Parerga Plautina I p. 48 sqq.) — 7. *M.*] *marco* C — 10. *si qui* (corr. ab eadem manu ex *sic qui*) B: *sic qui* G R. «Quod Tregderus ex G R, aliis, scripsit *nec tamen sic, qui* —, num Ciceronianum sit, equidem vehementer dubito. Quod enim *sic* esse volunt, id iam in *tamen* inest. Modestiore autem illa dubitatione, quam habet *si qui*, quid in hanc Romanorum cum Graecis comparationem magis convenit? Particularum *si* et *sic* confusio cum frequentissima est (III, 22 G R[1] B[1] *si* pro *sic*), tum h. l. geminato sequentis litterae sono facillima fuit (V, 54 codd. nonnulli *sic cum* pro *si cum*).» W. — 11. *cessemus* R — 13. *Polycletos* O — *Honos* - - *accenduntur* - - *improbantur* Augustinus de civ. dei V, 13. — *incendimur* Bentley et Cobet Mnemos. V, 247. — 16. *graecis* C — 17. *temistoclesque* G — 18. *annos* C. Cf. Hand Tursell. I, p. 370 sqq. — *liram* C — *est habitus indoctior* Quintilianus I, 10, 19.

fuit, itaque nihil mathematicis inlustrius. At nos metiendi ratiocinandique utilitate huius artis terminavimus modum.

III. At contra oratorem celeriter complexi sumus, nec eum primo eruditum, aptum tamen ad dicendum, post autem eruditum. Nam Galbam, Africanum, Laelium doctos fuisse traditum est, studiosum autem eum, qui iis aetate anteibat, Catonem; post vero Lepidum, Carbonem, Gracchos; inde ita magnos nostram ad aetatem, ut non multum aut nihil omnino Graecis cederetur. Philosophia iacuit usque ad hanc aetatem nec ullum habuit lumen litterarum Latinarum; quae inlustranda et excitanda nobis est, ut, si occupati profuimus aliquid civibus nostris, prosimus etiam, si possumus, otiosi. 6. In quo eo magis nobis est elaborandum, quod multi iam esse libri Latini dicuntur scripti inconsiderate ab optimis illis quidem viris, sed non satis eruditis. Fieri autem potest ut recte quis sentiat et id, quod sentit, polite eloqui non possit; sed mandare quemquam litteris cogitationes suas, qui eas nec disponere nec inlustrare possit nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis est intemperanter abutentis et otio et litteris. Itaque suos libros ipsi legunt cum suis, nec quisquam attingit praeter eos, qui eandem licentiam scribendi sibi permitti volunt. Qua re si aliquid oratoriae laudis nostra attulimus industria, multo studiosius philosophiae fontis aperiemus, e quibus etiam illa manabant.

IV. 7. Sed ut Aristoteles, vir summo ingenio, scientia, copia, cum motus esset Isocratis rhetoris gloria, dicere *docere* etiam coepit adulescentes et prudentiam cum eloquentia iungere, sic nobis placet nec pristinum dicendi studium deponere et in hac maiore et uberiore arte versari. Hanc enim perfectam philosophiam semper iudicavi, quae de maximis quaestionibus copiose posset ornateque dicere, in quam exercitationem ita nos studiose dedimus, ut iam etiam scholas Graecorum more habere auderemus: ut nuper tuum post discessum in Tusculano, cum essent complures mecum familiares, temptavi quid in eo genere possem. Ut enim antea declamitabam causas, quod nemo me diutius fecit, sic haec mihi nunc senilis est declamatio. Ponere iubebam de quo quis audire vellet: ad id aut sedens aut ambulans disputabam. 8. Itaque dierum quinque scholas, ut Graeci appellant, in totidem libros contuli. Fiebat autem ita, ut cum is, qui audire vellet, dixisset quid sibi videretur, tum ego contra dicerem. Haec est enim, ut scis, vetus et Socratica ratio contra alterius opinionem disserendi; nam ita facillime

---

1. *At*] *ad* G R[1] — 6. *his* C O — *Carbonem* Beroaldus: *catonem* C — 10. *ut si - - otiosi* Nonius p. 355. — 11. *possimus* ab eadem m. corr. in *possumus* G — 12. *Latini libri* O — 14. *it* corr. in *id* eadem m. G — 19. *laudis* C: *laudi* O. Cf. Wopkens Lectt. Tull. p. 68 sq. ed. Hand. — 22. *scientia, copia* Lambinus: *scientiae copia* C — *copia commotus esset* C. «Nuper Io. Bakius Schol. Hypomn. IV, 71 in eandem, quam ego olim proposui, coniecturam incidit, ut *commotus* pro *cum motus esset* scribi vellet, quod negavit hoc, quod dicitur hic, ad unum vel factum vel tempus pertinere. Qua in re aperte falsus est. Nam Cicero ipse dixit de Orat. III § 141 Aristotelem mutavisse tum *repente* totam formam prope disciplinae suae, ut sane ad unum tempus res pertinere videatur.» Klotz. — 23. *socratis* C — *rethoris* G R — *docere* om. C; post *adulescentes* est in O — 26. *haec* ab eadem m. corr. in *hanc* R — 28. *nos* om. B — *dedimus* Muretus: *operam dedimus* C — *scolas* C — 30. *cumplures* G[1] R[1] — 31. *possim* C — 32. *lubebam* G — 33. *ad*] *at* C — 34. *scolas* G R — 35. *cum his* G — *audiri* G R.

quid veri simillimum esset inveniri posse Socrates arbitrabatur; sed quo commodius disputationes nostrae explicentur, sic eas exponam, quasi agatur res, non quasi narretur. Ergo ita nascetur exordium.

V. 9. *A.* Malum mihi videtur esse mors. *M.* Iisne, qui mortui sunt, an iis, quibus moriendum est? *A.* Utrisque. *M.* Est miserum igitur, quoniam malum. *A.* Certe. *M.* Ergo et ii, quibus evenit iam ut morerentur, et ii, quibus eventurum est, miseri. *A.* Mihi ita videtur. *M.* Nemo ergo non miser. *A.* Prorsus nemo. *M.* Et quidem, si tibi constare vis, omnes, quicumque nati sunt eruntve, non solum miseri, sed etiam semper miseri. Nam si solos eos diceres miseros, quibus moriendum esset, neminem tu quidem eorum, qui viverent, exciperes — moriendum est enim omnibus —, esset tamen miseriae finis in morte; quoniam autem etiam mortui miseri sunt, in miseriam nascimur sempiternam. Necesse est enim miseros esse eos, qui centum milibus annorum ante occiderunt, vel potius omnis, quicumque nati sunt. *A.* Ita prorsus existimo. 10. *M.* Dic, quaeso: num te illa terrent, triceps apud inferos Cerberus, Cocyti fremitus, travectio Acherontis,

Mento summam aquam attingens enectus siti Tantalus,

tum illud, quod

Sisyphus versat
Saxum sudans nitendo neque proficit hilum,

fortasse etiam inexorabiles iudices, Minos et Rhadamanthus? apud quos nec te L. Crassus defendet nec M. Antonius nec, quoniam apud Graecos iudices res agetur, poteris adhibere Demosthenen: tibi ipsi pro te erit maxima corona causa dicenda. Haec fortasse metuis et idcirco mortem censes esse sempiternum malum. VI. *A.* Adeone me delirare censes, ut ista esse credam? *M.* An tu haec non credis? *A.* Minime vero. *M.* Male hercule narras. *A.* Cur? quaeso. *M.* Quia disertus esse possem, si contra ista dicerem. 11. *A.* Quis enim non in eius modi causa? aut quid negotii est haec poëtarum et pictorum portenta convincere? *M.* Atqui pleni libri sunt contra ista ipsa disserentium philosophorum. *A.* Inepte sane. Quis enim est tam excors quem ista moveant? *M.* Si ergo apud inferos miseri non sunt, ne sunt quidem apud inferos ulli. *A.* Ita prorsus existimo. *M.* Ubi sunt ergo ii, quos miseros dicis, aut quem locum incolunt? Si enim sunt, nusquam esse non possunt. *A.* Ego vero nusquam esse illos puto. *M.* Igitur ne esse quidem? *A.* Prorsus isto modo, et tamen miseros ob id ipsum quidem, quia nulli sint. 12. *M.* Iam

---

3. *ergo* om. R in spatio vacuo, sed add. in marg. — 4. Litteras *A.* et *M.* ubique om. B — *Hisne* - - *his* C — 6. *hi* - - *hi* C — 7. Post *miseri* interrogandi signum habent GR — 17. *coycli* R — 18. *summam aquam attinget senectus siti Tantalus* Nonius p. 401. — *summam aqüam attingens* Lachmannus ad Lucret. p. 379 (at v. Ritschl M. Rhen. N. S. VIII p. 154); *summam aquam nitenti attingens* Ritschl M. Rh. IX p. 155 (conf. VII p. 598 sq.); *summum laticem attingens* Otto Ribbeck. — *enectus siti Tantalus* Priscianus IX, 6, 34; *siti enecatus Tantalus* F. A. Wolfius, O; *enectus Tantalus siti* Herm. Sauppius. — *tantulus* GR — 19. *tum illud quod Sisyfus* - - *hilum* Nonius p. 121 et 353. — *tum* C: *num* O — 20. *sisyphius* GR et (superscr. ab eadem m. *phus*) B — 23. *defendet* om. R — 24. *Demosthenem* BO — 27. *te* corr. ab eadem m. in *tu* G — 28. *M.* om. G — *dissertus* priore *s* deleta R — 29. *aut quid negoti est* - - *convincere?* Nonius p. 375. — 30. *M.* om. G — 31. *sunt libri* O — *dissenentium* G^1R; *dissonantium* G^2 — *A.*] *M.* G — 32. *est enim* O — *M.* om. G — 33. *prossus* G — 34. *ergo sunt* O — *hi* C — 36. *M.* om. G — *A.* om. G (sine colo) — 37. *sunt* O; vide ad p. 212, 47.

mallem Cerberum metueres quam ista tam inconsiderate diceres. *A.* Qui tandem? *M.* Quem esse negas, eundem esse dicis. Ubi est acumen tuum? Cum enim miserum esse dicis, [tum] eum, qui non sit, dicis esse. *A.* Non sum ita hebes, ut istud dicam. *M.* Quid dicis igitur? *A.* Miserum esse verbi causa *M.* Crassum, qui illas fortunas morte dimiserit, miserum Cn. Pompeium, qui tanta gloria sit orbatus, omnis denique miseros, qui hac luce careant. *M.* Revolveris eodem; sint enim oportet, si miseri sunt: tu autem modo negabas eos esse, qui mortui essent. Si igitur non sunt, nihil possunt esse: ita ne miseri quidem sunt. *A.* Non dico fortasse etiam quod sentio; nam istuc ipsum non esse, cum fueris, miserrimum puto. 13. *M.* Quid? miserius quam omnino numquam fuisse? ita qui nondum nati sunt miseri iam sunt, quia non sunt, et nos, si post mortem miseri futuri sumus, miseri fuimus ante quam nati. Ego autem non commemini, ante quam sum natus, me miserum: tu si meliore memoria es, velim scire ecquid de te recordere. VII. *A.* Ita iocaris, quasi ego dicam eos miseros, qui nati non sint, et non eos miseros, qui mortui sint. *M.* Esse ergo eos dicis. *A.* Immo, quia non sint, cum fuerint, eo miseros esse. *M.* Pugnantia te loqui non vides? Quid enim tam pugnat quam non modo miserum, sed omnino quicquam esse qui non sit? An tu egressus porta Capena, cum Calatini, Scipionum, Serviliorum, Metellorum sepulchra vides, miseros putas illos? *A.* Quoniam me verbo premis, posthac non ita dicam, miseros esse, sed tantum, miseros, ob id ipsum, quia non sint. *M.* Non dicis igitur: miser est M. Crassus, sed tantum: miser M. Crassus. *A.* Ita plane. 14. *M.* Quasi non necesse sit, quicquid isto modo pronunties, id aut esse aut non esse. An tu dialecticis ne imbutus quidem es? In primis enim hoc traditur: omne pronuntiatum — sic enim mihi in praesentia occurrit ut appellarem ἀξίωμα: utar post alio, si invenero melius — id ergo est pronuntiatum, quod est verum aut falsum. Cum igitur dicis: miser M. Crassus, aut hoc dicis: miser est *M.* Crassus, ut possit iudicari verum id falsumne

---

1. *quid tandem* C. «Ego scribo *Qui tandem?* Aptius enim videtur *Qui fit, ut haec inconsiderate dicam?*, quam aut *Cur ita te malle dicis?* aut *Quid inconsiderate dico?* Cf. § 15: *Quonam modo* (multum mali de h. c. deieci)? § 16. III, 8. V, 15. 32. Partt. Oratt. 12. Legg. I, 1. Terent. Andr. I, 1, 123. V, 4, 51. Eun. II, 2, 42. Hec. III, 1, 39. (Etiam Terent. Andr. IV, 1, 21 pro *Quid tandem?* ego *Qui tandem?* legendum esse opinor. Cic. p. Cluentio § 70 *Quid tandem* ex melioribus codd. Classenius recepit. Ibid. 86 meliores codd. pro *Qui enim* habent *Quid enim*, ut R. P. I, 50 cod. palimps. m. I; cf. Madvig praef. ed. Cat. M. et Lael. p. IV.) In *qui* et *quid* a librariis cum facile, tum saepe peccatum est, ut § 46, ubi G R *qui quod* pro *quid quod*, V, 26 (G R *qui* pro *quid*). Quam ob rem miror Tregderum § 15 ex archetypo restituisse *Ecqui ergo intellegis? Ecqui* non modo nullam nisi unius Plautini loci incertam habet auctoritatem, sed etiam falsam sententiam *(Ecquo modo? = Nullo modo)*. De usu particulae *Ecquid* cf. II, 32 *(Ecquid scis igitur)*. Catil. I, 20. ad Att. II, 2, 3. al. Madvig. Gramm. § 451, b, not.» W. — 3. aut *tu* scribendum (*tu* habet B) aut *tum* delendum videbatur Mosero; *tum* delet etiam Bake Schol. Hypomn. IV, 71 sqq. — 4. *A.* (ante *Miserum*) om. G — 5. *M.* om. C; cf. § 13 sq. — 6. *Gn.* C — 7. *M.* om. G — 9. *A.* om. G — 10. *istud* O — 11. *M.* om. G — 12. *nos ipsi, si* O — 14. *tu similiore* R[1] — 15. *recordare* C — *A.* om. G — 13. *sunt* B O — 17. *miseros* om. O — *sunt* C O. «Scrib. *qui mortui sint* obliquo illo coniunctivo, quem Klotzius et Tregderus ex R restituerunt §§ 11. 12. 14. 25. 35. 46. 80. II, 40. 45.» W. — *M.* et *A.* om. G, in quo hae notae hinc nusquam leguntur, sed colis personae distinguuntur. — 18. *sunt* O — 20. *catilini* G — 23. *sunt* O — 26. *non* corr. in *ne* R — 28. *alio, si*] *alios et* C — 29. *dicis igitur* O — 30. *M.* om. C.

sit, aut nihil dicis omnino. *A.* Age iam concedo non esse miseros, qui mortui sint, quoniam extorsisti ut faterer, qui omnino non essent, eos ne miseros quidem esse posse. Quid? qui vivimus, cum moriendum sit, nonne miseri sumus? quae enim potest in vita esse iucunditas, cum dies et noctes cogitandum sit iam iamque esse moriendum?

VIII. 15. *M.* Ecquid ergo intellegis quantum mali de humana condicione deieceris? *A.* Quonam modo? *M.* Quia, si mori etiam mortuis miserum esset, infinitum quoddam et sempiternum malum haberemus [in vita]: nunc video calcem, ad quam cum sit decursum, nihil sit praeterea extimescendum. Sed tu mihi videris Epicharmi, acuti nec insulsi hominis, ut Siculi, sententiam sequi. *A.* Quam? non enim novi. *M.* Dicam, si potero, Latine; scis enim me Graece loqui in Latino sermone non plus solere quam in Graeco Latine. *A.* Et recte quidem. Sed quae tandem est Epicharmi ista sententia? *M.*

E m o r i n o l o , s e d m e e s s e m o r t u u m n i h i l i a e s t i m o .

***A.* Iam adgnosco Graecum. Sed quoniam coëgisti ut concederem, qui mortui essent, eos miseros non esse, perfice, si potes, ut ne moriendum quidem esse miserum putem. 16. *M.* Iam istuc quidem nihil negotii est, *sed maiora molior*. *A.* Quo modo hoc nihil negotii est? aut quae sunt tandem ista maiora? *M.* Quia, quoniam post mortem mali nihil est, ne mors quidem est malum, cui proxumum tempus est post mortem, in quo mali nihil esse concedis: ita ne moriendum quidem esse malum est; id est enim perveniendum esse ad id, quod non esse malum confitemur. *A.* Uberius ista, quaeso; haec enim spinośiora prius ut confitear me cogunt quam ut adsentiar. Sed quae sunt ea, quae dicis te**

---

2. *sint* G R et (superscr. *u* ab eadem m.) B : *sunt* O — 6. *ecqui* C; vide ad p. 212, 1. — 8. *in vita* suspecta Davisio et Schützio eicienda censet etiam A. de Iongh Symb. litt. VI p. 54: «Quo modo possit sempiternum malum *in vita* esse, si mori mortuis sit malum, non intelligo. Nec potest *in vita* ad sequentia *(in vita nunc video calcem)* trahi. Sic enim significaretur, conspici calcem, ad quam cum esset decursum, aliqua vitae pars remaneret; neque enim vitae finem in vita esse dici potest.» — 14. *epicarmi* h. l. G R — 15. *nihil* C O. «Ut Madvigius Fin. II, 88 spreta codicum utriusque familiae lectione *nihil* vulgatam lectionem *(nihili)* retinuit, sic ego non dubito quin Cicero h. l. scripserit, ut est in editione Aldina, aliis: *nihili*. Neque enim *aestimare* pro sua significatione, ut *existimare, putare,* cett., duplicem accusativum admittit, neque videntur Latini *nihil* umquam ita posuisse, ut plane idem esset quod *nihili* i. e. nullius pretii. *Nihil (aliquid)* cum *quis (quid) esse* dicebatur, *nihil (aliquid) posse (valere)* significabatur, ut ad Famil. VII, 27, 2 *isto ipso in genere, in quo a l i q u i d posse vis, te n i h i l esse*. Divinat. ad Caecil. §§ 47. 49. ad Att. IV, 2, 2. Famil. III, 8, 2. Orat. § 218 *nihil ad rem est* (= Terent. Phorm. V, 5, 21). Tibull. I, 5, 27 sq. Nec mirum, si indocti negligentesve librarii aliquando rarioribus formis *(nihili, nihilo)* tritius illud *nihil* substituerunt, ut de Legg. I, 34. de Offic. I, 72. II, 76. III, 38. Tusc. Dispp. IV, 74.» W. Cf. III § 48. — *estimo* C — 16. *graeco* (superscr. *um*) G —' *Sed* Manutius: *et* C. Vide ad § 82. — 19. *sed maiora molior* W: *sed etiam maiora molior* O; om. C. «Ego sic scribo: *est:* [*sed maiora molior*], abiecta (ut est in Vind. I) particula *etiam*, quae sive augendo comparativo inservit *(noch)*, parum recte ita posita est, quasi *magnum* (difficile) aliquid praecederet, sive prioribus sequentia simpliciter adiungit *(auch)*, non modo necessaria, sed vix commoda est. Ceterum supplementum illud necessarium librarius aliquis recentior ex iis, quae sequuntur: *quae sunt ea, quae dicis t e m a i o r a m o l i r i ?* recte effinxit.» W. Vide ne etiam particula *sed* abicienda sit. — 20. *mortem mali, ne* G R; *mortem nihil est ne* B; *mortem nihil est mali, ne* O. «Ex cod. Bernensi, aliis scribendum est *mali nihil est*: vulgata lectio parum habet auctoritatis; in optimis enim codd. G R *nihil est* ante *ne* excidit.» W. Cf. v. 22. — 23. *id est*] *idē* G R.

maiora moliri? *M.* Ut doceam, si possim, non modo malum non esse, sed bonum etiam esse mortem. *A.* Non postulo id quidem, aveo tamen audire. Ut enim non efficias quod vis, tamen mors ut malum non sit efficies. Sed nihil te interpellabo: continentem orationem audire malo. 17. *M.* Quid? si te rogavero aliquid, nonne respondebis? *A.* Superbum id quidem est; sed, nisi quid necesse erit, malo non roges. IX. *M.* Geram tibi morem et ea, quae vis, ut potero explicabo, nec tamen quasi Pythius Apollo, certa ut sint et fixa quae dixero, sed ut homunculus unus e multis probabilia coniectura sequens. Ultra enim quo progrediar quam ut veri similia videam non habeo: certa dicent ii, qui et percipi ea posse dicunt et se sapientis esse profitentur. *A.* Tu, ut videtur: nos ad audiendum parati sumus.

18. *M.* Mors igitur ipsa, quae videtur notissima res esse, quid sit primum est videndum. Sunt enim qui discessum animi a corpore putent esse mortem; sunt qui nullum censeant fieri discessum, sed una animum et corpus occidere animumque in corpore extingui. Qui discedere animum censent, alii statim dissipari, alii diu permanere, alii semper. Quid sit porro ipse animus aut ubi aut unde, magna dissensio est. Aliis cor ipsum animus videtur, ex quo excordes, vaecordes concordesque dicuntur et Nasica ille prudens bis consul Corculum et

Egregie cordatus homo catus Aelius Sextus.

19. Empedocles animum esse censet cordi suffusum sanguinem. Aliis pars quaedam cerebri visa est animi principatum tenere. Aliis nec cor ipsum placet nec cerebri quandam partem esse animum, sed alii in corde, alii in cerebro dixerunt animi esse sedem et locum. Animum autem alii animam, ut fere nostri. Declarat nomen; nam et agere animam et efflare dicimus [et animosos et bene animatos et ex animi sententia]; ipse autem animus ab anima dictus est. Zenoni Stoico animus ignis videtur. X. Sed haec quidem, quae dixi, cor, cerebrum, animam, ignem volgo; reliqua fere singuli, ut multo ante veteres, proxime autem Aristoxenus, musicus idemque philosophus, ipsius corporis intentionem quandam, velut in cantu et fidibus quae harmonia dicitur; sic ex corporis totius natura et figura varios motus cieri tamquam in cantu sonos. 20. Hic ab artificio suo non recessit et tamen dixit aliquid, quod ipsum quale esset erat multo ante et dictum et explanatum a Platone. Xenocrates animi figuram et quasi corpus negavit esse verum: numerum dixit esse, cuius vis, ut iam ante Pythagorae visum erat, in

---

2. *aveo*] *habeo* C. Cf. § 112. — 4. *te* superscr. in G eadem m. — 5. *non respondebis* O. Vid. Madvig ad Cic. de Finib. II § 10. — 6 *quidem esset; sed* Bake l. l. p. 74. — *ne roges* O — 10. *videam similia* O — *hi* G R, *hii* B — 14. *putant* C — 18. *aut ubi -- cor ipsum animus* in G in margine inferiore suppleta sunt eadem m. — *aut unde -- concordesque dicuntur* Nonius p. 66. — 26. *nostri. Declarat nomen. Nam* Davisius: *nostri declarant nomen. Nam* C; *nostri declarant nomine. Nam* Wolfius, O; *nostri declarant: nam* Bake l. l. p. 74. Cf. Philipp. V § 43. X § 24. — 27. *et animosos -- sententia* delenda esse primus vidit Schuetzius; λογικὸν ἁμάρτημα Ciceronis ipsius quam glossema maluit agnoscere O — 29. *cor* C: *cor, sanguinem* O. «Omisit *sanguinem* Cicero, quod unius hominis haec erat opinio, non vulgo hoc putabatur.» Klotz. — 30. *singuli: ut multo ante* Bentley (coll. v. 35): *singuli ut multi ante* C; *singuli. Ut † multi ante* O — 31. *misicus* corr. eadem m. in *musicus* R — 32. *armonia* G R — 36. *esse verum: numerum* Klotzius: *esse, verum numerum* O; *esse, [verum] numerum* Tregderus. «Scilicet is quoque recte

natura maxuma esset. Eius doctor Plato triplicem finxit animum, cuius principatum, id est rationem, in capite sicut in arce posuit et duas partes ei parere voluit, iram et cupiditatem, quas locis suis, iram in pectore, cupiditatem subter praecordia locavit. 21. Dicaearchus autem in eo sermone, quem Corinthi habitum tribus libris exponit, doctorum hominum disputantium primo libro multos loquentis facit; duobus Pherecraten quendam Phthiotam senem, quem ait a Deucalione ortum, disserentem inducit, nihil esse omnino animum et hoc esse nomen totum inane frustraque animalia et animantis appellari, neque in homine inesse animum vel animam nec in bestia, vimque omnem eam, qua vel agamus quid vel sentiamus, in omnibus corporibus vivis aequabiliter esse fusam nec separabilem a corpore esse, quippe quae nulla sit nec sit quicquam nisi corpus unum et simplex, ita figuratum, ut temperatione naturae vigeat et sentiat. 22. Aristoteles longe omnibus — Platonem semper excipio — praestans et ingenio et diligentia, cum quattuor nota illa genera principiorum esset complexus, e quibus omnia orerentur, quintam quandam naturam censet esse, e qua sit mens. Cogitare enim et providere et discere et docere et invenire aliquid et tam multa alia, meminisse, amare, odisse, cupere, timere, angi, laetari, haec et similia eorum in horum quattuor generum inesse nullo putat: quintum genus adhibet vacans nomine, et sic ipsum animum *ἐνδελέχειαν* appellat novo nomine quasi quandam continuatam motionem et perennem.

XI. Nisi quae me forte fugiunt, haec sunt fere de animo sententiae. Democritum enim, magnum illum quidem virum, sed levibus et rotundis corpusculis efficientem animum concursu quodam fortuito, omittamus; nihil est enim apud istos quod non atomorum turba conficiat. 23. Harum sententiarum quae vera sit deus aliqui viderit: quae veri simillima, magna quaestio est. Utrum igitur inter has sententias diiudicare malumus an ad propositum redire? *A.* Cuperem equidem utrumque, si posset, sed est difficile confundere. Qua re si, ut ista non disserantur, liberari mortis metu possumus, id agamus; sin id non potest nisi hac quaestione animorum explicata, nunc, si videtur, hoc, illud alias. *M.* Quod malle te intellego, id puto esse commodius. Efficiet enim ratio ut, quaecumque vera sit earum sententiarum, quas exposui, mors aut malum non

---

putabat particulae *verum* locum esse nullum. Potest enim dici *Xenocrates animi -- negavit esse* (= dixit animum non habere -- corpus), *verum* (vel *sed*) *numerum* (vel *numerumque*) *esse*: *negavit —, verum (sed) — dixit* non item; requiritur asyndeton, ut § 77: *diu mansuros aiunt animos, semper negant.* Manutius ex deteriorum codd. scriptura fecit *esse ullum, numerum —*, quod mihi magis probatur, cui veri similius videatur *ullum* in *uerum* esse depravatum quam ab ullo librario *verum* ac non *sed* additum. Cf. Acad. II, 124 *an* (animus est). *ut Xenocrates, numerus nullo corpore.*» W. — 1. *animum* Bentley: *animam* C — 3. *partes ei parere* Davisius: *partes separare* C; *partes parere* O — *locis suis* Davisius: *locis* C (nisi quod R in marg. recentissima m. additum habet *disclusit*); *locis disclusit* O — 4. *dicearcus* G R (in G superscr. *h*) — 5. *dictorum* G R — 7. *Pherecratem* R O — *pthiotam* C — 9. *frustraque et animalia* O — 16. *orirentur* O — 17. *esset* G (in marg. correctum) R — 21. *endelecheian* C; *ἐντελέχειαν* O — *appellant* corr. in *appellat* eadem m. G — 23. *hae* B² O — 24. *quidem illum* O — 26. *nihil est enim apud istos, quos non eorum turba conficiat* Nonius p. 269. — *Harum -- viderit* Lactantius VII, 8. — 28. *diudicare* corr. ead. m. in *diiudicare* G — 29. *possit* G¹, corr. in *posset* eadem m. — 34. «*vera est* Tregderus ex sua coniectura, fortasse minus necessaria; cf. V, 83. (II, 42. V, 108. Offic. III, 20. Madv. Opusc. p. 481 not.)» W. — *sentiarum* R.

sit aut sit bonum potius. 24. Nam si cor aut sanguis aut cerebrum est animus, certe, quoniam est corpus, interibit cum reliquo corpore; si anima est, fortasse dissipabitur; si ignis, extinguetur; si est Aristoxeni harmonia, dissolvetur. Quid de Dicaearcho dicam, qui nihil omnino animum dicat esse? His sententiis omnibus nihil post mortem pertinere ad quemquam potest; pariter enim cum vita sensus amittitur; non sentientis autem nihil est ullam in partem quod intersit. Reliquorum sententiae spem adferunt, si te hoc forte delectat, posse animos, cum e corporibus excesserint, in caelum quasi in domicilium suum pervenire. *A.* Me vero delectat, idque primum ita esse velim, deinde, etiam si non sit, mihi persuaderi tamen velim. *M.* Quid tibi ergo opera nostra opus est? num eloquentia Platonem superare possumus? Evolve diligenter eius eum librum, qui est de animo: amplius quod desideres nihil erit. *A.* Feci me hercule et quidem saepius; sed nescio quo modo, dum lego, adsentior, cum posui librum et mecum ipse de immortalitate animorum coepi cogitare, adsensio omnis illa elabitur. 25. *M.* Quid hoc? dasne aut manere animos post mortem aut morte ipsa interire? *A.* Do vero. *M.* Quid? si maneant? *A.* Beatos esse concedo. *M.* Sin intereant? *A.* Non esse miseros, quoniam ne sint quidem; nam istuc coacti a te paulo ante concessimus. *M.* Quo modo igitur aut cur mortem malum tibi videri dicis, quae aut beatos nos efficiet animis manentibus aut non miseros sensu carentis?

XII. 26. *A.* Expone igitur, nisi molestum est, primum, si potes, animos remanere post mortem, tum, si minus id obtinebis — est enim arduum —, docebis carere omni malo mortem. Ego enim istuc ipsum vereor ne malum sit, non dico carere sensu, sed carendum esse. *M.* Auctoribus quidem ad istam sententiam, quam vis obtineri, uti optimis possumus, quod in omnibus causis et debet et solet valere plurimum, et primum quidem omni antiquitate, quae quo propius aberat ab ortu et divina progenie, hoc melius ea fortasse, quae erant vera, cernebat.

27. Itaque unum illud erat insitum priscis illis, quos cascos appellat Ennius, esse in morte sensum neque excessu vitae sic deleri hominem, ut funditus interiret; idque cum multis aliis rebus, tum e pontificio iure et e caerimoniis sepulchrorum intellegi licet, quas maxumis ingeniis praediti nec tanta cura coluissent nec violatas tam inexpiabili religione sanxissent, nisi haereret in eorum mentibus mortem non interitum esse omnia tollentem atque delentem, sed quandam quasi migrationem commutationemque vitae, quae in claris viris et feminis dux in caelum soleret esse, in ceteris humi retineretur et permaneret tamen. 28. Ex hoc et nostrorum opinione

Romulus in caelo cum dis agit aevum,

---

1. *aut* ante *sanguis* superscr. in G — 2. *corpore* (superscr. ead. m. *tempore*) B; *tempore* G R — 8. *forte hoc* O — 18. *quod si* R — 19. *nam*] *iam* C — *istud* O — 20. *con* in rasura G — 21. *efficiat* Bake l. l. p. 74. — 23. *animos*, *si potes* O — *potest* corr. ead. m. in *potes* G — 24. *obtenebis* G R¹ — 25. *istud* O — 26. *ne*] *me* G — 27. *obtimis* R — 30. *cernebant* corr. in *cernebat* B; *cercebant* R et (alteri *c* superscr. *n*) G — 31 *cassos* R — 33. *idquae* R — 34. *e* om. O — *cerimoniis* G R — *sepulchorum* R — 35. *inexpiabile* C — 41. *Romulus in caelo cum dis genitalibus aevum degit* Servius ad Aen. VI, 764. — *diis* C.

ut famae adsentiens dixit Ennius, et apud Graecos indeque perlapsus ad nos et usque ad Oceanum Hercules tantus et tam praesens habetur deus; hinc Liber Semela natus eademque famae celebritate Tyndaridae fratres, qui non modo adiutores in proeliis victoriae populi Romani, sed etiam nuntii fuisse perhibentur. Quid? Ino Cadmi filia nonne *Λευκοθέα* nominata a Graecis Matuta habetur a nostris? Quid? totum prope caelum, ne pluris persequar, nonne humano genere completum est? XIII. 29. Si vero scrutari vetera et ex iis ea, quae scriptores Graeciae prodiderunt, eruere coner, ipsi illi maiorum gentium di qui habentur hinc profecti in caelum reperientur. Quaere quorum demonstrentur sepulcbra in Graecia; reminiscere, quoniam es initiatus, quae tradantur mysteriis: tum denique quam hoc late pateat intelleges. Sed qui nondum ea, quae multis post annis tractari coepta sunt, physica didicissent, tantum sibi persuaserant, quantum natura admonente cognoverant: rationes et causas rerum non tenebant, visis quibusdam saepe movebantur iisque maxime nocturnis, ut viderentur ei, qui vita excesserant, vivere. 30. Ut porro firmissimum hoc adferri videtur, cur deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit inmanis, cuius mentem non imbuerit deorum opinio: multi de dis prava sentiunt — id enim vitioso more effici solet —, omnes tamen esse vim et naturam divinam arbitrantur, nec vero id conlocutio hominum [aut consensus] effecit, non institutis opinio est confirmata, non legibus: omni autem in re consensio omnium gentium lex naturae putanda est: quis est igitur qui suorum mortem primum non eo lugeat, quod eos orbatos vitae commodis arbitretur? Tolle hanc opinionem, luctum sustuleris. Nemo enim maeret suo incommodo: dolent fortasse et anguntur; sed illa lugubris lamentatio fletusque maerens ex eo est, quod eum, quem diliximus, vitae commodis privatum arbitramur idque sentire. Atque haec ita sentimus natura duce, nulla ratione nullaque doctrina.

XIV. 31. Maxumum vero argumentum est naturam ipsam de inmortalitate animorum tacitam iudicare, quod omnibus curae sunt et maxumae quidem, quae post mortem futura sint.

Serit arbores, quae alteri saeclo prosint,

ut ait *Statius* in Synephebis, quid spectans nisi etiam postera saecula ad

---

5. *quid? Ino -- a nostris?* Nonius p. 66. — *inhocadmi* (superscr. *c*, ut sit *in hoc cadmi*) G — 7. *Si vero -- vetera et ex illis ea, quae -- intelliges* Lactantius I, 15. — 8. *ex his* C O — 9. *dii* C O — *hinc* Bake l. l. p. 74 sq. (coll. §§ 74. 99. de lege agr. II § 94): *hinc nobis* C; *hinc a nobis* O — 10. *repperientur* G R — *demonstrentur* Augustinus de Cons. Evang. I, 23 et (mutatum ead. m. in *demonstrantur*) G: *demonstrantur* R B O — 11. *traduntur* O — 13. *tractari coepta sunt* Keilius (Quaestt. Tull. specim. p. XI): *tractare coepissent* C; *tractari coepissent* O. Cf. Nipperdey Quaestt. Caesar. p. 19. — *phisica* G R — *dicissent* R¹ — 14. *cognouerunt* C — 15. *hisque* C — 16. *ii* O — 18. *sit* B: *fit* G R; *est* Madvig. Cf. § 13. — *inmanus* R¹ — 19. *diis* C O — *id enim*] *idem* R — 21. *aut consensus* ante nos seclusit Tischerus; *aut consessus* coniecit Bouhier (cf. § 37). — *effecit* Bouhier: *efficit* C — 22. *omnia* R¹ — *hominum* R¹ — 28. *hoc* O. «Recte, ut de una sententia, Or. ex Bern., aliis: *Atque hoc* (i. e. eum, quem diliximus, vitae commodis se privatum sentire) *ita sentimus* (= iudicamus; cf. § 108. II, 8. V, 21. ad Famil. I, 7, 5. Madvig ad Fin. II, 6 cum addendis.» W. — 31. *maxume* C — 33. *serit Arbores quae alteri saeculo prosient* God. Hermannus. — *seculo* O — 34. *ut ait in* C et Tregderus coll. Madvig ad Fin. V, 31. «Ego sic: *ut ait* [*ille*] *in S.* Cf. Famil. IX, 20, 1. in Pison. 43. N. D. III, 68. 72. 75. Cat. M. 24. Divin. I, 24. Offic. I, 150. al. — N. D. I, 13. ubi Archet.: *Ita-*

se pertinere? Ergo arbores seret diligens agricola, quarum aspiciet bacam ipse numquam: vir magnus leges, instituta, rem publicam non seret? Quid procreatio liberorum, quid propagatio nominis, quid adoptiones filiorum, quid testamentorum diligentia, quid ipsa sepulchrorum [monumenta] elogia significant nisi nos futura etiam cogitare? 32. Quid illud? num dubitas quin specimen naturae capi deceat ex optima quaque natura? Quae est melior igitur in hominum genere natura quam eorum, qui se natos ad homines iuvandos, tutandos, conservandos arbitrantur? Abiit ad deos Hercules: numquam abisset, nisi, cum inter homines esset, eam sibi viam munivisset.

XV. Vetera iam ista et religione omnium consecrata. Quid in hac re publica tot tantosque viros ob rem publicam interfectos cogitasse arbitramur? isdemne ut finibus nomen suum quibus vita terminaretur? Nemo umquam sine magna spe inmortalitatis se pro patria offerret ad mortem. 33. Licuit esse otioso Themistocli, licuit Epaminondae, licuit, ne et vetera et externa quaeram, mihi; sed nescio quo modo inhaeret in mentibus quasi saeclorum quoddam augurium futurorum, idque in maximis ingeniis altissimisque animis et exsistit maxime et apparet facillime. Quo quidem dempto quis tam esset amens qui semper in laboribus et periculis viveret? 34. Loquor de principibus: quid poëtae? nonne post mortem nobilitari volunt? Unde ergo illud?

Aspicite, o cives, senis Enni imaginis formam.
Hic vestrum panxit maxima facta patrum.

Mercedem gloriae flagitat ab iis, quorum patres adfecerat gloria, idemque:

Nemo me lacrimis *decoret nec funera fletu*
Faxit. cur? volito vivos per ora virum.

Sed quid poëtas? opifices post mortem nobilitari volunt. Quid enim Phidias sui similem speciem inclusit in clupeo Minervae, cum inscribere *nomen*

---

que mihi libet exclamare, ut in Synephebis, aut *ille* ante *in* aut *est* excidisse videtur: nisi forte Cicero ex *exclamare* durius intelligi voluit *exclamatur*. Latine dici *inquit* pro *inquit aliquis, inquit adversarius* (ut § 93) aliud est. Lael. § 98 subiectum verbi *inquit* ex *milites gloriosi* facile intelligitur; p. Sest. § 102 *inquit* sine subiecto positum est, quasi praecederet: *a poëta verissime dictum est.*» W. Alii non minus bene suppleverunt *ut ait Statius in S.*; cf. Cato M. § 24. — *in sine phebis* G R; *in sinephoebis* B — 2. *non seret*] *conseret* C — 3. *progatio* R — 4. *monumenta elogia* C: *monumenta, quid elogia* O. (*monumenta* primus seclusit Tregderus.) — 14. *offert* Bake l. l. p. 76, sed *sine magna spe* est idem quod *nisi magna spes esset*. — 16. *in* superscr. ead. m. in G — 17. *seculorum* O — 19. *quod* G R (sed in G littera *d* puncto notata est) — 20. *quod* corr. in *quid* G — 23. *pinxit* C — 24. *ab his* C — 25. *decoret -- faxit* om. C. «Miror Tregderum duorum codd. auctoritati tantum tribuisse, ut in mediis Ennii versibus verba *decoret nec funera fletu faxit* omitteret. Neque vero Cicero umquam sic medios versus mutilat; cf. Emendd. Epp. p. 3. Mirum etiam si posteriore loco (§ 117. cf. Cat. M. § 73) sententiam *(Nemo -- faxit)* absolvit, priore interrupit. (De pravis cod. Regii omissionibus cf. §§ 16. 20. II, 7. III, 13. al.)» W. — 27. *poëtas*] *putas* C — 28. *nomen* Ernestius: om. C O. «Excidit in Archetypo, ut alia multa, sic h. l. ante *non* sive, ut Ernestio visum est, *nomen* sive *nomen suum*. Ut enim *inscribere* absolute *(eine Aufschrift anbringen)* ponere licuerit, quod mihi quidem dubium est, tamen h. l., quid inscribere non licuisset, dici necesse fuit (nam praeter *nomen* artificis alia quoque inscribi potuerunt), cum praesertim *sui similem speciem* requireret, quod (per chiasmum) ex contrario poneretur.» W. In novissima editione Klotzius codicum lectionem defendit usitata formula *statuam inscribere* (Accusat. II § 167) atque cogitatione adsumit Minervam vel potius Minervae statuam. Sed quis Ciceronem credat intra paucissimos versus (cf. p. 219, 2) in verbo *inscribere* tam diversam structuram adhibuisse? Cf. Bergk *Zeitschr. f. Alterthw.* 1847 p. 255.

non liceret? quid nostri philosophi? nonne in iis libris ipsis, quos scribunt de contemnenda gloria, sua nomina inscribunt? 35. Quod si omnium consensus naturae vox est omnesque, qui ubique sunt, consentiunt esse aliquid quod ad eos pertineat, qui vita cesserint, nobis quoque idem existimandum est et si, quorum aut ingenio aut virtute animus excellit, eos arbitramur, quia natura optima sint, cernere naturae vim maxume, veri simile est, cum optumus quisque maxume posteritati serviat, esse aliquid, cuius is post mortem sensum sit habiturus.

XVI. 36. Sed ut deos esse natura opinamur qualesque sint ratione cognoscimus, sic permanere animos arbitramur consensu nationum omnium, qua in sede maneant qualesque sint ratione discendum est: cuius ignoratio finxit inferos easque formidines, quas tu contemnere non sine causa videbare. In terram enim cadentibus corporibus iisque humo tectis, e quo dictum est **humari**, sub terra censebant reliquam vitam agi mortuorum. Quam eorum opinionem magni errores consecuti sunt, quos auxerunt poëtae. 37. Frequens enim consessus theatri, in quo sunt mulierculae et pueri, movetur audiens tam grande carmen:

Adsum atque advenio Acherunte vix via alta atque ardua
Per speluncas saxis structas asperis, pendentibus,
Maxumis, ubi rigida constat crassa caligo inferum.

Tantumque valuit error, qui mihi quidem iam sublatus videtur, ut, corpora cremata cum scirent, tamen ea fieri apud inferos fingerent, quae sine corporibus nec fieri possunt nec intellegi. Animos enim per se ipsos viventis non poterant mente complecti: formam aliquam figuramque quaerebant. Inde Homeri tota νεκυία, inde ea, quae meus amicus Appius νεκυομαντεῖα faciebat, inde in vicinia nostra Averni lacus,

Unde animae excitantur obscura umbra, aperto ex ostio
Altae Acheruntis, falso sanguine, mortuorum imagines.

Has tamen imagines loqui volunt, quod fieri nec sine lingua nec sine palato nec sine faucium, laterum, pulmonum vi et figura potest. Nihil enim animo videre poterant: ad oculos omnia referebant. 38. Magni

---

1. *in his* C O — *ipsis libris* O — 4. *cesserunt* O — 6. *arbitrabimur* C. «Klotzius mirum illud *si arbitrabimur* sic interpretatur, ut sit: *si arbitrabimur, quod tamen ego nunc fore ut arbitremur confido* (Germanica sua versione: *da wir annehmen müssen*). Ut illud omittam, sic certe *excellet* quoque scribendum fuisse, quaero, cur Cicero id iudicium generale in futurum distulerit, quod tum fieri non modo posset, sed iam dictum esset; cf. § 32: *Num* **dubitas**, *quin specimen naturae capi deceat ex optima quaque natura?* § 33 *idque* - - **apparet** *facillime.* Itaque in locum futuri mirabilis simplex et naturale praesens substituamus. Ne quis autem miretur a librario aliquo illatam syllabam *bi* (notamve eius) similes errores in Archetypo non pauci sunt, ut I, 40. 59. 62. 78. 95. II, 19. 49. 52. 61. III, 34. 46. 57. 63. 75. IV, 59. V, 16. 87. 120. Cf. Emendd. Epp. p. 63.» W. — *sunt* B O — 9. *opinamur, quales sint* O. Th. Keil l. l. p. XI. — 12. *ingnoratio* G — 13. *isque* B, *hisque* G R O — 16. *consensus* B; *consensu* G R — 20. *ubi* - - *inferum* Nonius p. 272. — 23. *possunt* Ernestius: *possent* C O. Cf. v. 29 sq. — 25. *necyia* G B; *NECYIA* R — 26. *νεκυομαντεῖα* Davisius: *NEPCYOmantia* R: *nepsyomantia* G; *nepsiomantia* B; *νεκρομαντεῖα* O — *vicinia*] *uicia* G, *uitia* R B — 27. *aperto ex ostio* Madvigius: *apertae hostio* G R; *opertae ostio* B et Davisius; *aperto ostio* O — 28. *Altae* Klotzius (coll. Nonio p. 191): *alte* G R; *alto* B; *Alti* O — *salso* C — *imagines mortuorum* C (. . . . . . *obscura umbra opertae ex ostio* || . . . *alti Acheruntis* . . *salso sanguine* O. Ribbeck Trag. Lat. Reliq. p. 208, verbis *unde animae excitantur* ad Ciceronem relatis; idem verba *mortuorum imagines* e margine illata esse suspicatur coll. Cic. de Divinat. I § 63).

autem est ingenii sevocare mentem a sensibus et cogitationem ab consuetudine abducere. Itaque credo equidem etiam alios tot saeculis, sed, quod litteris exstet, Pherecydes Syrius primus dixit animos esse hominum sempiternos, antiquus sane; fuit enim meo regnante gentili. Hanc opinionem discipulus eius Pythagoras maxime confirmavit, qui cum Superbo regnante in Italiam venisset, tenuit magnam illam Graeciam cum [honore] disciplina, tum etiam auctoritate, multaque saecula postea sic viguit Pythagoreorum nomen, ut nulli alii docti viderentur.

XVII. Sed redeo ad antiquos. Rationem illi sententiae suae non fere reddebant, nisi quid erat numeris aut discriptionibus explicandum. 39. Platonem ferunt, ut Pythagoreos cognosceret, in Italiam venisse et didicisse Pythagorea omnia, primumque de animorum aeternitate non solum sensisse idem quod Pythagoram, sed rationem etiam attulisse. Quam, nisi quid dicis, praetermittamus et hanc totam spem inmortalitatis relinquamus. *A.* An tu, cum me in summam expectationem adduxeris, deseris? Errare me hercule malo cum Platone, quem tu quanti facias scio et quem ex tuo ore admiror, quam cum istis vera sentire. 40. *M.* Macte virtute! ego enim ipse cum eodem isto non invitus erraverim. Num igitur dubitamus sicut pleraque — quamquam hoc quidem minime; persuadent enim mathematici —, terram in medio mundo sitam ad universi caeli complexum quasi puncti instar optinere, quod *κέντρον* illi vocant? eam porro naturam esse quattuor omnia gignentium corporum, ut, quasi partita habeant inter se ac divisa momenta, terrena et umida suopte nutu et suo pondere ad paris angulos in terram et in mare ferantur, reliquae duae partes, una ignea, altera animalis, ut illae superiores in medium locum mundi gravitate ferantur et pondere, sic hae rursum rectis lineis in caelestem locum subvolent, sive ipsa natura superiora adpetente sive quod a gravioribus leviora natura repellantur? Quae cum constent, perspicuum debet esse animos, cum e corpore ex-

---

1. *revocare* C. «Ego, ut Orellius, ex Augustino (ad Volus. ep. 3), cui soli § 29 debetur verissimae scripturae *demonstrentur* auctoritas, praefero *sevocare (abzurufen, abzuziehen)*, quod et sequenti *abducere* melius respondet et solet a Cicerone de mente ab iis, quae sensibus percipiuntur, abstrahenda poni, ut Nat. Deor. III, 21 *mentem ab oculis sevocare*; cf. Divin. I, 63. Tusc. Disp. I, 72. 75. *Revocare,* i. e. ab incepto aliquo statu (actioneve) ad pristinum (iustum legitimumque) reducere, in tales locos cadit, quales sunt hi: III, 46 *(a maerore ad cogitationem bonorum)*. § 33. de R. P. II, 25. (cf. § 27. p. Sulla § 46. ad Att. XIII, 1, 2.) Caes. B. G. III, 17. Quinctil. II, 6, 2. Scilicet librarius facili, praesertim post *referebant,* errore rarius vocabulum depravavit.» W. — — 3. *quot* G — *quod in litteris* Wesenbergius coll. de Inv. I, 39. — *exstet* C: *exstet* [*proditum*] O — *syrus primum* C — 4. *antiquos* (litterae o superscr. *v* i. e. *u*) R — 7. *honore. disciplina* C; *honore disciplinae* Lambinus, O. «Tregderus *honore* recte deleri voluit, quanquam aliud esse iudicium video Wesenbergii, sed honor ab auctoritate, quae deinde disciplinae opponitur, non diversus est.» HERM. SAUPPE. — *multaque saecula postea reviguit Pythagoreorum nomen* Nonius p. 500. — 10. *descriptionibus* B O — 12. *dedicisse* G R — 15. *Ain' tu* Davisius, O. «Cf. V, 35. 73. de Rep. I, 19. Madv. Fin. p. 61.» W. — 18. *Macte virtute* Nonius p. 341. — *isto* W (coll. Obs. in Sest. p. 9 et Madv. Opusc. p. 131): *ipso* C O. Cf. Reisig Schol. Lat. § 246 cum Haasii adnot. 378. — 19. *sicut* Bentley: *an sicut* C; [*an,*] *sicut* O — *pleraque* C: *pleraque,* [*sic et hoc?*] O — 21. *centron* C — 23. *terrena* C: *ut terrena* O — 24. *umida* superscr. *h* G, *humida* O — 25. *mari* G R — *ille* G — 26. *superioris* G R — 27. *sursum* O — *calestem* G — *superiora -- natura* in margine a m. recenti habet R — 28. *sive quod -- quae cum constet* Nonius p. 273.

cesserint, sive illi sint animales, id est spirabiles, sive ignei, sublime ferri. **41.** Si vero aut numerus quidam est animus, quod subtiliter magis quam dilucide dicitur, aut quinta illa non nominata magis quam non intellecta natura, multo etiam integriora ac puriora sunt, ut a terra longissime se ecferant. Horum igitur aliquid animus est, ne tam vegeta mens aut in corde cerebrove aut in Empedocleo sanguine demersa iaceat.

XVIII. Dicaearchum vero cum Aristoxeno aequali et condiscipulo suo, doctos sane homines, omittamus, quorum alter ne condoluisse quidem umquam videtur, qui animum se habere non sentiat, alter ita delectatur suis cantibus, ut eos etiam ad haec transferre conetur. Harmoniam autem ex intervallis sonorum nosse possumus, quorum varia compositio etiam harmonias efficit pluris, membrorum vero situs et figura corporis vacans animo quam possit harmoniam efficere non video. Sed hic quidem, quamvis eruditus sit, sicut est, haec magistro concedat Aristoteli, canere ipse doceat. Bene enim illo Graecorum proverbio praecipitur:

Quam quisque norit artem, in hac se exerceat.

42. Illam vero funditus eiciamus individuorum corporum levium et rutundorum concursionem fortuitam, quam tamen Democritus concalefactam et spirabilem, id est animalem, esse volt. Is autem animus, qui si est horum quattuor generum, ex quibus omnia constare dicuntur, ex inflammata anima constat, ut potissimum videri video Panaetio, superiora capessat necesse est. Nihil enim habent haec duo genera proni et supera semper petunt. Ita, sive dissipantur, procul a terris id evenit, sive permanent et conservant habitum suum, hoc etiam magis necesse est ferantur ad caelum et ab iis perrumpatur et dividatur crassus hic et

---

1. *spirabiles* B: *spiritabiles* R; *spiritales* G — 2. *est* Madvigius: *sit* C O — 3. *non nominata magis quam non intellecta*] «Tregderus ex Wolfii coniectura et quattuor codicibus nullius auctoritatis scripsit: *Si est animus - - quinta illa non nominata magis quam intellecta,* quod tres habet sententias (cf. A. Grotefend II § 527. Madvig § 305 n. 2), unam absurdam: *non tam intellecta quam non nominata,* alteram (cf. II, 52. I, 107) falsam: *aeque* (tam) *intellecta ac* (quam) *nominata* i. e. *non solum nominata* (at § 22 est: *quintum genus - - vacans nomine), sed etiam intellecta,* tertiam (cf. III, 10): *aeque nominata atque intellecta* i. e. *ut non intellecta, ita non nominata,* qua sententia primum contra, atque oportuit, quod iam ex § 22 cognitum est, cum eo, quod nunc primum dicitur, est comparatum, deinde quinta illa natura ab Aristotele eiusque auditoribus lectoribusve *plane* non intellecta falso dicitur, quae et ab ipso Aristotele describitur (cf. Madvig ad Fin. V, 12. Ritteri et Prelleri Histor. Philos. p. 280—283. Pauly Real-Encyclop. I, 802) et, qualis fuerit, a Cicerone hoc ipso loco *(multo - - puriora,* cf. § 65 sq. Acad. I, 26) quodam modo significatur. (De errore Ciceronis, qui et h. l. et §§ 22. 65. Acad. et de Fin. ll. cit. Aristotelem *animum* ex quinto illo genere *materiae* et *corporis* fingentem facit, cf. Madvig ad l. cit. Ritter p. 289 sq. Real-Encycl. I, 804.) Verissima Archetypi lectio est: *non nominata magis quam non intellecta* i. e. non nominata (nomine vacans) illa quidem, sed tamen (si minus plane, at certe obscure) intellecta, *eher unbenannt als unbegriffen* (cf. quod de Xenocratis sententia dicitur: *subtiliter magis quam dilucide).*» W. — 4. *integriore* G[1] — 5. *est* om. G R, ante *animus* habet B — *vegeta*] *ueta* G R — 6. *mens*] *res* Th. Bentley. — 8. *alter ne*] *alternae* R — 9. *delectetur* B — 10. *harmonian* h. l. G R — 19. *rutundorum* G R: *rotundorum* O. Cf. Lachmann ad Lucret. p. 96. — 20. *id est animalem* seclusit Wolfius. «Ego uncis liberavi, quia hoc significatu voc. *animalis* vix intrusisset glossator. Neutra vox cum satis per se placeret Ciceroni, utramque posuit. Cf. de Fin III § 13. 55.» OR. — *animus qui si est quattuor horum generum, unde omnia constare dicuntur* Nonius p. 272. — 21. *si* superscr. eadem m. G — 22. *videri* om. G R — 26. *ab his* C O.

concretus aër, qui est terrae proximus. Calidior est enim vel potius ardentior animus quam est hic aër, quem modo dixi crassum atque concretum; quod ex eo sciri potest, quia corpora nostra, terreno principiorum genere confecta, ardore animi concalescunt. XIX. 43. Accedit ut eo facilius animus evadat ex hoc aëre, quem saepe iam appello, eumque perrumpat, quod nihil est animo velocius: nulla est celeritas quae possit cum animi celeritate contendere. Qui si permanet incorruptus suique similis, necesse est ita feratur, ut penetret et dividat omne caelum hoc, in quo nubes, imbres ventique coguntur, quod et umidum et caliginosum est propter exhalationes terrae. Quam regionem cum superavit animus naturamque sui similem contigit et adgnovit, iunctis ex anima tenui et ex ardore solis temperato ignibus insistit et finem altius se ecferendi facit. Cum enim sui similem et levitatem et calorem adeptus *est*, tamquam paribus examinatus ponderibus nullam in partem movetur, eaque ei demum naturalis est sedes, cum ad sui simile penetravit, in quo nulla re egens aletur et sustentabitur isdem rebus, quibus astra sustentantur et aluntur. 44. Cumque corporis facibus inflammari soleamus ad omnis fere cupiditates eoque magis incendi, quod iis aemulemur, qui ea habeant, quae nos habere cupiamus, profecto beati erimus, cum corporibus relictis et cupiditatum et aemulationum erimus expertes; quodque nunc facimus, cum laxati curis sumus, ut spectare aliquid velimus et visere, id multo tum faciemus liberius totosque nos in contemplandis rebus perspiciendisque ponemus, propterea quod et natura inest in mentibus nostris insatiabilis quaedam cupiditas veri videndi et orae ipsae locorum illorum, quo pervenerimus, quo faciliorem nobis cognitionem rerum caelestium, eo maiorem cognoscendi cupiditatem dabunt. 45. Haec enim pulchritudo etiam in terris patritam illam et avitam, ut ait Theophrastus, philosophiam cognitionis cupiditate incensam excitavit. Praecipue vero fruentur ea, qui tum etiam, cum has terras incolentes circumfusi erant caligine, tamen acie mentis dispicere cupiebant. XX. Etenim si nunc aliquid adsequi se putant, qui ostium Ponti viderunt et eas angustias, per quas penetravit ea, quae est nominata

Argo, quia Argivi in ea dilecti viri
Vecti petebant pellem inauratam arietis,

aut ii, qui Oceani freta illa viderunt,

Europam Libyamque rapax ubi dividit unda,

quod tandem spectaculum fore putamus, cum totam terram contueri licebit eiusque cum situm, formam, circumscriptionem, tum et habitabiles

---

4. *Accidit* G R — 9. *caelum hoc - - coguntur* Nonius p. 264. — «Non penetrandum *caelum* erat: contra, dixerat modo ante (§ 42) necesse esse *ferri animum ad caelum*: sed aër perrumpendus erat. Itaque deleam *caelum*. Definitio convenit *aëri*. De utroque conf. Nat. Deor. II, 101.» Bake. At vid. § 60: *hoc nebuloso et caliginoso caelo*. N. D. II § 42: *crasso caelo atque concreto* (cf. supra v. 2). — 10. *exalationes* G — 12. *iunctus* G R[1] B. «Quaero, qui sint *iuncti ignes*? E codd. recipiendum erat *iunctus*, de ipso animo. Sed porro corrigendum *temperatis*. Non *ardor solis* dicitur *temperatus*, sed *ignis ex anima tenui et ardore solis*.» Bake. — 13. *Cum - - adeptus est, tamquam*] *Cum - - adeptus tamquam* C; *Tum - - adeptus, tamquam* Bentley, O — 16. *hisdem* G R, *iisdem* O — 19. *his* C — 24. *visendi* O — 27. *patritam illam et avitam, ut ait Theofrastus, philosophiam* Nonius p. 161. — *patritam* Nonius: *patriam* C O — 31. *se* om. G — 33. *Argo, quia* et *in ea* Ciceroni tribuunt F. A. Wolfius, O. Sed cf. Halmius (ad Auct. ad Herenn. II § 34) Anal. Tull. I, p. 16. — *delecti* B O — 35. *hi* C — 36. *lybiamque* G R, *libiamque* B — 38. *licebat* G[1].

regiones et rursum omni cultu propter vim frigoris aut caloris vacantis? 46. Nos enim ne nunc quidem oculis cernimus ea, quae videmus; neque est enim ullus sensus in corpore, sed, ut non physici solum docent, verum etiam medici, qui ista aperta et patefacta viderunt, viae quasi quaedam sunt ad oculos, ad auris, ad naris a sede animi perforatae. Itaque saepe aut cogitatione aut aliqua vi morbi impediti apertis atque integris et oculis et auribus nec videmus nec audimus, ut facile intellegi possit animum et videre et audire, non eas partis, quae quasi fenestrae sint animi, quibus tamen sentire nihil queat mens, nisi id agat et adsit. Quid? quod eadem mente res dissimillimas comprendimus, ut colorem, saporem, calorem, odorem, sonum? quae numquam quinque nuntiis animus cognosceret, nisi ad eum omnia referrentur et is omnium iudex solus esset. Atque ea profecto tum multo puriora et dilucidiora cernentur, cum quo natura fert liber animus pervenerit. 47. Nam nunc quidem, quamquam foramina illa, quae patent ad animum a corpore, callidissimo artificio natura fabricata est, tamen terrenis concretisque corporibus sunt intersaepta quodam modo: cum autem nihil erit praeter animum, nulla res obiecta impediet quo minus percipiat quale quidque sit. XXI. Quamvis copiose haec diceremus, si res postularet, quam multa, quam varia, quanta spectacula animus in locis caelestibus esset habiturus. 48. Quae quidem cogitans soleo saepe mirari non nullorum insolentiam philosophorum, qui naturae cognitionem admirantur eiusque inventori et principi gratias exultantes agunt eumque venerantur ut deum; liberatos enim se per eum dicunt gravissimis dominis, terrore sempiterno et diurno ac nocturno metu. Quo terrore? quo metu? quae est anus tam delira quae timeat ista, quae vos videlicet, si physica non didicissetis, timeretis? A c h e r u n s i a t e m p l a a l t a O r c i, p a l l i d a l e t i, o b n u b i l a t e n e b r i s l o c a. Non pudet philosophum in eo gloriari, quod haec non timeat et quod falsa esse cognoverit? E quo intellegi potest quam acuti natura sint, quoniam haec sine doctrina credituri fuerunt. 49. Praeclarum autem nescio quid adepti sunt, quod didicerunt se, cum tempus mortis venisset, totos esse perituros. Quod ut ita sit — nihil enim pugno —, quid habet ista res aut laetabile aut gloriosum? Nec tamen mihi sane quicquam occurrit cur non Pythagorae sit et Platonis vera sententia. Ut enim rationem Plato nullam adferret — vide quid homini tribuam —, ipsa auctoritate me frangeret: tot autem rationes attulit, ut velle ceteris, sibi certe persuasisse videatur.

XXII. 50. Sed plurimi contra nituntur animosque quasi capite damnatos morte multant, neque aliud est quicquam cur incredibilis iis

---

3. *enim est* B — 7. *intelligi* h. l. et v. 29 G R — 8. *non eas -- sunt animi* Nonius p. 36. — 9. *sunt* O — 10. *Quid*] *qui* G R et (corr. ead. m. in *quid*) B — *disimillimas* G — *comprehendimus* O — 12. *et his* B; *ut idem* O — 14. *Nam -- ad animos a corpore -- natura fabricatur* Nonius p. 35. — 15. *calidissimo* R — 17. *intersepta* C — 18. *quale quidque est* Bake l. l. p. 76. — 25. *diurno anocturno* R — 27. *Acherunsia templa alta Orci, [sancta,] salvete, infera,* || *Pallida leti, obnubila tenebris [atris, aeternis] loca!* Vahlen Enn. Poës. Rel. p. 102 coll. Varrone L. L. VII, 6. (*sancta* addidit O. Ribbeck.) — *Acherusia* O — *leti onubila* G R; *leto nubila* B; *leti, Nubila* O — 30. *quoniam -- fuerunt* C: *qui -- fuerint* O, coll. Wopkens. p. 49. Garaton. ad Milon. p. 105. Bon. — 32. *ut* om. R — 33. *loetabile* G R — 35. *enim ueram rationem* (sed *veram* ead. m. punctis notatum) G — 38. *dampnatos* G — 39. *his* C O.

animorum videatur aeternitas, nisi quod nequeunt qualis animus sit vacans corpore intellegere et cogitatione comprehendere: quasi vero intellegant qualis sit in ipso corpore, quae conformatio, quae magnitudo, qui locus, aut, si iam possent in homine vivo cerni omnia, quae nunc tecta sunt, casurusne in conspectum videatur animus, an tanta sit eius tenuitas, ut fugiat aciem. 51. Haec reputent isti, qui negant animum sine corpore se intellegere posse: videbunt quem in ipso corpore intellegant. Mihi quidem naturam animi intuenti multo difficilior occurrit cogitatio, multo obscurior, qualis animus in corpore sit tamquam alienae domui, quam qualis, cum exierit et in liberum caelum quasi domum suam venerit. Nisi enim, quod numquam vidimus, id quale sit intellegere non possumus, certe et deum ipsum et divinum animum corpore liberatum cogitatione complecti possumus. Dicaearchus quidem et Aristoxenus, quia difficilis erat animi quid aut qualis esset intellegentia, nullum omnino animum esse dixerunt. 52. Est illud quidem vel maxumum, animo ipso animum videre, et nimirum hanc habet vim praeceptum Apollinis, [quo monet] ut se quisque noscat. Non enim, credo, id praecipit, ut membra nostra aut staturam figuramve noscamus; neque nos corpora sumus, nec ego tibi haec dicens corpori tuo dico. Cum igitur nosce te dicit, hoc dicit: nosce animum tuum. Nam corpus quidem quasi vas est aut aliquod animi receptaculum: ab animo tuo quicquid agitur, id agitur a te. Hunc igitur nosse nisi divinum esset, non esset hoc acrioris cuiusdam animi praeceptum tributum deo.

---

4. *aut* Lambinus: *ut* C O. «Ego sic scribo: *quasi vero intellegant, qualis sit in ipso corpore, -- qui locus, † ut, si iam* (cf. Madvig ad Fin. IV, 66) *in homine vivo cerni omnia* (alia, non tam tenuia, quam animus), *quae nunc tecta sunt, casurusne in conspectum videatur, an* (si iam tectus non esset) *tanta sit eius tenuitas, ut fugiat aciem.* Lambinus scripsit: *aut* sc. *intellegant* (sciant): recte, opinor; cf. de *quasi -- aut* Milon. § 84: *quasi nostram ipsam mentem -- videre aut plane qualis aut ubi sit sentire possimus.* p. Quinctio § 9. 83. N. D. III, 11. Fin. II, 7 (IV, 77. ubi Madvigius ex Archetypo *quasi vero aut -- et quasi*?). Famil. IX, 6, 3. atque de particula *aut* cum *ut* confusa IV, 39. 51. 60. V, 109. *Ut* (= ita ut) et per se ipsum durissimam haberet adiunctionem et verbum aliquod requireret, unde penderet *casurusne -- aciem*; nam, quod interpretes ad anacoluthon confugiunt, ut Orellius, qui *ut -- videatur* ex duabus sententiis, una: *ut casurus in conspectum videatur animus,* altera: *Casurusne in conspectum videtur?*, mixtum esse opinatur, primum certe scribendum fuit *videtur -- est,* deinde anacoluthon existit non magis tolerabile, quam illud V, 76, ubi cum alii, tum ipsi Orellius et Tregderus iure sic scripserunt: [*ut*] *ea* (i. e. ea autem) *qui adeptus sit, cur -- dixerim?*, qua interrogatione sic recte post interiectam causalem sententiam *(Sint enim -- contingant)* superiora illa *Me quidem -- descensuram* per epexegesin repetuntur. Alius generis et ea esse, quae leguntur IV, 76. V, 82 et quae Madvig ad Fin. p. 811 tractavit, nihil opus est docere.» W. — *vivo* Bentley: *uno* C — 9. *multo* C: *multoque* O — 10. *domi* O. Vid. Otto ad Tacit. Ann. I, 73. — 13. *dicearchus* G R — 17. *quo monet* del. Bake l. l. p. 78. — *praecepit* B — 19. *neque ego* O — 22. 23. «*divinum* = maximum et difficillimum, conf. Plat. Alcib. I, 129 A. Cic. de Legg. I, 58. de Fin. V, 44. Plut. v. Demosth. c. 3. — *hoc* i. e. ut se quisque noscat — *acrioris cuiusdam animi,* unius alicuius septem sapientium (cf. de Fin. III, 73. Pausan. X, 24, 1. Plut. de *εἶ* ap. Delph. 2, 17), sive Thaletis sive Chilonis (cf. Diog. Laërt. Thales, Auson. Ludus VII Sap. Ludius v. 1—3. Chilon v. 8. 9).» W. — *tributum deo* W: *sic ut tributum deo sit* Manutius, O; *tributum a deo sit hoc se ipsum posse cognoscere* C. «Cf. de Fin. V, 44: *quod praeceptum quia maius erat, quam ut ab homine videretur, idcirco assignatum est deo.* de Legg. I, 58: *cuius praecepti tanta vis et tanta sententia est, ut ea non homini cuipiam, sed Delphico deo tribueretur.* Plut. Demosth. c. 3: *εἰ παντὸς ἦν τὸ Γνῶθι σαυτόν ἔχειν πρόχειρον, οὐκ ἂν ἐδόκει πρόσταγμα θεῖον εἶναι.* Illud

53. Sed si qualis sit animus ipse animus nesciet, dic, quaeso, ne esse quidem se sciet, ne moveri quidem se? Ex quo illa ratio nata est Platonis, quae a Socrate est in Phaedro explicata, a me autem posita est in sexto libro de re publica. XXIII. «Quod semper movetur, aeternum est: quod autem motum adfert alicui quodque ipsum agitatur aliunde, quando finem habet motus, vivendi finem habeat necesse est. Solum igitur, quod se ipsum movet, quia numquam deseritur a se, numquam ne moveri quidem desinit: quin etiam ceteris quae moventur hic fons, hoc principium est movendi. 54. Principii autem nulla est origo; nam e principio oriuntur omnia, ipsum autem nulla ex re alia nasci potest; nec enim esset id principium, quod gigneretur aliunde. Quod si numquam oritur, ne occidit quidem umquam. Nam principium extinctum nec ipsum ab alio renascetur nec *ex* se aliud creabit, si quidem necesse est a principio oriri omnia. Ita fit ut motus principium ex eo sit, quod ipsum a se movetur: id autem nec nasci potest nec mori, vel concidat omne caelum omnisque natura consistat necesse est nec vim ullam nanciscatur, qua *a* primo impulsa moveatur. Cum pateat igitur aeternum id esse, quod se ipsum moveat, quis est qui hanc naturam animis esse tributam neget? Inanimum est enim omne, quod pulsu agitatur externo: quod autem est animal, id motu cietur interiore et suo. Nam haec est propria natura animi atque vis, quae si est una ex omnibus quae se ipsa [semper] moveat, neque nata certe est et aeterna est.» 55. Licet concurrant omnes plebei philosophi — sic enim ii, qui a Pla-

---

vero *sit hoc se ipsum cognoscere (sit* ex *scil.)* glossema est (eiusdem generis, cuius id, quod V, 24 in Archetypo fuit, *id est genus quoddam tormenti apud Graecos*; cf. III, 8 ubi Tregderus ex Bentleii coniectura ineptissimum glossema *id est -- insaniam* uncis inclusit) ascriptum, opinor, ad superius vocabulum *hoc*. De forma sententiae verborumque collocatione v. locum simillimum de Rep. III, 8, 13: *nam si esset --, essent iusta et iniusta eadem omnibus.*» W. — 1. *nesciat* O — 4. *re . p.* G R — *mouetur ę aeternum* B; *mouetur et aeternum* G R — 5. *alicunde* C. «Ego sic *ali[c]unde*. Archetypo enim Tusc. Disputationum certe par [immo maior; cf. § 54] est duarum familiarum codd., a quibus servatum est Somnium Scipionis, Archetypus, in quo R. P. VI, 27 fuit *aliunde*, ut apud ipsum Platonem (Phaedr. p. 245 C) *ὑπ' ἄλλου*. Neque vero, quia Platonis *ἄλλο κινοῦν* Ciceroni est *quod motum adfert alicui*, idcirco necesse fuit etiam ex *ὑπ' ἄλλου* fieri *alicunde*; rationis enim vis in duorum motuum, *externi (alieni)* et *interioris (sui)*, inter se oppositione omnis inest (v. § 54. N. D. II, 32). Sic § 54, ubi Plato *μηδ' ἐξ ἑνός — ἔκ του -- ἔκ του*, Cicero *nulla ex re alia — aliunde — ab alio*. Neque raro librarii sic peccant, ut § 54 duo dett. codd. *alicunde*, R. P. VI, 27 priore loco duo Oxx. *alicunde*, ad Att. X, 1, 3. ubi ego scripsi: *Quod scribis, non quo aliunde audieris, sed te ipsum putare me attractum iri* (cf. Ligar. 1, 1). XII, 25. ubi item scribendum est: *Erit etiam aliquid aliunde* (praeterquam a Faberio; cf. XI, 13, 4). Verr. II, 48. ubi dett. codd. prave *aliunde.*» W. — 12. *nec* (littera *c* erasa) G — 13. *ex* Macrobius (de Rep. VI § 27): om. C — 17. *a* Macrobius: om. C — 20. *animal est* O — *citetur* C — 22. *se ipsam semper moveat* C; *se ipsa semper moveat* O. «Rationis illa conclusio, qua Plato in Phaedro (245, C — E) animum sempiternum esse colligit, a Cicerone in libro VI. de Re p. satis accurate conversa atque inde huc translata haec est: Quod se ipsum movet, id solum semper movetur; quod autem semper movetur, aeternum est: atqui animus (solus) se ipse movet: igitur aeternus est. Ab hac ratiocinatione illud *semper* alienum esse facile intelligitur. Cf. § 55. Quare, quoniam Platonis verbis (*τὸ αὐτὸ ἑαυτὸ κινοῦν*) Ciceronis illa (Re p. VI § 28) *quae sese moveat* respondent, equidem h. l. *semper* uncis includo, quod ex § 53 *(quod semper movetur)* male repetitum videri potest; cf. ad § 118. Quod in Archetypo fuit *ipsam*, nescio an ex antiquiore illa ipsa scriptura *(seipsamouet)* ortum sit.» W. — 23. *plebeii omnes* O — *hi* C.

tone et Socrate et ab ea familia dissident, appellandi videntur —, non modo nihil umquam tam eleganter explicabunt, sed ne hoc quidem ipsum quam suptiliter conclusum sit intellegent. Sentit igitur animus se moveri: quod cum sentit, illud una sentit, se vi sua, non aliena moveri, nec accidere posse ut ipse umquam a se deseratur. Ex quo efficitur aeternitas: nisi quid habes ad haec. *A.* Ego vero facile sum passus ne in mentem quidem mihi aliquid contra venire: ita isti faveo sententiae.

XXIV. 56. *M.* Quid? illa tandem num leviora censes, quae declarant inesse in animis hominum divina quaedam? quae si cernerem quem ad modum nasci possent, etiam quem ad modum interirent viderem. Nam sanguinem, bilem, pituitam, ossa, nervos, venas, omnem denique membrorum et totius corporis figuram videor posse dicere unde concreta et quo modo facta sint: animum ipsum — si nihil esset in eo nisi id, ut per eum viveremus, tam natura putarem hominis vitam sustentari quam vitis, quam arboris; haec enim etiam dicimus vivere. Item, si nihil haberet animus hominis nisi ut appeteret aut fugeret, id quoque esset ei commune cum bestiis. 57. Habet primum memoriam et eam infinitam rerum innumerabilium, quam quidem Plato recordationem esse volt vitae superioris. Nam in illo libro, qui inscribitur Menon, pusionem quendam Socrates interrogat quaedam geometrica de dimensione quadrati. Ad ea sic ille respondet, ut puer, et tamen ita faciles interrogationes sunt, ut gradatim respondens eodem perveniat, quo si geometrica didicisset. Ex quo effici volt Socrates ut discere nihil aliud sit nisi recordari. Quem locum multo etiam accuratius explicat in eo sermone, quem habuit eo ipso die, quo excessit e vita; docet enim quemvis, qui omnium rerum rudis esse videatur, bene interroganti respondentem declarare se non tum illa discere, sed reminiscendo recognoscere, nec vero

---

4. *illum* G R et (corr. ead. m. in *illud*) B — 5. *ad se* (deleta litt. *d*) R — 6. *sim* C; «quod Klotzius ita explicat, quasi scriptum esset *essem p. (ich würde es nicht ungern gesehen haben, wenn -- wäre)*! Tregderus, opinor, grammaticae memor eodem modo hoc perfectum coniunctivi passivum, quod dubitativo illi et potentiali futuro exacto coni. act. respondet (cf. Madvig Opusc. Acad. II p. 409), intelligi voluit atque § 40 *non invitus erraverim*. V, 82 *impetrarim libenter, ut* (— dicas = *id velim audire)*, i. e. *ich möchte — sehen*. Sed, ut omittam perfectum coni. pass. sic positum esse a Terentio (Andr. I, 2, 32), Livio, Velleio, a Cicerone, ut videtur, non item (nihil est enim cur non potuerit, qui *commotus ne sis, ne sis aspernatus*, alia similia dixerit), notio illa futuri temporis in praesens inclinantis convenit in Terentianum locum ceterosque, ab hoc Ciceronis abhorret, qui interlocutorem ad *nisi quid habes* (i. e. iam invenisti) *ad haec* non illud respondentem facere potuerit, se *tum* proclivem *esse* ad patiendum nihil sibi in mentem contra venire, sed hoc: *Ego vero non modo nihil habeo, quod ad haec (respondere) velim* (cf. II, 42. Fin. I, 28), *sed, quod facile sum passum, tum, cum tu illa disputabas, ne in mentem quidem -- venit.* (Cf. § 84: *Ego vero memineram, sed te -- dicentem aberrare a proposito facile patiebar.)* Neque enim tum demum, cum peroratum est, sed iam inter audiendum occurrere solent, quae contra dici possint. De parvo Archetypi errore cf. V, 121 *(sumus)*. III, 5 *(sunt)*. IV, 54 et V, 30 *(sint)*.» W. — 13. *esse et in* R — 14. *naturam* C — 19. *menon* C: *Meno* O — 21. *respondit* G R — 22. *gradatum* R — *quo si*] *quasi* B — 26. *respondem* G R — 27. *cognoscere* Tregderus. «Negat Tregderus *recognoscere* umquam idem esse atque *agnoscere* s. *cognoscere (wieder erkennen)*, sed semper esse *recensere (durchmustern)* sicut ex omnibus locis a Freundio allatis recte intellectis appareat; quod de ceteris (etiam Philipp. VI, 6, 15) verum est, falsum de uno, Verr. I, 12, 32: *quae* (Verris adolescentia) *qualis fuerit, aut meministis aut ex isto, quem sui simillimum produxit, recognoscere potestis;* quid enim aper-

fieri ullo modo posse ut a pueris tot rerum atque tantarum insitas et quasi consignatas in animis notiones, quas *ἐννοίας* vocant, haberemus, nisi animus, ante quam in corpus intravisset, in rerum cognitione viguisset. 58. Cumque nihil esset, ut omnibus locis a Platone disseritur — nihil enim ille putat esse quod oriatur et intereat, idque solum esse, quod semper tale sit, quale *sit, quam* *ἰδέαν* appellat ille, nos speciem —, non potuit animus haec in corpore inclusus adgnoscere, cognita attulit: ex quo tam multarum rerum cognitionis admiratio tollitur. Neque ea plane videt animus, cum repente in tam insolitum tamque perturbatum domicilium inmigravit, sed, cum se collegit atque recreavit, tum adgnoscit illa reminiscendo. Ita nihil est aliud discere nisi recordari. 59. Ego autem maiore etiam quodam modo memoriam admiror. Quid est enim illud, quo meminimus, aut quam habet vim aut unde natam? Non quaero quanta memoria Simonides fuisse dicatur, quanta Theodectes, quanta is, qui a Pyrrho legatus ad senatum est missus, Cineas, quanta nuper Charmadas, quanta, qui modo fuit, Scepsius Metrodorus, quanta noster Hortensius: de communi hominum memoria loquor et eorum maxume, qui in aliquo maiore studio et arte versantur, quorum quanta mens sit difficile est existimare: ita multa meminerunt.

XXV. 60. Quorsus igitur haec spectat oratio? Quae sit illa vis et unde sit intellegendum puto. Non est certe nec cordis nec sanguinis nec cerebri nec atomorum: anima sit ignisne nescio, nec pudet, ut istos, fateri nescire quod nesciam; illud, si ulla alia de re obscura adfirmare possem, sive anima sive ignis est animus, eum iurarem esse divinum. Quid enim? obsecro te, terrane tibi hoc nebuloso et caliginoso caelo aut sata aut concreta videtur tanta vis memoriae? Si quid sit hoc non

---

tius, quam dici iudices ex filio tamquam ex simillima patris imagine Verris adolescentiam *cognoscere* et perspicere posse? Accedit praeter Ovid. Fast. IV, 448. ad Att. VIII, 11, C (Pompeii): *Tuas litteras libenter legi. Recognovi enim* (ex iis) *tuam pristinam virtutem* —; quare ad Famil. XII, 12 (Cassii), 1: *Legi tuas litteras, in quibus mirificum tuum erga me amorem recognovi*, ubi Tregderus correctione ceteroquin lenissima legi vult *amorē cognovi*, nihil mutandum est. Quae cum ita sint, fieri potest ut in Archetypo *re* aberrando ex *reminiscendo* repetitum sit; veri simile vix est. Apud Livium V, 46 (*ad recognoscendas res)*, quod semper de ea re *cognoscere* (III, 40. IV, 29. VIII, 39. XXIV, 4[illegible]XXIV, 4) aut *noscere* (X, 20. 36) dicit, fortasse *re* ex *res* petitum est (duo codd. dett. *ad cognoscendas res*); sed nihil praestiterim.» W. — 2. *ennoias* C — 5. *ille* om. R — *solum esset* C — 6. *sit quam* Keilius (coll. Acad. I § 30): om. C O — *ΕΙΔΕΑΝ* G R, *eidean* B — 10. *colligit* C — «Tregderus ex Vindob. I, edd. vett. scripsit *agnoscit ea reminiscendo,* ego ex ceteris codd., i. e. ex Archetypo, item ex Pseudo-Boëthii (*Pseudo-Boëthii* inquam, nam a Boëthii dicendi genere longe abhorret) fragmento ab Hasio in cod. saec. XII. invento, p. 391 ed. Bait. Cic. Scholiastt.) restituo *illa*. De *haec* -- *ea* -- *illa* cf. III, 47.» W. — 11. *aliud est* O — 13. *quo*] *quod* C — *quē* corr. in *quā* R — *unde naturam* G R; *inde naturam* B — 14. *CIMΩNIΔHC* C — 15. *quanta his* (*h* puncto deleta) G; *quantas* (superscr. *i* inter *a* et *s*) R — *pyrro* G — *ceineas* C — 16. *carmadas* G — *secpsius* G, *secspius* corr. in *secpsius* R, *sepsius* B — 17. *hominum*] *omnium* C — 20. «Tregderus ex solo cod. Bernensi: *Quae sit illa vis et unde, sic intellegendum puto.* Dicendum certe fuit *sic intellegi* (cf. Acad. II, 70) aut *sic intellegi posse.* Ego ex cett. codd. *unde sit, intellegendum* (cf. Fin. V, 30) *puto,* quod eandem fere in sententiam dictum est atque illud: *Quorsus haec* (disputo)*? ut intellegas* — (Offic. III, 68. Cat. M. § 42. p. redit. ad Quir. § 5). Cf. etiam Philipp. VII, 26: *Quorsum* -- *oratio?* -- *excitati* -- *esse debemus.* De duplici *sit* cf. II, 29. Fin. II, 7. IV, 28. 69. V, 54. N. D. III, 47. Paulo post (v. 22) probabilis illa quidem est Bentleii coniectura *animae,* sed tamen non ita certa, ut in textum recipienda sit.» W. — 22. *ignisne* Lambinus: *ignisue* C — 25. *tibi aut hoc* O.

vides, at quale sit vides: si ne id quidem, at quantum sit profecto vides. 61. Quid igitur? utrum capacitatem aliquam in animo putamus esse, quo tamquam in aliquod vas ea, quae meminimus, infundantur? Absurdum id quidem: qui enim fundus aut quae talis animi figura intellegi potest aut quae tanta omnino capacitas? An inprimi quasi ceram animum putamus et esse memoriam signatarum rerum in mente vestigia? quae possunt verborum, quae rerum ipsarum esse vestigia, quae porro tam inmensa magnitudo quae illa tam multa possit effingere? Quid? illa vis quae tandem est, quae investigat occulta, quae inventio atque excogitatio dicitur? 62. Ex hacne tibi terrena mortalique natura et caduca concreta ea videtur, aut qui primus, quod summae sapientiae Pythagorae visum est, omnibus rebus imposuit nomina, aut qui dissipatos homines congregavit et ad societatem vitae convocavit, aut qui sonos vocis, qui infiniti videbantur, paucis litterarum notis terminavit, aut qui errantium stellarum cursus, praegressiones, institiones notavit? omnes magni, etiam superiores, qui fruges, qui vestitum, qui tecta, qui cultum vitae, qui praesidia contra feras invenerunt, a quibus mansuefacti et exculti a necessariis artificiis ad elegantiora defluximus. Nam et auribus oblectatio magna parta est inventa et temperata varietate et natura sonorum, et astra suspeximus cum ea, quae sunt infixa certis locis, tum illa non re, sed vocabulo errantia, quorum conversiones omnisque motus qui [animus] vidit, is docuit similem animum suum eius esse, qui ea fabricatus esset in caelo. 63. Nam cum Archimedes lunae, solis, quinque errantium motus in sphaeram inligavit, effecit idem quod ille, qui in Timaeo mundum aedificavit Platonis deus, ut tarditate et celeritate dissimillimos motus una regeret conversio. Quod si in hoc mundo fieri sine deo non potest, ne in sphaera quidem eosdem motus Archimedes sine divino ingenio potuisset imitari.

XXVI. 64. Mihi vero ne haec quidem notiora et inlustriora carere vi divina videntur, ut ego aut poëtam grave plenumque carmen sine caelesti aliquo mentis instinctu putem fundere aut eloquentiam sine maiore quadam vi fluere abundantem sonantibus verbis uberibusque sententiis. Philosophia vero, omnium mater artium, quid est aliud nisi, ut Plato, donum, ut ego, inventum deorum? Haec nos primum ad illorum cultum, deinde ad ius hominum, quod situm est in generis humani societate, tum ad modestiam magnitudinemque animi erudivit, eademque ab animo tamquam ab oculis caliginem dispulit, ut omnia supera infera,

---

4. *intelligi* h. l. G R — 6. *memoriam esse* O — 10. *hacine* Fleckeisen. (*hacne* defendit Klotzius coll. Propert. IV, 3, 11.) — 15. *institiones* Manutius: *institutiones* C — 20. *cum* Davisius: *tum* C O — 21. *qui* Wolfius: *qui animus* C; *qui primus* Bouhier. «Ego dubito, utrum *animus* aberrando ex seq. *animum* natum sit an accommodatione quadam ex *animo* (cf. Acad. I, 125) corruptum an ex *primus* (cf. v. 11) ortum errore, praesertim paulo ante *animum*, non incredibili. Orellii causa hoc addo, *rationem* astrorum motuum, quam videre divini animi esse Cicero vult, neque *oculis* cerni neque ab *antiquissimis* hominibus esse intellectam. Klotzii, qui Archetypi lectionem confidenter defendit, «animi animum» omitto; nisi illud moneo, quod de Offic. I, 80 ex omnibus codd. praeter unum deteriorem legendum est: *Fortis* - - *animi et constantis est non perturbari* - - *nec deici* - -, *sed praesenti animo uti*, id ad nostrum locum nihil pertinere; quis est enim qui ignoret subiectum verbi *uti* non *animum*, sed indefinitum illud *aliquem* esse intelligendum.» W. — 27. *potuit* Bake l. l. p. 79. Vide ad § 32. — 33. *ut Plato* C: *ut Plato* [*ait*] O.

prima ultima media videremus. 65. Prorsus haec divina mihi videtur vis, quae tot res efficiat et tantas. Quid est enim memoria rerum et verborum? quid porro inventio? Profecto id, quo ne in deo *quidem* quicquam maius intellegi potest. Non enim ambrosia deos aut nectare aut Iuventate pocula ministrante laetari arbitror, nec Homerum audio, qui Ganymeden ab dis raptum ait propter formam, ut Iovi bibere ministraret: non iusta causa cur Laomedonti tanta fieret iniuria. Fingebat haec Homerus et humana ad deos transferebat: divina mallem ad nos. Quae autem divina? Vigere, sapere, invenire, meminisse. Ergo animus, ut ego dico, divinus est, ut Euripides dicere audet, deus; et quidem, si deus aut anima aut ignis est, idem est animus hominis. Nam ut illa natura caelestis et terra vacat et umore, sic utriusque harum rerum humanus animus est expers. Sin autem est quinta quaedam natura, ab Aristotele inducta primum, haec et deorum est et animorum. Hanc nos sententiam secuti his ipsis verbis in Consolatione [hoc] expressimus:

XXVII. 66. «Animorum nulla in terris origo inveniri potest; nihil enim est in animis mixtum atque concretum aut quod ex terra natum atque fictum esse videatur, nihil ne aut umidum quidem aut flabile aut igneum. His enim in naturis nihil inest quod vim memoriae, mentis, cogitationis habeat, quod et praeterita teneat et futura provideat et complecti possit praesentia, quae sola divina sunt; nec invenietur umquam unde ad hominem venire possint nisi a deo. Singularis est igitur quaedam natura atque vis animi, seiuncta ab his usitatis notisque naturis. Ita quicquid est illud, quod sentit, quod sapit, quod vivit, quod viget, caeleste et divinum ob eamque rem aeternum sit necesse est. Nec vero deus ipse, qui intellegitur a nobis, alio modo intellegi potest nisi mens soluta quaedam et libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens et movens ipsaque praedita motu sempiterno.» 67. Hoc e genere atque eadem e natura est humana mens. Ubi igitur aut qualis est ista mens? ubi tua aut qualis? potesne dicere? an, si omnia ad intellegendum non habeo, quae habere vellem, ne iis quidem, quae habeo,

---

2. *enim* superscr. ead. m in G — 3. *ne in deo quidem* cod. Coloniensis: *ne in deo* G R et *(ne* corr. ead. m. in *nec)* B; *nec in deo* O — 4. *potest* (littera finali puncto notata) R, *potes* G — 5. *laetare* G R[1] — 6. *Ganymedem* O — *ab his* (*h* corr. in *d*) R; *a diis* O — *ut Iovi bibere ministraret* Arusianus p. 217 n. 36 ed. Lindem. — 7. *fierit* G R — 9. *animus* Lambinus: *animus qui* C. «Prorsus delendum fuit *qui*; *divinum* enim esse animum concludere Cicero *ipse* voluit; *Euripidem* ausum esse *deum* dicere data occasione addidit.» W. — 10. *divinus, ut E. d. audet, deus est* O — 12. *humore* h. l. G R. — 15. *hoc* C: *haec* O. «Neque *hoc* neque *haec* verum videtur. Si *exprimere* nihil aliud esset quam *dicere*, *hoc* vel potius *haec* ad ea, quae sequuntur, referri poterat. (Cf. III, 44.) Atqui sic verbum illud ab antiquis numquam ponitur. (Acad. II, 77 *expresserat* est *obtinuerat*, probaverat.) Ad *hanc* (Aristotelis unam quandam) *sententiam* si retuleris, *haec* falsum sit, *hoc* parum aptum: Cicero simpliciter *eam* dixisset. Ego delendum *hoc* esse suspicor [om. iam Prellerus Hist. philos. Graeco-Rom. p. 423], ut additum ab aliquo librario, qui structuram illam, qua obiectum definito verbo cum participio commune plerumque semel tantum ponitur, sive ignoraverit sive explicare voluerit.» W. — 16. *Animorum -- potest. Nihil est in animis -- divina sunt. Nec enim invenietur* Lactantius de ira c. 10. — 18. *umidum* R: *humidum* G O — 22. *inde* corr. ead. m. in *unde* C — 25. *Nec vero -- sentiens et movens* Lactantius I, 5. — 26. *si intellegitur* Prellerus l. l. Ad verba *qui intellegitur* explicanda Leodegarius a Quercu addidit: «nec sub sensum cadit». — 30. *potesne dicere* del. Bake l. l. p. 79. — 31. *is* G R[1]; *his* B.

mihi per te uti licebit? Non valet tantum animus, ut se ipse videat: at ut oculus, sic animus se non videns alia cernit. Non videt autem, quod minimum est, formam suam — quamquam fortasse id quoque, sed relinquamus —: vim certe, sagacitatem, memoriam, motum, celeritatem videt. Haec magna, haec divina, haec sempiterna sunt. Qua facie quidem sit aut ubi habitet ne quaerendum quidem est.

XXVIII. 68. Ut cum videmus speciem primum candoremque caeli, dein conversionis celeritatem tantam, quantam cogitare non possumus, tum vicissitudines dierum ac noctium commutationesque temporum quadrupertitas ad maturitatem frugum et ad temperationem corporum aptas, eorumque omnium moderatorem et ducem solem, lunamque accretione et deminutione luminis quasi fastorum notantem et significantem dies, tum in eodem orbe in duodecim partes distributo quinque stellas ferri, eosdem cursus constantissime servantis, disparibus inter se motibus, nocturnamque caeli formam undique sideribus ornatam, tum globum terrae eminentem e mari, fixum in medio mundi universi loco, duabus oris distantibus habitabilem et cultum, quarum altera, quam nos incolimus,

Sub axe posita ad stellas septem, unde horrifer
Aquilonis stridor gelidas molitur nives,

altera australis, ignota nobis, quam vocant Graeci ἀντίχθονα, 69. ceteras partis incultas, quod aut frigore rigeant aut urantur calore: hic autem, ubi habitamus, non intermittit suo tempore

Caelum nitescere, arbores frondescere,
Vites laetificae pampinis pubescere,
Rami bacarum ubertate incurvescere,
Segetes largiri fruges, florere omnia,
Fontes scatere, herbis prata convestirier:

tum multitudinem pecudum partim ad vescendum, partim ad cultus agrorum, partim ad vehendum, partim ad corpora vestienda, hominemque ipsum quasi contemplatorem caeli ac deorum cultorem atque hominis utilitati agros omnis et maria parentia —: 70. haec igitur et alia innumerabilia cum cernimus, possumusne dubitare quin iis praesit aliquis

---

1. *se ipse* Davisius: *se ipsum ipse* C; *sese ipse* O — 3 *quamquam fortasse* Wolfius: *fortasse quamquam* C O. «Vulgo legitur *fortasse* (animus videt formam suam); *quamquam id* (formam suam) *quoque* (animus videt); *sed relinquamus;* quasi Cicero, quod ipse prius dubitanter dixisset, idem continuo affirmare potuerit: ex Wolfii coniectura legendum est: *quamquam fortasse id quoque; sed* cet. Cf. § 90. III, 13. 18: *etsi erit hoc fortasse durius: sed temptemus*. Offic. III, 39.» W. — 4. *modum* superscr. *t* ead m. G — *motus celeritatem* Bentley coll. § 70. — 8. *deinde* O — 9. *quadripartitas* O — 10. *temperationum* G R — 12. *diminutione* B — *notantem et significantem* C: *notis signantem* O. «Tregderus notam corruptionis (ante *notantem*) nollem addidisset. Quid enim offendit? Duorum synonymorum *(notantem* et *significantem)* coniunctio? Praecedit *moderatorem et ducem*. An *fastorum dies?* Cf. *diem festum de fastis suis tollere* (Cic.), *signata tempora fastis* i. q. tempora fastorum (Ovid. F. II, 7). An *fastorum*, in quo comparationis vis sita est, a *dies* sic diiunctum? Vid. Madvig § 467, c. Klotzium *luminis quasi fastorum* iungentem ridere licet.» W. — 15. *nocturnaque* G R — 16. *duabus* corr. ead. m. ex *duobus* R — 17. *cultam* C — 19 *ubi horrifer aequisoni stridor g. m. nives* ex Accii Philocteta Nonius p. 346. — 21. *αντιχoona* B; *antixoona* G R — 25. *laetificare* R — 26. *bacarum (baccarum* cod. Bamberg.) *ubertatem incurviscere* Nonius p. 122. — 31. *deorum* Bouhier: *deorum eorum* (ex geminatione) G R; *deorum eorumque* B; *deorum ipsorumque* O — 33. *his* C O.

vel effector, si haec nata sunt, ut Platoni videtur, vel si semper fuerunt, ut Aristoteli placet, moderator tanti operis et muneris? Sic mentem hominis, quamvis eam non videas, ut deum non vides, tamen, ut deum adgnoscis ex operibus eius, sic ex memoria rerum et inventione et celeritate motus omnique pulchritudine virtutis, vim divinam mentis adgnoscito.

XXIX. In quo igitur loco est? Credo equidem in capite, et cur credam adferre possum. Sed alias ubi sit animus; certe quidem in te est. Quae est ei natura? Propria, puto, et sua. Sed fac igneam, fac spirabilem: nihil ad id, de quo agimus. Illud modo videto, ut deum noris, etsi eius ignores et locum et faciem, sic animum tibi tuum notum esse oportere, etiam si ignores et locum et formam. 71. In animi autem cognitione dubitare non possumus, nisi plane in physicis plumbei sumus, quin nihil sit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex. Quod cum ita sit, certe nec secerni nec dividi nec discerpi nec distrahi potest, ne interire *quidem* igitur. Est enim interitus quasi discessus et secretio ac diremptus earum partium, quae ante interitum coniunctione aliqua tenebantur.

His et talibus rationibus adductus Socrates nec patronum quaesivit ad iudicium capitis nec iudicibus supplex fuit adhibuitque liberam contumaciam a magnitudine animi ductam, non a superbia, et supremo vitae die de hoc ipso multa disseruit, et paucis ante diebus, cum facile posset educi e custodia, noluit, et tum paene in manu iam mortiferum illud tenens poculum locutus ita est, ut non ad mortem trudi, verum in caelum videretur escendere. XXX. 72. Ita enim censebat itaque disseruit, duas esse vias duplicesque cursus animorum e corpore excedentium. Nam qui se humanis vitiis contaminavissent et se totos libidinibus dedissent, quibus caecati vel domesticis vitiis atque flagitiis se inquinavissent vel re publica violanda fraudes inexpiabiles concepissent, iis devium quoddam iter esse, seclusum a concilio deorum: qui autem se integros castosque servavissent, quibusque fuisset minima cum corporibus contagio seseque ab iis semper sevocavissent essentque in corporibus humanis vitam imitati deorum, iis ad illos, a quibus essent profecti, reditum facilem patere. 73. Itaque commemorat, ut cygni, qui non sine causa Apollini dicati sint, sed quod ab eo divinationem habere videantur, qua providentes quid in morte boni sit cum cantu et voluptate mo-

---

3. *non uideas ut deum* in ima marg. ead. m. addita habet G — 5. *omniaque* GR — 7. *alias: nunc ubiubi sit* O — 8 *ei*] *et* C — 15. *ne interire quidem* Madvig: *ne interire* C; *nec interire* O — 16. *direptus* GR — 17. *coniunctione* Madvig: *iunctione* CO — 18. *aduclus* GR[1] — 22. *tum paene -- tenens* GR: *cum paene -- tenens* B; *cum paene -- teneret* O. (*tum* seclusit Tregderus; sed v. Halmium ad Cic. p. Sulla ed. Lips. a. 1845. p. 73.) — 24. *ascendere* B — 26. *toto* G; *tot* B — 27. *dedidissent* O — *vel* Bentley: *uelut* C — «Tregderus ex Wyttenbachii coni. *vitiis atque* uncis inclusit, quod ineptum sibi videretur repeti, quod iam in universum dictum esset: *qui se humanis vitiis contaminavissent.* At, quoniam generalis illa sententia iis, quae sequuntur *(et se -- concepissent)*, explicatur et dividitur, nihil est, cur Cicero non potuerit priorem partem *humanorum vitiorum* rursus partiens leviora *ac minus turpia* (ut avaritiam, luxuriam, al.) a *flagitiis* distinguere (cf. geminum locum Consolationis p. 490 ed. Orell. *uitiis et sceleribus contaminatos)* atque *vitiorum* nomine in angustius contracto appellare. Cf. Fin. II, 93 *in flagitiosa atque vitiosa vita.* Quaenam librario cuiquam vel causa interpolandi vel errandi occasio fuerit, intelligi vix potest.» W. — 28. *concoepissent* GR — *his* C — 31. *ab his* CO — *sevocassent* O — 32. *his* CO — 35. *qua*] *quasi* Davisius; del. Schuetzius. Sed recte Schoemannus Opusc. Acad. III p. 350:

riantur, sic omnibus bonis et doctis esse faciendum. Nec vero de hoc quisquam dubitare posset, nisi idem nobis accideret diligenter de animo cogitantibus, quod iis saepe usu venit, qui [cum] acriter oculis deficientem solem intuerentur, ut aspectum omnino amitterent, sic mentis acies se ipsa intuens non numquam hebescit, ob eamque causam contemplandi diligentiam amittimus. Itaque dubitans, circumspectans, haesitans, multa adversa reverens tamquam in rate in mari inmenso nostra vehitur ratio. 74. Sed haec et vetera et a Graecis. Cato autem sic abiit e vita, ut causam moriendi nactum se esse gauderet. Vetat enim dominans ille in nobis deus iniussu hinc nos suo demigrare: cum vero causam iustam deus ipse dederit, ut tunc Socrati, nunc Catoni, saepe multis, ne ille medius fidius vir sapiens laetus ex his tenebris in lucem illam excesserit, nec tamen illa vincla carceris ruperit — leges enim vetant —, sed tamquam a magistratu aut ab aliqua potestate legitima, sic a deo evocatus atque emissus exierit. Tota enim philosophorum vita, ut ait idem, commentatio mortis est. XXXI. 75. Nam quid aliud agimus, cum a voluptate, id est, a corpore, cum a re familiari, quae est ministra et famula corporis, cum a re publica, cum a negotio omni sevocamus animum: quid, inquam, tum agimus, nisi animum ad se ipsum advocamus, secum esse cogimus maximeque a corpore abducimus? Secernere autem a corpore animum ecquid aliud est quam mori discere? Qua re hoc commentemur, mihi crede, disiungamusque nos a corporibus, id est, consuescamus mori. Hoc, et dum erimus in terris, erit illi cae-

---

«Haec sic constructa sunt, ut, quod praedicatum verbis *ut cygni* adiungi deberet, *cum cantu et voluptate moriantur,* relativo membro *qua providentes* — conexum sit, ideoque superiora illa praedicato suo careant. Poterat legitima structura facile restitui aut deleto pronomine relativo ante *providentes,* aut hoc participio in verbum finitum mutato; sed omni mutatione abstinendum censeo.» — 3. *quo his* G R et corr. ead. m. in *quod his* B — *qui cum* cet.] «Impedita est oratio, et vel illud *cum*, ut Manutius et Lambinus viderunt, vel retento *cum* eiiciendum erit *ut.*» Bentl. (*quicumque acriter* Klotzius.) — 7. *reuertens* C — *in* ante *rate* om. O — 8. *ratio* Camerarius: *oratio* C O — 11. *tum* G B — 12. *nae ille* O — 19. *in quantum* G et corr. in *inquā tum* R — 20. *avocamus* C — 21. «Tregderus ex sua coniectura scripsit *animum ecquid aliud est quam emori.* In Archetypo [C] fuit *animum nec quicquam aliud emori.* [In R post *aliud* superscriptum est *quam* per compendium.] Tregderi coniecturam probo, nisi quod ex Bentleii coniectura praefero *mori*; cf. sequentia, quibus idem dicitur, *consuescamus mori.* Vidit Bentley *emori* esse *ē (est) mori.* Cum *quam* transpositum esset, ex *ecquid quam* facile ortum est *nec quicquam,* praesertim post *m.* Quam saepe *ec* corruptum sit (*et, haec,* al.), notum est; cf. etiam IV, 61 (Archet. *nec -- nec* pro *et -- et*). § 60 (Archet. *et* pro *nec*). Ceterum *ecquid aliud est quam* verum esse cum quae praecedunt, tum quae sequuntur, declarare videntur. Cf. Platon. Phaed. (unde Cicero sua hausit) p. 80 E: *οὐδὲν κοινωνοῦσα -- τοῦτο, — τοῦτο δὲ οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ -- τεθνάναι μελετῶσα ῥᾳδίως· ἢ οὐ τοῦτ' ἂν εἴη μελέτη θανάτου;* cuius loci forma plane eadem est, et Philipp. V, 21. Quod vulgo [etiam in O] ex Bentleii coniectura legitur: *Secernere -- animum, nec quicquam aliud, est mori discere,* coll. Legg. III, 3 (*quod* — i. e. ius conditionemque naturae — *cum dico, legem a me dici, nihil aliud, intellegi volo)*: primum hoc quoque loco exspectares *nihil*; deinde, ut hic illi similis esset, dictum esse oportuit: *mori discere est, nihil aliud.* Comparari potius potuit illa formula: *Quid est aliud* —, *nisi (hoc)* vel *si hoc non est* — (Divin. II, 78. Cat. M. § 5. Verrin. I, 128. Philipp. III, 21. Senec. de Brev. vitae c. 16. Cic. de Offic. III, 55. II, 83. Philipp. V, 5 et, quos locos Madvig ad Fin. V, 31 de universo illo genere dicendi disputans optime tractavit, Phil. II, 7. Pison. § 47). Cf. etiam Divin. II, 83.» W. (*animum ecquidnam aliud est quam emori* Herm. Sauppe) — 22. *credidis iungamusque* G R[1].

lesti vitae simile, et cum illuc ex his vinclis emissi feremur, minus tardabitur cursus animorum. Nam qui in compedibus corporis semper fuerunt, etiam cum soluti sunt, tardius ingrediuntur, ut ii, qui ferro vincti multos annos fuerunt. Quo cum venerimus, tum denique vivemus; nam haec quidem vita mors est, quam lamentari possem, si liberet.

76. *A.* Satis tu quidem in Consolatione es lamentatus, quam cum lego, nihil malo quam has res relinquere, his vero modo auditis multo magis. *M.* Veniet tempus et quidem celeriter, sive retractabis sive properabis; volat enim aetas. Tantum autem abest ab eo, ut malum mors sit, quod tibi dudum videbatur, ut verear ne homini nihil sit non malum aliud, certe sit nihil bonum aliud potius, si quidem vel di ipsi vel cum dis futuri sumus. *A.* Quid refert? *M.* Adsunt enim qui haec non probent. Ego autem numquam ita te in hoc sermone dimittam, ulla uti ratione mors tibi videri malum possit. 77. *A.* Qui potest, cum ista cognoverim? *M.* Qui possit rogas? Catervae veniunt contra dicentium nec solum Epicureorum, quos equidem non despicio, sed nescio quo modo doctissimus quisque, acerrume autem deliciae meae Dicaearchus contra hanc immortalitatem disseruit. Is enim tris libros scripsit, qui Lesbiaci vocantur, quod Mytilenis sermo habetur, in quibus volt efficere animos esse mortalis. Stoici autem usuram nobis largiuntur tamquam cornicibus: diu mansuros aiunt animos, semper negant.

XXXII. Num non vis igitur audire cur, etiam si ita sit, mors tamen non sit in malis? *A.* Ut videtur, sed me nemo de inmortalitate depellet. 78. *M.* Laudo id quidem, etsi nihil nimis oportet confidere; movemur

---

3. *hi* G R (*etiam cum - - annos fuerunt* om. B) — 5. *liberetur* C — 8. *celeriter* Kühner: *celeriter et* C O — 11. *aliud certe, sed nihil* C O. «Utrum tandem minus est et confidentius dicere convenit, *nihil*ne *aliud bonum* esse *potius*, an *mala* praeter mortem *omnia* esse? *summum*ne bonum esse mortem, an *solum*? Prius minus esse vidit Hottingerus nec temere quisquam negaverit nisi qui sit praeiudicata opinione caecatus. Tali autem in gradatione quid *certe* significare potest, nisi ea, cui additum sit, sententia minus aliquid dici et quod certius affirmare liceat? Itaque si lenius remedium nullum esset, ex Hottingeri coniectura, ut fecit Wolfius, scribendum erat — *aliud, certe nihil* omisso vocabulo *sed*. Quid igitur? Scribendum est: *aliud, certe sit nihil* cet. Cf. III, 36 *(quae te forsitan potuerit pungere, non potuit certe vires frangere)*. 73. De iterato *sit* vide sis IV, 50. N. D I, 20.» W. — 12. «Tregderus, ut alii A(uditori) tribuit etiam illud: *Adsunt enim, qui haec non probent*. Recte Wolfius, alii: *A. Quid refert? M.* (Refert.) *Adsunt enim* (cf § 11) *qui haec* (de immortalitate) *non probent* (quod M. ipse paulo post repetit: *Catervae veniunt contra dicentium*). *Ego* cet. Cf § 77, ubi idem aliis verbis A. et M. dicunt.» W. — 14. *ulla uti ratione* Lambinus: *ulla uti ratione ut* C; *ulla ratione ut* Tregderus. — 15. *rogas* del. Bake l. l. p. 79. — 16. *respicio* Bouhier. Equidem *despicio* εἰρωνικῶς accipio, ut est fere II § 7. Sensus est: «nec solum Epicurei, quos, tametsi non doctissimos, non tamen despicio (sunt videlicet viri boni, simplices) sed, quod peius est, etiam doctissimi Peripatetici contra dicunt.» Or. — 17. *quisque* Manutius: *quisque contemnit* R, *q. contempnit* G; *quisque contemnimus* B. «*contemnit* cum Klotzio Tregderus uncis liberavit. Mihi quidem non persuasum est Ciceronem post *nec solum Epicureorum* interiecta brevi illa sententia sic pergere potuisse, ut pro *sed etiam aliorum philosophorum* (vel *alii philosophi*) diceret: *Dicaearchus autem*. Quare ego *contemnit* uncis includo, quo verbo omisso recte Epicureis parum doctis doctissimi philosophi (Peripatetici), in quibus Dicaearchus, adiunguntur.» W. — *accerume* G R — 19. *Mytilenis* B: *mitylenis* G, *mitilenis* R — 22. *Num non vis* G R (in G post *Num* in rasura duarum fere litterarum atramento pallidiore, sed manu antiqua, scriptum est *n̄* i. e. *non*): *Num n̄ uis* (ante *uis* superscripta littera *a*) B; *Numne vis* O — *si ista sit* C — 24. *nimis*] *animis* C.

enim saepe aliquo acute concluso, labamus mutamusque sententiam clarioribus etiam in rebus; in his est enim aliqua obscuritas. Id igitur si acciderit, simus armati. *A.* Sane quidem, sed ne accidat providebo. *M.* Num quid igitur est causae quin amicos nostros Stoicos dimittamus? eos dico, qui aiunt manere animos, cum e corpore excesserint, sed non semper. *A.* Istos vero, qui, quod tota in hac causa difficillimum est, suscipiant, posse animum manere corpore vacantem: illud autem, quod non modo facile ad credendum est, sed eo concesso, quod volunt, consequens, id circumcidant, ut, cum diu permanserit, ne intereat. *M.* Bene reprehendis, et se isto modo res habet. 79. Credamus igitur Panaetio a Platone suo dissentienti? quem enim omnibus locis divinum, quem sapientissimum, quem sanctissimum, quem Homerum philosophorum appellat, huius hanc unam sententiam de inmortalitate animorum non probat. Volt enim, quod nemo negat, quicquid natum sit interire: nasci autem animos, quod declaret eorum similitudo, qui procreentur, quae etiam in ingeniis, non solum in corporibus appareat. Alteram autem adfert rationem, nihil esse quod doleat, quin id aegrum esse quoque possit; quod autem in morbum cadat, id etiam interiturum: dolere autem animos, ergo etiam interire. XXXIII. 80. Haec refelli possunt. Sunt enim ignorantis, cum de aeternitate animorum dicatur, de mente dici, quae omni turbido motu semper vacet, non de partibus iis, in quibus aegritudines, irae libidinesque versentur, quas is, contra quem haec dicuntur, semotas a mente et disclusas putat. Iam similitudo magis apparet in bestiis, quarum animi sunt rationis expertes; hominum autem similitudo in corporum figura magis exstat, et ipsi animi magni refert quali in corpore locati sint. Multa enim e corpore existunt quae acuant mentem, multa quae obtundant. Aristoteles quidem ait omnis ingeniosos melancholicos esse, ut ego me tardiorem esse non moleste feram. Enumerat multos, idque quasi constet, rationem cur ita fiat adfert. Quod si tanta vis est ad habitum mentis in iis, quae gignuntur in corpore — ea sunt autem, quaecumque sunt, quae similitudinem faciunt —, nihil necessitatis adfert, cur nascantur animi, similitudo. 81. Omitto dissimilitudines. Vellem adesse posset Panaetius — vixit cum Africano —:

---

1. *saepe ab aliquo* B — 3. *simus*] *siminus* G R — 5. *animos manere, e corpore quum* O — 9. *id circumcidant* Madvig: *idcirco non dant* C; *id certe non dant* O — 20. *dicantur* G R — 21. *his* C — 22 *is* superscr. *h* R, *his* G B — 23. *dicantur* G R — 30. *in his* C — 31. *faciant* C. «Tregderus, ut Klotzius, ex Archetypo: *ea* (quae gignuntur in corpore) *sunt autem, quaecumque sunt, quae similitudinem faciant.* Klotzius ipse (ea,) *quae similitudinem faciant* ut subiectum cum *ea sunt autem* iungit, ac tamen coniunctivum necessarium esse contendit miraturque Lambinum, Wolfium, Schuetzium, Orellium, Kuehnerum scripsisse *faciunt*! Ut illi viri, sic ego putaram, in repetenda sententia: *hominum similitudo* (= ea, *quae similitudinem* hominum *fac.*) *in corporum figura exstat* (= *sunt ea,* quae in corpore gignuntur) coniunctivum *faciant* non minus soloecum esse, quam si quis librarius scripsisset *in iis, quae gignantur*. Scribendum est igitur *faciunt*: nam *quaecumque sunt*, quod in illa interpretandi ratione est: *quaecumque ea sunt, quae in corpore gignuntur,* cum *quae similitudinem fac.* ita iungere, ut sit: *was es auch giebt, das* — (cf. V, 45 *quicquid est, quod bonum sit.* Famil. XII, 22, 2. Orat. § 45. 67. ubi sine dubio scribendum est *cadat*), vetat ipsa sententia. De levissimo mendi genere cf. Tregderum p. X.» W. Vide etiam ad III, 44. IV, 27. 28. — 32. *nascatur* C — 33. *dissimilitudines* Bentley: *similitudines* C.

quaererem ex eo cuius suorum similis fuisset Africani fratris nepos, facie vel patris, vita omnium perditorum ita similis, ut esset facile deterrimus; cuius etiam similis P. Crassi, et sapientis et eloquentis et primi hominis, nepos multorumque aliorum clarorum virorum, quos nihil attinet nominare, nepotes et filii. Sed quid agimus? oblitine sumus hoc nunc nobis esse propositum, cum satis de aeternitate dixissemus, ne si interirent quidem animi, quicquam mali esse in morte? *A.* Ego vero memineram, sed te de aeternitate dicentem aberrare a proposito facile patiebar.

XXXIV. 82. *M.* Video te alte spectare et velle in caelum migrare. Spero fore ut contingat id nobis. Sed fac, ut isti volunt, animos non remanere post mortem: video nos, si ita sit, privari spe beatioris vitae. Mali vero quid adfert ista sententia? Fac enim sic animum interire, ut corpus: num igitur aliquis dolor aut omnino post mortem sensus in corpore est? Nemo id quidem dicit, etsi Democritum insimulat Epicurus, Democritii negant. Ne in animo quidem igitur sensus remanet; ipse enim nusquam est. Ubi igitur malum est, quoniam nihil tertium est? an [quoniam] ipse animi discessus a corpore non fit sine dolore? Ut credam ita esse, quam est id exiguum! Sed falsum esse arbitror et fit plerumque sine sensu, non numquam etiam cum voluptate: totumque hoc leve est, qualecumque est: fit enim ad punctum temporis. 83. Illud angit vel potius excruciat, discessus ab omnibus iis, quae sunt bona in

---

1. *facie avi vel patris* C. F. Hermann in Mus. Rhen. N. S. IV p. 348. — 10. *migrare. A. Spero* O — 12. *vides* Wolfius, O — *vitae. M. Mali* O — 13. *sententencia* R — 16. *Democritii* Bentley: *democritici* C. «Ego, ut Orellius, *Democritii*, sicut scribitur II, 52. Fin. I, 17. IV, 13. N. D. I, 73 (bis) et III, 82 (Archetypus, ut videtur, *Democriteus*, ut Divin. II, 31). Cf. Madvig ad Fin. V, 16 (III, 10 meliores codd.: *Aristotelios*, dett. *Aristotelicos)*. De Orat. I, 42 ego ex cod. Erf. *(Democriti)* pro *Democritici* scripsi *Democritii*. Sic Cicero *Epicuricus* numquam dicit, semper *Epicureus* (aut, ut III, 33. Famil. XIII, 1, 2 *Epicurius)*.» W. — 18. *quoniam* om. Lambinus, seclusit Tregderus. «Ego deleo; nam ne *quia* quidem aut *quod* ferendum erat.» W. — 19. *Sed* W: *et* C; *at* O. «*Et* (quod Klotzio est *und noch dazu)* tum demum ferri poterat, si abesset: *Ut credam ita esse*. Nunc requiritur aut *At*, ut Orellius ex Bouherii coniectura scripsit (IV, 8 Archet. *et* pro *at*), aut, ut ego malim, *Set*; cf. II, 47: *Si* (= ut) *nihil esset aliud, nihil esset homine deformius. Sed praesto est -- ratio*. I, 49: *ut ita sit, quid -- gloriosum? Nec tamen* (= Non tamen) --. *Ut -- adferret, -- frangeret; tot autem* cet. (§ 15 Archet. *Et quoniam* pro *Set* quoniam.)» W. — 22. *his* C — «Miror Tregderum ex solo Gudiani collatoris de R silentio sic scripsisse: *discessus ab omnibus iis, quae sunt bona* (cf. de hac attractione Emendd. Epp. p. 8) *in vita. Vide, ne (discessus) malis dici verius possit*. In R fuit, ut in ceteris codd., *a malis*. Sed, ut Archetypus *a* non habuisset, tamen recte esset additum. An Ciceroni licuit, ut *reditus Narbone*, sic *discessus malis* dicere? Ego ad V, 80. demonstrare conabor antiquiores prosae orationis scriptores (Ciceronem, Caesarem, Sallustium, Nepotem) ne *verba* quidem cum inseparabilibus particulis *dis*, *re*, *se* composita umquam de motu aliquo nisi addita praepositione *(ab, ex, de)* posuisse. Cf. Madvig § 261, n. 3. An Tregderus *malis* materialiter positum (= «malis») intelligi voluit? Sic certe aut h. l. dicendum fuit *mala aut ante ab omnibus, quae sunt in vita, bonis*. Cf. III, 20 *in invidentiam*. *Non dixi invidiam* (ubi tamen Cicero fortasse sic scripsit, ut est apud Nonium: *in invidiam*; cf. § 54 et V, 114, ubi Archetypus *in* ante *in-* omisit). p. Caelio § 32 *cum istius mulieris viro; fratre volui dicere* (v. Orell. Vol. II. P. II p. 639. T. D. V, 105); T. D. I, 93 *ante tempus --. Quod tandem tempus?* (= Rosc. Amer. § 74. Cat. M. § 15; or. in T. Cand. p. 89 ed. Baiteri praepositio additur: *A quibus -- petis? A principibus? -- A senatoribus? -- Ab equestri ordine? -- A plebe?)* An Tregderus non solum *discessus*, sed etiam *a* intelligi posse putavit? Ego non posse puto, non plus quam infra et § 84, ubi idem dicitur: *a malis, non a bonis*, et § 85 *utrum tandem a bonis an a malis dis-*

vita. Vide ne a malis dici verius possit. Quid ego nunc lugeam vitam hominum? Vere et iure possum; sed quid necesse est, cum id agam, ne post mortem miseros nos putemus fore, etiam vitam efficere deplorando miseriorem? Fecimus hoc in eo libro, in quo nosmet ipsos quantum potuimus consolati sumus. A malis igitur mors abducit, non a bonis, verum si quaerimus. Et quidem hoc a Cyrenaico Hegesia sic copiose disputatur, ut is a rege Ptolemaeo prohibitus esse dicatur illa in scholis dicere, quod multi iis auditis mortem sibi ipsi consciscerent. 84. Callimachi quidem epigramma in Ambraciotam Cleombrotum est, quem ait, cum ei nihil accidisset adversi, e muro se in mare abiecisse lecto Platonis libro. Eius autem, quem dixi, Hegesiae liber est, Ἀποκαρτερῶν, *in* quo a vita quidam per inediam discedens revocatur ab amicis, quibus respondens vitae humanae enumerat incommoda. Possem idem facere, etsi minus quam ille, qui omnino vivere expedire nemini putat. Mitto alios: etiamne nobis expedit? qui et domesticis et forensibus solaciis ornamentisque privati certe si ante occidissemus, mors nos a malis, non a bonis abstraxisset.

XXXV. 85. Sit igitur aliquis, qui nihil mali habeat, nullum a fortuna volnus acceperit: Metellus ille honoratis quattuor filiis, at quinquaginta Priamus, e quibus septemdecim iusta uxore natis. In utroque eandem habuit fortuna potestatem, sed usa in altero est. Metellum enim multi filii filiae, nepotes neptes in rogum inposuerunt, Priamum tanta progenie orbatum, cum in aram confugisset, hostilis manus interemit. Hic si vivis filiis incolumi regno occidisset,

....astante ope barbarica,
Tectis caelatis, laqueatis,

utrum tandem a bonis an a malis discessisset? Tum profecto videretur a bonis. At certe ei melius evenisset nec tam flebiliter illa canerentur:

Haec omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam evitari,
Iovis aram sanguine turpari:

quasi vero ista vi quicquam tum potuerit ei melius accidere. Quod si ante occidisset, talem eventum omnino amisisset: hoc autem tempore

---

cessisset? Tum profecto videretur (discessisse) *a bonis.* Aliud est IV, 11 *(ex malis metum et aegritudinem nasci censent, metum futuris, aegritudinem praesentibus)* intelligi *ex malis* (non solum *ex*). De *a* in Archetypo aut in R ante *n* omisso cf. I, 29. 118.» W. — 6. *ecquidem* G B; *ecquideo* corr. in *ecquidē* R — 7. *ptolomaeo* R; *ptholomeo* G B — *scolis* G R — 8. *quo multi his* C — 9. *theombrotum* C — 10. *accedisset* G R² — 11. *helesiae* G R (sed supra § 83 recte *hegesia*); *elisiae* B — *AIOKAPTEPON* G¹, *AITOKAPTEPON* G²R, *AIIOKAPTEPON* B — 12. *in quo* Bentley (coll. § 102): *quod* C O. «Scrib. *in quo*. Ne si *inscriptus* quidem additum esset, causam inscriptionis afferri conveniret. Cum *in* post *n* excidisset, *quo*, ut saepe (§ 83. 96) cum *quod* confusum est» W. — 13. *Possum* Fleckeisen Philol. Schneidew. IV p. 326. — *idem* Ernestius: *id* C — 14. *quam ille* superscr. m. recentiore, sed item valde antiqua, in G — 15 *solatiis* G R — 19 *honoratis* Bentley (coll. Plin. N. H. VII § 146. Valer. Max. VII, 1, 1): *honoratus* C. Cf. Cic: Brut. § 81. de Finib. V § 82. — *at*] *et* B — 20. *e* om. C — *nati* O — 26. *tectis caelatis lacuatis* Servius ad Aen. I, 726. Cf III § 44. — 29. *inflamari* G R — 32. *vi* Petrus Crassus: *uel* C — 33. *accidisset tamen eventum* C; *occidisset*, † *tum eventum* O. «Primum scribo *occidisset*, scil. Priamus; cf. quae paulo ante leguntur: *si vivis filiis incolumi regno occidisset*, et § 84. 86; Tregderus ex Archetypo parum recte *accidisset*, quasi vero *quod* ad *ista vi* salva sententia referri possit (de eadem permutatione vid. III, 44); deinde ex

sensum amisit malorum. 86. Pompeio, nostro familiari, cum graviter aegrotaret Neapoli, melius est factum. Coronati Neapolitani fuerunt, nimirum etiam Puteolani, volgo ex oppidis publice gratulabantur: ineptum sane negotium et Graeculum, sed tamen fortunatum. Utrum igitur, si tum esset extinctus, a bonis rebus an a malis discessisset? Certe a miseris. Non enim cum socero bellum gessisset, non inparatus arma sumpsisset, non domum reliquisset, non ex Italia fugisset, non exercitu amisso nudus in servorum ferrum et manus incidisset, [non liberi defleti,] non fortunae omnes a victoribus possiderentur. Qui, si mortem tum obisset, in amplissimis fortunis occidisset, is propagatione vitae quot, quantas, quam incredibilis hausit calamitates! XXXVI. Haec morte effugiuntur, etiam si non evenerunt, tamen, quia possunt evenire; sed homines ea sibi accidere posse non cogitant: Metelli sperat sibi quisque fortunam, perinde quasi aut plures fortunati sint quam infelices aut certi quicquam sit in rebus humanis aut sperare sit prudentius quam timere.

87. Sed hoc ipsum concedatur, bonis rebus homines morte privari: ergo etiam carere mortuos vitae commodis idque esse miserum? Certe ita dicant necesse est. An potest is, qui non est, re ulla carere? Triste enim est nomen ipsum carendi, quia subicitur haec vis: babuit, non habet; desiderat, requirit, indiget. Haec, opinor, incommoda sunt carentis: caret oculis, odiosa caecitas; liberis, orbitas. Valet hoc in vivis,

---

certissima emendatione H. Stephani et Bentleii: *talem eventum omnino amisisset* i. e. tam violentam istam et miseriarum plenam mortem effugisset, itaque melius ei evenisset; cf. § 86: *haec* (mala) *morte effugiuntur, etiam si non evenerunt; tamen quia possunt evenire.* (Cicero verborum quodam lusu *amittere* in *misero* eventu dixit similiter atque *carere* in *malis* etiam dicitur; cf. § 88.) Iam sequitur: *hoc autem tempore* i. e. cum post tot tantasque calamitates haustas violentam mortem obiit, etsi deterius ei evenit, tamen *sensum evasit malorum*, quare ista vi nihil *tum* potuit ei melius accidere.» W. *(occidisset, eventum omnino amisisset, hoc autem tempore sensum tamen amisit* Keilius Quaestt. Tullian. Spec. p. XVII.) — 2. *aegrotasset* O — 3. *volgo*] *passim uolgo* B — 4. *fortunatum*] syll. *tum* superscr. atramento pallidiore in G (*fortunatum* recidendum sermonemque per aposiopesin ita finiendum putavit Hottingerus: *ineptum sane negotium et Graeculum; sed tamen!* coll Cic. de Nat. deor. I § 93.) — 5. *an a malis*] *animalis* (priore littera *i* puncto deleta) R — 7. *relinquisset* G et (littera *n* puncto notata) R — 8. *deleti* O. «Tregderus, sicut omnes: *Non -- gessisset, non -- sumpsisset, non -- reliquisset, non -- fugisset, non -- incidisset; non liberi defleti, non fortunae -- possiderentur.* Ut omittam sic etiam *liberi defleti* cum *possiderentur* iungi posse, non adducor Ciceronem, praesertim in tali anaphora, *essent* omisisse, quod Reiskius solus (ante *deleti*) addi voluit. Cf. de ellipsis verbi *esse* terminis Madvig § 479, a. De § 90 *(odiosum est sine sensu esse. Odiosum* (esset), *si id esset carere)* cf. Fin. II, 93 *Nec tamen miser esse -- videbatur: at miser* (esse videretur), *si -- afflueret.* Madvig ad Fin. V, 63; meas Emendd. Epp. p. 128. Tacitus, sicut, quantum memini, iam Livius, non raro in altera sententiarum copulatarum *esset (essent), fuisset* omittit, ut A. I, 32 *quod neque disiecti* (essent) *nec -- ardescerent.* c. 65 *(Cum -- voces).* XII, 40 *(ut -- compositi).* H. I, 40 *(quasi -- depulsuri).* c. 79 *(tamquam -- felix* (fuisset) *et -- auxisset).* Cf. A. I, 7 (H. I, 85). 35 (Liv. I, 59). XII, 48. XV, 49.» W. Mihi quidem verba *non liberi defleti* alienum emblema esse videntur, quod circumscripsi. Nam non solum in tali anaphora a Cicerone *essent*, et quidem post, non ante, *defleti*, omitti non poterat, sed in enumeratione chronica Pompeius prius interfectus esse quam liberos deflevisse ineptissime diceretur. Liberorum autem interitus *(deleti)* hic, ubi calamitates ab ipso Pompeio haustae enarrantur, locum non habet. — 9. *omnes auctoribus* G R — 12. *evenerint* O — 14. *proinde* C — *quasi ut plures* C — *sunt* G in rasura; fuerat *sint* — 15. *certe* G R.

mortuorum autem non modo vitae commodis, sed ne vita quidem ipsa quisquam caret. De mortuis loquor, qui nulli sunt: nos, qui sumus, num aut cornibus caremus aut pinnis? ecquis id dixerit? Certe nemo. Quid ita? Quia, cum id non habeas, quod tibi nec usu nec natura sit aptum, non careas, etiam si sentias te non habere. 88. Hoc premendum etiam atque etiam est argumentum confirmato illo, de quo, si mortales animi sunt, dubitare non possumus, quin tantus interitus in morte sit, ut ne minima quidem suspicio sensus relinquatur: hoc igitur probe stabilito et fixo illud excutiendum est, ut sciatur, quid sit carere, ne relinquatur aliquid erroris in verbo. Carere igitur hoc significat, egere eo, quod habere velis. Inest enim velle in carendo, nisi cum sic tamquam in febri dicitur, alia quadam notione verbi. Dicitur enim alio modo etiam carere, cum aliquid non habeas et non habere te sentias, etiam si id facile patiare. † Carere in morte non dicitur; nec enim esset dolendum: dicitur illud, bono carere, quod est malum. Sed ne vivus quidem bono caret, si eo non indiget. Sed in vivo intellegi tamen potest, regno te carere — dici autem hoc in te satis subtiliter non potest, posset in Tarquinio, cum regno esset expulsus —: at in mortuo ne intellegi quidem; carere enim sentientis est, nec sensus in mortuo: ne carere quidem igitur in mortuo est.

XXXVII. 89. Quamquam quid opus est in hoc philosophari, cum rem non magno opere philosophia egere videamus? Quotiens non modo ductores nostri, sed universi etiam exercitus ad non dubiam mortem concurrerunt! quae quidem si timeretur, non L. Brutus arcens eum reditu tyrannum, quem ipse expulerat, in proelio concidisset, non cum Latinis decertans pater Decius, cum Etruscis filius, cum Pyrrho nepos se hostium telis obiecissent, non uno bello pro patria cadentis Scipiones Hispania vidisset, Paulum et Geminum Cannae, Venusia Marcellum, Litana Albinum, Lucani Gracchum. Num quis horum miser hodie? ne tum quidem post spiritum extremum; nec enim potest esse miser quisquam sensu perempto. 90. At id ipsum odiosum est, sine sensu esse. Odiosum, si id esset carere. Cum vero perspicuum sit nihil posse in eo esse, qui ipse non sit, quid potest esse in eo odiosum, qui nec careat nec sentiat? Quamquam hoc quidem nimis saepe, sed eo, quod in hoc inest omnis animi contractio ex metu mortis. Qui enim satis viderit, id quod est luce clarius, animo et corpore consumpto totoque animante deleto et facto interitu universo illud animal, quod fuerit, factum esse nihil, is plane perspiciet inter Hippocentaurum, qui numquam fuerit, et regem Agamemnonem nihil interesse, nec pluris nunc facere M. Camillum hoc civile bellum, quam ego illo vivo fecerim Romam captam. Cur igitur et Camillus doleret, si haec post trecentos et

---

3. *aut si cornibus* C; *etsi cornibus* O — *pennis* O — *ecquis id* Davisius: *sit qui id* R B; *sit quid* G; *id quis* Otto Heine (de Cic. Tusc. Disp. p. 35); *quis est qui id* Herm. Sauppius. Vid. ad II § 20. — 6. *arguendum* C — 14. *carere in morte* C: *Carere in malo* O; [*Malo*] *carere in morte* Tregderus, supplemento *(malo)* de Madvigii coniectura addito; *Carere malo* O. Heine l. l. p. 14 sq.; *Ita carere in morte* Herm. Sauppius. — 19. *nec carere quidem* C — 22. *magnopere* C — 24. *concurrerint* C — *L.*] *lucius* C — 28. *geminium* G R — 29. *Litana* Lindemannus: *latina* C; *Latini* O. Cf. Liv. XXIII, 24. — 34. *Ad id* G R — 34. *quamquam huc q. n. saepe redeo, quod* Bake l. l. p. 80. — 40. *uiuo illo* R.

quinquaginta fere annos eventura putaret, et ego doleam, si ad decem milia annorum gentem aliquam urbe nostra potituram putem? Quia tanta caritas patriae est, ut eam non sensu nostro, sed salute ipsius metiamur. XXXVIII. 91. Itaque non deterret sapientem mors, quae propter incertos casus cotidie imminet, propter brevitatem vitae numquam potest longe abesse, quo minus in omne tempus rei publicae suisque consulat, ut posteritatem ipsam, cuius sensum habiturus non sit, ad se putet pertinere. Qua re licet etiam mortalem esse animum iudicantem aeterna moliri non gloriae cupiditate, quam sensurus non sit, sed virtutis, quam necessario gloria, etiam si tu id non agas, consequatur.

Natura vero *si* se sic habet, ut, quo modo initium nobis rerum omnium ortus noster adferat, sic exitum mors: ut nihil pertinuit ad nos ante ortum, sic nihil post mortem pertinebit. In quo quid potest esse mali, cum mors nec ad vivos pertineat nec ad mortuos? Alteri nulli sunt, alteros non attinget. 92. Quam qui leviorem faciunt somni simillimam volunt esse: quasi vero quisquam ita nonaginta annos velit vivere, ut, cum sexaginta confecerit, reliquos dormiat; ne sui quidem id velint, non modo ipse. Endymion vero, si fabulas audire volumus, ut nescio quando in Latmo obdormivit, [qui est mons Cariae,] nondum, opinor, est experrectus. Num igitur eum curare censes, cum Luna laboret? a qua consopitus putatur, ut eum dormientem oscularetur. Quid curet autem, qui ne sentit quidem? Habes somnum imaginem mortis eamque cotidie induis, et dubitas quin sensus in morte nullus sit, cum *in* eius simulacro videas esse nullum sensum?

XXXIX. 93. Pellantur ergo istae ineptiae paene aniles, ante tempus mori miserum esse. Quod tandem tempus? Naturaene? At ea quidem dedit usuram vitae tamquam pecuniae nulla praestituta die. Quid est igitur quod querare, si repetit, cum volt? ea enim conditione acceperas. Idem, si puer parvus occidit, aequo animo ferendum putant, si vero in cunis, ne querendum quidem. Atqui ab hoc acerbius exegit natura quod dederat. Nondum gustaverat, inquit, vitae suavitatem; hic autem iam sperabat magna, quibus frui coeperat. At id quidem in ce-

---

2. *urbem nostram* C O. «Cicero cum accusativo *potiri* posuisse non videtur. Laudantur hi tantum loci: de Offic. II, 81 (at ibi omnes Heusingeri et Orellii codd., item Regius Parisiensis *urbe*). de Fato (cuius libri codd. neque ipsi boni sunt neque ex bono Archetypo derivati) § 13 (locus corruptus, ubi partim codd.: *Karthagine*). Ne Nepotem quidem, apud quem quater *re aliqua potiri*, sexies *rei alicuius* legitur (vid. Bremi ad Milt. c. 2), credo Eum. 3 scripsisse *summam imperii*, sed (ut in aliis codd. est) *summa* aut potius *summae* (Attic. 9 *rerum*, Ages. 2 *imperii*, Eum. 7 *summi imperii*). Cicero igitur sine dubio sic scripsit, ut est in Coloniensi (non malo codice), aliis: *urbe nostra*. Littera *m* sive nota eius in Archetypo aut in R, aliis persaepe addita est, ut I, 54. 56. II, 22. 32. 48. III, 28 (ubi Moserus ex G R, aliis: *sit in aegritudinem*!). 31. 33. 40. 44. 49. IV, 11.» W. — 4. *non ñ deterret* R; *non modo non deterret* B — 6. *longe potest* O — *reipussuisque* R¹ — 7. *ut* C: *et* O — 8. *animam* G R — 11. *si se sic* Bake l. l. p. 80 (*si sic se* F. V. Graserus Progr. Guben. a. 1844): *se sic* C; *sic se* O — 15. *attingit* O — 17. *sui* Keilius Quaestt. Tull. Spec. (Liegn. 1839) p. XIV sq. et vir doctus (C. K. W.) in Class. Mus. n. XXV (Lond. 1849): *sues* C O — 19. *qui est mons Cariae* del. Bake l. l. p. 80; nos seclusimus. — 23. *in* ante *eius* om. C — 26. *ad ea* C — 29. *iidem* O — 30. *quaerendum* G R — 32. *at* corr. ead. m. ex *ad* B; *ad* G R — *quidem* C: *quidem ipsum* O. «Post *quidem* superfluum *ipsum* est. Supra est: *at ea quidem* (cf. Cat. M. § 35); § 90 recte: *At id ipsum*.» W.

teris rebus melius putatur, aliquam partem quam nullam attingere: cur in vita secus? quamquam non male ait Callimachus multo saepius lacrimasse Priamum quam Troilum. Eorum autem, qui exacta aetate moriuntur, fortuna laudatur. 94. Cur? nam, reor, nullis, si vita longior daretur, posset esse iucundior. Nihil enim est profecto homini prudentia dulcius, quam, ut cetera auferat, adfert certe senectus. Quae vero aetas longa est aut quid omnino homini longum? nonne

Modo pueros, modo adulescentes in cursu a tergo insequens
Nec opinantis adsecuta est

senectus? Sed quia ultra nihil habemus, hoc longum dicimus. Omnia ista, perinde ut cuique data sunt pro rata parte, ita aut longa aut brevia dicuntur. Apud Hypanim fluvium, qui ab Europae parte in Pontum influit, Aristoteles ait bestiolas quasdam nasci, quae unum diem vivant. Ex his igitur, hora octava quae mortua est, provecta aetate mortua est; quae vero occidente sole, decrepita, eo magis, si etiam solstitiali die. Confer nostram longissimam aetatem cum aeternitate: in eadem propemodum brevitate qua illae bestiolae reperiemur.

XL. 95. Contemnamus igitur omnis ineptias — quod enim levius huic levitati nomen inponam? — totamque vim bene vivendi in animi robore ac magnitudine et in omnium rerum humanarum contemptione ac despicientia et in omni virtute ponamus. Nam nunc quidem cogitationibus mollissimis effeminamur, ut, si ante mors adventet, quam Chaldaeorum promissa consecuti sumus, spoliati magnis quibusdam bonis, inlusi destitutique videamur. 96. Quod si expectando et desiderando pendemus animis, cruciamur, angimur, pro di inmortales! quam illud iter iucundum esse debet, quo confecto nulla reliqua cura, nulla solli-

---

3. *autem* superscr. ead. m. in G — *qui et acta* G R — 4. *nullis* C: *non ullis* O. «De *non ullus* cf. Zumpt ad Divin. in Caecil. § 60. Madvig ad Fin. III, 50. Ego ex Archetypo, ut voluit Madvig, scribo *nullis*. Cf. Famil. VI, 9 (Med. *ut nonnullo* pro *nullo ut*), Divin. I, 45 (2 codd. *nonnumquam* pro *numquam*).» W. — 5. *est enim* O — *hominis* C — 11. *parte auita longa* C; *parte ita longa* O — 14. *octava*] *viij* G R — 16. *confert* G R — 18. *Contempnamus* G — *lenius* Bentley, O — 20. *in omnium r. h. contentione ac despicientia, in omni virtute ponamus* Nonius p. 203. Idem p. 202 ex hoc loco vocem *contemptio* adfert. — 21. *ponamus*] *ponamus iussu tyrannorum* (ex § 96) G R — 22. *molestissimis* C — *caldeorum* G R — 23. *simus* O — 25. *animis*] «Ex Ursini codice s. coniectura Bentleio et Madvigio probata sine dubio scribendum est *animi*. *Animi (discruciari, excruciari, pendere, angi)* legitur apud Plautum, Terentium, Ciceronem, Livium; in antiquissimae formae locativae locum substituto ablativo etiam *animo angi* apud Ciceronem (bis; Verrin. II, 84 *animi*, ubi deterior codd. familia *dolore* addidit), *pendere* apud eundem (semel; quinquies *animi*), ut *animo frangi, commoveri*, alia: *animis* duobus tantum locis, hoc et in codd. Livii VII, 30: *illis -- sollicitis ac pendentibus animis*, quorum utroque non mirum si librarios *animi* de plurium animo suspenso dictum offendere potuit; quamquam Liviano loco haud scio an *animi*, ut fit, iis, quae praecedunt, *illis pendentibus* assimilatum sit. Livius quidem ipse ut de uno VII, 34 *territo animi*. I, 7 *confusus atque incertus animi*, ita de pluribus *animi* posuit VIII, 13 *(tot populos -- suspensos animi habent)* et VI, 36 *capti et stupentes animi*; cf. Iuven. 14, 119 *animi felices credit avaros*. Neque, quia *animo angi* (cett.) dictum fuit, idcirco *animis* quoque in usu fuisse affirmari potest. (Aliud est a Livio VII, 10 dici: *tot circa mortalium animis spe metuque pendentibus*; ne illud quidem Lucretii VI, 51: *pavidis cum pendent mentibus*, ablat. modi, ad hanc quaestionem pertinet.) Equidem non memini, ubi, ut *animo fractus* (Cic., Tac.), *firmatus* (Tac.), alia similia, sic *animis fracti* legatur, nisi quod de

citudo futura sit! Quam me delectat Theramenes! quam elato animo est! Etsi enim flemus, cum legimus, tamen non miserabiliter vir clarus emoritur. Qui cum coniectus in carcerem triginta iussu tyrannorum venenum ut sitiens obduxisset, reliquum sic e poculo eiecit, ut id resonaret, quo sonitu reddito adridens: «Propino,» inquit, «hoc pulchro Critiae,» qui in eum fuerat taeterrimus. Graeci enim in conviviis solent nominare cui poculum tradituri sint. Lusit vir egregius extremo spiritu, cum iam praecordiis conceptam mortem contineret, vereque ei, cui venenum praebiberat, mortem eam est auguratus, quae brevi consecuta est. 97. Quis hanc maximi animi aequitatem in ipsa morte laudaret, si mortem malum iudicaret? Vadit enim in eundem carcerem atque in eundem paucis post annis scyphum Socrates, eodem scelere iudicum quo tyrannorum Theramenes. Quae est igitur eius oratio, qua facit eum Plato usum apud iudices iam morte multatum?

XLI. «Magna me» inquit «spes tenet, iudices, bene mihi evenire, quod mittar ad mortem. Necesse est enim sit alterum de duobus, ut aut sensus omnino omnes mors auferat aut in alium quendam locum ex his locis morte migretur. Quam ob rem, sive sensus extinguitur morsque ei somno similis est, qui non numquam, etiam sine visis somniorum, placatissimam quietem adfert, di boni, quid lucri est emori! aut quam multi dies reperiri possunt, qui tali nocti anteponantur, cui si similis futura est perpetuitas omnis consequentis temporis, quis me beatior? 98. Sin vera sunt quae dicuntur, migrationem esse mortem in eas oras, quas qui e vita excesserunt incolunt, id multo iam beatius est. Tene, cum ab iis, qui se iudicum numero haberi volunt, evaseris, ad eos venire, qui vere iudices appellentur, Minoem, Rhadamanthum, Aeacum, Triptolemum, convenireque eos, qui iuste et cum fide vixerint: haec peregrinatio mediocris vobis videri potest? ut vero conloqui cum Orpheo, Musaeo, Homero, Hesiodo liceat, quanti tandem aestimatis? Equidem saepe emori, si fieri posset, vellem, ut ea, quae dico, mihi liceret invenire. Quanta delectatione autem adficerer, cum Palamedem, cum Aiacem, cum alios iudicio iniquo circumventos convenirem! Temptarem etiam summi regis, qui maximas copias duxit ad Troiam, et Ulixi Sisyphique prudentiam, nec ob eam rem, cum haec exquirerem, sicut hic faciebam, capite damnarer. Ne vos quidem, iudices ii, qui me absolvistis, mortem timueritis. 99. Nec enim cuiquam bono mali quicquam evenire potest nec vivo nec mortuo, nec umquam eius res a dis inmortalibus neglegentur, nec mihi ipsi hoc accidit fortuito. Nec vero ego iis, a quibus accusatus aut a quibus condemnatus sum, habeo

---

Orat. I, 87. ubi vulgo, etiam ab Henrichsenio, scribitur: *uti eorum, qui audirent, sic afficerentur animi*, in Archetypo videtur fuisse: *ut ii -- animis*; cf. Fin. III, 37 *nulla animo afficiatur voluptate*; sed Legg. I, 27 de pluribus *animo* dicitur *(quemadmodum animo affecti simus)*.» W. — 1. *Qua me* G R — 5. *quod sonitu* C — 6. *in* ante *conviviis* om. G R — 8. *ei qui* C — 9. *mortē meam* G — 10. *animi maximi* O — 11. *enim* C: *en* Lachmannus (ad Lucret. p. 133); om. O — 13. *ΘΗΡΑΜΕΝΗC* G R — 20. *placlatissimam* G — *dii* C O — 21. *repperiri* G — *si* Bentley: om. C — 25. *tene* R: *te ne* G B; *te* O — *ab his* C — 27. *Aeacum*] *aiacem* C — *et* om. C — 32. *iniquo circumventos* Bentley: *iniquorum. Uentos* G R; *iniquorum uentos* (in margine additur *circum*) B — 35. *hi qui* C — 39. *his* C — *sum* post *accusatus* habet O — *condempnatus* G.

quod suscenseam, nisi quod mihi nocere se crediderunt.» Et haec quidem hoc modo; nihil autem melius extremo: «Sed tempus est» inquit «iam hinc abire me, ut moriar, vos, ut vitam agatis. Utrum autem sit melius di inmortales sciunt, hominem quidem scire arbitror neminem.»

XLII. Ne ego haud paulo hunc animum malim quam eorum omnium fortunas, qui de hoc iudicaverunt: etsi, quod praeter deos negat scire quemquam, id scit ipse utrum sit melius — nam dixit ante —; sed suum illud, nihil ut adfirmet, tenet ad extremum. 100. Nos autem teneamus, ut nihil censeamus esse malum, quod sit a natura datum omnibus, intellegamusque, si mors malum sit, esse sempiternum malum. Nam vitae miserae mors finis esse videtur: mors si est misera, finis esse nullus potest. Sed quid ego Socratem aut Theramenem praestantis viros virtutis et sapientiae gloria commemoro? cum Lacedaemonius quidam, cuius ne nomen quidem proditum est, mortem tanto opere contempserit, ut, cum ad eam duceretur damnatus ab ephoris et esset voltu hilari atque laeto, dixissetque ei quidam inimicus: «Contemnisne leges Lycurgi?» responderit: «Ego vero illi maximam gratiam habeo, qui me ea poena multaverit, quam sine mutuatione et sine versura possem dissolvere.» O virum Sparta dignum! ut mihi quidem, qui tam magno animo fuerit, innocens damnatus esse videatur. 101. Talis innumerabilis nostra civitas tulit. Sed quid duces et principes nominem, cum legiones scribat Cato saepe alacris in eum locum profectas, unde redituras se non arbitrarentur? Pari animo Lacedaemonii in Thermopylis occiderunt, in quos Simonides:

Dic, hospes, Spartae nos te hic vidisse iacentis,
Dum sanctis patriae legibus obsequimur:

e quibus unus, cum Perses hostis in conloquio dixisset glorians: «So-

---

2. *Sed tempus est* cet.] Cf. Lactantius VII, 2. — 4. *dii* C O — 5. *Nae* O — *haud*] *aut* R B — *mallim* R; sic etiam G, sed posterior *l* est in rasura, in qua duae litterae fuisse possunt. — 11. *misera, miseriae finis* O. «Ut Klotzius sic Tregderus Archetypi revocavit scripturam: *intelligamus, si mors malum sit, esse sempiternum malum. Nam vitae miserae mors finis esse videtur; mors si est misera* (i. e. si mortui etiam miseri sunt = *si mors malum est,* cf. § 9. 15. Madvig ad Fin. V, 84), *finis esse nullus potest* — Cuiusnam rei? Si grammaticam verborum rationem teneas, *vitae miserae*: at terrestris quidem, quae h. l. intelligitur, *vitae* mors, sive misera est sive non misera, finis est. Nam ex *vitae miserae* intelligere *mali* (Buher.) aut *miseriae* (Nissen.) vix licet, praesertim cum non dictum sit *miserae vitae,* sed *vitae miserae,* Klotzii autem ratione, qui ex *mors* - - *misera* intelligere *eius* (i. e. mortis miserae = miseri post mortem status) iubet, perversius nihil fieri potest. Non dicam ex *mors est misera* certe non *mortis miserae,* sed tantummodo *mortis* intelligi potuisse: illud dicam, ita existere bellam hanc demonstrationem: *Si mors malum est, est* (Kl. *mors* intelligit) *sempiternum malum. Nam — mors, si est malum, sempiternum malum est.* Lege § 9 et 15 (ubi *vita* idem est quod supra *humana conditione*): intelliges Ciceronem hoc dicere: «Si mors malum est, sempiternum malum est *hominibus propositum.* Nam *miseria* eorum, quae, si mortui non sunt miseri, vitae finibus terminatur, eadem, si etiam mortui miseri sunt, fines nullos habet (= § 9 in *miseriam nascimur sempiternam.* § 15 *infinitum et sempiternum malum habemus in vita*); cf. § 118. Itaque ego ex antiqua coniectura post *misera* addo *miseriae,* sed cum uncis, quoniam quidem fieri potest, ut Cicero ipse, ut alibi, ita hic negligentius duriusque scripserit.» W. Ob id ipsum nos *miseriae* reiecimus — 12. *socratem et aut* C — 14. *tantopere* C — 16. *contempnisne* G — *lygurgi* G R — 21. *Cato*] *uocato* litteris *uo* eadem m. deletis R — *saepe* superscr. eadem m. in G — 23. *thermopilis* G R — *in quo simonides* C — 26. *e quibus* Bentley: *Quid ille dux semidam* (*Leonidas* O) *dicit* (*ducit* corr. in *dicit* G R)? *Pergite animo forti, Lacedaemonii; hodie apud inferos fortasse cenabimus.*

lem prae iaculorum multitudine et sagittarum non videbitis,» «In umbra igitur,» inquit, «pugnabimus.» 102. Viros commemoro: qualis tandem Lacaena? quae cum filium in proelium misisset et interfectum audisset, «Idcirco,» inquit, «genueram, ut esset qui pro patria mortem non dubitaret occumbere.»

XLIII. Esto, fortes et duri Spartiatae, magnam habet vim rei publicae disciplina. Quid? Cyrenaeum Theodorum, philosophum non ignobilem, nonne miramur? cui cum Lysimachus rex crucem minaretur, «Istic quaeso,» inquit, «ista horribilia minitare purpuratis tuis: Theodori quidem nihil interest humine an sublime putescat.» Cuius hoc dicto admoneor, ut aliquid etiam de humatione et sepultura dicendum existimem: rem non difficilem, iis praesertim cognitis, quae de nihil sentiendo paulo ante dicta sunt. De qua Socrates quidem quid senserit apparet in eo libro, in quo moritur, de quo iam tam multa diximus. 103. Cum enim de inmortalitate animorum disputavisset et iam moriendi tempus urgeret, rogatus a Critone quem ad modum sepeliri vellet, «Multam vero,» inquit, «operam, amici, frustra consumpsi; Critoni enim nostro non persuasi me hinc avolaturum neque mei quicquam relicturum. Verum tamen, Crito, si me adsequi potueris aut sicubi nanctus eris, ut tibi videbitur, sepelito. Sed,

---

Fuit haec gens fortis, dum Lycurgi (*lygurgi* G R) *leges vigebant. E quibus* C O. «Foedissimam illam interpolationem a Bentleio satis confutatam (Adde, quod Cicero paulo supra dixit se *duces* non amplius nominaturos, quod *Quid -- cenabimus* certe post *e quibus -- pugnabimus* ponendum fuit, quod non *gens,* sed *populus* vel *civitas* dici oportuit, alia.), quae conflata videtur ex duabus notis, una *(Fuit -- vigebant)* vel versui *Dum -- obsequimur* vel iis, quae § 102 sunt, *Esto -- disciplina* in margine ascripta, altera *(Quid -- cenabimus)* ad *e quibus -- pugnabimus* ab eo, qui *duces* non satis commemoratos moleste ferret, addita, Tregderus uncis inclusit, funditus delere non minus debuit quam V, 24 *id est -- Graecos,* alia.» W. Cf. etiam Funkhaenel in Philol. Schneidew. III p. 149 sqq. — 4. *morte* C. «Saepius etiam (quam addita) nota litterae *m* (in Archetypo) omissa est, ut §§ 68. 71. 88 *(arguendum).* II, 49. 60 *(tanto* pro *tantum).* III, 11. 20. IV, 32. 45. 50. 51. 60 (quinquies!). 64. 68. 69. V, 4. 9. Quare equidem non dubito, quin h. l. ex aliquot codd. non malis legendum sit *mortē non dubitaret occumbere* et apud Livium I, 7 *mortē occubuit* ut legitur apud Livium II, 7. III, 50. XXVI, 25. XXXI, 48. Curt. VIII, 2, 8. Sueton. Aug. 13. Sil. Ital. XIII, 380. Ipsa huius verbi cum *ob* compositi propria vis atque natura aut accusativum aut (quo poëtae fere utuntur) dativum necessario requirere videtur, nudum ablativum *(morte)* respuere. Recte dicitur (mortem) *occumbere ferro* (Ovid.), *certamine saevo* (Sil.), *factis claris* (Valer. Fl.) ut (mortem) *obire gaudio, morbo aliquo* (Plin.). Neque mirum, si, cum *occumbere,* ut *obire*, absolute ita poni coeptum esset, ut idem quod *mori* esset, Livius XXXIX, 18 dixit: *ignobili atque inhonesta morte -- occubuit* (= inhoneste periit): quamquam corrigere *ignobilē atque inhonestā mortē* temerarium vix esset; cf. III, 50. Sueton. Aug. 13, ubi olim ex dett. codd. legebatur *voluntaria nece.* c. 4, ubi nunc ex melioribus codd. legitur *mortem obiit repentinam,* quondam *morte - repentina,* sicut T. D. I, 86 in nonnullis codd. est *morte obisset.*» W. — 10. *putrescat* B. Cf. de Finib. V § 38. — 12. *dificilem* R — *his* C — 18. *mei quicquam* Bentley: *me quicquam* C; *quidquam mei* O — 19. *natus* corr. in *nanctus* G — *videtur* C. «Tregderus ex G R, aliis edidit: *si me adsequi potueris aut sicubi nanctus eris, ut tibi videtur, sepelito* i. e. cum mortuus ero, *tum,* ut *nunc* vis, me sepelito; quasi vero Crito iam significasset, quomodo Socratem sepelire vellet, ac non, quemadmodum ipse vellet sepeliri, rogasset. Utrum igitur in Archetypo fuit, tamen scribendum est, ut habent codd. multi: *videbitur* (cf. Att. XII, 28, 1. 3. 30, 1. 51, 3. XIII, 22, 3), quod ab ipso Cicerone esse scriptum vel Platonis locus (Phaed. 115 C) satis diligenter expressus docet: *θάπτωμεν δέ σε τίνα τρόπον; Ὅπως ἄν, ἔφη, βούλησθε* (ut *voletis* = E: *ὅπως ἄν σοι φίλον ᾖ, ut tibi videbitur), ἐάνπερ γε λάβητέ* (nancti eritis) *με καὶ μὴ ἐκφύγω ὑμᾶς* (si me adsecuti eritis). Klotzius comparat § 77:

mihi crede, nemo me vestrum, cum hinc excessero, consequetur.» Praeclare id quidem, qui et amico permiserit et se ostenderit de hoc toto genere nihil laborare. 104. Durior Diogenes, et is quidem *idem* sentiens, sed ut Cynicus asperius, proici se iussit inhumatum. Tum amici: «Volucribusne et feris?» «Minime vero,» inquit; «sed bacillum propter me quo abigam ponitote.» «Qui poteris?» illi; «non enim senties.» «Quid igitur mihi ferarum laniatus oberit nihil sentienti?» Praeclare Anaxagoras, qui, cum Lampsaci moreretur, quaerentibus amicis velletne Clazomenas [in patriam], si quid accidisset, auferri: «Nihil necesse est,» inquit; «undique enim ad inferos tantundem viae est.» Totaque de ratione humationis unum tenendum est ad corpus illam pertinere, sive occiderit animus sive vigeat. In corpore autem perspicuum est vel extincto animo vel elapso nullum residere sensum.

XLIV. 105. Sed plena errorum sunt omnia. Trahit Hectorem ad currum religatum Achilles: lacerari eum et sentire, credo, putat. Ergo hic ulciscitur, ut quidem sibi videtur; at illa sicut acerbissimam rem maeret:

Vidi videre quod me passa aegerrume,
Hectorem curru quadriiugo raptarier.

Quem Hectorem aut quam diu ille erit Hector? Melius Accius et aliquando sapiens Achilles:

Immo enimvero corpus Priamo reddidi, Hectorem abstuli.

Non igitur Hectora traxisti, sed corpus quod fuerat Hectoris. 106. Ecce alius exoritur e terra, qui matrem dormire non sinat:

Mater, te appello, tu, quae curam somno suspensam levas,
Neque te mei miseret: surge et sepeli natum *tuum*.

— Haec cum pressis et flebilibus modis, qui totis theatris maestitiam

---

Ut videtur; sed -- depellet. Frustra; ibi enim ex *vis* (nunc) *audire --?* intelligitur non *facito*, sed *fac* (nunc). Cf. § 26: *Expone igitur, nisi molestum est, primum, si potes --; tum, si minus id obtinebis --, docebis* cet. (Att. XII, 36 *si -- scribes, nisi alienum putabis, obiurgato)* § 16 *perfice, si potes;* § 17 *ea, quae vis* (i. e. te velle iam significasti), *ut potero, explicabo --*. A. *Tu (fac), ut videtur* (= V, 21). III, 84 *quotienscumque voletis, -- erunt.* IV, 8 *Dicat* (nunc), *si quis vult.* Famil. XVI, 20 *indicem* (conficito), *cum Metrodoro lubebit --. Cum olitore* (age), *ut videtur. -- Verum* (sc. *facito;* dictum enim erat de futuro quodam tempore: *Tu potes Kalendis spectare gladiatores, postridie redire), ut videbitur.* De omissa syllaba *bi* eiusve nota cf. II, 2. III, 13. 74 *(mediocritas).* IV, 27 *(inhospitalis).* 34 (*virtus,* ut § 62. V, 5). In Epistolis non raro ex *videbitur* errore factum est *videtur*, ut Att. XII, 18 a, 2. ubi Mediceus recte: *Hoc -- tractabis, ut tibi videbitur.*» W. — 3. *idem* Bentley: om. C — 5. *quod abigam* R — 6. *quid poteris* G R; *qui id poteris* Tregderus «ex coniectura Leodegarii non mala illa quidem (cf. § 116, ubi Archetypus *quidem*, Tregderus ex Davisii coniectura recte: *qui item,* et de *id* I, 23. IV, 41), sed neque necessaria neque certa. Neque enim, ut illis aliisque locis, sic hoc opus fuit cum maiore quadam vi *id* (fere = *id quidem)* addi; cf. § 77. Att. XII, 40, 2. Acad. II, 100. Fin. V, 84. Terent. Andr. II, 1, 2. De verborum *qui* et *quid* confusione (h. l., ubi sequitur similis littera *p*, facillima, ut Fin. V, 28. ubi cod. Erlangensis, alii *quid potest* pro *qui potest*) cf. § 12. *Id* igitur uncis quidem certe includi oportuit.» W. — 8. *lamsaci moretur* G R — *in patriam* del. Bake l. l. p. 80. — 17. *meret* G R — 18. *quod sum passa* Ribbeck. — 19. *haectorem curro* G R — Post verbum *raptarier* propter similem exitum Moserus excidisse putat versum sequentem a Varrone servatum L. L. X, 70: *Hectoris natum de muro iactarier.* — 20. *Attius* O — 25. *tu* C: om. O — *suspensam* Porphyrio (ad Horat. Sat. 2, 3): *suspenso* C — 26. *mei te* Vossius. — *miseretur* Bentley. — *tuum* Bentley: om. C O — 27. *cum pressisset flebilibus* G R.

inferant, concinuntur, difficile est non eos, qui inhumati sint, miseros iudicare —

prius quam ferae
Volucresque...

— metuit ne laceratis membris minus bene utatur; ne combustis, non extimescit —

Neu reliquias ... meas sieris denudatis ossibus
Per terram sanie delibutas foede divexarier.

107. Non intellego quid metuat, cum tam bonos septenarios fundat ad tibiam. Tenendum est igitur, nihil curandum esse post mortem, cum multi inimicos etiam mortuos poeniuntur. Exsecratur luculentis sane versibus apud Ennium Thyestes, primum ut naufragio pereat Atreus. Durum hoc sane; talis enim interitus non est sine gravi sensu: illa inania,

Ipse summis saxis fixus asperis, evisceratus,
Latere pendens, saxa spargens tabo, sanie et sanguine atro.

Non ipsa saxa magis sensu omni vacabunt quam ille latere pendens, cui se hic cruciatum censet optare. Quae essent dura, si sentiret, nulla *sunt* sine sensu. Illud vero perquam inane:

Neque sepulchrum quo recipiat habeat, portum corporis,
Ubi remissa humana vita corpus requiescat malis.

Vides quanto haec in errore versentur: portum esse corporis et requiescere in sepulchro putat mortuum, magna culpa Pelopis, qui non erudierit filium nec docuerit quatenus esset quidque curandum.

XLV. 108. Sed quid singulorum opiniones animadvertam, nationum varios errores perspicere cum liceat? Condiunt Aegyptii mortuos et eos servant domi; Persae etiam cera circumlitos condunt, ut quam maxime permaneant diuturna corpora. Magorum mos est non humare corpora suorum, nisi a feris sint ante laniata. In Hyrcania plebs publicos alit canes, optumates domesticos. Nobile autem genus canum illud scimus esse, sed pro sua quisque facultate parat a quibus lanietur, eamque optumam illi esse censent sepulturam. Permulta alia colligit Chrysippus,

---

1. *sunt* O — 3. *prius Quam ferae* Bentley, O — 7. *neu reliquias semiassi reis* G; *neu reliquias semi assi reis* R; *ne reliquias semiassis reis* B; *Neu reliquias sic meas siris* Bentley, O; *Neu tu reliquias sic meas sieris* Fleckeisen; *Neu reliquias quaeso meas sieris* Ribbeck. — 8. *per terram* C: *tetra* Bentley, O — 10. *Tenendum -- inimicos et mortuos puniuntur* Nonius p. 479; *quo multi inimicos etiam mortuos puniuntur* idem p. 471. — *poeniuntur* litteris *oe* superscr. *u* G B, *paeniuntur* R; *poeniantur* alii. (*mortem. Quam multi -- poeniuntur!* Bake l. l. p. 81.) — 16. *omnia* C — 17. *Quae*] *quam* C. «Mihi quoque eiusmodi exclamatio *(quam -- sentiret!)* frigida esse videtur, qua nimis augetur cruciatus illius duritia. Ciceronem *illa inania* esse sic ostendisse opinor: *Non ipsa -- censet optare* (Atreus tum sensu omni vacabat). *Quae* (sic ante Klotzium vulgo ex antiqua correctione legebatur) autem *essent dura, si sentiret*, ea *nulla sunt sine sensu*. (Nihil autem durum est, quod non sentitur: ergo illa nulla fuerunt.) Sic remotius illud *illa* neque in *essent* intelligere opus est neque id est, quo *quae* refertur (quod tamen fieri licebat, praesertim cum *illa* in *cruciatum* insit, cf. ad § 3). Sive autem legitur: *Quam -- sentiret! nulla* cet., sive, ut vulgo ea scriptura distinguitur: *Quae -- sentiret; nulla* cet., equidem ante *nulla* desidero *nunc*; cf. Verrin. II, 176. Divin. I, 60. T. D. III, 2. De *quae* et *quā* (h. l. fortasse propter praecedens *quam*) confusis cf. § 109 [et 110].» W. — *sentirent* C: *sentirentur* alii. — 18. *sunt* om. C; hoc loco posuit Tregderus, post *sensu* O — 24. *opinionis* G R — 28. *hircania* R — *supplicos* G R (*publicos*, sed *pub* in rasura, B) — 31. *crysippus* G R.

ut est in omni historia curiosus, sed ita taetra sunt quaedam, ut ea fugiat et reformidet oratio. Totus igitur hic locus est contemnendus in nobis, non neglegendus in nostris [ita tamen, ut mortuorum corpora nihil sentire vivi sentiamus]. 109. Quantum autem consuetudini famaeque dandum sit, id curent vivi, sed ita, ut intellegant nihil id ad mortuos pertinere.

Sed profecto mors tum aequissimo animo oppetitur, cum suis se laudibus vita occidens consolari potest. Nemo parum diu vixit, qui virtutis perfectae perfecto functus est munere. Multa mihi ipsi ad mortem tempestiva fuerunt, quam utinam potuissem obire! nihil enim iam adquirebatur, cumulata erant officia vitae, cum fortuna bella restabant. Qua re, si ipsa ratio minus perficiet ut mortem neglegere possimus, at vita acta perficiat ut satis superque vixisse videamur. Quamquam enim sensus abierit, tamen suis et propriis bonis laudis et gloriae, quamvis non sentiant, mortui non carent. Etsi enim nihil habet in se gloria cur expetatur, tamen virtutem tamquam umbra sequitur. XLVI. 110. Verum multitudinis iudicium de bonis si quando est, magis laudandum est quam illi ob eam rem beati. Non possum autem dicere, quoquo modo hoc accipietur, Lycurgum, Solonem legum et publicae disciplinae carere gloria, Themistoclem, Epaminondam bellicae virtutis. Ante enim Sala-

---

2. *contempnendus* G R — «*Totus igitur hic locus* (de humatione et sepultura) *est contemnendus in nobis, non neglegendus in nostris, ita tamen* (non neglegendus), *ut mortuorum* (nostrorum) *corpora nihil* (ergo ne sepulturam quidem) *sentire vivi* (nos, qui vivimus) *sentiamus* (iudicemus). *Quantum autem* (in suis sepeliendis) *consuetudini famaeque dandum sit, id curent vivi, sed ita, ut intellegant nihil id* (quomodo sepeliantur) *ad mortuos pertinere*. In turpissima hac tautologia Reiskius, quod sciam, solus haesit, qui haec rectissime annotavit: «Sequentia verba *Quantum* - - *pertinere* videntur idem dicere atque praecedentia [sc. *ita tamen* - - *sentiamus*] et altera [eaque accuratior] Ciceronis elaboratio eiusdem sententiae esse [Cf. Att. XVI, 3, 1]. Notam liturarum Ciceronis in illis mihi videor videre.» Scilicet verba illa correcta (*ita* - - *sentiamus* cum ipse Cicero delere oblitus esset, non omisit librarius ille, qui eum codicem scripsit, ex quo non emendato (cf. Att. XIII, 21) archetypus nostrorum codicum derivatus est. Itaque *ita* - - *sentiamus* uncis inclusi.» W. Cf. IV § 25. — 5. *id* superscr. ead. m. in G — 10. *quam* Davisius: *quae* C. Cf. § 107. 110. — 11. *fortunae* B — 14. *abierit* C: *aberit* Lambinus, O — *suis* Lambinus: *summis* C. «Tregderus ex Archetypo scripsit: *summis et propriis bonis laudis et gloriae* (Genitivus definitivus, de quo cf. Madvig § 286), quasi *laus et gloria* a Cicerone *summa* bona dicantur ac non ipse sic pergat: *nihil habet in se gloria, cur expetatur*; ex Lambini coniectura vulgo recte legebatur: *suis et propriis*; cf. quod supra est (v. 7): *suis se laudibus* cet., et quod sequitur: *gloria* - - *virtutem tamquam umbra* (quae *sua* cuiusque et *propria* est) *sequitur*. De *suus et proprius* cf. I, 70. V, 19. de Orat. II, 39 (*adsumpto aliunde uti bono, non proprio nec suo*). p. Caecina § 51 *suis certis ac propriis vocabulis*. Famil. V, 14, 3 *consuetudinem* - - *tuam solius ac propriam*. De vocabulorum *suus* et *summus* confusione cf. p. Corn. Balbo § 56. Ovid. Fast. III, 34.» W. — *bonis et laudis* B O — 15. *habent* (sed littera *n* cum puncto et deinde erasa) G — *expectatur* G R (*expetatur*, littera inter *e* et *t* erasa, B) — 20. *Salamina* Manutius: *Salaminam* C O. «Mihi non dubium est, quin Cicero aut *Salamina* aut *Salaminem* scripserit. Cf., ut omittam *aethera* et *aëra*, § 105 *Hectora*. Att. XVI, 4, 1 *Nesida* (1, 1 *Nesidem*). XIV, 14, 2 *tyrannida* (Offic. III, 90 *tyrannidem*). Famil. XVI, 12, 3 *hebdomada*. (Quam Cicero ipse Graecam terminationem non aspernatus sit, intelligitur ex Attic. VII, 3, 10. ubi ab Attico reprehensus, quod VI, 9, 1 *In Piraeea cum exissem* scripsisset, respondet «se magis reprehendendum esse, quod homo Romanus *Piraeea* scripsisset, non, ut omnes Romani (Caecilius, Terentius, alii), *Piraeeum*, quam quod *in* (nomini *loci*, non *oppidi*) addidisset. Cf. Famil. XIII, 56, 1 *Mylasis et Alabandis* (i. e. *Μυλασεῖς καὶ Ἀλαβανδεῖς*, cf. Brut. § 325 *Alabandeus*) *pecuniam Cluvio debent*; ibidem

mina ipsam Neptunus obruet quam Salaminii tropaei memoriam, priusque Boeotia Leuctra tollentur quam pugnae Leuctricae gloria. Multo autem tardius fama deseret Curium, Fabricium, Calatinum, duo Scipiones, duo Africanos, Maximum, Marcellum, Paulum, Catonem, Laelium, innumerabilis alios: quorum similitudinem aliquam qui arripuerit, non eam fama populari, sed vera bonorum laude metiens fidenti animo, si ita res feret, gradietur ad mortem, in qua aut summum bonum aut nullum malum esse cognovimus. Secundis vero suis rebus volet etiam mori; non enim tam cumulus bonorum iucundus esse potest quam molesta decessio. 111. Hanc sententiam significare videtur Laconis illa vox, qui, cum Rhodius Diagoras, Olympionices nobilis, uno die duo suos filios victores Olympiae vidisset, accessit ad senem et gratulatus: «Morere, Diagora,» inquit; «non enim in caelum ascensurus es.» Magna haec et nimium fortasse Graeci putant vel tum potius putabant, isque, qui hoc Diagorae dixit, permagnum existimans tris Olympionicas una e domo prodire, cunctari illum diutius in vita fortunae obiectum inutile putabat ipsi. Ego autem tibi quidem, quod satis esset, paucis verbis, ut mihi videbar, responderam. Concesseras enim nullo in malo mortuos esse, sed ob eam causam contendi, ut plura dicerem, quod in desiderio et luctu haec est consolatio maxima. Nostrum enim et nostra causa susceptum dolorem modice ferre debemus, ne nosmet ipsos amare videamur. Illa suspicio intolerabili dolore cruciat, si opinamur eos, quibus orbati sumus, esse cum aliquo sensu in iis malis quibus volgo opinantur. Hanc excutere opinionem mihimet volui radicitus, eoque fui fortasse longior. XLVII. 112. *A.* Tu longior? non mihi quidem. Prior

---

Latine *Mylasii* et *Alabandenses*). R. P. II, 28 et Att. IX, 19, 3 *Crotonem*. VII, 11, 1 *Anconem*. Offic. II, 81 sq. et Att. I, 13, 1 *Sicyonem*. XVI, 6, 1 *Vibonem*. Caes. B. G. VII, 7 *Narbonem*. Laudantur contra hi loci: N. D. I, 19. ubi Moserus ex plurimis codd. *Eleusinam sanctam*; multi codd. *Eleusinem*, ut Liv. XXXI, 26; Gruterus *Eleusina*, ut Liv. XXXI, 25; Famil. XVI, 12, 2 Medic. *Anconam*, ut ex dett. codd. legitur Philipp. XII, 23 et ex codd. nescio quibus Caes. B. C. I, 11. At incredibile est Ciceronem Graeco casu mutata declinatione *Salaminam*, *Eleusinam* scripsisse, qui «barbaro» (Orat. § 160) casu servarit; cf. Offic. I, 61 et Att. VI, 1, 6 *Salamine*. Att. VI, 1, 26 et 6, 2 *Eleusine*, ut Liv. XXXI, 26. Offic. I, 61 *Marathone*. Divin. I, 47 *Babylone* (ut in Italorum, Gallorum, Hispanorum oppidis semper: *Sulmone*, *Vibone*, *Narbone*, *Tarracone*). Quod recentiores, ut Iustinus, scripserunt *Salaminam*, *Salaminae*, ad Ciceronis aetatem nihil pertinet. (Sic Scholiast Bobiensis, cum ad Sestian c. 57 Nepotem tacite compilaret, ex illius *partim Salamina*, *partim Troezena* fecit *p. Salaminam*, *p. Troezenam*.) Nepos quidem accusativo casu scripsit *Salamina* (quater), *Marathona*, *Troezena*, *Strymona*, *Lacedaemona*, *Timoleonta* (ut *Arcadas*, *Athamanas*, *Chaonas*. Caelius Famil. VIII, 10, 2 *Arabas*. Cic. Divin. II, 96 *Aethiopas*. R. P. III, 25 *Arcadas*. Caesar *phalangas* et vel in Gallicis populis *Allobrogas*, *Senonas*, *Lingonas*). Quod attinet ad *Anconam* et *Crotonam* (Liv. I, 18 Archet.' sed ante litteras *iu*, ut Iustin. XX, 4), de codicum fide dubitare licet; Livii quidem ceteris locis (XXIII, 30. XXIV, 2. 3. XXXIV, 45) legitur *Croto*, *Crotonis*, *Crotonem* (ter), *Crotone*. Sed, ut Cicero, Caesar, Livius sic scripserint, tamen aliud est in Graeco-Romanis oppidis mutatam declinationem esse (cf. *Tarentum*, *Sipontum*, *Agrigentum*, al., et de genere *Crotonis* mutato Madvigii Obss. de sua grammatica p. 25), aliud locorum vere Graecorum nomina sic esse depravata. Denique non mirum, si ante *ipsam* et (N. D. l. c.) ante *sanctam* indocti librarii *m* addiderunt; cf. § 115 (Archet. *omnes amicos* pro *omni amicos*) et ad § 90.» W. — 1. *trophei* G B — 2. *bootia* G R; *boetia* B — *quae pugnae* G R. Cf. §§ 107. 109. — 3. *desseret* G — 6. *Fidenti animo -- esse cognovimus* Lactantius VII, 10. — 7. *res feret* Lambinus: *refert* C; *res fert* alii. — 9. *tam* superscr. ead. m. in G — 11. *olimpionices* G R — 15. *tris* B: *tres* G R O — 22. *intollerabili* R — 23. *in his* C.

enim pars orationis tuae faciebat ut mori cuperem, posterior ut modo non nollem, modo non laborarem: omni autem oratione illud certe perfectum est, ut mortem non ducerem in malis.

M. Num igitur etiam rhetorum epilogum desideramus? an hanc iam artem plane relinquimus? *A.* Tu vero istam ne reliqueris, quam semper ornasti, et quidem iure; illa enim te, verum si loqui volumus, ornaverat. Sed quinam est iste epilogus? aveo enim audire quicquid est. 113. *M.* Deorum immortalium iudicia solent in scholis proferre de morte, nec vero ea fingere ipsi, sed Herodoto auctore aliisque pluribus. Primum Argiae sacerdotis Cleobis et Biton filii praedicantur. Nota fabula est. Cum enim illam ad sollemne et statum sacrificium curru vehi ius esset, satis longe ab oppido ad fanum, morarenturque iumenta, tum iuvenes ii, quos modo nominavi, veste posita corpora oleo perunxerunt, ad iugum accesserunt. Ita sacerdos advecta in fanum, cum currus esset ductus a filiis, precata a dea dicitur, ut illis praemium daret pro pietate quod maxumum homini dari posset a deo; post epulatos cum matre adulescentis somno se dedisse, mane inventos esse mortuos. 114. Simili precatione Trophonius et Agamedes usi dicuntur, qui cum Apollini Delphis templum exaedificavissent, venerantes deum petiverunt mercedem non parvam quidem operis et laboris sui, nihil certi, sed quod esset optumum homini. Quibus Apollo se id daturum ostendit post eius diei diem tertium: qui ut inluxit, mortui sunt reperti. Iudicavisse deum dicunt et eum quidem deum, cui reliqui di concessissent ut praeter ceteros divinaret. XLVIII. Adfertur etiam de Sileno fabella quaedam, qui cum a Mida captus esset, hoc ei muneris pro sua missione dedisse scribitur: docuisse regem non nasci homini longe optimum esse, proximum autem quam primum mori. 115. Qua est sententia in Cresphonte usus Euripides:

Nam nos decebat coetus celebrantis domum
Lugere, ubi esset aliquis in lucem editus,
Humanae vitae varia reputantis mala:
At, qui labores morte finisset gravis,
Hunc omni amicos laude et laetitia exsequi.

Simile quiddam est in Consolatione Crantoris. Ait enim Terinaeum quendam Elysium, cum graviter filii mortem maereret, venisse in psychomantium quaerentem quae fuisset tantae calamitatis causa: huic in tabellis tris huius modi versiculos datos:

---

2. *ratione* G R — 4. *rethorum* G R — 7. *habeo* C. Cf. § 16. — 10. *Argiae*] «Cicero sine dubio scripsit, ut Lambinus, *Argivae*; cf. I, 45. III, 53. N. D. 1, 82. Divin. I, 37. Brut. 50. Poëtae interdum *Argeus* scribebant; *Argius* ex nullo scriptore laudatur.» W. — *deobis* R — *binoto* C; *Bito* O. Vide ad § 116. — 11. *statutum* C — 12. *tunc iuuenes -- accesserunt* in margine manu posteriore, sed antiqua, adscripta habet R — *tum* G B: *tunc* R² O. «Scribendum est: *tum iuvenes:* cf. de *cum - tum (tum - cum)* § 118. II, 19. 20. 24. III, 2. 3. Vehementior illa demonstratio, quam *tunc* (in diserta vel tacita praeteriti et praesentis temporis oppositione aliave de causa, ut Famil. III, 10. 8. Divin. II, 3. Att. X, 8, 2) habet, ab hoc loco aliena est.» W. — *iuuenis* G — 13. *hi* C — 15. *praecata* G R — *illis praemium* B (in marg. «vel mii»): *illis praemii* G R; *id illis praemii* Rathius; *id iis praemi* Tregderus. — 18. *apolloni* G — 19. *petierunt* O — 23. *dii* C — 31. *humana* C — 33. *omni* Davisius: *omnes* C. Vide ad § 110. — 34. *terinaneum* C — 35. *helysium* G R — *maeret* G R — *in sichomantium* C.

Ignaris homines in vita mentibus errant:
Euthynous potitur, fatorum numine, leto.
Sic fuit utilius finiri ipsique tibique.

116. His et talibus auctoribus usi confirmant causam [rebus] a dis immortalibus iudicatam. Alcidamas quidem, rhetor antiquus in primis nobilis, scripsit etiam laudationem mortis, quae constat ex enumeratione humanorum malorum. Cui rationes eae, quae exquisitius a philosophis colliguntur, defuerunt, ubertas orationis non defuit. Clarae vero mortes pro patria oppetitae non solum gloriosae rhetoribus, sed etiam beatae videri solent. Repetunt ab Erechtheo, cuius etiam filiae cupide mortem expetiverunt pro vita civium; Codrum, qui se in medios inmisit hostis veste famulari, ne posset adgnosci, si esset ornatu regio, quod oraculum erat datum, si rex interfectus esset, victricis Athenas fore. Menoeceus non praetermittitur, qui item oraculo edito largitus est patriae suum sanguinem. Iphigenia Aulide duci se immolandam iubet, «ut hostium eliciatur suo». Veniunt inde ad propiora. XLIX. Harmodius in ore *est* et Aristogiton; Lacedaemonius Leonidas, Thebanus Epaminondas vigent. Nostros non norunt, quos enumerare magnum est: ita sunt multi, quibus videmus optabilis mortes fuisse cum gloria.

117. Quae cum ita sint, magna tamen eloquentia est utendum atque [ita] velut superiore e loco contionandum, ut homines mortem vel optare incipiant vel certe timere desistant. Nam si supremus ille dies non extinctionem, sed commutationem adfert loci, quid optabilius? sin autem perimit ac delet omnino, quid melius quam in mediis vitae laboribus obdormiscere et ita conviventem somno consopiri sempiterno? Quod si fiat, melior Enni quam Solonis oratio. Hic enim noster:

Nemo me lacrimis decoret, inquit, nec funera fletu
Faxit!

---

2. *laeto* C — 4. «Ex Lambini coniectura *rebus* ut ex *auctoribus* repetitum uncis includo (debebat certe esse *et rebus et verbis*, cf. § 114 sq.)» W. — *diis* C — 5. *Alcidamas* Ursinus: *alchidamus* C — 6. *constet* C — 8. *rationis* C — *mortis* G R — 9. *gloriose rethoribus* G R — *beate* G — 10. *erectheo* C — *cupidae* G R. «Ex gemellis codicibus G R Tregderus scripsit: *cuius etiam filiae cupidae mortem expetiverunt*, i. e. filiae, quarum propria cupiditas erat, quae cupidae esse solebant *(leidenschaftliche Töchter)*, cf. Offic. III, 59; nam *cupidus (avidus, studiosus)* antiquiores quidem certe prosae orationis scriptores (Poëtae sic locuti sunt, ut Ennius apud Cic. de Divinat. I, 107 *avidi spectant ad carceris oras*, Cicero ipse T. D. II, 24 *avida se ad pastus refert)* numquam cum praedicato ita iungunt, ut subiecti in agendo status affectusve significetur (cf. Madvig § 300): semper adverbium ponunt, ut p. Rosc. Amer. § 50 *studiose colebant -- cupide adpetebant*, Caes. B. G. I, 40 *cupidissime -- adpetisse* (Plaut. Cas. II, 3, 49 *cupide cupere*), Cat. M. § 72 *avide adpetendum senibus* (cf. § 26 *avide arripui*), T. D. IV, 36 *cupiditas avide -- expetens*. De levissimo mendi genere conf. Tregderum p. IX. § 115 *(laeto)*. II, 13 *(ac improbe)*. III, 77 *(propriae)*.» W. — 14. *qui item* Davisius: *quidem* C; *qui* O. Vide ad § 104. — 16. *propriora* G R — *est* Rathius: om. C O. «Conf. Emendatt. Epp. p. 17 n. In verbis *in ore est* et *vigent* (cf. Famil. VIII, 1, 4) ex *veniunt* intelligendum *iis* = rhetoribus, quod Klotzii causa moneo, qui ad Lael. § 2 *in ore* cum *vigent* iungat atque in *vigent* inesse *omnibus* vel *multis sunt* credat.» W. — 17. *Aristogito* O. «Tregderus, qui § 92 ex Archetypo *Endymion*, § 113 *Biton*, V, 27 *Zenon* scripsit (cf. I, 57 Archet. et Pseudo-Boëthius *Menon*, Offic. III, 95 *Agamemnon*, Divinat. II, 132 *Euphorion*, alia), *Aristogiton* scribere debuit et III, 39 *Telamon* (ut est de Orat. II, 193). Cf. Madvig ad Fin. II, 19 de *Callipho* pro *Calliphon*.» W. — *uiget* C — 21. *ita* seclusit W; «sequentibus enim verbis *ut -- desistant* significatur consilium, quo *magna -- contionandum*.» — 24. *peremit* G R[1] — 25. *conhibentem* G, *conibuentem* R — 26. *Ennii* R O.

At vero ille sapiens:

Mors mea ne careat lacrimis: linquamus amicis
Maerorem, ut celebrent funera cum gemitu.

118. Nos vero, si quid tale acciderit, ut a deo denuntiatum videatur, ut exeamus e vita, laeti et agentes gratias pareamus emittique nos e custodia et levari vinclis arbitremur, ut aut in aeternam et plane nostram domum remigremus aut omni sensu molestiaque careamus: sin autem nihil denuntiabitur, eo tamen simus animo, ut horribilem illum diem aliis, nobis faustum putemus nihilque in malis ducamus, quod sit vel a dis inmortalibus vel a natura parente omnium constitutum. Non enim temere nec fortuito sati et creati sumus, sed profecto fuit quaedam vis, quae generi consuleret humano nec id gigneret aut aleret, quod cum exanclavisset omnes labores, tum incideret in mortis malum sempiternum: portum potius paratum nobis et perfugium putemus. 119. Quo utinam velis passis pervehi liceat! Sin reflantibus ventis reiciemur, tamen eodem paulo tardius referamur necesse est. Quod autem omnibus necesse est, idne miserum esse uni potest? Habes epilogum, ne quid praetermissum aut relictum putes. *A.* Ego vero, et quidem fecit etiam iste me epilogus firmiorem. *M.* Optime, inquam. Sed nunc quidem valetudini tribuamus aliquid, cras autem et quot dies erimus in Tusculano, agamus haec et ea potissimum, quae levationem habeant aegritudinum, formidinum, cupiditatum, qui omni *e* philosophia est fructus uberrimus.

---

1. *sapiens ille* O — 3. *merorem* G R² B; *memorem* R¹ — 6. *plene* C — 7. *nostram* W: *in nostram* C O. «Quoniam *una* domus significatur, delendum est *in* sive ex *e n* natum (ut II, 26 *enim* ex *i m*, III, 82 *etsi* ex *it si*, II, 48 *ite* ex *it e*, IV, 80 *sanabile est tamen*) sive ex superiore *in* frequentissimo quodam errore repetitum.» — 10. *diis* C — *a* ante *natura* superscr. in R — 13. *quod cum -- sempiternum* Nonius p. 107. — 15. *sinere flantibus* C — 16. *eadem* (littera *a* puncto notata et superscr. *o*) R. «Ut in R sic fuerit (IV, 59 R *eorum -- perturbationum*!), tamen Archetypus habuit *eodem*; ita enim omnes sine ulla varietate edunt. Atque per se ipsum *eodem* (i. e. *eo*, «*quo* velis passis pervehi» optabile est, sed *unde* «reflantibus ventis reiecti erimus») multo aptius est quam *eadem* (*via*, *qua* reiecti erimus); neque enim, ut aliquo perveniamus, unde reiecti simus, necesse est *eandem* viam repetere: etiam *alia*, et fortasse celerius, eo referri possumus.» W. — 18. *et qui idem* G R — 20. *quos* C. «Mihi magis probatur ceterorum scriptura *quot dies*, i. e. *tot* (continuis, cf. § 8. II, 9. 67. III, 6. IV, 7. V, 1. 11.) *diebus*, *quot* = *quotidie*, *quoad*. *Quos* dies magis esset: *iis diebus* (non continuis), *quos* = *quotiescumque*. Qui locus a Mosero comparatur, Nepot. Milt. 8 (Chersonesi omnes *illos*, quos habitarat, annos *perpetuam* obtinuerat dominationem), is quam dissimilis sit, facile apparet.» W. — 22. *aegritudinem* R¹ — *qui omni ph.* G R; *qui in omni ph.* (*in* ead. m. superscr.) B; *qui omnis philosophiae* Halmius. — 23. *EXPLICIT LIBER PRIMVS* R.

SUPPLEMENTA ADNOTATIONIS.

Pag. 208 in adnotatione ad inscriptionem iis locis, ubi ipse Cicero hos libros *Tusculanas disputationes* nominavit, addendus est ille de Divinat. II § 2.

Pag. 224, 22 sq. Eadem plane ratione locum Madvigius in epistola ad Halmium data emendavit, hoc praeterea de vocabulo *animi* monens: «*Animi* pro *hominis* dixit cum lusu quodam, quoniam agitur de animo animum cognoscente et id praecipiente.»

Pag. 231, 17. «Non magis hoc uno loco *iunctione* Cicero scripsit pro *coniunctione*, quam Brut. § 142 *questionibus* pro *conquestionibus* (cf. var. lect. Orat. § 135).» MADV.

M. TULLII CICERONIS

TUSCULANARUM DISPUTATIONUM

AD M. BRUTUM

LIBER SECUNDUS.

I. 1. Neoptolemus quidem apud Ennium philosophari sibi ait necesse esse, sed paucis; nam omnino haud placere. Ego autem, Brute, necesse mihi quidem esse arbitror philosophari: nam quid possum, praesertim nihil agens, agere melius? sed non paucis, ut ille. Difficile est enim *in* philosophia pauca esse ei nota, cui non sint aut pleraque aut omnia. Nam nec pauca nisi e multis eligi possunt nec qui pauca perceperit non idem reliqua eodem studio persequetur. 2. Sed tamen in vita occupata atque, ut Neoptolemi tum erat, militari pauca ipsa multum saepe prosunt et ferunt fructus, si non tantos, quanti ex universa philosophia percipi possunt, tamen eos, quibus aliqua ex parte interdum aut cupiditate aut aegritudine aut metu liberemur; velut ex ea disputatione, quae mihi nuper habita est in Tusculano, magna videbatur mortis effecta contemptio, quae non minimum valet ad animum metu liberandum. Nam qui id, quod vitari non potest, metuit, is vivere animo quieto nullo modo potest; sed qui, non modo quia necesse est mori, verum etiam quia nihil habet mors quod sit horrendum, mortem non timet, magnum is sibi praesidium ad beatam vitam comparavit. 3. Quamquam non sumus ignari multos studiose contra esse dicturos, quod vitare nullo modo potuimus, nisi nihil omnino scriberemus. Ete-

---

M. TULLII CICERONIS TUSCULANARUM LIBER SECUNDUS INCIPIT G; *M. TULLII CICERONIS LIBER SECUNDUS INCIPIT* B; inscriptione caret R — 5. *in* om. C — 7. *perceperit* C: *percepit* alii. »Nihil fuit, cur primaria pars *generalis* sententiae futuro tempore *(persequetur)* enuntiaretur, secundaria non item; cf. § 16: *erit --, qui -- persuaserit.* Quod si Cicero *percepit* scripsisset, idem *persequitur* posuisset; cf. I, 58. Madvig § 335 n. 1.» W. — *persequatur* corr. in *persequetur* fort. prima m. R — 8. *ut* supplevit inter versus in G manus recentior, sed antiqua. — 9. *si*] *sed* C — 11. *liberentur* C — 17. *comparavit* Manutius: *comparat* C O. «Agitur de *contemptione mortis* iam *effecta*; *qui* autem *mortem* iam *non timet*, is non nunc demum *praesidium* ad beatam vitam *comparat*, sed iam tum, cum timere desiit (didicit non timere), *comparavit*. Cf. V, 74: *Nec vero illa sibi remedia comparavit ad tolerandum dolorem --, sed una se dicit recordatione acquiescere* cet.; cf. Famil. VIII, 9, 2 (ubi ego scripsi *interpellavit*). T. D. V, 72. ubi contrario vitio G R, alii *definivit*.» W. Vide etiam ad I § 103.

nim si orationes, quas nos multitudinis iudicio probari volebamus — popularis est enim illa facultas et effectus eloquentiae est audientium adprobatio —, sed si reperiebantur non nulli qui nihil laudarent nisi quod se imitari posse confiderent quemque sperandi sibi, eundem bene dicendi finem proponerent, et cum obruerentur copia sententiarum atque verborum, ieiunitatem et famem se malle quam ubertatem et copiam dicerent, unde erat exortum genus Atticorum iis ipsis, qui id sequi se profitebantur, ignotum, qui iam conticuerunt paene ab ipso foro inrisi: quid futurum putamus, cum adiutore populo, quo utebamur antea, nunc minime nos uti posse videamus? 4. Est enim philosophia paucis contenta iudicibus, multitudinem consulto ipsa fugiens eique ipsi et suspecta et invisa, ut vel si quis universam velit vituperare, secundo id populo facere possit, vel si in eam, quam nos maxime sequimur, conetur invadere, magna habere possit auxilia *a* reliquorum philosophorum disciplinis. II. Nos autem universae philosophiae vituperatoribus respondimus in Hortensio, pro Academia autem quae dicenda essent satis accurate in Academicis quattuor libris explicata arbitramur; sed tamen tantum abest, ut scribi contra nos nolimus, ut id etiam maxime optemus. In ipsa enim Graecia philosophia tanto in honore numquam fuisset, nisi doctissimorum contentionibus dissensionibusque viguisset.

5. Quam ob rem hortor omnis, qui facere id possunt, ut huius quoque generis laudem iam languenti Graeciae eripiant et traferant in hanc urbem, sicut reliquas omnis, quae quidem erant expetendae, studio atque industria sua maiores nostri transtulerunt. Atque oratorum quidem laus ita ducta ab humili venit ad summum, ut iam, quod natura fert in omnibus fere rebus, senescat brevique tempore ad nihilum ventura videatur, philosophia nascatur Latinis quidem litteris ex his temporibus eamque nos adiuvemus, nosque ipsos redargui refellique patia-

---

7. *exortus* G R[1] — *his* C — 10. *Est philosophia - - ipsa fugiens* Lactantius III, 25. — 14. *a* Lambinus: om. C — 16. *achademia - - achademicis* G R — 17. *quatuor* h. l. G — *sed tamen - - optemus. Ipsa enim Graecia philosophia tantum in honore - - dissensionibusque crevisset. Quam ob rem - - ut eius quoque - - transtulerunt* Boëthius ad Cic. Top. p. 372, 34—38 ed. Bait. — 18. *nolimus* ex correctione R — 22. *graecia* G R — *traferant* Wesenberg: *transferant* Boëthius; *praeferant* G R; *perferant* B O. «De eiusmodi sedis mutatione numquam sic dicitur *perferre*, semper *transferre*, ut paulo post et IV, 1 (II, 6 *traducta*). Ego suspicor Ciceronem scripsisse *traferant*. I, 10 ex R, aliis scribitur *travectio*. Fam. V, 20, 3 ex Med. scribendum *traferri*. Cf. lectiones varias ap. Livium V, 52, 8 in loco simillimo.» W. — *erant*] *essent* Bake l. l. p. 81 coll. I § 1. — 24. *maiores* in rasura habet G — *oratoria* Bentley. — 26. *senescat rebus* C — 27. «Post Wolfium, alios Tregderus quoque sic distinxit: *videatur. Philosophia* cet. quasi in *nascatur - - adiuvemus - - patiamur* hortandi vis inesset; quod quam absurdum sit, bene docet Orellius (ad Wolfii Praelectt. p. 371). Supra (*hortor omnes, qui* cet.) Cicero alios Romanos hortatur, ut philosophia quoque cum Graecis certent: hoc loco neque se neque alios ad *incipienda* philosophiae studia hortatur, sed cum eloquentia Romana iam ad summum perducta *nascentem* iam (cf. § 6 *eos, qui - - philosophantur,* Acad. I, 8. 9. 12. Fin. I, 8. T. D. IV, 6) philosophiam comparat eamque se suis libris adiuvare (cf. I, 5) ait seque ipsum redargui pati (§ 4 *optare,* paulo post *paratum esse*). Distinguendum est igitur sic: *videatur, philosophia* cet. De frequentissima attractione, qua, quod cum primaria sententia iungendum erat, secundariae annectitur, cf. V, 37 *neque est ullum, quod non ita vigeat —, ut fundat —, omniaque —, perfecta sint.* Fin. IV, 17. Divinat. II, 33 (*ostreisque - - contingere, ut - - crescant - -, arboresque ut - - putentur*). Fat. § 15.» W. (*videatur. Philosophia nascetur* Tischerus.) — *ex*] *et* Bake l. l. p. 81.

mur. Quod ii ferunt animo iniquo, qui certis quibusdam destinatisque sententiis quasi addicti et consecrati sunt eaque necessitate constricti, ut etiam, quae non probare soleant, ea cogantur constantiae causa defendere: nos, qui sequimur probabilia nec ultra quam *ad* id, quod veri simile occurrit, progredi possumus, et refellere sine pertinacia et refelli sine iracundia parati sumus.

6. Quod si haec studia traducta erunt ad nostros, ne bibliothecis quidem Graecis egebimus, in quibus multitudo infinita librorum propter eorum est multitudinem, qui scripserunt; eadem enim dicuntur a multis, ex quo libris omnia referserunt: quod accidet etiam nostris, si ad haec studia plures confluxerint. Sed eos, si possumus, excitemus, qui liberaliter eruditi adhibita etiam disserendi elegantia ratione et via philosophantur. III. 7. Est enim quoddam genus eorum, qui se philosophos appellari volunt, quorum dicuntur esse Latini sane multi libri: quos non contemno equidem, quippe quos numquam legerim: sed quia profitentur ipsi illi, qui eos scribunt, se neque distincte neque distribute neque eleganter neque ornate scribere, lectionem sine ulla delectatione neglego. Quid enim dicant et quid sentiant ii, qui sunt ab ea disciplina, nemo *ne* mediocriter quidem doctus ignorat. Quam ob rem quoniam quem ad modum dicant ipsi non laborant, cur legendi sint, nisi ipsi inter se, qui idem sentiunt, non intellego. 8. Nam, ut Platonem reliquosque Socraticos et deinceps eos, qui ab his profecti sunt, legunt omnes, etiam qui illa aut non adprobant aut non studiosissime consectantur, Epicurum autem et Metrodorum non fere praeter suos quisquam in manus sumit, sic hos Latinos ii soli legunt, qui illa recte dici putant. Nobis autem videtur, quicquid litteris mandetur, id commendari omnium eruditorum lectioni decere. Nec, si id ipsi minus consequi possumus, idcirco minus [id] ita faciendum esse sentimus. 9. Itaque mihi semper Peripateticorum Academiaeque consuetudo de omnibus rebus in contrarias partis disserendi non ob eam causam solum placuit, quod aliter non posset quid in quaque re veri simile esset inveniri, sed etiam quod esset ea maxuma dicendi exercitatio: qua princeps usus est Aristoteles, deinde eum qui secuti sunt. Nostra autem memoria Philo, quem nos

---

1. *quod hi* C — *qui certis -- consecrati sunt* Nonius p. 69. — 4. *nos, qui -- parati sumus* Boëthius p. 372, 39—41. — *qui* in G superscr. eadem m. — *ad* W: om. C O — 5. *occurrit* C et Boëthius: *occurrerit* O. «Tregderus unum recte fecit, quod *occurrit* scripsit (cf. Madv. ad Fin. p. 690), alterum perperam, quod cum Manutio, aliis *quam* uncis inclusit. Cur enim quisquam adderet? aut quae sic errandi fuit occasio? Accedit testimonium Boëthii, qui habet *nec ultra quam quod* cet.; cf. IV, 47: — *aliquid veri simile? quo longius* (i. e. longius enim *quam* eo s. *ad id*) *mens humana progredi non potest*. [I, 47: *ultra quo progrediar quam ut veri similia videam non habeo*.] In Archetypo, ut multae aliae voculae, sic h. l. inter *quam* et *id* excidit *ad*, in Boëthii cod. *ad id*.» W. — *et refelli sine pertinacia et refellere sine iracundia* Boëthius. — 10. *ex quibus verbis etiam omnia referserunt* Priscianus X, 9, 49. — 11. *confluxerunt* G R[1] — 12. *philosophentur* Herm. Sauppius. — 15. *contempno* G — 18. *hi* C — 19. *ne* margo ed. a. 1584: om. C O. Vid. Madvig ad Finn. III, 3 p. 348. — 21. *qui idem*] *quidem* G — 23. *consecrantur* R[1] — 25. *hi* C — 27. *id* eadem m. superscr. in G — 28. *id* del. Bake Mnemos. II p. 414; nos seclusimus. — *sentimus*] *censemus* Bake Schol. Hypomn. IV p. 82. — 30. *disserendi*] ultimam syllabam in rasura habet G — 31. *esse* corr. ead. m. in *esset* R — *inuenire* R — *quod est ea* Halmius. — 32. *maxime* Bake Mnemos. II p. 414. — *qua* in rasura habet G.

frequenter audivimus, instituit alio tempore rhetorum praecepta tradere, alio philosophorum: ad quam nos consuetudinem a familiaribus nostris adducti in Tusculano, quod datum est temporis nobis, in eo consumpsimus. Itaque cum ante meridiem dictioni operam dedissemus, sicut pridie feceramus, post meridiem in Academiam descendimus, in qua disputationem habitam non quasi narrantes exponimus, sed eisdem fere verbis, ut actum disputatumque est.

IV. 10. Est igitur ambulantibus ad hunc modum sermo ille nobis institutus et a tali quodam ductus exordio: *A.* Dici non potest quam sim besterna disputatione tua delectatus vel potius adiutus. Etsi enim mihi sum conscius numquam me nimis vitae cupidum fuisse, tamen interdum obiciebatur animo metus quidam et dolor cogitanti fore aliquando finem huius lucis et amissionem omnium vitae commodorum. Hoc genere molestiae sic, mihi crede, sum liberatus, ut nihil minus curandum putem. 11. *M.* Minime mirum id quidem; nam efficit hoc philosophia: medetur animis, inanes sollicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores. Sed haec eius vis non idem potest apud omnis: tum valet multum, cum est idoneam conplexa naturam. Fortis enim non modo fortuna adiuvat, ut est in vetere proverbio, sed multo magis ratio, quae quibusdam quasi praeceptis confirmat vim fortitudinis. Te natura excelsum quendam videlicet et altum et humana despicientem genuit; itaque facile in animo forti contra mortem habita insedit oratio. Sed haec eadem num censes apud eos ipsos valere nisi admodum paucos, a quibus inventa, disputata, conscripta sunt? Quotus enim quisque philosophorum invenitur qui sit ita moratus, ita animo ac vita constitutus, ut ratio postulat? qui disciplinam suam non ostentationem scientiae, sed legem vitae putet? qui obtemperet ipse sibi et decretis suis pareat? 12. Videre licet alios tanta levitate et iactatione, ut iis fuerit non didicisse melius; alios pecuniae cupidos, gloriae non nullos, multos libidinum servos, ut cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio: quod quidem mihi videtur esse turpissimum. Ut enim si grammaticum se professus quispiam barbare loquatur aut si absurde canat is, qui se haberi velit musicum, hoc turpior sit, quod in eo ipso peccet, cuius profitetur scientiam, sic philosophus in vitae ratione peccans hoc turpior est, quod in officio, cuius magister esse vult, labitur artemque vitae professus delinquit in vita.

---

1. *rethorum* G R — 3. *datum*] *d* in rasura G — 5. *meridie* G R^1 — *achademiam* G R — 9. *ductus* Cratander: *inductus* C. «Scr. *quodam ductus* i. e. tractus *exordio*; cf. Brut. § 148: *omnisque ille sermo ductus est e percontatione filii*. Ibid. § 21: *hinc ductus est sermo -- ab isto initio tractum esse sermonem*. Plane aliud est ad Att. XIII, 19, 14 *sermo inducitur* = fingitur, *wird eingeführt*.» W.— 11. *mei nimis* G R^1; *me minus* corr. m. recentissima R — 12. *cogitantis* C — 20. *praescriptis* Bake Schol. Hypomn. IV p. 82, coll. N. D. I § 7. — 21. *despicientem* corr. ex *dispicientem* R — 24. *Quotus quisque -- pareat suis. Videre -- iactatione, ut iis -- cupidos, alios gloriae, multos -- pugnet oratio* Lactantius III, 15. — 27. *ipsi* C — 28. *ut iis* G R^1 B: *ut his* R^2; *iis ut* O — 29. *libidinem* G^1 — 32. *habere* G R^1 — 33. «Non dubito quin vera sit Ernestii coniectura *cuius profiteatur scientiam*; quae sententia ab hypothesi non magis divellenda fuit quam illae: *qui - velit* et *quod - peccet*.» W. Immo *velit* et *peccet* hypothetice dicta sunt, *profitetur* non item. — 34. *vitae ratione* C: *ratione vitae* alii: «In *vitae* posita vis est philosophi cum grammatico et musico comparationis.» W.

V. *A.* Nonne verendum est igitur, si est ita, ut dicis, ne philosophiam falsa gloria exornes? Quod est enim maius argumentum nihil eam prodesse quam quosdam perfectos philosophos turpiter vivere? 13. *M.* Nullum vero id quidem argumentum est. Nam ut agri non omnes frugiferi sunt, qui coluntur, falsumque illud Acci:

Probae etsi in segetem sunt deteriorem datae
Fruges, tamen ipsae suapte natura enitent,

sic animi non omnes culti fructum ferunt. Atque, ut in eodem simili verser, ut ager quamvis fertilis sine cultura fructuosus esse non potest, sic sine doctrina animus: ita est utraque res sine altera debilis. Cultura autem animi philosophia est; haec extrahit vitia radicitus et praeparat animos ad satus accipiendos eaque mandat iis et, ut ita dicam, serit, quae adulta fructus uberrimos ferant. Agamus igitur, ut coepimus. Dic, si vis, de quo disputari velis.

14. *A.* Dolorem existimo maxumum malorum omnium. *M.* Etiamne maius quam dedecus? *A.* Non audeo id dicere quidem et me pudet tam cito de sententia esse deiectum. *M.* Magis esset pudendum, si in sententia permaneres. Quid enim minus est dignum quam tibi peius quicquam videri dedecore, flagitio, turpitudine? quae ut effugias, quis est non modo recusandus, sed non ultro adpetendus, subeundus, excipiendus dolor? *A.* Ita prorsus existimo. Qua re, ne sit sane summum malum dolor, malum certe est. *M.* Videsne igitur quantum breviter admonitus de doloris terrore deieceris? 15. *A.* Video plane, sed plus desidero. *M.* Experiar equidem; sed magna res est, animoque mihi opus est non repugnante. *A.* Habebis id quidem. Ut enim heri feci, sic nunc rationem, quo ea me cumque ducet, sequar.

VI. *M.* Primum igitur de inbecillitate multorum et de variis disciplinis philosophorum loquar, quorum princeps et auctoritate et antiquitate, Socraticus Aristippus, non dubitavit summum malum dolorem dicere. Deinde ad hanc enervatam muliebremque sententiam satis docilem se Epicurus praebuit. Hunc post Rhodius Hieronymus dolore vacare summum bonum dixit: tantum in dolore duxit mali. Ceteri praeter Zenonem, Aristonem, Pyrrhonem idem fere quod modo tu: malum illud quidem, sed alia peiora. 16. Ergo id, quod natura ipsa et quaedam generosa virtus statim respuit, ne scilicet dolorem summum malum diceres oppositoque dedecore sententia depellerere, in eo magistra vitae

---

2. *est* superscr. ead. m. in G — 5. *Accii: Probae* Muretus: *acinprobe* G B, *acimprobe* R; *Attii, Probae* O — 8. *cultum fructi* corr. in *culti fructum* R — *adque* G — *ut* superscr. ead. manu in G — 12. *mundat his* C — 15. *A.* et *M.* G in margine. — 16. *decus* G R[1] — *A.* G in margine. — *id dicere quidem*] «Quoniam non *existimo* et *dicere*, sed *dolorem maximum malorum omnium* et *id* (= maius quam dedecus) inter se opponuntur, suspicor fuisse: *id quidem dicere.* conf. § 11. 15. 17. I, 17 al.» W. «An fortasse *id dicere equidem*? HALM. — *quidem. M. et me* G — 17. *M.*] *A.* G — *esse* G R[1] — 20. *recussandus* G[1] — *non ultro adpetendus, sed subeundus et excipiendus dolor est. Ita prorsus existimo* Charisius p. 211, 24 ed. Keil. — 21. *Ita prorsus existimo*] Inde ab his verbis in G litterae *A* et *M* rursus desunt. — 25. *Et heri feci* Charisius p. 200, 11. — 27. *et e variis* Bentley. — 29. *aristiphus* G R — 31. *hieronimus* G R — *dolore uacare* G B: *uacare dolore* R (sed transpositionis signis a prima manu additis) O — 33. *pyrronem* G R — *quo modo* C — 35. *scilicet (sc.)* Bentley: *se* C; om. O. «Librario neque occasio sic errandi ulla fuit nec interpolandi causa. Cf. Catil. IV, 8. 10.» W. — *dicere* -- *depellere* C.

philosophia tot saecula permanet. Quod huic officium, quae laus, quod decus erit tanti quod adipisci cum dolore corporis velit, qui dolorem summum malum sibi esse persuaserit? Quam porro quis ignominiam, quam turpitudinem non pertulerit, ut effugiat dolorem, si id summum malum esse decreverit? Quis autem non miser non modo tunc, cum premetur summis doloribus, si in his est summum malum, sed etiam cum sciet id sibi posse evenire? et quis est cui non possit? Ita fit ut omnino nemo esse possit beatus. 17. Metrodorus quidem perfecte eum beatum putat, cui corpus bene constitutum sit et exploratum ita semper fore. Quis autem est iste, cui id exploratum possit esse?

VII. Epicurus vero ea dicit, ut mihi quidem risus captare videatur. Adfirmat enim quodam loco, si uratur sapiens, si crucietur — expectas fortasse dum dicat, patietur, perferet, non succumbet: magna me Hercule laus et eo ipso, per quem iuravi, [Hercule] digna: sed Epicuro, homini aspero et duro, non est hoc satis: in Phalaridis tauro si erit, dicet: «Quam suave est! quam hoc non curo!» Suave etiam? an parum est, si non amarum? At id quidem illi ipsi, qui dolorem malum esse negant, non solent dicere, cuiquam suave esse cruciari: asperum, difficile, odiosum, contra naturam dicunt, nec tamen malum. Hic, qui solum hoc malum dicit et malorum omnium extremum, sapientem censet id suave dicturum. 18. Ego a te non postulo, ut dolorem eisdem verbis adficias quibus Epicurus, homo, ut scis, voluptarius. Ille dixerit sane idem in Phalaridis tauro, quod, si esset in lectulo: ego tantam vim non tribuo sapientiae contra dolorem. Si fortis est in perferendo, officio satis est: ut laetetur etiam, non postulo. Tristis enim res est sine dubio, aspera, amara, inimica naturae, ad patiendum tolerandumque difficilis. 19. Aspice Philoctetam, cui concedendum est gementi; ipsum enim Herculem viderat in Oeta magnitudine dolorum eiulantem. Nihil igitur hunc virum sagittae, quas ab Hercule acceperat, tum consolantur, cum

E viperino morsu venae viscerum
Veneno inbutae taetros cruciatus cient.

Itaque exclamat auxilium expetens, mori cupiens:

Heu! quis salsis fluctibus mandet
Me ex sublimo vertice saxi?
Iam iam absumor: conficit animam
Vis volneris, ulceris aestus.

Difficile dictu videtur eum non in malo esse et magno quidem, qui ita clamare cogatur.

VIII. 20. Sed videamus Herculem ipsum, qui tum dolore frangebatur, cum inmortalitatem ipsa morte quaerebat. Quas hic voces apud

---

7. *et si quis* C — 9. *putat beatum* O — 11. *risum* Bake Mnemos. II, 414. — 14. *Hercule* del. Bake Schol. Hypomn. IV p. 82; nos seclusimus. — 16. *suaue est* C: *suave est hoc* O — 17. *ad id* C — 22. *Epicurus* Bentley: *epicurus uoluptatem* C; *Epicurus* [*voluptatem*] O — *ut sis* G R — 24. *sapientiae* C: *sapienti* O — *Si fortis est* Halmius: *si forte* C; *Sit fortis* O — 28. *dolorū* (*ū* in rasura) G — *heiulantem* C (*h* in rasura habet G) — 29. *consolantur* Bentley: *conſolabantur* C. Vide ad I § 35. — *cum ex viperino - - ciens* Nonius p. 324. Cf. de Fin. II, 94. — 32. *expectens* R et (littera *c* erasa) G — 33. *qui* C (sed in G post *qui*, quod est in fine versus, littera videtur erasa esse) — 34. *sublimo uertice* R[1] B: *sublim ouertice* (littera post *m* erasa) G; *sublimi uertice* R[2] — 37. *ita* in rasura G.

Sophoclem in Trachiniis edit! cui cum Deianira sanguine Centauri tinctam tunicam induisset inhaesissetque ea visceribus, ait ille:

O multa dictu gravia, perpessu aspera,
Quae corpore exanclata atque animo pertuli!
Nec mihi Iunonis terror inplacabilis
Nec tantum invexit tristis Eurystheus mali,
Quantum una vaecors Oenei partu edita.
Haec me inretivit veste furiali inscium,
Quae lateri inhaerens morsu lacerat viscera,
Urguensque graviter pulmonum haurit spiritus:
Iam decolorem sanguinem omnem exorbuit.
Sic corpus clade horribili absumptum extabuit:
Ipse inligatus peste interimor textili.
Hos non hostilis dextra, non Terra edita
Moles Gigantum, non biformato impetu
Centaurus ictus corpori inflixit meo,
Non Graia vis, non barbara ulla immanitas,
Non saeva terris gens relegata ultimis,
Quas peragrans undique omnem ecferitatem expuli,
Sed feminea vir, feminea interimor manu.

IX. O nate, vere hoc nomen usurpa patri,

---

1. *trachinis* C — *qui cum a Deianira -- ait illa* Schlenger Philol. Schneidew. XII p. 280. — 2. *ait*] *at* C — 6. *euristeus* G R — 9. *latere* C. «Tregderus vix recte *latere* scripsit; neque enim, quia non nulli (Cicero non item) *re haerere* (Virg. Aen. X, 361. Phaedr. I, 8, 4.) et *adhaerere* (Ovid. Metam. V, 78) dixerunt, idcirco Cicero, ne in versibus quidem faciendis, *re inhaerere* dixisse putandus est; ceteris enim locis, ut alii scriptores, semper aut *in re* aut *rei inhaerere* dicit. Posteriores scriptores, poëtas, multis modis ablativo sine praepositione liberius uti notum est.» W. — 10. *urgensque* G B — *aurit* G R¹ — 11. *Iam decolorem sanguinem omnem exorbuit* Charisius p. 198, 2; *sanguinem omnem sorbui* Diomedes p. 366, 28. — 15. *gigantium* C — 16. *infixit* C O — 19. *ecferitatem* Klotzius: *ic feritatem* G R¹; *hic feritatem* R² B O. «Notum est, quam saepe et varie *ecquis* et ea vocabula, quae antiqua scriptura ab *ec* incipiunt [*ecfari, ecfeminare* (T. D. III, 36. IV, 60. 64.), *ecferare* (T. D. IV, 32), *ecflorescere, ecfrenatus* (R. P. III, 41), al.] in codd. corrupta sint. Cf. p. Caelio § 76. p. Archia § 24. Lael. § 100. T. D. II, 21. 39. [IV, 68.] P. Sestio § 91, cum vulgo legeretur *ex feritate,* ego (Obss. Crit. in Sestian. p. 65) ex cod. Paris. legendum censui *ex ecferitate* (Leid. 67 *ex haec feritate,* Bernn. *ex efferitate*). Cf. I, 87. ubi ex Davisii coniectura Madvigio probata Tregderus recte pro *sit qui id dixerit* scripsit *ecquis id dixerit.*» W. — *expulit* C — 20. *feminea vir, feminea*] «Miram eiusdem notionis *(weiblich)* iterationem! Sophocles (Trachin. v. 1064): *γυνὴ δὲ ϑῆλυς οὖσα κοὐκ ἀνδρὸς φύσιν μόνη με δὴ καϑεῖλε φ. δ.* i. e. femina feminea *(imbecilla,* non virilis, *weibisch)* me interfecit. Vides duas notiones a Sophocle expressas: quod idem ego suspicor Ciceronem fecisse, cum sic scriberet: *Sed feminae vir feminea interimor manu.* Sic etiam magis rhetoricam *vir* habet *feminae* oppositionem.» W. *(feminae vir, feminae* Bentley.) — *interemor* G² R; *interenor* G¹ — 21. *usurpa patri, Ne me occidente* Klotzius: *usurpa patri ne me occidentem* C O; *usurpa, patris neve occidentem* Wolfius (*neve* cum Bouhiero). «In his verbis *(patris neve occidentem)* dura est constructio et vis ne in poëta quidem Cicerone ferenda. Accedit tautologia verbi *occidentem,* cuius notionem *superet* per se ipsum satis significat. Quid Sophocles dicit? *Ὦ παῖ, γενοῦ μοι παῖς ἐτήτυμος γεγώς, καὶ μὴ τὸ μητρὸς ὄνομα πρεσβεύσῃς πλέον.* Quid apertius quam Sophoclis *μοί* optime respondere *patri*? Itaque ego sic scribo: *usurpa patri, Neve occidentem* (sc. *eum* vel *me* cf. § 23 *religatum*) *matris superet caritas,* i. e. *occidentis caritatem.* Nota est illa brachylogia, cuius prosum quoddam exemplum exstat I, 2: *virtus -- cum maioribus nostris comparanda.*» W.

Ne me occidente matris superet caritas.
Huc arripe ad me manibus abstractam piis:
Iam cernam mene an illam potiorem putes.
21. Perge, aude, nate! inlacrima patris pestibus,
Miserere: gentes nostras flebunt miserias.
Heu! virginalem me ore ploratum edere,
Quem vidit nemo ulli ingemescentem malo!
Ecfeminata virtus adflicta occidit.
Accede, nate, adsiste, miserandum aspice
Eviscerati corpus laceratum patris!
Videte, cuncti, tuque, caelestum sator,
Iace, obsecro, in me vim coruscam fulminis!
Nunc, nunc dolorum anxiferi torquent vertices,
Nunc serpit ardor. O ante victrices manus,
22. O pectora, o terga, o lacertorum tori,
Vestrone pressu quondam Nemeaeus leo
Frendens efflavit graviter extremum halitum?
Haec dextra Lernam taetra mactata excetra
Pacavit, haec bicorporem adflixit manum,
Erymanthiam haec vastificam abiecit beluam,
Haec e Tartarea tenebrica abstractum plaga
Tricipitem eduxit Hydra generatum canem,
Haec interemit tortu multiplicabili
Draconem, auriferam optutu adservantem arborem.
Multa alia victrix nostra lustravit manus,
Nec quisquam e nostris spolia cepit laudibus.

Possumusne nos contemnere dolorem, cum ipsum Herculem tam intoleranter dolere videamus?

X. 23. Veniat Aeschylus, non poëta solum, sed etiam Pythagoreus; sic enim accepimus. Quo modo fert apud eum Prometheus dolorem, quem excipit ob furtum Lemnium!

Unde ignis cluet mortalibus clam
Divisus: eum doctus Prometheus

---

7. *ingemiscentem* B O — 8. *Ecfeminata* Klotzius: *Sic feminata* C O; *effeminata* alii. «*Sic* supervacaneum est; *feminatus* autem ita (= *effeminatus*, *mollis*) a nullo Latino scriptore dictum invenitur (*feminando* ex *feminari* tertio p. Chr. n. seculo Caelius Aurelianus longe aliter dixit).» W. Cf. p. 257, 19. — 10. *Eviscerati corpus laceratum* Bentley: *euisceratum corpus laceratum* C; *evisceratum corpus lacerati* alii. «Veri similius est *evisc.* a *patris* longius remotum a librario aliquo propiori *corpus* accommodatum esse quam *lacer.*» W. — 11. *caelestēum* (ē deleto) R — 12. *choruscam* G — 16. *nemaeus* G R — 18. *taetra* (littera post *ra* erasa) G, *taetrā* R B — 19. *Pacavit* Turnebus: *Placauit* G R² B; *Placuit* R¹ — 24. *optutum* R et littera *m* expuncta B; *obtutum* G — *adseruantem* C: *observantem* O. «Scribendum est *adservantem* (= Sophoclis φύλακα); *adservare* enim non solum est *bewahren, verwahren (seruare)*, sed etiam (h. l. praesertim cum *obtutu* iunctum) *beobachten* (observare), *bewachen* (custodire): cf. Cic. Att. X, 16, 2: *Nam et dissimulabimus et (ut opinor, acerrime adservabimur), navigatio - - opto, cetera - - cavebuntur*. 18, 4. Caes. B. C. I, 21 *singulorum hominum occultos exitus*. III, 28.» W. — 26. *coepit* C — 27. *possumus neno contempnere - - videamus* Charisius p. 222, 9; *possumus nos - - videmus* Bake l. l. p. 82. — *intolleranter* G — 29. *escylus* G R — 32. *clucet* G; *clucet* (vel *ducet*) corr. in *lucet* R; *lucet* B — 33. *doctus* superscr. *i* ead. manu B, *dictus* O.

Clepsisse dolo poenasque Iovi
Fato expendisse supremo.

Has igitur poenas pendens, adfixus ad Caucasum, dicit haec:

Titanum suboles, socia nostri sanguinis,
Generata Caelo, aspicite religatum asperis
Vinctumque saxis, navem ut horrisono freto
Noctem paventes timidi adnectunt navitae.
Saturnius me sic infixit Iuppiter,
Iovisque numen Mulciberi adscivit manus.
Hos ille cuneos fabrica crudeli inserens
Perrupit artus: qua miser sollertia
Transverberatus castrum hoc Furiarum incolo.
24. Iam tertio me quoque funesto die
Tristi advolatu aduncis lacerans unguibus
Iovis satelles pastu dilaniat fero.
Tum iecore opimo farta et satiata adfatim
Clangorem fundit vastum et sublime avolans
Pinnata cauda nostrum adulat sanguinem.
Cum vero adesum inflatu renovatum est iecur,
Tum rursum taetros avida se ad pastus refert.
Sic hanc custodem maesti cruciatus alo,
Quae me perenni vivum foedat miseria.
Namque, ut videtis, vinclis constrictus Iovis
Arcere nequeo diram volucrem a pectore.
25. Sic me ipse viduus pestes excipio anxias,
Amore mortis terminum anquirens mali.
Sed longe a leto numine aspellor Iovis.
Atque haec vetusta saeclis glomerata horridis
Luctifica clades nostro infixa est corpori,

---

1. *Clepisse* O cum God. Hermanno. Cf. Madvig ad Cic. de Fin. p. 748. — *penas quae* G R — 2. *Fato*] *Furti* Semlerus in Miscell. Lectt. II p. 53 et Bentley. In G *fato* correctum videtur ex *facto*. — 3. *haec dicit* O — 4. *soboles* C. Cf. Marini Atti de' fratelli Arvali p. 828. — 6. *uictumque* G R (sed in R super littera *i* lineola deleta) — 9. *mulcebri* G R, *mulcebri* ab eadem m. corr. in *mulcibri* B; *Mulcibri* O. «Tregderus ex Archetypo *Mulcebri*, forma inaudita et, si hoc Vulcani cognomen ex *mulcere* et *ferrum* compositum est (Fest. s. v.), anomala. *Mulciber* Vulcanus est Ovidio, Silio, Donato, Festo, Macrobio, Marciano Cap., Prisciano; quare Cicero quoque sine dubio scripsit (ut est in aliquot codd.) *Mulcibri* vel potius (ut alii habent) *Mulciberi*, quod neque a metro abhorret et cum inscriptione ab Orellio laudata n. 1382 (in qua legitur *Mulcibero*) consentit (cf. *Mulciberis* apud Ovidium et Priscianum).» W. — *adsciū* R; *arcivit* margo ed. a. 1584 et God. Hermannus Opusc. IV p. 270. — 12. *incolo* in rasura habet G — 16. *Tum iecore opimo farta et satiata* Priscianus X, 9, 53. — *iecor opimo* G R[1] — 17. *avolans* Turnebus et nonnulli codd.: *aduolans* C — 18. *nostrum adulat sanguinem* Arusianus p. 216. — 21. *hanc* -- *Quae* Bentley: *hunc* -- *Qui* C O. «Ciceronem, qui supra *Iovis satelles* (aquila) *farta* et *satiata* et proximo superiore versu *avida* dixerit (cf. Divin. I, 106), eundem h. l. scripsisse *hunc custodem* -- *qui* ne ego quidem credere possum. Klotzio videtur Cicero sic *custodiendi* notionem gravius extulisse, quasi *grammaticum* genus illis temporibus eiusmodi vim ullam habuerit ac non *haec custos* aeque custos fuerit atque *hic custos*. Recte Bentley *hanc* pro *hunc* et *quae* pro *qui* scripsit; cf. § 33 *haec custos dignitatis* (fortitudo), de *unt* et *ant* confusis I, 81, de *qui* et *quae* § 57. III, 12. V, 69.» W. — *maesti* (sed post *i* littera erasa) G — 24. *uolucre* G — 28. *adque* G[1] — 29. *clades*] *cl* in rasura habet G.

E quo liquatae solis ardore excidunt
Guttae, quae saxa adsidue instillant Caucasi.

Vix igitur posse videmur ita adfectum non miserum dicere et, si hunc miserum, certe dolorem malum.

XI. 26. *A.* Tu quidem adhuc meam causam agis, sed hoc mox videro. Interea, unde isti versus? non enim adgnosco. *M.* Dicam hercle; etenim recte requiris. Videsne abundare me otio? *A.* Quid tum? *M.* Fuisti saepe, credo, cum Athenis esses, in scholis philosophorum. *A.* Vero ac libenter quidem. *M.* Animadvertebas igitur, etsi tum nemo erat admodum copiosus, verum tamen versus ab iis admisceri orationi. *A.* Ac multos quidem a Dionysio Stoico. *M.* Probe dicis. Sed is quasi dictata, nullo dilectu, nulla elegantia: Philo [et proprium] noster et lecta poëmata et loco adiungebat. Itaque postquam adamavi hanc quasi senilem declamationem, studiose equidem utor nostris poëtis; sed, sicubi illi defecerunt, verti multa de Graecis, ne quo ornamento in hoc genere disputationis careret Latina oratio. 27. Sed videsne poëtae quid mali adferant? lamentantis inducunt fortissimos viros, molliunt animos nostros, ita sunt deinde dulces, ut non legantur modo, sed etiam ediscantur. Sic ad malam domesticam disciplinam vitamque umbratilem et delicatam cum accesserunt etiam poëtae, nervos omnis virtutis elidunt. Recte igitur a Platonė eiciuntur ex ea civitate, quam finxit ille, cum optimos mores et optimum rei publicae statum exquireret. At vero nos, docti scilicet a Graecia, haec et a pueritia legimus et discimus, hanc eruditionem liberalem et doctrinam putamus.

XII. 28. Sed quid poëtis irascimur? Virtutis magistri, philosophi, inventi sunt, qui summum malum dolorem dicerent. At tu, adulescens, cum id tibi paulo ante dixisses videri, rogatus a me etiamne maius quam dedecus, verbo de sententia destitisti. Roga hoc idem Epicurum: maius dicet esse malum mediocrem dolorem quam maxumum dedecus; in ipso enim dedecore mali nihil esse, nisi sequantur dolores. Quis igitur Epicurum sequitur dolor, cum hoc ipsum dicit, summum malum esse dolorem? quo dedecus maius a philosopho nullum expecto. Qua

---

10. *ab his* C O — *Ac*] *hac* G — 11. *dyonisio* G R — 12. *delectu* O — *Philo noster* Bentley: *philo et proprium noster* C (*nr̄t* pro *nr̃* G); *Philo noster et proprium numerum* O — 15. *verti enim multa* C. Vide ad p. 250, 7. (*verti non nulla* Klotzius.) — 17. *afferant, lamentantes cum ind. f. viros?* Bake l. l. p. 82. — 21. *eiciuntur*] *dicuntur* G[1] R[1]: *ducuntur* G[2] R[2] B; *educuntur* O (*ἀποπέμποιμεν ἂν εἰς ἄλλην πόλιν* Plato Rep. p. 398 A). Cf. Madvig ad Cic. de Fin. p. 709. — 22. *mores optimos* O — 23. *haec a pueritia et legimus* Bake l. l. p. 83. — 28. *dedecus*] *dec* in rasura G — *Roga* Manutius: *rogo* C O. «Dubium mihi est, *Roga* (cf. § 37. IV, 53. 54. III, 48.) Cicero scripserit an, ut ego suspicor, *Rogaro*, cf. Att. VII, 1, 4: *Aliter sensero: ἀναθήσει*. Philipp. XI, 19: *Assepsus ero, ambitionem induxero in curiam: negaro, videbor* cet. Acad. II, 115. Terent. Heaut. III, 1, 78. Verrin. III, 4. Cic. de Fin. II, 57. Horat. Sat. II, 1, 46. Famil. IX, 22, 4. Hanc in partem ut ego me inclinem, facit contraria sententia: *tu -- rogatus a me*; cf. similem locum qui est V, 55: *Non dubito tu quid responsurus sis --. Non quemvis hoc idem interrogarem. Responderet enim alius* cet. Potuit dici *Rogem hoc idem Epicurum: maius dicet (dicat)*, cf. Fin. IV, 74. N. D. I, 57. 60. *Rogo --: maius dicet* vix potuit. Alius generis sunt plurimi illi loci, ubi, ut in generali aut frequentativa sententia, recte praesens tempus *bis* ponitur, ut Horat. A. P. 26: *Brevis esse laboro: Obscurus fio*. Epp. I, 1, 87. Cic. T. D. III, 57. II, 58. 33 (ubi *da* = *dandum est*). Parad. 36. Fin. V, 84. Famil. IX, 22, 3.» W. — *quidem* ead. m. corr. in *idem* R — 29. *quamaxumum* G R.

re satis mihi dedisti, cum respondisti maius tibi videri malum dedecus quam dolorem. Hoc ipsum enim si tenebis, intelleges quam sit obsistendum dolori; nec tam quaerendum est dolor malumne sit quam firmandus animus ad dolorem ferendum. 29. Concludunt ratiunculas Stoici cur non sit malum, quasi de verbo, non de re laboretur. — Quid me decipis, Zeno? nam cum id, quod mihi horribile videtur, tu omnino malum negas esse, capior et scire cupio quo modo id, quod ego miserrimum existimem, ne malum quidem sit. — Nihil est, inquit, malum nisi quod turpe atque vitiosum est. — Ad ineptias redis; illud enim, quod me angebat, non eximis. Scio dolorem non esse nequitiam; desine id me docere: hoc doce, doleam necne doleam nihil interesse. — Numquam quicquam, inquit, ad beate quidem vivendum, quod est in una virtute positum; sed est tamen reiciendum. Cur? Asperum est, contra naturam, difficile perpessu, triste, durum.

XIII. 30. Haec est copia verborum, quod omnes uno verbo malum appellamus, id tot modis posse dicere. Definis tu mihi, non tollis dolorem, cum dicis asperum, contra naturam, vix quod ferri tolerarique possit, nec mentiris; sed re succumbere non oportebat, verbis gloriantem. Nihil bonum nisi quod honestum, nihil malum nisi quod turpe: optare hoc quidem est, non docere. Illud et melius et verius, omnia, quae natura aspernetur, in malis esse, quae adsciscat, in bonis. Hoc posito et verborum concertatione sublata tantum tamen excellet illud, quod recte amplexantur isti, quod honestum, quod rectum, quod decorum appellamus, quod idem interdum virtutis nomine amplectimur, ut omnia praeterea, quae bona corporis et fortunae putantur, perexigua et minuta videantur, ne malum quidem ullum, nec, si in unum locum conlata omnia sint, cum turpitudinis malo comparanda. 31. Qua re si, ut initio concessisti, turpitudo peius est quam dolor, nihil est plane dolor. Nam dum tibi turpe nec dignum viro videbitur gemere, eiulare, lamentari, frangi, debilitari dolore, dum honestas, dum dignitas, dum decus aderit, tuque in ea intuens te continebis, cedet profecto virtuti dolor et animi inductione languescet. Aut enim nulla virtus est aut contemnendus omnis dolor. Prudentiamne vis esse, sine qua ne intellegi quidem ulla virtus potest? Quid ergo? ea patieturne te quicquam facere nihil proficientem et *frustra* laborantem, an temperantia sinet te inmoderate facere quicquam, an coli iustitia poterit ab homine propter vim doloris enuntiante commissa, prodente conscios, multa officia relinquente?

---

6. *decepis* G R — 7. *esse negas* O — 8. *inquid* G — 9. *atque*] *aut* B — 17. *tollerarique* G R (sed in G altera *l* puncto deleta) — 18. *gloriantem. Nihil* Lambinus: *gloriantem dum nihil* C O (quae lectio Bakio recte videtur nibil esse nisi indicium variae lectionis *gloriandum* pro *gloriantem*); *gloriantem. Tum nihil* Klotzius; *gloriabundum. Nihil* Madvigius. «Sed *gloriabundus* quaeritur num omnino Ciceronis esse possit, a Gellio demum usurpatum.» Kl. — 21. *aspernetur* Davisius: *aspernatur* C — 25. *furtunae* G R — 26. *nec malum ullum, ne si in unum quidem locum* Bake l. l. p. 83. — 27. *sunt* C — 28. *nihil est plane dolor* in verborum contextu omissa in marg. ead. m. suppleta habet G — 30. *lamentare* G R[1] — *dolere* C — *dum - dum - dum* cod. Bernensis: *tum - tum - tum* C — 31. *intueris* C (admodum recenti m. corr. in *intuens* R) — 32. *contempnendus* G — 35. *frustra* Lambinus et Bentley (coll. III § 66 et 77): om. C O — 37. *relinquentē* (aut *relinquentem* aut *relinquente?*) G; *relinquentem* corr. in *relinquente* cum signo interrogationis R.

32. Quid? fortitudini comitibusque eius, magnitudini animi, gravitati, patientiae, rerum humanarum despicientiae quo modo respondebis? adflictusne et iacens et lamentabili voce deplorans audies: «O virum fortem!»? Te vero ita adfectum ne virum quidem quisquam dixerit. Amittenda igitur fortitudo est aut sepeliendus dolor.

XIV. Ecquid scis igitur, si quid de Corinthiis tuis amiseris, posse habere te reliquam supellectilem salvam: virtutem autem si unam amiseris, etsi amitti non potest virtus, sed si unam confessus eris te non habere, nullam esse te habiturum? 33. Num igitur fortem virum, num magno animo, num patientem, num gravem, num humana contemnentem potes dicere aut Philoctetam illum; a te enim malo discedere, sed ille certe non fortis, qui iacet

in tecto umido,
Quod eiulatu, questu, gemitu, fremitibus,
Resonando mutum flebilis voces refert.

Non ego dolorem dolorem esse nego — cur enim fortitudo desideraretur? —, sed eum opprimi dico patientia, si modo est aliqua patientia: si nulla est, quid exornamus philosophiam aut quid eius nomine gloriosi sumus? Pungit dolor, vel fodiat sane: si nudus es, da iugulum: sin tectus Volcaniis armis, id est fortitudine, resiste; haec enim te, nisi ita facies, custos dignitatis relinquet et deseret. 34. Cretum quidem leges, quas *sive Iuppiter* sive Minos sanxit, de Iovis quidem sententia, ut poëtae ferunt, itemque Lycurgi, laboribus erudiunt iuventutem, venando currendo, esuriendo sitiendo, algendo aestuando. Spartae vero pueri ad aram sic verberibus accipiuntur,

Ut multus e visceribus sanguis exeat,

non numquam etiam, ut, cum ibi essem, audiebam, ad necem: quorum non modo nemo exclamavit umquam, sed ne ingemuit quidem. Quid ergo? hoc pueri possunt, viri non poterunt? et mos valet, ratio non valebit?

XV. 35. Interest aliquid inter laborem et dolorem; sunt finitima omnino, sed tamen differunt aliquid. Labor est functio quaedam vel animi vel corporis gravioris operis et muneris, dolor autem motus asper in corpore alienus a sensibus. Haec duo Graeci illi, quorum copiosior est lingua quam nostra, uno nomine appellant. Itaque industrios homines illi studiosos vel potius amantis doloris appellant, nos commodius laboriosos; aliud est enim laborare, aliud dolere. O verborum inops inter-

---

1. *grauitate* G R[1] — 3. *audiens* C; *audieris* alii. — 4. *dixerit quisquam* O — 6. *scis*] *nescis* Ernestius et Bake l. l. p. 84. — *si quis* G R — 7. *supplectilem* corr. in *supellectilem* R — 8. *fueris* ead. m. corr. in *eris* R — 9. *te esse* O — 11. *discedere* Bentley: *discere* C — 13. *tecto* Bouhier: *lecto* C O — 15. *multum* C; sed cf. de Finib. II § 94. — 17. *modo est aliqua patientia: si nulla est, quid exornamur philosophia?* Nonius p. 405. — *sin nulla* Lambinus, O — 18. *sumus*] *su* in rasura habet G — 20. *resiste*] *iste* in rasura habet G — 21. *Cretum legis* Charisius p. 124, 12. — 22. *sive Iuppiter* om. C; alii supplent *sive Rhadamanthus*. — 23. *lygurgi* G R — 26. Tragicum versum primus agnovit Lachmannus ad Lucret. V, 993. (p. 323 sq.) — *multis* B — 27. *audiebam*] *videbam* Bentley coll. V § 77. — 28. *non*] *uno* C — 32. *differt* C (sed in G syll. *fert* est in rasura). Cf. III § 84. — 34. *graecculli* (i. e. vel *graeculli* vel *graeci illi*) G; fort. *Graeculi*, nam quid pronomen *illi* h. l. sibi velit, versu proximo aptissimum, equidem non perspicio. — 36. *studiosios* ante rasuram R.

dum, quibus abundare te semper putas, Graecia! Aliud, inquam, est dolere, aliud laborare. Cum varices secabantur C. Mario, dolebat: cum aestu magno ducebat agmen, laborabat. Est inter haec quaedam tamen similitudo; consuetudo enim laborum perpessionem dolorum efficit faciliorem. 36. Itaque illi, qui Graeciae formam rerum publicarum dederunt, corpora iuvenum firmari labore voluerunt: quod Spartiatae etiam in feminas transtulerunt, quae ceteris in urbibus mollissimo cultu parietum umbris occuluntur. Illi autem voluerunt nihil horum simile esse

apud Lacaenas virgines,
Quibus magis palaestra, Eurotas, sol, pulvis, labor
Militiae studio est quam fertilitas barbara.

Ergo his laboriosis exercitationibus et dolor intercurrit non numquam: inpelluntur, feriuntur, abiciuntur, cadunt, et ipse labor quasi callum quoddam obducit dolori.

XVI. 37. Militiam vero — nostram dico, non Spartiatarum, quorum procedit † ad modum ad tibiam nec adhibetur ulla sine anapaestis pedibus hortatio —, nostri exercitus primum unde nomen habeant vides; deinde qui labor *et* quantus agminis: ferre plus dimidiati mensis cibaria, ferre si quid ad usum velint, ferre vallum; nam scutum, gladium, galeam in onere nostri milites non plus numerant quam umeros, lacertos, manus. Arma enim membra militis esse dicunt: quae quidem ita geruntur apte, ut, si usus fuerit, abiectis oneribus, expeditis armis ut membris pugnare

---

4. *dolorem* G R — *efficiat* G R; *efficiet* B — 5. *qui*] *quae* G R — *puplicarum* G — 8. *umbris óccuIuntur párietum* Ribbeck Trag. Lat. p. 227. — *Nihil hórum similest ápud* idem ibid. praeeunte Scaligero, qui habet *simile apud* cet. — 10. *Queis magi'* O — *Eurota* C O; sed vid. Madvig ad Cic. de Fin. p. 306 et 872 sq. — *labor Militiae* Bouhier: *labor militia* C; *labor, Militia* O. «Pro eo, quod ex Archetypo legitur *labor, militia,* quasi Lacaenae non solum *laborem palaestrae, Eurotae, solis, pulveris,* sed etiam veram *militiam* sustinuerint, sine dubio scribendum est *labor militiae* (i. e. *labor militaris* = laboriosae exercitationes), quo uno illa *palaestra - - pulvis* recte comprehenduntur.» W. — 11. *studio*] *in studio* C. Vide Lachmannum ad Lucret. p. 231. — *futilitas* Bentley. — 13. *ipse labor quodam callo obducit* Charisius p. 72, 1; *ipse labor callum obduxit* Grammaticus de generibus s. v. *callum.* — 15. *Militia* Lambinus; *Militiae* I. Fr. Gronovius. — 16. *ad modum ad tibiam* C: *mora ad tibiam* I. Fr. Gronovius, O; *agmen ad tibiam* Tregderus et post eum M. Haupt in Philol. Schneidew. II p. 130 et Klotzius in Supplem. Iahnii Annal. philol. et paedagog. XVIII p. 479 «partim ex Lambini coniectura, quae incertior videtur quam ut recipienda fuerit. Constat enim Lacedaemoniorum exercitum ad tibiam non *iter facere*, sed *instructa acie* proelium ingredi esse solitum. *Agminis* autem nomine iustam aciem vix quisquam antiquiorum prosae orationis scriptorum appellavit, neque vero ne Livius quidem, qui nonnullis locis (VIII, 30. XXX, 6. — II, 49 *instructo agmine* est *in Marschordnung) agmen* pro *acies* posuisse videtur, hoc tam ambiguo loco sic diceret (cf. XXXIII, 9 *phalanx - -, agmen magis quam acies aptiorque itineri quam pugnae,* XXIX, 36. XXI, 57. XXV, 34). Fieri potest, ut superscriptum aliquod glossema, ut *ad mod(ul)um t.* (cf. Gell. I, 11) *acies* expulerit. Ipsum enim Ciceronem scripsisse *ad tibiae modos* (ut Liv. VII, 2 *ad tibicinis modos saltantes)* minus veri simile est.» W. «Scribendum videtur: *quorum procedit* (scil. *agmen,* quod sumendum ex *militiam) ad modum*, i. e. *nach dem Takte*, ut verba *ad tibiam* glossa sint.» Halm. — 18. *et* om. C O. «Asyndeton durissimum, quo *agminis* ab interposito vocabulo utriusque membri communi divellitur, iure Davisius correxit. Cf. Divin. I, 52 *qui vir et quantus.* Fin. II, 67. Legg. III, 20. Divin. in Caecil. § 40. Verrin. III, 66. V, 23. 149 *(quot bella maiores nostros et quanta suscepisse).* T. D. III, 56. V, 29. Ferendum asyndeton est Philipp. II, 71 *quibus rebus tantis, talibus gestis.* Cf. p. Plancio § 29.» W. — 19. *scutum* cum duplici rasura G (fuisse videtur *sicut eum*) — 21. *gerunt* O — 22. *fuerit* Bentley: *foret* C; *ferat* Lambinus, O. Cf. IV § 5.

possint. Quid? exercitatio legionum, quid? ille cursus, concursus, clamor quanti laboris est! ex hoc ille animus in proeliis paratus ad volnera. Adduc pari animo inexercitatum militem: mulier videbitur. 38. Cur tantum interest inter novum et veterem exercitum, quantum experti sumus? Aetas tironum plerumque melior, sed ferre laborem, contemnere volnus consuetudo docet. Quin etiam videmus ex acie efferri saepe saucios, et quidem rudem illum et inexercitatum quamvis levi ictu ploratus turpissimos edere: at vero ille exercitatus et vetus ob eamque rem fortior, medicum modo requirens a quo obligetur,

E. O Patricoles, inquit, ad vos adveniens auxilium et vestras manus
Peto, prius quam oppeto malam pestem mandatam hostili manu,
Neque sanguis ullo potis est pacto profluens consistere,
Si qui sapientia magis vestra mors devitari potest.
Namque Aesculapi liberorum saucii opplent porticus:
Non potest accedi. *P.* Certe Eurypylus hic quidem. Hominem exercitum!

XVII. 39. Ubi tantum luctus continuatur, vide quam non flebiliter respondeat, rationem etiam adferat cur aequo animo sibi ferendum sit:

E. Qui alteri exitium parat,
Eum scire oportet sibi paratum pestem ut participet parem.

Abducet Patricoles, credo, ut conlocet in cubili, ut volnus obliget. Si quidem homo esset, sed nihil vidi minus. Quaerit enim quid actum sit:

P. Eloquere, eloquere, res Argivum proelio ut se sustinet.
E. Non potest ecfari tantum dictis, quantum factis suppetit
Laboris.

Quiesce igitur et volnus adliga! Etiam si Eurypylus posset, non posset Aesopus.

E. Ubi fortuna Hectoris nostram acrem aciem inclinatam...

et cetera explicat in dolore. Sic est enim intemperans militaris in forti viro gloria. Ergo haec veteranus miles facere poterit, doctus vir sapiensque non poterit? Ille vero melius ac non paulo quidem. 40. Sed adhuc de consuetudine exercitationis loquor, nondum de ratione et sapientia.

---

5. *tyronum* GR — *contempnere* G — 10. *E.* et *P.* ubique om. GR — *Patrocles* O. Cf. Bergk Ind. lectt. aestiv. Marburg. 1844 p. IX. — 11. *oppeto* C: *oppetam* alii. «Cf. IV § 48. Terent. Andr. II, 1, 11.» W. — *mandatam* C: *datam* Bentley, O — 14. *aesculapii* C — 15. *potis* Bothe. — *quidem. Hominem* Tischerus: *quidem est hominem* C; *quidem est. Hominem* O — 16. Verba distinximus cum Bentleio: *ubi tantum l. continuatur. Vide* O; *Hominem exercitum, ubi t. l. continuatur, vide* Klotzius (verba *hominem exercitum* Ciceroni tribuens). — *luctum continuatus* C — 17. *affert* O — *quur* G — 19. *paratum* Bentley: *paratam* C — 20. *Patrocles* O — *cubiculi* GR — 21. *esset* C: *est* Ernestius, O — *vidi minus* Victorius: *uidimus* C — 22. *Eloquere eloquere* C (sed in R alterum *eloquere* deletum): *Eloquere* (semel) O — 23. *potest*] *potis* Davisius, O. Cf. v. 45. — *ecfari* B: *haec fari* GR. Vide ad § 20. — *suppetit. P. Laberis: quiesce igitur et volnus alliga: tace!* Bentley; *Quiesce -- alliga* poëtae tribuit etiam O — 27. *inclinatam* [*dedit*] Bergk l. l. — 31. *de consuetudine adhuc* O — *exercitationis -- ratione* in contextu omissa in marg. ead. m. suppleta habet G.

Aniculae saepe inediam biduum aut triduum ferunt. Subduc cibum unum diem athletae: Iovem Olympium, eum ipsum, cui se exercet, inplorabit, ferre non posse *se* clamabit. Consuetudinis magna vis est: pernoctant venatores in nive, in montibus uri se patiuntur; pugiles caestibus contusi ne ingemescunt quidem. 41. Sed quid hos, quibus Olympiorum victoria consulatus ille antiquus videtur? gladiatores, aut perditi homines aut barbari, quas plagas perferunt! quo modo illi, qui bene instituti sunt, accipere plagam malunt quam turpiter vitare! quam saepe apparet nihil eos malle quam vel domino satis facere vel populo! Mittunt etiam volneribus confecti ad dominos qui quaerant quid velint: si satis iis factum sit, se velle decumbere. Quis mediocris gladiator íngemuit, quis vultum mutavit umquam? quis non modo stetit, verum etiam decubuit turpiter? quis, cum decubuisset, ferrum recipere iussus collum contraxit? Tantum exercitatio, meditatio, consuetudo valet. Ergo hoc poterit

S a m n i s , s p u r c u s h o m o , v i t a i l l a d i g n u s l o c o q u e :

vir natus ad gloriam ullam partem animi tam mollem habebit quam non meditatione et ratione conroboret? Crudele gladiatorum spectaculum et inhumanum non nullis videri solet, et haud scio an ita sit, ut nunc fit. Cum vero sontes ferro depugnabant, auribus fortasse multae, oculis quidem nulla poterat esse fortior contra dolorem et mortem disciplina.

XVIII. 42. De exercitatione et consuetudine et commentatione dixi. Age, sis, nunc de ratione videamus, nisi quid vis ad haec. *A.* Egone ut te interpellem? ne hoc quidem vellem: ita me ad credendum tua ducit oratio. *M.* Sitne igitur malum dolere necne Stoici viderint, qui contortulis quibusdam et minutis conclusiunculis nec ad sensus permanantibus effici volunt non esse malum dolorem. Ego illud, quicquid sit, tantum esse quantum videatur non puto, falsaque eius visione et specie moveri homines dico vehementius doloremque omnem esse tole-

---

1. *tridium* G — 2. *athletae iouem. iouem olympium* G B (in G litterae *etae* sunt in rasura) — *exercet* Herm. Sauppius: *exercebit* C O — 3. *se* om. C O — 4. *patiuntur; pugiles* Lambinus: *patiuntur. Inde pugiles* C O; *patiuntur Indi: pugiles* Davisius. «*Inde* Wolfius defendit, cum diceret esse *ex hac consuetudine*. At primum ante *pernoctant* quidem certe collocandum fuit; deinde vel ibi positum post *Consuetudinis m a g n a v i s e s t* male otiosum esset et parum Ciceronianum, qui quidem dixisset aut: *Inde* (Ex quo) *f i t u t pernoctent* cet. aut (cf. III, 62): *Inde* (sunt) *p e r n o c t a t i o n e s venatorum* cet. Tregderus ex Lambini coniectura *inde* delevit: recte, si, quo consilio quove casu (librario ad *in-nive* aut ad *inge* aberrante?) esset additum, intelligi facile posset. Quid lateat, mihi non liquet. Ex aliorum coniecturis maxime mihi probatur Augustini: *nudi pugiles*: ea, quam ipse feci, *patiuntur idē (iidem)*, perlevem correctionem habet, collocationem verborum non optimam.» W. — 5. *ingemiscunt* G² O — 6. *consolatus* G R — 8. *plaga* G — 10. *quaerant si quid* Bake l. l. p. 84. — 11. *his* C — *factum non sit* O — *decombere* (superscr. *u*) R — *gradiator* G R¹ — 13. *decubisset* R¹ — 19. *et adhuc scio* C — 21. *poterit* corr. in *poterat* G — 25. *dolere* C: *dolor* O. «*dolere* primum per se ipsum rectum est (cf. III, 40 *Sit sane summum malum d o l e r e)*; deinde, *dolor* si Cicero scripsisset, paulo post *(non esse malum dolorem)* vix addidisset *dolorem* (cf. § 28 sq. *dolor malumne sit - - . Concludunt ratiunculas Stoici, cur non s i t m a l u m)*. Accedit quod sequens *illud* sic apertiorem habet demonstrationem. Quod librarius aliquis, qui supra tam saepe in eadem sententia *dolor* positum legisset, item h. l. scripsit, mirandum non est.» W. — 26. *et* C: *ac* O — *permanentibus* C — 29. *doloremque* Ernestius: *doloremque eius* C; *doloremque* [*eius*] O — *tollerabilem* G R.

rabilem. Unde igitur ordiar? an eadem breviter attingam, quae modo dixi, quo facilius oratio progredi possit longius? 43. Inter omnis igitur hoc constat nec doctos homines solum, sed etiam indoctos, virorum esse fortium et magnanimorum et patientium et humana vincentium toleranter dolorem pati, nec vero quisquam fuit qui eum, qui ita pateretur, non laudandum putaret. Quod ergo et postulatur a fortibus et laudatur, cum fit, id aut extimescere veniens aut non ferre praesens nonne turpe est? Atquin vide ne, cum omnes rectae animi adfectiones virtutes appellentur, non sit hoc proprium nomen omnium, sed ab ea, quae una ceteris excellebat, omnes nominatae sint. Appellata est enim ex viro virtus; viri autem propria maxime est fortitudo, cuius munera duo sunt maxima, mortis dolorisque contemptio. Utendum est igitur his, si virtutis compotes vel potius si viri volumus esse, quoniam a viris virtus nomen est mutuata. Quaeres fortasse, quo modo, et recte; talem enim medicinam philosophia profitetur.

XIX. 44. Venit Epicurus, homo minime malus vel potius vir optimus: tantum monet, quantum intellegit. «Neglege» inquit «dolorem». Quis hoc dicit? idem qui dolorem summum malum. Vix satis constanter. Audiamus. «Si summus dolor est» inquit, «brevem necesse est esse».

Itera dum eadem istaec mihi!

non enim satis intellego quid summum dicas esse, quid breve. «Summum quo nihil sit superius, breve quo nihil brevius. Contemno magnitudinem doloris, a qua me brevitas temporis vindicabit ante paene quam venerit.» Sed si est tantus dolor quantus Philoctetae? «Bene plane magnus mihi quidem videtur, sed tamen non summus; nihil enim dolet nisi pes: possunt oculi, potest caput, latera, pulmones, possunt omnia: longe igitur abest a summo dolore. Ergo» inquit «dolor diuturnus habet laetitiae plus quam molestiae». 45. Hunc ego non possum tantum hominem nihil sapere dicere, sed nos ab eo derideri puto. Ego summum dolorem — summum autem dico, etiam si decem atomis est maior

---

1. *adtingam* G — 2. *quod* G (corr. in *quo* m. recentiore, sed antiqua) — 4. *magna animorum* G R — *tolleranter* G R — 7. *nonne* G B : *non* R (sed corr. m. antiqua in *nonne*) — 8. *atquin* G R[1] B: *atqui* R[2] O. Cf. Philipp. X § 17. — 9. *uana* corr. in *una* G — 10. *excelleat* Camerarius. «Rectissime ex Archetypo legitur *excellebat* (eius aetate, qui primus omnes rectas animi affectiones virtutes nominavit); cf. IV, 54: *Bene igitur nostri, cum omnia essent in moribus vitia, quod nullum erat iracundia foedius, iracundos solos morosos nominaverunt.* Wopkens ad N. D. II, 123 *(manus etiam data est elephanto, quia -- difficiles aditus habebat ad pastum. At, quibus bestiis erat is cibus, ut -- vescerentur, aut vires natura dedit aut celeritatem)*, qui laudat N. D. II, 63 *(gignebant)*: adde N. D. II, 64 *(quia -- erat)*. 124 *(qui -- erat)*. Indicativo etiam *excellit* dici potuit, ut N. D. II, 68 *insident* et *est tantus -- apparet.* Coniunctivo Cicero dixisset *excelleret*, ut III, 9. ubi Tregderus recte *posset*. N. D. II, 69 *(Diana dicta, quia -- efficeret)*. ibid. *(veniret)*. 64. 72.» W. — 10. *apellata* G — 14. *Quaerentes* G[1] — 16. *Venit -- intellegit* Charisius p. 206, 19; *Veniat -- optimus. Is tantum -- intelligo* Bake l. l. p. 84 sq. — 17. *monet et* litteris *et* expunctis G — 17 et 19. *inquid* G[1] — 19. *necesse est brevem esse* O — 20. *iterandum* C — *istaec* Manutius: *ista* C O. Cf. Acad. II § 88. — 21. *breui* G R — 22. *quod (nihil breuius)* G[1] — *contempno* G R — 25. *summis* G[1] — 26. *capud* G[1] — 27. *inquid* G[1] — 28. *Nunc* C O. «Ego qui nesciam, quid *nunc* sibi velit, cum aliquot codicibus scribo: *Hunc ego non possum tantum hominem* (= utpote qui tantus homo est) *nihil* cet. Per *hunc* apte demonstratur Epicurus, ut Stoicis quodam modo opponatur; cf. quae infra sequuntur: *Omittamus hunc igitur -- praebeat. Aliunde igitur est quaerenda medicina et maxime ab iis, qui* cet.» W.

alius — non continuo esse dico brevem multosque possum bonos viros nominare, qui complures annos doloribus podagrae crucientur maximis. Sed homo catus numquam terminat nec magnitudinis nec diuturnitatis modum, ut sciam quid summum dicat in dolore, quid breve in tempore. Omittamus hunc igitur nihil prorsus dicentem cogamusque confiteri non esse ab eo doloris remedia quaerenda, qui dolorem malorum omnium maxumum dixerit, quamvis idem forticulum se in torminibus et in stranguria sua praebeat. Aliunde igitur est quaerenda medicina et maxime quidem, si quid maxime consentaneum sit quaerimus, ab iis, quibus, quod honestum sit, summum bonum, quod turpe, summum videtur malum. His tu praesentibus gemere et iactare te non audebis profecto; loquetur enim eorum voce virtus ipsa tecum:

XX. 46. Tune, cum pueros Lacedaemone, adulescentis Olympiae, barbaros in harena videris excipientis gravissimas plagas et ferentis silentio, si te forte dolor aliquis pervellerit, exclamabis ut mulier, non constanter et sedate feres? — Ferri non potest; natura non patitur. — Audio. Pueri ferunt gloria ducti, ferunt pudore alii, multi metu, et tamen veremur ut hoc, quod a tam multis et quod tot locis perferatur, natura patiatur? Illa vero non modo patitur, verum etiam postulat; nihil enim habet praestantius, nihil quod magis expetat quam honestatem, quam laudem, quam dignitatem, quam decus. Hisce ego pluribus nominibus unam rem declarari volo, sed utor, ut quam maxime significem, pluribus. Volo autem dicere illud homini longe optumum esse, quod ipsum sit optandum per se, a virtute profectum vel in ipsa virtute situm, sua sponte laudabile, quod quidem citius dixerim solum quam non summum bonum. Atque ut haec de honesto, sic de turpi contraria: nihil tam taetrum, nihil tam aspernandum, nihil homine indignius.

47. Quod si tibi persuasum est — principio enim dixisti plus in dedecore mali tibi videri quam in dolore —, reliquum est ut tute tibi imperes: quamquam hoc nescio quo modo dicitur, quasi duo simus, ut alter imperet, alter pareat; non inscite tamen dicitur. XXI. Est enim animus in partis tributus duas, quarum altera rationis est particeps,

---

1. *dico esse* O — 3. *Sed homo catus -- diuturnitatis modum* Nonius p. 92. — *cautus* C — *nusquam* Bake l. l. p. 85. — 4. *sciat* G¹ — *breuem* G R — 5. *prosus* G¹ — *que* om. G¹ — 7. *maxsumum duxerit* G¹ — *quamvis -- praebeat* Nonius p. 32. — 9. *ab his* C — 11. *te iactare* O — 13. *Tu me* corr. in *Tu ne* G — *olymphiae* G R — 15. *exclamabis ut mulier, nec constanter et sedate feres* Charisius p. 220, 17. — 16. *et* om. G¹ — *Ferri* Manutius: *fieri* C — 17. *multu* G¹ — 18. *quod atatam* G R; *quod tam* B — 20. *nihil enim habet natura praestantius -- quam honestatem, quam decus. his ergo pluribus -- sed utar -- pluribus* Charisius p. 223, 31. — 22. *utar* C et Charisius. — 23. *Volo autem -- sua sponte laudabile* Charisius p. 204, 10. — *homine* G R — 27. *nil tam asp.* G — 29. *utute* G¹ R¹ — 30. *dicitur* W et Bake (p. 85): *dicatur* C O. «Verissime Madvig ad Fin. III, 70: ««Non dubito, quin Cicero, ubi sic simpliciter, nulla latente *potentiali* [ut T. D. V, 85: *quamquam enim sint in quibusdam malis, tamen -- patet.* cf. III, 99. III, 40] *condicionali*ve aut *simili* significatione, esse aliquid et tamen aliud aut simul esse aut non esse significat, numquam in recta oratione particulae *quamquam* in protasi coniunctivum subiecerit.»» Itaque ego suspicor Ciceronem scripsisse *dicitur*; neque enim se nescire, quo modo illud dicatur, dicit, sed illud *quodam modo* ita dici, quasi duo simus; notum est autem *nescio quis* sic positum nullam in verbi modum solere vim habere. De leviculo Archetypi errore cf. V, 119 *(dicamus* pro *dicimus).* IV, 28 *(dicitur* pro *dicatur).*» W. — *duossimus,* prima *s* expuncta, G R — 31. *insite* G¹ — 32. *tributus* C: *distributus* alii.

altera expers. Cum igitur praecipitur, ut nobismet ipsis imperemus, hoc praecipitur, ut ratio coërceat temeritatem. Est in animis omnium fere natura molle quiddam, demissum, humile, enervatum quodam modo et languidum. Si nihil esset aliud, nihil esset homine deformius; sed praesto est domina omnium et regina ratio, quae conixa per se et progressa longius fit perfecta virtus. Haec ut imperet illi parti animi, quae oboedire debet, id videndum est viro. 48. Quonam modo? inquies. Vel ut dominus servo vel ut imperator militi vel ut parens filio. Si turpissime se illa pars animi geret, quam dixi esse mollem, si se lamentis muliebriter lacrimisque dedet, vinciatur et constringatur amicorum propinquorumque custodiis; saepe enim videmus fractos pudore, qui ratione nulla vincerentur. Ergo hos quidem ut famulos vinclis prope atque custodia, qui autem erunt firmiores nec tamen robustissimi, hos admonitu oportebit ut bonos milites revocatos dignitatem tueri. Non nimis in Niptris ille sapientissimus Graeciae saucius lamentatur vel modice potius:

Pedetemptim, inquit, et sedato nisu,
Ne succussu arripiat maior
Dolor . . . . .

49. Pacuvius hoc melius quam Sophocles — apud illum enim perquam flebiliter Ulixes lamentatur in volnere —: tamen huic leviter gementi illi ipsi, qui ferunt saucium, personae gravitatem intuentes non dubitant dicere:

Tu quoque, Ulixes, quamquam graviter
Cernimus ictum, nimis paene animo es
Molli, qui consuetus in armis
Aevom agere . . . .

Intellegit poëta prudens ferendi doloris consuetudinem esse non contemnendam magistram. 50. Atque ille non inmoderate magno in dolore:

Retinete, tenete, opprimit ulcus,
Nudate, heu miserum me: excrucior.

Incipit labi; deinde ilico desinit:

Operite, abscedite iam iam,
Mittite; nam attrectatu et quassu
Saevum amplificatis dolorem.

Videsne ut obmutuerit non sedatus corporis, sed castigatus animi dolor? Itaque in extremis Niptris alios quoque obiurgat idque moriens:

---

4. *languidum. Si nihil esset* Manutius: *languidum senile. sed* C — 5. *conexa* R B, *connexa* G — 8. *uelud imperator* R — 9. *si se lamentis muliebriter lacrimisque dedecoret* Charisius p. 206, 17. — 11. *uidemus* C: *vidimus* alii. — 12. *atque* Halmius: *adac* G¹; *acad* G²R B; *ac* O. In archetypo sicut p. 269, 34 excidit *q.* ante *c* (*adq.* = *adque,* cf. v. 28. p. 271, 1); tum a correctore ad sententiam recte, sed spretis euphoniae legibus, superscriptum est *ac,* unde ab aliis ante *ad,* ab aliis post *ad* insertum est. — *custodiam* R B — 14. *revocatos ad dignitatem* Bake l. l. p. 85. — 15. *lamentator* C — 16. *pedetemptim ac sedato nisu* Charisius p. 214, 10. — *pedetemptim* R²B et Charisius: *peditentem* G¹, *peditentim* G², *peditemtim* R¹, *Pedetentim* O — *inquid* G¹ — *et*] *ite et* C — *nisi* G¹ — 20. *leniter* Bake l. l. p. 85. — 21. *qui fuerunt* G R — *dubitarunt* C. Vide ad I § 35. — 24. *ictu* G R — *poenae* G — 25. *consuetu's* Wolfius. — 27. *ferrendi* G R — 28. *adque* G¹ — 29. *retinetene* corr. in *retinete tenete* G — *opprimit* Vossius: *opprimite* C — 33. *atrectatu* G R¹ — 35. *ommutuerit* R.

Conqueri fortunam adversam, non lamentari decet;
Id viri est officium: fletus muliebri ingenio additus.

Huius animi pars illa mollior rationi sic paruit, ut severo imperatori miles pudens.

XXII. 51. In quo vero erit perfecta sapientia, quem adhuc nos quidem vidimus neminem, sed philosophorum sententiis qualis hic futurus sit, si modo aliquando fuerit, exponitur: is igitur sive ea ratio, quae erit in eo perfecta atque absoluta, sic illi parti imperabit inferiori, ut iustus parens probis filiis: nutu quod volet conficiet, nullo labore, nulla molestia; eriget ipse se, suscitabit, instruet, armabit, ut tamquam hosti sic obsistat dolori. Quae sunt ista arma? contentio, confirmatio sermoque intumus, cum ipse secum: «Cave turpe quicquam, languidum, non virile». 52. Obversentur species honestae viro: Zeno proponatur Eleates, qui perpessus est omnia potius quam conscios delendae tyrannidis indicaret; de Anaxarcho Democritio cogitetur, qui cum Cypri in manus Nicocreontis regis incidisset, nullum genus supplicii deprecatus est neque recusavit. Calanus Indus, indoctus ac barbarus, in radicibus Caucasi natus, sua voluntate vivus combustus est. Nos, si pes condoluit, si dens, si tactum dolore corpus, ferre non possumus. Opinio est enim quaedam effeminata ac levis nec in dolore magis quam eadem in voluptate, qua cum liquescimus fluimusque mollitia, apis aculeum sine clamore ferre non possumus. 53. At vero C. Marius, rusticanus vir, sed plane vir, cum secaretur, ut supra dixi, principio vetuit se alligari, nec quisquam ante Marium solutus dicitur esse sectus. Cur ergo postea alii? Valuit auctoritas. Videsne igitur opinionis esse, non naturae malum? Et tamen fuisse acrem morsum doloris idem Marius ostendit; crus enim alterum non praebuit. Ita et tulit dolorem ut vir et ut homo maiorem ferre sine causa necessaria noluit. Totum igitur in eo est, ut tibi imperes. Ostendi autem quod esset imperandi genus, atque haec cogitatio, quid patientia, quid fortitudine, quid magnitudine animi dignissimum sit, non solum animum comprimit, sed ipsum etiam dolorem nescio quo pacto mitiorem facit.

XXIII. 54. Ut enim fit in proelio, ut ignavus miles ac timidus, simul ac viderit hostem, abiecto scuto fugiat quantum possit ob eamque causam pereat non numquam etiam integro corpore, cum ei, qui steterit, nihil tale evenerit, sic qui doloris speciem ferre non possunt abiciunt

---

2. *additis* G[1]; *additu'st* Bentley, O. «Scribendum ex Archetypo *additus*. Potuit iterari *est*: necesse non fuit.» W. — 4. *pudens* G[1] R[1]: *prudens* G[2] R[2] B — 5. *vero* Bentley: *uiro* C O — 6. *uidemus* C — 10. *suscitabitur* C — 13. *obuersetur* C — *honeste* C — *viro* Tregderus: *uero* C; *animo* O; del. Heine de Cic. Tuscul. Disp. p. 15. «*viro* cum emphasi quadam dictum est; vir enim ne quid *non virile* committat, exemplis animum confirmare debet.» Tregd. Cf. §§ 53. 57. IV § 43. — 14. *consscius* (priore *s* expuncta) G, *conscius* R et mutata littera *u* in *o* B — 15. *denaxarcho* G R; *de narxacho* B — *cyrri* C — 16. *timocreontis* C; sed cf. Plut. Alex. 29. Diog. Laërt. IX, 10. Valer. Max. III, 3 ext. 4. — *nequae recussauit* G — 17. *Callanus* C — 18. *si tactum dolore c.*] *sed facto tum dolore* (corr. m. sec. in *dolere*) *c.* G; *sed factotū dolere c.* R; *sed facto tum dolere c.* B; *si adfectum ullo dolore c.* O. Heine; *si tactum d. c. est* W; *si est attactum d. c.* Halmius. — 21. *liquiscimus* R[1] — 22. *G. Marius, rusticanus vir, cum secaretur, principio vetuit se alligari* Charisius p. 215, 17. — *G.* etiam C — 34. *ob eamq. causam* R[2] B: *ob eam causam* G R[1]; *et ob eam causam* Tregderus. «Cf. § 38 *ob eamque rem.* I, 66. Fin. III, 30.» W. Vide ad p. 268, 12.

se atque ita adflicti et exanimati iacent: qui autem restiterunt discedunt saepissime superiores; sunt enim quaedam animi similitudines cum corpore. Ut onera contentis corporibus facilius feruntur, remissis opprimunt, simillime animus intentione sua depellit pressum omnem ponderum, remissione autem sic urgetur, ut se nequeat extollere. 55. Et, si verum quaerimus, in omnibus officiis persequendis animi est adhibenda contentio; ea est sola officii tamquam custodia. Sed hoc quidem in dolore maxume est providendum, ne quid abiecte, ne quid timide, ne quid ignave, ne quid serviliter muliebriterve faciamus, in primisque refutetur ac reiciatur Philocteteus ille clamor. Ingemescere non numquam viro concessum est idque raro, eiulatus ne mulieri quidem. Et hic nimirum est fletus, quem duodecim tabulae in funeribus adhiberi vetuerunt. 56. Nec vero umquam ne ingemescit quidem vir fortis ac sapiens, nisi forte ut se intendat ad firmitatem, ut in stadio cursores exclamant quam maxime possunt. Faciunt idem, cum exercentur, athletae; pugiles vero, etiam cum feriunt adversarium, in iactandis caestibus ingemescunt, non quod doleant animove succumbant, sed quia profundenda voce omne corpus intenditur venitque plaga vehementior. XXIV. Quid? qui volunt exclamare maius, num satis habent latera, fauces, linguam intendere, e quibus eici vocem et fundi videmus? toto corpore atque omnibus ungulis, ut dicitur, contentioni vocis adserviunt. 57. Genu mehercule M. Antonium vidi, cum contente pro se ipse lege Varia diceret, terram tangere. Ut enim balistae lapidum et reliqua tormenta telorum eo graviores emissiones habent, quo sunt contenta atque adducta vehementius, sic vox, sic cursus, sic plaga hoc gravior, quo est missa contentius. Cuius contentionis cum tanta vis sit, si gemitus in dolore ad confirmandum animum valebit, utemur: sin erit ille gemitus elamentabilis, si inbecillus, si abiectus, si flebilis, ei qui se dederit, vix eum virum dixerim. Qui quidem gemitus si levationis aliquid adferret, tamen videremus quid esset fortis et animosi viri: cum vero nihil imminuat doloris, cur frustra turpes esse volumus? quid est enim fletu muliebri viro turpius? 58. Atque hoc praeceptum, quod de dolore datur, patet latius. Omnibus enim rebus, non solum dolori, simili contentione animi resistendum est. Ira exardescit, libido concitatur: in eandem arcem confugiendum est, eadem sunt arma sumenda. Sed quoniam de dolore loquimur, illa omittamus. Ad ferendum igitur dolorem placide atque sedate plurimum proficit toto pectore, ut dicitur, cogitare quam id honestum sit. Sumus enim natura, ut ante dixi — dicendum est enim saepius —, studiosissimi adpetentissimique honestatis, cuius si quasi lumen aliquod aspeximus, nihil est quod, ut eo potiamur, non parati simus et ferre et

---

1. *se* superscr. in G — 3. *Ut onera c. c. f. feruntur, pessimis opprimuntur* Nonius p. 259. — 4. *simille* G[1] — *praessum* G R — 6. *persequentis* G R — 7. *hoc idem* C — 8. *maximi* corr. m. sec. in *maxumo* G; *maximum* B — *providendum est, ne -- faciamus* Charisius p. 203, 7. — 10. *ingemiscere* R[2] B O; item v. 13. — 13. *ne*] *nec* G R — 14. *in stadio -- athletae* Charisius p. 216, 19. — 15. *atlaetae* R, *adlaetae* G — 16. *ingemescent* G R[1] — 17. *profunda* G[1] — 20. *elici* C — 22. *contempte* R — *leuariadieceret* (superscr. syll. *ge* m. sec.) G — 23. *ballistae* (sed altera *l* expuncta) R — 25. *quo*] *cum* C — 28. *quae quidem* G R[1] — 29. *adferrent* R B; *adferent* G — 31. *turpe* G R — 34. *eadem* G — 35. *omittam:* R. Vide ad V § 56. — 39. *adspexerimus* O — 40. *sumus* G[1].

perpeti. Ex hoc cursu atque impetu animorum ad veram laudem atque honestatem illa pericula adeuntur in proeliis: non sentiunt viri fortes in acie volnera, vel sentiunt, sed mori malunt quam tantum modo de dignitatis gradu demoveri. 59. Fulgentis gladios hostium videbant Decii, cum in aciem eorum inruebant. His levabat omnem volnerum metum nobilitas mortis et gloria. Num tum ingemuisse Epaminondam putas, cum una cum sanguine vitam effluere sentiret? Imperantem enim patriam Lacedaemoniis relinquebat, quam acceperat servientem. Haec sunt solacia, haec fomenta summorum dolorum.

XXV. 60. Dices, quid in pace, quid domi, quid in lectulo? ad philosophos me revocas, qui in aciem non saepe prodeunt, e quibus homo sane levis, Heracleotes Dionysius, cum a Zenone fortis esse didicisset, a dolore dedoctus est. Nam cum ex renibus laboraret, ipso in eiulatu clamitabat falsa esse illa, quae antea de dolore ipse sensisset. Quem cum Cleanthes condiscipulus rogaret, quaenam ratio eum de sententia deduxisset, respondit: «Quia *si*, cum tantum operae philosophiae dedissem, dolorem tamen ferre non possem, satis esset argumenti malum esse dolorem; plurimos autem annos in philosophia consumpsi nec ferre possum: malum est igitur dolor.» Tum Cleanthem, cum pede terram percussisset, versum ex Epigonis ferunt dixisse:

Audisne haec, Amphiaraë, sub terram abdite?

Zenonem significabat, a quo illum degenerare dolebat. 61. At non noster Posidonius, quem et ipse saepe vidi et id dicam, quod solebat narrare Pompeius, se, cum Rhodum venisset decedens ex Syria, audire voluisse Posidonium; sed cum audisset eum graviter esse aegrum, quod vehementer eius artus laborarent, voluisse tamen nobilissimum philosophum visere: quem ut vidisset et salutavisset honorificisque verbis prosecutus esset molesteque se dixisset ferre, quod eum non posset audire, at ille «Tu vero» inquit «potes; nec committam ut dolor corporis efficiat, ut frustra tantus vir ad me venerit.» Itaque narrabat eum graviter et copiose de hoc ipso, nihil esse bonum nisi quod esset honestum, cubantem disputavisse, cumque quasi faces ei doloris admoverentur, saepe dixisse: «Nihil agis, dolor! quamvis sis molestus, numquam te esse confitebor malum.» XXVI. 62. Omninoque omnes clari et nobilitati labores contendendo fiunt etiam tolerabiles. Videmusne apud quos eorum ludorum, qui gy-

---

1. *adque* corr. in *atque* G — 3. *vel si sentiunt, se mori* O — *tantum* C: *tantillum* O, «i. e. vel minimum, quae forma non Ciceroniana est. Scribendum levissima mutatione *tantulum*. Cf. § 66. de Legg. I § 34: *si interesse quippiam tantulum modo potuerit.* p. Rosc. Am. § 118. Verr. II, 124. V, 176. 181.» W. Nulla mutatione opus esse docet ipse Wesenberg ad § 67. — 12. *dionisius* G R — 13. *adolere* corr. in *a dolore* R — *dedoctus* Bentley: *deductus* C — 15. *tum* G et mutata litt. *t* in *c* antiq. m. R — *cleantes* C — 16. *Quia si cum* Madvig (ad Cic. de Fin. p. 789): *qui cum* C; *Quia quum* O (*Quia cum -- dedisset, -- posset* Kühnerus; *Si quis* [*qui*], *cum -- dedisset, -- posset* Ernestius.) — *tanto opere* G R; *tanta opere* B — 19. *tunc clehantē* G — 20. *epigoneis* C — 21. *amphiare* G R — 23. *possidonius* G R; item v. 25. — 25. *audivisset* O — 26. *philosophorum* litteris *or* ead. m. deletis R — 28. *dixsisset* G; item v. 32. — 29. *inquid* G¹ — *ne comitam* superscr. *t* G, *necomitam* superscr. *t* R, *nec omittam* B — 31. *honestum esset* O — 34. *contendendo* Bentley: *contempno* G R; *contemptu* B; *continuo* Klotzius. — 35. *ficunt* G R — *videmusne ut apud* C et Tregderus; «*ut* aut, ut alibi, ex *ne*, aut ex *ui* repetitum esse potest; cf. § 67. V, 76. Tregderi lectio anacoluthon minus veri simile habet, etsi

mnici nominantur, magnus honos sit, nullum ab iis, qui in id certamen descendant, devitari dolorem? apud quos autem venandi et equitandi laus viget, qui hanc petessunt nullum fugiunt dolorem. Quid de nostris ambitionibus, quid de cupiditate honorum loquar? quae flamma est, per quam non cucurrerunt ii, qui haec olim punctis singulis colligebant? Itaque semper Africanus Socraticum Xenophontem in manibus habebat, cuius in primis laudabat illud, quod diceret eosdem labores non aeque gravis esse imperatori et militi, quod ipse honos laborem leviorem faceret imperatorium. 63. Sed tamen hoc evenit, ut in volgus insipientium opinio valeat honestatis, cum ipsam videre non possint. Itaque fama et multitudinis iudicio moventur, cum id honestum putent, quod a plerisque laudetur. Te autem, si in oculis sis multitudinis, tamen eius iudicio stare nolim nec quod illa putet idem putare pulcherrimum. Tuo tibi iudicio est utendum: tibi si recta probanti placebis, tum non modo tete viceris, quod paulo ante praecipiebam, sed omnis et omnia. 64. Hoc igitur tibi propone: amplitudinem animi et quasi quandam exaggerationem quam altissimam [animi], quae maxime eminet contemnendis et despiciendis doloribus, unam esse omnium rem pulcherrimam eoque pulchriorem, si vacet populo neque plausum captans se tamen ipsa delectet. Quin etiam mihi quidem laudabiliora videntur omnia, quae sine venditatione et sine populo teste fiunt, non quo fugiendus sit — omnia enim bene facta in luce se conlocari volunt —, sed tamen nullum theatrum virtuti conscientia maius est.

XXVII. 65. Atque in primis meditemur illud, ut haec patientia dolorum, quam saepe iam animi intentione dixi esse firmandam, in omni genere se aequabilem praebeat. Saepe enim multi, qui aut propter victoriae cupiditatem aut propter gloriae aut etiam, ut ius suum et libertatem tenerent, volnera exceperunt fortiter et tulerunt, idem omissa contentione dolorem morbi ferre non possunt; neque enim illum, quem facile tulerant, ratione aut sapientia tulerant, sed studio potius et gloria. Itaque barbari quidam et inmanes ferro decertare acerrume possunt, aegrotare viriliter non queunt. Graeci autem homines, non satis animosi, prudentes, ut est captus hominum, satis, hostem aspicere non possunt: eidem morbos toleranter atque humane ferunt. At Cimbri et Celtiberi in proeliis exultant, lamentantur in morbo. Nihil enim potest esse aequabile, quod non a certa ratione proficiscatur. 66. Sed cum videas eos, qui aut studio aut opinione ducantur, in eo persequendo atque adipiscendo dolore non frangi, debeas existimare aut non esse malum dolorem aut, etiam si, quicquid asperum alienumque natura sit, id appellari

---

conferri potest § 61 *at ille -- inquit.* IV, 24 *exsistit.* Madv. ad Fin. III, 49 *potest.*» W. — 1. *magnos* G et (superscr. *u*) R — *ab his* C — 5. *cucurrerint* O — *hi* C — *qui ad haec* (syll. *ad* expuncta) G — 7. *non esse aeque grauis esse* C (sed in R priore, in B posteriore *esse* deleto); *non esse aeque graves* O — 9. *haec* G[1] — *insipientum opinio ualet* G[1] — 10. *cum*] *quam* Bake l. l. p. 86. — 10. *uideri* G R — 11. *cum* C: *ut* O — 16. [*animi*] O; ego *animi* in proximo potius versu delendum censui. — 17. *contempnendis* G — 18. *dolorem* G[1] — 19. *se*] *sed* G[1] — *tamen* C: *tantum* O — 20. *quin etiam -- teste fiunt* Nonius p. 189. — 28. *iidem* O — 34. *idem morbos toleranter atque humane ferunt* Charisius p. 222, 8. — *iidem* O — *ferunt* habet etiam R, sed ultimam syllabam per compendium. — 39. *apellari* G.

placeat malum, tantulum tamen esse, ut a virtute ita obruatur, ut nusquam appareat. Quae meditare, quaeso, dies et noctes; latius enim manabit haec ratio et aliquanto maiorem locum quam de uno dolore occupabit. Nam si omnia fugiendae turpitudinis adipiscendaeque honestatis causa faciemus, non modo stimulos doloris, sed etiam fulmina fortunae contemnamus licebit, praesertim cum paratum sit illud ex hesterna disputatione perfugium. 67. Ut enim si cui naviganti, praedones *si* insequantur, deus qui dixerit «Eice te e navi; praesto est qui excipiat, vel delphinus, ut Arionem Methymnaeum, vel equi Pelopis illi Neptunii, qui per undas currus suspensos rapuisse dicuntur, excipient te et quo velis perferent,» omnem omittat timorem, sic urguentibus asperis et odiosis doloribus, si tanti sint, ut ferendi non sint, quo sit confugiendum tu vides.

Haec fere hoc tempore putavi esse dicenda. Sed tu fortasse in sententia permanes. *A.* Minime vero, meque biduo duarum rerum, quas maxime timebam, spero liberatum metu. *M.* Cras ergo ad clepsydram; sic enim diximus, et tibi hoc video non posse deberi. *A.* Ita prorsus; et illud quidem ante meridiem, hoc eodem tempore. *M.* Sic faciemus tuisque optumis studiis obsequemur.

---

6. *contempnamus* G — 7. *praedones si insequantur* Wopkens: *praedones insequantur* C; *quem praedones insequantur* O — 8. *qui* C: *quis* O — *te naui* C; *te de navi* O — 9. *metymnaeum* G R — *ille* G R — 10. *cursus* G[1] — 11. *omitas* G, *omittas* R; *omittamus* B — *urgentibus* G R[2] — 12. *tanti sint, ut ferendi non sint* Manutius: *tanti non sint ut ferendi sint* G R; *tanti non sit, ut ferendi sint* Gulielmus, O. «Archetypi lectio ne ita quidem satis defendi poterit, ut *tanti* sit *tantuli* (ut in affirmativa sententia ad Famil. XV, 14, 4), negative, ut Famil. l. c. dicitur *sin maiora (quam ut sustinere possis)*, T. D. V, 117 de eadem re *sin -- vehementius torquent, quam ut causa sit sur ferantur* (tam vehementer ut ferendi non sint), sic h. l. dici *si tanti sint, ut ferendi non sint* (= maiores quam ut) simplex dicendi ratio iubebat.» W. Cf. Madvig Opusc. II p. 194 sq. — *quo sint* C (in G inter *n* et *t* una littera erasa). Vide ad III § 31. — 13. *tu*] *ut* C; om. O — 17. *diximus* B: *duximus* G R; *dicimus* O. Cf. § 9. — *et* Turnebus: *sed* C O.

M. TULLII CICERONIS

TUSCULANARUM DISPUTATIONUM

AD M. BRUTUM

LIBER TERTIUS.

I. 1. Quidnam esse, Brute, causae putem cur, cum constemus ex animo et corpore, corporis curandi tuendique causa quaesita sit ars atque eius utilitas deorum inmortalium inventioni consecrata, animi autem medicina nec tam desiderata sit ante quam inventa, nec tam culta postea quam cognita est, nec tam multis grata et probata, pluribus etiam suspecta et invisa? An quod corporis gravitatem et dolorem animo iudicamus, animi morbum corpore non sentimus? Ita fit ut animus de se ipse tum iudicet, cum id ipsum, quo iudicatur, aegrotet. 2. Quod si talis nos natura genuisset, ut eam ipsam intueri et perspicere eademque optima duce cursum vitae conficere possemus, haud erat sane quod quisquam rationem ac doctrinam requireret. Nunc parvulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibusque depravati sic restinguimus, ut nusquam naturae lumen appareat. Sunt enim ingeniis nostris semina innata virtutum, quae si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret. Nunc autem, simul atque editi in lucem et suscepti sumus, in omni continuo pravitate et in summa opinionum perversitate versamur, ut paene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Cum vero parentibus redditi, dein magistris traditi sumus, tum ita variis inbuimur erroribus, ut vanitati veritas et opinioni confirmatae natura ipsa cedat. II. 3. Accedunt etiam poëtae, qui cum magnam speciem doctrinae sapientiaeque prae se tulerunt, audiuntur, leguntur, ediscuntur et inhaerescunt penitus in mentibus: cum vero eodem, quasi

---

M. TULLII CICERONIS TUSCULANARUM LIBER TERTIUS INCIPIT G; *M. TULLII C. LIB. III. INCIPIT* B; Incipit R a verbis *causae putem*, spatio trium versuum ad titulum libri et initium relicto. — 2. *atque eius* Manutius: *eius atque* C; *eiusque* O — 3. *decorum* littera *c* erasa R — 4. *desidera* GR — 5. *nec iam multis* Bake l. l. p. 87. — 10. *haud* B: *aut* GR — 11. *ratione ac doctrina* C — 12. *depravati* B: *depravatis* GRO — 14. *semita* G — *licetret* priore *t* expuncta G, *licet* corr. ead. m. in *liceret* R — 18. *redditidem* (quod etiam legi potest *redditi dein*) G; *reddit.idem* (sed litteris *t i* signo infra versum iunctis) R; *redditi demum* B — *tum ita -- ipsa cedat* Nonius p. 416. — 19. *opinio* syll. *ni* superscr. G — *confirmatae* Nonius: *confirmata* C — 22. *vero* [*accedit*] *eodem* O.

maxumus quidam magister, populus *accessit* atque omnis undique ad vitia consentiens multitudo, tum plane inficimur opinionum pravitate a naturaque desciscimus, ut nobis optime naturae vim vidisse videantur, qui nihil melius homini, nihil magis expetendum, nihil praestantius honoribus, imperiis, populari gloria iudicaverunt. Ad quam fertur optumus quisque, veramque illam honestatem expetens, quam unam natura maxime anquirit, in summa inanitate versatur consectaturque nullam eminentem effigiem virtutis, sed adumbratam imaginem gloriae. Est enim gloria solida quaedam res et expressa, non adumbrata: ea est consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene iudicantium de excellenti virtute, ea virtuti resonat tamquam imago: quae quia recte factorum plerumque comes est, non est bonis viris repudianda. 4. Illa autem, quae se eius imitatricem esse volt, temeraria atque inconsiderata et plerumque peccatorum vitiorumque laudatrix, fama popularis, simulatione honestatis formam eius pulchritudinemque corrumpit. Qua caecitate homines, cum quaedam etiam praeclara cuperent eaque nescirent nec ubi nec qualia essent, funditus alii everterunt suas civitates, alii ipsi occiderunt. Atque hi quidem optuma petentes non tam voluntate quam cursus errore falluntur. Quid? qui pecuniae cupiditate, qui voluptatum libidine feruntur, quorumque ita perturbantur animi, ut non multum absint ab insania, [quod insipientibus contingit omnibus,] his nullane est adhibenda curatio? utrum quod minus noceant animi aegrotationes quam corporis an quod corpora curari possint, animorum medicina nulla sit?

---

1. *quidem* R — *accessit* om. CO. «Vaticano soli haec verissima scriptura debetur, et quidem aptissime ante *atque omnis* collocata; cf. § 62. II, 27. de rep. IV, 9, 9 de eadem re.» W. — 3. [*optime*] O — *naturae vim vidisse* Madvig (ad Cic. de Fin. III § 62): *naturam inuidisse* CO; *naturam ii vidisse* Keilius (Quaestt. Tull. p. XXI). Cf. Cic. de Fin. V § 43. 44. Tusc. I § 35: *cernere naturae vim maxume*. — 5. *ad quae* Graserus Progr. Guben. 1844. p. 6 sq. — 6. *expetens*] *esse putans* Bake l. l. p. 87 sq. — *una* C — 7. *anquirit* Moserus: *inquirit* CO — 8. [*virtutis*] Bentleio auctore O. Equidem malim mox abesse *gloriae*. Est enim *eminens effigies virtutis* vera gloria *(ea virtuti resonat tamquam imago)*, *adumbrata* vero *imago* (virtutis) fama popularis. (*virtutis* prolixe defendit Graserus l. l.) — 10. *excellenti* W: *excellente* CO. «Cf. Obss. in Sest. p. 6. Emendd. Epist. p. 31. Litterarum *i* et *e* in Regio [et ceteris codd.] confusione nihil frequentius. Post adnotationes ad Sestianam scriptas hanc rem attendi in orationibus Philippicis, Epistolis, libris de Finibus, nec ullum locum, qui meae regulae (Tullium semper scripsisse *sapienti*, *uaecordi*, *praecipiti*, *audaci*, similia, ubi quidem adiectivi locum, non substantivi aut veri participii, obtinerent) repugnaret inveni, nisi Ep. ad Q. fr. III, 5, 1 *praestante viro*. N. D. II, 97. ubi ex Archetypo scribendum *excellenti*, ut de Orat. II, 85 ex Lambini v. c. Parad. III, 21 ex nonnullis codd. legendum *sapienti* et ex Archetypo *temperato temperatiorem* (cf. Orat. § 23). De Offic. I, 46 sine ulla varietate est *sapiente*, de Orat. II, 248 item *furace*. N. D. II, 89 ex Archetypo scrib. *undanti*.» — 11. *imago*] *imago gloriae* C — 17. *euerterent* GR — 18. *hi* C: *ii* alii. «Archetypus recte *atque hi quidem* -- *qui* -- *omnibus*, *his* -- *curatio*. Cf. II, 48: *Ergo hos quidem* -- *qui autem* -- *hos* cet. de Fin. IV, 49: *Et hi quidem* -- *quid censes eos qui* (ubi *hos* pravum esset). T. D. III, 17 (et vid. ad III, 84).» W. Cf. v. 21. — 19. *quidque pecuniae* GR — 21. *quod* -- *omnibus*] «Interpolata haec sunt, sumpta ex Stoicorum disputatione; neque conveniunt huic enumerationi.» Bake. Nos seclusimus. — *contingit* G¹ — *his* C: *iis* alii. «Recte Archetypus *his*; vide ad v. 18 et cf. de *his* etiam V, 23 *qui* -- *huic*; III, 11 *eos* -- *quorum* -- *qui* -- *hos*. Fin. II, 91 *cui* -- *hic*. Philipp. II, 104 *Agrum Campanum*, *qui* -- *putabamus*, *hunc* cet. III, 7 *ea*, *quae* -- *gerit*, *haec* cet. VII, 15 *eum*, *qui* -- *sit*, *hunc* cet. v. Obss. ad Sest. p. 64. Madvig ad Fin. III, 12.» W. — *nulla est* G¹ — 23. *an quod* -- *quam corporis* in G suppletum est in margine manu alia, sed item perantiqua.

III. 5. At et morbi perniciosiores pluresque sunt animi quam corporis. Hoc enim ipso odiosi sunt, quod ad animum pertinent eumque sollicitant, animusque aeger, ut ait Ennius, semper errat neque †pati neque perpeti potest: cupere numquam desinit. Quibus duobus morbis, ut omittam alios, aegritudine et cupiditate, qui tandem possunt in corpore esse graviores? Qui vero probari potest, ut sibi mederi animus non possit, cum ipsam medicinam corporis animus invenerit cumque ad corporum sanationem multum ipsa corpora et natura valeat nec omnes, qui curari se passi sint, continuo etiam convalescant, animi autem, qui se sanari voluerint praeceptisque sapientium paruerint, sine ulla dubitatione sanentur? 6. Est profecto animi medicina, philosophia, cuius auxilium non, ut in corporis morbis, petendum est foris, omnibusque opibus [viribus], ut nosmet ipsi nobis mederi possimus, elaborandum est: quamquam de universa philosophia, quanto opere et expetenda esset et colenda, satis, ut arbitror, dictum est in Hortensio. De maxumis autem rebus nihil fere intermisimus postea nec disputare nec scribere. His autem libris exposita sunt ea, quae a nobis cum familiaribus nostris in Tusculano erant disputata. Sed quoniam duobus superioribus de morte et de dolore dictum est, tertius dies disputationis hoc tertium volumen efficiet. 7. Ut enim in Academiam nostram descendimus inclinato iam in postmeridianum tempus die, poposci eorum aliquem, qui aderant, causam disserendi. Tum res acta sic est.

IV. *A.* Videtur mihi cadere in sapientem aegritudo. *M.* Num reliquae quoque perturbationes animi, formidines, libidines, iracundiae? haec enim fere sunt eius modi, quae Graeci πάθη appellant: ego poteram morbos, et id verbum esset e verbo, sed in consuetudinem nostram non caderet. Nam misereri, invidere, gestire, laetari, haec omnia morbos Graeci appellant, motus animi rationi non obtemperantis: nos autem hos eosdem motus concitati animi recte, ut opinor, perturbationes dixerimus, morbos autem non satis usitate, nisi quid aliud tibi videtur. 8. *A.* Mihi vero isto modo. *M.* Haecine igitur cadere in sapientem putas?

---

2. *Hoc - ipso* Bake: *hi - ipsi* C O — *solicitant* G[1] R[1] — 3. *Animus aeger semper errat neque poti* (potiri) *neque perpeti Potis est* ..... *cupere numquam desinit* Ribbeck. — 5. *cupiditatē* R[1] — 7. *ipsam* C: *ipse* alii, quod probat Bake l. l. p. 88. — 8. *omnis* G R — 9. *sint* Tregderus: *sunt* C O. Vide ad I § 55. — *etiam* damnat Bake l. l. p. 88. — 13. *viribus* seclusit Tregderus: «cf. Philipp. X, 17. Multo veri similius est excidisse vel *atque (ac)*, ut voluit Bentley (cf. § 25 *omnibus viribus atque opibus*. Attic. XIV, 14, 6 *omni ope atque opera*. Plaut. Most. II, 1, 1 *summis opibus atque industriis*) vel *que* (additum in edd. vett.; cf. § 25 *velis remisque*. Sil. Ital. I, 568 *remis velisque*. Plaut. Asin. I, 3, 5 *remigio veloque*. de Offic. III, 116. Liv. V, 37 *equis virisque*. Virg. Aen. III, 565 *remis ventisque*. Terent. Andr. I, 1, 134 *manibus pedibusque*) vel *et* (quod dett. aliquot codd. habent; cf. Offic. II, 84 *armis et castris*. Famil. IV, 7, 2 *lacertis et viribus*); nam in ipsa Archetypi scriptura nonnihil offendit asyndeton illud cum propter adiunctum *omnibus* (alius generis est I, 64 *(omnia, supera infera, prima ultima media)*, tum vero quod, ut Wolfius videbat, haec non ita proverbialis locutio fuit, ut illae: *equis viris* (Famil. IX, 7, 1; cf. Philipp. VIII, 21), *ventis remis* (Famil. XII, 25, 3), *manibus pedibus* (Terent. Andr. IV, 1, 53), *toto corpore atque omnibus ungulis* (Tusc. Disp. II, 56), in quas, ut fit, celerius pronuntiatas brevitas illa dicendi conveniebat.» W. — 19. *dictum*] Syll. *dic* a recentiore m. in maiore rasura habet R — 20. *incademiam* G[1]; *inachademiam* R — 21. *aliquem qui aderant* corr. ex *aliquid quid adherant* G — 23. Personarum signa desunt in G R — 24. *libidines* superscr. est intra lineam m. secunda, sed antiqua, in G — 25. *pathe* C — 31. *haec in e* G.

A. Prorsus existimo. *M.* Ne ista gloriosa sapientia non magno aestimanda est, si quidem non multum differt ab insania. *A.* Quid? tibi omnisne animi commotio videtur insania? *M.* Non mihi quidem soli, sed, id quod admirari saepe soleo, maioribus quoque nostris hoc ita visum intellego multis saeculis ante Socraten, a quo haec omnis, quae est de vita et de moribus, philosophia manavit. *A.* Quonam tandem modo? *M.* Quia nomen insaniae significat mentis aegrotationem et morbum. 9. [Omnis autem perturbationes animi morbos philosophi appellant negantque stultum quemquam his morbis vacare; qui autem in morbo sunt, sani non sunt, et omnium insipientium animi in morbo sunt: omnes insipientes igitur insaniunt.] Sanitatem enim animorum positam in tranquillitate quadam constantiaque censebant; his rebus mentem vacuam appellarunt insaniam, propterea quod in perturbato animo, sicut in corpore, sanitas esse non posset.

V. 10. Nec minus illud acute, quod animi adfectionem lumine mentis carentem nominaverunt amentiam eandemque dementiam. Ex quo intellegendum est eos, qui haec rebus nomina posuerunt, sensisse hoc idem, quod a Socrate acceptum diligenter Stoici retinuerunt, omnis insipientes esse non sanos. Qui est enim animus in aliquo morbo — morbos autem hos perturbatos motus, ut modo dixi, philosophi appellant —, non magis est sanus quam id corpus, quod in morbo est. Ita fit ut sapientia sanitas sit animi, insipientia autem quasi insanitas quaedam, quae est insania eademque dementia; multoque melius haec notata sunt verbis Latinis quam Graecis, quod aliis quoque multis locis reperietur. Sed id alias, nunc quod instat. 11. Totum igitur id, quod quaerimus, quid et quale sit verbi vis ipsa declarat. Eos enim sanos quoniam intellegi necesse est, quorum mens motu quasi morbo perturbata nullo sit, qui contra adfecti sint, hos insanos appellari necesse est. Itaque

---

1. *Nae* O — 2. *differt*] syll. *fert* in rasura habet G — 4. *amirari* corr. in *admirari* R, *ammirari* G — 5. *Socratem* G B O — 6. *quoniam* G¹ — 7. *morbum* Bentley: *morbum, id est insanitatem et aegrotum animum, quam appellarunt insaniam* C O. «Vel illud, quod infra demum (§ 10) *insanitas,* vocabulum tum novum, addito *quasi quaedam* excusatur, argumento est, hoc loco verba *id est insanitatem -- insaniam,* quae turpissimam habent tautologiam, spuria esse (ex extrema hac et ex § 10 confecta).» W. «Bentleius rectissime vidit, verba *id est -- insaniam* hinc aliena esse. Sed ulterius progredi oportebat, nec dubitandum quin sequentia quoque, usque ad *insaniunt,* insiticia sint, in quibus quo nomine *philosophi* appellarent, alienissimo loco dicitur, et sollemnis Stoicorum syllogismus proponitur: tum subiicitur *sanitatem enim,* quae nullo modo cum illis coniungi possunt, et verbi *censebant* (mox *appellarunt*) subiectum non est *philosophi,* sed *maiores nostri.* Sic habebimus non interruptam demonstrationem eius, quod quaerebatur. Stoicorum illud aliquanto post (§ 10) suo loco commemorat, *omnes insipientes esse non sanos*: et quod tum subiicitur, de *morbi* vocabulo, *ut modo dixi,* pertinet ad § 7.» Bake (l. l. p. 89), cui obsecuti verba *Omnes autem -- insaniunt* seclusimus. Aliter rem expedivit Wesenberg pariter offensus: «Mira negligentia Cicero cum docere vellet omnem animi commotionem non minus maioribus quam philosophis Graecis insaniam visam esse, ab horum conclusione (*qui -- insaniunt*) ad illorum sententiam ita transiit, ut scriberet *Sanitatem enim* cet. non *Sanitatem autem animorum maiores nostri positam* cet.» — 14. *posset* Ernestius: *possit* C O. Vide ad II § 43. — 15. *ille* G¹ — 17. *senisse* G et corr. perantiqua m. in *sensisse* R — 19. *Quis* C (sed in R *s* videtur ab alia m.) — *enim animus est* O — 22. *insipientia autem quasi insanitas, quae esset insania, eademque dementia* Nonius p. 122. — 27. *nulla* G R et corr. ead. m. in *nullo* B — 28. *sunt* B O — *insani* G¹.

nihil melius quam quod est in consuetudine sermonis Latini, cum exisse ex potestate dicimus eos, qui ecfrenati feruntur aut libidine aut iracundia: quamquam ipsa iracundia libidinis est pars; sic enim definitur iracundia, ulciscendi libido. Qui igitur exisse ex potestate dicuntur, idcirco dicuntur, quia non sunt in potestate mentis, cui regnum totius animi a natura tributum est. Graeci autem μανίαν unde appellent non facile dixerim: eam tamen ipsam distinguimus nos melius quam illi; hanc enim insaniam, quae iuncta stultitia patet latius, a furore disiungimus. Graeci volunt illi quidem, sed parum valent verbo: quem nos furorem, μελαγχολίαν illi vocant; quasi vero atra bili solum mens ac non saepe vel iracundia graviore vel timore vel dolore moveatur, quo genere Athamantem, Alcmaeonem, Aiacem, Orestem furere dicimus. Qui ita sit adfectus, eum dominum esse rerum suarum vetant duodecim tabulae; itaque non est scriptum SI INSANUS, sed SI FURIOSUS ESCIT.

---

3. *sic enim -- libido* delet Bake Mnemos. II, 444. — 5. *sint* C; «sed hoc loco (cf. quod supra est *exisse ex potestate dicimus eos, qui - feruntur)* causalis sententia ad *dicentium* cogitationem parum commode refertur.» W. — 6. *manian unde appellant* C — 7. *ipsa* G — 8. *stultitiae* B O — 9. *distinguimus* R[1], quod praetulit Tregderus adnotans: «*disiungimus* haud scio an ne Latinum quidem sit.» — 10. *melancholian* G B; *melancholiā* R — 11. *vel timore* in G superscr. m. sec. — *dolorem* G[1] — 13. *duodecem* R[1] — 14. *Itaque non est scribtum, si insanus et furiosus esset: insaniam enim consuerunt constantiam id est sanitatem, tamen posse tueri -- furorem esse -- cadere possit, insania non* Nonius p. 443. — *escit* Bouhier: *esset* Nonius; *esse incipit* C. «Tregderus *esit* scripsit; cf. Madvig § 108 n. 4. Tregderus (praef. p. XX) Graecum ἔσεται comparat atque ex antiqua forma *esit* factum *erit* esse ait (cf. Madvig § 8) scripturamque *esit* confirmari et Nonii corruptela *esset* et codicum *esse* (interpolando enim in Archetypo additum esse *incipit*). Videamus primum de auctoritate illius scripturae, deinde de ratione. Apud Lucretium (I, 619) extremo versu legitur ex melioribus codd.: *quid ēscit* (dett. *esset*), ubi *ĕsit* (= *ĕrit* = ἔσεται) a metro prorsus alienum est. Apud *Ciceronem* de Legg. III, 9 ex codd. fere omnibus scribitur *escunt*. Paulo post, ubi nunc ex Madvigii coniectura editur *nec escunt*, librarius Archetypi, qui sententiam legis non teneret atque supra *sunto* tam saepe legisset, cum proxime sequeretur *auspicia patrum sunto*, scripsit *ne sunto*; II, 60 cum ante legeretur *vincti essent*, Lambinus, sequentes (ex codicum vestigiis) ediderunt *escunt*. Rhet. ad Herenn. I, 23, ubi lex nostro loco significata plena extat, nunc legitur *existet*, Schuetzius recte fecit *escit*; *esit* non dubito quin ille librarius, qui paulo post ex *legassit* fecit *legauerit* (cf. Invent. II, 148, ubi codices nonnulli *legasset*, Turicensis, alii *legauerit*, Lambinus [et pr. P] recte *legassit*) in *erit* mutaturus fuerit. De Invent. II, 148, ubi Orellius [in priore editione] ex Archetypo *Si furiosus est*, haud multo difficilius *escit*, quam *esit*, sic corrumpi potuit. Apud Gellium (XX, 1, 25) Gronovius nulla codicum varietate commemorata scripsit *escit*. Apud Festum legitur in Pauli Diaconi excerptis *Escit, erit* et *Obescit, oberit*, in ipsius Festi fragmentis *Superescit significat supererit* cet. et s. v. *Nec* ex XII tabulis: *ast ei custos nec escit* (ubi Augustinus scripserat *esit*). Ex *Macrobii* Saturn. I, 4, 19 laudatur a Gronovio ad Gell. XI, 18 *Sei nox furtum factum esit*, codices habent *si -- sit*. Vides, quam nihil aliunde scriptura illa *(esit, esunt)* habeat auctoritatis. Nostro loco illud Archetypi *esse incipit* magis ex scriptura *escit* parum intellecta, *es[se in]ci[pi]t*, quam ex vitioso *esse* ortum videri potest; cf. Rhet. ad Herenn. *existet*. Nonii quidem *esset* multo verisimilius est ex *escit* quam ex *esit* natum esse; proclives enim recentiores librarii fuerunt ad *ss* pro *sc* ante *e* (*i*, cett.) scribendum (ut in v. *discidium*, de quo cf. Madvigii Excursum ad Fin. I, 44). Quod ad rationem attinet, in tali quidem re plus valet certa auctoritas sine ratione quam sine ulla auctoritate ratio: quamquam cum futuris *escit, escunt* nescio an inchoativae formae *(vire - scit - scunt)* aliqua ex parte contendi possint. (Cf. Madvig. Opusc. Acad. II p. 72.) *Esit* vero et *esunt* Romanis potius praesentis (*esum*, v. Varron. L. L. IX, 57) pleniores formae fuissent; cf. *fert, volt, est* (= *edit*). Ad codicum scripturas propius accederet *essit, essunt* (cf. ἔσσεται, ἔσσονται, *prohibessit*, sed *prohibessint*. Madv. Op. II p. 65 de *levasso* et ἐγέλασσα); sed, ut dixi, auctoritati eorum parendum est.» W.

Stultitiam enim censuerunt constantia, id est sanitate, vacantem posse tamen tueri mediocritatem officiorum et vitae communem cultum atque usitatum; furorem autem esse rati sunt mentis ad omnia caecitatem. Quod cum maius esse videatur quam insania, tamen eius modi est, ut furor in sapientem cadere possit, non possit insania. Sed haec alia quaestio est: nos ad propositum revertamur.

VI. 12. Cadere, opinor, in sapientem aegritudinem tibi dixisti videri. *A.* Et vero ita existimo. *M.* Humanum id quidem, quod ita existimas. Non enim silice nati sumus, sed est natura in animis tenerum quiddam atque molle, quod aegritudine quasi tempestate quatiatur. Nec absurde Crantor ille, qui in nostra Academia vel in primis fuit nobilis, «Minime» inquit «adsentior iis, qui istam nescio quam indolentiam magno opere laudant, quae nec potest ulla esse nec debet. Ne aegrotus sim: si sim, qui fuerat sensus adsit, sive secetur quid sive avellatur a corpore. Nam istuc nihil dolere non sine magna mercede contingit, inmanitatis in animo, stuporis in corpore.» 13. Sed videamus ne haec oratio sit hominum adsentantium nostrae inbecillitati et indulgen-

---

1. *Stultitiam -- constantia* cod. Vaticanus: *Stultitia -- inconstantiam* G R^1; *Stultitiam -- inconstantiam* R^2 B. «Additur ratio cur maiores in duodecim tabulis non *insanum*, sed *furiosum* dominum esse rerum suarum vetuerint, quem locum in cod. Vaticano recte scriptum esse mihi videtur. Scribere Cicero potuit: *Insaniam enim censuerunt posse tueri* cet. omissis verbis *constantia -- vacantem*; maluit *insaniam* ita significare, ut eadem opera id adiungeretur, quod non impediret, quo minus insanus posset mediocritatem officiorum tueri: *Stultitiam* [in qua semper inest illa, quam nos dicimus *insaniam*; cf. quod supra est: *Hanc insaniam, quae iuncta stultitia patet latius.* § 10 *omnes insipientes* esse *non sanos.* ibid. *insipientia* (sit) *quasi insanitas quaedam, quae est* (i. e. dicitur) *insania*] *censuerunt, constantia, id est* [= ergo etiam; cf. Madv. ad Fin. II, 6. T. D. III, 27 *aegritudine, id est miseria*] *sanitate, vacantem* [cf. § 9 *sanitatem enim animorum positam in tranquillitate quadam constantiaque censebant: his rebus mentem vacuam appellarunt insaniam.* IV, 38 *animus concitatus -- non constantiam solum amittit, verum etiam sanitatem*] = *stultitiam, etsi constantia, id est sanitate, vacaret.* Archetypi scriptura *inconstantiam* ex illa cod. Vaticani nasci facile potuit, sive, cum post *ut* vitiose scriptum esset *inconstantia,* stupidus aliquis librarius, qui propter interiectum *censuerunt* sequi praecedentis *stultitiam* praedicatum crederet, correxit *inconstantiam*, sive, cum lapsu calami factum *constantiā* esset, eandem ob causam *in-* corrupto vocabulo praepositum est. Vitiosae scripturae Cratander mederi conatus est *id est* ante *inconstantiam* transponendo. Longius progressus est Victorius, cum in Cratandri scriptura pro *Stultitiam* ex Nonio scriberet *Insaniam.* Non recte fecit Tregderus, qui hanc lectionem recepit. Nonium enim, qui Ciceronis auctoritate docere vellet *furorem* ab *insania* distare, necesse fuit pro *stultitiam* scribere *insaniam* (ex superioribus *insaniam -- a furore distinguimus*): apud Ciceronem autem nec cur librarius quisquam *stultitiam* pro *insaniam* consulto scripserit nec quomodo sic errari potuerit, facile intelligitur. *Insaniam* si Cicero posuisset, neque post *constantia* foedo pleonasmo addidisset *id est sanitate (insaniam* enim *sanitate vacare* cum per se ipsum manifestum est, tum iam § 9 sq. dictum erat) neque *id est inconstantiam sanitate vacantem*: nam primum *insania* non ipsa *inconstantia* est, sed *mens tranquillitate constantiaque vacua* (§ 9): deinde sic additum esset *sanitate vacantem,* quasi non *omnis* inconstantia sanitate vacaret (sed cf. § 10 sq.): tum oppositionem illam, propter quam *tamen* adiectum est, *id est* nonnihil *obscuraret.*» W. — *id est*] *idem* G — 4. *maius* corr. ex *magis* R — 6. *praepositum* G^1 — 9. *natura* Lambinus: *naturabile* C; *natura fere* Bentley, O — 10. *quidam* R^1 — 11. *qui nostra* C — *achademia* G R — 12. *his* C — 13. *quae* B: *qui* G R — *Ne aegrotus sim: si sim, qui fuerat* Halmius: *nec aegrotassem* (*saem* G). *si inquit* (*inquid* G^1) *fuerat* C; *Ne aegrotus sim: is qui fuerat* O; *Ne aegrotus sim; sin, inquit, qui fuerat* Tischerus. — 15. *istud* B O — *dolore* corr. in *dolere* R — *contigit* G^1 — 16. *inmanitas* superscr. *ti* R.

tium mollitudini, nos autem audeamus non solum ramos amputare miseriarum, sed omnis radicum fibras evellere. Tamen aliquid relinquetur fortasse: ita sunt altae stirpes stultitiae. Sed relinquetur id solum, quod erit necessarium. Illud quidem sic habeto, nisi sanatus animus sit, quod sine philosophia fieri non potest, finem miseriarum nullum fore. Quam ob rem, quoniam coepimus, tradamus nos ei curandos: sanabimur, si volemus. Et progrediar quidem longius; non enim de aegritudine solum, quamquam id quidem primum, sed de omni animi, ut ego posui, perturbatione — morbo, ut Graeci volunt — explicabo. Et primo, si placet, Stoicorum more agamus, qui breviter astringere solent argumenta; deinde nostro instituto vagabimur.

VII. 14. Qui fortis est, idem est fidens, quoniam c o n f i d e n s mala consuetudine loquendi in vitio ponitur, ductum verbum a confidendo, quod laudis est: qui autem est fidens, is profecto non extimescit; discrepat enim a timendo confidere. Atqui in quem cadit aegritudo, in eundem timor; quarum enim rerum praesentia sumus in aegritudine, easdem inpendentes et venientes timemus. Ita fit ut fortitudini aegritudo repugnet. Veri simile est igitur, in quem cadat aegritudo, cadere in eundem timorem et infractionem quidem animi et demissionem. Quae in quem cadunt, in eundem cadit ut serviat, ut victum, si quando, se esse fateatur. Quae qui recipit, recipiat idem necesse est timiditatem et ignaviam. Non cadunt autem haec in virum fortem: igitur ne aegritudo quidem. At nemo sapiens nisi fortis: non cadet ergo in sapientem aegritudo. 15. Praeterea necesse est, qui fortis sit, eundem esse magni animi; qui magni animi sit, invictum; qui invictus sit, eum res humanas despicere atque infra se positas arbitrari; despicere autem nemo potest eas res, propter quas aegritudine adfici potest; ex quo efficitur fortem virum aegritudine numquam adfici. Omnes autem sapientes fortes: non cadit igitur in sapientem aegritudo. Et quem ad modum oculus conturbatus non est probe adfectus ad suum munus fungendum et reliquae partes totumve corpus, statu cum est motum, deest officio suo et muneri, sic conturbatus ani-

2. *fybras* G R — 3. *alta* G — 8. *quidem* in marg. habet R — Post *primum* in R signum est compendio verbi *est* haud dissimile. — 12. *qui fortis est, idem fidens -- loquentium in vitio -- autem est confidens, is -- a timendo fidens* Nonius p. 443. — 15. *atqui* R²: *atque* G R¹ B. «Non dubito, quin restituendum sit *Atqui* cet ; neque enim in assumenda conclusionis alicuius propositione minore ponitur *atque*, sed *atqui* (ut § 21. V, 40. 43. al.), *autem* (§§ 14. 15. 19. 21), *at* §§ 15. 16. 19. V, 48), *et* (§§ 9. 18. 15. V, 49). Freundius ille quidem s. v. *atque* II, 8 duo exempla, ab Handio, opinor, sumpta, habet, Att. VI, 1, 6 et de Orat. I, 54; sed nihil apertius quam iis locis nihil omnino concludi. Altero loco *atque* continuandae de re Salaminia narrationi inservit, altero, ubi assumptio § 53 in verbis *quae poterit* inest, conclusio vero § 52 in *in his -- tenent,* disputatio a § 52 ad ea, quae § 54 dicuntur, per *atque* progreditur. N. D. II, 41. ubi, ut in vera assumptione, recte nunc legitur *atqui,* sine dubio in Archetypo fuit *atque.* Aliud est per *atque* annecti novam aliquam conclusionem argumentumve, ut V, 43 (*Atque etiam* cet.) 49. 53, ubi, quoniam ad unum argumentum, cur in virtute sit beata vita ponenda, quod «aliter virtutum interitus consequetur» (id quod § 52 concluditur), alterum adiungitur quod «in virtute satis est praesidii ad *bene* vivendum» (cuius conclusio deinde sequitur) necesse est scribi *Atque* cet.» W. — 18. *uere* G¹ — *in quem cadat aegritudo, cadere in eum timorem et infractionem quidem animi* Nonius p. 122. — *cadit* G — 19. *quidem* C et Nonius: *quandam* O — *demisionem* G R — 23. *cadet* C: *cadit* O — 24. *qui magni animi* om. G R (*qui autem magni animi* cod. Vaticanus) — 25. *sic inuictum* R² — 31. *sic*] *si* G¹.

mus non est aptus ad exsequendum munus suum. Munus autem animi est ratione bene uti et sapientis animus ita semper adfectus est, ut ratione optime utatur; numquam igitur est perturbatus. At aegritudo perturbatio est animi; semper igitur ea sapiens vacabit.

VIII. 16. Veri etiam simile illud est, qui sit temperans, — quem Graeci *σώφρονα* appellant eamque virtutem *σωφροσύνην* vocant, quam soleo equidem tum temperantiam, tum moderationem appellare, non numquam etiam modestiam, sed haud scio an recte ea virtus frugalitas appellari possit, quod angustius apud Graecos valet, qui frugi homines *χρησίμους* appellant, id est tantum modo utilis; at illud est latius; omnis enim abstinentia, omnis innocentia, — quae apud Graecos usitatum nomen nullum habet, sed habere potest *ἀβλάβειαν*: nam est innocentia adfectio talis animi, quae noceat nemini —, reliquas etiam virtutes frugalitas continet. Quae nisi tanta esset et si iis angustiis, quibus plerique putant, teneretur, numquam esset L. Pisonis cognomen tanto opere laudatum. 17. Sed quia nec qui propter metum praesidium reliquit, quod est ignaviae, nec qui propter avaritiam clam depositum non reddidit, quod est iniustitiae, nec qui propter temeritatem male rem gessit, quod est stultitiae, frugi appellari solet, eo tris virtutes, fortitudinem, iustitiam, prudentiam, frugalitas complexa est: — etsi hoc quidem commune est virtutum; omnes enim inter se nexae et iugatae sunt: — reliqua igitur est, quarta virtus ut sit ipsa, frugalitas. Eius enim videtur esse proprium motus animi adpetentis regere et sedare semperque adversantem libidini moderatam in omni re servare constantiam: cui contrarium vitium nequitia dicitur. 18. Frugalitas, ut opinor, a fruge, qua nihil melius *est* e terra, nequitia ab eo — etsi erit hoc fortasse durius, sed temptemus; lusisse putemur, si nihil sit —, ab eo, quod nequicquam est in tali homine: ex quo idem nihili dicitur. Qui sit frugi igitur vel, si mavis, mo-

---

3. *At*] *ad* G¹ — 5. *illud*] *illi* G¹ — 10. *ad* G¹ — 14. *si his* C — 16. *relinquit* C — 17 *depositi* G — 19. *eoque tris* Bake l. l p. 90. — 20. *hoc quidem est commune virtutum; omnes enim inter se iugatae sunt* Nonius p. 47. — 21. *omnis* G R — *reliqua igitur et quarta* G R; *reliqua igitur est et quarta* B; *reliquum igitur est, quarta* O; *relinquitur, quarta* Bake l. l. p. 90. — 23. *appetentes* O — *semper quae* G R¹ — *auersantem* G R — 25. *est* W: om. C O. «*qua nihil melius e terra* Archetypus, vix recte. In relativa sententia *poëta* quidam I, 105 omisit *sum*, Cicero vix umquam ne *est* quidem aut *sunt*. Ego sic scribo: *qua n. m. est e terra*; cf. § 22. IV, 82.» — 26. *iusisse* R; *iussisse* G B — 27. *nil* G — 28. *nihili* G¹: *nihil* G² R B O. «Recte Moserus ex G¹, aliis, restituit *nihili*, quod verum esse cum ex Plautinis locis (Pseud. IV, 7, 23. Asin. II, 3, 29. 4, 66. Stich. 1, 3, 35. al.) intelligitur, tum ex Varronis de L. L. X, 5 (Speng.) *ut eum, quem putamus esse non hili, dicimus nihili, sic, in quo putamus esse nequicquam, dicimus nequam*; neque enim veri simile est Ciceronis et Varronis aetate utrumque (*homo nihili* et *homo nihil*) aeque usitatum ita fuisse, ut in eadem notatione alter alterum posuerit. Ad *nihil* defendendum Orellius laudat III, 77 (*eum nihil hominis esse*), qui locus ad hanc quaestionem quam non pertineat, nihil opus est docere, IV, 74 (de quo loco supra ad I, 15 dixi), p. Sestio § 114, ubi Matthiae sine dubio recte ex Hotomani coniectura scripsit *auspicia* -- *nihili* (Cicero aut genitivo utitur aut *pro nihilo* dicit) *putaret*, ad Q. fr. I, 2, 14: *Noli spectare, quanti homo sit; parvi enim pretii est, qui iam nihil sit*, ubi vel lusus verborum eundem, qui ante bis positus est, casum requirit. [*Nihili* iam Lambinus scripsit. Mihi, quoniam coniunctivus causalis (*homo, cum is*) non modo non necessarius est, sed minus aptus quam indicativus (*is, qui*), *nihilsit* ex antiqua scriptura, cuius cod. Mediceus, harum epistolarum archetypus, multa habet vestigia (cf. Emendatt. p. 18. 95 sqq. 121), *nihilist* natum esse videtur. Ad Attic. I, 19, 4, ubi vulgo legitur:

deratus et temperans, eum necesse est esse constantem; qui autem constans, quietum; qui quietus, perturbatione omni vacuum, ergo etiam aegritudine. Et sunt illa sapientis: aberit igitur a sapiente aegritudo.

IX. Itaque non inscite Heracleotes Dionysius ad ea disputat, quae apud Homerum Achilles queritur, hoc, ut opinor, modo:

Corque meum penitus turgescit tristibus iris,
Cum decore atque omni me orbatum laude recordor.

19. Num manus adfecta recte est, cum in tumore est, aut num aliud quodpiam membrum tumidum ac turgidum non vitiose se habet? Sic igitur inflatus et tumens animus in vitio est. Sapientis autem animus semper vacat vitio, numquam turgescit, numquam tumet; at iratus animus eius modi est: numquam igitur sapiens irascitur. Nam si irascitur, etiam concupiscit; proprium est enim irati cupere, a quo laesus videatur, ei quam maxumum dolorem inurere. Qui autem id concupierit, eum necesse est, si id consecutus sit, magno opere laetari: ex quo fit ut alieno malo gaudeat. Quod quoniam non cadit in sapientem, ne ut irascatur quidem cadit. Sin autem caderet in sapientem aegritudo, caderet etiam iracundia: qua quoniam vacat, aegritudine etiam vacabit.

20. Etenim, si sapiens in aegritudinem incidere posset, posset etiam in misericordiam, posset in invidentiam. Non dixi invidiam, quae tum est, cum invidetur; ab invidendo autem invidentia recte dici potest, ut effugiamus ambiguum nomen invidiae, quod verbum ductum est a nimis intuendo fortunam alterius, ut est in Melanippo,

Quisnam florem liberum invidit meum?

Male Latine videtur, sed praeclare Accius: ut enim videre, sic invidere florem rectius quam flori. Nos consuetudine prohibemur: poëta ius suum tenuit et dixit audacius. X. 21. Cadit igitur in eundem et misereri

---

Ille alter (consul, L. Afranius) *ita nihil est, ut plane, quid emerit* (emerat autem consulatum) *nesciat*, quoniam neque de Bosii aut Lambini codd. constat neque Med. eum locum habet, ex codicis Cratandri scriptura *nil ita est* vide ne scribendum sit: *nihili ita est*. *Nihili* quidem, ut iam Hervagius edidit, i. e. consul nullius pretii, ignavus, Pompeii quasi quidam servus, postulare id videtur, quod praecedit: *Metellus est consul sane bonus*; cf. I, 18, 5; 20, 5.] Augustinus autem loco ab Orellio citato (de vita beata c. 8 p. 301 Bened.: *ipsam nequitiam -- ex eo, quod nequicquam sit, id est ex eo, quod nihil sit, veteres dictam esse voluerunt.*), si modo sua ex Tusculanis Disp. sumpsit, expressit Ciceronis sententiam, verba immutavit. Deinde ne illud quidem satis constat, quo modo *ex eo, quod nequicquam sit* intelligendum sit, utrum *quod nequicquam sit in eo* i. e. in nequam homine (potest autem *in eo* ante *id* excidisse), an *ex eo vocabulo, quod nequicquam sit*, i. e. *ex «nequicquam»*, an *ex eo, quod nequam homo nequicquam sit*, quod ut Augustinus dixerit, tamen *quod nihil sit* nihil habet nisi vocabuli *nequicquam* explicationem, non Ciceronis verborum *ex quo idem nih. dicitur* quandam repetitionem.» W. — 1. *esse* superscr. m. sec. in G — 4. *insite* G — 5. *quaeritur* G R — 8. *recta* G[1] — *aliquod quippiam* C — 11. *irati* cod. Vaticanus. — 17. *sin* G B: *si* R — 19. *aegritudine* G — *posset etiam in misericordiam, posse in invidiam. non dixi in* (*in* abest a codice Bambergensi. Cf. I § 83.) *invidentia. quae tum est, cum invidetur: ab invidendo autem invidia recte dici potest, ut et fugiamus ambiguum nomen invidiae* Nonius p. 443. — — 20. *tum* R B: *cum* G; *etiam* Bouhier; *item* Bentley. Sensus est: «quo vocabulo *tum* rectius utare, cum alicui ab aliis invidetur, quam cum tu ipse alteri invideas: quae est potius *invidentia*.» Or. — 22. *dictum* G[1] — 23. *Melanippo* C: *Melanippa* O — 24. *quisnam florem invidit meum?* Isidorus de differentiis; *unde, aut quis mortalis florem liberum invidit meam?* Nonius (ex Accio) p. 500; *Unde quis non mortalis florem liberum invidit meum?* Ribbeck. — *quasnam* G[1] — 25. *Attius* O — 26. *flore rectius* G R[1].

et invidere; nam qui dolet rebus alicuius adversis, idem alicuius etiam secundis dolet, ut Theophrastus, interitum deplorans Callisthenis sodalis sui, rebus Alexandri prosperis angitur, itaque dicit Callisthenem incidisse in hominem summa potentia summaque fortuna, sed ignarum quem ad modum rebus secundis uti conveniret. Atqui quem ad modum misericordia aegritudo est ex alterius rebus adversis, sic invidentia aegritudo est ex alterius rebus secundis. In quem igitur cadit misereri, in eundem etiam invidere; non cadit autem invidere in sapientem: ergo ne misereri quidem. Quod si aegre ferre sapiens soleret, misereri etiam soleret; abest ergo a sapiente aegritudo.

22. Haec sic dicuntur a Stoicis concluduntur que contortius. Sed latius aliquanto dicenda sunt et diffusius, sententiis tamen utendum eorum potissimum, qui maxime forti et, ut ita dicam, virili utuntur ratione atque sententia. Nam Peripatetici, familiares nostri, quibus nihil est uberius, nihil eruditius, nihil gravius, mediocritates vel perturbationum vel morborum animi mihi non sane probant. Omne enim malum, etiam mediocre, malum est: nos autem id agimus, ut id in sapiente nullum sit omnino. Nam ut corpus, etiam si mediocriter aegrum est, sanum non est, sic in animo ista mediocritas caret sanitate. Itaque praeclare nostri, ut alia multa, molestiam, sollicitudinem, angorem propter similitudinem corporum aegrorum aegritudinem nominaverunt. 23. Hoc prope modum verbo Graeci omnem animi perturbationem appellant; vocant enim πάθος, id est morbum, quicumque est motus in animo turbidus: nos melius; aegris enim corporibus simillima animi est aegritudo; at non similis aegrotationis est libido, non inmoderata laetitia, quae est voluptas animi elata et gestiens. Ipse etiam metus non est morbi admodum similis, quamquam aegritudini est finitimus, sed proprie, ut aegrotatio in corpore, sic aegritudo in animo nomen habet non seiunctum a dolore. Doloris huius igitur origo nobis explicanda est, id est causa efficiens aegritudinem in animo tamquam aegrotationem in corpore. Nam ut medici causa morbi inventa curationem esse inventam putant, sic nos causa aegritudinis reperta medendi facultatem reperiemus.

XI. 24. Est igitur causa omnis in opinione nec vero aegritudinis solum, sed etiam reliquarum omnium perturbationum, quae sunt genere quattuor, partibus plures. Nam cum omnis perturbatio sit animi motus vel rationis expers vel rationem aspernans vel rationi non oboediens, isque motus aut boni aut mali opinione citetur bifariam, quattuor perturbationes aequaliter distributae sunt. Nam duae sunt ex opinione boni, quarum altera, voluptas gestiens, id est praeter modum elata laetitia, opinione praesentis magni alicuius boni, altera, quae est inmoderata

2. *solet* G R — *Callistheni* O — 9. *si haec referre* C — 11. *si* G et corr. in *sic* R B — 12. *aliquando* C — *et fusius* Bake l. l. p. 91. — 17. *malum* Bouhier: *magnum* C — 25. *at*] *aut* G¹ — *similis* corr. in *similes* B — *aegrotationes* C — 27. *aegritudine* G R et superscr. *i* litterae *e* ead. m. B — *sed proprie -- in animo nomin avet* Nonius p 443. — 28. *nomen*] *no* cum rasura unius litterae G (superscr. *men* m. sec.) — 31. *nam ut medici causa verborum curationem esse inventam putant* Nonius p. 493. — *inventa* deletum est in R — 32. *reperta* corr. in *repertā* R — 36. *vel* ante *rationis* delet Bouhier. Vide ad IV § 44. — 37. *citetur bifariam, quattuor* Bake (l. l. p. 91): *citetur, bifariam quattuor* O. Cf. IV § 11. — *quatuor* G¹ — 40. *altera quae est* Davisius: *altera cupiditas quae recte uel libido dici potest quae est* C; *altera cupiditas recte vel libido dici potest; quae*

adpetitio opinati magni boni rationi non obtemperans, vel cupiditas recte vel libido dici potest. 25. Ergo haec duo genera, voluptas gestiens et libido, bonorum opinione turbantur, ut duo reliqua, metus et aegritudo, malorum. Nam et metus opinio magni mali inpendentis et aegritudo est opinio magni mali praesentis et quidem recens opinio talis mali, ut in eo rectum videatur esse angi; id autem est ut is, qui doleat, oportere opinetur se dolere. His autem perturbationibus, quas in vitam hominum stultitia quasi quasdam furias inmittit atque incitat, omnibus viribus atque opibus repugnandum est, si volumus hoc, quod datum est vitae, tranquille placideque traducere. Sed cetera alias: nunc aegritudinem, si possumus, depellamus. Id enim sit propositum, quando quidem eam tu videri tibi in sapientem cadere dixisti, quod ego nullo modo existimo; taetra enim res est, misera, detestabilis, omni contentione, velis, ut ita dicam, remisque fugienda. XII. 26. Qualis enim tibi ille videtur

Tantalo prognatus, Pelope natus, qui quondam a socro
Oenomao rege Hippodameam raptis nanctust nuptiis?

Iovis iste quidem pronepos. Tamne ergo abiectus tamque fractus?

Nolite, inquit, hospites, ad me adire! Ilico istinc,
Ne contagio mea bonis umbrave obsit.
***Meo* tanta vis sceleris in corpore haeret.**

Tu te, Thyesta, damnabis orbabisque luce propter vim sceleris alieni? Quid? illum filium Solis nonne patris ipsius luce indignum putas?

Refugere oculi: corpus macie extabuit:
Lacrimae peredere umore exanguis genas:
Situm inter oris barba paedore horrida atque
Intonsa infuscat pectus inluvie scabrum.

Haec mala, o stultissime Aeeta, ipse tibi addidisti; non inerant in iis, quae tibi casus invexerat, et quidem inveterato malo, cum tumor animi resedisset — est autem aegritudo, ut docebo, in opinione mali recenti —; sed maeres videlicet regni desiderio, non filiae. Illam enim oderas et iure fortasse: regno non aequo animo carebas. Est autem inpudens luctus maerore se conficientis, quod imperare non liceat liberis. 27. Dionysius quidem tyrannus Syracusis expulsus Corinthi pueros docebat: usque eo

---

est O. «Aberravit librarius Archetypi primum post *altera* ad *cupiditas*, deinde, cum se revocasset et *quae* scripsisset, ad *recte vel libido dici potest*. Codex Gryphianus pro falsis vera omisit.» W. — 1. *vel cupiditas recte vel libido dici potest* cum cod. Gryphiano om. O — 2. *gensliens* G (etiam § 27) — 4. *inpendentes* superscr. *i* G R — 5. *mali* delet Bake l. l. p. 91. — *ut* superscr. in G — 7. *quas in vitam* Lambinus: *quasi in uita* C (sed in R *i* post *quas* erasa est) — 10. *celeras* O — *alias* in rasura G — 13. *omne* G et superscr. *i* R — 15. *socro* Klotzius (praef. ad edit. alt. p. VII sq.): *socero* C; *socru* Bentley, O — 16. *Hippodamiam* O — *nanctust* Tregderus: *nanctus* G R, *nactus* B; *nactu'st* Bentley, O — 18. *inquid* G¹ — *adire* in rasura G — *istinc* Pearcius: *istic* C; *isti* alii; *istim* Bouhier, O (*ilico istic, Ne contagio mea bonis umbrave obsit, Stetis. tanta* Lachmannus ad Lucret. p. 189.) — 20. *Meo* Bentley: om. C O. «Cicero cur in tertii versus bacchiaci initio vocabulum dissyllabum omiserit causa nulla cogitari potest. Cf. I § 34. Equidem non dubito quin Bentleius *Meo* recte suppleverit.» W. — 23. *extabunt* (littera *n* expuncta) R; *extabant* superscr. *u* G — 24. *umorem* R, *humorem* G B — 25. *Situm inter oris* Lachmannus (ad Lucret. p. 81): *Situ nitoris* C; *situ nidoris* alii; *Situ liventes* O — *pedore* G R — *atque* (*adque* G¹) delent Bothe et Ribbeck. — 27. *aeota* G, *eota* R B — *in his* C O — 29. *recenti* Bake l. l. p. 91 (coll. §§ 25. 75. IV § 14): *recentis* C O — 32. *se*] *sed* G¹.

imperio carere non poterat. Tarquinio vero quid inpudentius, qui bellum gereret cum iis, qui eius non tulerant superbiam? Is cum restitui in regnum nec Veientium nec Latinorum armis potuisset, Cumas contulisse se dicitur inque ea urbe senio et aegritudine esse confectus.

XIII. Hoc tu igitur censes sapienti accidere posse, ut aegritudine opprimatur, id est miseria? Nam cum omnis perturbatio miseria est, tum carnificina est aegritudo. Habet ardorem libido, levitatem laetitia gestiens, humilitatem metus, sed aegritudo maiora quaedam, tabem, cruciatum, adflictationem, foeditatem; lacerat, exest animum planeque conficit. Hanc nisi exuimus sic, ut abiciamus, miseria carere non possumus.

28. Atque hoc quidem perspicuum est, tum aegritudinem existere, cum quid ita visum sit, ut magnum quoddam malum adesse et urgere videatur. Epicuro autem placet opinionem mali aegritudinem esse natura, ut quicumque intueatur in aliquod maius malum, si id sibi accidisse opinetur, sit continuo in aegritudine. Cyrenaici non omni malo aegritudinem effici censent, sed insperato et necopinato malo. Est id quidem non mediocre ad aegritudinem augendam; videntur enim omnia repentina graviora. Ex hoc et illa iure laudantur:

Ego cum genui, tum morituros scivi et ei rei sustuli.
Praeterea ad Troiam cum misi ob defendendam Graeciam,
Scibam me in mortiferum bellum, non in epulas mittere.

XIV. 29. Haec igitur praemeditatio futurorum malorum lenit eorum adventum, quae venientia longe ante videris. Itaque apud Euripiden a Theseo dicta laudantur; licet enim, ut saepe facimus, in Latinum illa convertere:

Nam qui haec audita a docto meminissem viro,
Futuras mecum commentabar miserias:
Aut mortem acerbam aut exili maestam fugam
Aut semper aliquam molem meditabar mali,
Ut, si qua invecta diritas casu foret,
Ne me inparatum cura laceraret repens.

30. Quod autem Theseus a docto se audisse dicit, id de se ipso loquitur Euripides. Fuerat enim auditor Anaxagorae, quem ferunt nuntiata morte filii dixisse: «Sciebam me genuisse mortalem.» Quae vox declarat iis esse haec acerba, quibus non fuerint cogitata. Ergo id quidem non dubium, quin omnia, quae mala putentur, sint inprovisa graviora. Itaque quamquam non haec una res efficit maximam aegritudinem, tamen, quoniam multum potest provisio animi et praeparatio ad minuendum

---

2. *cum his* C — 3. *uegentium* R B (in R litt. *g* superscr. *i* m. antiqua); *ueientium* in ras. G — *latiorum* C — 4. *aegritudinem* G[1] — 9. *adflictionem* B — 11. *tum* sup. lin. G— 13. *placet aegritudinem esse naturae* (verbis *opinionem mali* deletis) Dobree Advers. II p. 373. Cf. Bake l. l. p. 92, qui, nisi violentius esset, pro *esse* reponeret *efficere*. — 15. *in aegritudinem* C. Vide ad I § 90. — *malo* corr. ex *modo* R — *aegritudine* G — 18. *et* delet Bake l. l. p. 92. At cf. IV § 73. — 19. *Ego cum -- sustuli. Praeterea cum in* (cod. *ob*) *terrarum orbem misi ob defendendum imperium, scibam me in mortifera bella, non in epulas mittere* Fronto de bello Parth. p. 199 ed. Rom. (105 Nieb.); *ego cum genui tum moriturum scivi et huic rei sustuli* Seneca ad Polyb. de consol. 11, 30. — *moriturum* Seneca, O — 21. *scibam* Fronto: *sciebam* C — 23. *Euripidem* O — 24. *thesseo* G R — 28. *aut* addidit in G m. sec. — *axilii* C — *maestem* G — 35. *his* C.

dolorem, sint semper omnia homini humana meditata. Et nimirum haec est illa praestans et divina sapientia et perceptas penitus et pertractatas res humanas habere, nihil admirari cum acciderit, nihil ante, quam evenerit, non evenire posse arbitrari.

Quam ob rem omnis, cum secundae res sunt maxume, tum maxume
Meditari secum oportet, quo pacto adversam aerumnam ferant.
Pericla, damna peregre rediens semper secum cogitet,
Aut fili peccatum aut uxoris mortem aut morbum filiae,
Communia esse haec, ne quid horum umquam accidat animo novum:
Quicquid praeter spem eveniat, omne id deputare esse in lucro.

XV. 31. Ergo hoc Terentius a philosophia sumptum cum tam commode dixerit, nos, e quorum fontibus id haustum est, non et dicemus hoc melius et constantius sentiemus? Hic est enim ille voltus semper idem, quem dicitur Xanthippe praedicare solita in viro suo fuisse [Socrate], eodem semper se vidisse exeuntem illum domo et revertentem. Nec vero ea frons erat, quae M. Crassi illius veteris, quem semel ait in omni vita risisse Lucilius, sed tranquilla et serena; sic enim accepimus. Iure autem erat semper idem voltus, cum mentis, a qua is fingitur, nulla fieret mutatio. Qua re accipio equidem a Cyrenaicis haec arma contra casus et eventus, quibus eorum advenientes impetus diuturna praemeditatione frangantur, simulque iudico malum illud opinionis esse, non naturae; si enim in re esset, cur fierent provisa leviora? 32. Sed

---

2. *et* ante *perceptas* om. Manutius. — 3. *humanas res* O — *ammirari* G R — 6. *aduersum* R — *erumnam* C — 7. *pericula* C — 8. *filii* C — 11. *haec* G[1] — *cum*] *com* superscr. *u* G; del. Ursinus. — 14. *socratam* G[1], *socraten* G[2] (m. antiqua), *socratem* R; *socrate* erasa post *e* littera B; delevit Bake l. l. p. 92. *Socratem* videtur glossa ad *illum* addita; itaque nomen seclusimus. — 16. *M.* om. G[1] B — 19. *fieri* G[1] et superscr. *fuerit* B — *quidem* G[1] — 21. *frangatur* R[1] — *malum illud* (aegritudinis vel quod aegritudinem affert) *opinionis esse, non naturae*] «Cf. § 24: *Est causa omnis (aegritudinis) in opinione.* §§ 31. 65: *Vides opinionis esse, non naturae malum.* § 71: *non in natura, sed in opinione esse aegritudinem.* § 80: *quicquid esset in aegritudine mali, id non naturale esse, sed -- opinionis errore contractum.* § 82» W. — 22. *essent* C. «Ego ex Bernensi, aliis, scribo: *si enim in re esset* (sc. *illud malum* = *si naturae esset*; cf. §§ 54. 67: *non rem ipsam causam atque fontem esse maeroris* i. e. *aegritudinis.* § 74: *nihil esse in re mali), cur fierent provisa (provisa* substantive positum et generaliter dictum = *ea, quae provisa essent,* quae *mala* esse cum ex tota disputatione tum ex *illud malum* facile intelligitur; cf. § 28: *videntur omnia repentina graviora.* §§ 30. 52: *quod provisum ante non sit, id ferire vehementius.* ibid.: *omnia videri subita maiora.* § 55: *ista necopinata* cet.) *leviora?* In ratione afferenda, cur iudicaret *malum illud opinionis esse, non naturae,* nihil fuit cur Cicero in hypothetica sententia (qua idem fingebatur, quod ante negaverat) mutato subiecti numero ex *malum* audiri *mala* vellet. Nam Klotzii rationem, qui *Si enim -- leviora?* a *iudico -- naturae* distrahit *essent*que ad «*casus et eventus*» refert, satis erit commemorasse: qui quod *malum* propius esse ait, quam ut librarius quisquam *essent* pro *esset* scribere potuerit, velim videat II, 67 *(quo sint confugiendum).* III, 34 *(fruatur -- sanentur).* 55 *(feret incommodum, qui cognoverint).* IV, 39 *(res eadem maneant).* 65 *(in tota ratione ea, quae pertinent).* V, 8 *(cognitio -- traduxissent).* 37 *(neque est ullum, quod non ita vigeant),* aliaque eiusmodi menda a Tregdero p. X collecta, ut nostro loco *frangatur* (R[1]).» W.

est isdem de rebus quod dici possit subtilius, si prius Epicuri sententiam viderimus, qui censet necesse esse omnis in aegritudine esse, qui se in malis esse arbitrentur, sive illa ante provisa et expectata sint sive inveteraverint. Nam neque vetustate minui mala nec fieri praemeditata leviora, stultamque etiam esse meditationem futuri mali aut fortasse ne futuri quidem; satis esse odiosum malum omne, cum venisset; qui autem semper cogitavisset accidere posse aliquid adversi, ei fieri illud sempiternum malum; si vero ne futurum quidem sit, frustra suscipi miseriam voluntariam: ita semper angi aut accipiendo aut cogitando malo. 33. Levationem autem aegritudinis in duabus rebus ponit, avocatione a cogitanda molestia et revocatione ad contemplandas voluptates; parere enim censet animum rationi posse et quo illa ducat sequi. Vetat igitur ratio intueri molestias, abstrahit ab acerbis cogitationibus, hebetem *facit* aciem ad miserias contemplandas, a quibus cum cecinit receptui, inpellit rursum et incitat ad conspiciendas totaque mente contrectandas varias voluptates, quibus ille et praeteritarum memoria et spe consequentium sapientis vitam refertam putat. Haec nostro more nos diximus, Epicurii dicunt suo; sed quae dicant videamus, quo modo, neglegamus.

XVI. 34. Principio male reprehendunt praemeditationem rerum futurarum. Nihil est enim quod tam optundat elevetque aegritudinem quam perpetua in omni vita cogitatio nihil esse quod non accidere possit, quam meditatio conditionis humanae, quam vitae lex commentatioque parendi, quae non hoc adfert, ut semper maereamus, sed ut numquam. Neque enim qui rerum naturam, qui vitae varietatem, qui inbecillitatem generis humani cogitat, maeret, cum haec cogitat, sed tum vel maxime sapientiae fungitur munere. Utrumque enim consequitur, ut et considerandis rebus humanis proprio philosophiae fruatur officio et adversis casibus triplici consolatione sanetur: primum, quod posse accidere diu

---

3. *illa* corr. ex *ulla* G — 9. *voluntariam* in fine paginae om. G¹ — 11. *reuocationem* G — *pareri* G R¹ — 13. *hebetem facit* W: *hebetat* O; *hebentem* B; *hebetem* G R et Tregderus. «Omittam deserta metaphora parum bene sic dici *a cogitationibus aciem abstrahi*; non dicam haec ita intelligi posse, ut *ad miserias contemplandas ab acerbis cogitationibus acies abstrahi* dicatur: illud dicam, poëtam fortasse aliquem aut Tacitum, Ciceronem non item, sic in hanc sententiam scribere potuisse, ut esset *aciem ad miserias contemplandas hebetem* (a se) *factam ab acerbis cogitationibus abstrahit*. In simplici quidem atque naturali prosa oratione *hebetem ad miserias contemplandas* nihil esset nisi *quae* (iam per se ipsa, sine ulla rationis auctoritate) *ad miserias c. hebes est*, quod quam sententiae scriptoris contrarium sit, facile intelligitur. Itaque ego sic scribo: *abstrahit* (absolute, cf §§ 35. 76. Cat. Mai. § 15) *ab acerbis cogitationibus*; † *hebetem* cet. Restituissem lectionem ex paucis codicibus interpolatis vulgo receptam *hebetat aciem*, unde, cum *at* ante *ac* omissum esset, corrigendo fieri *hebetem aciem* facile potuit, nisi dubitarem, ante Augustini saeculum *hebetandi* verbum in usu fuisse. Cicero quidem, qui *hebescendi* verbo aliquoties (ut I, 73) utitur, *obtundere* dicit aut *praestringere* aut etiam *hebetem reddere* (Att. IX, 17, 2: *Nam me hebetem molestiae reddiderunt*, cf. Rosc. Amer. § 101: *ipsos caecos redderet.* Lael. § 54: *eos -- efficit caecos*). Quamobrem mihi videtur in Archetypo, ut multa, sic h. l. ante *aciem* aut *reddit* aut *facit* (cf. § 52: *acriorem facit*) excidisse.» W. — 14. *cecidit* C — *receptum pellit* G (sed addidit m. sec. *i* post *u*, ut sit *receptui inpellit*): *receptum impellit* R B — 17. *refertam* (*fert* in rasura) G; *refert.am* R — *Epicurei* R (sed *e* videtur corr. ex *i*) B O — 19. *praemeditationum* G — 20. *optundet* G R¹ — 21. *quod accidere non possit* O — 23. *mereamus* G R — 27. *fruatur* C: *fungatur* Manutius. — 28. *sanentur* G R¹. Vide ad p. 286, 21.

cogitavit, quae cogitatio una maxime molestias omnis extenuat et diluit; deinde, quod humana humane ferenda intellegit; postremo, quod videt malum nullum esse nisi culpam, culpam autem nullam esse, cum id, quod ab homine non potuerit praestari, evenerit. 35. Nam revocatio illa, quam adfert, cum a contuendis nos malis avocat, nulla est. Non est enim in nostra potestate fodicantibus iis rebus, quas malas esse opinemur, dissimulatio vel oblivio: lacerant, vexant, stimulos admovent, ignis adhibent, respirare non sinunt. Et tu oblivisci iubes, quod contra naturam est, qui quod a natura datum est auxilium extorqueas inveterati doloris? Est enim tarda illa quidem medicina sed tamen magna, quam adfert longinquitas et dies. Iubes me bona cogitare, oblivisci malorum. Diceres aliquid et magno quidem philosopho dignum, si ea bona esse sentires, quae essent homine dignissima.

XVII. 36. Pythagoras mihi si diceret aut Socrates aut Plato: «Quid iaces aut quid maeres aut cur succumbis cedisque fortunae? quae pervellere te forsitan potuerit et pungere, non potuit certe vires frangere. Magna vis est in virtutibus: eas excita, si forte dormiunt. Iam tibi aderit princeps fortitudo, quae te animo tanto esse coget, ut omnia, quae possint homini evenire, contemnas et pro nihilo putes; aderit temperantia, quae est eadem moderatio, a me quidem paulo ante appellata frugalitas, quae te turpiter et nequiter facere nihil patietur. Quid est autem nequius aut turpius ecfeminato viro? Ne iustitia quidem sinet te ista facere, cui minimum esse videtur in hac causa loci, quae tamen ita dicet dupliciter esse te iniustum, cum et alienum adpetas, qui mortalis natus conditionem postules inmortalium, et graviter feras te, quod utendum acceperis, reddidisse. 37. Prudentiae vero quid respondebis docenti virtutem sese esse contentam, quo modo ad bene vivendum, sic etiam ad beate? Quae si extrinsecus religata pendeat et non et oriatur a se et rursus ad se revertatur et omnia sua complexa nihil quaerat aliunde, non intellego cur aut verbis tam vehementer ornanda aut re tanto opere expetenda videatur.» Ad haec bona me si revocas, Epicure, pareo, sequor, utor te ipso duce, obliviscor etiam malorum, ut iubes, eoque facilius, quod ea ne in malis quidem ponenda censeo. Sed traducis cogitationes meas ad voluptates. Quas? Corporis credo aut quae propter corpus vel recordatione vel spe cogitentur. Num quid est aliud? rectene interpretor sententiam tuam? Solent enim isti negare nos intellegere quid dicat Epicurus. 38. Hoc dicit et hoc ille acriculus me audiente Athenis senex Zeno, istorum acutissimus, contendere et magna voce dicere solebat, eum esse beatum, qui praesentibus voluptatibus frueretur confideretque se fruiturum aut in omni aut in magna parte vitae dolore non interveniente aut, si interve-

---

1. *cogitavit* Davisius: *cogitauerit* C O — 2. *humana humane* codex Vaticanus: *humana* G O; *humanae* R[1]; *humane* R[2] B — 5. *non est enim -- eis rebus, quas malas opinamur, dissimulatio vel oblivio* Nonius pag. 66. — 6. *his* C — 9. *qui quod a natura datum est auxilium* Tregderus: *quia natura datum est auxilium* C; *quod a natura datum est auxilium* alii; *qui a natura datum auxilium* O — 14. *pytagoras* G R — 19. *contempnas* G R — 21. *patiatur* C — 23. *loci*] *loqui* C — 24. *condicionem* R — 26. *quod* ead. m. corr. in *quid* R — 28. *et* ante *oriatur* om. R. «Cf. I, 45: *et -- et rursum.* de Orat. I, 110. de Fin. I, 55: *et ortum esse e corpore et ad corpus referri.*» W. — 30. *tantopere* h. l. C — 33. *ponenda esse censeo* B — 35. *cogitemur* G[1] — 37. *agriculus* G R; *aegriculus* B.

niret, si summus foret, futurum brevem, sin productior, plus habiturum iucundi quam mali: haec cogitantem fore beatum, praesertim si et ante perceptis bonis contentus esset nec mortem nec deos extimesceret. Habes formam Epicuri vitae beatae verbis Zenonis expressam, nihil ut possit negari.

XVIII. 39. Quid ergo? Huiusne vitae propositio et cogitatio aut Thyestem levare poterit aut Aeetam, de quo paulo ante dixi, aut Telamonem pulsum patria exulantem atque egentem? in quo haec admiratio fiebat:

Hicine est ille Telamon, modo quem gloria ad caelum extulit,
Quem aspectabant, cuius ob os Graii ora obvertebant sua?

40. Quod si cui, ut ait idem,

simul animus cum re concidit,

a gravibus illis antiquis philosophis petenda medicina est, non ab his voluptariis. Quam enim isti bonorum copiam dicunt? Fac sane esse summum bonum non dolere, quamquam id non vocatur voluptas, sed non necesse est nunc omnia: idne est, quo traducti luctum levemus? Sit sane summum malum dolere: in eo igitur qui non est, si malo careat, continuone fruitur summo bono? 41. Quid tergiversamur, Epicure, nec fatemur eam nos dicere voluptatem, quam tu idem, cum os perfricuisti, soles dicere? Sunt haec tua verba necne? In eo quidem libro, qui continet omnem disciplinam tuam, — fungar enim iam interpretis munere, ne quis me putet fingere — dicis haec: «Nec equidem habeo quod intellegam bonum illud, detrahens eas voluptates, quae sapore percipiuntur, detrahens eas, quae auditu et cantibus, detrahens eas etiam, quae ex formis percipiuntur oculis, suavis motiones, sive quae aliae voluptates in toto homine gignuntur quolibet sensu. Nec vero ita dici potest mentis laetitiam solam esse in bonis. Laetantem enim mentem ita novi, spe eorum omnium, quae supra dixi, fore ut natura iis potiens dolore careat.» 42. Atque haec quidem his verbis, quivis ut intellegat quam voluptatem norit Epicurus. Deinde paulo infra «saepe quaesivi» inquit «ex iis, qui appellabantur sapientes, quid haberent quod in bonis relinquerent, si illa detraxissent, nisi si vellent voces inanis fundere; nihil ab iis potui cognoscere: qui si virtutes ebullire volent et sapientias, nihil aliud dicent nisi eam viam, qua efficiantur eae voluptates, quas supra dixi.» Quae sequuntur in eadem sententia sunt totusque liber, qui est de summo bono, refertus et verbis et sententiis talibus. 43. Ad hancine igitur vitam Telamonem illum revocabis, ut leves aegritudinem, et, si quem tuorum adflictum maerore videris, huic acipenserem potius quam

2. *si* om. C — 7. *Thyesten* O — *aetam* C — 10. *haecine* G R — *Telamo* O. Vide ad I, § 116. — 11. *grai ora* C; *grai lora* cod. Mediceus ad Famil. IX, 26, 2; *Graj ora* Lachmannus ad Lucret. p. 163. — 13. *animus rem condidit* C — 14. *est si non* G R; *est, sed non* alii; *est scilicet, non* Klotzius. — 16. *dolore* G[1] — 18. *sane*] *sanum* R[1] — 29. *forte* G[1] — *natura iis*] *naturalis* C — 32. *ex his* C — *quid in boni* G R (in R praepositio punctis notata est); *quid in bonis* B — 34. *ab his* C — *qui si virtutis ebullire volent -- nisi eam vim, quae flant vestrae voluptates, quas supra dixi* Nonius p. 26. — *nolent* O cum Davisio et Bentleio; sed vid. Madvig ad Cic. de Fin. p. 758. — 37. *hanccine* O — 38. *et si quem t. adfectum merore videris, huic accipienserem potius -- dabis* Nonius p. 550. — 39. *uidebis* R[1] — *accipenserem* C.

aliquem Socraticum libellum dabis, hydrauli hortabere ut audiat voces potius quam Platonis, expones quae spectet florida et varia, fasciculum ad naris admovebis, incendes odores, sertis redimiri iubebis et rosa? Si vero aliquid etiam —, tum plane luctum omnem absterseris.

XIX. 44. Haec Epicuro confitenda sunt aut ea, quae modo expressa ad verbum dixi, tollenda de libro vel totus liber potius abiciundus; est enim confertus voluptatibus. Quaerendum igitur quem ad modum aegritudine privemus eum, qui ita dicat:

- - - Pol mihi fortuna magis nunc defit quam genus.
Namque regnum suppetebat mi, ut scias quanto e loco,
Quantis opibus, quibus de rebus lapsa fortuna accidat.

Quid? huic calix mulsi impingendus est, ut plorare desinat, aut aliquid eius modi? Ecce tibi ex altera parte ab eodem poëta:

Ex opibus summis opis egens, Hector, tuae.

Huic subvenire debemus; quaerit enim auxilium:

Quid petam praesidi aut exequar, quove nunc
Auxilio exili aut fuga freta sim?
Arce et urbe orba sum. Quo accidam? quo applicem?
Cui nec arae patriae domi stant, fractae et disiectae iacent,
Fana flamma deflagrata, tosti alti stant parietes
Deformati atque abiete crispa . . . . . .

Scitis quae sequantur et illa in primis:

O pater, o patria, o Priami domus,
Saeptum altisono cardine templum,
Vidi ego te, adstante ope barbarica,
Tectis caelatis, laqueatis,
Auro, ebore instructam regifice.

45. O poëtam egregium! quamquam ab his cantoribus Euphorionis contemnitur. Sentit omnia repentina et necopinata esse graviora. Exaggeratis igitur regiis opibus, quae videbantur sempiternae fore, quid adiungit?

Haec omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam evitari,
Iovis aram sanguine turpari.

46. Praeclarum carmen! est enim et rebus et verbis et modis lugubre. Eripiamus huic aegritudinem. Quo modo? conlocemus in culcita plumea, psaltriam adducamus, hedychri incendamus scutellam, dulciculae potionis

---

1. *hydrali* C — 2. *exponens* C — 3. *sertis* Wolfius: *et sertis* C; [*et*] *sertis* O — 5. *aut*] *ut* G¹ — 7. *confertis* G¹ — 8. *priuemur* G R — 10. *mi* Grotius et Manutius: *mihi* C — 11. *occidat* O. Vide O. Ribbeckii Tragic. Lat. Fragm. p. 57. — 12. *quid? huic - - plorare se desinat* Nonius p. 545. — 16. *praesidii* C — 17. *Auxilio aut exili* Ribbeck. — *exilii* C — *fugae* O — 18. *accedam* C — 20. *alti*] *alii* C — 21. *abiecte* (*c* expuncta) G — 22. *illa in* Tregderus: *illum* C; *illud in* O — 25. *adstantem* C; cf. I § 85. — 26. *celatis* G R — 27. *regificem* G R et *m* deleta B — 28. *aegrium* G¹, *aegregium* R — 30. *regis* C. «Aptius videtur *regiis* i. e. quales Troianorum regum fuerunt; cf. § 44: *te - - instructam regifice.* In antiquissimis codd. pro *ii* persaepe *i* scribi notum est, ut in hoc ipso *regiis* (de Rep. II §§ 29. 31).» W. — *sempiternae* (*a* deleta) R — 33. *Iovis aram sanguine turpari* Nonius p. 181. — *sanguinem* G R (sed in R *m* deleta est) — 35. *eripiamus - - adducamus* Nonius p. 542. — 36. *adducamus, hedychri incendamus scutellam, dulciculae* Madvig: *adducamus* (in G R corr. ex *aducamus*) *damus hedrycum* (*aedricum* G) *incendamus scu-*

aliquid videamus et cibi. Haec tandem bona sunt, quibus aegritudines gravissimae detrahantur; tu enim paulo ante ne intellegere quidem te alia ulla dicebas. Revocari igitur oportere a maerore ad cogitationem bonorum conveniret mihi cum Epicuro, si quid esset bonum conveniret.

XX. Dicet aliquis: Quid ergo? tu Epicurum existimas ista voluisse aut libidinosas eius fuisse sententias? Ego vero minime; video enim ab eo dici multa severe, multa praeclare. Itaque, ut saepe dixi, de acumine agitur eius, non de moribus; quamvis spernat voluptates eas, quas modo laudavit, ego tamen meminero quod videatur ei summum bonum. Non enim verbo solum posuit voluptatem, sed explanavit quid diceret. «Saporem» inquit «et corporum complexum et ludos atque cantus et formas eas, quibus oculi iucunde moveantur.» Num fingo, num mentior? Cupio refelli; quid enim laboro nisi ut veritas in omni quaestione explicetur? 47. At idem ait non crescere voluptatem dolore detracto summamque voluptatem nihil dolere. Paucis verbis tria magna peccata. Unum, quod secum ipse pugnat. Modo enim ne suspicari quidem se quicquam bonum, nisi sensus quasi titillarentur voluptate: nunc autem summam voluptatem esse dolore carere. Potestne magis secum ipse pugnare? Alterum peccatum, quod, cum in natura tria sint, unum gaudere, alterum dolere, tertium nec gaudere nec dolere, hic primum et tertium putat idem esse nec distinguit a non dolendo voluptatem. Tertium peccatum commune cum quibusdam, quod cum virtus maxime expetatur eiusque adipiscendae causa philosophia quaesita sit, ille a virtute summum bonum separavit. 48. At laudat saepe virtutem. Et quidem C. Gracchus, cum largitiones maximas fecisset et effudisset aerarium, verbis tamen defendebat aerarium. Quid verba audiam, cum facta videam? Piso ille Frugi semper contra legem frumentariam dixerat. Is lege lata consularis ad frumentum accipiundum venerat. Animum advertit Gracchus in contione Pisonem stantem; quaerit audiente populo Romano qui sibi constet, cum ea lege frumentum petat, quam dissuaserit. «Nolim» inquit «mea bona, Gracche, tibi viritim dividere libeat, sed, si facias, partem petam.» Parumne declaravit vir gravis et sapiens lege Sempronia patrimonium publicum dissupari? Lege orationes Gracchi: patronum aerarii esse dices. 49. Negat Epicurus iucunde posse vivi nisi cum virtute vivatur, negat ullam in sapientem vim esse fortunae, tenuem victum antefert copioso, negat ullum esse tempus quo sapiens non beatus sit: omnia philosopho digna, sed cum voluptate pugnantia. Non istam dicit voluptatem. Dicat quamlibet: nempe eam dicit, in qua virtutis nulla pars insit. Age, si voluptatem non intellegimus, ne dolorem quidem?

---

tellam dulciculae C; *adducamus, hedychrum intendamus, scutellam dulciculae* O (*Scutella* propter originem (ex scuto) acerram potius quam poculum significare videtur, *hedychrum* autem turis genus.) — *dulciculae -- videamus* Priscianus III, 5, 30 et Lex. vet. in Mai Class. Auct. VIII p. 165. — 2. *quidem te* Lambinus: *te quidem* C O; «cf. de eadem re § 47: *ne suspicari quidem se*; de Fin. II, 7. 30. N. D. I, 111.» W. — 3. *ulla*] *multa* C — *oportet ea merore* C — 4. *esse* G¹ — 5. *dicit* G¹ — *existimas* Manutius: *existimabas* C. Vide ad I § 35. — 8. *spernat* (corr. ex *spernant*) B: *spernant* G² R; *sperant* G¹ — 9. *quid* B — 14. *summamque esse voluptatem* margo Lamb. — 22. *expectatur* G¹ — 24. *laudat et saepe* O — 25. *effundisset* G R — 26. *L. Piso* cod. Vaticanus. — 28. *animum aduertit* B: *animam aduertit* G R; *Animadvertit* O — 30. *disuasserat* G¹ — 33. *puplicum dissipari* G — 36. *illum* corr. in *ullum* G — 39. *pras* G.

Nego igitur eius esse, qui dolore summum malum metiatur, mentionem facere virtutis.

XXI. 50. Et queruntur quidam Epicurei, viri optimi — nam nullum genus est minus malitiosum —, me studiose dicere contra Epicurum. Ita credo de honore aut de dignitate contendimus. Mihi summum in animo bonum videtur, illi autem in corpore; mihi in virtute, illi in voluptate. Et illi pugnant et quidem vicinorum fidem inplorant; multi autem sunt qui statim convolent. Ego sum is, qui dicam me non laborare, actum habiturum quod egerint. 51. Quid enim? de bello Punico agitur? de quo ipso cum aliud M. Catoni, aliud L. Lentulo videretur, nulla inter eos concertatio umquam fuit. Hi nimis iracunde agunt, praesertim cum ab iis non sane animosa defendatur sententia, pro qua non in senatu, non in contione, non apud exercitum neque ad censores dicere audeant. Sed cum istis alias, et eo quidem animo, nullum ut certamen instituam, verum dicentibus facile cedam. Tantum admonebo, si maxime verum sit ad corpus omnia referre sapientem sive, ut honestius dicam, nihil facere nisi quod expediat, sive omnia referre ad utilitatem suam, quoniam haec plausibilia non sunt, ut in sinu gaudeant, gloriose loqui desinant.

XXII. 52. Cyrenaicorum restat sententia, qui tum aegritudinem censent existere, si necopinato quid evenerit. Est id quidem magnum, ut supra dixi, etiam Chrysippo ita videri scio, quod provisum ante non sit, id ferire vehementius; sed non sunt in hoc omnia. Quamquam hostium repens adventus magis aliquanto conturbat quam expectatus et maris subita tempestas quam ante provisa terret navigantes vehementius, et eius modi sunt pleraque. Sed, cum diligenter necopinatorum naturam consideres, nihil aliud reperias nisi omnia videri subita maiora, et quidem ob duas causas, primum quod quanta sint quae accidunt considerandi spatium non datur, deinde, cum videtur praecaveri potuisse, si provisum esset, quasi culpa contractum malum aegritudinem acriorem facit. 53. Quod ita esse dies declarat, quae procedens ita mitigat, ut isdem malis manentibus non modo leniatur aegritudo, sed in plerisque tollatur. Karthaginienses multi Romae servierunt, Macedones rege Perse capto; vidi etiam in Peloponneso, cum essem adulescens, quosdam Corinthios. Hi poterant omnes eadem illa de Andromacha deplorare:

H a e c o m n i a v i d i —,

sed iam decantaverant fortasse. Eo enim erant voltu, oratione, omni reliquo motu et statu, ut eos Argivos aut Sicyonios diceres, magisque me moverant Corinthi subito aspectae parietinae quam ipsos Corinthios, quorum animis diuturna cogitatio callum vetustatis obduxerat. 54. Legimus librum Clitomachi, quem ille eversa Karthagine misit consolandi

---

1. *eius* in marg. m. sec. R — *quid* G R (sed *d* in R puncto notata) — *dolorem* C — 3. *quaeruntur* G R — *quidam* C: *quidem* O — 12. *ab his* C — 13. *contentione* corr. ead. m. in *contione* R — *neque*] *non* B — 18. *sinum* B; *signum* G R (sed in G littera *g* expuncta) — *gloriosae* R — 22. *crysippo* G R — 23. *ferire* Rivius: *fieri* C — 24. *aliquando* C — 27. *repperias* G R — 29. *deinde cum uidetur* C: *deinde, quod videtur* Lambinus; *deinde quod cum videtur* Klotzius. — 33. *Kartaginienses* G R — 35. *de*] *quae* Dobree Advers. II p. 373; sed cf. de Offic. III § 82. de Rep. I § 30. — *antromacha* G R — 37. *Sed etiam* R — 38. *sycionios* R — *dicere* C — 39. *aspecta* C.

causa ad captivos cives suos: in eo est disputatio scripta Carneadis, quam se ait in commentarium rettulisse. Cum ita positum esset, videri fore in aegritudine sapientem patria capta, quae Carneades contra dixerit scripta sunt. Tanta igitur calamitatis praesentis adhibetur a philosopho medicina, quanta *in* inveterata ne desideratur quidem, nec, si aliquot annis post idem ille liber captivis missus esset, volneribus mederetur, sed cicatricibus. Sensim enim et pedetemptim progrediens extenuatur dolor, non quo ipsa res immutari soleat aut possit, sed id, quod ratio debuerat, usus docet, minora esse ea, quae sint visa maiora.

XXIII. 55. Quid ergo opus est, dicet aliquis, ratione aut omnino consolatione illa, qua solemus uti, cum levare dolorem maerentium volumus? Hoc enim fere tum habemus in promptu, nihil oportere inopinatum videri. Aut qui tolerabilius feret incommodum qui cognoverit necesse esse homini tale aliquid accidere? Haec enim oratio de ipsa summa mali nihil detrahit, tantum modo adfert, nihil evenisse quod non opinandum fuisset. Neque tamen genus id orationis in consolando non valet, sed id haud sciam an plurimum. Ergo ista necopinata non habent tantam vim, ut aegritudo ex iis omnis oriatur; feriunt enim fortasse gravius, non id efficiunt, ut ea, quae accidant, maiora videantur; quia recentia sunt, maiora videntur, non quia repentina. 56. Duplex est igitur ratio veri reperiendi, non in iis solum, quae mala, sed in iis etiam, quae bona videntur; nam aut ipsius rei natura qualis et quanta sit quaerimus, ut de paupertate non numquam, cuius onus disputando levamus, docentes quam parva et quam pauca sint quae natura desideret, aut a disputandi subtilitate orationem ad exempla traducimus. Hic Socrates commemoratur, hic Diogenes, hic Caecilianum illud:

Saepe est etiam sub palliolo sordido sapientia.

Cum enim paupertatis una eademque sit vis, quidnam dici potest quam ob rem C. Fabricio tolerabilis ea fuerit, alii negent se ferre posse? 57. Huic igitur alteri generi similis est ea ratio consolandi, quae docet

---

3. *dicxerit* G — 5. *in* om. C — 11. *ulla* C — *elevare* Bake l. l. p. 93 (coll. § 34), item § 56. — 12. *promtu* G R — 13. *Aut* corr. in *At* R et sic Bake l. l. p. 93. — *cognouerint* C (sed in R B penultima littera expuncta). Vide ad § 31. — 17. *id* seclusit Tregderus. — *aut* corr. m. sec. in *haud* G — 18. *ex his* C O — 19. *non id efficiunt* cet.] «Pravum esse *non* clamant, quae § 52 *(omnia videri subita maiora)*. 28. 30 leguntur. Mihi quidem verissima videtur Bentleii coniectura legendum esse *nam*, quod cum *non* non ita raro commutatur, ut IV, 56. ubi R *non solum* pro *nam solum*.» W. Mihi Bentley Ciceronem correxisse videtur, non librarios. — *uideantur. quia recentia sunt, maiora videntur, non quia* B: *uideantur non quia* (mediis omissis) G (sed in margine inferiore secunda manu, sed item valde antiqua, adscripta leguntur *quia recentia sunt maiora uidentur*) R (in R a recentiore manu suppletum est *quia recentia sunt* in margine); scilicet librarii oculus a verbo *uideantur* ad *uidentur* aberravit. «Suspicor a Cicerone ita scriptum fuisse: *videantur; sed maiora videntur, quia recentia sunt, non quia repentina*. Cf. § 53: *Quod -- dies declarat -- tollatur*. § 54: *Sensim -- progrediens extenuatur dolor, -- usus docet minora esse ea, quae* (recentia) *sint visa maiora*. § 59 et de Zenonis aegritudinis definitione, qua ad opinionem praesentis mali additur, ut ea *recens* sit, §§ 25. 75. 26 *(est aegritudo, ut docebo, in opinione mali recentis)*. Exempla singulorum pluriumve verborum propter terminationum vel initiorum similitudinem in Archetypo omissorum multa sunt. De particulis *fortasse* — *sed* inter se respondentibus cf. I, 30. III, 43. IV, 47. de Fin. III, 49. al.» W. — 21. *non in is* G[1]; *non in his* G[2] B; *non his* R — *sed in his* C — 22. *nam, ut* C (sed in B *ut* in *aut* ead. m. corr.) — 27. *sup* G.

humana esse quae acciderint. Non enim id solum continet ea disputatio, ut cognitionem adferat generis humani, sed significat tolerabilia esse quae et tulerint et ferant ceteri. XXIV. De paupertate agitur: multi patientes pauperes commemorantur; de contemnendo honore: multi inhonorati proferuntur et quidem propter id ipsum beatiores, eorumque, qui privatum otium negotiis publicis antetulerunt, nominatim vita laudatur, nec siletur illud potentissimi regis anapaestum, qui laudat senem et fortunatum esse dicit, quod inglorius sit atque ignobilis ad supremum diem perventurus. 58. Similiter commemorandis exemplis orbitates quoque liberum praedicantur eorumque, qui gravius ferunt, luctus aliorum exemplis leniuntur: sic perpessio ceterorum facit ut ea, quae acciderint, multo minora quam quanta sint existimata videantur. Ita fit sensim, cogitantibus ut, quantum sit ementita opinio, appareat. Atque hoc idem et Telamo ille declarat:

Ego cum genui . . .

et Theseus:

Futuras mecum commentabar miserias,

et Anaxagoras: «Sciebam me genuisse mortalem.» Hi enim omnes diu cogitantes de rebus humanis intellegebant eas nequaquam pro opinione volgi esse extimescendas. Et mihi quidem videtur idem fere accidere iis, qui ante meditantur, quod iis, quibus medetur dies, nisi quod ratio quaedam sanat illos, hos ipsa natura, intellecto eo, quod rem continet, illud malum, quod opinatum sit esse maxumum, nequaquam esse tantum, ut vitam beatam possit evertere. 59. Hoc igitur efficitur, ut ex illo necopinato plaga maior sit, non, ut illi putant, ut, cum duobus pares casus evenerint, is modo aegritudine adficiatur, cui ille necopinato casus evenerit. Itaque dicuntur non nulli in maerore, cum de hac communi hominum conditione audivissent, ea lege esse nos natos, ut nemo in perpetuum esse posset expers mali, gravius etiam tulisse.

XXV. Quocirca Carneades, ut video nostrum scribere Antiochum, reprendere Chrysippum solebat laudantem Euripideum carmen illud:

Mortalis nemo est, quem non attingat dolor
Morbusque; multis sunt humandi liberi,

---

1. *id solum* C: *solum id* O — 2. *cogitationem* G¹ — *tollerabilia* G R — 3. *et* ante *tulerint* om. B — 5. *eorum quae* G et deleta litt. *a* R — 6. *qui* in. sec. superscr. in G — *nominati* G et superscr. *tim* B — 8. *inglorious* ead. m. corr. in *inglorius* G; *ingloriosus* R — 9. *peruenturus* (superscr. «vel *prae*») B, *preuenturus* G¹ — 10. *liberorum* O — 12. *fit sensim cogitantibus, ut* O. «Sic vulgo distinguitur, quasi *cogitantibus* aut dativo casu cum *fit* iungi possit aut ablativus (absolutus) esse, atque *sensim* cum *cogitantibus* cohaereat. At *sensim cogitare* nihil est, neque quicquam magis perspicuum quam sententiam hanc esse: Ita *cogitantibus* (de humana conditione) *sensim* (non statim, ut cogitare coeperunt) *apparet, quantum sit ementita opinio.* Cf. quod sequitur: *Hi enim omnes diu cogitantes de rebus humanis intellegebant -- extimescendas* (§ 74 *cogitatio diuturna -- medetur).* Sic igitur distinguendum est: *Ita fit sensim, cogitantibus ut* cet.» W. — 14. *telamo* superscr. *n* B — 15. *Ego cum genui* C: *Ego quum genui, [tum moriturum scivi.]* O (In R a recentiore m. addita sunt *tū morituros sciui et ei rei sustuli*) — 20. *existimescendas* G — 21. *his -- his* C — *ratione quaedam* C (sed in R B *quaedam* corr. in *quadam*) — 22. *rem continet, illud malum* B (firmans Bentleii coniecturam): *rem illud continet malum* G R; *rem continet, malum* O — 29. *possit* B — 31. *crysippum* G R — 32. *non* om. G R — *attingit* C O — 33. *multis* Lambinus: *multi* C.

Rursum creandi, morsque est finita omnibus,
Quae generi humano angorem nequiquam adferunt.
Reddenda terrae est terra, tum vita omnibus
Metenda, ut fruges: sic iubet necessitas.

60. Negabat genus hoc orationis quicquam omnino ad levandam aegritudinem pertinere. Id enim ipsum dolendum esse dicebat, quod in tam crudelem necessitatem incidissemus; nam illam quidem orationem ex commemoratione alienorum malorum ad malevolos consolandos esse accommodatam. Mihi vero longe videtur secus; nam et necessitas ferendae conditionis humanae quasi cum deo pugnare prohibet admonetque esse hominem, quae cogitatio magno opere luctum levat, et enumeratio exemplorum non, ut animum malevolorum oblectet, adfertur, sed ut ille, qui maeret, ferundum sibi id censeat, quod videat multos moderate et tranquille tulisse. 61. Omnibus enim modis fulciendi sunt qui ruunt nec cohaerere possunt propter magnitudinem aegritudinis; ex quo ipsam aegritudinem λύπην Chrysippus quasi solutionem totius hominis appellatam putat: quae tota poterit evelli explicata, ut principio dixi, causa aegritudinis; est enim nulla alia nisi opinio et iudicium magni praesentis atque urgentis mali. Itaque et dolor corporis, cuius est morsus acerrimus, perfertur spe proposita boni et acta aetas honeste ac splendide tantam adfert consolationem, ut eos, qui ita vixerint, aut non attingat aegritudo aut perleviter pungat animi dolor.

XXVI. 62. Sed ad hanc opinionem magni mali cum illa etiam opinio accessit, oportere, rectum esse, ad officium pertinere ferre illud aegre, quod acciderit, tum denique efficitur illa gravis aegritudinis perturbatio. Ex hac opinione sunt illa varia et detestabilia genera lugendi: paedores, muliebres lacerationes genarum, pectoris, feminum, capitis percussiones. Hinc ille Agamemno Homericus et idem Accianus,

Scindens dolore identidem intonsam comam,

---

2. *genere* C — *nequiquam* nos: *nequicquam* C; *nequidquam* O. Cf. Wagner Orthogr. Vergil. p. 459 sq. Lachmann ad Lucret. p. 141. — 7. *ex quo memoratione* R; *ex quo nemo ratione* G — 8. *maliuolos* C — 10. *cohibet* G B, *quohibet* superscr. *c* R. «Probo paucorum codd. scripturam *prohibet* (cf. § 65: *quos res ipsa lugere prohibet*); neque enim credo Ciceronem umquam dixisse: *cohibeo (aliquem) aliquid facere*. Apud Hirtium (B. Gall. VIII, 23) Oudendorpius ex omnibus fere codd. edidit *prohibebat*; cod. Oxon., ut vulgo ante Oudendorpium, *cohibebat*. Altero loco a Klotzio laudato, Cic. p. Caecina § 66, ubi ipse ex optimis codd. scripsit: *Unde deieetus es? an inde, quo cohibitus es accedere?*, ex aliis codd. vulgo ante Klotzium recte legebatur *prohibitus*; neque enim verisimile est Ciceronem hic solum *cohibere* posuisse, paulo post, ubi idem dicitur *(non deieci te ex eo loco, quem in locum prohibui ne venires* et § 84, ubi illa adversarii oratio refellitur *(si non sum ex eo loco deiectus, quo prohibitus sum accedere)* et de eadem re ceteris omnibus locis (§ 87 *me introire prohibuerit* = §§ 89. 34. 35. 37. 39. 46: *Omnis vis est, quae -- prohibet accedere*. 76.) *prohibere*. Atque huius verbi propria vis *(procul habere)* ut nudi ablativi *(introitu)*, sic simplicis infinitivi *(introire)* complementum patitur: *cohibere* autem (= *continere, coërcere*) per se ipsum ad id, *unde* quis cohibendo abstineatur, significandum neutrum admittit; dicitur, ut *manus ab auro, hostem a praedandi licentia cohibere*, sic (Tac. Ann. II, 24): *quem -- vix cohibuere, quo minus -- oppeteret* (= *a morte oppetenda*). Infinitivo id potius significaretur, *ad* quod faciendum quis cohibendo cogeretur. De horum verborum confusione cf. p. Roscio Amer. § 90. Verrin. III, 37. T. D. IV, 66. Catil. IV, 23. T. D. V, 5.» W. — 12. *maliuolorum* C — 16. *ΛΥΠΗΝ* R — *solutionem* C: *λύσιν, id est, solutionem* O — 20. *perferetur* G R — 22. *aegritudo* del. Ernestius. — 28. *Attianus* O.

in quo facetum illud Bionis, perinde stultissimum regem in luctu capillum sibi evellere, quasi calvitio maeror levaretur. 63. Sed haec omnia faciunt opinantes ita fieri oportere. Itaque et Aeschines in Demosthenem invehitur, quod is septimo die post filiae mortem hostias immolavisset. At quam rhetorice, quam copiose, quas sententias colligit, quae verba contorquet! ut licere quidvis rhetori intellegas. Quae nemo probaret, nisi insitum illud in animis haberemus, omnis bonos interitu suorum quam gravissime maerere oportere. Ex hoc evenit, ut in animi doloribus alii solitudines captent, ut ait Homerus de Bellerophonte:

Qui miser in campis maerens errabat Aleis,
Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.

Et Nioba fingitur lapidea, propter aeternum credo in luctu silentium. Hecubam autem putant propter animi acerbitatem quandam et rabiem fingi in canem esse conversam. Sunt autem alii, quos in luctu cum ipsa solitudine loqui saepe delectat, ut illa apud Ennium nutrix:

Cupido cepit miseram nunc me proloqui
Caelo atque terrae Medeai miserias.

XXVII. 64. Haec omnia recta, vera, debita putantes faciunt in dolore, maximeque declarat hoc quasi officii iudicio fieri, quod, si qui forte, cum se in luctu esse vellent, aliquid fecerunt humanius aut si hilarius locuti sunt, revocant se rursus ad maestitiam peccatique se insimulant, quod dolere intermiserint. Pueros vero matres et magistri castigare etiam solent, nec verbis solum, sed etiam verberibus, si quid in domestico luctu hilarius ab iis factum est aut dictum, plorare cogunt. Quid? ipsa remissio luctus cum est consecuta intellectumque est nihil profici maerendo, nonne res declarat fuisse totum illud voluntarium? 65. Quid ille Terentianus ipse se poeniens, id est ἑαυτὸν τιμωρούμενος?

Decrevi tantisper me minus iniuriae,
Chremes, meo gnato facere, dum fiam miser.

Hic decernit ut miser sit. Num quis igitur quicquam decernit invitus?

Malo quidem me quovis dignum deputem.

---

3. *aescinnes* C — *demostenem* G R; *demostenen* B — 5. *quam excopiose* G R; *quas et copiose* (*et* in rasura) B — 6. *rethori* G R — 10. *Aleis*] *alienis* C — 11. *cor euidens* C — *uitas* C — 14. *quo in* G R — 15. «Tregderus scribere debuit *delectet*, quod idem vitium § 59 et 76 recte correxit. Cf. Obs. in Sest. p. 47. Madvig ad Fin. I, 70. Archetypi in huiusmodi terminationibus auctoritas per se ipsa nulla est; cf. I, 13. 18. 29. II, 30. III, 11. 36. IV, 68. al.» W. Cf. Zumpt § 563. — 17. *Medeai* Turnebus: *medeae* C — 19. *declarat* Wolfius: *declaratur* C. «Hanc Archetypi scripturam Klotzius et Tregderus revocaverunt, quasi diceretur, cur illud maxime declararetur, ac non, *quid* illud maxime declararet. Recte Orellius ex Wolfii coniectura: *declarat*, i. e. *maxime hoc, quod -- revocant se rursus ad maestitiam, declarat hoc -- fieri*: cf. I, 31: *Maxumum argumentum est* (= maxime declarat) *naturam -- iudicare, quod omnibus curae sunt* = IV, 7. Fin. III, 47. Cat. M. § 78. Passivo *declaratur* addi debebat *eo (hac, illa re)*. De nota terminationis *ur* male addita cf. I, 75. II, 51. IV, 21. Pro *hoc* autem scribendum est *haec*; dicitur enim brevius idem, quod praecedit: *haec omnia recta -- putantes* (= *officii iudicio) faciunt in dolore. Hoc -- fieri* absurdam hanc haberet tautologiam: *ut «haec -- debita putantes faciant in dolore», quasi officii iudicio fieri.*» W. Mihi *hoc* videtur nominativus esse (= ea res); ad *fieri* autem intelligo *haec omnia*. — 24. *ab his* C — 25. *intellectaque* C — *est* om. O. «De *est* in coniunctis sententiis iterato v. § 74. et Kuehner ad V, 2.» — 27. *poenitens* C — *id est ἑαυτὸν τιμωρούμενος* glossema esse videbatur P. Manutio et Lambino. — *ΕΑΥΤΟΝΤΕΙΜΩΡΟΥΜΕΝΟC* G R — 29. *Chreme* O.

Malo se dignum deputat, nisi miser sit. Vides ergo opinionis esse, non naturae malum. Quid, quos res ipsa lugere prohibet? ut apud Homerum cotidianae neces interitusque multorum sedationem maerendi adferunt, apud quem ita dicitur:

Namque nimis multos atque omni luce cadentis
Cernimus, ut nemo possit maerore vacare.
Quo magis est aequum tumulis mandare peremptos
Firmo animo et luctum lacrimis finire diurnis.

66. Ergo in potestate est abicere dolorem, cum velis, tempori servientem. An est ullum tempus, quoniam quidem res in nostra potestate est, cui non ponendae curae et aegritudinis causa serviamus? Constabat eos, qui concidentem volneribus Cn. Pompeium vidissent, cum in illo ipso acerbissimo miserrimoque spectaculo sibi timerent, quod se classe hostium circumfusos viderent, nihil aliud tum egisse nisi ut remiges hortarentur et ut salutem adipiscerentur fuga, postea quam Tyrum venissent, tum adflictari lamentarique coepisse. Timor igitur ab his aegritudinem potuit repellere, ratio ab sapienti viro non poterit?

XXVIII. Quid est autem quod plus valeat ad ponendum dolorem, quam cum est intellectum nil profici et frustra esse susceptum? Si igitur deponi potest, etiam non suscipi potest: voluntate igitur et iudicio suscipi aegritudinem confitendum est. 67. Idque indicatur eorum patientia, qui cum multa sint saepe perpessi, facilius ferunt quicquid accidit, obduruisseque iam sese contra fortunam arbitrantur, ut ille apud Euripidem:

Si mihi nunc tristis primum inluxisset dies
Nec tam aerumnoso navigavissem salo,
Esset dolendi causa, ut iniecto eculei
Freno repente tactu exagitantur novo;
Sed iam subactus miseriis optorpui.

Defetigatio igitur miseriarum aegritudines cum faciat leniores, intellegi necesse est non rem ipsam causam atque fontem esse maeroris. 68. Philosophi summi nequedum tamen sapientiam consecuti nonne intellegunt in summo se malo esse? Sunt enim insipientes, neque insipientia ullum maius malum est; neque tamen lugent. Quid ita? Quia huic generi malorum non adfingitur illa opinio, rectum esse et aequum et ad officium pertinere aegre ferre, quod sapiens non sis, quod idem adfingimus huic aegritudini, in qua luctus inest, quae omnium maxuma est. 69. Itaque Aristoteles veteres philosophos accusans, qui existimavissent philosophiam suis ingeniis esse perfectam, ait eos aut stultissimos aut gloriosissimos fuisse, sed se videre, quod paucis annis magna accessio facta esset, brevi tempore philosophiam plane absolutam fore. Theophrastus autem

---

5. *cadentes* Manutius: *carentis* C; cf Hom. Il. 19, 226 sq. — 11. *cui non ponenda cura et aegritudine serviamus* Bake l. l. p. 94. — *et* om. C. Vide ne *aegritudinis* glossema sit. — 12. *Gn*. G R — 14. *tum aliud* O — 16. *iis* O. «Cum sequatur e contrario positum *ab sapienti viro*, ex Archetypo legendum est *his*.» W. Cf. § 71: *quod alii --, id hi* cet. — 17. *ab sapienti viro* Bentley: *ac sapientia uera* C — 19. *nihil* O — 22 *ferant* C — *obduruisseque iam* Tregderus: *obduruisse quam* C; *obduruisseque* O — 25. *nauigassem* C — 28. *subiactus* G B; *subiectus* R — 29. *Defatigatio* O — 30 *atque causam* C; delet Dobree Advers. II p. 373. — 31. *neque nondum* C — 37. *Aristoteles, veteres ph. accusans, ait eos -- fuisse, qui existimavissent -- perfectam: sed se videre -- absolutam fore* Lactantius III, 28.

moriens accusasse naturam dicitur, quod cervis et cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil interesset, hominibus, quorum maxime interfuisset, tam exiguam vitam dedisset: quorum si aetas potuisset esse longinquior, futurum fuisse ut omnibus perfectis artibus omni doctrina hominum vita erudiretur. Querebatur igitur se tum, cum illa videre coepisset, extingui. Quid? ex ceteris philosophis nonne optumus et gravissumus quisque confitetur multa se ignorare et multa sibi etiam atque etiam esse discenda? 70. Neque tamen, cum se in media stultitia, qua nihil est peius, haerere intellegant, aegritudine premuntur; nulla enim admiscetur opinio officiosi doloris. Quid, qui non putant lugendum viris? qualis fuit Q. Maxumus efferens filium consularem, qualis L. Paulus duobus paucis diebus amissis filiis, qualis M. Cato praetore designato mortuo filio, quales reliqui, quos in Consolatione conlegimus. 71. Quid hos aliud placavit nisi quod luctum et maerorem esse non putabant viri? Ergo id, quod alii rectum opinantes aegritudini se solent dedere, id hi turpe putantes aegritudinem reppulerunt: ex quo intellegitur non in natura, sed in opinione esse aegritudinem.

XXIX. Contra dicuntur haec: Quis tam demens, ut sua voluntate maereat? Natura adfert dolorem, cui quidem Crantor, inquiunt, vester cedendum putat; premit enim atque instat nec resisti potest. Itaque Oileus ille apud Sophoclem, qui Telamonem antea de Aiacis morte consolatus esset, is cum audivisset de suo, fractus est. De cuius commutata mente sic dicitur:

Nec vero tanta praeditus sapientia
Quisquam est, qui aliorum aerumnam dictis adlevans
Non idem, cum fortuna mutata impetum
Convertat, clade subita frangatur sua,
Ut illa ad alios dicta et praecepta excidant.

Haec cum disputant, hoc student efficere, naturae obsisti nullo modo posse: ii tamen fatentur graviores aegritudines suscipi, quam natura cogat. Quae est igitur amentia? ut nos quoque idem ab illis requiramus. 72. Sed plures sunt causae suscipiendi doloris. Primum illa opinio mali, quo viso atque persuaso aegritudo insequitur necessario; deinde etiam gratum mortuis se facere, si graviter eos lugeant, arbitrantur. Accedit superstitio muliebris quaedam; existumant enim dis inmortalibus se facilius satis facturos, si eorum plaga perculsi adflictos se et stratos esse fateantur. Sed haec inter se quam repugnent plerique non vident. Laudant enim eos, qui aequo animo moriantur; qui alterius mortem aequo animo ferant, eos putant vituperandos: quasi fieri ullo modo possit, quod in amatorio sermone dici solet, ut quisquam plus alterum diligat quam se. 73. Praeclarum illud est et, si quaeris, rectum quoque et

---

3. *tamen* corr. in *tam* R — 5. *Quaerebat* G R — 7. *multi sibi* C (sed in B ead. m. *multi* in *multa* corr.) — *atque etiam* del. Bake l. l. p. 69. — 10. *iungendum* C — 11. *Q.*] *quae* (deleta *a*) G — *efferrens* G R — *L.*] *lucius* C — *paulus* G[1] B: *paullus* G[2] R O — 12. *amisis* R[1] — *M.*] *marcus* C — 13. *consolationē* G — 22. *is*] *idem* (i. e. mortuum esse suum Aiacem) Bake l. l. p. 95. — *audisset* O — *de sui* O auctore Davisio. — 25. *dic* m. sec. superscr. *tis* G — 27. *clade ut subita* C — 28. *et*] *ex* G[1] — 30. *hi* C — 31. *ab aliis* C — 35. *diis* C — 39. *fuerant* G[1] — 41. *se*] *se ipsum* G (sed *ipsum* atramento recentiore punctis notatum).

verum, ut eos, qui nobis carissimi esse debeant, aeque ac nosmet ipsos amemus; ut vero plus, fieri nullo pacto potest. Ne optandum quidem est in amicitia, ut me ille plus quam se, ego illum plus quam me; perturbatio vitae, si ita sit, atque officiorum omnium consequatur.

XXX. Sed de hoc alias: nunc illud satis est, non attribuere ad amissionem amicorum miseriam nostram, ne illos plus quam ipsi velint, si sentiant, plus certe quam nosmet ipsos diligamus. Nam quod aiunt plerosque consolationibus nihil levari adiunguntque consolatores ipsos confiteri se miseros, cum ad eos impetum suum *fortuna* converterit, utrumque dissolvitur; sunt enim ista non naturae vitia, sed culpae. Stultitiam autem accusare quamvis copiose licet. Nam et qui non levantur ipsi *se* ad miseriam invitant et qui suos casus aliter ferunt, atque ut auctores aliis ipsi fuerunt, non sunt vitiosiores quam fere plerique, qui avari avaros, gloriae cupidos gloriosi reprehendunt; est enim proprium stultitiae aliorum vitia cernere, oblivisci suorum. 74. Sed nimirum hoc maxumum est experimentum, cum constet aegritudinem vetustate tolli, hanc vim non esse in die positam, sed in cogitatione diuturna. Nam si et eadem res est et idem est homo, qui potest quicquam de dolore mutari, si neque de eo, propter quod dolet, quicquam est mutatum neque de eo, qui dolet? Cogitatio igitur diuturna nihil esse in re mali dolori medetur, non ipsa diuturnitas.

XXXI. Hic mihi adferunt mediocritates, quae si naturales sunt, quid opus est consolatione? natura enim ipsa terminabit modum: sin opinabiles, opinio tota tollatur. Satis dictum esse arbitror aegritudinem esse opinionem mali praesentis, in qua opinione illud insit, ut aegritudinem suscipere oporteat. 75. Additur ad hanc definitionem a Zenone recte, ut illa opinio praesentis mali sit recens. Hoc autem verbum sic interpretantur, ut non tantum illud recens esse velint, quod paulo ante acciderit, sed, quam diu in illo opinato malo vis quaedam insit, ut vigeat et habeat quandam viriditatem, tam diu appelletur recens. Ut Artemisia illa, Mausoli Cariae regis uxor, quae nobile illud Halicarnasi fecit sepulchrum, quam diu vixit, vixit in luctu, eodemque etiam confecta contabuit. Huic erat illa opinio cotidie recens, quae tum denique non appellatur recens, cum vetustate exaruit.

Haec igitur officia sunt consolantium, tollere aegritudinem funditus aut sedare aut detrahere quam plurumum aut supprimere nec pati manare longius aut ad alia traducere. 76. Sunt qui unum officium consolantis putent, malum illud omnino non esse, ut Cleanthi placet; sunt

---

2. *at uero* C — 5. *atribuere* G¹ R¹ B — 9. *fortuna* om. C — 10. *stultitia* C — 12. *ipsi se ad* Davisius: *ipsi ad* C; *ipsi ad se* O. «Cf. § 82: *invitatione* (scil. *sui*) *ad dolendum*; § 64.» W. — *ut*] *ad* G¹ — 13. *sunt*] *solum* G¹ — 16. *maxumum* superscr. «vel *me*» B — *exprimendum* C — *aegritudine* G R — *tollit* G R — 17. *diurna* G R et (corr. ead. m. in *diuturna*) B — *si et eadem* C: *si eadem* alii. «Cf., quae sequitur, epexegesin: *si neque de eo, propter quod dolet, quicquam est mutatum, neque de eo, qui dolet* » W. — 20. *quod* corr. ead. m. in *qui* G — *diurna* G R — 22. *ad hae mihi afferentur mediocritates: quae -- consolatione* Nonius p 29. — *mediocritas* G R — 29. *ut*] *et* C — 31. *alicarnasi* C; *Halicarnassi* O — 34. *appellabatur* C. Vide ad I § 35. — 38. *putent*] *putent docere* Lambinus. «Verissimum est et necessarium Lambini supplementum *docere* (cf. § 77. 54. 56); ne quis autem conferendo IV, 83 *(una sanatio est, omnes opinabiles esse)* Archetypi lectionem defendere velit, moneo certe *unam consolationem* scribendum fuisse, non *unum officium*

qui non magnum malum, ut Peripatetici; sunt qui abducant a malis ad bona, ut Epicurus; sunt qui satis putent ostendere nihil inopinati accidisse, *ut Cyrenaici.* Chrysippus autem caput esse censet in consolando detrahere illam opinionem maerenti, si se officio fungi putet iusto atque debito. Sunt etiam qui haec omnia genera consolandi colligant — alius enim alio modo movetur —, ut fere nos in Consolatione omnia in consolationem unam coniecimus; erat enim in tumore animus et omnis in eo temptabatur curatio. Sed sumendum tempus est non minus in animorum morbis quam in corporum, ut Prometheus ille Aeschyli, cui cum dictum esset:

Atqui, Prometheu, te hoc tenere existimo,
Mederi posse rationem iracundiae,

respondit:

Si quidem qui tempestivam medicinam admovens
Non adgravescens volnus inlidat manu.

XXXII. 77. Erit igitur in consolationibus prima medicina docere aut nullum malum esse aut admodum parvum; altera et de communi conditione vitae et proprie, si quid sit de ipsius, qui maereat, disputandum; tertia summam esse stultitiam frustra confici maerore, cum intellegas nihil posse profici. Nam Cleanthes quidem sapientem consolatur, qui consolatione non eget. Nihil enim esse malum quod turpe non sit, si lugenti persuaseris, non tu illi luctum, sed stultitiam detraxeris; alienum autem tempus docendi. Et tamen non satis mihi videtur vidisse hoc Cleanthes, suscipi aliquando aegritudinem posse ex eo ipso, quod esse summum malum [Cleanthes] ipse fatebatur. Quid enim dicemus, cum So-

---

consolantis.» W. Nihil excidisse et esse hanc praegnantem loquendi formam pro *ita consolari, ut doceant malum* cet. iudicat Bake l. l. p. 95, coll. § 79 init. IV, 62 extr. 83. V, 83. — 1. *abducunt -- putant* C. Vide ad § 63. — 2. *inopinanti* C — 3. *ut Cyrenaici* Bouhier et Davisius: *nihil mali* C; † *nihil mali* O. «Cf. §§ 28. 31. 52. Haud scio an cum *mali* vocabulo *inopinati* superscriptum esset (cf. § 28), propter *nihil mali* prave repetitum exciderit illud *ut Cyrenaici.*» W. — 4. *macrentis se* G; *merentis. se* R; *maerenti se* B — 5. *colligunt* C — 6. «Tregderus cum deterioribus aliquot codd. omisit verba *in Consolatione*, quae (= IV, 63 *in Consolationis libro*; cf. III, 70 *quos in Consolatione collegimus.* I, 65) plane necessaria sunt. Primum enim sine iis (= *tum, cum Consolationem scripsimus)* deesset significatio temporis, ad quod referretur, quod sequitur: *erat enim in tumore animus.* Deinde, cum Cicero dixisset *esse etiam, qui omnia genera consolandi colligerent*, si illa *alius enim alio modo movetur* non interiecta essent, satis fuerat haec addi: *ut fere nos in Consolatione* (fecimus); nunc non solum, *ubi* ipse quoque idem fecisset, dici necesse fuit, sed etiam, *quid* ibi fecisset: *ut fere nos in Consolatione* (fecimus, qui vel cum) *omnia* (= omnia consolandi genera) *in consolationem unam coniecimus* (= *omnia genera consolandi collegimus)* » W. — 12. *rationem* B: *ratione ratione* G R (alterum m. sec. in G punctatum); *orationem* Henr. Stephanus. — 13. *respondet* O — 15. *adgravescens -- manu* Camerarius: *adgrauescens -- manus* C; *ad gravescens -- manus* O. «Cf. ipsum Aeschylum Prom. 380: *καὶ μὴ σφριγῶντα θυμὸν ἰσχναίνῃ βίᾳ.* Harusp. Resp. § 55: *serpens -- compressa atque illisa.* Lucret. IV, 621: *plenam spongiam -- manu premere ac siccare.* Cels. Praef. *manu mederi*; neque vero Cicero *ad gravescens volnus*, sed certe *in gravescens volnus* dixisset.» W. — 18. *condicione* R — *proprie* R: *propriae* (deleta littera *a*) G; *propriae* superscr. «vel *a*» (*propria*) B — 20. *nil* G — *cleantes* G R — 21. *enim* om. G¹ — 25. *Cleanthes* del. Bake l. l. p. 96; nos seclusimus. — *fateatur* CO. «Videtur aut ex nonnullis codd. legendum *fatebatur* aut ex aliis *fatetur*; coniunctivo enim certe *fateretur* dicendum fuit omisso nomine *Cleanthis*, quod additum vel ipsum argumento est, *eo ipso, quod -- ipse fat.* non minus quam paulo post *illa re, quae -- adficiebat* genus rei per se ipsum indicare, non a *mihi videtur vidisse -- suscipi -- posse* pendere.» W. Cf. II § 43.

crates Alcibiadi persuasisset, ut accepimus, eum nihil hominis esse nec quicquam inter Alcibiadem summo loco natum et quemvis baiulum interesse, cum se Alcibiades adflictaret lacrimansque Socrati supplex esset, ut sibi virtutem traderet turpitudinemque depelleret, quid dicemus, Cleanthe? num in illa re, quae aegritudine Alcibiadem adficiebat, mali nihil fuisse? 78. Quid? illa Lyconis qualia sunt? qui aegritudinem extenuans parvis ait eam rebus moveri, fortunae et corporis incommodis, non animi malis. Quid ergo? illud, quod Alcibiades dolebat, non ex animi malis vitiisque constabat? Ad Epicuri consolationem satis est ante dictum.

XXXIII. 79. Ne illa quidem firmissima consolatio est, quamquam et usitata est et saepe prodest: «Non tibi hoc soli.» Prodest haec quidem, ut dixi, sed nec semper nec omnibus; sunt enim qui respuant, sed refert quo modo adhibeatur. Ut enim tulerit quisque eorum, qui sapienter tulerunt, non quo quisque incommodo adfectus sit, praedicandum est. Chrysippi ad veritatem firmissima est, ad tempus aegritudinis difficilis. Magnum opus est probare maerenti illum suo iudicio et, quod se ita putet oportere facere, maerere. Nimirum igitur, ut in causis non semper utimur eodem statu — sic enim appellamus controversiarum genera —, sed ad tempus, ad controversiae naturam, ad personam accommodamus, sic in aegritudine lenienda quam quisque curationem recipere possit videndum est. 80. Sed nescio quo pacto ab eo, quod erat a te propositum, aberravit oratio. Tu enim de sapiente quaesieras, cui aut malum videri nullum potest, quod vacet turpitudine, aut ita parvum malum, ut id obruatur sapientia vixque appareat, qui nihil opinione adfingat adsumatque ad aegritudinem, nec id putet esse rectum, se quam maxime excruciari luctuque confici, quo pravius nihil esse possit. Edocuit tamen ratio, ut mihi quidem videtur, cum hoc ipsum proprie non quaereretur hoc tempore, num quid esset malum nisi quod idem dici turpe posset, tamen ut videremus, quicquid esset in aegritudine mali, id non naturale esse, sed voluntario iudicio et opinionis errore contractum. 81. Tractatum est autem a nobis id genus aegritudinis, quod unum est omnium maxumum, ut eo sublato reliquorum remedia ne magno opere quaerenda arbitraremur.

XXXIV. Sunt enim certa quae de paupertate, certa quae de vita inhonorata et ingloria dici soleant; separatim certae scholae sunt de exilio, de interitu patriae, de servitute, de debilitate, de caecitate, de omni casu, in quo nomen poni solet calamitatis. Haec Graeci in singulas scholas et in singulos libros dispertiunt; opus enim quaerunt; quamquam plenae disputationes delectationis sunt. 82. Et tamen ut medici toto

---

2. *baiolum* C — 5. *num*] *tum* C — *aegritudinem* G R — *alcibiaden* B — 6. *lycanis* G — *quia aegritudinem* G R — 7. *non animi mali* C — 12. *enim* om. G[1] — 16. *onus* C — 18. *appellamus*] Vide ad IV § 12. — 20. *lenienda. nam quam* C — 24. *adfingit adsumitque -- putat -- potest* Bake l. l. p. 96. — 27. *propriae* R et *a* deleta G — 28. *nunc quod* C; *num quod* O. «Scribendum est *num quid*. Latine dicitur aut *nihil est* (*est* copula) *malum nisi* (id) *quod turpe est* (cf. II, 29. 30. V, 18. 21. 27. Acad. II, 130. Fin. IV, 54. V, 83) aut *nullum est* (v. substantivum) *malum praeter turpitudinem* (cf. V, 21. 29. Famil. II, 16, 1. Fin. II, 7. V, 73).» W. — 32. *eos* G[1] — *magnopere* C — 35. *solent* Bake l. l. p. 97. — *scolae* G R — 36. *dibilitate* R[1] — 38. *scolas* G R — 39. *planae disputationis* C — *sunt delectationis* O.

corpore curando minimae etiam parti, si condoluit, medentur, sic philosophia cum universam aegritudinem sustulit, *sustulit* etiam, si quis error alicunde extitit, si paupertas momordit, si ignominia pupugit, si quid tenebrarum obfudit exsilium aut eorum, quae modo dixi, si quid extitit; etsi singularum rerum sunt propriae consolationes, de quibus audies tu quidem, cum voles. Sed ad eundem fontem revertendum est, aegritudinem omnem procul abesse a sapiente, quod inanis sit, quod frustra suscipiatur, quod non natura exoriatur, sed iudicio, sed opinione, sed quadam invitatione ad dolendum, cum id decreverimus ita fieri oportere. 83. Hoc detracto, quod totum est voluntarium, aegritudo erit sublata illa maerens, morsus tamen et contractiunculae quaedam animi relinquentur. Hanc dicant sane naturalem, dum aegritudinis nomen absit grave, taetrum, funestum, quod cum sapientia esse atque, ut ita dicam, habitare nullo modo possit. At quae stirpes sunt aegritudinis, quam multae, quam amarae! quae ipso trunco everso omnes elidendae sunt et, si necesse erit, singulis disputationibus. Superest enim nobis hoc, cuicuimodi est, otium. Sed ratio una omnium est aegritudinum, plura nomina; nam et invidere aegritudinis est et aemulari et obtrectare et misereri et angi, lugere, maerere, aerumna adfici, lamentari, sollicitari, dolere, in molestia esse, adflictari, desperare. 84. Haec omnia definiunt Stoici, eaque verba, quae dixi, singularum rerum sunt, non, ut videntur, easdem res significant, sed aliquid differunt, quod alio loco fortasse tractabimus. Haec sunt illae fibrae stirpium, quas initio dixi, persequendae et omnes elidendae, ne umquam ulla possit existere. Magnum opus et difficile, quis negat? quid autem praeclarum non idem arduum? sed tamen id se effecturam philosophia profitetur, nos modo curationem eius recipiamus. Verum haec quidem hactenus: cetera quotienscumque voletis et hoc loco et aliis parata vobis erunt.

---

1. *minime* G R — 2. *sustulit, sustulit etiam, si* Keilius (Quaestt. Tull. Spec. p. XVIII sq.): *sustulit, tamen, si* C O — *alicunde* Ernestius: *aliunde* C O. «Ubi Cicero dicit: ut medici in *toto* corpore curando minimae etiam *parti*, si condoluerit, medeantur, sic philosophiam *universa* aegritudine sublata tamen *singularum* aegritudinum (ut paupertatis, ignominiae, exilii, aliarum rerum proprias consolationes afferre, omnes vulgo sic edunt: *si quis error* (i. e. opinio mali praesentis, in quo angi oportere videatur) *aliunde extitit* cet. Quid est *aliunde*? an intelligitur: *atque universa aegritudo*? At haec quidem cogitari tantum potest: ex *certa quadam* re non existit. Scribendum est: *si quis error alicunde* (ex aliqua una re = ex *singulis rebus*) *extitit,* quod superiori *minimae etiam parti, si condoluit* rite respondet. De codicum confusione cf. I, 53.» W. — 3. *pupigit* G¹R¹ — 4. *quaeque modo* C — 5. *etsi* (i. e. *quamquam*) Keilius: *et si* C; [*et si*] Lambino auctore O — 9. *hoc detracto -- relinquentur* Nonius p. 92. — 10. *illa*] *ita* G¹ — 11. *contractiuncula relinquetur* Bentley, O — *quadam* G R¹ — 14. *potest* Bake l. l. p. 97. — *At quae* Bentley: *atque* C — 15. *eligendae* C; *eiiciendae* Klotzius; item v. 23 (nisi quod ibi *eligendae* in R m. recentiore correctum est in *elidendae*). Cf. II § 27. — 18. *et* ante *angi* om. O — 19. *sollicitari* om. G¹ — 20. *stotici* G — 22. *Haec* C: *Hae* O. Cf. I § 22. IV § 36. V § 84. Fleckeisen in Mus. Rhen. N. S. VII, 273 sqq. — 24. *ulla umquam* O — 27. *haec quidem* W (coll. III, 4. 42. IV, 3. I, 99. 119. V, 11. 39. Acad. I, 21. Offic. I, 19. III, 17. Inv. II, 115): *quidem haec* C O.

M. TULLII CICERONIS

TUSCULANARUM DISPUTATIONUM

AD M. BRUTUM

LIBER QUARTUS.

I. 1. Cum multis locis nostrorum hominum ingenia virtutesque, Brute, soleo mirari, tum maxime in iis studiis, quae sero admodum expetita in hanc civitatem e Graecia transtulerunt. Nam cum a primo urbis ortu regiis institutis, partim etiam legibus, auspicia, caerimoniae, comitia, provocationes, patrum consilium, equitum peditumque discriptio, tota res militaris divinitus esset constituta, tum progressio admirabilis incredibilisque cursus ad omnem excellentiam factus est dominatu regio re publica liberata. Nec vero hic locus est, ut de moribus institutisque maiorum et disciplina ac temperatione civitatis loquamur: aliis haec locis satis accurate a nobis dicta sunt maximeque in iis sex libris, quos de re publica scripsimus. 2. Hoc autem loco consideranti mihi studia doctrinae multa sane occurrunt cur ea quoque arcessita aliunde neque solum expetita, sed etiam conservata et culta videantur. Erat enim illis paene in conspectu praestanti sapientia et nobilitate Pythagoras, qui fuit in Italia temporibus isdem, quibus L. Brutus patriam liberavit, praeclarus auctor nobilitatis tuae. Pythagorae autem doctrina cum longe lateque flueret, permanavisse mihi videtur in hanc civitatem, idque cum coniectura probabile est, tum quibusdam etiam vestigiis indicatur. Quis enim est qui putet, cum floreret in Italia Graecia potentissumis et maximis urbibus, ea quae magna dicta est, in iisque primum ipsius Pythagorae, deinde postea Pythagoreorum tantum nomen esset, nostrorum hominum ad eorum doctissimas voces aures clausas fuisse? 3. Quin etiam arbitror propter Pythagoreorum admirationem Numam quoque regem Pythagoreum a posterioribus existimatum. Nam cum Pythagorae disciplinam et instituta cognoscerent regisque eius aequitatem et sapientiam a maioribus suis accepissent, aetates autem et tempora ignorarent

---

M. TULLII CICERONIS TUSCULANARUM LIBER QUARTUS INCIPIT G B; in R quinque versus vacui relicti sunt ad titulum et initium libri exprimendum, cuius desunt tria verba prima *cum multis locis*. — 2. *in his* C O — 4. *regiis* corr. ex *graegiis* R — 5. *discriptio* G B: *descriptio* O. Cf. Fr. Buecheler Mus. Rhen. N. S. XIII p. 600 sqq. — 6. *esse* corr. in *esset* R — *tunc* B — 8. *res p.* C — 10. *in his* C — 12. *sanae* G R[1] — 14. *paene* corr. in *pene* R — *sapientiae nobilitate* Madvigius. — 19. *graeciae* C — 20. *hisque* C O — 21. *pytagoraeorum* G — 25. *et constituta* C — 26. *aetas* R[1].

propter vetustatem, eum, qui sapientia excelleret, Pythagorae auditorem crediderunt fuisse.

II. Et de coniectura quidem hactenus. Vestigia autem Pythagoreorum quamquam multa colligi possunt, paucis tamen utemur, quoniam non id agitur hoc tempore. Nam cum carminibus soliti illi esse dicantur et praecepta quaedam occultius tradere et mentes suas a cogitationum intentione cantu fidibusque ad tranquillitatem traducere, gravissumus auctor in Originibus dixit Cato morem apud maiores hunc epularum fuisse, ut deinceps qui accubarent canerent ad tibiam clarorum virorum laudes atque virtutes: ex quo perspicuum est et cantus tum fuisse descriptos vocum sonis et carmina. 4. Quamquam id quidem etiam duodecim tabulae declarant, condi iam tum solitum esse carmen, quod ne liceret fieri ad alterius iniuriam, lege sanxerunt. Nec vero illud non eruditorum temporum argumentum est, quod et deorum pulvinaribus et epulis magistratuum fides praecinunt, quod proprium eius fuit, de qua loquor, disciplinae. Mihi quidem etiam Appii Caeci carmen, quod valde Panaetius laudat epistola quadam, quae est ad Q. Tuberonem, Pythagoreum videtur. Multa etiam sunt in nostris institutis ducta ab illis, quae praetereo, ne ea, quae repperisse ipsi putamur, aliunde didicisse videamur. 5. Sed ut ad propositum redeat oratio, quam brevi tempore quot et quanti poëtae, qui autem oratores extiterunt! facile ut appareat nostros omnia consequi potuisse, simul ut velle coepissent.

III. Sed de ceteris studiis alio loco et dicemus, si usus fuerit, et saepe diximus. Sapientiae studium vetus id quidem in nostris, sed tamen ante Laelii aetatem et Scipionis non reperio quos appellare possim nominatim: quibus adulescentibus Stoicum Diogenen et Academicum Carneadem video ad senatum ab Atheniensibus missos esse legatos, qui cum rei publicae nullam umquam partem attigissent essetque eorum alter Cyrenaeus, alter Babylonius, numquam profecto scholis essent excitati neque ad illud munus electi, nisi in quibusdam principibus temporibus illis fuissent studia doctrinae. Qui cum cetera litteris mandarent, alii ius civile, alii orationes suas, alii monumenta maiorum, hanc amplissimam omnium artium, bene vivendi disciplinam, vita magis quam litteris per-

---

2. *fuisse crediderunt* O — 10. *descriptos* I. F. Gronovius (ad Liv. VII, 1: *descripto iam ad tibicinem cantu*): *rescriptos* C O; *perscriptos* Wolfius. «Scriptura *rescriptos* vindicanda interpretes frustra se torserunt, cum inauditas quasdam verbo *rescribendi* significationes adsignarent. Mihi de codicis archetypi mendi dubium non est: illud dubitari potest, utrum scribendum sit *perscriptos* an *descriptos*, quam equidem correctionem illi praetulerim, non solum quod aliquanto facilior est, sed etiam quod Wolfiana in *sonis* (i. e. sonorum notis; cf. I § 62. de Rep. III, 3) duriorem quandam habet brevitatem. De *descriptos* (i. e. signatos, expressos, notatos) *vocum sonis* (= ex vocum sonis) cf. de Legg. III § 44: *Descriptus populus censu, ordinibus, aetatibus.* de Orat. II, 145. Verrin. V, 27 [quibus tamen locis verbum *discribere* aptius videtur; vide ad § 1]. Madvig § 254 n. 5. Ceterum Kühneri et Klotzii causa hoc moneo, quod vel ex iis, quae sequuntur, facile intelligitur, *descriptos vocum sonis* cum *cantus* (melodias) tantum esse iungendum, non etiam cum *carmina* (poëmata).» W. — 17. *est atque tuberonem* C — *pythagoreorum* C — 18. *multae* G et (*e* punctata) R — 19. *repperisse* Davisius: *perperisse* C; *peperisse* O — *aliunde d. videamur* h. l. om. C; cf. v. 21. — 20. *ad positum* G[1] — 21. *nostros aliunde didicisse uideamur omnia* C; cf. v. 19. — 22. *consequi* del. Bake l. l. p. 97 sq. — 26. *Diogenem* O — *achademicum* G R — 29. *scolis* G R — 32. *monomenta* G et (superscr. rc. m. u) R; *monimenta* B.

secuti sunt. 6. Itaque illius verae elegantisque philosophiae, quae ducta a Socrate in Peripateticis adhuc permansit et idem alio modo dicentibus Stoicis, cum Academici eorum controversias disceptarent, nulla fere sunt aut pauca admodum Latina monumenta sive propter magnitudinem rerum occupationemque hominum, sive etiam quod imperitis ea probari posse non arbitrabantur: cum interim illis silentibus C. Amafinius extitit dicens, cuius libris editis commota multitudo contulit se ad eam potissimum disciplinam, sive quod erat cognitu perfacilis, sive quod invitabantur inlecebris blandis voluptatis, sive etiam, quia nihil erat prolatum melius, illud, quod erat, tenebant. 7. Post Amafinium autem multi eiusdem aemuli rationis multa cum scripsissent, Italiam totam occupaverunt, quodque maxumum argumentum est non dici illa subtiliter, quod et tam facile ediscantur et ab indoctis probentur, id illi firmamentum esse disciplinae putant.

IV. Sed defendat quod quisque sentit; sunt enim iudicia libera: nos institutum tenebimus nullisque unius disciplinae legibus adstricti,

---

3. *disceptare* corr. in *disceptarent* R — 4. *aut*] *ac* C — 5. *hominum*] *omnium* C — 6. *amifinius* h. l. G R; *Amafanius* O. Vide ad p. 57, 29. — «Vox *dicens* fortassis aliena est et foris profecta.» marg. Lamb. — 7. *eam* G B: *eadem* R; *eandem* O. Cf. V § 61. 8. *invitabantur* Wolfius: *inuitabatur* C; *invitabat* P. Victorius (v. *Gel. Anz. d. bayer. Akademie 1846*. p. 924). Cf. de Finib. I § 25. — 9. *blandae* O. «Sic (i. e. inlecebris, quas voluptas blanditiis suis adhibet) Ciceroni, si accuratius subtiliusque scribere vellet, scribendum fuit; nam voluptas sensibus blanditur eoque homines ad se illicit; cf. de Finn. I, 33: *blanditiis voluptatum deleniti atque corrupti (= illecti)*; de Offic. II, 37: *voluptates, blandissimae dominae*. Sed *blandae* paucorum codicum interpolatorum auctoritatem parvam aut nullam habet: in archetypo fuisse *blandis* declarat consensus optimorum codicum. Quae scriptura etsi pleonasmum quendam habet (cf. ad Famil. XV, 16, 3 *delenitus inlecebris voluptatis)* potiusque contra fuit, ut Plautino vocabulo utar, *inlecebrosis blanditiis* dicendum, tamen, quoniam ne Ciceronis quidem loci desunt, ubi adiectivum aliquod a substantivo regente ad id, quod regitur, aut contra negligentius translatum sit, codicum auctoritati est parendum, cum praesertim Plautus (Asin. I, 3, 54) similiter dixerit: *inliciebas me ad te blande ac benedice*. De Nat. D. II, 69 *spe dubiae salutis* — cf. Att. VIII, 13, 1 *spes dubia pacis* —. Nat. D. II, 98 *fontium gelidas perennitates - - speluncarum concavas altitudines*; cf. interpretes ad Nep. Dion. 1 *utraque tyrannide Dionysiorum - - generosam maiorum famam - - crudelissimum nomen tyranni*. Liv. I, 1, ubi codd. *maiora rerum initia*. I, 9 *violati hospitii foedus*. XLIV, 10 *desperatione alia (alius?) salutis*. Tac. Ann. XII, 60 *cetera equitum R. praevalida nomina* (= III, 62. IV, 71). XV, 1. Hist. II, 5 *vicinis provinciarum administrationibus*. III, 20 *ignotae situm urbis* (cf. Liv. V, 39). Walch. ad Agric. 4. Vell. Pat. II, 91 *omni scelerum conscientia.*» W. — *prolatum erat* O — 10. *erant* (littera *n* deleta) R — *Amafanium* O — 12. *et tam* Davisius: *etiam* C; *et* O. «Rectissima Davisii emendatio est *et tam facile* (sc. quam videmus i. e. *perfacile*); cf. § 6: *quod erat cognitu perfacilis*. De particularum *iam* et *tam* et *tamen* confusione cf. Epp. ad Att. V, 2, 2 *cum Hortensius veniret et infirmus et tam* (Med. *etiam*) *longe et Hortensius*. 20, 6. II, 3, 3 (Med. *et tam cum Caesare*). ad Famil. XII, 16, 1 (Med. *et tam minimis*). Philipp. II, 76. Att. XVI, 13, 1. I. 16, 3 (ubi Madvig pro *a me tamen* recte vult *a me iam*). IV, 16, 12 *Quid aliud novi? Et tamen* (ubi ex Acidalii coniectura scribendum est *Etiam*; cf. II, 6, 2 *Aliud quid? Etiam*. IV, 7, 3. VII, 13, 12). I, 2, 1 (Med. *te etiam* pro *te tam*). ad Q. fr. II, 11, ubi pro *Lucretii poëmata - - sunt: non multis luminibus, multae tamen artis* scribendum est: — *sunt: multis* (sic Med. i. e. cod. archetypus; neque mihi quidem in Lucretio aequales videntur potuisse non multa lumina ingenii agnoscere) *luminibus, multae etiam artis* (cf. Famil. III, 7, 5 *homo summa prudentia, multa etiam doctrina*. V, 20, 4. II, 7, 4, ubi legendum est: *sed tum (tunc) quasi a senatore nobilissimo, adulescente* — Med. prava repetitione *nobilissimo, tum adulescente — etiam gratiosissimo)*.» W. — 15. *quod* B: *quo* G R — 16. *nulliusque* O.

quibus in philosophia necessario pareamus, quid sit in quaque re maxime probabile semper requiremus. Quod cum saepe alias, tum nuper in Tusculano studiose egimus. Itaque expositis tridui disputationibus quartus dies hoc libro concluditur; ut enim in inferiorem ambulationem descendimus, quod feceramus idem superioribus diebus, acta res est sic.

8. *M.* Dicat, si quis volt, qua de re disputari velit. *A.* Non mihi videtur omni animi perturbatione posse sapiens vacare. *M.* Aegritudine quidem hesterna disputatione videbatur, nisi forte temporis causa nobis adsentiebare. *A.* Minime vero; nam mihi egregie probata est oratio tua. *M.* Non igitur existimas cadere in sapientem aegritudinem? *A.* Prorsus non arbitror. *M.* Atqui, si ista perturbare animum sapientis non potest, nulla poterit. Quid enim? metusne conturbet? at earum rerum est absentium metus, quarum praesentium est aegritudo. Sublata igitur aegritudine sublatus est metus. Restant duae perturbationes, laetitia gestiens et libido: quae si non cadent in sapientem, semper mens erit tranquilla sapientis. 9. *A.* Sic prorsus intellego. *M.* Utrum igitur mavis? statimne nos vela facere an quasi e portu egredientis paululum remigare? *A.* Quidnam est istuc? non enim intellego. V. *M.* Quia Chrysippus et Stoici, cum de animi perturbationibus disputant, magnam partem in his partiendis et definiendis occupati sunt, illa eorum perexigua oratio est, qua medeantur animis nec eos turbulentos esse patiantur; Peripatetici autem ad placandos animos multa adferunt, spinas partiendi et definiendi praetermittunt — quaerebam igitur utrum panderem vela orationis statim an eam ante paululum dialecticorum remis propellerem. *A.* Isto modo vero; erit enim hoc totum, quod quaero, ex utroque perfectius. 10. *M.* Est id quidem rectius, sed post requires, si quid fuerit obscurius. *A.* Faciam equidem: tu tamen, ut soles, dices ista ipsa obscura planius quam dicuntur a Graecis. *M.* Enitar equidem, sed intento opus est animo, ne omnia dilabantur, si unum aliquid effugerit. Quoniam, quae Graeci πάθη vocant, nobis perturbationes appellari magis placet quam morbos, in his explicandis veterem illam equidem Pythagorae primum, dein Platonis discriptionem sequar, qui animum in duas partes dividunt, alteram rationis participem [faciunt], alteram expertem: in participe rationis ponunt tranquillitatem, id est placidam quietamque constantiam, in illa altera motus turbidos cum irae tum cupiditatis, contrarios inimicosque rationi. 11. Sit igitur hic fons; utamur tamen in his perturbationibus describendis Stoicorum definitionibus et partitionibus, qui mihi videntur in hac quaestione versari acutissime.

VI. Est igitur Zenonis haec definitio, ut perturbatio sit, quod πάθος ille dicit, aversa a recta ratione contra naturam animi commotio. Qui-

---

2. *exquiremus* Bake l. l. p. 98. — 7. *omnia* G et (deleta litt. *a*) R — 8. *noui absentiabare* (priore *b* expuncta) G, *noui asentiabare* R¹ B, *noui assentiabare* R² — 9. *aegregie* G, *aegregiae* R — 12. *at*] *et* C — 14. *aegritudine et sublatus* R — 17 *vela* om. G¹ — 20. *in iis* O — 24. *uel orationis* G R¹; *uela rationis* R² — 26 *rectius et post* Bake l. l. p. 98. — 28. *planus* G¹ — 29. *aliquod* O — 30. *pathe* C — 32. *deinde* O — *descriptionem* O. Vide ad § 1. — 33. *faciunt* del. Bake l. l. p. 98; nos seclusimus. — 34. *ponant* G R — 35. *cum* W: *tum* C O. «Scr. *cum irae,* cum in hunc locum temporalis particulae *tum* notio non conveniat. Cf. de eadem re I § 20. Acad. I § 39.» — 38. *participationibus* (deletis litteris *cipa*) R.

dam brevius, perturbationem esse adpetitum vehementiorem, sed vehementiorem eum volunt esse, qui longius discesserit a naturae constantia. Partes autem perturbationum volunt ex duobus opinatis bonis nasci et ex duobus opinatis malis, ita esse quattuor: ex bonis libidinem et laetitiam, ut sit laetitia praesentium bonorum, libido futurorum, ex malis metum et aegritudinem nasci censent, metum futuris, aegritudinem praesentibus; quae enim venientia metuuntur, eadem adficiunt aegritudine instantia. **12.** Laetitia autem et libido in bonorum opinione versantur, cum libido ad id, quod videtur bonum, inlecta et inflammata rapiatur, laetitia ut adepta iam aliquid concupitum ecferatur et gestiat. Natura enim omnes ea, quae bona videntur, secuntur fugiuntque contraria. Quam ob rem simul obiecta species est cuiuspiam, quod bonum videatur, ad id adipiscendum impellit ipsa natura. Id cum constanter prudenterque fit, eius modi adpetitionem Stoici *βούλησιν* appellant, nos appellemus voluntatem. Eam illi putant in solo esse sapiente, quam sic definiunt: voluntas est, quae quid cum ratione desiderat. Quae autem a ratione aversa incitata est vehementius, ea libido est vel cupiditas effrenata, quae in omnibus stultis invenitur. **13.** Itemque cum ita movemur, ut in bono simus aliquo, dupliciter id contingit. Nam cum ratione animus movetur placide atque constanter, tum illud gaudium dicitur; cum autem inaniter et effuse animus exultat, tum illa laetitia gestiens vel nimia dici potest, quam ita definiunt, sine ratione animi elationem. Quoniamque, ut bona natura adpetimus, sic a malis natura declinamus, quae declinatio cum ratione fiet, cautio appelletur eaque intellegatur in solo esse sapiente; quae autem sine ratione et cum exanimatione humili atque fracta, nominetur metus: est igitur metus a ratione aversa cautio. **14.** Praesentis autem mali sapientis adfectio nulla est; stultorum aegritudo est ea, qua adficiuntur in malis opinatis animosque demittunt et contrahunt rationi non obtemperantes. Itaque haec prima defi-

---

7. *aegritudinē* R — 9. *iniecta* C; *incitata* Ruhnkenius (Mnemos. II p. 415). — 10. *naturae* C — 12. *cuiuspiam est* O — 14 *appellemus* W: *appellamus* C (*apellamus* G) O, «quod falsam illam habet sententiam, id «constantiae» *(εὐπαθείας)* genus, quod Stoica quadam terminologia *βούλησις* appellaretur, a *Latinis* vulgo appellari *voluntatem* esse solitam; cf. II, 30. III, 11. Cicero hoc dixit, licere Latino vocabulo, quod vulgari dicendi consuetudine latius pateret, sic quoque uti, utque sic uterentur hortatus est, quam in sententiam scribendum est *appellemus*; cf. III, 7. Fin. III, 20 (ubi vulgo omnes ex Th. Bentleii coniectura *appellemus,* Archetypus *appellamus*) cum Madvigii adnotatione, 21. 24. 33. 45. 52. IV, 74. Acad. II, 17. N. D. I, 109. al. Indicativo modo certe dicendum fuit *ego appello* (cf. Fin. III, 20. 45. 55. 69. Acad. II, 54) aut *nos appellemus licet* (ut Fin. III, 17. Acad. I, 40), aut *nos appellare possumus*, ut Acad. I, 30 (cf. T. D. III, 7. IV, 13 *dici potest*). Similiter T. D. IV, 13 *appelletur, nominetur*, § 28 *dicatur* (ex Bentleii coniectura), *nominetur, habeat.* Quod IV, 13 est *gaudium dicitur*, id breviter dictum est pro *(a Stoicis) χαρά*, *id est gaudium, dicitur.* III, 79 ut de usitato iam rhetorico verbo *status* rectum est *appellamus*, etsi Top. § 93 est *appelletur.*» W. Cf. C. F. Hermanni Disput. de Ciceronis interpretatione Timaei Platonici p. 7 n. 25. — 16. *autem a ratione aversa* Orellius in adnotatione (coll. §§ 11. 13. 22. 34. 47. 61): *autem ratione adversa* C O. «Cicero, opinor, non *adversa* scripsisset, sed *adversante,* ut § 14, aut *invita,* ut § 78, aut *repugnante*, ut § 79.» W. — 23. *quoniam quae* C — 24. *cum* Bentley: *si cum* C O — 26. *a* om. C — 27. *stultorum aegritudo est ea, qua* Davisius: *stulta autem aegritudo est ea qua* C; *stulti autem aegritudo est ea, qua* O; *stultis autem aegritudo est ea, qua* Bentley; *stulti aegritudo est, eaque* Bake l. l. p. 99. Cf. Halm in Annal. philol. et paedagog. vol. LXXI p. 50. — 29. *itaque -- contractio* Nonius p. 16.

nitio est, ut aegritudo sit animi adversante ratione contractio. Sic quattuor perturbationes sunt, tres constantiae, quoniam aegritudini· nulla constantia opponitur.

VII. Sed omnes perturbationes iudicio censent fieri et opinione. Itaque eas definiunt pressius, ut intellegatur non modo quam vitiosae, sed etiam quam in nostra sint potestate. Est ergo aegritudo opinio recens mali praesentis, in quo demitti contrahique animo rectum esse videatur; laetitia opinio recens boni praesentis, in quo ecferri rectum esse videatur; metus opinio impendentis mali, quod intolerabile esse videatur; lubido opinio venturi boni, quod sit ex usu iam praesens esse atque adesse. 15. Sed quae iudicia quasque opiniones perturbationum esse dixi, non in eis perturbationes solum positas esse dicunt, verum illa etiam, quae efficiuntur perturbationibus, ut aegritudo quasi morsum aliquem doloris efficiat, metus recessum quendam animi et fugam, laetitia profusam hilaritatem, lubido effrenatam adpetentiam. Opinationem autem, quam in omnis definitiones superiores inclusimus, volunt esse inbecillam adsensionem. 16. Sed singulis perturbationibus partes eiusdem generis plures subiciuntur, ut aegritudini invidentia — utendum est enim docendi causa verbo minus usitato, quoniam invidia non in eo, qui invidet, solum dicitur, sed etiam in eo, cui invidetur —, aemulatio, obtrectatio, misericordia, angor, luctus, maeror, aerumna, dolor, lamentatio, sollicitudo, molestia, adflictatio, desperatio et si quae sunt de genere eodem. Sub metum autem subiecta sunt pigritia, pudor, terror, timor, pavor, exanimatio, conturbatio, formido; voluptati malevolentia [laetans malo alieno], delectatio, iactatio et similia; lubidini ira, excandescentia, odium, inimicitia, discordia, indigentia, desiderium et cetera eius modi.

VIII. 17. Haec autem definiunt hoc modo. Invidentiam esse dicunt aegritudinem susceptam propter alterius res secundas, quae nihil noceant invidenti. Nam si qui doleat eius rebus secundis, a quo ipse laedatur, non recte dicatur invidere, ut si Hectori Agamemno: qui autem, cui alterius commoda nihil noceant, tamen eum doleat his frui, is invideat profecto. Aemulatio autem dupliciter illa quidem dicitur, ut et in laude et in vitio nomen hoc sit; nam et imitatio virtutis aemulatio dicitur — sed ea nihil hoc loco utimur; est enim laudis —, et est aemulatio aegritudo, si eo, quod concupierit, alius potiatur, ipse careat. 18. Obtrectatio autem est, ea quam intellegi *ζηλοτυπίαν* volo, aegritudo ex eo, quod alter quoque potiatur eo, quod ipse concupiverit. Misericordia est

4. *oppinione* G — 6. *ergo* C: *igitur* O — *aegritudo* om. G¹ — 8. *laetitia* - - *videatur* suppleta sunt in G m. sec. in marg. inferiore. — 15. *effrenata* G — 17. *Sed in singulis* (praepositione *in* punctis notata) G — 18. *subiciuntur*] vide ad § 21. — *ut aegritudini* - - *cui invidetur* Nonius p. 443. — 22. *adflectatio* corr. in *adflictatio* R — 23. *examinatio* G — 24. *uoluptatis* C — 24. *malivolentia lactans* - - *et similia* Nonius p. 16. — «Recte Tregderus ex Bentleii coniectura verba *laetans malo alieno* uncis inclusit. Cum enim ex III, 60 satis intelligebatur, quid esset *malevolentia,* tum ab eo loco, quo quattuor perturbationum partes tantum nominantur, unius *malevolentiae* definitio aliena erat, quae § 20 demum post priorum definitionem recte consequitur.» W.» — 25. *ludisme ira* - - *inimicitiae, discordia* Nonius p. 103. — *libini* G — 29. *si qui* G B: *si quid* R — 30. *haectori* G R — 31. *comoda* G R — *frui is*] *frui se* G R¹ B¹ (in R *se* in *is* corr. m. admodum recenti, in B *se* deletum est) — *invidet* O — 34. *et* om. G — *aegritudo aemulatio* G¹; *aemulatio* glossema redolere videtur Halmio. — 36. *zelotypian* C.

aegritudo ex miseria alterius iniuria laborantis; nemo enim parricidae aut proditoris supplicio misericordia commovetur; angor aegritudo premens, luctus aegritudo ex eius, qui carus fuerit, interitu acerbo, maeror aegritudo flebilis, aerumna aegritudo laboriosa, dolor aegritudo crucians, lamentatio aegritudo cum eiulatu, sollicitudo aegritudo cum cogitatione, molestia aegritudo permanens, adflictatio aegritudo cum vexatione corporis, desperatio aegritudo sine ulla rerum expectatione meliorum. 19. Quae autem subiecta sunt sub metum, ea sic definiunt: pigritiam metum consequentis laboris, * * terrorem metum concutientem, ex quo fit ut pudorem rubor, terrorem pallor et tremor et dentium crepitus consequatur, timorem metum mali adpropinquantis, pavorem metum mentem loco moventem: ex quo illud Enni:

Tum pavor sapientiam omnem mi exanimato expectorat:

exanimationem metum subsequentem et quasi comitem pavoris, conturbationem metum excutientem cogitata, formidinem metum permanentem.

IX. 20. Voluptatis autem partes hoc modo describunt, ut malevolentia sit voluptas ex malo alterius sine emolumento suo, delectatio voluptas suavitate auditus animum deleniens, et qualis est haec aurium, tales sunt et oculorum et tactionum et odorationum et saporum, quae sunt omnes unius generis ad perfundendum animum tamquam inliquefactae voluptates. Iactatio est voluptas gestiens et se efferens insolentius. 21. Quae autem libidini subiecta sunt, ea sic definiunt, ut ira sit libido poeniendi eius, qui videatur laesisse iniuria, excandescentia autem sit ira nascens et modo existens, quae θύμωσις Graece dicitur, odium ira inveterata, inimicitia ira ulciscendi tempus observans, discordia ira acerbior intimo animo et corde concepta, indigentia libido inexplebilis, de-

---

1. *patricidae* G[1] — 2. *Angor est aegritudo* O — *praemens* G R — 9. «Excidisse in cod. archetypo praeter *pudorem metum* non, ut Klotzio (in versione German.) videtur, genitivum aliquem, quo Graecae illius definitionis *ἀδοξίας* exprimeretur, sed participium sequenti *concutientem* aequale, quod *ruboris* causam significaret (*calefacientem* simileve aliquid), facile intelligitur ex iis, quae sequuntur: *ex quo fit, ut pudorem rubor, terrorem* (sc. ideo quod *concutit) pallor et tremor et dentium crepitus consequatur.* Ne *terroris* quidem Ciceroniana definitio Graecae *(ἔκπληξις φόβος ἐκ φαντασίας ἀσυνήθους πράγματος)* ex aequo respondet.» W. — 11. *mali appropinquantis pauorem metu* supplevit in G m. secunda in marg. — *metu* G (m. sec. in marg.) R — 12. *ennius* C. «Cf. § 45. N. D. II, 60. Fat. 35. Offic. II, 89.» W. Vide etiam ad V, 56. — 13. *tum pavor sapientiam mihi omnem examinato expectorat* Nonius p. 16. Cf. Cic. de orat. III § 218. — *mihi ex anima* C — *expectaret* G R; *expectoret* B — 18. *qualis haec aurium - - et saporum* Nonius p. 227. — 19. *sunt et oculorum* Nonius: *sunt oculorum* C O — 21. *efferrens* G — 22. *definiuntur ut* C. «Cf. § 14. 15. 17. 18. 20. 21 *(distinguunt)*. 22 (§ 16 *subiciuntur* idem est quod ibidem et 18 et 21 *subiecta sunt*).» W. Vide ad III, 64. — 23. *excandescentia autem est ira nascens et sine modo existens* Nonius p. 403. — 26. *animo* Lambinus: *odio* C; ÷ *odio* O. *(acerbior odio, et intimo corde* Foertsch Quaestt. Tull. II p. 17 et Bake l. l. p. 100.)« Corrupta haec (*discordia ira acerbior intimo odio et corde concepta)* esse omnes fere critici usque a Lambino consentiunt: unus exstitit, qui defenderet, Klotzius (ad Lael. p. 141. ad T. D. p. 405). Latine *intimus sensus*, *cogitatio*, *familiaritas* dicitur, *odium* non item: dicitur (de l. agr. II, 14. de Har. Resp. § 55) *odium penitus insitum* i. e. quasi naturale. Sed illud omitto: hoc nego, potuisse Ciceronem dicere: *ira acerbior intimo odio et corde concepta*, i. e. duos diversi generis ablativos [*Odio* ablativum causae moventis (Madvig § 255) esse necesse erat, atque ita ab ipso Klotzio explicatur *(ex intimo quodam odio nata)*; cf. de l. agr. l. c. *bellum odio susceptum*. *Corde* ablativus instrumentalis (Madvig § 254) est; cf. I, 96 *praecordiis con-*

siderium libido eius, qui nondum adsit, videndi. Distinguunt illud etiam, ut libido sit earum rerum, quae dicuntur de quodam aut quibusdam, quae κατηγορήματα dialectici appellant, ut habere divitias, capere honores, indigentia rerum ipsarum sit, ut honorum, ut pecuniae. 22. Omnium autem perturbationum fontem esse dicunt intemperantiam, quae est a tota mente et a recta ratione defectio sic aversa a praescriptione rationis, ut nullo modo adpetitiones animi nec regi nec contineri queant. Quem ad modum igitur temperantia sedat adpetitiones et efficit ut eae rectae rationi pareant conservatque considerata iudicia mentis, sic huic inimica intemperantia omnem animi statum inflammat, conturbat, incitat; itaque et aegritudines et metus et reliquae perturbationes omnes gignuntur ex ea.

X. 23. Quem ad modum, cum sanguis corruptus est aut pituita redundat aut bilis, in corpore morbi aegrotationesque nascuntur, sic pravarum opinionum conturbatio et ipsarum inter se repugnantia sanitate spoliat animum morbisque perturbat. Ex perturbationibus autem primum morbi conficiuntur, quae vocant illi νοσήματα, eaque, quae sunt eis morbis contraria, quae habent ad res certas vitiosam offensionem atque fastidium, deinde aegrotationes, quae appellantur a Stoicis ἀῤῥωστήματα, hisque item oppositae contrariae offensiones. Hoc loco nimium operae consumitur a Stoicis, maxime a Chrysippo, dum morbis corporum comparatur morborum animi similitudo: qua oratione praetermissa minime necessaria ea, quae rem continent, pertractemus. 24. Intellegatur igitur perturbationem iactantibus se opinionibus inconstanter et turbide in motu esse semper; cum autem hic fervor concitatioque animi inveteraverit et tamquam in venis medullisque insederit, tum exsistit et morbus et aegrotatio et offensiones eae, quae sunt eis morbis aegrotationibusque contrariae.

---

ceptam mortem. de Nat. Deor. II, 138 *pars* (animae) *concipitur cordis parte quadam*. Verrin. IV, 101 *auribus -- cupiditatem concepisti*. Catull. 64, 92 *flammam pectore conc.* Virg. XI, 368 *pectore robur conc.* Stat. Theb. III, 340 *corde metus c*] non solum per *et* copulare, sed etiam uno atque eodem adiectivo *(intimo)* definire. Denique illud absurdum est, Ciceronem in ea *irae* parte, quae est *discordia*, definienda alterius partis *(odii)* nomen posuisse itaque dixisse: *discordiam* esse *iram acerbiorem «ira inveterata» conceptam*: hoc luce clarius, verbis *intimo -- concepta* nihil fuisse ab eo significatum nisi unde *discordiae* (irae tam acerbae, qua animi inter se distrahantur) nomen illustraretur. Verum vidit Lambinus; cf. Ovid. Metam. I, 166 *ingentes animo concipit iras* (II, 640 *concepit mente furores*) et pervulgata illa de cogitatione et de intelligentia: *animo*, *mente*, *animo ac mente* (Cic. de Legg. I, 59) *aliquid concipere*. Ciceronem explicandi causa, ut de Legg. l. c. synonymum illud *mente*, sic h. l. *corde* addidisse (cf. p. Caelio § 37 *mihi animus ardet, meum cor cumulatur ira*. Lucret. III, 295. Plaut. Capt. II, 3, 27. Pseud. V, 1, 26 *cordi atque animo suo obsequentes*. Most. I, 2, 3) mirum non est, praesertim cum notationem verbi cum definitione coniungere voluerit; cf. I, 18: *Aliis cor ipsum animus videtur, ex quo -- concordes dicuntur*. § 20: *Plato -- iram in pectore locavit*. Neque vero, *animo* quomodo sic depravari potuerit, difficile est suspicari. Propter superius illud *odium* antiquioris alicuius codicis lacuna vocis *animo* post *intimo* omissae in archetypo falso suppleta est, aut etiam compendium scripturae *(aio* cum lineola quadam) male intellectum.» W. — 1. *distingunt* G R — 4. *indigentia*] *diligentia* C — *sit* P. Manutius: *est* C O. De duplicato *sit* vide ad I § 60. — 6. *et* om. C — 8. *eae* G: *aeae* R; *hae* B — 11. *conturbationes* (superscr. eadem m. *per*) G — 17. *nosemata* C — 18. *vitiosa offensione* G R B¹ — 20. *item* corr. ex *idem* G; *idem* superscr. *t* B — *apposite* G¹ — 24. *in motu*] *immotus* G R, *inmotus* B.

XI. Haec, quae dico, cogitatione inter se differunt, re quidem copulata sunt, eaque oriuntur ex libidine et ex laetitia. Nam cum est concupita pecunia nec adhibita continuo ratio quasi quaedam Socratica medicina, quae sanaret eam cupiditatem, permanat in venas et inhaeret in visceribus illud malum exsistitque morbus et aegrotatio, quae evelli inveterata non possunt, eique morbo nomen est avaritia. **25.** Similiterque ceteri morbi, ut gloriae cupiditas, ut mulierositas, ut ita appellem eam, quae Graece *φιλογυνία* dicitur, ceterique similiter morbi aegrotationesque nascuntur. Quae autem sunt his contraria, ea nasci putantur a metu, ut odium mulierum, quale in *μισογύνῳ* Atili est, ut in hominum universum genus, quod accepimus de Timone, qui *μισάνθρωπος* appellatur, ut inhospitalitas est: quae omnes aegrotationes animi ex quodam metu nascuntur earum rerum, quas fugiunt et oderunt. **26.** Definiunt autem animi aegrotationem opinationem vehementem de re non expetenda, tamquam valde expetenda sit, inhaerentem et penitus insitam. Quod autem nascitur ex offensione ita definiunt, opinionem vehementem de re non fugienda inhaerentem et penitus insitam tamquam fugienda: haec autem opinatio est iudicatio se scire quod nesciat. Aegrotationi autem talia quaedam subiecta sunt: avaritia, ambitio, mulierositas, pervicacia, ligurritio, vinolentia, cuppedia et si qua similia. Est autem avaritia opinatio vehemens de pecunia, quasi valde expetenda sit, inhaerens et penitus insita, similisque est eiusdem generis definitio reliquarum. **27.** Offensionum autem definitiones sunt eius modi, ut inhospitalitas sit opinio vehemens valde fugiendum esse hospitem eaque inhaerens et penitus insita, similiterque definitur et mulierum odium, ut Hippolyti, et, ut Timonis, generis humani.

XII. Atque ut ad valetudinis similitudinem veniamus eaque conlatione utamur aliquando, sed parcius, quam solent Stoici, ut sunt alii ad alios morbos procliviores, itaque dicimus gravedinosos quosdam, quosdam torminosos, non quia iam sint, sed quia saepe, sic alii ad metum, alii ad aliam perturbationem. Ex quo in aliis anxietas, unde anxii, in aliis

---

2. *ea quae* G R — *ex* ante *laetitia* om. O — 4. *sanet* O — 5. *exsistit qui* G R (*que* in rasura B) — *evelli* Wopkens: *auelli* C — 6. *similiterque -- flogenea dicitur* Nonius p. 142. — *Similiter quae* G R — 8. *ea* G R B¹ — *φιλογυνια* C; *φιλογύνεια* O — *cetérique similiter* cet.] «Cicero cum scribere deberet aut *Similiterque ceteri morbi*, *ut gloriae cupiditas*, *ut -- dicitur*, *nascuntur*, aut, ut Bentley correxit: *Similiterque ceteri morbi -- dicitur*, *ceteri*, *inquam*, *similiter morbi aegrotationesque nascuntur*, ipse festinans mira negligentia sic scripsisse videtur, quasi nihil praecederet nisi: *Gloriae cupiditas*, *mulierositas*, *ut -- dicitur*.» W. — 10. *missogyno* G R, *missogino* B — *Attilii* O — 11. *misanΘΡΩΠΟCA appellantur* C: *μισάνθρωποι appellantur* Tregderus; sed in C manifesto legendum est *μισάνθρωπος* littera *a*, a qua sequens verbum incipit, perperam duplicata. — 17. *fugienda* G B: *expetenda* R — 19. *ambitio -- vinulentia*, *cuppedia* Nonius p. 85. — 23. *eiusdemmodi* (litteris *dem* expunctis) G — *inhospitalis* R — 27. *ueniam* C. Vide ad V, 56. — 29. *itaque dicimus gravidinosos*, *quosdam torminosos* Nonius p. 32 et 145. — *grauidinosos* C — *quosdam* semel ponunt C — 30. *terminosos* R B¹ — *saepe*, *sic* Manutius et cod. Gryphianus: *saepe sint* C; *saepe sint*, *sic* O cum Lambino. «Cf. III, 55: *quia recentia sunt*, *non quia repentina* (sunt). Quam facile post *sint* ex *sic* factum sit *sint*, patet. Ceterum Cicero vix dixisset *saepe sint*, sed *sunt*: coniunctivus obliquus necessarius est III, 9 (*appellarunt --*, *propterea quod -- non posset*), R. P. III, 26 (*Negant sapientem -- esse*, *quod -- delectet*, *sed quod -- sit*): hoc loco causalis sententia ad *dicentium* cogitationem parum commode refertur.» W.

iracundia dicitur, quae ab ira differt, estque aliud iracundum esse, aliud iratum, ut differt anxietas ab angore; neque enim omnes anxii, qui anguntur aliquando, nec, qui anxii, semper anguntur, ut inter ebrietatem et ebriositatem interest, aliudque est amatorem esse, aliud amantem. 28. Atque haec aliorum ad alios morbos proclivitas late patet; nam pertinet ad omnes perturbationes: in multis etiam vitiis apparet, sed nomen res non habet. Ergo et invidi et malevoli [et lividi] et timidi et misericordes, quia proclives ad eas perturbationes, non quia semper ferantur. Haec igitur proclivitas ad suum quodque genus a similitudine corporis aegrotatio dicatur, dum ea intellegatur ad aegrotandum proclivitas. Sed haec in bonis rebus, quod alii ad alia bona sunt aptiores, facilitas nominetur, in malis proclivitas, ut significet lapsionem, in neutris habeat superius nomen.

XIII. 29. Quo modo autem in corpore est morbus, est aegrotatio, est vitium, sic in animo. Morbum appellant totius corporis corruptionem, aegrotationem morbum cum imbecillitate, vitium, cum partes corporis inter se dissident, ex quo pravitas membrorum, distortio, deformitas. Itaque illa duo, morbus et aegrotatio, ex totius valetudinis corporis conquassatione et perturbatione gignuntur; vitium autem integra valetudine ipsum ex se cernitur. Sed in animo tantum modo cogitatione possumus morbum ab aegrotatione seiungere. Vitiositas autem est habitus aut adfectio in tota vita inconstans et a se ipsa dissentiens. Ita fit ut in altera corruptione opinionum morbus efficiatur et aegrotatio, in altera inconstantia et repugnantia. Non enim omne vitium paris habet dissensiones,

---

1. *aliud iracundum - - aliquando: inter ebrietatem - - interest; aliud est - - amantem* Nonius p. 444. — 3. *nec*] *haec* G R — 4. *et ebriositatem* om. C — *que* om. G[1] cum Nonio. — 7. *maliuoli* C — «Ego *et lividi* certe uncis includendum puto. Primum enim Cicero neque *livendi* verbum neque quae inde derivata sunt de invidia usurpasse videtur; deinde *et lividi* post *et invidi* supervacaneum est; denique inter *invidi* et *lividi* parum commode interpositum id est, quod quodam modo prioris est contrarium, *malevoli* = *ἐπιχαιρέκακοι* (cf. §§ 16. 17. 20. 66). Usus ille voc. *livoris* pro *invidia* ab Augusti temporibus frequens fuit. Ex antiquioribus scriptoribus unus solus citatur, D. Brutus (qui alia quoque habet a Ciceronis usu aliena) in epist. ad Famil. XI, 10, 1: *malevolentia et livore.*» W. — 8. *proclive* Bentley. — *feruntur* C O. «Indicativo *invidi* homines *semper* ad invidiam *ferri* falso dicerentur. Cf. de re notissima T. D. II, 56. 64. III, 54. Fin. I, 32. II, 8 *(magis quam quo* = Famil. XVI, 6, 1. Att. XIII, 3, 1. Liv. II, 1. Tac. Hist. II, 4. III, 72). Fam. I, 9, 23 *(non eos, qui - - arbitrarentur, sed eos, quos erat infinitum.)* T. D. III, 4 *(Utrum quod - - noceant, an quod sit?*, quorum utrumque § 5 negatur et refellitur). Indicativus recte se habet Legg. II, 31 (*erat* enim augur). p. Planc. § 78 (*debebat* multis); non item de R. P. I, 30 *(quaerebat)*, si haec est sententia, S. Aelium *non ea quaesisse*, quae numquam inveniret, ubi librarius ad seq. *ebat* aberrare potuit; nam quod apud Tacitum, qui idem, ut alii recentiorum, modorum post *quamquam* usum variarit, si fides codicibus habenda est, indicativus bis legitur (Ann. XV, 60. Hist. III, 4; nam Ann. XIII, 1 ex ed. Spir. *irritaverit* legere licet), nihil ad Ciceronem pertinet. Duplex coniunctivus recte est Acad. I, 42 *(relinqueret* coni. obliq. ab *ei videbatur* pendens). Fin. I, 48 (*consequatur* coni. obliq.). Fam. IV, 7, 1: non item Legg. I, 41 (ubi pro *metuat* legendum est *metuet*). Quinctil. XII, 11, 16 (ubi pro *non sit* licet scribere *non est*).» W. Vide etiam ad I § 81. — 10. *dicatur* Bentley: *dicitur* C. Vide ad II § 47. — 14. *aegrotatio et vitium* C — 16. *imbecilitate* G — 24. *pares habet dissensiones* Bentley: *partis habet dissentientis* C; *partes habet dissentientes* O. «Ex *paris* cum propter superiora illa *partes corporis inter se dissident* factum esset *partis*, non mirum, si etiam *dissensiones* in *dissentientis* mutatum est, praesertim cum praecedat: *adfectio - - dissentiens.*» W.

ut eorum, qui non longe a sapientia absunt, adfectio est illa quidem discrepans sibi ipsa, dum est insipiens, sed non distorta nec prava. Morbi autem et aegrotationes partes sunt vitiositatis, sed perturbationes sintne eiusdem partes quaestio est. 30. Vitia enim adfectiones sunt manentes, perturbationes autem moventes, ut non possint adfectionum manentium partes esse. Atque ut in malis attingit animi naturam corporis similitudo, sic in bonis. Sunt enim in corpore praecipua, valetudo, pulchritudo, vires, firmitas, velocitas; sunt item in animo. *Ut* enim corporis temperatio, cum ea congruunt inter se, e quibus constamus, sanitas, sic animi dicitur, cum eius iudicia opinionesque concordant, eaque animi est virtus, quam alii ipsam temperantiam dicunt esse, alii optemperantem temperantiae praeceptis et eam subsequentem nec habentem ullam speciem suam, sed, sive hoc sive illud sit, in solo esse sapiente. Est autem quaedam animi sanitas, quae in insipientem etiam cadat, cum curatione medicorum conturbatio mentis aufertur. 31. Et ut corporis est quaedam apta figura membrorum cum coloris quadam suavitate eaque dicitur pulchritudo, sic in animo opinionum iudiciorumque aequabilitas et constantia cum firmitate quadam et stabilitate virtutem subsequens aut virtutis vim ipsam continens pulchritudo vocatur. Itemque viribus corporis et nervis et efficacitati similes similibus quoque verbis animi vires nominantur. Velocitas autem corporis celeritas appellatur, quae eadem ingenii etiam laus habetur propter animi multarum rerum brevi tempore percursionem.

XIV. Illud animorum corporumque dissimile, quod animi valentes morbo temptari possunt, ut corpora possunt, sed corporum offensiones sine culpa accidere possunt, animorum non item; quorum omnes morbi et perturbationes ex aspernatione rationis eveniunt. Itaque in hominibus solum existunt; nam bestiae simile quiddam faciunt, sed in perturbationes non incidunt. 32. Inter acutos autem et inter hebetes interest, quod ingeniosi, ut aes Corinthium in aeruginem, sic illi in morbum et incidunt tardius et recreantur ocius, hebetes non item. Nec vero in omnem morbum ac perturbationem animus ingeniosi cadit; sunt enim multa ecferata et inmania, quaedam autem humanitatis quoque habent

---

3. *aegrotationis* G R — 7. *pulchritudo uires ualetudo* C O. «Cum Ursino suspicor Ciceronem scripsisse *valetudo, pulchritudo, vires* cet.; sic enim primum *firmitas* cum cognato *vires* recte coniungitur (cf. § 31 *viribus corporis et nervis et efficacitati)*, deinde ordo rerum enumeratarum eius inductionis, qua Cicero § 30 sq. singulas persequitur, ordini rite respondet, denique legitimus ille atque usitatus «praecipuorum» ordo, quo primum *valetudo* est (cf. Acad. I, 19. Fin. IV, 35. 49. V, 18. 80), servatur.» W. — 8. *Ut* Camerarius: om. C — 11. *aliā ipsam* G R — 14. *curatione* Victorius: *curatione et perturbatione* C; *curatione et gubernatione* alii; *curatione et pertractatione* Brutus; *curatione et purgatione* Lambinus; *curatione et perpurgatione* Klotzius. Cum in sequentibus pro *conturbatio* alii exhibeant *perturbatio*, haec vox alteri superscripta temere in verborum continuitatem illata et ad formam vocabuli *curatione* accommodata esse videtur. — 16. *ea quae dicitur* G² R; *ea quae dicuntur* G¹ — 20. *similibus quoque* Manutius: *similibusque* C — 21. *corporis et celeritas* Bake l. l. p. 100. — 22. *propter animi - - percursiones* Nonius p. 161. — *percussionem* C — 23. Fort. *dissimile est, quod* — 24. *temptari possunt, ut corpora possunt* Bentley: *temptari non possunt, corpora possunt* G² R O; *temptari non possunt corpora autem possunt* G¹; *tentari [non possunt, corpora] possunt* Madvig. *(animi valentes - - possunt, sed* spuria videntur Kaysero Annal. Heidelb. 1853 p. 392.) Cf. var. lect. ad p. 314, 4. — 27. *quidam* G R¹ — 28. *inter* post *et* om. O — 29. *aerugine* G R — 31. *sunt enim multa* Madvig: *non enim multa* C; *non enim in ulla* Bentley, O.

primam speciem, ut misericordia, aegritudo, metus. Aegrotationes autem morbique animorum difficilius evelli posse putantur quam summa illa vitia, quae virtutibus sunt contraria. Morbis enim manentibus vitia sublata esse possunt, qui non tam celeriter sanantur quam illa tolluntur. 33. Habes ea, quae de perturbationibus enucleate disputant Stoici, quae *λογικά* appellant, quia disseruntur subtilius: ex quibus quoniam tamquam ex scrupulosis cotibus enavigavit oratio, reliquae disputationis cursum teneamus, modo satis illa dilucide dixerimus pro rerum obscuritate. *A.* Prorsus satis, sed si quae diligentius erunt cognoscenda, quaeremus alias: nunc vela, quae modo dicebas, expectamus et cursum.

XV. 34. *M.* Quando, ut aliis locis de virtute et diximus et saepe dicendum erit — pleraeque enim quaestiones, quae ad vitam moresque pertinent, a virtutis fonte ducuntur —, quando igitur virtus est adfectio animi constans conveniensque, laudabiles efficiens eos, in quibus est, et ipsa per se, sua sponte, separata etiam utilitate laudabilis, ex ea proficiscuntur honestae voluntates, sententiae, actiones omnisque recta ratio, quamquam ipsa virtus brevissume recta ratio dici potest. Huius igitur virtutis contraria est vitiositas — sic enim malo quam malitiam appellare eam, quam Graeci *κακίαν* appellant; nam malitia certi cuiusdam vitii nomen est, vitiositas omnium —; ex qua concitantur perturbationes, quae sunt, ut paulo ante diximus, turbidi animorum concitatique motus, aversi a ratione et inimicissimi mentis vitaeque tranquillae. Inportant enim aegritudines anxias atque acerbas animosque adfligunt et debilitant metu; idem inflammant adpetitione nimia, quam tum cupiditatem tum libidinem dicimus, inpotentiam quandam animi a temperantia et moderatione plurimum dissidentem. 35. Quae si quando adepta erit id, quod ei fuerit concupitum, tum ecferetur alacritate, ut nihil ei constet

---

2. *illi* G[1] — 4. *possunt* Lambinus: *non possunt* C — *qui* Davisius: *quia* C; *quia hi* Lambinus. — 5. *habes - - disputant* Nonius p. 60. — 6. *λογικά* nos: *logica* C O — 7. *ex* C: *e* O — *scruplosis* R et (superscripta litt. *u* eadem m.) G; *scruposis* Lambinus, O — 9. *quae* superscripta litt. *a* B; *qua* O — 11. *ut aliis locis de virtute et diximus* Manutius: *et aliis locis de uirtute et diximus* C; *et aliis locis de virtute diximus* O, «quam scripturam falsam esse illa clamant, quae parenthesin sequuntur: neque enim prius illud, *de virtute Ciceronem et aliis locis dixisse et saepe dicturum esse,* repetitur, neque causam ullam habet, cur *ex virtute proficiscantur honestae voluntates.* Cf. § 5: *Sed de ceteris studiis alio loco et dicemus, si usus fuerit, et saepe diximus.* Cat. M. § 3: *Sed de ceteris et diximus multa et saepe dicemus.*» W. — 17. *breuissumme* (priore *m* expuncta) G; *breuis summe* B — 18. *uirtutis* G B: *uirtus* R — 20. *concitantur* Camerarius: *cogitantur* C — 24. *quam tum*] *quantum* G — 25. *animi a*] *anima* G R B[1]; *animi* B[2] — 26. *adepta erit* Lambinus: *eademptaretur* C — 27. *ecferetur* W: *fert* C; *fertur* cod. Gryphianus; *affertur* et *ea fertur* alii; *effertur* O. «In *ea fertur, affertur* latere *effertur (ecfertur)* vidit Bentleius [immo Davisius, cuius emendationem ingeniosam vocat Bentley]. De ea perturbationum parte, quae est *laetitia gestiens,* qua animus *inaniter et effuse exsultat* (§ 13. V, 16; Stoici ita definiebant, *ἄλογον ἔπαρσιν, sine ratione elationem),* Cicero semper *ecferendi* (i. e. exsultandi, gestiendi, bacchandi) verbo utitur; vid. § 12 *laetitia, ut adepta iam aliquid concupitum, ecferatur et gestiat.* 14. 37. 39 *quod - - adeptus ecferas te insolenter* (cf. § 20). 66. 68. V, 16. 17. III, 23. 24. Acad. I, 38; cf. p. Deiot. § 26. ad Fam. II, 10, 1. X, 12, 2. de Fin. V, 61. de Rep. III, 42. *Ferri* (i. e. *rapi, incitari* ad aliquid potiundum agendumve) recte dicitur de *libidine* eiusque partibus (III, 11 cf. IV, 12); qui autem *laetitia nimia* perturbatur, quod concupivit, eo potitus est, nec agere quicquam vult, sed, ubi sit quidve agat, nescit, i. e. *effertur.* Sed ne *effertur* quidem vitio caret: post futura tempora *(adepta erit, fuerit concupitum)* necesse est scribi: *efferetur.* Praesenti tempore Cicero generalem sententiam sic enuntiasset: *adepta*

quod agat, ut ille, qui voluptatem animi nimiam summum esse errorem arbitratur. Eorum igitur malorum in una virtute posita sanatio est.

XVI. Quid autem est non miserius solum, sed foedius etiam et deformius quam aegritudine quis adflictus, debilitatus, iacens? Cui miseriae proxumus est is, qui adpropinquans aliquod malum metuit exanimatusque pendet animi. Quam vim mali significantes poëtae impendere apud inferos saxum Tantalo faciunt

Ob scelera animique inpotentiam et superbiloquentiam.

Ea communis poena stultitiae est; omnibus enim, quorum mens abhorret a ratione, semper aliqui talis terror impendet. 36. Atque ut haec tabificae mentis perturbationes sunt, aegritudinem dico et metum, sic hilariores illae, cupiditas avide semper aliquid expetens et inanis alacritas, id est laetitia gestiens, non multum differunt ab amentia. Ex quo intellegitur qualis ille sit, quem tum moderatum, alias modestum, tum temperantem, alias constantem continentemque dicimus; non numquam haec eadem vocabula ad frugalitatis nomen tamquam ad caput referre volumus. Quod nisi eo nomine virtutes continerentur, numquam ita pervolgatum illud esset, ut iam proverbii locum optineret, hominem frugi omnia recte facere. Quod idem cum Stoici de sapiente dicunt, nimis admirabiliter nimisque magnifice dicere videntur.

---

est - - fuit concupitum, tum effertur; cf. V, 54: *stultitia, etsi adepta est, quod concupivit* [non coniunctivo modo *concupiverit* (vid. Madvig Gramm. § 335 n. 1. praef. ad Cat. M. et Laelium p. XIX. ad Fin. V, 41); § 12 post *cuiuspiam* (talis) recte se habet: *quod bonum videatur*. Prava est ergo Klotzii coniectura: *est adepta re vera id, quod ei fuerit concupitum, tum ecfertur alacritate*, in qua etiam *re vera* ineptam redundantiam habet; ne in altera quidem eiusdem *(adepta videtur)* nec in Bentleiana *(se adeptam retur)* coniunctivi *fuerit* iusta causa ulla est, et tamen *sibi*, non *ei*, scribendum fuit, omninoque illa opinionis significatio *(videtur, retur)* parum apta est: cf. §§ 12. 39.], *numquam se tamen satis consecutam putat*. Acad. II, 127, ubi vulgo legitur: *si vero aliquid* (tale) *occurret, quod veri simile videatur, humanissima completur animus voluptate*, Huelsemannus recte edidit *occurrit* (non praes., sed, ut T. D. II, 5, perf.): futuro tempore, quoniam indagationi ipsi effectus eius opponitur, *occurrerit - - complebitur* dicendum fuit; cf. T. D. II, 1 ubi ego ex cod. archetypo restitui *perceperit*. Ceterum de transitu a praesenti tempore *(inportant - - inflammant)* ad futurum cf. II, 1 *nec - - possunt, nec - - persequetur*. V, 42 *Qui - - potest - -? Qui autem poterit - -, nisi - - censebit?* De levissimi vitii genere cf. III, 61, ubi G R contra *perferetur* pro *perfertur* » W. — *ei* (corr. ex ē) B: *est* G R; om. O. Cf. de Finib. II § 14. — 4. *quid agat* C. Cf. Wesenberg Emendatt. Cic. epistt. p. 52. — 6. *aliquod malum metuit, exanimatus pendet animi* Nonius p. 498. — 9. *animique inpotentiam et superbiloquentiam* Nonius p. 175. — 11. *aliqui talis* Iac. Gronovius (*aliquis talis* Victorius): *aliquid aliis* C — *atque ut hae - - perturbationis sunt* Nonius p. 179. — *haec* G R: *hae* O. Cf. III § 84. — 13. *auidae* G[1] R — 15. *modestum, tum temperantem* Wolfius (non G): *modestum temperantem* C; *modestum et temperantem* O. «Quam facile *tum* excidere potuerit, patet. *Et* ne convenit quidem in hunc locum, ubi varia, quibus Cicero Graecorum σώφρονα appellat, nomina coacervantur: *modestum* enim et *temperantem* Ciceroni duo nomina, non unum, fuisse satis intelligitur ex eo loco, ubi eadem illa enumerantur, III, 16: *σωφροσύνην, quam soleo equidem tum temperantiam, tum moderationem appellare, non numquam etiam modestiam*; cf. de Fin. II, 60 *ad modestiam vel temperantiam*. de Offic. III, 16: *quarta pars, quae decore, moderatione, modestia, continentia, temperantia continetur*. I, 98 *constantiae, moderationis, temperantiae, verecundiae* (i. e. modestiae, cf. de Invent. II, 164). De *tum - alias - tum - alias* cf. III, 16 *tum - tum - non numquam*. de Orat. I, 177. III, 206 *interdum - alias*. de N. D. I, 31. 34. II, 40 *modo - tum*. I, 32. 35 *modo - modo - modo - tum*. 103 *aliae - partim - aliae - quaedam*, al.» W. — 19. *recta* G R — 20. *nimis* B[2]: *animis* G R B[1].

XVII. 37. Ergo hic, quisquis est, qui moderatione et constantia quietus animo est sibique ipse placatus, ut nec tabescat molestiis nec frangatur timore nec sitienter quid expetens ardeat desiderio nec alacritate futili gestiens deliquescat, is est sapiens, quem quaerimus, is est beatus, cui nihil humanarum rerum aut intolerabile ad demittendum animum aut nimis laetabile ad ecferendum videri potest. Quid enim videatur ei magnum in rebus humanis, cui aeternitas omnis totiusque mundi nota sit magnitudo? Nam quid aut in tam exigua brevitate vitae magnum sapienti videri potest, qui semper animo sic excubat, ut ei nihil inprovisum accidere possit, nihil inopinatum, nihil omnino novum? 38. Atque idem ita acrem in omnis partis aciem intendit, ut semper videat sedem sibi ac locum sine molestia atque angore vivendi, ut, quemcumque casum fortuna invexerit, hunc apte et quiete ferat: quod qui faciet non aegritudine solum vacabit, sed etiam perturbationibus reliquis omnibus. His autem vacuus animus perfecte atque absolute beatos efficit, idemque concitatus et abstractus ab integra certaque ratione non constantiam solum amittit, verum etiam sanitatem.

Quocirca mollis et enervata putanda est Peripateticorum ratio et oratio, qui perturbari animos necesse dicunt esse, sed adhibent modum quendam, quem ultra progredi non oporteat. 39. Modum tu adhibes vitio? an vitium nullum est non parere rationi? an ratio parum praecipit nec bonum illud esse, quod aut cupias ardenter aut adeptus ecferas te insolenter? nec porro malum, quo aut oppressus iaceas aut, ne opprimare, mente vix constes? eaque omnia aut nimis tristia aut nimis laeta errore fieri? Qui si error stultis extenuetur die, ut, cum res eadem maneat, aliter ferant inveterata, aliter recentia, sapientis ne attingat quidem omnino. 40. Etenim quis erit tandem modus iste? quaeramus enim modum aegritudinis, in qua operae plurimum ponitur. Aegre tulisse P. Rupilium fratris repulsam consulatus scriptum apud Fannium est. Sed tamen transisse videtur modum, quippe qui ob eam causam a vita recesserit; moderatius igitur ferre debuit. Quid, si, cum id ferret modice, mors liberorum accessisset? Nata esset aegritudo nova, sed ea modica. Magna tamen facta esset accessio. Quid, si deinde dolores graves corporis, si bonorum amissio, si caecitas, si exilium? Si pro singulis malis aegritudines accederent, summa ea fieret, quae non sustineretur.

XVIII. 41. Qui modum igitur vitio quaerit similiter facit, ut si posse putet eum, qui se e Leucata praecipitaverit, sustinere se, cum velit. Ut enim id non potest, sic animus perturbatus et incitatus nec cohibere se potest nec quo loco vult insistere. Omninoque, quae crescentia perniciosa sunt, eadem sunt vitiosa nascentia. 42. Aegritudo autem ceteraeque perturbationes, amplificatae certe, pestiferae sunt: igitur etiam susceptae continuo in magna pestis parte versantur. Etenim ipsae se im-

---

1. *hic* C: *is* O — 3. *expectens* G R — *ardet* C (*ardeat* B ead. m. in margine) — *fultuli* G R — 5. *laetabile adferendum* C. Cf. § 35 et 63. — 9. *animos* (ante rasuram) R — 10. *eidem* G R — 15. *obsolute* R — 21. *aut adeptus* B: *ut adeptus* G R — 24. *extenuatur* Bake l. l p. 101. — *eadem maneat* B²: *eadem maneant* G R B¹; *eaedem maneant* alii. Vide ad III, 31. — 25. *ferat* C — 27. *qua opere* G R; *quo opere* B — *P. Rupilium* Manutius: *p. rutilium* G R; *prutulium* B. Cf. Lael. § 73. Plin. N. H. VII § 122. Fast. Capitol. a. u. 621. — 31. *Sit ea modica* Bentley et Bake l. l. p. 101 sq. — 38. *qui loco* R¹ — *omnino quaeque* G R; *omnino. Quaequae* B — *pernitiosa* G R.

pellunt, ubi semel a ratione discessum est, ipsaque sibi inbecillitas indulget in altumque provehitur imprudens nec reperit locum consistendi. Quam ob rem nihil interest utrum moderatas perturbationes adprobent an moderatam iniustitiam, moderatam ignaviam, moderatam intemperantiam. Qui enim vitiis modum apponit, is partem suscipit vitiorum. Quod cum ipsum per se odiosum est, tum eo molestius, quia sunt in lubrico incitataque semel proclivi labuntur sustinerique nullo modo possunt.

XIX. 43. Quid? quod idem Peripatetici perturbationes istas, quas nos extirpandas putamus, non modo naturalis esse dicunt, sed etiam utiliter a natura datas: quorum est talis oratio. Primum multis verbis iracundiam laudant: cotem fortitudinis esse dicunt, multoque et in hostem et in inprobum civem vehementiores iratorum impetus esse, levis autem ratiunculas eorum, qui ita cogitarent: «proelium rectum est hoc fieri, convenit dimicare pro legibus, pro libertate, pro patria.» Haec nullam habent vim nisi ira excanduit fortitudo. Nec vero de bellatoribus solum disputant; imperia severiora nulla esse putant sine aliqua acerbitate iracundiae; oratorem denique non modo accusantem, sed ne defendentem quidem probant sine aculeis iracundiae, quae etiam si non adsit, tamen verbis atque motu simulandam arbitrantur, ut auditoris iram oratoris incendat actio. Virum denique videri negant qui irasci nesciat, eamque, quam lenitatem nos dicimus, vitioso lentitudinis nomine appellant. 44. Nec vero solum hanc libidinem laudant — est enim ira, ut modo definivi, ulciscendi libido —, sed ipsum illud genus vel libidinis vel cupiditatis ad summam utilitatem esse dicunt a natura datum; nihil enim quemquam nisi quod lubeat praeclare facere posse. Noctu ambulabat in publico Themistocles [quod somnum capere non posset] quaerentibusque respondebat Miltiadis tropaeis se e somno suscitari. Cui non

---

2. *repperit* G R — 7. *procliui* C: *procliue* alii. Vid. Madvig ad Fin. V § 84. — *sustineri quae* G R — 9. *nos*] *non* G R; *non* superscr. *s* B — 12. *in* om. C — *uehementioris* C — 13. *habere* (cum Bentleio) -- *excanduerit* (cum Wopkensio) Bake l. l. p. 102. — 20. *nesciet* C — 21. *eamque* -- *appellant* Nonius p. 134. — *nomine* in marg. habet G — 24. *vel* om. R. «Tregderus scripsit: *ipsum illud genus* [*vel libidinis vel*] *cupiditatis*. Post *hanc libidinem* (i. e. hanc *partem* vel *speciem libidinis*) plane necesse fuit ipsum illud *genus* perturbationis, quod Cicero ab initio § 11 *libidinis* nomine appellaverat (cf. §§ 14. 15. 16. 21. 24), hoc quoque loco *libidinem* dici, quod nomen a Cicerone positum fuisse cum hoc argumento est, quod sequitur *nisi quod lubeat (cupiditatis* nomine solo posito dictum esset *nisi quod cupiat)*, tum illud, quod § 55, ubi Peripateticis ad hunc locum a Stoicis respondetur, *libidinis* nomen bis legitur. Duobus igitur eiusdem rei nominibus Cicero usus est, sicut § 12 *libido vel cupiditas effrenata*. § 34 *adpetitione nimia, quam tum cupiditatem, tum libidinem dicimus*. § 57 *libido cupiditasve*. III, 24 *vel cupiditas recte vel libido dici potest*. De *vel* ad varias eiusdem rei appellationes, quarum libera optio datur, diiungendas bis terve posito cf. praeter locum proxime laudatum III, 22 *vel perturbationum vel morborum animi*. Offic. III, 41 *vel Quirini vel Romuli*. Catil. II, 1 *vel eiecimus vel emisimus vel -- prosecuti sumus*. Ligar. § 29 *vel humanitatis vel clementiae vel misericordiae*. Tusc. Disp. III, 24 *animi motus vel rationis expers vel rationem aspernans vel rationi non oboediens*. Madvig ad Fin. II, 60.» W. — 26. *quod s. c. non posset*] «In his verbis demiror et coniunctivum *posset*, et magis etiam universae enuntiationis sedem; neque enim Ciceronis erat, hoc loco causam et rationem reddere nocturnae ambulationis, sed id negotium responso Themistocleo reservare integrum. Quamobrem scribe: *Themistocles, quaerentibusque respondebat: quod s. c. non posset; Miltiadis* cet.» DOEDERL. Recte demiratur Doederlinus; sed vide ne illis verbis transpositis oriatur tautologia *somnum capere non posse* et *e somno suscitari*. Itaque nos ea seclusimus. — *sonum* G — 27. *militiadis* C — *trophaeis* G R¹, *tropheis* B — *suscitare* G R et (superscr. *i*) B.

sunt auditae Demosthenis vigiliae? qui dolere se aiebat, si quando opificum antelucana victus esset industria. Philosophiae denique ipsius principes numquam in suis studiis tantos progressus sine flagranti cupiditate facere potuissent. Ultimas terras lustrasse Pythagoran, Democritum, Platonem accepimus; ubi enim quicquid esset quod disci posset, eo veniendum iudicaverunt. Num putamus haec fieri sine summo cupiditatis ardore potuisse?

XX. 45. Ipsam aegritudinem, quam nos ut taetram et inmanem beluam fugiendam diximus, non sine magna utilitate a natura dicunt constitutam, ut homines castigationibus, reprehensionibus, ignominiis adfici se in delicto dolerent. Inpunitas enim peccatorum data videtur eis, qui ignominiam et infamiam ferunt sine dolore; morderi est melius conscientia. Ex quo est illud e vita ductum ab Afranio; nam cum dissolutus filius:

Heu me miserum!

tum severus pater:

Dum modo doleat aliquid, doleat quidlubet.

46. Reliquas quoque partis aegritudinis utilis esse dicunt, misericordiam ad opem ferendam et hominum indignorum calamitates sublevandas; ipsum illud aemulari, obtrectare non esse inutile, cum aut se non idem videat consecutum quod alium aut alium idem quod se; metum vero si qui sustulisset, omnem vitae diligentiam sublatam fore, quae summa esset in eis, qui leges, qui magistratus, qui paupertatem, qui mortem, qui dolorem timerent. Haec tamen ita disputant, ut resecanda esse fateantur, evelli penitus dicant nec posse nec opus esse, et in omnibus fere rebus mediocritatem esse optumam existiment. Quae cum exponunt, nihilne tibi videntur an aliquid dicere? *A.* Mihi vero dicere aliquid; itaque expecto, quid ad ista.

XXI. 47. *M.* Reperiam fortasse, sed illud ante. Videsne quanta fuerit apud Academicos verecundia? Plane enim dicunt quod ad rem pertineat. Peripateticis respondetur a Stoicis. Digladientur illi per me licet, cui nihil est necesse nisi ubi sit illud, quod veri simillimum videatur, anquirere. Quid est igitur quod occurrat in hac quaestione, quo possit attingi aliquid veri simile? quo longius mens humana progredi non potest. Definitio perturbationis, qua recte Zenonem usum puto; ita enim definit, ut perturbatio sit aversa a ratione contra naturam animi commotio, vel brevius, ut perturbatio sit adpetitus vehementior, vehementior autem intellegatur is, qui procul absit a naturae constantia. 48. Quid ad has definitiones possint dicere? Atque haec pleraque sunt prudenter acuteque disserentium, illa quidem ex rhetorum pompa, ar-

---

1. *demostenis* G R — *dolore* G et (superscr. *e*) R (*qui dolore se angi dicebat* Klotzius.) — 4. *pytagoran* G R; *Pythagoram* O — 5. *quiquid* G[1]; *quid* O. Cf. V § 98. — *dici* G R et (superscr. *s*) B (*disci* R corr. m. recenti) — 6. *Nam* (superscr. *u*) R — 8. *tetram* h. l. G R — 9. *fugienda* G R — 10. *homines*] *omnes* C — 11. *adficisse in* G R; *affecisse in* B — 19. *et calamitates hominum indignorum calamitates* C; *et calamitates hominum indignorum* O — 21. *si qui* R B: *si quis* G O — 26. *existimant* Bake l. l. p. 102. — 30. *achademicos* G R — 33. *quaestione, quo* Bouhier: *quaestione aequa* G R; *quaestione equa* (superscr. *o*) B — 36. *a* om. G R — 37. *vehementior* semel exhibent G R — 39. *possint* a pr. m. cod. Bernensis et Bentley: *possim* C — *Atque* Tregderus: *atqui* C O. Vide ad III § 14. — 40. *rethorum* G R.

dores animorum cotesque virtutum». An vero vir fortis, nisi stomachari coepit, non potest fortis esse? Gladiatorium id quidem: quamquam in eis ipsis videmus saepe constantiam:

Conlocuntur, congrediuntur, quaerunt aliquid, postulant,

ut magis placati quam irati esse videantur. Sed in illo genere sit sane Pacidianus aliquis hoc animo, ut narrat Lucilius:

Occidam illum equidem et vincam, si id quaeritis, inquit;
Verum illud credo fore: in os prius accipiam ipse,
Quam gladium in stomacho † suria ac pulmonibus sisto.
Odi hominem, iratus pugno, nec longius quicquam
Nobis quam dextrae gladium dum accommodet alter:
Usque adeo studio atque odio illius ecferor ira.

XXII. 49. At sine hac gladiatoria iracundia videmus progredientem apud Homerum Aiacem multa cum hilaritate, cum depugnaturus esset cum Hectore. Cuius, ut arma sumpsit, ingressio laetitiam attulit sociis, terrorem autem hostibus, ut ipsum Hectorem, quem ad modum est apud Homerum, toto pectore trementem provocasse ad pugnam paeniteret. Atque hi conlocuti inter se prius quam manum consererent leniter et quiete, nihil ne in ipsa quidem pugna iracunde rabioseve fecerunt. Ego ne Torquatum quidem illum, qui hoc cognomen invenit, iratum existimo Gallo torquem detraxisse nec Marcellum apud Clastidium ideo fortem fuisse, quia fuerit iratus. 50. De Africano quidem, quia notior est nobis propter recentem memoriam, vel iurare possum, non illum iracundia tum inflammatum fuisse, cum in acie M. Allienniun Paelignum scuto protexerit gladiumque hosti in pectus infixerit. De L. Bruto fortasse dubitarim an propter infinitum odium tyranni ecfrenatius in Arruntem invaserit; video enim utrumque comminus ictu cecidisse contrario. Quid igitur huc adhibetis iram? an fortitudo, nisi insanire coepit, impetus suos non habet? Quid? Herculem, quem in caelum ista ipsa, quam vos iracundiam esse vultis, sustulit fortitudo, iratumne censes conflixisse cum Erymanthio apro aut leone Nemeaeo? an etiam Theseus Marathonii tauri cornua conprehendit iratus? Vide ne fortitudo minime sit rabiosa sitque iracundia tota levitatis. Neque enim est ulla fortitudo, quae rationis est expers.

XXIII. 51. Contemnendae res humanae sunt, neglegenda mors est, patibiles et dolores et labores putandi. Haec cum constituta sunt iudicio atque sententia, tum est robusta illa et stabilis fortitudo, nisi forte, quae vehementer, acriter, animose fiunt, iracunde fieri suspicamur. Mihi ne

---

2. *coeperit* O — *Gladiatorum* O — 4. *quaerunt aliquid, postulant* Schlenger (Philol. Schneidew. XII p. 288): *quaeruntur aliquid postulant* G R; *queruntur, aliquid postulant* O — 6. *pacidianus* G R: *placidianus* B; *Pacideianus* O — 9. *suria* C: *furia* alii; *furiae* Bentley; *Furi* et *Fulvi* Davisius; *lura* et *fibra* Turnebus; *furi* Tischerus; † *sura* O — *pulmonibusisto* (superscr. *s* m. sec. ut videtur) G — 11. *uobis* G R; om. B — 13. *At*] *ac* C — 14. *esset*] *est* Bake l. l. p. 102. — 16. *autem* superscr. m. sec. habet G — 20. *cognomen* (erasis inter *g* et *n* quinque litteris) B: *cognouit nomen* G R — 24. *aciem allionnium* C; *acie M. Allienum* O — *Pelignum* O. Cf. vol. II p. 999. — 26. *arrunte* C; *Aruntem* O — 28. *coeperit* O — 30. *ratumne* G R; *Frm̃ne* B (in marg. *furentem*) — 31. *erymathio* G R¹ — *aut* G: *ut* R B (sed uterque corr. in *aut*) — *nemaeo* C — 32. *marathonii auri* (ex *marathoni tauri*) G R¹ — 33. *illa* O — 36. *sunt* B: *sint* G R. Vide ad I § 55. — 38. *ne* B: *me* G R.

Scipio quidem ille, pontifex maxumus, qui hoc Stoicorum verum esse declaravit, numquam privatum esse sapientem, iratus videtur fuisse Ti. Graccho tum, cum consulem languentem reliquit atque ipse privatus, ut si consul esset, qui rem publicam salvam esse vellent, se sequi iussit. 52. Nescio ecquid ipsi nos fortiter in re publica fecerimus: si quid fecimus, certe irati non fecimus. An est quicquam similius insaniae quam ira? quam bene Ennius initium dixit insaniae. Color, vox, oculi, spiritus, inpotentia dictorum ac factorum quam partem habent sanitatis? Quid Achille Homerico foedius, quid Agamemnone in iurgio? nam Aiacem quidem ira ad furorem mortemque perduxit. Non igitur desiderat fortitudo advocatam iracundiam: satis est instructa, parata, armata per sese. Nam isto quidem modo licet dicere utilem vinolentiam ad fortitudinem, utilem etiam dementiam, quod et insani et ebrii multa faciunt saepe vehementius. Semper Aiax fortis, fortissimus tamen in furore; nam

— facinus fecit maximum, cum Danais inclinantibus
Summam rem perfecit, manu sua restituit proelium
Insaniens.

XXIV. 53. Dicamus igitur utilem insaniam? Tracta definitiones fortitudinis: intelleges eam stomacho non egere. Fortitudo est igitur adfectio animi legi summae in perpetiendis rebus obtemperans, vel conservatio stabilis iudicii in eis rebus, quae formidolosae videntur, subeundis et repellendis, vel scientia rerum formidolosarum contrariarumque aut omnino neglegendarum, conservans earum rerum stabile iudicium, vel brevius, ut Chrysippus — nam superiores definitiones erant Sphaeri, hominis in primis bene definientis, ut putant Stoici; sunt enim omnino omnes fere similes, sed declarant communis notiones, alia magis alia —

---

1. *pontufex* G R — *stoicicorum* G R; *stoici quorum* (superscr. ead. m. *stoicorum*) B — 3. *gracho* C — 4. *salua* G R — *uellet* C O, «quasi vero unum aliquem se sequi voluerit, ac non omnes, quicumque rem p. salvam vellent. Ego scribo *vellent*, ut semper est in sollemni hac «extremi ac difficillimi temporis» voce, qua cives ad rem p. defendendam vocabantur. Cf. de eadem re Appian. B. Civ. I, 16: *ἐβόα -- ἕπεσθαί οἱ τοὺς ἐθέλοντας σώζεσθαι τὴν πατρίδα.* Plut. Ti. Gracch. 19: *οἱ βουλόμενοι τοῖς νόμοις βοηθεῖν ἀκολουθεῖτε.* Vellei. Paterc. II, 2: *hortatus est, qui salvam vellent rem p., se sequerentur.* Valer. Max. III, 2, 17: *Qui rem p. salvam esse volunt, me sequantur.* de similibus rebus Cic. p. C. Rabirio § 20: *qui rem p. salvam esse vellent, -- se sequi iubent.* Fragm. Cornel. p. 75 ed. Or.: *qui rem p. salvam esse vellent, ut -- adessent.* p. Sestio § 128. Pison. § 34. p. redit. in senatu § 24. Liv. IV, 38, 2.» W. — 6. *insania* G R — 8. *ac* C: *atque* O — 12. *modo quidem* G O. «Cicero scripsit sine dubio *quidem modo*; cf. Madvig ad Fin. IV § 77. Vid. var. lect. ad II, 1. 19. V, 11. Quod legitur de Fin. I, 64 *ne id ipsum quidem expedire possunt quod disserunt* (= ne id ipsum, quod disserunt, quidem, cf. T. D. III, 19. p. Caec. § 63. p. Mur. § 36), id alius generis est, de quo cf. A. Grotefend II p. 166 cet.» W. Cf. V § 40. — *uinulentiam* C — 14. *nam* poëtae tribuit O — 16. *perfecit, manu sua restituit proelium Insaniens* God. Hermannus (Opusc. VII, 385): *perficit manus proelium restituit insaniens* C (nisi quod R habet *insaniem*); *perfecit manu, restituit proelium insaniens* O — 21. *contrariarumque, perferendarum aut* O — 23. *spheri* C — 25. «*declarat* Tregderus ex coniectura Lambini non modo inutili, sed prava. Quoniam per *omnino - sed* duo illa, quae de Sphaeri definitionibus enuntiantur (*sunt* quidem fere similes, sed communes notiones non aeque bene *declarant*), inter se opponuntur, necesse est, ut *omnes* appositio est subiecti in *sunt* latentis, sic *alia* non per se ipsum subiectum alterius verbi esse, sed communis subiecti appositionem (cf. Madvig Gr. § 217 n. 1). Quod si ita est, *declarat* tum demum ferendum erat, si ordo verborum ille esset: *sed communes nationes alia magis alia declarat,* de quo structurae genere cf. Madvig ad

quo modo igitur Chrysippus? Fortitudo est, inquit, scientia rerum perferendarum vel adfectio animi in patiendo ac perferendo summae legi parens sine timore. Quamvis licet insectemur istos, ut Carneades solebat, metuo ne soli philosophi sint. Quae enim istarum definitionum non aperit notionem nostram, quam habemus omnes de fortitudine tectam atque involutam? qua aperta quis est qui aut bellatori aut imperatori aut oratori quaerat aliquid neque eos existumet sine rabie quicquam fortiter facere posse? 54. Quid? Stoici, qui omnes insipientes insanos esse dicunt, nonne ista conligunt? Remove perturbationes maxumeque iracundiam: iam videbuntur monstra dicere. Nunc autem ita disserunt, sic se dicere omnes stultos insanire, ut male olere omne caenum. At non semper. Commove: senties. Sic iracundus non semper iratus est; lacesse: iam videbis furentem. Quid? ista bellatrix iracundia, cum domum rediit, qualis est cum uxore, cum liberis, cum familia? an tum quoque est utilis? Est igitur aliquid, quod perturbata mens melius possit facere quam constans? an quisquam potest sine perturbatione mentis irasci? Bene igitur nostri, cum omnia essent in moribus vitia, quod nullum erat iracundia foedius, iracundos solos morosos nominaverunt.

XXV. 55. Oratorem vero irasci minime decet, simulare non dedecet. An tibi irasci tum videmur, cum quid in causis acrius et vehementius dicimus? quid? cum iam rebus transactis et praeteritis orationes scribimus, num irati scribimus?

Ecquis hoc animadvertit? vincite!

num aut egisse umquam iratum Aesopum aut scripsisse existimas iratum Accium? Aguntur ista praeclare et ab oratore quidem melius, si modo est orator, quam ab ullo histrione, sed aguntur leniter et mente tranquilla. Libidinem vero laudare cuius est libidinis? Themistoclem mihi et Demosthenen profertis: additis Pythagoran, Democritum, Platonem. Quid? vos studia libidinem vocatis? quae vel optimarum rerum, ut ea sunt, quae profertis, sedata tamen et tranquilla esse debent. Iam aegritudinem laudare, unam rem maxime detestabilem, quorum est tandem philosophorum? At commode dixit Afranius:

Dum modo doleat aliquid, doleat quidlibet.

Fin. V, 42 (*bestiis, quae primo -- commovent, deinde suo quaeque appetitu moventur*). Gramm. l. c. Cic. de Fin. V, 72. Lael. § 82 *homines - primum - imperabunt, deinde - gaudebunt omniaque alter pro altero suscipiet neque - alter ab altero postulabit, neque - verebuntur* (cum quo loco Ochsnerus Ecl. p. 237 confert Sueton. Caes. 89 *Damnati omnes alius alio casu periit*): quibus locis omnibus, ut de N. D. I, 9 (*series rerum, ut alia ex alia nexa et omnes inter se aptae - videantur*). p. Sest. § 74 (*cum omnes certatim aliusque alio gravius - dixisset*). ad Fam. VII, 24, 2 (*Habes Sardes venales, alium alio nequiorem*). T. D. IV, 81 (*eorum -, ut sit alius ad alios motus - proclivior*) praedicatum (cuius locum etiam *nequiorem* et *proclivior* obtinent) praecedenti *alius (alter, quisque)*, non sequenti, accommodatum est. Restituenda est igitur archetypi scriptura *declarant.*» W. — 9. *maxumaeque* G R (sed in G *a* ante *e* punctata) — 10. *monstra* R² B: *mostra* R¹; *nostra* G — 11. *coenum: non semper, at commove* Heine Philol. Schneidew. XII p. 757 sq. — 14. *an tum q. est utilis* delet Bake l. l. p. 403. — 15. *perturbata*] *per* ab antiqua m. in litura habet R — 17. *moribus* B et Davisius: *morbus* G; *morbus* corr. in *morbis* R — 19. *non decet* C — 23. *Etquis* C — 24. *existimas* G B: *existimamus* R O — 25. *actium* B; *Attium* O — 26. *istrione* G R — 28. *demostenen* G R: *Demosthenem* B O — *proferri* corr. in *proferti* G — *pythagoran* C: *Pythagoram* O — 29. *libidine* G — 32. *at commode* G: *adcommode* R, *accommode* B.

Dixit enim de adulescente perdito ac dissoluto: nos autem de constanti viro ac sapienti quaerimus. Et quidem ipsam illam iram centurio habeat aut signifer vel ceteri, de quibus dici non necesse est, ne rhetorum aperiamus mysteria. Utile est enim uti motu animi, qui uti ratione non potest: nos autem, ut testificor saepe, de sapiente quaerimus.

XXVI. 56. At etiam aemulari utile est, obtrectare, misereri. Cur misereare potius quam feras opem, si id facere possis? an sine misericordia liberales esse non possumus? Non enim suscipere ipsi aegritudines propter alios debemus, sed alios, si possumus, levare aegritudine. Obtrectare vero alteri aut illa vitiosa aemulatione, quae rivalitati similis est, aemulari quid habet utilitatis, cum sit aemulantis angi alieno bono, quod ipse non habeat, obtrectantis autem angi alieno bono, quod id etiam alius habeat? Quis id adprobare possit, aegritudinem suscipere pro experientia, si quid habere velis? nam solum habere velle summa dementia est. 57. Mediocritates autem malorum quis laudare recte possit? Quis enim potest, in quo libido cupiditasve sit, non libidinosus et cupidus esse, in quo ira, non iracundus, in quo angor, non anxius, in quo timor, non timidus? Libidinosum igitur et iracundum et anxium et timidum censemus esse sapientem? de cuius excellentia multa quidem dici quamvis fuse lateque possunt, sed brevissime illo modo, sapientiam esse rerum divinarum et humanarum scientiam cognitionemque, quae cuiusque rei causa sit; ex quo efficitur ut divina imitetur, humana omnia inferiora virtute ducat. In hanc tu igitur, tamquam in mare, quod est ventis subiectum, perturbationem cadere tibi dixisti videri? Quid est quod tantam gravitatem constantiamque perturbet? an inprovisum aliquid aut repentinum? Quid potest accidere tale ei, cui nihil quod homini evenire possit *non praemeditatum sit*? Nam quod aiunt nimia resecari oportere, naturalia relinqui, quid tandem potest esse naturale quod idem nimium esse possit? Sunt enim omnia ista ex errorum orta radicibus, quae evellenda et extrahenda penitus, non circumcidenda nec amputanda sunt.

XXVII. 58. Sed quoniam suspicor te non tam de sapiente quam de te ipso quaerere — illum enim putas omni perturbatione esse liberum, te vis —, videamus quanta sint, quae a philosophia remedia morbis animorum adhibeantur. Est enim quaedam medicina certe, nec tam fuit hominum generi infensa atque inimica natura, ut corporibus tot res salutaris, animis nullam invenerit, de quibus hoc etiam est merita melius, quod corporum adiumenta adhibentur extrinsecus, animorum salus inclusa in [iis] ipsis est. Sed quo maior est in eis praestantia et divinior, eo maiore indigent diligentia. Itaque bene adhibita ratio cernit quid

3. *relhorum* G R — 6. *Attamen aemulari* Bake l. l. p. 103. — *obtrectari* C — 12. *id iam alius* Bake l. l. — 13. *Quis id adprobare* B²: *Quis id adprobari* G R B¹; *Qui id approbari* O — *possit, [te] aegritudinem* O — 14. *pro*] *prae* Bake l. l. — *nam* B: *non* G R — 18. *igitur, [et cupidum,] et iracundum* O — 20. *possit* G R et (corr. ead. m. in *possunt*) B — 20. *sapientia* G — 24. *cadere* in marg. m. sec. suppletum habet R — 26. *ei* Manutius: *et* C — 27. *non praemeditatum sit* om. C; cf. III §§ 29. 31. 32. Philipp. XI § 7. — 30. *quae* (radices) *evellendae et extrahendae penitus, non circumcidendae nec amputandae sunt* Bake l. l. p. 104. — 34. *sit quae philosophia* G R B¹ — 37. *nulla* G R — *est* om. R¹ — 39. *in his* C O (*his* delet Bake l. l. p. 104. coll. Madvigio ad Fin. II, 93.) — 40. *indiget* C.

optumum sit, neglecta multis implicatur erroribus. 59. Ad te igitur mihi iam convertenda omnis oratio est; simulas enim quaerere te de sapiente, quaeris autem fortasse de te.

Earum igitur perturbationum, quas exposui, variae sunt curationes. Nam neque omnis aegritudo una ratione sedatur; alia est enim lugenti, alia miseranti aut invidenti adhibenda medicina; est etiam in omnibus quattuor perturbationibus illa distinctio, utrum ad universam perturbationem, quae est aspernatio rationis aut adpetitus vehementior, an ad singulas, ut ad metum, lubidinem, reliquas melius adhibeatur oratio, et utrum illudne non videatur aegre ferundum, ex quo suscepta sit aegritudo, an omnium rerum tollenda omnino aegritudo, ut si quis aegre ferat se pauperem esse, idne disputes, paupertatem malum non esse, an hominem aegre ferre nihil oportere. Nimirum hoc melius, ne, si forte de paupertate non persuaseris, sit aegritudini concedendum; aegritudine autem sublata propriis rationibus, quibus heri usi sumus, quodam modo etiam paupertatis malum tollitur.

XXVIII. 60. Sed omnis eius modi perturbatio animi placatione abluatur illa quidem, cum doceas nec bonum illud esse, ex quo laetitia aut libido oriatur, nec malum, ex quo aut metus aut aegritudo; verum tamen haec est certa et propria sanatio, si doceas ipsas perturbationes per se esse vitiosas nec habere quicquam aut naturale aut necessarium, ut ipsam aegritudinem leniri videmus, cum obicimus maerentibus inbecillitatem animi ecfeminati, cumque eorum gravitatem constantiamque laudamus, qui non turbulente humana patiantur. Quod quidem solet eis etiam accidere, qui illa mala esse censent, ferenda tamen aequo animo arbitrantur. Putat aliquis esse voluptatem bonum, alius autem pecuniam, tamen et ille ab intemperantia et hic ab avaritia avocari potest. Illa autem altera ratio et oratio, quae simul et opinionem falsam tollit et aegritudinem detrahit, est ea quidem utilior, sed raro proficit neque est ad volgus adhibenda. 61. Quaedam autem sunt aegritudines, quas levare illa medicina nullo modo possit, ut si quis aegre ferat nihil in se esse virtutis, nihil animi, nihil officii, nihil honestatis, propter mala is quidem angatur, sed alia quaedam sit ad eum admovenda curatio et talis quidem, quae possit esse omnium etiam de ceteris rebus discrepantium philosophorum. Inter omnis enim convenire oportet commotiones animorum a recta ratione aversas esse vitiosas, ut, etiam si et mala sint illa, quae metum aegritudinemve, et bona, quae cupiditatem laetitiamve moveant, tamen sit vitiosa ipsa commotio. Constantem enim quendam volumus, sedatum, gravem, humana omnia spernentem illum esse, quem magnanimum et fortem virum dicimus. Talis autem nec maerens nec timens nec cupiens nec gestiens esse quisquam potest. Eorum

---

1. *neclecta* G R — 4. *eorum* G R — 6. *adhibenda* om. G[1] — 9. *reliquias* C — 11. *tolleranda* C — 18. *nec*] *et* C — 19. *aut l.*] *et l.* G[1] — 22. *ut* corr. ex *aut* R — *ipsa* G R — *obicibus* C — 23. *grauitate constantiaque* G R — 26. *arbitratur. puta* G R — *aliqui* (superscr. *s*) R — 28. *falsa* G R — 29. *aegritudine* G R — *subtilior* Bentley. — 31. *elevare* Bake l. l. p. 93. — 33. *mala si quidem agatur* G[1] — 37. *et mala - - et bona* Lambinus: *nec mala - - nec bona* C — 39. *spernentem* Anonymus ap. Lambinum: *prementem* CO. *Cf.* I § 95. II §§ 11. 32. 33. III §§ 15. 36. IV § 51. V § 4. — 40. *virum* om. G[1].

enim haec sunt, qui eventus humanos superiores quam suos animos esse ducunt.

XXIX. 62. Qua re omnium philosophorum, ut ante dixi, una ratio est medendi, ut nihil, quale sit illud, quod perturbet animum, sed de ipsa sit perturbatione dicendum. Itaque primum in ipsa cupiditate, cum id solum agitur, ut ea tollatur, non est quaerendum, bonum illud necne sit, quod lubidinem moveat, sed lubido ipsa tollenda est, ut sive, quod honestum est, id sit summum bonum sive voluptas sive horum utrumque coniunctum sive tria illa genera bonorum, tamen, etiam si virtutis ipsius vehementior adpetitus sit, eadem sit omnibus ad deterrendum adhibenda oratio. Continet autem omnem sedationem animi humana in conspectu posita natura, quae quo facilius expressa cernatur, explicanda est oratione communis conditio lexque vitae. 63. Itaque non sine causa, cum Orestem fabulam doceret Euripides, primos tris versus revocasse dicitur Socrates:

Neque tam terribilis ulla fando oratio est
Nec sors nec ira caelitum invectum malum,
Quod non natura humana patiendo ecferat.

Est autem utilis ad persuadendum ea, quae acciderint, ferri et posse et oportere enumeratio eorum, qui tulerunt. Etsi aegritudinis sedatio et hesterna disputatione explicata est et in Consolationis libro, quem in medio — non enim sapientes eramus — maerore et dolore conscripsimus, quodque vetat Chrysippus, ad recentis quasi tumores animi remedium adhibere, id nos fecimus naturaeque vim attulimus, ut magnitudini medicinae doloris magnitudo concederet.

XXX. 64. Sed aegritudini, de qua satis est disputatum, finitimus est metus, de quo pauca dicenda sunt. Est enim metus, ut aegritudo praesentis, sic ille futuri mali. Itaque non nulli aegritudinis partem quandam metum esse dicebant; alii autem metum praemolestiam appellabant, quod esset quasi dux consequentis molestiae. Quibus igitur rationibus instantia feruntur, eisdem contemnuntur sequentia. Nam videndum est in utrisque, ne quid humile, summissum, molle, ecfeminatum, fractum abiectumque faciamus. Sed quamquam de ipsius metus inconstantia, inbecillitate, levitate dicendum est, tamen multum prodest ea, quae metuuntur, ipsa contemnere. Itaque sive casu accidit sive consilio, percommode factum est, quod eis de rebus, quae maxime metuuntur, de morte et de dolore, primo et proxumo die disputatum est. Quae si probata sunt, metu magna ex parte liberati sumus.

XXXI. 65. Ac de malorum opinione hactenus: videamus nunc de bonorum, id est de laetitia et de cupiditate. Mihi quidem in tota ratione ea, quae pertinet ad animi perturbationem, una res videtur causam continere, omnis

---

2. *dicunt* C — 9. *uirtus* R — 13. *non sine causa, cum Orestis fabulam doceret Euripides* Priscianus VI, 11, 61. — 14. *diceret* C — 16. *Neque tam -- patiendo ferat* Priscianus de metris 2, 19. — *fando ratio* C et Priscianus. — 17. *sor* G[1]; *fors* G[2] R B — *inuentum* C — 18. *non* om. G[1] — 19. *autem* C: *etiam* O — 20. *tullerunt* G R[1] — 24. *attullimus* G R — *ut cum magnitudine -- concederet* Nonius p. 270. — 28. *illi* G R — 29. *prae molestia* C — 30. *esset* Bentley: *est* C — 40. *ea quae*] *eaque* R — 41. *pertinent* G R et (superscr. *nel*) B. Vide ad III, 31. — *perturbationes* O «ex coniectura Bentleii. Omnium codicum scripturam *perturbationem* recte a Wopkensio atque ab Handio (p. 118) defen-

eas esse in nostra potestate, omnis iudicio susceptas, omnis voluntarias. Hic igitur error est eripiendus, haec detrahenda opinio atque, ut in malis opinatis tolerabilia, sic in bonis sedatiora sunt efficienda ea, quae magna et laetabilia ducuntur. Atque hoc quidem commune malorum et bonorum, ut, si iam difficile sit persuadere nihil earum rerum, quae perturbent animum, aut in bonis aut in malis esse habendum, tamen alia ad alium motum curatio sit adhibenda aliaque ratione malevolus, alia amator, alia rursus anxius, alia timidus corrigendus. 66. Atque erat facile sequentem eam rationem, quae maxime probatur de bonis et malis, negare umquam laetitia adfici posse insipientem, quod nihil umquam haberet boni. Sed loquimur nunc more communi. Sint sane ista bona, quae putantur, honores, divitiae, voluptates, cetera: tamen in eis ipsis potiundis exultans gestiensque laetitia turpis est, ut, si ridere concessum sit, vituperetur tamen cachinnatio. Eodem enim vitio est ecfusio animi in laetitia, quo in dolore contractio, eademque levitate cupiditas est in appetendo, qua laetitia in fruendo et, ut nimis adflicti molestia, sic nimis elati laetitia iure iudicantur leves. Et cum invidere aegritudinis sit, malis autem alienis voluptatem capere laetitiae, utrumque immanitate et feritate quadam proponenda castigari solet. Atque ut providere decet, timere non decet, sic gaudere decet, laetari non decet, quoniam docendi causa a gaudio laetitiam distinguimus. 67. Illud iam supra diximus, contractionem animi recte fieri numquam posse, elationem posse. Aliter enim Naevianus ille gaudet Hector:

Laetus sum laudari me abs te, pater, a laudato viro,

aliter ille apud Trabeam:

Lena delenita argento nutum observabit meum,
Quid velim, quid studeam: adveniens digito impellam ianuam,
Fores patebunt; de inproviso Chrysis ubi me aspexerit,
Alacris ob viam mihi veniet complexum exoptans meum,
Mihi se dedet.

---

sam probante Orellio (ad Wolfii scholas) et Madvigio ad Fin. II, 61 (*de voluptatibus suis -- eam* = Acad. II, 22. de Divinat. I, 72. cf. de Fin. II, 22. de N. D. I, 50. 114) Klotzius et Moserus iure restituerunt. De hac synesi, qua Cicero (ut Madvigii verbis utar) a *genere* sic nominato, ut de *singulis* iam cogitaretur, transiit ad *singula* pronomine plurali significanda, Madvigius laudat de Legg. I, 40 (*iure aliquo --. Quae* cet.) et (ad Fin. V, 66 *res gesta virtute, quibus rebus)* Fin. II, 72 *(quantum studium --: quae* i. e. singula, quae Torquatus studiose fecit); similia sunt de Fin. V, 94 *Peripateticus --, qui dolorem malum dicunt esse.* de N. D. I, 106 *in deo -- beati.* (T. D. IV, 64 *de morte et de dolore -- disputatum est. Quae* cet.) Liv. XXII, 57 *Cantilius, scriba pontificis, quos nunc minores pontifices appellant.* Sallust. Catil. 43 *suum quisque negotium --. Ea* cet.; cf. Madvig ad Fin. II, 22. V, 94. Gramm. § 316, b. (H. l. *in tota ratione ea, quae p. ad animi perturbationem* fere = *in universa, omni animi perturbatione*; cf. § 59 *utrum ad universam perturbationem,* i. e. *genus* perturbationis, *-- an ad singulas* i. e. singulas perturbationis *partes.* § 60 *omnis -- perturbatio animi -- ipsas perturbationes.* §. 57. 8. 11. 24. 82. III, 23. 24 *omnis perturbatio -- quattuor perturbationes.* V, 43 *perturbationes animi -- duplexque ratio perturbationis.* Acad. I, 38 et 39 *perturbationem animi -- eas perturbationes.)»* W. — 3. *tollerabilia* G R — 4. *ducuntur* Wolfius: *dicuntur* C — 16. *adflictio molestia* C; *afflicti molles* Wolfius, O — *sic animis* G R B[1] — 19. *atque ut confidere decet, timere non decet* Nonius p. 444. — *providere* Tregderus: *confidere* C et Nonius; *cavere* Davisius, O. Cf. § 43. de Invent. II, 160. — 21. *contractione* R.

Quam haec pulchra putet, ipse iam dicet:

Fortunam ipsam anteibo fortunis meis.

XXXII. 68. Haec laetitia quam turpis sit, satis est diligenter attendentem penitus videre. Et ut turpes sunt, qui ecferunt se laetitia tum, cum fruuntur Veneriis voluptatibus, sic flagitiosi, qui eas inflammato animo concupiscunt. Totus vero iste, qui volgo appellatur amor — nec hercule invenio quo nomine alio possit appellari — tantae levitatis est, ut nihil videam quod putem conferendum: quem Caecilius

deum qui non summum putet,
Aut stultum aut rerum esse imperitum existumat,
Cuius in manu sit, quem esse dementem velit,
Quem sapere, quem sanari, quem in morbum inici,
\- - - - - - - - - - - -
Quem contra amari, quem expeti, quem arcessier.

69. O praeclaram emendatricem vitae poëticam! quae amorem, flagitii et levitatis auctorem, in concilio deorum conlocandum putet. De comoedia loquor, quae, si haec flagitia non probaremus, nulla esset omnino. Quid ait ex tragoedia princeps ille Argonautarum?

Tu me amoris magis quam honoris servavisti gratia.

Quid ergo? hic amor Medeae quanta miseriarum excitavit incendia! Atque ea tamen apud alium poëtam patri dicere audet se coniugem habuisse

Illum, Amor quem dederat, qui plus pollet potiorque est patre.

XXXIII. 70. Sed poëtas ludere sinamus, quorum fabulis in hoc flagitio versari ipsum videmus Iovem. Ad magistros virtutis philosophos veniamus, qui amorem negant stupri esse et in eo litigant cum Epicuro non multum, ut opinio mea fert, mentiente. Quis est enim iste amor amicitiae? cur neque deformem adulescentem quisquam amat neque formosum senem? Mihi quidem haec in Graecorum gymnasiis nata consue-

---

4. *qui ecferunt* B: *qui haec ferunt* G; *qui efferunt* R (i in rasura et *ef* a recentiore m.) O. Vide ad p. 257, 19. — 5. *Venereis* O. «Scribendum est (ex C) *Veneriis*. Meliores quidem Ciceronis codices fere semper *Venerius*, non *Venereus*, ut Divinat. in Caecil. § 55. Verrin. II, 92. III, 50. 61 bis. 65. V, 141. 142. pro Cluent. § 43. de Divinat. I, 23 bis. 121. 143. Mirum igitur, si Cat. M. § 47 solus cod. Barber. (Garaton. ad Cluent. l. c.) habet *Veneriis*. Apud Plautum Rud. II, 2, 23. 3, 20. III, 2, 40. Mil. glor. III, 1, 65. V, 1, 20. 28 meliores codd., opinor, constanter *Venerius*. Apud Gellium (VII, 8, 1) cod. quidam *venereos*, Gronovius ipse [item Hertzius] *venerios*. Utra scriptura sit in codd. Nepotis (Pausan. 4, 1. Alcib. 11, 4), Senecae, Columellae, Plinii, Solini, mihi non constat. [Apud Nepotem et Plinium optimi codd. exhibent *uenerius*.] Cf. *patrius*, *regius*, *uxorius*, *praetorius*, *Martius*, *Iunonius*, *Saturnius*, *Neptunius*, *Vulcanius*, *Dianius*. *Apollineus*, *Caesareus*, *Romuleus*, ut *funereus*, *sidereus*, non antiquiorum prosae orationis scriptorum sunt, sed poëtarum fere recentiorum (vid. Madvig Gramm. § 189, 2, not.).» W. — *inflamato* G R — 10. *existumet* C — 11. *Cuius* Ernestius: *Cui* C — *demente* G R — 12. *sanari* Manutius: *insanire* C — *iniici* O; *inici* Ribbeck (Com. Lat. p. 65). — Inter hunc et proximum versum talem fere versum excidisse vidit Bentley: *Quem odio esse, quem contemni, quem excludi foras*. — 14. *arcessiri* C — 15. *praeclarem* R[1] — *amore* G R — 17. *non*] *nos* G R; om. B — 19. *tum ea moris* R — *seruasti* C — 21. *se*] *sed* G R B[1] — 23. *est*] *haec* corr. ead. m. in *est* G — 25. *Ad*] *at* G[1] — 26. *amorem* in rasura habet G; *amore* R.

tudo videtur, in quibus isti liberi et concessi sunt amores. Bene ergo Ennius:

Flagiti principium est nudare inter civis corpora.

Qui ut sint, quod fieri posse video, pudici, solliciti tamen et anxii sunt eoque magis, quod se ipsi continent et coërcent. 71. Atque, ut muliebris amores omittam, quibus maiorem licentiam natura concessit, quis aut de Ganymedi raptu dubitat quid poëtae velint aut non intellegit quid apud Euripidem et loquatur et cupiat Laius? Quid denique homines doctissimi et summi poëtae de se ipsis et carminibus edunt et cantibus? Fortis vir in sua re publica cognitus quae de iuvenum amore scribit Alcaeus! nam Anacreontis quidem tota poësis est amatoria; maxume vero omnium flagrasse amore Reginum Ibycum apparet ex scriptis.

XXXIV. Atque horum omnium lubidinosos esse amores videmus. Philosophi sumus exorti et auctore quidem nostro Platone, quem non iniuria Dicaearchus accusat, qui amori auctoritatem tribueremus. 72. Stoici vero et sapientem amaturum esse dicunt et amorem ipsum conatum amicitiae faciendae ex pulchritudinis specie definiunt. Qui si quis est in rerum natura sine sollicitudine, sine desiderio, sine cura, sine suspirio, sit sane; vacat enim omni libidine; haec autem de libidine oratio est. Sin autem est aliquis amor, ut est certe, qui nihil absit aut non multum ab insania, qualis in Leucadia est:

Si quidem sit quisquam deus,
Cui ego sim curae.

73. At id erat deis omnibus curandum, quem ad modum hic frueretur voluptate amatoria.

Heu me infelicem!

Nihil verius. Probe et ille:

Sanusne es, qui temere lamentare?

Hic insanus videtur etiam suis. At quas tragoedias efficit!

Te, Apollo sancte, fer opem, teque, omnipotens Neptune, invoco,
Vosque adeo, venti!

---

3. *flagitii* C — 9. *edunt* Lambinus: *edant* C O. »Si quicquam, illud perspicuum est, Ciceronem dicere poëtas et *aliorum* (Iovis et Laii) amorem puerorum *significare* et *de suo praedicare*. De *aliorum* amore a poëtis (non nimis obscure) *significato* recte dicitur neminem esse, quin, quid significetur, *intelligat*: de *suo* quid poëtae *aperte* dicerent, ineptissimum esset quaerere, quis *non intelligeret*. Dicendum certe fuit: *Laius? Quis denique nescit, quid -- poëtae de se ipsis -- edant*. Scribe, ut fecit Lambinus probante Orellio et invitus, opinor, scriptor cod. Monac. 1, *a* in *u* mutato: -- *Laius? Quid denique -- edunt?* Sic ea, quae de ipsorum poëtarum amoribus dicuntur, ab iis, quae de alienorum apud eos significationibus, recte distinguuntur, non cum iis, et quidem cum altera sola eorum parte *(non intellegit -- Laius)*, foede in unum confunduntur; sic denique, transitu ab uno ad alterum per rhetoricam illam interrogationem directam facto, deinceps rite de singulis poëtis, quos illo amore flagrasse ex scriptis appareat, (Alcaeo, Anacreonte, Ibyco,) exponitur. Attractionis illius, de qua ad II, 5 dixi, hic locus ansam nullam dare potuit. De genere vitii frequentissimo cf. I, 80.» W. — 12. *Rheginum* O — 14. *ex* corr. in *et* G — 15. *accussat* G — 23. *Cui* C: *Quoii* Wolfius, O — 24. *dehis* G R et (erasa litt. *h*) B — 28. *Sanun' es* Wolfius, O — 29. *Hic* Madvig (Tregdero teste p. XXIII): *sic* C O — *at* G B: *ad* R — *effecit* C — 30. *Te*] *Et* C — *tequea omnipotens* G R B[1]; *teque o omnipotens* B[2].

Mundum totum se ad amorem suum sublevandum conversurum putat; Venerem unam excludit ut iniquam:

nam quid ego te appellem, Venus?

Eam prae lubidine negat curare quicquam: quasi vero ipse non propter lubidinem tanta flagitia et faciat et dicat.

XXXV. 74. Sic igitur adfecto haec adhibenda curatio est, ut et illud, quod cupiat, ostendatur quam leve, quam contemnendum, quam nihili sit omnino, quam facile vel aliunde vel alio modo perfici vel omnino neglegi possit. Abducendus etiam est non numquam ad alia studia, sollicitudines, curas, negotia; loci denique mutatione, tamquam aegroti non convalescentes, saepe curandus est. 75. Etiam novo quidam amore veterem amorem tamquam clavo clavum eiciendum putant; maxime autem admonendus *est*, quantus sit furor amoris; omnibus enim ex animi perturbationibus est profecto nulla vehementior, ut, si iam ipsa illa accusare nolis, stupra dico et corruptelas et adulteria, incesta denique, quorum omnium accusabilis est turpitudo, sed ut haec omittas, perturbatio ipsa mentis in amore foeda per se est. 76. Nam, ut illa praeteream, quae sunt furoris, haec ipsa per sese quam habent levitatem, quae videntur esse mediocria?

Iniuriae,
Suspitiones, inimicitiae, indutiae,
Bellum, pax rursum: incerta haec si tu postules
Ratione certa facere, nihilo plus agas
Quam si des operam ut cum ratione insanias.

Haec inconstantia mutabilitasque mentis quem non ipsa pravitate deterreat? Est etiam illud, quod in omni perturbatione dicitur, demonstrandum, nullam esse nisi opinabilem, nisi iudicio susceptam, nisi voluntariam. Etenim si naturalis amor esset, et amarent omnes et semper amarent et idem amarent, neque alium cogitatio, alium satietas deterreret.

XXXVI. 77. Ira vero, quae quam diu perturbat animum, dubitationem insaniae non habet, cuius inpulsu existit etiam inter fratres tale iurgium:

A. Quis homo te exsuperavit usquam gentium inpudentia?
M. Quis autem malitia te?

Nosti quae secuntur; alternis enim versibus intorquentur inter fratres gravissimae contumeliae, ut facile appareat Atrei filios esse, eius qui meditatur poenam in fratrem novam:

Maior mihi moles, maius miscendumst malum,
Qui illius acerbum cor contundam et conprimam.

---

6. *ut ei illud* O — 7. *ostendatur* Davisius: *ostendat* C O — *nihili* C: *nihil* O. Vide ad I § 45. — 9. *est etiam* O — 13. *est* nos: om. C O — 22. *si tu* B²: *sit ut* G R B¹ — 23. *plus* om. G¹ — 26. *etiam* Manutius: *enim* C O — 29. *deterret* (superscr. *re* m. sec. sed valde antiqua) G — 30. *quae* delent multi. «Nescio an ita delendi possit, ut sententia per anacoluthian § 79 continuetur. Cf. § 72—75. 59. III, 36. 37.» W. Cf. O. Heine de Cic. Tusc. Disp. p. 27 sq. — 33. *usquam* Bentley: *umquam* C — 34. *quis te autem malitia* Bouhier: *quis tete autem malitia* Ribbeck; *quis item malitia te* Fleckeisenus, «eadem medela, quam Brixius (de Plauti prosodia, quaestt. Vratisl. 1844. p. 32) adhibuit Plauti Sticho I, 3, 60: *quot potiones mulsi, quot item prandia.*» — 35. *enim* G B: *eum* R — 38. *miscendumst* Wolfius (ex N. D. III § 68. de Orat. III § 219): *miscendum* C.

Quo igitur haec erumpit moles? audi Thyestem:

> Ipsus hortatur me frater, ut meos malis miser
> Mandarem natos .....

Eorum viscera apponit. Quid est enim quo non progrediatur eodem ira quo furor? Itaque iratos proprie dicimus exisse de potestate, id est de consilio, de ratione, de mente; horum enim potestas in totum animum esse debet. 78. His aut subtrahendi sunt ei, in quos impetum conantur facere, dum se ipsi conligant — quid est autem se ipsum colligere nisi dissupatas animi partis rursum in suum locum cogere? — aut rogandi orandique sunt, ut, si quam habent ulciscendi vim, differant in tempus aliud, dum defervescat ira. Defervescere autem certe significat ardorem animi invita ratione excitatum. Ex quo illud laudatur Archytae, qui cum vilico factus esset iratior: «Quo te modo», inquit, «accepissem, nisi iratus essem?»

XXXVII. 79. Ubi sunt ergo isti, qui iracundiam utilem dicunt — potest utilis esse insania? — aut naturalem? An quicquam est secundum naturam, quod fit repugnante ratione? quo modo autem, si naturalis esset ira, aut alius alio magis iracundus esset, aut finem haberet prius, quam esset ulta, ulciscendi libido, aut quemquam paeniteret quod fecisset per iram? ut Alexandrum regem videmus, qui cum interemisset Clitum familiarem suum, vix a se manus abstinuit: tanta vis fuit paenitendi. Quibus cognitis quis est qui dubitet quin hic quoque motus animi sit totus opinabilis ac voluntarius? Quis enim dubitarit quin aegrotationes animi, qualis est avaritia, gloriae cupiditas, ex eo, quod magni aestumetur ea res, ex qua animus aegrotat, oriantur? Unde intellegi debet perturbationem quoque omnem esse in opinione. 80. Et si fidentia, id est firma animi confisio, scientia quaedam est et opinio gravis non temere adsentientis, metus quoque est diffidentia expectati et inpendentis mali, et, si spes est expectatio boni, mali expectationem esse necesse est metum. [Ut igitur metus, sic reliquae perturbationes sunt in malo.] Ergo ut constantia scientiae, sic perturbatio erroris est. Qui autem natura dicuntur iracundi aut misericordes aut invidi aut tale quid, ei sunt constituti quasi mala valetudine animi, sanabiles tamen, ut Socrates dicitur, cum multa

---

1. *Quo -- erumpit* Davisius: *Quo -- erunt* C; *Quae -- erit* O — *thyestem ipsum. Hortatur* C: *Thyestem: Impius hortatur* Bentley. O. Vide ad Cic. de Orat. III § 217. — 2. *hortatust me* Bothe. — 3. *Manderem* O: sed cf. Lucret. II, 638: *Ne Saturnus cum malis mandaret adeptus.* — 4. *uiscere* G R — *quod non* Davisius. — *eodem* G R: *eorum* B — 8. *se ipsi* B: *ipse ipsi* G R; *ipsi se* Tregderus. — 11. *de* in *defervescat* om. G¹ — 16. *An*] *hunc* C — *est*] *es* R; *esse* G B — 18. *ira* om. G¹ — 19. *ulta* Manutius: *ulla* C — *peniteret -- penitendi* G R — 25. *orialur* G R et (corr. in *oriantur*) B — 28. *defidentia* C — 30. *Ut igitur -- sunt in malo*] «Obscurius, praesertim post *mali* aliter positum, est *sunt in malo*. Vulgo intelligitur esse idem quod *sunt in vitio, vitiosae*; cf. § 14. Sed, ut hoc ita sit, quomodo illud ex iis, quae praecedunt, concludi potest? Apparet, si *Ut -- malo* deleveris, nihil desiderari. Per *Ergo* reditus fit ad superius illud: *perturbationem quoque omnem esse in opinione*. Cf. I, 108 sq.» W. Verba suspecta nos uncis inclusimus. — 32. *ei* C: *eis* O — 33. *sanabile est tamen* C — *Socratis dicitur. Quum* O. «Cum agnosceretur in verbis *ut Socrates dicitur* non absolvi sententiam, nec satisfieri constructioni, inde natae videntur corruptelae, tamquam correctiones, vel *Socratis*, vel *de Socrate*. Sed manebant duo vitia, tum quod sequentia sic abrupte a coniunctione *cum* incohoarentur, tum quod *in eum* diceretur, etiamsi is, quo istud pertineret, non esset in eadem verborum comprehensione appellatus. Non sensisse videntur editores, non absolvi quidem ista, *ut*

in conventu vitia conlegisset in eum Zopyrus, qui se naturam cuiusque ex forma perspicere profitebatur, derisus est a ceteris, qui illa in Socrate vitia non agnoscerent, ab ipso autem Socrate sublevatus, cum illa sibi insita, sed ratione a se deiecta diceret. 81. Ergo ut optuma quisque valetudine adfectus potest videri natura ad aliquem morbum proclivior, sic animus alius ad alia vitia propensior. Qui autem non natura, sed culpa vitiosi esse dicuntur, eorum vitia constant e falsis opinionibus rerum bonarum et malarum, ut sit alius ad alios motus perturbationesque proclivior. Inveteratio autem, ut in corporibus, aegrius depellitur quam perturbatio, citiusque repentinus oculorum tumor sanatur quam diuturna lippitudo [depellitur].

XXXVIII. 82. Sed cognita iam causa perturbationum, quae omnes oriuntur ex iudiciis opinionum et voluntatibus, sit iam huius disputationis modus. Scire autem nos oportet cognitis, quoad possunt ab homine cognosci, bonorum et malorum finibus nihil a philosophia posse aut maius aut utilius optari quam haec, quae a nobis hoc quadriduo disputata sunt. Morte enim contempta et dolore ad patiendum levato adiunximus sedationem aegritudinis, qua nullum homini malum maius est. Etsi enim omnis animi perturbatio gravis est nec multum differt ab amentia, tamen ceteros, cum sunt in aliqua perturbatione aut metus aut laetitiae aut cupiditatis, commotos modo et perturbatos dicere solemus, at eos, qui se aegritudini dediderunt, miseros, adflictos, aerumnosos, calamitosos. 83. Itaque non fortuito factum videtur, sed a te ratione propositum, ut separatim de aegritudine et de ceteris perturbationibus disputaremus; in ea est enim fons miseriarum et caput. Sed et aegritudinis et reliquorum animi morborum una sanatio est, omnis opinabilis esse et voluntarios ea reque suscipi, quod ita rectum esse videatur. Hunc errorem quasi radicem malorum omnium stirpitus philosophia se extracturam pollicetur. 84. Demus igitur nos huic excolendos patiamurque nos sanari. His enim malis insidentibus non modo beati, sed ne sani quidem esse possumus. Aut igitur negemus quicquam ratione confici, cum contra nihil sine ratione recte fieri possit, aut cum philosophia ex rationum conlatione constet, ab ea, si et boni et beati volumus esse, omnia adiumenta et auxilia petamus bene beateque vivendi.

Socrates dicitur, sic ut oportebat, verbi causa, *de se dixisse*; sed interpositis aliis negligi istud initium et per anacoluthiam exire sententiam in haec, *cum illa -- diceret*. Itaque pro maxima minima *distinctio ponenda erat* ante verba *cum multa*.» Bake. — 4. *insita* Bentley: *signa* C — *ad se* B et (deleta *d*) R — 5. *videri natura* Tregderus: *uideri ut natura* C; *videri; at natura* O — 8. *et* C: *ac* O — 11. «*depellitur* ego ex Davisii coniectura uncis includo.» W. — 14. *uos* C — *quoad* R¹ B: *quod ad* G R² — 16. *quatriduo* O — 19. *tamen* Lambinus: *tamen ita* C; *tamen* [*ita*] O. (*tamen ita* delet Nissenius utpote ortum ex geminatione verbi *amentia*) — 21. *quis aegritudinis* G — 25. *sel* G¹ — 27. *eareque* B¹: *ea re quae* G R; *eaque re* B² — 28. *stirpitus* hoc uno loco Cicerone positum notat Statilius Maximus apud Charisium p. 219, 25. — 30. *nommodo* G — 31. *rationi* G R — *M. TULLII CICERONIS TUSCULANARŨ LIBER IIII EXPLICIT. INCIPIT LIBER V* G; *M. TULLII CICERONIS TUSCULANARŨ LIBER QUARTUS EXPLICIT; INCIPIT QUINTUS* B; subscriptione caret R.

M. TULLII CICERONIS

TUSCULANARUM DISPUTATIONUM

AD M. BRUTUM

LIBER QUINTUS.

I. 1. Quintus hic dies, Brute, finem faciet Tusculanarum disputationum, quo die est a nobis ea de re, quam tu ex omnibus maxime probas, disputatum. Placere enim tibi admodum sensi et ex eo libro, quem ad me accuratissime scripsisti, et ex multis sermonibus tuis virtutem ad beate vivendum se ipsa esse contentam. Quod etsi difficile est probatu propter tam varia et tam multa tormenta fortunae, tale tamen est, ut elaborandum sit quo facilius probetur; nihil est enim omnium, quae in philosophia tractantur, quod gravius magnificentiusque dicatur. 2. Nam cum ea causa impulerit eos, qui primi se ad philosophiae studium contulerunt, ut omnibus rebus posthabitis totos se in optumo vitae statu exquirendo conlocarent, profecto spe beate vivendi tantam in eo studio curam operamque posuerunt. Quod si ab iis inventa et perfecta virtus est et si praesidii ad beate vivendum in virtute satis est, quis est qui non praeclare et ab illis positam et a nobis susceptam operam philosophandi arbitretur? Sin autem virtus subiecta sub varios incertosque casus famula fortunae est nec tantarum virium est, ut se ipsa tueatur, vereor ne non tam virtutis fiducia nitendum nobis ad spem beate vivendi quam vota facienda videantur. 3. Equidem eos casus, in quibus me fortuna vehementer exercuit, mecum ipse considerans huic incipio sententiae diffidere interdum et humani generis imbecillitatem fragilitatemque extimescere. Vereor enim ne natura, cum corpora nobis infirma dedisset iisque et morbos insanabilis et dolores intolerabilis adiunxisset, animos quoque dederit et corporum doloribus congruentis et separatim suis angoribus et molestiis implicatos. 4. Sed in hoc me ipse castigo, quod ex aliorum et ex nostra fortasse mollitia, non ex ipsa virtute, de virtutis

---

In R quinque versus vacui relicti sunt ad titulum et libri initium adpingendum, cuius prima vox *Quintus* deest. — 2. *maxime* om. G[1] — 5. *quod etsi difficile -- fortunae* Nonius p. 163. — *difficili* G R — 7. *quod* G (sed *d* ead. m. deleta) — 9. *cum ea*] *quaecumque* Bake l. l. p. 105; sed obstat coniunctivus *impulerit*. — 12. *ab his* C — 16. *est* ante *nec* delet Bake l. l. p. 108; sed cf. v. 13. — *tantam* R[1] — 18. *equidem meos casus -- exercuit* Nonius p. 295. — 22. *hisque* C — *intollerabilis* G R — 24. *sed hoc in me ipse -- existimo* Nonius p. 251.

robore existumo. Illa enim, si modo est ulla virtus, quam dubitationem avunculus tuus, Brute, sustulit, omnia, quae cadere in hominem possunt, subter se habet eaque despiciens casus contemnit humanos, culpaque omni carens praeter se ipsam nihil censet ad se pertinere. Nos autem omnia adversa cum venientia metu augentes tum maerore praesentia rerum naturam quam errorem nostrum damnare malumus.

II. 5. Sed et huius culpae et ceterorum vitiorum peccatorumque nostrorum omnis a philosophia petenda correctio est. Cuius in sinum cum a primis temporibus aetatis nostra voluntas studiumque nos compulisset, his gravissimis casibus in eundem portum, ex quo eramus egressi, magna iactati tempestate confugimus. O vitae philosophia dux, o virtutis indagatrix expultrixque vitiorum! quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? Tu urbis peperisti, tu dissipatos homines in societatem vitae convocasti, tu eos inter se primo domiciliis, deinde coniugiis, tum litterarum et vocum communione iunxisti, tu inventrix legum, tu magistra morum et disciplinae fuisti. Ad te confugimus, a te opem petimus, tibi nos, ut antea magna ex parte, sic nunc penitus totosque tradimus. Est autem unus dies bene et ex praeceptis tuis actus peccanti inmortalitati anteponendus. Cuius igitur potius opibus utamur quam tuis, quae et vitae tranquillitatem largita nobis es et terrorem mortis sustulisti?

6. Ac philosophia quidem tantum abest ut proinde ac de hominum est vita merita laudetur, ut a plerisque neglecta a multis etiam vituperetur. Vituperare quisquam vitae parentem et hoc parricidio se inquinare audet et tam impie ingratus esse, ut eam accuset, quam vereri deberet, etiam si minus percipere potuisset? Sed, ut opinor, hic error et haec indoctorum animis offusa caligo est, quod tam longe retro respicere non possunt nec eos, a quibus vita hominum instructa primis est, fuisse philosophos arbitrantur.

III. 7. Quam rem antiquissimam cum videamus, nomen tamen esse confitemur recens. Nam sapientiam quidem ipsam quis negare potest non modo re esse antiquam, verum etiam nomine? quae divinarum humanarumque rerum, tum initiorum causarumque cuiusque rei cognitione hoc pulcherrimum nomen apud antiquos adsequebatur. Itaque et illos septem [qui a Graecis σοφοί, sapientes a nostris et habebantur et nominabantur]

---

1. *virtus* delet Bake l. l. p. 108. — 2. *homine* G R — 5. *cum* Tregderus: *tum* C O — 6. *rerum* -- *malumus* Nonius p. 277. — *damnare* om. G[1] — 11. *O vitae* -- *potuisset? Tu inventrix* -- *fuisti* Lactantius III, 13; *o vitae* -- *expultrixque vitiorum* Priscianus VIII, 1, 4. — 12. *virtus* R — *excultrixque* G R[1] — 14. *conuocauisti* B — 19. *peccandi* R[1] — 20. *et* om. G[1] — 22. *Ac* C: *At* O — 23. *neclecta* R — 24. *Quisquamne vituperare vitae* -- *audeat et* -- *ingratus esse?* Lactantius III, 14. — 28. *primis est* Bake l. l. p. 108: *primisset* corr. in *primissit* R; *primi sit* G; *primũ sit* B: *primis sit* O — 33. *rerum* -- *causarumque* in marg. a m. sec habet G — *cuiusque* B: *cuius* G R — 35. «Vix credideris omnes patienter tulisse verba *qui* -- *nominabantur*. Tulliumne tam infantem fuisse, ut diceret: *illos septem, qui sapientes habebantur et nominabantur, accepimus et fuisse et habitos esse sapientes*? Deinde quaenam est ista eruditio a Graecis illos σοφοὺς nominatos esse monentis? Porro a Romanis etiam Ciceronis aetate septem illi sapientes et habiti et nominati sunt, ut tempus imperfectum importunum esse intelligamus. Denique unde haec verba petita sint facile perspicitur; nam § 8 haec legimus: *a quibus ducti deinceps omnes, qui in rerum contemplatione studia ponebant, sapientes et habebantur et nominabantur,* quo loco haec verba aptissima esse patet.» Herm. Sauppe. — *habeantur* G R.

et multis ante saeculis Lycurgum, cuius temporibus Homerus etiam fuisse ante hanc urbem conditam traditur, et iam heroicis aetatibus Ulixem et Nestorem accepimus et fuisse et habitos esse sapientis. 8. Nec vero Atlans sustinere caelum nec Prometheus adfixus Caucaso nec stellatus Cepheus cum uxore, genero, filia traderetur, nisi caelestium divina cognitio nomen eorum ad errorem fabulae traduxisset. A quibus ducti deinceps omnes, qui in rerum contemplatione studia ponebant, sapientes et habebantur et nominabantur, idque eorum nomen usque ad Pythagorae manavit aetatem, quem, ut scribit auditor Platonis Ponticus Heraclides, vir doctus in primis, Phliuntem ferunt venisse eumque cum Leonte, principe Phliasiorum, docte et copiose disseruisse quaedam. Cuius ingenium et eloquentiam cum admiratus esset Leon, quaesivisse ex eo, qua maxime arte confideret; at illum artem quidem se scire nullam, sed esse philosophum. 9. Admiratum Leontem novitatem nominis quaesivisse, quinam essent philosophi et quid inter eos et reliquos interesset; Pythagoram autem respondisse similem sibi videri vitam hominum et mercatum eum, qui haberetur maxumo ludorum apparatu totius Graeciae celebritate. Nam ut illic alii corporibus exercitatis gloriam et nobilitatem coronae peterent, alii emendi aut vendendi quaestu et lucro ducerentur, esset autem quoddam genus eorum, idque vel maxime ingenuum, qui nec plausum nec lucrum quaererent, sed visendi causa venirent studioseque perspicerent quid ageretur et quo modo: item nos quasi in mercatus quandam celebritatem ex urbe aliqua, sic in hanc vitam ex alia vita et natura profectos, alios gloriae servire, alios pecuniae; raros esse quosdam, qui ceteris omnibus pro nihilo habitis rerum naturam studiose intuerentur; hos se appellare sapientiae studiosos, id est enim philosophos, et ut illic liberalissimum esset spectare nihil sibi adquirentem, sic in vita longe omnibus studiis contemplationem rerum cognitionemque praestare.

---

1. *lygurgum* G R — 2. *et iam* Orellius (in adnotatione): *etiam* C O — 4. *athlans* corr. in *atlans* R: *athalans* corr. in *athlans* G; *Atlas* B O — 6. *traduxissent* C (sed in G *n* ab ead. m. superscripta, in B puncto deleta est). Vide ad III § 31. — 8. *philagore* G — 10. *philuntem* C — 14. *atmiratum* G — 16. *uita* G R — 18. *illic*] *illi* C — 22. *perspicerent*] «i. e. cognoscerent, cf. IV, 80 *perspicere* cum Fat. § 10, ubi in eodem Zopyri dicto est *pernoscere* » W. — *iter nos quasi* - - *aliqua* Nonius p. 431. — 23. *quandam celebritate* G R — 28. *cogitationemque* C. «Ceteri codd. recte *cognitionemque*. Cf., ubi item vita contemplativa *(ὁ θεωρητικὸς βίος)* ceteris vitae degendae rationibus praeponitur, de Fin. V, 11 *Vitae degendae ratio* - -, *in contemplatione et cognitione posita rerum* cet. 58 *maximae* (actiones) *sunt* - - *consideratio cognitioque rerum caelestium* cet. 87 *quam* (vitam beatam) *si etiam in rerum cognitione ponebat, tamen ex illa investigatione naturae* cet. de Divinat. I, 111 *Rarum est quoddam genus eorum, qui* - - *ad divinam rerum cognitionem* - - *rapiuntur.* Tusc. Disp. I, 44 *beati erimus, cum* - - *totos nos in contemplandis rebus perspiciendisque ponemus* - - *cognitionem rerum caelestium.* Cf. etiam de eadem illa contemplatione rerum *(τῇ θεωρίᾳ)* de Offic. I, 153 *cognitio contemplatioque naturae.* 154 *in perspicienda cognoscendaque rerum natura.* 155 *quorum vita omnis in rerum cognitione versata est.* 157 *cognitionem rerum.* 13. *cognitionem rerum aut occultarum aut admirabilium ad beate vivendum necessariam ducimus.* Tuscul. Disput. V, 68 *unus* (animi fetus) *in cognitione rerum positus et in explicatione naturae.* IV, 57 *sapientiam esse rerum divinarum et humanarum scientiam cognitionemque, quae cuiusque rei causa sit* = V, 7 *divinarum humanarumque rerum, tum initiorum causarumque cuiusque rei cognitione.* 8 *caelestium divina cognitio* - - *in rerum contemplatione* (68 *ad cognitionem intellegentiamque*, ut de Offic. I, 18. 19. 158 *cognitio et scientia*, 152. 153. 157 *cognitio).* Quintil. II, 18, 1 *artium aliae positae in inspectione* (= contemplatione), *id est*

IV. 10. Nec vero Pythagoras nominis solum inventor, sed rerum etiam ipsarum amplificator fuit. Qui cum post hunc Phliasium sermonem in Italiam venisset, exornavit eam Graeciam, quae magna dicta est, et privatim et publice praestantissimis et institutis et artibus: cuius de disciplina aliud tempus fuerit fortasse dicendi. Sed ab antiqua philosophia usque ad Socratem, qui Archelaum, Anaxagorae discipulum, audierat, numeri motusque tractabantur et unde omnia orerentur quove reciderent, studioseque ab iis siderum magnitudines, intervalla, cursus anquirebantur et cuncta caelestia. Socrates autem primus philosophiam devocavit e caelo et in urbibus conlocavit et in domus etiam introduxit et coëgit de vita et moribus rebusque bonis et malis quaerere. 11. Cuius multiplex ratio disputandi rerumque varietas et ingenii magnitudo, Platonis memoria et litteris consecrata, plura genera effecit dissentientium philosophorum, e quibus nos id potissimum consecuti sumus, quo Socratem usum arbitrabamur, ut nostram ipsi sententiam tegeremus, errore alios levaremus et in omni disputatione quid esset simillimum veri quaereremus. Quem morem cum Carneades acutissime copiosissimeque tenuisset, fecimus et alias saepe et nuper in Tusculano, ut ad eam consuetudinem disputaremus. Et quadridui quidem sermonem superioribus ad te perscriptum libris misimus, quinto autem die, cum eodem in loco consedissemus, sic est propositum de quo disputaremus.

V. 12. *A.* Non mihi videtur ad beate vivendum satis posse virtutem. *M.* At hercule Bruto meo videtur, cuius ego iudicium, pace tua dixerim, longe antepono tuo. *A.* Non dubito, nec id nunc agitur, tu illum quantum ames, sed hoc, quod mihi dixi videri quale sit, de quo a te disputari volo. *M.* Nempe negas ad beate vivendum satis posse virtutem? *A.* Prorsus nego. *M.* Quid? ad recte, honeste, laudabiliter, postremo ad bene vivendum satisne est praesidii in virtute? *A.* Certe satis. *M.* Potes igitur aut, quem bene fateare, eum negare beate vivere? *A.* Quidni possim? Nam etiam in tormentis recte, honeste, laudabiliter et ob eam rem bene vivi potest, dum modo intellegas quid nunc dicam bene. Dico enim constanter, graviter, sapienter, fortiter. Haec etiam in eculeum coiciun-

---

cognitione et aestimatione, rerum, qualis est astrologia, quae θεωρητική vocatur. Videmus a Cicerone de ea re semper dici *contemplatio* (vel *consideratio*) *rerum et* (quae inde oritur) *cognitio* (cf. de Offic. I, 153 *omnia, quae cognitione digna sunt, -- consideret et contempletur.* 154 *contemplanti res cognitione dignissimas.* 15 *indagatio atque* — quae ex indagatione nascitur — *inventio veri* = 14 *perspicientia veri)* aut *cognitio rerum* aut *contemplatio rerum,* numquam neque *contemplatio rerum et cogitatio* neque *cogitatio rerum.* Qui si h. l. duo, quae plane idem significarent, copulare voluisset, potius, ut Acad. II, 127 *(consideratio contemplatioque naturae*; cf. de Offic. I, 153), pro *cognitionemque* posuisset *considerationemque.* Nunc duobus illis *visendi -- perspicerent* haec duo *contemplationem rerum cognitionemque* alterum alteri rite respondent. Quam parva codicum in *cognitionis* et *cogitationis* vocibus, quae simillimis compendiis scribebantur, auctoritas sit, notum est; cf. IV, 57. Orat. I, 10. de Offic. I, 19. 153. de Fin. III, 24 (ubi recte Madvig: «Multo tamen saepius *cogitatio* pro *cognitione* substituitur quam contra»). V, 58. Acad. II, 142.» W. — 2. *amplicator* G — 7. *orirentur* B O — *recederent* C — 8. *ab his* C O — *currus* G[1] — *antiquirebantur* G — 10. *domos* B O — 13. *efficit* C — 17. *mouerem* (deletis litteris *ue*) G — 18. *eadem* (deletis litteris *de*) R — 19. *quatridui* O — *a te* R — 20. *librimissimus* G[1] — 25. *sed de hoc* C — 28. *praesidi* G, *presidi* R — 32. *coiciuntur* B: *coitiuntur* G R; *coniiciuntur* O. Cf. Lachmann ad Lucret. p. 126.

tur, quo vita non adspirat beata. 13. *M.* Quid igitur? solane beata vita, quaeso, relinquitur extra ostium limenque carceris, cum constantia, gravitas, fortitudo, sapientia reliquaeque virtutes rapiantur ad tortorem nullumque recusent nec supplicium nec dolorem? *A.* Tu, si quid es facturus, nova aliqua conquiras oportet. Ista me minime movent, non solum quia pervulgata sunt, sed multo magis, quia tamquam levia quaedam vina nihil valent in aqua, sic Stoicorum ista magis gustata quam potata delectant. Velut iste chorus virtutum in eculeum impositus imagines constituit ante oculos cum amplissima dignitate, ut ad eas cursim perrectura nec eas beata vita a se desertas passura videatur; cum autem animum ab ista pictura imaginibusque virtutum ad rem veritatemque traduxeris, hoc nudum relinquitur, possitne quis beatus esse, quam diu torqueatur. 14. Quam ob rem hoc nunc quaeramus; virtutes autem noli vereri ne expostulent et querantur se a beata vita esse relictas. Si enim nulla virtus prudentia vacat, prudentia ipsa hoc videt, non omnis bonos esse etiam beatos, multaque de M. Atilio, Q. Caepione, M'. Aquilio recordatur, beatamque vitam, si imaginibus potius uti quam rebus ipsis placet, conantem ire in eculeum retinet ipsa prudentia negatque ei cum dolore et cruciatu quicquam esse commune.

VI. 15. *M.* Facile patior te isto modo agere, etsi iniquum est praescribere mihi te, quem ad modum a me disputari velis. Sed quaero utrum aliquid actum superioribus diebus an nihil arbitremur? *A.* Actum vero et aliquantum quidem. *M.* Atqui, si ita est, profligata iam haec et paene ad exitum adducta quaestio est. *A.* Quo tandem modo? *M.* Quia motus turbulenti iactationesque animorum incitatae et impetu inconsiderato elatae rationem omnem repellentes vitae beatae nullam partem relinquunt. Quis enim potest mortem aut dolorem metuens, quorum alterum saepe adest, alterum semper inpendet, esse non miser? Quid, si idem, quod plerumque fit, paupertatem, ignominiam, infamiam timet, si debilitatem, caecitatem, si denique, quod non singulis hominibus, sed potentibus populis saepe contigit, servitutem, potest ea timens esse quisquam beatus? 16. Quid, qui non modo ea futura timet, verum etiam fert sustinetque praesentia? adde eodem exilia, luctus, orbitates: qui rebus his fractus aegritudine eliditur, potest tandem esse non miserrimus? Quid vero? illum, quem libidinibus inflammatum et furentem videmus,

---

2. *hostium* G — 3. *reliquaeque virtutes*] «Nulla causa fuit, cur Tregderus *que* deleret. Cf. Madvig ad Fin. IV, 56. Gramm. § 434 not. 1, ubi, ut iam in Append. disp. de Ascon. p. 8 et in Opusc. Acad. p. 333, praeceptum illud Zumptii (§ 783) de tribus pluribusve membris copulandis certis quibusdam finibus circumscripsit, et praeter locos ab eo collatos (Fin. V, 35 *et reliquae partes*. 36 *et reliquas eiusdem generis*) Tusc. Disp. IV, 16 *et similia*; *et cetera eius modi*. de Nat. Deor. III, 47 *omniaque, quae* (§ 74 autem *reliqua, quae*). de Invent. I, 41 *et cetera, quae*. pro l. Manil. 47 *et ceteris m. imperatoribus*. Sallust. Catil. 52 extr. *aliaque -- facinora*. Tacit. Ann. XV, 55 *et cetera, quae*. Hist. II, 30.» W. — 4. *nec* ante *supplicium* om. G¹ — 8. *corus* G R — 9. *perrecturas* (littera *s* expuncta) G — 10. *beata vita nec eas* post Ernestium Bake l. l. p. 108. — 13. *uerereri* G R — 14. *a* om. G¹ — 16. *de matilio quinto caepionem aquilo* C; verum praenomen Aquilio restituit Fabricius. — 20. *patior lecto modo* G¹ — *egere* G R et (corr. ead. m. in *agere*) B — 23. *profligata iam et pene ad exitum deducta quaestio est* Nonius p. 160. — 26. *omnem* om. G¹ — 29. *infamia* G² R; om. G¹ — *si* corr. ex *sed* R — 30. *quod non modo singulis hominibus, sed potentissimis populis saepe contigit* Nonius p. 268. — 31. *contingit* G¹ — 33. *aide* G R; *acde* B — *qui rebus -- esse non miser?* Nonius p. 292.

omnia rabide adpetentem cum inexplebili cupiditate, quoque affluentius voluptates undique hauriat, eo gravius ardentiusque sitientem, nonne recte miserrimum dixeris? Quid? elatus ille levitate inanique laetitia exultans et temere gestiens nonne tanto miserior, quanto sibi videtur beatior? Ergo ut hi miseri, sic contra illi beati, quos nulli metus terrent, nullae aegritudines exedunt, nullae libidines incitant, nullae futiles laetitiae exultantes languidis liquefaciunt voluptatibus. Ut maris igitur tranquillitas intellegitur nulla ne minima quidem aura fluctus commovente, sic animi quietus et placatus status cernitur, cum perturbatio nulla est, qua moveri queat. 17. Quod si est, qui vim fortunae, qui omnia humana, quaecumque accidere possunt, tolerabilia ducat, ex quo nec timor eum nec angor attingat, idemque si nihil concupiscat, nulla ecferatur animi inani voluptate, quid est cur is non beatus sit? et si haec virtute efficiuntur, quid est cur virtus ipsa per se non efficiat beatos?

VII. *A.* Atqui alterum dici non potest, quin ii, qui nihil metuant, nihil angantur, nihil concupiscant, nulla impotenti laetitia ecferantur, beati sint, itaque id tibi concedo, alterum autem iam integrum non est. Superioribus enim disputationibus effectum est vacare omni animi perturbatione sapientem. 18. *M.* Nimirum igitur confecta res est; videtur enim ad exitum venisse quaestio. *A.* Prope modum id quidem. *M.* Verum tamen mathematicorum iste mos est, non est philosophorum. Nam geometrae cum aliquid docere volunt, si quid ad eam rem pertinet eorum, quae ante docuerunt, id sumunt pro concesso et probato; illud modo explicant, de quo ante nihil scriptum est: philosophi quamcumque rem habent in manibus, in eam quae conveniunt congerunt omnia, etsi alio loco disputata sunt. Quod ni ita esset, cur Stoicus, si esset quaesitum satisne ad beate vivendum virtus posset, multa diceret? cui satis esset respondere se ante docuisse nihil bonum esse nisi quod honestum esset, hoc probato consequens esse beatam vitam virtute esse contentam, et quo modo hoc sit consequens illi, sic illud huic, ut, si beata vita virtute contenta sit, nisi honestum quod sit, nihil aliud sit bonum. 19. Sed tamen non agunt sic; nam et de honesto et de summo bono separatim libri sunt, et cum ex eo efficiatur satis magnam in virtute ad beate vivendum esse vim, nihilo minus hoc agunt separatim. Propriis enim et suis argumentis et admonitionibus tractanda quaeque res est, tanta praesertim. Cave enim putes ullam in philosophia vocem emissam clariorem ullumve esse philosophiae promissum uberius aut maius. Nam quid profitetur? o di boni! perfecturam se, qui legibus suis paruisset ut esset contra fortunam semper armatus, ut omnia praesidia haberet in se bene beateque vivendi, ut esset semper denique beatus. 20. Sed

---

1. *cum inexplebili cupiditate, quo fluentius voluntates undique hauriet, eo gravius ardentiusque sitientem* Nonius p. 319. — 3. *eleuatus* R — 4. *temere* R²: *timere* G R¹; *timore* B — 6. *futtiles* R — 7. *exultantes* litteris *es* punctatis G — 11. *quaecuique* C — *tollerabilia* G — 15. *quin hi* C — *qui nihil metuant, nihil agant, nihil concupiscant, nulla inpotentia ecferantur* Nonius p. 129. — 16. *ecferant* C — 18. *uacari* G R — 28. *sed ante docuisset* C — 29. *contemptam* R; item v. 31. — 30. *vita* om. C (in B superscr. ead. m.) — 34. *nihil hominus* R — 36. *a philosophia* cod. Vaticanus; sed vide ne neutra vox a Cicerone scripta sit, qui, si addidisset *a* vel *in philosophia,* in proximo versu vix *philosophiae,* sed *eius* scripsisset. — 38. *dii* C O.

videro quid efficiat. Tantisper hoc ipsum magni aestumo, quod pollicetur. Nam Xerxes quidem refertus omnibus praemiis donisque fortunae, non equitatu, non pedestribus copiis, non navium multitudine, non infinito pondere auri contentus, praemium proposuit, qui invenisset novam voluptatem: qua ipsa non fuisset contentus; neque enim umquam finem inveniet libido. Nos vellem praemio elicere possemus, qui nobis aliquid attulisset, quo hoc firmius crederemus.

VIII. 21. *A.* Vellem id quidem, sed habeo paulum quod requiram. Ego enim adsentior eorum, quae posuisti, alterum alteri consequens esse, ut quem ad modum, si quod honestum sit, id solum sit bonum, sequatur vitam beatam virtute confici, sic si vita beata in virtute sit, nihil esse nisi virtutem bonum. Sed Brutus tuus auctore Aristo et Antiocho non sentit hoc; putat enim, etiam si sit bonum aliquod praeter virtutem. *M.* Quid igitur? contra Brutumne me dicturum putas? *A.* Tu vero, ut videtur; nam praefinire non est meum. 22. *M.* Quid cuique igitur consentaneum sit, alio loco. Nam ista mihi et cum Antiocho saepe et cum Aristo nuper, cum Athenis imperator apud eum deversarer, dissensio fuit. Mihi enim non videbatur quisquam esse beatus posse, cum in malis esset; in malis autem sapientem esse posse, si essent ulla corporis aut fortunae mala. Dicebantur haec, quae scripsit etiam Antiochus locis pluribus, virtutem ipsam per se beatam vitam efficere posse neque tamen beatissimam; deinde ex maiore parte plerasque res nominari, etiam si quae pars abesset, ut vires, ut valetudinem, ut divitias, ut honorem, ut gloriam, quae genere, non numero cernerentur: item beatam vitam, etiam si ex aliqua parte clauderet, tamen ex multo maiore parte optinere nomen suum. 23. Haec nunc enucleare non ita necesse est, quamquam non constantissime dici mihi videntur. Nam et qui beatus est non intellego quid requirat, ut sit beatior — si est enim quod desit, ne beatus quidem est —, et quod ex maiore parte unam quamque rem appellari spectarique dicunt, est ubi id isto modo valeat: cum vero tria genera malorum esse dicant, qui duorum generum malis omnibus urgeatur, ut omnia advorsa sint in fortuna, omnibus oppressum corpus et confectum doloribus, huic paulumne ad beatam vitam deesse dicemus, non modo ad beatissimam?

IX. 24. Hoc illud est, quod Theophrastus sustinere non potuit. Nam cum statuisset, verbera, tormenta, cruciatus, patriae eversiones, exilia, orbitates magnam vim habere ad male misereque vivendum, non est

---

1. *magi* R et (superscr. *n*) G — 3. *nonauium* G R — 5. *uoluntatem* G B — *fuisset* Bentley: *fuit* C O — 8. *paullulum* O — 12. *aristone* C; item v. 17. — 13. *si* om. G[1] — 14. *brutum nec me* C — 17. *dissentio* G — 20. *scripta sit* C; *scriptitavit* Klotzius. Error librorum inde natus videtur, quod syllabae *scrip* et *sit* in archetypo divisae erant. De syllabis insiticiis vide ad I § 35. — 21. *posse* om. R[1], seclusit Tregderus. «Abesse quidem poterat (cf. §§ 17. 21. 43. 48), sed, quoniam neque ea vox male supervacanea est (supra: *mihi non videbatur quisquam esse beatus posse)* et ille codex proprias nonnullas omissiones mendosas habet (ut I, 10 *defendet*, 40 *superiora -- natura*, 49 *ut*, III, 10 *quidem*, V, 57 *et industrium*), nihil fuit, cur, quod ceteri omnes codices retinent, suspectum haberetur.» W. — 22. *patre* G[1] — 27. *uidentur* B: *uidetur* G R — 29. *rem*] *partem* C — 30. *tria*] *ista tria* G, sed *ista* quattuor punctis notatum est. — 31. *dicunt* B — 33. *paullulumne* O — 35. *teophrastus* G R — 37. *non est ausus elate et ample loqui, humiliter dimisseque sentire* Nonius p. 286.

ausus elate et ample loqui, cum humiliter demisseque sentiret. Quam bene, non quaeritur; constanter quidem certe. Itaque mihi placere non solet consequentia reprehendere, cum prima concesseris. Hic autem elegantissimus omnium philosophorum et eruditissimus non magno opere reprehenditur, cum tria genera dicit bonorum; vexatur autem ab omnibus, primum in eo libro, quem scripsit de vita beata, in quo multa disputat, quam ob rem is, qui torqueatur, qui crucietur, beatus esse non possit; in eo etiam putatur dicere, in rotam beatam vitam non escendere. Non usquam id quidem dicit omnino, sed quae dicit, idem valent. 25. Possum igitur, cui concesserim in malis esse dolores corporis, in malis naufragia fortunae, huic suscensere dicenti non omnis bonos esse beatos, cum in omnis bonos ea, quae ille in malis numerat, cadere possint? Vexatur idem Theophrastus et libris et scholis omnium philosophorum, quod in Callisthene suo laudarit illam sententiam:

V i t a m r e g i t f o r t u n a, n o n s a p i e n t i a.

Negant ab ullo philosopho quicquam dictum esse languidius. Recte id quidem, sed nihil intellego dici potuisse constantius. Si enim tot sunt in corpore bona, tot extra corpus in casu atque fortuna, nonne consentaneum est plus fortunam, quae domina rerum sit et externarum et ad corpus pertinentium, quam consilium valere? 26. An malumus Epicurum imitari? qui multa praeclare saepe dicit; quam enim sibi constanter convenienterque dicat, non laborat. Laudat tenuem victum: philosophi id quidem, sed si Socrates aut Antisthenes diceret, non is, qui finem bonorum voluptatem esse dixerit. Negat quemquam iucunde posse vivere, nisi idem honeste, sapienter iusteque vivat: nihil gravius, nihil philosophia dignius, nisi idem hoc ipsum honeste, sapienter, iuste ad voluptatem referret. Quid melius quam fortunam exiguam intervenire sapienti? sed hoc isne dicit, qui cum dolorem non modo maxumum malum, sed solum malum etiam dixerit, toto corpore opprimi possit doloribus acerrumis tum, cum maxime contra fortunam glorietur? 27. Quod idem melioribus etiam verbis Metrodorus: O c c u p a v i t e, inquit, F o r t u n a, a t q u e c e p i o m n i s q u e a d i t u s t u o s i n t e r c l u s i, u t a d m e a d s p i r a r e n o n p o s s e s. Praeclare, si Aristo Chius aut si Stoicus Zenon diceret, qui nisi quod turpe esset nihil malum duceret. Tu vero, Metrodore, qui omne bonum in visceribus medullisque condideris et definieris summum bonum firma corporis adfectione explorataque *eius* spe contineri, Fortunae aditus interclusisti? Quo modo? isto enim bono iam expoliari potes.

---

4. *magnopere* C — 5. *dici* G R — 8. *rotam*] *rotam id est genus quoddam tormenti apud grecos* C, sed in R verbis *id est -- grecos* antiquo atramento linea subducta est. Vide ad I § 52. — *escenderet* G R; *ascendere* B — 11. *suscensere* R: *succensere* G B O — 13. *scolis* G R — 22. *lauda* G R et (superscr. ead. m. *at*) B — 24 *esse* om. G[1] — 27. *qui* G R et (superscr. ead. m. *d*) B — 28. *hisne* G R — 30. *quod idem -- Metrodorus occupavit* Nonius p. 355. — 32. *coepi* R — 33. *aristochius* G[1]; *aristocchius* R, *aristhocchius* G[2] — *Zeno* O — 36. *corpori* G R — *eius* Lambinus: om. C O. Cf. de Offic. III § 117: *vita omnis beata corporis firma constitutione eiusque constitutionis spe explorata (ut a Metrodoro scriptum est) continetur.* Clemens Alex. II. Strom. p. 498: *Ἀγαθὸν ψυχῆς τί ἄλλο ἢ τὸ σαρκὸς εὐσταθὲς κατάστημα καὶ τὸ περὶ ταύτης πιστὸν ἔλπισμα.* — *contineri* delet Bake l. l. p. 108. — 37. *expoliare potest* C.

X. 28. Atqui his capiuntur imperiti, et propter huius modi sententias istorum hominum est multitudo. Acute autem disputantis illud est, non quid quisque dicat, sed quid cuique dicendum sit videre. Velut in ea ipsa sententia, quam in hac disputatione suscepimus, omnis bonos semper beatos volumus esse. Quos dicam bonos perspicuum est; omnibus enim virtutibus instructos et ornatos tum sapientis, tum viros bonos dicimus. Videamus qui dicendi sint beati. Equidem eos existimo, qui sint in bonis, nullo adiuncto malo, neque ulla alia huic verbo, cum beatum dicimus, subiecta notio est nisi secretis malis omnibus cumulata bonorum complexio. 29. Hanc assequi virtus, si quicquam praeter ipsam boni est, non potest. Aderit enim malorum, si mala illa ducimus, turba quaedam, paupertas, ignobilitas, humilitas, solitudo, amissio suorum, graves dolores corporis, perdita valetudo, debilitas, caecitas, interitus patriae, exilium, servitus denique. In his tot et tantis — atque etiam plura possunt accidere — potest esse sapiens; nam haec casus importat, qui in sapientem potest incurrere. At si ea mala sunt, quis potest praestare semper sapientem beatum fore, cum vel in omnibus his uno tempore esse possit? 30. Non igitur facile concedo neque Bruto meo neque communibus magistris nec veteribus illis, Aristoteli, Speusippo, Xenocrati, Polemoni, ut, cum ea, quae supra enumeravi, in malis numerent, idem dicant semper beatum esse sapientem. Quos si titulus hic delectat insignis et pulcher, Pythagora, Socrate, Platone dignissimus, inducant animum illa, quorum splendore capiuntur, vires, valetudinem, pulchritudinem, divitias, honores, opes contemnere, eaque, quae his contraria sunt, pro nihilo ducere: tum poterunt clarissima voce profiteri se neque fortunae impetu nec multitudinis opinione nec dolore nec paupertate terreri omniaque sibi in sese esse posita nec esse quicquam extra suam potestatem quod ducant in bonis. 31. Nunc et haec loqui, quae sunt magni cuiusdam et alti viri, et eadem quae vulgus in malis et bonis numerare concedi nullo modo potest. Qua gloria commotus Epicurus exoritur, cui etiam, si dis placet, videtur semper sapiens beatus. Hic dignitate huius sententiae capitur, sed numquam id diceret, si ipse se audiret. Quid est enim quod minus conveniat quam ut is, qui vel summum vel solum malum dolorem esse dicat, idem censeat «Quam hoc suave est!» tum, cum dolore crucietur, dicturum esse sapientem? Non igitur ex singulis vocibus philosophi spectandi sunt, sed ex perpetuitate atque constantia.

---

2. *autem* om. G¹ — 5. *quod* C; *Quid* O. Cf. v. 21. — 7. *dicendum* corr. ead. m. in *dicendi* R — *hos* C O. «Scribendum *eos*. Simplex correlatio est demonstratione nulla iuncta.» W. — 10. *ipsa* G R — 13. *ualitudo* h. l. G R — 14. *seruitus. Denique in his* C — 21. *quod si* G R. Cf. v. 5. — *dilectat* G R — 24. *contempnere* G — *contria* R¹ — 25. *sint* G R. Vide ad I § 55. — 28. *Nunc -- nullo* W: *Nec hunc -- nullo* C; *Namque -- nullo* O; *Neque enim -- ullo* Bentley. «Ego puto scribendum esse *Nunc et -- nullo modo potest*, in quam eandem suspicionem collator Gudianus inciderat, qui in margine adscripsit: *γρ. nunc*. Sic post illa *inducant animum -- ducere (= si induxerint —): tum poterunt clarissima voce profiteri -- bonis*, quibus Cicero dicit, quid si illi philosophi sentirent, iisdem liceret semper beatum esse sapientem dicere, aptissime ex contrario haec ponuntur: *Nunc -- potest*, quibus gravius iterum (cf. § init.) dicit, quid quoniam sentirent, illud nullo modo liceret. Causalis particula quam languidam efficiat orationem, quamque non apta sit, facile intelligitur.» W. — 31. *semper* om. G¹ — 32. *se* om. G — 34. *idem* B: *id est* G R — 35. *non igitur -- spectandi sunt* Nonius p. 402. — 36. *expectandi* G (corr. m. ead.).

XI. 32. *A.* Adducis me ut tibi adsentiar. Sed tua quoque vide ne desideretur constantia. *M.* Quonam modo? *A.* Quia legi tuum nuper quartum de Finibus. In eo mihi videbare contra Catonem disserens hoc velle ostendere, quod mihi quidem probatur, inter Zenonem et Peripateticos nihil praeter verborum novitatem interesse. Quod si ita est, quid est causae quin, si Zenonis rationi consentaneum sit satis magnam vim in virtute esse ad beate vivendum, liceat idem Peripateticis dicere? rem enim opinor spectari oportere, non verba. 33. *M.* Tu quidem tabellis obsignatis agis mecum et testificaris, quid dixerim aliquando aut scripserim. Cum aliis isto modo, qui legibus impositis disputant, nos in diem vivimus; quodcumque nostros animos probabilitate percussit, id dicimus; itaque soli sumus liberi. Verum tamen, quoniam de constantia paulo ante diximus, non ego hoc loco id quaerendum puto, verumne sit, quod Zenoni placuerit quodque eius auditori Aristoni, bonum esse solum quod honestum esset, sed si ita esset, tum ut totum hoc beate vivere in una virtute poneret. 34. Qua re demus hoc sane Bruto, ut sit beatus semper sapiens: quam sibi conveniat, ipse viderit. Gloria quidem huius sententiae quis est illo viro dignior? nos tamen teneamus, ut sit idem beatissimus.

XII. Et, si Zeno Citieus, advena quidam et ignobilis verborum opifex, insinuasse se in antiquam philosophiam videtur, huius sententiae gravitas a Platonis auctoritate repetatur, apud quem saepe haec oratio usurpata est, ut nihil praeter virtutem diceretur bonum. 35. Velut in Gorgia Socrates, cum esset ex eo quaesitum, Archelaum, Perdiccae filium, qui tum fortunatissimus haberetur, nonne beatum putaret, Haud scio, inquit; numquam enim cum eo conlocutus sum. An tu aliter id scire non potes? Nullo modo. Tu igitur ne de Persarum quidem rege magno potes dicere beatusne sit. An ego possim, cum ignorem quam sit doctus, quam vir bonus? Quid? tu in eo sitam vitam beatam putas? Ita prorsus existimo, bonos beatos, improbos miseros. Miser ergo Archelaus? Certe, si iniustus. 36. Videturne omnem hic beatam vitam in una virtute ponere? Quid vero? in Epitaphio quo modo idem? Nam cui viro, inquit, ex se ipso apta sunt omnia, quae ad beate vivendum ferunt, nec suspensa aliorum aut bono casu aut contrario pendere ex alterius eventis et errare coguntur, huic optume vivendi ratio comparata est. Hic est ille moderatus, hic fortis, hic et nascentibus et cadentibus cum reliquis commodis tum maxime liberis, parebit et oboediet praecepto illi veteri; neque enim

---

1. *adducis -- constantia* in marg. inf. suppleta habet G m. secunda, sed item perantiqua. — *aducis* R — 4. *probare* R — 15. *sed ni ita esset, utrum totum hoc -- poneretur* Bentley. «Sensus est: sed postulandum puto (quod facillime elicitur ex *quaerendum puto)* ut tum demum, si Peripateticus sive Brutus ipse quoque agnosceret cum Stoicis bonum esse solum quod honestum esset, is (Peripateticus, non Stoicus, uti falso plerique acceperunt) totum hoc beate vivere in una virtute poneret: nunc vero, ubi hoc quidem ponit, sed simul alia bona statuit, ipse secum pugnat. Pro *poneret* facile legerim *poneretur.*» Or. — 17. *ipsa* G R — 20. *Etsi* O — *ticieus* R — *advena -- insinuasse in -- videtur* Nonius p. 457. — *insinuasse [se] in* O — 23. *velud* R — 24. *arcelaum* R, *arcaelaum* G — 26. *An tu an aliter* G R B[1]; *Ain tu an aliter* B[2]; *Ain' tu? [an] aliter* O — *id* om. G — 32. *ex se*] *esse* C — 36. *candentibus* G R — *tu maxime* R — 37. «Errant qui in verbis *neque enim -- reponet sui* tragici poëtae fragmenta repperisse sibi visi sunt, ut olim R. Bentleius, nuper O. Ribbeckius Tragicor. Lat. Fragm. p. 211. Omnia haec

laetabitur umquam nec maerebit nimis, quod semper in se ipso omnem spem reponet sui. 37. Ex hoc igitur Platonis quasi quodam sancto augustoque fonte nostra omnis manabit oratio.

XIII. Unde igitur ordiri rectius possumus quam a communi parente natura? quae, quicquid genuit, non modo animal, sed etiam quod ita ortum esset e terra, ut stirpibus suis niteretur, in suo quidque genere perfectum esse voluit. Itaque et arbores et ea, quae sunt humiliora neque se tollere a terra altius possunt, alia semper virent, alia hieme nudata, verno tempore tepefacta frondescunt, neque est ullum quod non ita vigeat interiore quodam motu et suis in quoque seminibus inclusis, ut aut flores aut fruges fundat aut bacas omniaque in omnibus, quantum in ipsis est, nulla vi impediente perfecta sint. 38. Facilius vero etiam in bestiis, quod iis sensus a natura est datus, vis ipsius naturae perspici potest. Namque alias bestias nantis aquarum incolas esse voluit, alias volucres caelo frui libero, serpentis quasdam, quasdam esse gradientis: earum ipsarum partim solivagas, partim congregatas, inmanis alias, quasdam autem cicures, non nullas abditas terraque tectas. Atque earum quaeque suum tenens munus, cum in disparis animantis vitam transire non possit, manet in lege naturae. Et ut bestiis aliud alii praecipui a natura datum est, quod suum quaeque retinet nec discedit ab eo, sic homini multo quiddam praestantius; etsi praestantia debent ea dici, quae habent aliquam comparationem; humanus autem animus decerptus ex mente divina cum alio nullo nisi cum ipso deo, si hoc fas est dictu, comparari potest. 39. Hic igitur si est excultus et si eius acies ita curata est, ut ne caecaretur erroribus, fit perfecta mens, id est absoluta ratio, quod est idem virtus. Et si omne beatum est cui nihil deest et quod in suo genere expletum atque cumulatum est, idque virtutis est proprium, certe omnes virtutis compotes beati sunt. Et hoc quidem mihi cum Bruto convenit, id est cum Aristotele, Xenocrate, Speusippo, Polemone. 40. Sed mihi videntur etiam beatissimi. Quid enim deest ad beate vivendum ei, qui confidit suis bonis? aut qui diffidit beatus esse qui potest? At diffidat necesse est, qui bona dividit tripertito. XIV. Qui enim poterit aut corporis firmitate aut fortunae stabilitate confidere? Atqui nisi stabili et fixo et permanente bono beatus esse nemo potest. Quid ergo eius modi istorum est? ut mihi Laconis illud dictum in hos cadere videatur, qui glorianti cuidam mercatori, quod multas navis in omnem oram maritimam dimisisset, «Non sane optabilis ista quidem», inquit, «rudentibus

---

sumpta a Platone sunt, etiam haec extrema, *quod semper in se ipse omnem spem reponet sui*, quibus verbis Platonis illud *διὰ τὸ αὐτῷ πεποιθέναι* paulo plenius reddidit M. Tullius, cuius oratio adsurgit fere tum, ubi Platonis verba convertit, ut I § 73 *Itaque dubitans -- vehitur ratio*, ubi eodem modo interpretes falsi sunt.» Klotz. — 1. *ipso* B: *ipse* G R O — 2. *reponit* O — 3. *manebit* G R — 4. *oriri* C — 9. *fondescunt* G — 10. *uigeant* G R. Vide ad III § 31. — 11. *ut aut fl. aut fr. fundant aut bacas* Nonius p. 342. — 12. *est* Halmius: *sit* C O — *vi*] *uim* G R — 13. *his* C O — 16. *partim solivagas -- cicuras; nonnullas -- tectas* Nonius p. 93. — 20. *discendit* G R et (expuncta *n*) B — 23. *nullo modo nisi* G, sed *modo* quattuor punctis ead. m. notatum est. — 24. *caecetur* O — 27. *tumulatum* G¹ — *omnis* G R — 28. *mihi quidem* B — 29. *pseusippo* G R — 31. *difidit -- difidat* G — 32. *tripertio* R — 33. *firmitati* G B — 37. *quidem ista* CO. «Edd. vett. sine dubio rectius *ista quidem*; cf. de Orat. II § 98. Madvig ad Fin. IV, 43 cum Add., Philipp. XII, 18. ubi *fortem illum quidem* Muretus.» W. Cf. IV, 52.

apta fortuna.» An dubium est quin nihil sit habendum in eo genere, quo vita beata completur, si id possit amitti? Nihil enim interarescere, nihil extingui, nihil cadere debet eorum, in quibus vita beata consistit. Nam qui timebit ne quid ex his deperdat beatus esse non poterit. 41. Volumus enim eum, qui beatus sit, tutum esse, inexpugnabilem, saeptum atque munitum, non ut parvo metu praeditus sit, sed ut nullo. Ut enim innocens is dicitur, non qui leviter nocet, sed qui nihil nocet, sic sine metu is habendus est, non qui parva metuit, sed qui omnino metu vacat. Quae est enim alia fortitudo nisi animi adfectio cum in adeundo periculo et in labore ac dolore patiens, tum procul ab omni metu? 42. Atque haec certe non ita se haberent, nisi omne bonum in una honestate consisteret. Qui autem illam maxume optatam et expetitam securitatem — securitatem autem nunc appello vacuitatem aegritudinis, in qua vita beata posita est — habere quisquam potest, cui aut adsit aut adesse possit multitudo malorum? Qui autem poterit esse celsus et erectus et ea, quae homini accidere possunt, omnia parva ducens, qualem sapientem esse volumus, nisi omnia sibi in se posita censebit? An Lacedaemonii, Philippo minitante per litteras se omnia, quae conarentur, prohibiturum, quaesiverunt num se esset etiam mori prohibiturus: vir is, quem quaerimus, non multo facilius tali animo reperietur quam civitas universa? Quid? ad hanc fortitudinem, de qua loquimur, temperantia adiuncta, quae sit moderatrix omnium commotionum, quid potest ad beate vivendum deesse ei, quem fortitudo ab aegritudine et a metu vindicet, temperantia cum a libidine avocet, tum insolenti alacritate gestire non sinat? Haec efficere virtutem ostenderem, nisi superioribus diebus essent explicata.

XV. 43. Atque cum perturbationes animi miseriam, sedationes autem vitam efficiant beatam, duplexque ratio perturbationis sit, quod aegritudo et metus in malis opinatis, in bonorum autem errore laetitia gestiens libidoque versetur, quae omnia cum consilio et ratione pugnant: his tu tam gravibus concitationibus tamque ipsis inter se dissentientibus atque distractis quem vacuum, solutum, liberum videris, hunc dubitabis beatum dicere? Atqui sapiens semper ita adfectus est; semper igitur sapiens beatus est. Atque etiam omne bonum laetabile est; quod autem laetabile, id praedicandum et prae se ferendum; quod tale autem, id etiam gloriosum; si vero gloriosum, certe laudabile; quod laudabile autem, profecto etiam honestum: quod bonum igitur, id honestum. 44. At quae isti bona numerant ne ipsi quidem honesta dicunt: solum igitur bonum quod honestum; ex

---

1. *quin*] *qui* G¹ — *sit* superscriptum habet G — 2. *completur* Bentley (coll. § 47. de Finib. III, 43): *complectitur* C; *compleatur* Wopkens. — 6. *septum* G R — 7. *sed qui nihil nocet* in marg. a manu sec. habet G — 8. *parua* C: *parum* O, quod falsum esse docuit Madvig ad Cic. de Finib. p. 781 sq., sed vereor ut *parva* recte defenderit his verbis: «parvus metus significatur ex parvis rebus, quae metuantur (corporis incommodis et externis).» Malim *pauca*. (*qui parvo metu est* Tischerus) — *omni* corr. ead. m. in *omnino* G — 9. *cum* C: *tum* O — 12. *illa* G — *expetitam* Manutius: *expeditam* C — 13. *apello* R — 18. *philippho* R — *minitante* Bentley: *militanti* C; *minitanti* O — 20. *repperietur* G R¹ — 21. *loquitur* G R et (corr. in *loquimur*) B — 24. *cum* Lambinus: *tum* C O — 27. *Atque cum*] *At quicumque* C — 28. *perturbationes* corr. in *perturbationis* R — 30. *quae* Bentley: *cum* C; *quum haec* O — *pugnant* nos: *pugnent* C O — 31. *ipsis*] *in ipsis* G, sed litterae *in* punctis notatae sunt. — 37. *Atque isti* C.

quo efficitur honestate una vitam contineri beatam. Non sunt igitur ea bona dicenda nec habenda, quibus abundantem licet esse miserrimum. 45. An dubitas quin praestans valetudine, viribus, forma, acerrumis integerrumisque sensibus: adde etiam, si lubet, pernicitatem et velocitatem, da divitias, honores, imperia, opes, gloriam: si fuerit is, qui haec habet, iniustus, intemperans, timidus, hebeti ingenio atque nullo, dubitabisne eum miserum dicere? Qualia igitur ista bona sunt, quae qui habeat miserrimus esse possit? Videamus ne, ut acervus ex sui generis granis, sic beata vita ex sui similibus partibus effici debeat. Quod si ita est, ex bonis, quae sola honesta sunt, efficiendum est beatum: ea mixta ex dissimilibus si erunt, honestum ex iis effici nihil poterit, quo detracto quid poterit beatum intellegi? Etenim quicquid est, quod bonum sit, id expetendum est; quod autem expetendum, id certe adprobandum; quod vero adprobaris, id gratum acceptumque habendum: ergo etiam dignitas ei tribuenda est. Quod si ita est, laudabile sit necesse est: bonum igitur omne laudabile. Ex quo efficitur ut, quod sit honestum, id sit solum bonum.

XVI. 46. Quod ni ita tenebimus, multa erunt quae nobis bona dicenda sint: omitto divitias, quas cum quivis quamvis indignus habere possit, in bonis non numero; quod enim est bonum, id non quivis habere potest; omitto nobilitatem famamque popularem stultorum inproborumque consensu excitatam: haec, quae sunt minima, tamen bona dicantur necesse est, candiduli dentes, venusti oculi, color suavis et ea, quae Anticlea laudat Ulixi pedes abluens,

Lenitudo orationis, mollitudo corporis.

Ea si bona ducemus, quid erit in philosophi gravitate quam in volgi opinione stultorumque turba quod dicatur aut gravius aut grandius? 47. At enim eadem Stoici praecipua vel producta dicunt quae bona isti. Dicunt illi quidem, sed iis vitam beatam compleri negant: hi autem sine iis esse nullam putant aut, si sit beata, beatissimam certe negant. Nos autem volumus beatissimam, idque nobis Socratica illa conclusione confirmatur. Sic enim princeps ille philosophiae disserebat, qualis cuiusque animi adfectus esset, talem esse hominem, qualis autem homo ipse esset, talem eius esse orationem; orationi autem facta similia, factis vitam. Adfectus autem animi in bono viro laudabilis, et vita igitur laudabilis boni viri et honesta ergo, quoniam laudabilis: ex quibus bonorum beatam vitam esse concluditur. 48. Etenim, pro deorum atque hominum fidem! parumne cognitum est superioribus nostris disputationibus, an delectationis et otii consumendi causa locuti sumus, sapientem ab omni concitatione animi, quam perturbationem voco, semper vacare, semper in animo eius esse placidissimam pacem? Vir igitur temperatus,

---

1. *unam* G — *continere* G R — 2. *habundantem* G — 3. *praestans valetudine* - - *lubet, pernicitatem* Nonius p. 444. — *integerum hisque* G R; *integrisque* Nonius. — 11. *ex his* C O — 19. *sunt* G B — 23. *ea, quae*] *aeque* G R — 24. *anticlea* C: *Euryclea* O — *laudat* om. R — 25. *lenitudo* - - *ea sibi bona ducens, quid* - - *gravitate* Nonius p. 132. — 26. *dicemus* O — 29. *sed his* C O — *sine iis*] *si his* C — 33. *ipse homo* O — 34. *rationem. Rationis* C — 38. *fide* G R — 39. *dilectationis* G R — 41. *vir igitur* - - *sine alacritate ulla lubidine, nonve xalus* Nonius p. 457.

constans, sine metu, sine aegritudine, sine alacritate ulla, sine libidine nonne beatus? At semper sapiens talis: semper igitur beatus. Iam vero qui potest vir bonus non ad id, quod laudabile sit, omnia referre, quae agit quaeque sentit? Refert autem omnia ad beate vivendum; beata igitur vita laudabilis; nec quicquam sine virtute laudabile: beata igitur vita virtute conficitur.

XVII. 49. Atque hoc sic etiam concluditur. Nec in misera vita quicquam est praedicabile aut gloriandum nec in ea, quae nec misera sit nec beata. Et est in aliqua vita praedicabile aliquid et gloriandum ac prae se ferendum, ut Epaminondas:

Consiliis nostris laus est attonsa Laconum,

ut Africanus:

A sole exoriente supra Maeotis paludes
Nemo est qui factis aequiperare queat.

50. Quod si *est*, beata vita glorianda et praedicanda et prae se ferenda est; nihil est enim aliud quod praedicandum et prae se ferendum sit. Quibus positis intellegis quid sequatur, et quidem, nisi ea vita beata est, quae est eadem honesta, sit aliud necesse est melius vita beata. Quod erit enim honestum, certe fatebuntur esse melius: ita erit beata vita melius aliquid, quo quid potest dici perversius? Quid? cum fatentur satis magnam vim esse in vitiis ad miseram vitam, nonne fatendum est eandem vim in virtute esse ad beatam vitam? contrariorum enim contraria sunt consequentia. 51. Quo loco quaero, quam vim habeat libra illa Critolai, qui cum in alteram lancem animi bona imponat, in alteram corporis et externa, tantum propendere illam putet, ut terram et maria deprimat.

XVIII. Quid ergo aut hunc prohibet aut etiam Xenocratem illum gravissimum philosophorum, exaggerantem tanto opere virtutem, extenuantem cetera et abicientem, in virtute non beatam modo vitam, sed etiam beatissimam ponere? quod quidem nisi fit, virtutum interitus consequetur. 52. Nam in quem cadit aegritudo, in eundem metum cadere necesse est; est enim metus futurae aegritudinis sollicita exspectatio; in quem autem metus, in eundem formido, timiditas, pavor, ignavia: ergo ut idem vincatur interdum nec putet ad se praeceptum illud Atrei pertinere:

Proinde ita parent se in vita, ut vinci nesciant.

Hic autem vincetur, ut dixi, nec modo vincetur, sed etiam serviet: at nos virtutem semper liberam volumus, semper invictam; quae nisi sunt, sublata virtus est. 53. Atque si in virtute satis est praesidii ad bene

---

1. *sine aegritudine, sine alacritate, nulla libidine* Herm. Sauppius (Ind. lectt. Gotting. 1857/8 p. 8); *sine aegritudine, alacritate nulla, nulla libidine* C. Ph. Wagner (Philol. XII p. 564). — *ulla*] *illa* Nissenius. — 2. *At*] *aut* GR — 5. *nequicquam* G — 8. *aut gloriandum -- vita praedicabile* om. G (verbis *aliquid et*, quae punctis notata sunt, superscriptum est *aut*) — 14. *factis me aequiperare* O — 15. *est* Davisius: om. C — 19. *enim* om. G[1] — 22. *uim uirtute* (superscr. ead. m. *in*) B; *uim uirtutem* GR; *vim virtutum* alii. — 25. *illam* nos: *illam boni lancem* C; *illam lancem* O — 28. *tantopere* C — 32. *in quem autem metus, in eum formido -- ignavia* Nonius p. 444. — 36. *at nos*] *at nos autem* C; *nos autem* alii. «Non minus facile *autem* ex superiore versu repetitum esse potest (ut § 54 *bono* et *suffragiis praeteritur)* quam *at* ex *-et* geminando factum, et particula fortius adversantis aptior esse videtur.» W. — 38. *atque* Bentley: *atqui* C. Vide ad III § 44.

vivendum, satis est etiam ad beate. Satis est enim certe in virtute, ut fortiter vivamus; si fortiter, etiam ut magno animo, et quidem ut nulla re umquam terreamur semperque simus invicti. Sequitur ut nihil paeniteat, nihil desit, nihil obstet: ergo omnia profluenter, absolute, prospere, igitur beate. Satis autem virtus ad fortiter vivendum potest: satis ergo etiam ad beate. 54. Etenim ut stultitia, etsi adepta est quod concupivit, numquam se tamen satis consecutam putat, sic sapientia semper eo contenta est, quod adest, neque eam umquam sui paenitet.

XIX. Similemne putas C. Laelii unum consulatum fuisse et eum quidem cum repulsa, — si, cum sapiens et bonus vir, qualis ille fuit, suffragiis praeteritur, non populus a bono consule potius quam ille a populo repulsam fert, — sed tamen utrum malles te, si potestas esset, semel ut Laelium consulem an ut Cinnam quater? 55. Non dubito tu quid responsurus sis; itaque video cui committam. Non quemvis hoc idem interrogarem; responderet enim alius fortasse se non modo quattuor consulatus uni anteponere, sed unum diem Cinnae multorum et clarorum virorum totis aetatibus. Laelius, si digito quem attigisset, poenas dedisset: at Cinna collegae sui [consulis] Cn. Octavii praecidi caput iussit, P. Crassi, L. Caesaris, nobilissimorum hominum, quorum virtus fuerat domi militiaeque cognita, M. Antonii, omnium eloquentissimi, quos ego audierim, C. Caesaris, in quo mihi videtur specimen fuisse humanitatis, salis, suavitatis, leporis. Beatusne igitur qui hos interfecit? Mihi contra non solum eo videtur miser, quod ea fecit, sed etiam quod ita se gessit, ut ea facere ei liceret: etsi peccare nemini licet, sed sermonis errore labimur; id enim licere dicimus, quod cuique conceditur. 56. Utrum tandem beatior C. Marius tum, cum Cimbricae victoriae gloriam cum collega Catulo communicavit, paene altero Laelio — nam hunc illi duco simillimum —, an cum civili bello victor iratus necessariis Catuli deprecantibus non semel respondit, sed saepe: «Moriatur!»? in quo beatior ille, qui huic nefariae voci paruit, quam is, qui tam scelerate imperavit. Nam cum accipere quam facere praestat iniuriam, tum morti iam ipsi adventanti paulum procedere ob viam, quod fecit Catulus, quam quod Marius, talis viri interitu sex suos obruere consulatus et contaminare extremum tempus aetatis.

XX. 57. Duo de quadraginta annos tyrannus Syracusanorum fuit Dionysius, cum quinque et viginti natus annos dominatum occupavisset.

---

5. *ad fortiter vivendum virtus* O — 6. *concupiunt* (ante rasuram) R — 7. *consecuta* G R — 8. *con || ta* G — 9. *simile ne* G R — *consolatum fuisset et* G R — 12. *populo* Madvig: *bono populo* C; *vano populo* O. Vide ad § 52. — *fert suffragiis praeteritur. Sed* C — *males* G¹ — 16. *consolatus* G R¹ — 18. *consulis* delet l. l Bake p. 108; nos seclusimus. — *GN̄* C — 21. *G.* C — 22. *qui hos*] *quos* C — 24. *ea se facere* (litteris *se* expunctis) G — *peccaret* G R — 27. *huic illi* C. «Cicero fortasse scripsit *illius*. Cf. Madvig ad Fin. V, 12. Ad locos regulae repugnantes, quos Madvigius citavit, hos adde: Fin. IV, 65 *His similes sunt omnes*. N. D I, 123 *homunculis similem deum* (ego ex aliquot codd. *homunculi*, quod vel *deum* et seq. *hominis* suadere poterat). Famil. XI, 20, 1 *homo sibi simillimus* (Med. *siui*, unde recentiores codd. recte *sui*). Ut in aliis vel antiquissimis codicibus, sic in R *us* finale interdum nota quadam scribitur: inde *us* omissum II, 58 *(omittam)*. IV, 27 *(veniam)*; contra IV, 19, ubi Tregderus ex Archetypo *ex quo illud Ennius* scripsit, vereor, ne Cicero, ut vulgo legebatur, *Enni* posuerit.» W. — 33. *interitus ex* R — 35. *dyonisius* G R.

Qua pulchritudine urbem, quibus autem opibus praeditam servitute oppressam tenuit civitatem! Atqui de hoc homine a bonis auctoribus sic scriptum accepimus, summam fuisse eius in victu temperantiam, in rebusque gerundis virum acrem et industrium, eundem tamen maleficum natura et iniustum. Ex quo omnibus bene veritatem intuentibus videri necesse est miserrimum; ea enim ipsa, quae concupierat, ne tum quidem, cum omnia se posse censebat, consequebatur. 58. Qui cum esset bonis parentibus atque honesto loco natus, etsi id quidem alius alio modo tradidit, abundaretque et aequalium familiaritatibus et consuetudine propinquorum, haberet etiam more Graeciae quosdam adulescentis amore coniunctos, credebat eorum nemini, sed iis, quos ex familiis locupletium servos delegerat, quibus nomen servitutis ipse detraxerat, et quibusdam convenis et feris barbaris corporis custodiam committebat. Ita propter iniustam dominatus cupiditatem in carcerem quodam modo ipse se incluserat. Quin etiam ne tonsori collum committeret, tondere filias suas docuit. Ita sordido ancillarique artificio regiae virgines, ut tonstriculae, tondebant barbam et capillum patris. Et tamen ab his ipsis, cum iam essent adultae, ferrum removit instituitque ut candentibus iuglandium putaminibus barbam sibi et capillum adurerent. 59. Cumque duas uxores haberet, Aristomachen, civem suam, Doridem autem Locrensem, sic noctu ad eas ventitabat, ut omnia specularetur ante. Et cum fossam latam cubiculari lecto circumdedisset eiusque fossae transitum ponticulo

3. *in rebus gerundis verum, acrem -- natura* Nonius p. 241. — 4. *et industrium* om. R¹ — 5. *inuentibus* G R — 7. *omni se* G¹ — 9. *habundaretque* G — *et* B: *ei* G R — 10. *etiam amore* G (sed praep. *a* puncto notata) — 11. *sed his* G R; *sed siis* B — *quod ex* C 12. *locupletum* O — 13. *conuenisset feris* G R — 16. *sordidoque ancillari* C (sed in B ead. m. corr. in *sordido ancillarique*); *sordido atque ancillari* alii; fort. *ancillari sordidoque* — *regiae virgines -- capillum patris* Priscianus VIII, 1, 4. — 18. *instituitque -- adureret* Nonius p. 122. — 20. *aristomachem* G R — 21. *fossa lata cubicularis* G R B¹ — 22. «De Gesneri coniectura Tregderus pro *lecto* scripsit *tecto,* cum nullo modo adduci posset, ut crederet fossam circum *lectum* intra cubiculi parietes ductam esse. At illud ipsum *tecto* absurdum esse declarant quae sequuntur: *cum forem cubiculi clauserat.* Quomodo enim Dionysius *clausa iam* (a se intrinsecus) cubiculi ianua tum demum *ipse* ponticulum detorquere potuit, si fossa illa, cuius transitus eo coniunctus erat, *extra* cubiculare tectum (cubiculum) esset? Potuit, si intra parietes ipse *lectus* fossa cinctus fuit. Neque vero hoc inventum mirabilius est quam ea, quae de eodem illo tyranno et acutissimo et sollertissimo narrantur, candentibus iuglandium putaminibus adultas filias barbam eius et capillum adussisse (non, ut ante, ferro totondisse), ipsumque non ex communibus suggestis, sed ex turri alta contionari esse solitum. Scilicet, qui nemini satis crederet, videbat, si *extra,* ut solet, fossa esset, custodibus ipsis, qui ad ianuam excubarent (quod et per se ipsum veri simile est et significatur a Valerio Max. IX, 13, ext. 4), si eam effregissent, nihil iam esse impedimento, quo minus ad lectum suum penetrare possent: nunc aliis insidiatoribus tria impedimenta opposuit, custodes, clausam obseratamque ianuam, fossam, ipsis custodibus, si vitae suae insidiarentur, duo. Quae cum ita sint, de veritate omnium codd. scripturae *lecto* dubitari non potest, praesertim cum iam Valerius Maximus, qui cum saepe multa, tum l. c. quae de Dionysio tradit ex Cicerone (§§ 58—60) excerpsit, in eadem narratiuncula ita scriptum invenerit. [Ammianus Marcellinus XVI, 8, 10 *(Dionysius aedem brevem* (Pavillon), *ubi cubitare sueverat, alta circumdedit fossa eamque ponte solubili superstravit, cuius disiectos asseres et axiculos secum in somnum abiens transferebat eosdemque compaginabat lucis initio processurus)* non Ciceronem, sed alium nescio quem auctorem secutus esse facile intelligitur.] *Cubicularis lectus* Cicero etiam de Divinat. II, 134 dixit. Ceterum, quod Tregderus in meliorum codd. corruptelis *fossa lata cubicularis lecto* aliud aliquid latere suspicatur, cf. de nota litterae *m* saepissime omissa vel addita I, 90, de *s* prave addito omissove I, 96.» W. —

ligneo coniunxisset, eum ipsum, cum forem cubiculi clauserat, detorquebat. Idemque cum in communibus suggestis consistere non auderet, contionari ex turri alta solebat. 60. Atque is cum pila ludere vellet — studiose enim id factitabat — tunicamque poneret, adulescentulo, quem amabat, tradidisse gladium dicitur. Hic cum quidam familiaris iocans dixisset «Huic quidem certe vitam tuam committis,» adrisissetque adulescens, utrumque iussit interfici, alterum, quia viam demonstravisset interimendi sui, alterum, quia dictum id risu adprobavisset. Atque eo facto sic doluit, nihil ut tulerit gravius in vita; quem enim vehementer amarat occiderat. Sic distrahuntur in contrarias partis impotentium cupiditates: cum huic obsecutus sis, illi est repugnandum.

XXI. 61. Quamquam hic quidem tyrannus ipse iudicavit quam esset beatus. Nam cum quidam ex eius adsentatoribus, Damocles, commemoraret in sermone copias eius, [opes,] maiestatem dominatus, rerum abundantiam, magnificentiam aedium regiarum, negaretque umquam beatiorem quemquam fuisse, «Visne igitur», inquit, «o Damocle, quoniam te haec vita delectat, ipse eam degustare et fortunam experiri meam?» Cum se ille cupere dixisset, conlocari iussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimo textili stragulo, magnificis operibus picto, abacosque compluris ornavit argento auroque caelato. Tum ad mensam eximia forma pueros delectos iussit consistere eosque nutum illius intuentis diligenter ministrare. 62. Aderant unguenta, coronae; incendebantur odores, mensae conquisitissimis epulis extruebantur: fortunatus sibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem gladium e lacunari saeta equina aptum demitti iussit, ut impenderet illius beati cervicibus. Itaque nec pulchros illos ministratores aspiciebat nec plenum artis argentum nec manum porrigebat in mensam, iam ipsae defluebant coronae; denique exoravit tyrannum, ut abire liceret, quod iam beatus nollet esse. Satisne videtur declarasse Dionysius nihil esse ei beatum, cui semper aliqui terror impendeat? Atque ei ne integrum quidem erat, ut ad iustitiam remigraret, civibus libertatem et iura redderet; iis enim se adulescens inprovida aetate inretierat erratis eaque commiserat, ut salvus esse non posset, si sanus esse coepisset.

XXII. 63. Quanto opere vero amicitias desideraret, quarum infidelitatem extimescebat, declaravit in Pythagoriis duobus illis, quorum cum alterum vadem mortis accepisset, alter, ut vadem suum liberaret, praesto fuisset ad horam mortis destinatam, «Utinam ego», inquit, «tertius vobis amicus adscriberer!» Quam huic erat miserum carere consuetudine amicorum, societate victus, sermone omnino familiari, homini praesertim docto a puero et artibus ingenuis erudito! Musicorum vero perstudiosum, poëtam etiam tragicum — quam bonum, nihil ad rem; in hoc enim genere nescio quo pacto magis quam in aliis suum cuique pulchrum est;

---

3. *atque his* G — 12. *indicavit* O — 13. *cum* om. G[1] — 14. *opes*, quod membrorum concinnitatem turbat, del. Seyffertus. — 15. *negnaretque* G — 16. *inquid* G[1]; om. R[1] — *haec te* O — 17. *eam* Klotzius: *eadem* C; *eandem* O. Cf IV § 6. — 23. *aepulis* G R — 24. *fulgentem* -- *seta equi aptum dimitit iussit* Nonius p. 235. — *saeta* G[2] R: *aeta* G[1]; *seta* O — 25. *dimitti* R — 29. *dyonisius* G R — *aliqui terror* B: *aliquid error* G R — 31. *his enim* C — 32. *comiserat* R — 34. *Quantopere* C — 35. *Pythagoreis* O — 36. *uade mortis* G R — *alter, ut*] *alterum* C — 37. *mortis* C: *morti* alii. — 40. *ingeniis* R — *misicorum* G R; *musicum* B.

adhuc neminem cognovi poëtam (et mihi fuit cum Aquinio amicitia), qui sibi non optumus videretur; sic se res habet: te tua, me delectant mea —: sed ut ad Dionysium redeamus, omni cultu et victu humano carebat. Vivebat cum fugitivis, cum facinerosis, cum barbaris: neminem, qui aut libertate dignus esset aut vellet omnino liber esse, sibi amicum arbitrabatur.

XXIII. 64. Non ego iam cum huius vita, qua taetrius, miserius, detestabilius excogitare nihil possum, Platonis aut Archytae vitam comparabo, doctorum hominum et plane sapientium: ex eadem urbe humilem homunculum a pulvere et radio excitabo, qui multis annis post fuit, Archimedem. Cuius ego quaestor ignoratum ab Syracusanis, cum esse omnino negarent, saeptum undique et vestitum vepribus et dumetis indagavi sepulchrum. Tenebam enim quosdam senariolos, quos in eius monumento esse inscriptos acceperam, qui declarabant in summo sepulchro sphaeram esse positam cum cylindro. 65. Ego autem, cum omnia conlustrarem oculis — est enim ad portas Agragianas magna frequentia sepulchrorum —, animum adverti columellam non multum e dumis eminentem, in qua inerat sphaerae figura et cylindri. Atque ego statim Syracusanis — erant autem principes mecum — dixi me illud ipsum arbitrari esse quod quaererem. Inmissi cum falcibus multi purgarunt et aperuerunt locum. 66. Quo cum patefactus esset aditus, ad adversam basim accessimus. Apparebat epigramma exesis posterioribus partibus versiculorum dimidiatis fere. Ita nobilissima Graeciae civitas, quondam vero etiam doctissima, sui civis unius acutissimi monumentum ignorasset, nisi ab homine Arpinati didicisset. Sed redeat unde aberravit oratio. Quis est omnium, qui modo cum Musis, id est cum humanitate et cum doctrina, habeat aliquod commercium, qui se non hunc mathematicum malit quam illum tyrannum? Si vitae modum actionemque quaerimus, alterius mens rationibus agitandis exquirendisque alebatur cum oblectatione sollertiae, qui est unus suavissimus pastus animorum, alterius in caede et *in* iniuriis cum et diurno et nocturno metu. Age confer Democritum, Pythagoram, Anaxagoram: quae regna, quas opes studiis eorum et delectationibus antepones? 67. Etenim quae pars optuma est in homine,

---

1. *Aquino* O — 3. *dyonisium* G R — 4. *facinorosis* B O — 8. *archytae uitae uitam* C (sed in B *uitae* delendum significatur) — 12. *septum* G R — 15. *ego ducem cum omnia* - - *portas Gaianas* Nonius p. 335. — 16. *enim aportas* C — *agragianas* C: *Achradinas* O «ex Ursini codice, i. e. coniectura. Malim ita scribi, ut in cod. archetypo fuit, *Agragianas*. Neque enim admodum veri simile est sic *Achradinas* in antiquissimo codice esse corruptum, neque facile ex *Achradina* (de qua Syracusarum parte muro cincta cf. Cic. Verr. IV, 119. Liv. XXIV, 22 sqq. XXV, 24 sqq.) adiectivum *Achradinus* fieri potuit (Liv. XXV, 25 *Achradinae portas*, non *Achradinas*, 31 *portis Achradinae*) neque *una* quaedam ex pluribus Achradinae portis apte sic dici. *Agragianas* ipsum verum sit an aliud aliquid lateat (Lambinus coniecit *ad portas Acraganas* i. e. *ad eam portam* [*portas* = *portam*, cf. *portae Ciliciae, Caspiae, πύλαι*], qua *via erat ad Agrigentum*, Camerarius usitata adiectivi forma *Acragantinas*), equidem in medio relinquo.» W. — 17. *animadverti* O — 19. *ipsum illud* O — 20. *Inmissi cum*] *in musicum* C — 21. *patefactum* G R — *aditus* in rasura habet G — *bassim* G R — 23. *dimidiatis*] primam syllabam *(di)* in rasura habet R, sed eadem m. — 25. *Arpinati* W (coll. § 74. Legg. I, 4. ad Q. fr. III, 1. ubi ter legitur): *Arpinate* C O. Vide etiam ad III § 3. — *reddeat* R et (expuncta priore *d*) G — 29. *exquaerendisque* R[1] — 31. *in* duo codd. Oxonienses: om. C O — 33. *in homine* - - *necesse est* om. G[1].

in ea situm esse necesse est illud, quod quaeris, optumum. Quid est autem in homine sagaci ac bona mente melius? Eius bono fruendum est igitur, si beati esse volumus; bonum autem mentis est virtus: ergo hac beatam vitam contineri necesse est. Hinc omnia, quae pulchra, honesta, praeclara sunt, ut supra dixi, sed dicendum idem illud paulo uberius videtur, plena gaudiorum sunt. Ex perpetuis autem plenisque gaudiis cum perspicuum sit vitam beatam existere, sequitur ut ea existat ex honestate.

XXIV. 68. Sed ne verbis solum attingamus ea, quae volumus ostendere, proponenda quaedam quasi moventia sunt, quae nos magis ad cognitionem intellegentiamque convertant. Sumatur enim nobis quidam praestans vir optumis artibus isque animo parumper et cogitatione fingatur. Primum ingenio eximio sit necesse est; tardis enim mentibus virtus non facile comitatur; deinde ad investigandam veritatem studio incitato. Ex quo triplex ille animi fetus existet: unus in cognitione rerum positus et in explicatione naturae, alter in discriptione expetendarum fugiendarumve rerum *et in ratio*ne vivendi, tertius in iudicando quid cuique rei sit consequens, quid repugnans, in quo inest omnis cum subtilitas disserendi tum veritas iudicandi. 69. Quo tandem igitur gaudio adfici necesse est sapientis animum cum his habitantem pernoctantemque curis! ut cum totius mundi motus conversionesque perspexerit sideraque viderit innumerabilia caelo inhaerentia cum eius ipsius motu congruere certis infixa sedibus, septem alia suos quaeque tenere cursus multum inter se aut altitudine aut humilitate distantia, quorum vagi motus rata tamen et

---

9. *eaque uolumus* R — 15. *faetus* G — 16. *discriptione* GR: *descriptione* O. Vide ad p. 303, 5. — *fugiendarumve rerum et in ratione vivendi* W: *fugiendarumque ue rerum ne uiuendi* G et (erasis *ue* et *ne uiuendi*) R; *fugiendarumque rerum* B; *fugiendarumve rerum* O; *fugiendarumve rerum arteque bene vivendi* Heine p. 5. «Hic, ubi, ut Acad. II, 114. Legg. I, 60—62. de Divinat. II, 10—11, significatur tripertita illa philosophiae divisio Acad. I, 19. II, 116. Fin. IV, 4. V, 9. de Orat. I, 68 diserte commemorata, de ethica vulgo haec tantum leguntur: *alter in descriptione expetendarum fugiendarumve rerum*, quibus dogmatica ethicae pars definitur, scil. de finibus bonorum et malorum. Ego ex Archetypo scribo *rerum* ÷ *ne et vivendi*. Sic enim [immo *rerum ne uiuendi*] R[1], alii. Haec autem quoniam in Archetypo neque errore ullo neque interpolatione addi potuerunt, necesse est in antiquiore aliquo codice fuisse, quae, ut opinor, lectu difficilia omittendo et transponendo sic depravarentur. Scilicet, quamquam quaestione illa de finibus b. et m. quasi fundamento quodam tota ethica nititur (cf. Fin. IV, 5. 14. V, 15. Divin. II, 2), tamen parum apte h. l. omissa esset paraenetica eius pars, quae est de officiis s. praeceptis, quibus in omnes partes usus *vitae* conformari possit (Offic. I, 7). Cf. Divinat. II, § 10: *quid bonum sit, quid malum, quid neutrum*. § 11: *de officiis, -- quem ad modum sit vivendum*. Acad. II § 114: *ut -- mores fingas* (cf. Fin. IV, 5), *fines bonorum malorumque constituas, officia describas, quam vitam ingrediar definias*. Brut. § 31: *haec* (philosophia), *in qua de bonis rebus et malis deque hominum vita et moribus disputatur*. Fin. V, 11—12. 15—16. Legg. I, 60. Et quidem tota ethica Fin. V, 9 *vivendi pars* dicitur, Acad. I, 19 *de vita et moribus* et *pars bene vivendi*, de Orat. I, 69 *locus de vita et moribus*; quibus locis tres illae partes brevius definiuntur; hoc autem loco, de quo agitur, aliquanto uberior ceterarum duarum significatio est. Accedit quod § 71, ubi ethica cognitio accuratius explicatur, de utraque eius parte exponitur. Quae cum ita sint ego suspicor in illis verbis *(ne uiuendi)* latere *et in vivendi ratione* aut *et in ratione vivendi* (cf. Acad. II, 132 *omnis ratio vitae* cet. Fin. V, 11. 15. 16. de Orat. II, 212): *bene* addi necesse non fuit. In R erasum *ne uiuendi* esse, quod intelligi non posset, non magis mirandum est quam III, 24 in cod. Gryphiano omissum illud Archetypi *vel cupiditas -- dici potest.*» W. — 17. *iudicando ne quid* R — 18. *cum* GR: *tum* BO — 19. *est*] *esset* C.

certa sui cursus spatia definiant. Horum nimirum aspectus impulit illos veteres et admonuit, ut plura quaererent. Inde est indagatio nata initiorum et tamquam seminum, unde essent omnia orta, generata, concreta, quaeque cuiusque generis vel inanimi vel animantis vel muti vel loquentis origo, quae vita, qui interitus quaeque ex alio in aliud vicissitudo atque mutatio, unde terra et quibus librata ponderibus, quibus cavernis maria sustineantur, qua omnia delata gravitate medium mundi locum semper expetant, qui est idem infimus in rutundo.

XXV. 70. Haec tractanti animo et noctes et dies cogitanti existit illa *a* deo Delphis praecepta cognitio, ut ipsa se mens agnoscat coniunctamque cum divina mente se sentiat, ex quo insatiabili gaudio completur. Ipsa enim cogitatio de vi et natura deorum studium incendit illius aeternitatis imitandi neque se in brevitate vitae conlocatum putat, cum rerum causas alias ex aliis aptas et necessitate nexas videt, quibus ab aeterno tempore fluentibus in aeternum ratio tamen mensque moderatur. 71. Haec ille intuens atque suspiciens vel potius omnis partis orasque circumspiciens quanta rursus animi tranquillitate humana et citeriora considerat! Hinc illa cognitio virtutis existit, efflorescunt genera partesque virtutum, invenitur quid sit quod natura spectet extremum in bonis, quid in malis ultumum, quo referenda sint officia, quae degendae aetatis ratio diligenda. Quibus et talibus rebus exquisitis hoc vel maxime efficitur, quod hac disputatione agimus, ut virtus ad beate vivendum sit se ipsa contenta. 72. Sequitur tertia, quae per omnis partis sapientiae manat et funditur, quae rem definit, genera dispertit, sequentia adiungit, perfecta concludit, vera et falsa diiudicat, disserendi ratio et scientia.

---

4. *loquentes* corr. in *loquentis* R — 5. *quae interitus* G R[1] B[1] — 7. *sustineant* G R B[1]; *sustineat* B[2] O — *qua* Davisius: *in qua* C O — 8. *expectant* C — *rutundo* G R: *rotundo* B O. Cf. p. 221, 19. — 9. *tractandi* G R — 10. *a* om. C. Vide ad § 80. — 11. *completur* Bentley: *compleatur* C — 12. *incedit* G R — 13. *imitandae* O. Madvigium et qui eum secuti sunt (v. Zumpt Gramm. § 661) negantes gerundii genitivum cum genitivo *singulari* substantivorum iungi refutat praeter hunc locum etiam Plaut. Capt. V, 4, 11: *quia mi item ut parentes lucis das tuendi copiam*. Atque etiam in versu Enniano de Fato § 35 et ad Herenn. II § 34 e vestigiis codicum scribendum videtur *navis inchoandi exordium*. — *conlocatum* cod. Pithoeanus: *conlocata* G R; *conlocatam* B O. «Hic, ubi affertur ratio, cur *sapiens* (§ 69 *sapientis*), cui *haec* (i. e. mundi naturam et originem atque quae inde cognosci potest, deorum vim et naturam) *tractanti animo* (ablat.) *et -- cogitanti existat cognitio suae mentis, insatiabili gaudio compleatur,* ego ex cod. Pith. sic scribo: *Ipsa enim cogitatio* (= Illud enim ipsum, quod *sapiens* cogitat) *de vi et natura deorum studium* (sc. *eius*) *incendit* (= Cum enim *sapiens* cogitat, incenditur studio) *illius aeternitatis imitandae neque (= id est, non) se in brevitate vitae collocatum putat, cum rerum causas -- nexas videt, quibus -- ratio* (divina) *moderatur*. Vulgo omnes mire edunt *collocatam*. An vero Cicero *ipsam cogitationem de vi et natura deorum* (non *animum* aut *mentem*, quod ferri poterat) *putare* aut proprie dicere potuit aut translate (ut *cogitatio*, quod in *incendit* proprie dictum est, in *putat* sit *is, qui cogitat)* ausus est? Apparet per chiasmum inter se respondere *Ipsa -- deorum* et *cum videt --*, *studium -- imitandae* et *se -- putat*: quod si ita est, subiectum verbi *putat* non potest non idem esse, quod (logicum) obiectum est verbi *incendit*, i. e. *eum,* cuius studium incenditur. Subiectorum quae h. l. est mutatio grammatica, non logica, praesertim cum proxime praecedat *tractanti -- completur* et sequatur (de sapientis ex altera philosophiae parte gaudiis) *Haec ille intuens,* eam neque excusare neque exemplis confirmare opus est.» W. Adsentitur Bake l. l. p. 440, sed praeterea scribendum censet *putat, qui rerum -- videt, quibus -- moderetur*. — 19. *expectet* corr. in *spectet* G — 20. *quid* C: *quod* O — *degente* (superscr. *d*) G — 21. *diligenda* C: *deligenda* O — 24. *difiniuit* G R. Vide ad II § 2.

Ex qua cum summa utilitas existit ad res ponderandas, tum maxume ingenua delectatio et digna sapientia. Sed haec otii. Transeat idem iste sapiens ad rem publicam tuendam. Quid eo possit esse praestantius, cum prudentia utilitatem civium cernat, iustitia nihil in suam domum inde derivet, reliquis utatur tot tam variisque virtutibus? Adiunge fructum amicitiarum, in quo doctis positum est cum consilium omnis vitae consentiens et paene conspirans, tum summa iucunditas e cotidiano cultu atque victu. Quid haec tandem vita desiderat quo sit beatior? cui refertae tot tantisque gaudiis fortuna ipsa cedat necesse est. Quod si gaudere talibus bonis animi, id est virtutibus, beatum est, omnesque sapientes his gaudiis perfruuntur, omnis eos beatos esse confiteri necesse est. XXVI. 73. *A.* Etiamne in cruciatu atque tormentis? *M.* An tu me in viola putabas aut in rosa dicere? An Epicuro, qui tantum modo induit personam philosophi et sibi ipse hoc nomen inscripsit, dicere licebit, quod quidem, ut habet se res, me tamen plaudente dicit, nullum sapienti esse tempus, etiam si uratur, torqueatur, secetur, quin possit exclamare: «Quam pro nihilo puto!» cum praesertim omne malum dolore definiat, bonum voluptate, haec nostra honesta turpia inrideat dicatque nos in vocibus occupatos inanis sonos fundere, neque quicquam ad nos pertinere nisi quod aut leve aut asperum in corpore sentiatur: huic ergo, ut dixi, non multum differenti a iudicio ferarum oblivisci licebit sui et tum fortunam contemnere, cum sit omne et bonum eius et malum in potestate fortunae, tum dicere se beatum in summo cruciatu atque tormentis, cum constituerit non modo summum malum esse dolorem, sed etiam solum? 74. Nec vero illa sibi remedia comparavit ad tolerandum dolorem, firmitatem animi, turpitudinis verecundiam, exercitationem consuetudinemque patiendi, [praecepta fortitudinis,] duritiam virilem, sed una se dicit recordatione adquiescere praeteritarum voluptatum, ut si quis aestuans, cum vim caloris non facile patiatur, recordari velit sese aliquando in Arpinati nostro gelidis fluminibus circumfusum fuisse. Non enim video, quo modo sedare possint mala praesentia praeteritae voluptates. 75. Sed cum is dicat semper beatum esse sapientem, cui dicere hoc, si sibi constare vellet, non liceret, quidnam faciendum est iis, qui nihil expetendum, nihil in bonis ducendum quod honestate careat existumant? Me quidem auctore etiam Peripatetici veteresque Academici balbutire aliquando desinant aperteque et clara voce audeant dicere beatam vitam in Phalaridis taurum descensuram.

XXVII. 76. Sint enim tria genera bonorum, ut iam a laqueis Stoi-

---

4. *prudentia* Lambinus: *contineri prudentia* C — 6. *cum* C: *tum* O — 8. *victu*] *victurus* C — *cui*] *cui rei* C — *referta* R — 11. *confiteri beatos esse* O — 12. *ne* in R erasum est. — 13. *qui* G¹: *quia* G² R B — 16. *etiam si* C: *et si* O — 25. *tollerandum* G R — 27. *praecepta fortitudinis* del. Seyffertus. — 28. *voluptatium* C. «Scribendum est ex Archetypo *voluptatium*, ut apud Livium XXIV, 8 ex melioribus codd. editur. De meliorum codd. frequentissima scriptura *civitatium* cf. Cic. de Rep. II, 8. Epp. ad Fam. X, 8, 6. XII, 13, 3. Tacit. Ann. III, 63. IV, 14. Hist. I, 54. Liviani quidem codd. meliores fere semper *aetatium, civitatium, difficultatium, simultatium, utilitatium.*» W. At cf. §§ 94. 96. al. — 29. *esse* G R et (ead. m. corr. in *sese*) B; *se* O — 33. *his* C O — 35. *me quidem* — *aliquando desinant* Nonius p. 80. — *auctoritate* corr. in *auctore* R — 36. *balbuttire* G R et Nonius. (*caecuttis* Varro ap. Nonium p. 35, 4; *caecuttiunt* idem ap. eundem p. 86, 12.) — 37. *decensuram* G R.

corum, quibus usum me pluribus quam soleo intellego, recedamus, sint sane illa genera bonorum, dum corporis et externa iaceant humi et tantum modo, quia sumenda sint, appellentur bona, alia autem illa divina longe lateque se pandant caelumque contingant: [ut] ea qui adeptus sit, cur eum beatum modo et non beatissimum etiam dixerim? Dolorem vero sapiens extimescet? Is enim huic maxime sententiae repugnat; nam contra mortem nostram atque nostrorum contraque aegritudinem et reliquas animi perturbationes satis esse videmur superiorum dierum disputationibus armati et parati: dolor esse videtur acerrumus virtutis adversarius, is ardentis faces intentat, is fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam se debilitaturum minatur. 77. Huic igitur succumbet virtus, huic beata sapientis et constantis viri vita cedet? Quam turpe, o di boni! Pueri Spartiatae non ingemescunt verberum dolore laniati. Adulescentium greges Lacedaemone vidimus ipsi incredibili contentione certantis pugnis, calcibus, unguibus, morsu denique, cum exanimarentur prius, quam victos se faterentur. Quae barbaria India vastior aut agrestior? in ea tamen gente primum ei, qui sapientes habentur, nudi aetatem agunt et Caucasi nives hiemalemque vim perferunt sine dolore, cumque ad flammam se adplicaverunt, sine gemitu aduruntur. 78. Mulieres vero in India, cum est cuius earum vir mortuus, in certamen iudiciumque veniunt, quam plurimum ille dilexerit — plures enim singulis solent esse nuptae —: quae est victrix, ea laeta prosequentibus suis una cum viro in rogum imponitur, illa victa maesta discedit. Numquam naturam mos vinceret; est enim ea semper invicta; sed nos umbris, deliciis, otio, languore, desidia animum infecimus, opinionibus maloque more delenitum mollivimus. Aegyptiorum morem quis ignorat? quorum inbutae mentes pravitatis erroribus quamvis carnificinam prius subierint quam ibim aut aspidem aut faelem aut canem aut crocodilum violent, quorum etiam si inprudentes quippiam fecerint, poenam nullam recusent. 79. De hominibus loquor: quid bestiae? non frigus, non famem, non montivagos atque silvestris cursus lustrationesque patiuntur? non pro suo partu ita propugnant, ut vulnera excipiant, nullos impetus, nullos ictus reformident? Omitto quae perferant quaeque patiantur ambitiosi honoris causa,

---

2. *et* ante *externa* om. C — 3. *illa* om. G¹ — 4. *ut* del. Lambinus. Vide ad I § 50. — 5. *modo* om. B — 9. *uirtuti* C O. «Scribe una littera addita *virtutis*; cf. Offic. III, 86 *gravem adversarium imperii*. Har. Resp. § 34 *acerrimum Hermarchi adversarium, Theodosium*. Addito verbo *acerrimus* quoniam substantivum *adversarius* est, genitivus est necessarius. Alius generis est (ad Famil. II, 4, 2) *Est tibi gravis adversaria constituta et parata* et (Verr. Act. I, 36) *profiteor huic generi hominum me inimicum accusatorem, odiosum, adsiduum. acerbum adversarium*, ubi dativus (commodi quem vocant) ex sententiae verbo vel potius ex tota sententia pendet (cf. Obss. in Sestianam p. 51), ut Philipp. II, 64 *dis* ex *esset tam hostis*. Att. V, 1, 1 *meo* ex *sum ipse testis*. VIII, 7, 1 *cui* (fugae) ex *me comitem esse*. VII, 9, 3 *ei* ex *remedium est ullum*. (Philipp. XIII, 15 *receptui signum* brevius dictum est pro receptui canens signum; cf. R. P. I, 3). Ne posteriores quidem scriptores ut Livius, Tacitus, quos multis modis dativo pro genitivo liberius esse usos constat, temere illo verborum ordine *virtuti* posuissent.» W. — 12. *caedet* R — *dii* C — 13. *ingemiscunt* B O — 14. *contione* G² R et (corr. ead. m. in *contentione*) B; *conditione* G¹ — 15. *se victos* B O — 16. *quae barbaria -- agrestior?* Nonius p. 415. — 22. *rogum ponitur* G¹ — 24. *delitiis* G R — *langore* G — 25. *mollium; (= molliumus)*. R — 26. *prauitatibus* B; *pravis* Lambinus (Bake p. 110). — 28. *felem* O. Cf. N. D. I § 82. — *corcodillum* G R; *crocodillum* B. Vid. Ritschl Mus. Rhen. N. S. IX p. 478 sqq. et 640.

laudis studiosi gloriae gratia, amore incensi cupiditatis: plena vita exemplorum est.

XXVIII. 80. Sed adhibeat oratio modum et redeat illuc, unde deflexit. Dabit, inquam, se in tormenta vita beata, nec iustitiam, temperantiam in primisque fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam prosecuta, cum tortoris os viderit, consistet virtutibusque omnibus sine ullo animi terrore ad cruciatum profectis resistet extra fores, ut ante dixi, limenque carceris. Quid enim ea foedius, quid deformius sola relicta, *a* comitatu pulcherrimo segregata? quod tamen fieri nullo pacto potest; nec enim virtutes sine beata vita cohaerere possunt nec illa sine virtutibus. 81. Itaque eam tergiversari non sinent secumque rapient, ad quemcumque ipsae dolorem cruciatumque ducentur. Sapientis est enim proprium nihil quod paenitere possit facere, nihil invitum, splendide, constanter, graviter, honeste omnia, nihil ita exspectare quasi certo futurum, nihil cum acciderit admirari, ut inopinatum ac novum accidisse videatur, omnia ad suum arbitrium referre, suis stare iudiciis. Quo quid sit beatius mihi certe in mentem venire non potest. 82. Stoicorum quidem facilis conclusio est, qui cum finem bonorum esse senserint congruere naturae cumque ea convenienter vivere, cum id sit in sapientis situm non officio solum, verum etiam potestate, sequatur necesse est ut, cuius in potestate summum bonum, in eiusdem vita beata sit. Ita fit semper vita beata sapientis. Habes quae fortissime de beata vita dici putem et, quo modo nunc est, nisi quid tu melius attuleris, etiam verissime.

XXIX. *A.* Melius equidem adferre nihil possum, sed a te impetrarim lubenter, ut, nisi molestum est, quoniam te nulla vincula impediunt ullius certae disciplinae libasque ex omnibus quodcumque te maxime specie veritatis movet, quod paulo ante Peripateticos veteremque Academiam hortari videbare, ut sine retractatione libere dicere auderent sapientis esse semper beatissimos, id velim audire, quem ad modum his putes consentaneum esse id dicere; multa enim a te contra istam sententiam dicta sunt et Stoicorum ratione conclusa. 83. *M.* Utamur igitur libertate, qua nobis solis in philosophia licet uti, quorum oratio nihil ipsa iudicat, sed habetur in omnis partis, ut ab aliis possit ipsa per sese nullius auctoritate adiuncta iudicari. Et quoniam videris hoc velle, ut, quaecumque dissentientium philosophorum sententia sit de finibus, tamen virtus satis habeat ad vitam beatam praesidii, quod quidem Carneadem disputare solitum accepimus; sed is ut contra Stoicos, quos studiosissime semper refellebat et contra quorum disciplinam ingenium eius exarserat, nos quidem illud cum pace agemus. Si enim Stoici finis bonorum

---

1. *plana* G R — *exemplum* G¹ — 4. *Dabit* C: *Dabit, dabit* O — 5. *patientia* G R B¹ — 7. Inter *resistet* et *extra* erasum est *et* in R — 9. *a* Lambinus: om. C O. Vide adnotationis supplementum infra p. 366. — 11. *itaque illa tergiversari - - rapienti* Nonius p. 41. — *sinenti* G R — 13. *penitere* G R — *possit* om. G¹ — 14. *graviter constanter* R, sed additis ead. m. signis transpositionis. «Conf. §§ 12. 13. 104.» W. — 15. *opinatum* R¹ — 19. *sapientis* Lambinus: *sapiente* C. Conf. v. 21: *cuius in potestate summum bonum.* — 26. *est* Halmius: *sit* C O — 27. *illius* G R et (corr. in *ullius*) B — 28. *achademiam* G R — 29. *dicerent* G R (in G litterae *nt* punctis notatae sunt) — 37. *uirtutis satis* G — 39. *exasserat* G R — 40. *nos quidem illud* W: *nos illud quidem* C O. «Non inter-

recte posiverunt, confecta res est: necesse est semper beatum esse sapientem. 84. Sed quaeramus unam quamque reliquorum sententiam, si fieri potest, ut hoc praeclarum quasi decretum beatae vitae possit omnium sententiis et disciplinis convenire.

XXX. Sunt autem haec de finibus, ut opinor, retentae defensaeque sententiae; primum simplices quattuor: nihil bonum nisi honestum, ut Stoici; nihil bonum nisi voluptatem, ut Epicurus; nihil bonum nisi vacuitatem *doloris*, ut Hieronymus; nihil bonum nisi naturae primis bonis aut omnibus aut maxumis frui, ut Carneades contra Stoicos disserebat. 85. Haec igitur simplicia; illa mixta: tria genera bonorum, maxuma animi, secunda corporis, externa tertia, ut Peripatetici, nec multo veteres Academici secus; voluptatem cum honestate Dinomachus et Callipho copulavit; indolentiam autem honestati Peripateticus Diodorus adiunxit. Hae sunt sententiae, quae stabilitatis aliquid habeant; nam Aristonis, Pyrrhonis, Erilli non nullorumque aliorum evanuerunt. Hi quid possint optinere videamus omissis Stoicis, quorum satis videor defendisse sententiam. Et Peripateticorum quidem explicata causa est: praeter Theophrastum et si qui illum secuti imbecillius horrent dolorem et reformidant, reliquis quidem licet facere id, quod fere faciunt, ut gravitatem dignitatemque virtutis exaggerent. Quam cum ad caelum extulerunt, quod facere eloquentes homines copiose solent, reliqua ex conlatione facile est conterere atque contemnere. Nec enim licet iis, qui laudem cum dolore petendam esse dicunt, negare eos esse beatos, qui illam adepti sint; quamquam enim sint in quibusdam malis, tamen hoc nomen beati longe et late patet.

XXXI. 86. Nam ut quaestuosa mercatura, fructuosa aratio dicitur, non si altera semper omni damno, altera omni tempestatis calamitate semper vacat, sed si multo maiore ex parte exstat in utraque felicitas, sic vita non solum si undique referta bonis est, sed si multo maiore et graviore ex parte bona propendent, beata recte dici potest. 87. Sequetur igitur horum ratione vel ad supplicium beata vita virtutem cumque ea descendet in taurum Aristotele, Xenocrate, Speusippo, Polemone auctoribus, nec eam minis aut blandimentis corrupta deseret. Eadem

---

iecta illa sententia, *quod quidem -- exarserat,* Cicero dicere potuit: *id agemus (disputabimus)*; nunc quoniam praecedit *is ut contra Stoicos -- exarserat,* contrarium *cum pace* addidit, et simul oppositionis indicandae causa *nos quidem.* De *quidem* sic posito cf. § 83: *praeter Theophrastum -- reliquis quidem.* § 121: *ceteris -- nostris quidem.* I, 99. 67 al.» W. — 1. *possiuerunt* C; *posuerunt* O — 2. *sentiam* R — 5. *haec* C: *hae* O. Cf. III § 84. — 8. *doloris* om. C — *hieronimus* G R — «*bonis* ego cum Madvigio ad Fin. IV, 15 (p. 509) ex Goerenzii coniectura uncis includo, neque vero iis, quae sunt de Fin. V, 45 *(bona naturae)* 58. Acad. II, 138 *(prima naturae commoda)* satis defendi potest.» W. — 12. *achademici* G R — *Calliphon* O — 13. *peripaticus* G — 15. *pyrroni ferilli* C; *Pyrrhonis, Herilli* O. Cf. de Finib. II § 35. Plin. N. H. XXXV § 60. — 18. *imbecilius* G R — 20. *extulerunt* Madvig (ad Cic. de Fin. p. 690): *extulerint* C O — 22. *his* C — 23. *expetendam* Bake l. l. p. 111. — *dicunt -- sint* Bake (ibidem): *dicant -- sunt* C O. «Loquitur de certis philosophis, non indefinite, qui *dicunt,* ut recte multi codd. habent: tum, quoniam hoc universe et tamquam in definitione ponitur, [ex Ernestii coniectura] *qui adepti sint* [coniunctivus obliquus], non *sunt.*» — 26. *fructuosa ratio* C — 27. *omni tempestatis* Ursinus: *omnis tempestatis* C — 28. *expartae* R — 31. *horum*] *bonorum* C — 33. *minis aut blandimentis* Bentley: *minimis blandimentis* C; *nominis* (sc. quo *beatus* appellatur) *blandimentis* Bake l. l. p. 112; «*minis* [*blandimentis*] Tregderus. At *minis corrumpi* Latine non dicitur. Quare, si alterum utrum spurium esset, *minis* potius delendum erat; sed sine dubio vera

Calliphontis erit Diodorique sententia, quorum uterque honestatem sic complectitur, ut omnia, quae sine ea sint, longe retro ponenda censeat. Reliqui habere se videntur angustius, enatant tamen: Epicurus, Hieronymus et si qui sunt, qui desertum illud Carneadeum curent defendere. Nemo est enim eorum quin bonorum animum putet esse iudicem eumque condocefaciat, ut ea, quae bona malave videantur, possit contemnere. 88. Nam quae tibi Epicuri videtur, eadem erit Hieronymi et Carneadis causa et hercule omnium reliquorum. Quis enim parum est contra mortem aut dolorem paratus?

Ordiamur ab eo, si placet, quem mollem, quem voluptarium dicimus. Quid? is tibi mortemne videtur aut dolorem timere? qui eum diem, quo moritur, beatum appellat, maxumisque doloribus adfectus eos ipsos inventorum suorum memoria et recordatione confutat, nec haec sic agit, ut ex tempore quasi effutire videatur. De morte enim ita sentit, ut dissoluto animante sensum extinctum putet, quod autem sensu careat, nihil ad nos id iudicet pertinere. Item de dolore certa habet quae sequatur, cuius magnitudinem brevitate consolatur, longinquitatem levitate. 89. Qui tandem isti grandiloqui contra haec duo, quae maxime angunt, melius se habent quam Epicurus? an ad cetera, quae mala putantur, non et Epicurus et reliqui philosophi satis parati videntur? Quis non paupertatem extimescit? neque tamen quisquam philosophorum.

XXXII. Hic vero ipse quam parvo est contentus! Nemo de tenui victu plura dixit. Etenim quae res pecuniae cupiditatem adferunt, ut

---

est Bentleii coniectura: *minis* (conf. de hoc erroris genere ad I § 35) *aut* (an *nec*?) *blandimentis corrupta deseret* i. e. nec beata vita *minis doloris* (a se repellentibus) *territa* nec *voluptatis blandimentis* (ad se revocantibus; cf. § 44 et de Senecae uxore Tac. Ann. XV, 64 *blandimentis vitae evictam* sc. ut mori nollet) *corrupta* (cf. Fin. I, 33 *blanditiis praesentium voluptatum deleniti atque corrupti*. Acad. II, 139. Tusc. Disp. IV, 6. p. Caelio § 41) virtutem ad supplicium proficiscentem deseret. De quo zeugmatis genere cf. Madvig ad Fin. II, 88. Gramm. § 478 n. 4. Catil. II, 28 *ut res -- sedetur*. III, 24 *omnis hic locus acervis corporum et civium sanguine redundavit*. Famil. XV, 5, 2 *qua in re nihil fortuito* (factum) *sed* (nihil non) *summa tua ratione -- rei p. provisum est*. Terent. Andr. III, 5, 18. Cum *minis* semel corruptum esset, non mirum, si *aut* omissum est. Potest tamen fieri, ut plura (*aut territa* vel *commota*) sive exciderint sive expulsa sint; quare ego sic scribo: † *minimis blandimentis*. Nam asyndeton (*minis blandimentis*), quod Klotzius probavit, minus commodum, praesertim in illo zeugmate, mihi videtur.» W. — 1. *diodorisque* G R — 2. *longe retro* W: *longe et retro* C O, «sine sententia; quid enim est *longe ponere*? *Longe removere* neque sic dici potest nec tamen aptum esset. Kühnerus quod ait esse idem ac *longe posthabenda*, quaero, num pro eo, quod est III § 29 *longe ante videris*, etiam *longe et ante videris* dicere licuerit. Delendum est *et*; cf. § 6 *tam longe retro respicere*, Virgil. Aen. V, 428 *Abduxere retro longe capita*, nota illa *longe postponere*, *ante ponere* § 42 cet. *Et*, ut non raro, ex —e natum est.» W. — 4. *disertum* B — *illud Carneadeum* Bake (l. l. p. 112): *illum carneadeum* G R; *illum Carneadem* B O — 5. *nemo est enim qui eorum sonorum -- contemnere* Nonius p. 82. — *enim eorum quin* Ernestius: *enim qui eorum* C; *enim quin verorum* Bentley; *enim quin* [*eorum*] Tregderus; «*eorum* i. e. reliquorum, Epicuri, Hieronymi *et si qui -- defendere*. Tregderi coniectura audacior est, et ita se habet, quasi h. l. *omnium* omnino nemo fuisse dicatur, quin ita putaret.» W. — 6. *bona* om. G[1] — 7. *Nam quod tibi epicurus* C — 9. *mortem et dolorem* B — 10. *ordinamur* G R — *quem* (ante *mollem*) corr. ead. m. ex *quam* R — 11. *aut dolorem* cod. Vindobonensis: *an dolorem* C O. Disiunctioni hic locum non esse primus vidit Tischerus. — 13. *nec haec -- videatur* Nonius p. 103. — 14. *effutiire* G R — *ita* margo B: *ista* C — 16. *de* om. C — 17. *cuius* Bentley: *quorum* C — 18. *lenitate* G B, *laenitate* R. Cf. p. 86, 35. 103, 2. 123, 29. — *qui tandem -- angunt* Nonius p. 115.

amori, ut ambitioni, ut cotidianis sumptibus copiae suppetant, cum procul ab his omnibus rebus absit, cur pecuniam magno opere desideret vel potius cur curet omnino? 90. An Scythes Anacharsis potuit pro nihilo pecuniam ducere, nostrates philosophi facere non potuerunt? Illius epistula fertur his verbis: «Anacharsis Hannoni salutem. Mihi amictui est Scythicum tegimen, calciamentum solorum callum, cubile terra, pulpamentum fames; lacte, caseo, carne vescor. Qua re ut ad quietum me licet venias; munera autem ista, quibus es delectatus, vel civibus tuis vel dis immortalibus dona.» Omnes fere philosophi omnium disciplinarum, nisi quos a recta ratione natura vitiosa detorsisset, eodem hoc animo esse potuerunt. 91. Socrates, in pompa cum magna vis auri argentique ferretur, «Quam multa non desidero!» inquit. Xenocrates, cum legati ab Alexandro quinquaginta ei talenta attulissent, quae erat pecunia temporibus illis, Athenis praesertim, maxuma, abduxit legatos ad cenam in Academiam: iis apposuit tantum, quod satis esset, nullo apparatu. Cum postridie rogarent eum, cui numerari iuberet, «Quid? vos hesterna,» inquit, «cenula non intellexistis me pecunia non egere?» Quos cum

---

2. *magnopere* C — 3. *cythes anacahrsis* G — 4. *poterunt* O. «*Potuerunt* et maiore codicum auctoritate confirmatur et per se ipsum aptius est. Scilicet ii, qui *poterunt* ediderunt, fere *nostrates* ita intellexisse videntur, ut esset *Romani, qui nunc sunt*: quamquam, etiamsi *Romani* intelligendi essent, nihil causae erat, cur non ii, qui *iam fuissent* (cf. IV c. 3), intelligerentur scribereturque *potuerunt*. Sed quoniam Cicero a § 88 *(Ordiamur)* ad § 118 *(relinquas)* illud disputat, vel *Epicurum* «animum condocefacere, ut ea, quae bona malave videantur, possit contemnere» (87), itaque eius quoque disciplinae convenire praeclaram illam sententiam, sapientem semper esse beatum (84. 119), necesse est *Scythae* Anacharsidi (i. e. *barbaro* philosopho) opponi non Romanos, qui Ciceronis tempore erant, philosophos, sed *Graecos, qui iam fuerant*, «Epicurum et reliquos», qui § 89 paupertatem non extimuisse, sed ad eam satis parati fuisse dicuntur. Quare verum est *potuerunt*, quod vel ex iis intelligi potuit, quibus post interiectam Anacharsidis epistolam eadem sententia repetitur: *Omnes fere philosophi omnium disciplinarum* («Socrates, Xenocrates, Diogenes») -- *eodem hoc animo esse potuerunt*; neque vero obstat, quod praecedit, *cum* (Epicurus) -- *absit, cur pecuniam* -- *curet omnino?*; *absit* -- *curet* enim eodem modo pro *abesset* -- *curaret* positum est, quo supra *est contentus* = *fuit contentus* (cf. Madvig § 334. Ovid. Metam. I, 617 et II, 187 *Quid faciat?* = *Quid faceret?*). Quod *nostrates* h. l. est i. q. *Graeci*, conferri potest § 103 *noster Demosthenes*. Suspicari licet Ciceronem in hac de Epicuro disputatione idem fecisse, quod Petersenius (in ind. scholarum gymn. Hamburg. 1833) in libris de Nat. Deorum, Madvigius (p. LXIV. p. 35. Exc. V. VII) in libris de Finibus ab eo factum demonstravit, ut saepe tacite, quem Graecum scriptorem elegisset quem sequeretur, eius non solum sententias totasque disputationes excerperet, sed etiam verba ipsa simpliciter verteret. Quem Epicureum in hac parte secutus sit [ita, ut ipse plura adderet, maxime exempla ex *Romana* historia sumpta. § 105 *(malo enim Graecorum quam nostra proferre)* sic, opinor, intelligere licet: *scilicet quia illa iam sunt a Graeco, quem sequor, scriptore collecta.*], eundem illum Phaedrum, quem in primo de Nat. Deor. et sine dubio etiam in primo de Finib. compilavit, an Zenonem (cf. III, 38) an alium aliquem, nescio. Quod vero Handius (ad Wopk. p. 2) in hoc per bimembrem interrogationem concludendi genere (de quo cf. Madvig Emendd. in libros de Legg. et Acad. p. 39 sqq.) negat *duo praeterita* umquam poni, sed semper in posteriore membro aut *futurum* aut *praesens*, satis habeo conferre p. Balbo § 54: *An lingua et ingenio* -- *potuit, manu et virtute non potuit? anne de nobis* -- *licebat, de hostibus non licebat?* de Fin. I, 72: *An* -- *eas artes persequeretur, vivendi artem relinqueret?* de domo sua § 26: *An* -- *licuit tibi ferre* -- *privilegium* --: *mihi* -- *non licuit* -- *sententiam dicere?*» W. — 6. *palpamentum* GR — 7. *ad* superscr. in G — 9. *diis* C — 12. *ferretur* om. G¹ — 14. *cęnam* RB, *coenam* O — 15. *achademiam* GR — 17. *cenula* G: *caenula* RB, *coenula* O — *intellexisti* (superscr. in fine *s*) R — *quod cum* G et (*d* corr. in *s*) R.

tristiores vidisset, triginta minas accepit, ne aspernari regis liberalitatem videretur. 92. At vero Diogenes liberius, ut Cynicus, Alexandro roganti, ut diceret, si quid opus esset, «Nunc quidem paululum,» inquit, «a sole»; offecerat videlicet apricanti. Et hic quidem disputare solebat, quanto regem Persarum vita fortunaque superaret: sibi nihil deesse, illi nihil satis umquam fore; se eius voluptates non desiderare, quibus numquam satiari ille posset, suas eum consequi nullo modo posse.

XXXIII. 93. Vides, credo, ut Epicurus cupiditatum genera diviserit, non nimis fortasse subtiliter, utiliter tamen: partim esse naturales et necessarias, partim naturales et non necessarias, partim neutrum; necessarias satiari posse paene nihilo, divitias enim naturae esse parabiles; secundum autem genus cupiditatum nec ad potiendum difficile esse censet nec vero ad carendum; tertias, quod essent plane inanes neque necessitatem modo, sed ne naturam quidem attingerent, funditus eiciendas putavit. 94. Hoc loco multa ab Epicureis disputantur eaeque voluptates singillatim extenuantur, quarum genera non contemnunt, quaerunt tamen copiam. Nam et obscenas voluptates, de quibus multa ab illis habetur oratio, facilis, communis, in medio sitas esse dicunt, easque si natura requirat, non genere aut loco aut ordine, sed forma, aetate, figura metiendas putant, ab iisque abstinere minime esse difficile, si aut valetudo aut officium aut fama postulet, omninoque genus hoc voluptatum optabile esse, si non obsit, prodesse numquam. 95. Totumque hoc de voluptate sic ille praecipit, ut voluptatem ipsam per se, quia voluptas sit, semper optandam expetendamque putet, eademque ratione dolorem ob

---

1. *tristioris* C — 4. *disputari* R[1]; *dictare* B — 8. *diuisserit* (altera *s* superscr.) G — 11. *parabiles esse* B — 12. *nec*] *ne* G — 15. *ab* corr. ex *ad* R — 16. *quarum genera -- tamen copiam*] «Bentley coniecit *nec* (vel *non*) *quaerunt*; H. Wolfius coni. *quarum genera cum contemnunt, quaerunt tamen copiam.* Codicum lectionem Tullio recte restituit Orellius, sententiam loci sic explicans: singulas voluptates extenuant; genera ipsa non contemnunt; [nam ἡ ἡδονὴ de Epicureorum sententia summum bonum erat;] ita tamen quaerunt, si facile sint parabiles neque obsint. Copiam [facilitatem] enim voluptatum studiosissime quaesitam esse ab Epicureis. Tregderus *non* ante *contemnunt* delevit, auctore Madvigio ad Fin. I, 46 p. 94, qui *non* ex mala repetitione *(non con)* ortum putat et loci sententiam sic explicat: «generatim contemnebant et extenuabant voluptates, velut obscenas, cibi, ceteras; vivere tamen in omnium copia malebant.» At haec sententia sine dubio perversa est; nam verbis *voluptates singillatim extenuantur* aperte verba *quarum genera non contemnunt* opponuntur. Neque magis vera est quam Tregderus attulit explicatio: *genera* quidem *contemnunt,* i. e. singulas voluptates, quas *extenuant,* sed *quaerunt copiam.*» At qui tandem nomen *genera* h. l. significare potest *species*, cum proxime antecedat *singillatim*? Mihi quidem verba *quaerunt tamen copiam* non verbis *quarum genera non contemnunt,* sed verbis *eaeque voluptates singillatim extenuantur* opposita videntur, ut haec sit sententia: etsi Epicurei eas voluptates, quarum genera ipsa *(Arten)* non contemnunt, singulas extenuant, tamen singularum voluptatum multitudinem ita quaerunt, ut ex iis perpetuitas quaedam voluptatis exsistat (§ 95). Quod autem post passivum *extenuantur* non pergitur *quaeritur tamen copia,* id eo minus offensioni potest esse, quod iam in enuntiatione secundaria *quarum g. non contemnunt* activum positum est.» KUEHNER. — 17. *una et obscenas voluntates -- habet oratio* Nonius p. 357. — *et obscenas*] «Kühnerum, cui *et* est *etiam*, illud monitum volo, § 97 post longam parenthesin pro *et magnificentia sumptusque epularum extenuatur* dictum esse *Atque his similia -- epularum.* Cf. Madvig de Fin. p. 790 sq. 802 sq.» W. — 20. *ab hisque* C — *ualitudo* h. l. G R — 24. *optandam expetendam putet* C; *optandam* [*expetendam*] *putet* Kühnerus; [*optandam*] *expetendam putet* Tregderus. «Excidit potius *q.* ante sequens *p* aut *et* ante *exp.*, quam librarius quisquam tritissimo vocabulo *expet.* glossema ascriberet. De synonymis *optare* et *expetere* cf. de Orat. I, 221. in Pison. § 32. de Fin. III, 46.» W.

id ipsum, quia dolor sit, semper esse fugiendum, itaque hac usurum compensatione sapientem, ut et voluptatem fugiat, si ea maiorem dolorem effectura sit, et dolorem suscipiat maiorem efficientem voluptatem, omniaque iucunda, quamquam sensu corporis iudicentur, ad animum referri tamen; 96. quocirca corpus gaudere tam diu, dum praesentem sentiret voluptatem, animum et praesentem percipere pariter cum corpore et prospicere venientem nec praeteritam praeterfluere sinere; ita perpetuas et contextas voluptates in sapiente fore semper, cum expectatio speratarum voluptatum *cum* perceptarum memoria iungeretur.

XXXIV. 97. Atque his similia ad victum etiam transferuntur, extenuaturque magnificentia et sumptus epularum, quod parvo cultu natura contenta sit. Etenim quis hoc non videt, desideriis omnia ista condiri? Darius in fuga cum aquam turbidam et cadaveribus inquinatam bibisset, negavit umquam se bibisse iucundius; numquam videlicet sitiens biberat. Nec esuriens Ptolemaeus ederat; cui cum peragranti Aegyptum comitibus non consecutis cibarius in casa panis datus esset, nihil visum est illo pane iucundius. Socraten ferunt, cum usque ad vesperum contentius ambularet quaesitumque esset ex eo, qua re id faceret, respondisse se, quo melius cenaret, obsonare ambulando famem. 98. Quid? victum Lacedaemoniorum in philitiis nonne videmus? Ubi cum tyrannus cenavisset Dionysius, negavit se iure illo nigro, quod cenae caput erat, delectatum. Tum is, qui illa coxerat: «Minime mirum; condimenta enim defuerunt.» «Quae tandem?» inquit ille. «Labor in venatu, sudor, cursus ad Eurotam, fames, sitis; his enim rebus Lacedaemoniorum epulae condiuntur.» Atque hoc non ex hominum more solum, sed etiam ex bestiis intellegi potest, quae, ut quicquid obiectum est, quod modo a natura non sit alienum, eo contentae non quaerunt amplius. 99. Civitates quaedam universae more doctae parsimonia delectantur, ut de Lacedaemoniis paulo ante diximus. Persarum a Xenophonte victus exponitur, quos negat ad panem adhibere quicquam praeter nasturcium. Quamquam si quaedam etiam suaviora natura desideret, quam multa ex terra arboribusque gignuntur cum copia facili tum suavitate praestanti! Adde siccitatem,

---

2. *ut et* Orellius (in adnotatione): *et* G R; *ut* B O — 4. *iocunda* G R — 9. *voluptatum cum perceptarum memoria* Madvig: *uoluptatum perceptarum memoria* C O; *uoluptatum perceptarum memoriae* alii. «Neque *iungere rem re* Cicero dixit (etsi Orellius saepissime vere Tullianam hanc constructionem alteri cessisse narrat, confundens *iunctus aliqua re*, quod in solo participio dicitur, et *iungere rem re)* neque in huius modi loco et sententia *iungere rem rei.*» — 10. *extenuanturque* O — 14. *sentienss* R[1] — 15. *ptolomeus* C — *cui cum peregrinanti* -- *non secutis* -- *visum illo pane iucundius* Nonius p. 93. — *cum* superscriptum habet R — 15. *cibariis* C — 17. *Socraten* -- *ad epirum contentius* -- *ex eo, cur id facere* Nonius p. 266. — *Socratem* O — 19. *obsanare* G R; *opsonare* O — 20. *caenauisset* G R — 21. *caene capuerat* C — 23. *Labor in venatu* cet.] «Sic codices, quasi venantes tantum Lacedaemonii, non item currentes, sudaverint. Cicero sine dubio scripsit: *Labor in venatu, cursus ad Eurotam, sudor, fames, sitis.*» W. — *sodor* G R[1] — *ad Eurotam* Bentley: *ab eurota* C — 24. *his enim* -- *condiuntur* delet Bake l. l. p. 143. — *aepulae* G R — 25. *intelligi* h. l. G R — 26. *quicquid*] Cf. IV § 44. Madvig ad Cic. de Finib. p. 655 (coll. p. 879). *(ut quicquid obiectum est* ex confusione duarum constructionum in unam explicat Kühnerus: «ut aliquid obiectum est, quicquid est.») — *quod* B: *quo* G R — *modo* [*a*] *natura* O — 29. *quos negat* -- *nasturcium* Nonius p. 550. — 30. *nasturcium* C et Nonius: *nasturtium* O. .Cf. p. 123, 6. — 32. *cum* C: *tum* O — *praestanti* Lambinus: *praestantia* C O. «Equidem non dubito, quin postrema littera vocis *praestantia* ex

quae consequitur hanc continentiam in victu, adde integritatem valetudinis; confer sudantis, ructantis, refertos epulis tamquam opimos boves: tum intelleges, qui voluptatem maxime sequantur, eos minime consequi, iucunditatemque victus esse in desiderio, non in satietate. XXXV. 100. Timotheum, clarum hominem Athenis et principem civitatis, ferunt, cum cenavisset apud Platonem eoque convivio admodum delectatus esset vidissetque eum postridie, dixisse: «Vestrae quidem cenae non solum in praesentia, sed etiam postero die iucundae sunt.» Quid, quod ne mente quidem recte uti possumus multo cibo et potione completi? Est praeclara epistula Platonis ad Dionis propinquos, in qua scriptum est his fere verbis: «Quo cum venissem, vita illa beata, quae ferebatur, plena Italicarum Syracusiarumque mensarum, nullo modo mihi placuit: bis in die saturum fieri nec umquam pernoctare solum, ceteraque, quae comitantur huic vitae, in qua sapiens nemo efficietur umquam, moderatus vero multo minus. Quae enim natura tam mirabiliter temperari potest? 101. Quo modo igitur iucunda vita potest esse, a qua absit prudentia, absit moderatio? Ex quo Sardanapalli, opulentissimi Syriae regis error adgnoscitur, qui incidi iussit in busto:

Haec habeo, quae edi quaeque exsaturata libido
Hausit: at illa iacent multa et praeclara relicta.

«Quid aliud,» inquit Aristoteles, «in bovis, non in regis sepulcro inscriberes? haec habere se mortuum dicit, quae ne vivus quidem diutius habebat quam fruebatur.» 102. Cur igitur divitiae desiderentur, aut ubi paupertas beatos esse non sinit? Signis, credo, † tabulis ludis. Si quis est qui his delectetur, nonne melius tenues homines fruuntur quam illi, qui iis abundant? est enim earum rerum omnium *in* nostra urbe summa in publico copia. Quae qui privatim habent, nec tam multa et raro vi-

---

sequentis prima geminando nata sit; Cicero enim, qui aequabilitatem structurae amat, cur h. l. necessitate nulla coactus constructionem variaret? Cf. de rariore verbi *praestans* usu IV, 2. p. Sestio § 91. Virg. Aen. I, 71.» W. — 7. *post tridie* R — *uestrae equidem* R B — *caenae* C — 8. *qui quod* G R — 12. *mensuram* G — 14. *in quae* R² B — 17. *Sardanapali* O — 18. *ea incidi iussit in busto* Arusianus p. 242. — 20. *ausit* G R¹ — 21. «Quod Orellius et Tregderus verba *Quid aliud -- inscriberes* parenthesi a sequentibus distraxerunt, perperam factum est; vid. de Finib. II, 106. qui geminus locus docet etiam *haec -- fruebatur* Aristoteli tribuendum esse» W. — 22. *quae neuius quidem* R¹ — 24. *tabulis ludis*] «Corrupta haec esse vidit vir quidam doctus apud Lambinum, firmissimis argumentis ex iis, quae sequuntur, petitis Bentleius demonstravit, quem id Wolfio, Orellio, Kuehnero, Tregdero [adde Klotzium et Tischerum] non persuasisse mirari satis non queo. Bouhierii defensionem, *ludis* de *scholis* gladiatoriis intelligendum esse, ridere satis est. Kuehnerus vitium ipsi Ciceroni in his libris saepe festinanti tribuit. Frustra: an vero Romano cuiquam quamvis festinanti in mentem venire potuit illud dicere, quod ad *ludos* attineret, qui omnes cum publici, tum gratuiti erant, *paupertatem* beatum esse prohibere? Pro *ludis* vir ille doctus *pictis* legendum coniecit; Bentley rectius ille quidem *et tabulis pictis*, sed in eo erravit, quod *tabula* pro *tabula picta* bonos scriptores dicere non credidit; cf. lexica. Ego non dubito quin Cicero scripserit *Signis, credo, et tabulis*; cf. simillimum locum, qui est Parad. V, 36—37 (ubi *tabula* item pro *tabula picta* bis positum est). Scilicet *et* ante *tabulis* excidit, *ludis* autem ex geminato *bulis (dulis)* factum est.» W. (*tabulis indiges* Bake l. l. p. 113; *tabulis stupes* O. Heine Philol. Schneidew. XII, p. 755. Malim *et tabulis studes.*) — 26. *qui his* C O — *habundant* G R² — *in* Wolfius: om. C O — *nostrae* (littera *e* punctis notata) G — 27. *privatim* Lambinus: *priuati* C, «quod significat *nullos magistratus gerentes*, cum h. l. de rebus privatim, non publice possessis manifesto sermo sit.» Or.

dent, cum in sua rura venerunt: quos tamen pungit aliquid, cum illa unde habeant recordantur. Dies deficiat, si velim paupertatis causam defendere; aperta enim res est et cotidie nos ipsa natura admonet, quam parvis rebus egeat, quam vilibus.

XXXVI. 103. Num igitur ignobilitas aut humilitas aut etiam popularis offensio sapientem beatum esse prohibebit? Vide ne plus commendatio in vulgus et haec quae expetitur gloria molestiae habeat quam voluptatis. Leviculus sane noster Demosthenes, qui illo susurro delectari se dicebat aquam ferentis mulierculae, ut mos in Graecia est, insusurrantisque alteri: «Hic est ille Demosthenes!» Quid hoc levius? at quantus orator! Sed apud alios loqui videlicet didicerat, non multum ipse secum. 104. Intellegendum est igitur nec gloriam popularem ipsam per sese expetendam nec ignobilitatem extimescendam. «Veni Athenas,» inquit Democritus, «neque me quisquam ibi adgnovit.» Constantem hominem et gravem, qui glorietur a gloria se afuisse. An tibicines iique, qui fidibus utuntur, suo, non multitudinis arbitrio, cantus numerosque moderantur, vir sapiens multo arte maiore praeditus, non quid verissimum sit, sed quid velit vulgus, exquiret? An quicquam stultius quam, quos singulos sicut operarios barbarosque contemnas, eos aliquid putare esse universos? Ille vero nostras ambitiones levitatesque contemnet honoresque populi etiam ultro delatos repudiabit: nos autem eos nescimus ante quam paenitere coepit contemnere. 105. Est apud Heraclitum physicum de principe Ephesiorum Hermodoro: universos ait Ephesios esse morte multandos, quod, cum civitate expellerent Hermodorum, ita locuti sint: «Nemo de nobis unus excellat; sin quis extiterit, alio in loco et apud alios sit.» An hoc non ita fit omni in populo? nonne omnem exsuperantiam virtutis oderunt? Quid? Aristides — malo enim Graecorum quam nostra proferre — nonne ob eam causam expulsus est patria, quod praeter modum iustus esset? Quantis igitur molestiis vacant qui nihil omnino cum populo contrahunt! quid est enim dulcius otio litterato? iis dico litteris, quibus infinitatem rerum atque naturae et in hoc ipso mundo caelum, terras, maria cognoscimus.

XXXVII. 106. Contempto igitur honore, contempta etiam pecunia quid relinquitur quod extimescendum sit? Exilium, credo, quod in maxumis malis ducitur. Id si propter alienam et offensam populi volunta-

---

2. *deficiat* G B: *deficiet* R O, «de qua laxiore et liberiore condicionalium sententiarum forma cf. Madvig ad Fin. III, 70. Gramm. § 348, d (ubi hoc ipso exemplo utitur). Tusc. Disp. I, 29 *Si -- coner, ipsi illi -- reperientur*. Verr. II, 167 *nec, si cupias, licebit*. Ego pari codicum auctoritate scribi malim *deficiat*, cum praesertim Cicero simillimis tribus locis sic scripserit: Verrin. II, 52 *me dies, vox, latera deficiant, si hoc nunc vociferari velim*. de Nat. Deor. III, 81 *Dies deficiat, si velim numerare*. p. Caelio § 29 *Dies iam me deficiat, si -- coner exprομere* (contra de Fin. II, 6: *si nostros colligere coepero --, dies me deficiet)*. Tali in re quam parva sit codicum auctoritas, notum est; cf. III, 34 *(optundet eleuetque)*. III, 36 *(patiatur)*. IV, 43 *(nesciet)*. Tregder p. XI.» W. Vide etiam ad I, 80. — 9. *aquam*] *quam* C — 14. *ibi* uncis inclusit O — 15. *abfuisse* R² B — *hique* C — 17. *non* corr. in *nũ* R — 21. *repudiat* G — 22. *poenitere* h. l. G R — *contempnere* G — 25. *sunt* B et (corr. ead. m. in *sint*) G — 30. *literato* G¹ (sed mox *litteris*) — 31. *his* C — 33. *Contempto -- extimescendum sit* in marg. suppleta habet G.

tem malum est, quam sit ea contemnenda, paulo ante dictum est. Sin abesse patria miserum est, plenae miserorum provinciae sunt, ex quibus admodum pauci in patriam revertuntur. 107. «At multantur bonis exules.» Quid tum? parumne multa de toleranda paupertate dicuntur? Iam vero exilium, si rerum naturam, non ignominiam nominis quaerimus, quantum tandem a perpetua peregrinatione differt? in qua aetates suas philosophi nobilissimi consumpserunt, Xenocrates, Crantor, Arcesilas, Lacydes, Aristoteles, Theophrastus, Zeno, Cleanthes, Chrysippus, Antipater, Carneades, 'Panaetius, Clitomachus, Philo, Antiochus, Posidonius, innumerabiles alii, qui semel egressi numquam domum reverterunt. At enim sine ignominia *** adficere sapientem? de sapiente enim haec omnis oratio est, cui iure id accidere non possit; nam iure exulantem consolari non oportet. 108. Postremo ad omnis casus facillima ratio est eorum, qui ad voluptatem ea referunt, quae secuntur in vita, ut, quocumque haec loco suppeditetur, ibi beate queant vivere. Itaque ad omnem rationem Teucri vox accommodari potest:

Patria est, ubicumque est bene.

Socrates quidem cum rogaretur, cuiatem se esse diceret, mundanum, inquit; totius enim mundi se incolam et civem arbitrabatur. Quid T. Albucius? nonne animo aequissimo Athenis exul philosophabatur? cui tamen illud ipsum non accidisset, si in re publica quiescens Epicuri legibus paruisset. 109. Qui enim beatior Epicurus, quod in patria vivebat, quam, quod Athenis, Metrodorus? aut Plato Xenocratem vincebat aut Polemo Arcesilam quo esset beatior? Quanti vero ista civitas aestimanda est, ex qua boni sapientesque pelluntur? Damaratus quidem, Tarquinii nostri regis pater, tyrannum Cypselum quod ferre non poterat, fugit Tarquinios Corintho et ibi suas fortunas constituit ac liberos procreavit. Num stulte anteposuit exilii libertatem domesticae servituti?

XXXVIII. 110. Iam vero motus animi, sollicitudines aegritudinesque oblivione leniuntur traductis animis ad voluptatem. Non sine causa igitur Epicurus ausus est dicere semper in pluribus bonis esse sapientem, quia semper sit in voluptatibus. Ex quo effici putat ille, quod quaerimus, ut sapiens semper beatus sit. 111. «Etiamne, si sensibus carebit oculorum, si aurium?» Etiam; nam ista ipsa contemnit. Primum enim horribilis ista caecitas quibus tandem caret voluptatibus? cum quidam etiam disputent ceteras voluptates in ipsis habitare sensibus, quae autem aspectu

---

1. *contempnenda* G — *paulo*] *sicut a paulo* R et (corr. ead. m. ex *sicut apollo*) G; *sicuti paulo* B — 2. «Olim sine dubio recte *abesse a patria*. Cf. Emendd. Epistt. p. 61.» W. — *prouintiae* G — 4. *tolleranda* G R — 6. *tandem a* Davisius: *damna* C; *demum a* O. «Cf. I, 12. III, 8. V, 89. 111. 117. In gravioribus eiusdem interrogationibus *demum* ne Latinum quidem est.» W. — 7. *archesilas* C — 8. *cleantes* G R — 9. *carneades panaetius clitomachus philo* R[2]: *carneades philo* G[1] R[1]; *carneades panaetius clitomachus carneades philo* G[2] B — 9. *possidonius* G R — 11. *enim* superscr. in G — *ignominia adficere* C; *ignominia. Ignominia adficere poterit* Manutius; *ignominia. An potest exilium ignominia adficere* W. (*At enim sine ignominia cogitare non licet exsilium. Quasi ulla possit ignominia afficere sapientem!* Bake l. l. p. 114.) — 12. *id* superscr. in G — *accipere* C — 14. *eorum* in marg. suppletum habet R — 15. *suppeditetur* G R: *suppeditet* B O — 18. *Socrates -- inquit* Nonius p. 93. — 20. *albutius* G — 21. *quienscens* G — 23. *ut plato -- aut* G R; *ut plato -- ut* B — 25. *Demaratus* O — *tarquii* G R[1] — *regis nostri* O — 29. *que* superscr. in G — 34. *contempnit* G.

percipiantur, ea non versari in oculorum ulla iucunditate, ut ea, quae gustemus, olfaciamus, tractemus, audiamus, in ea ipsa, ubi sentimus, parte versentur; in oculis tale nil fit: animus accipit quae videmus. Animo autem multis modis variisque delectari licet, etiam si non adhibeatur aspectus; loquor enim de docto homine et erudito, cui vivere est cogitare. Sapientis autem cogitatio non ferme ad investigandum adhibet oculos advocatos. 112. Etenim si nox non adimit vitam beatam, cur dies nocti similis adimat? Nam illud Antipatri Cyrenaici est quidem paulo obscenius, sed non absurda sententia est: cuius caecitatem cum mulierculae lamentarentur, «Quid agitis?» inquit «an vobis nulla videtur voluptas esse nocturna?» Appium quidem veterem illum, qui caecus annos multos fuit, et ex magistratibus et ex rebus gestis intellegimus in illo suo casu nec privato nec publico muneri defuisse. C. Drusi domum compleri a consultoribus solitam accepimus; cum quorum res esset sua ipsi non videbant, caecum adhibebant ducem. Pueris nobis Cn. Aufidius praetorius et in senatu sententiam dicebat nec amicis deliberantibus deerat et Graecam scribebat historiam et videbat in litteris.

XXXIX. 113. Diodotus Stoicus caecus multos annos nostrae domi vixit. Is vero, quod credibile vix esset, cum in philosophia multo etiam magis adsidue quam antea versaretur et cum fidibus Pythagoreorum more uteretur cumque ei libri noctes et dies legerentur, quibus in studiis oculis non egebat, tum quod sine oculis fieri posse vix videtur, geometriae munus tuebatur, verbis praecipiens discentibus, unde quo quamque lineam scriberent. Asclepiadem ferunt, non ignobilem Eretricum philosophum, cum quidam quaereret, quid ei caecitas attulisset, respondisse, puero ut uno esset comitatior. Ut enim vel summa paupertas tolerabilis sit, si liceat quod quibusdam Graecis cotidie, sic caecitas ferri facile possit, si non desint subsidia valetudinum. 114. Democritus luminibus amissis alba scilicet discernere et atra non poterat: at vero bona mala, aequa iniqua, honesta turpia, utilia inutilia, magna parva poterat, et sine varietate colorum licebat vivere beate, sine notione rerum non licebat. Atque hic vir impediri etiam animi aciem aspectu oculorum arbitrabatur et, cum alii saepe quod ante pedes esset non viderent, ille in infinitatem omnem peregrinabatur, ut nulla in extremitate consisteret. Traditum est etiam Homerum caecum fuisse. At eius picturam, non poësin videmus. Quae regio, quae ora, qui locus Graeciae, quae species formaque pugnae, quae acies, quod remigium, qui motus hominum, qui ferarum non ita expictus est, ut quae ipse non viderit nos ut videremus effecerit? 115. Quid ergo? aut Homero delectationem animi ac voluptatem aut cuiquam docto defuisse umquam arbitramur? aut, ni ita se res

---

3. *nihil* O — 4. *dilectari* G — 10. *ulla* R — 13. *C. Drusi* Gebhardus: *Gatrusi* (ex *Gai drusi*) C — 14. *a* om. O — 15. *GN. autfidius* G R; *gn. aut filius* B — 17. *vivebat* Bentley; at v. Heindorf ad Horat. Sat. I, 3, 26. — 19. *vix est* Bake l. l. p. 414. — 22. *vix posse uidetur geometricae* B — 24. *eretricum* G R: *creticum* B (in marg. *ereticum*) — *philosophorum* G R — 25. *quaeret* G — 26. *tollerabilis* G — 27. *graeci* G R[1] B — 28. *ualitudinum* R — 29. *et atra discernere* B (sed transponendi signis additis) O — 30. *et sine* B: *et si* G R — 32. *aspectu* R[2] B: *aspectum* R[1]; *aspectus* (corr. ead. m. in *aspectū*) G — 33. *aliis* G R[1] — *essent* G R — *ille* B: *illa* G R — *in* cod. Bernensis: om. C — 34. *perigrinabatur* G — 36. *Graeciae* om. G[1] — *formae quae pugna* C — 39. *ac* B: *aut* G R.

haberet, Anaxagoras aut hic ipse Democritus agros et patrimonia sua reliquissent, huic discendi quaerendique divinae delectationi toto se animo dedissent? Itaque augurem Tiresiam, quem sapientem fingunt poëtae, numquam inducunt deplorantem caecitatem suam. At vero Polyphemum Homerus cum inmanem ferumque finxisset, cum ariete etiam conloquentem facit eiusque laudare fortunas, quod qua vellet ingredi posset et quae vellet attingere. Recte hic quidem; nihilo enim erat ipse Cyclops quam aries ille prudentior.

XL. 116. In surditate vero quidnam est mali? Erat surdaster M. Crassus; sed aliud molestius, quod male audiebat, etiam si, ut mihi videbatur, iniuria. Nostri Graece fere nesciunt nec Graeci Latine. Ergo hi in illorum et illi in horum sermone surdi, omnesque nos in iis linguis, quas non intellegimus, quae sunt innumerabiles, surdi profecto sumus. «At vocem citharoedi non audiunt.» Ne stridorem quidem serrae, tum cum acuitur, aut grunditum, cum iugulatur, suis nec, cum quiescere volunt, fremitum murmurantis maris. Et si cantus eos forte delectant, primum cogitare debent, ante quam hi sint inventi, multos beate vixisse sapientes, deinde multo maiorem percipi posse legendis his quam audiendis voluptatem. 117. Tum ut paulo ante caecos ad aurium traducebamus voluptatem, sic licet surdos ad oculorum. Etenim qui secum loqui poterit sermonem alterius non requiret.

Congerantur in unum omnia, ut idem oculis et auribus captus sit, prematur etiam doloribus acerrumis corporis; qui primum per se ipsi plerumque conficiunt hominem: sin forte longinquitate producti vehementius tamen torquent, quam ut causa sit cur ferantur, quid est tandem, di boni, quod laboremus? portus enim praesto est, quoniam mors ibidem est aeternum nihil sentiendi receptaculum. Theodorus Lysimacho mortem minitanti «Magnum vero» inquit «effecisti, si cantharidis vim consecutus es.» 118. Paulus Persi deprecanti ne in triumpho duceretur: «In tua id quidem potestate est.» Multa primo die, cum de ipsa morte quaereremus, non pauca etiam postero, cum ageretur de dolore, sunt dicta de

---

2. *relinquissent* G R — 3. *dedidissent* O — 5. *fixisset* G R — 7. *quem* G R et (superscr. ead. m. *quae*) B — *attingeret* C. «Cicero scripsit aut *attingere*. *Recte* (dett. aliq. Manut.; cf. § 55 *peccaret*) aut *attingere*. *Et recte* (v. c. Lamb.; cf. § 118).» W. — 9. *in surditate* -- *M. Crassus* Nonius p. 176. — *erat surdaster M. Crassus* Priscianus III, 7, 43. — *sudaster* G R — 11. *Nostri* Davisius: *epicurei nostri* C; [*Epicurei*] *Nostri* O — 12. *omnesque id nos* C; *omnesque* [*id*] *nos* O; *omnesque idem* (= *iidem*) *nos* alii. «Probo Manutii coniecturam *omnesque item nos*; cf. Lael. § 7. ad Famil. VI, 3, 1. al.; T. D. I, 84 archetypus et Orat. § 151 meliores *id* pro *idem*.» W. — *in his* C — 14. *At* B: *aut* G R — *serrae*] *fere* C — 15 *aut grunditum, cum iugulatur, suis* Nonius p. 114. — *grunnitum* B (sed litteris *ni* superscr. *di*) O — 20. *qui* (superscr. *ae*) B; *quae* G R — 22. *Cogantur* B — 25. *dii* C O — 26. «Tregderus ex Orellii coniectura *ibidem* uncis inclusit; at cur quisquam *ibidem* adderet? Mihi verisimilius videtur Ciceronem scripsisse *quoniam mors quidem* cum Nisseno, vel potius, quoniam non tam *mors* quam tota sententia sic insignienda fuit, *quoniam quidem mors*. Cf. III, 66. Parad. § 41. R. P. III, 44. de Orat. II, 122. Rosc. Amer. § 31. l. agr. I, 8. Flacc. § 68. Philipp. II, 101. Famil. XII, 14, 2. Att. XII, 6, 1. II, 1, 3. Sallust. Catil. 31, 9.» W. Aliter rem expedire conatur Bake l. l. p. 114: «Novissimi editores *ibidem* uncinis incluserunt. Mallem sensissent *mortis* vocabulum tacite in his intelligendum esse, tum ne dici quidem posse *mortem esse receptaculum*. Deleto hoc restabit *ibidem*, i. e. in illo portu, et universe, ut Graec. *ἐκεῖ*, apud inferos. Cf. supra I, 29.» — 29. *est* R[1] — *Persae* O — 30. *primordie* C.

morte, quae qui recordetur, haud sane periculum est ne non mortem aut optandam aut certe non timendam putet.

XLI. Mihi quidem in vita servanda videtur illa lex, quae in Graecorum conviviis obtinetur. «Aut bibat» inquit «aut abeat!» et recte; aut enim fruatur aliquis pariter cum aliis voluptate potandi aut, ne sobrius in violentiam vinolentorum incidat, ante discedat. Sic iniurias fortunae, quas ferre nequeas, defugiendo relinquas. Haec eadem, quae Epicurus, totidem verbis dicit Hieronymus.

119. Quod si ii philosophi, quorum ea sententia est, ut virtus per se ipsa nihil valeat, omneque, quod honestum nos et laudabile esse dicimus, id illi cassum quiddam et inani vocis sono decoratum esse dicant, ei tamen semper beatum censent esse sapientem, quid tandem a Socrate

---

4. *optinetur* C: *obtinet* O cum Davisio. «Recte Klotzius ex Archetypo *obtinetur* i. e. tenetur, retinetur = servatur; vide Cic. Partitt. Orat. § 130. Terent. Ad. III, 4, 26 et cf. verba *tenere* (Philipp. V, 35), *retinere*. *Obtinere* absolute ita positum, ut esset idem quod *locum obtinere, valere, durare*, recentioris demum aevi putandum est. Nam Att. IX, 7, 4 *obtinere*, ut *tenere* Acad. II, 98, est *causam, rem obtinere, vincere* (cf. Famil. VIII, 6, 5. Plin. Epp. VIII, 14). R. P. VI, 17 *subter*, ut paulo post *infra*, adverbii locum obtinet. Apud *Sallustium* Iug. 17, 7 *fama, quae plerosque obtinet* (= occupavit, implevit) paulo brevius pro *fama, quae apud plerosque locum obtinet* dictum est (cf. spes *me tenet*); ibid. 80, 7, si vulgata lectio *(nulla pro socia obtinet)* vera est, ex *animus* (viri) *multitudine distrahitur* intelligendum est *animum*, ut *obtinet* sit *tenet, retinet*, sed videndum est, ne fere omnium codd. scriptura *nullam* aut ipsa, si ex *animus* (viri) assumpseris *vir* (cf. T. D. V, 70), obtineri possit (i. e. nullam vir ut sociam tuetur) aut aliquid in ea vitii lateat *(nulla ius pro socia obtinet?)*. Laudatur *Livii* illud (XXI, 46): *malim de filio verum esse, quod et plures tradidere auctores et fama obtinuit*; at neque *fama* ablativus est, sed nominativus, et *quod* obiectum utriusque sententiae commune est *obtinuit*que *servandi* notionem obtinet. Apud *Quinctilianum* I, 7, 30 *quod* non minus obiectum sententiae est quam II, 5, 18 et VII, 1, 6 subiectum: quamquam nescio an scribendum sit *nisi quid*. Cum Liv. XXI, 46 comparari solet I, 4 *Tenet fama -- lupam -- flexisse*, quem Livii locum ex eorum numero, ubi *tenere* («*sich halten*») *durandi* vim habet (II, 3. 49. 47. XXIII, 44. XXIV, 47. XXV, 39. XXXIII, 22. XXXVI, 43), eximendum esse docet, quod XXXVIII, 42 legitur: *famaque ita* (= illud; cf. Madvig § 395 n. 6) *tenet* (i. e. obtinet, «*behauptet*»), *Celaenis Marsyam certasse* (cf. Cic. Parad. I, 3. 14. Fat. § 21. al.). I, 17 *quod nunc quoque tenet nomen* simpliciter est: *quod nunc* (id) *etiam nunc retinet, servat, habet* (cf. Virgil. Aen. VI, 235. Ovid. Met. XI, 795. XII, 897. al.). Duobus illis Quinctiliani locis, qui a Freundio quoque intransitivae *durandi* notioni assignati sunt, II, 1, 1 et VIII, 5, 2, obiecti primariae sententiae *(tenuit* — i. e. *obtinuit, retinuit, pervicit* — *consuetudo)* vice fungi secundariam per *ut* annexam declarat cum illud Suetonii (Tit. 8): *tenuit* (Titus), *ne quem sine ope dimitteret* (cf. Cic. Planc. 8. T. D. V, 34 = N. D. I, 95 *retinendum hoc esse, deus ut beatus sit*. Liv. II, 42. IV, 30. XXIII, 20. Plin. Epp. VI, 5, 1), tum hoc ipsius Quinctiliani (I, 5, 60): *ut -- dicerentur, retinuerunt*; quod IX, 4, 47 legitur, *sed nomen illud tenet*, id quidem illo modo intelligatur necesse est, sed dubito an scribendum sit *tenetur* aut *tenent (alii pedes)*. Quod vero cum alii, tum Freundius *tenere* neutr. ita quoque positum fuisse vult, ut esset *stationem habere*, errare mihi videtur. Nam apud Livium III, 62 *tenuere* (i. e. *retinuere*) subiectum *(Sabini)* cum praecedenti prodoseos verbo *aequassent* commune habet; cf. VI, 14. XXXI, 46. XXXII, 5 *(qua abscisae rupes erant, statio paucorum tenebat)*, ut Virg. Aen. II, 505, *qua* solita breviloquentia dictum esse pro *partem (loca), qua (quibus)* vel ex eo, quod praecedit *(Asnaum Athenagoram tenere)*, intelligi poterat. *Tenere* facili quadam ellipsi pro *cursum (iter) tenere* posuit Ovidius Met. II, 140, Livius I, 1. XXI, 49. XXXI, 45.» W. — 6. *uinolentiam* R²B — *ante dicebat* GR — 9. *si his philosophis* C — 10. *omnesque* C — *dicamus* GR. Vide ad II § 47. — 11. *dicant, tamen* Lambinus; *dicant et tamen* C; *dicant, [et] tamen* O. «Videndum est ne Cicero scripserit *ei tamen*; cf. ibid. *omneque (id) quod - id*. III, 71 *id quod - id, ab eo - ab eo*. I, 78 *illud - id*. Philipp. II, 30. Famil. XIII, 57, 2. Madvig ad Fin. V, 22. Sic etiam IV, 57 *et* pro *ei*.» W.

et Platone profectis philosophis faciendum putas? quorum alii tantam praestantiam in bonis animi esse dicunt, ut ab his corporis et externa obscurentur, alii autem haec ne bona quidem ducunt, in animo reponunt omnia. 120. Quorum controversiam solebat tamquam honorarius arbiter iudicare Carneades. Nam cum quaecumque bona Peripateticis, eadem Stoicis commoda viderentur, neque tamen Peripatetici plus tribuerent divitiis, bonae valetudini, ceteris rebus generis eiusdem quam Stoici, cum ea re, non verbis ponderarentur, causam esse dissidendi negabat. Qua re hunc locum ceterarum disciplinarum philosophi quem ad modum optinere possint ipsi viderint; mihi tamen gratum est, quod de sapientium perpetua bene vivendi facultate dignum quiddam philosophorum voce profitentur.

121. Sed quoniam mane est eundum, has quinque dierum disputationes memoria comprehendamus. Equidem me etiam conscripturum arbitror — ubi enim melius uti possumus hoc cuicuimodi est otio? — ad Brutumque nostrum hos libros alteros quinque mittemus, a quo non modo inpulsi sumus ad philosophas scriptiones, verum etiam lacessiti. In quo quantum ceteris profuturi simus non facile dixerim, nostris quidem acerbissimis doloribus variisque et undique circumfusis molestiis alia nulla potuit inveniri levatio.

---

1 *perfectis* R — *putas* Tregderus: *uides* C; *putes* O; *censes* Klotzius (a. 1856); *iudicas* Baiterus. Cf. Madvig ad Cic. de Finib. p. 273. — 3. *obscurentur*] *obseruant* G R; *obseruent* B — 8. *desiderandi* C; *discrepandi* Klotzius. — 11. *pertua* R[1] — *quidam* C — 15. *melius uti* in marg. ead. m. addita habet G — *cui'cui'modi* (i. e. *cuiuscuiusmodi*) R[2] — 17. *inpulsi sumus ad philosophiae scriptionem, verum etiam lacessiti* Nonius p. 134; *inpulsi sumus ad philosophiae scriptiones* idem p. 174. — *philosophas* G R[1] B: *philosophicas* R[2]; *philosophiae* Nonius. Cf. p. 59, 11. Macrob. Saturn. VII, 1, 1: *philosophis tractatibus*. § 13: *verbum philosophum*. Laberii fragm. (Comic. Latin. Reliq. ed. Ribbeck p. 247): *physicus philosophus*. — 18. *simus* Beroaldus: *sumus* C. Vide ad I § 55. — *dixerim* G: *diximus* R B O (sed in R litterae *us* punctis notatae sunt) — 19. *alia -- levatio* Nonius p. 336. — 20. M. TULLII CICERONIS TUSCULANARUM LIBER QUINTUS EXPLICIT FELICITER B; subscriptione carent G R.

SUPPLEMENTA ADNOTATIONIS.

Pag. 215, 17. Hunc locum Seyfferto auctore Tischerus in editione tertia sic distinxit: *Cogitare enim et providere, et discere et docere, et invenire aliquid et tam multa alia meminisse, amare odisse, cupere timere, angi laetari — haec et similia eorum* cet.

Pag. 303, 14. *praestanti sapientia et nobilitate*] «Nulla commemoratur in Pythagora generis nobilitas quae possit cum sapientia coniungi; scripserat Cicero: *praestanti sapientiae nobilitate* (sc. fama et gloria). Genus erroris pervagatum, et ut ex *ae* fiat *a et* et ut ex *a et* fiat *ae*.» Madvig.

Pag. 313, 31. «Scribendum: *Nec vero in omnem morbum ac perturbationem animus ingeniosi cadit; sunt enim multa efferata et immania* (a quibus longe abest), *quaedam autem* cet. Mendi origo e scripturae forma similis atque in Pison. § 73, ubi e *sum locutus* ortum esse *con locutus* adnotavi.» Madv.

Pag. 353, 9. «Mihi quidem dubium non est quin, ut Lambino et Wolfio visum est, in archetypo post *relicta* exciderit *a*. Antiquiores enim prosae orationis scriptores (Cicero, Caesar, Sallustius, Nepos), ut ad I, 83 dixi, verba cum inseparabilibus particulis *se, re, dis* composita numquam de motu aliquo nisi addita praepositione *(ab, ex, de)* posuisse videntur. Quod cur facerent, causam hanc fuisse opinor, quod illae particulae non tam *a* loco aliquo motum quam *ad* locum significant. Licentia omittendae praepositionis a poëtis profecta, ut alia multa (cf. Madvig § 273, b, n. 2 et 232, n. 4 de praepositionum *in* et *ad* omissione), sic illa ad posteriores prosae orationis scriptores manavit; cf. Madvig § 261 n. 3. Cum ipse in Cicerone ceterisque legendis hanc rem attendens, tum lexica Freundii, Schelleri, Gesneri, Nizolii diligentissime perlustrans perpaucos hos locos inveni, qui consuetudini illorum scriptorum repugnarent. *Refugio*: *Caesar* B. C. III, 95, ubi ante *acie* excidisse *ab* aut *ex* suspicari audacius non est, cum praesertim illi libri ex codd. neque optimis et parum accurate collatis editi sint: *Cicero* ad Att. IV, 6, 3 si sanum est *me hercule incipiendo refugi, incipiendo* non idem est quod *ab incipiendo*, sed (ut fere iam Manutius explicavit) quod *incipiens, in incipiendo, cum inciperem*, de quo usu gerundii *modum* quendam primariae actionis significantis apud Ciceronem rarissimo, a recentioribus, ut Tacito, frequentato cf. Madvig § 416, n. 1; sed, quoniam ne incepisse quidem Cicero videtur, opinor *ab* sive in Mediceo sive in archetypo esse omissum (cf. de Orat. II § 10 *pudore a dicendo refugisti*, al.)*) *Re-*

---

*) *Relaxare se vinculis, occupationibus* quod Cicero (Cat. M. § 81. ad Fam. VII, 1, 5. ad Att. XVI, 16, 2) scripsit: idem, ut *levare, liberare*, alia, quae cum *privandi* verbis cognationem quandam habent (Madvig § 261), ita *laxare* sine praepositione posuit Tusc. Disp. I, 44. Somn. Scip. c. 3; cf. ad Fam. V, 14, 3. Eadem ratio est verbi *relevandi* a Cicerone (Catil. I, 31) sic positi.

moveo: Cicero Orat. § 5, ut scripsit *Nec solum ab optimis studiis excellentes viri deterriti non sunt* (Horatius: *re aliqua deterrere)*, sic non dubito quin, ut Lambinus edidit, scripserit *sed ne opifices quidem se ab artibus suis removerunt*; neque enim mirum est in eo codice, unde meliorum familia derivata est (deterioribus ea pars deest), AB ante ARTIBVS excidisse. De domo sua § 22, sive Ciceronis ea oratio est sive declamatoris alicuius, ego ex Lambini coniectura ita scribo: *quod M. Catonem a tribunatu tuo removisses et quod eidem* (ex Ursini coniectura; vulgo *idem*) *in posterum de extraordinariis potestatibus libertatem ademisses*; post litteram *M* in archetypo omissum est *A* *), sicut § 23 (quod ante me Gesnerus vidit) *cum* inter *bellum* et *pacatissimis gentibus* (quis enim *bellum alicui* aut *aliquo* pro *bellum cum aliquo* aut *alicuius* dixit?) et § 27 **) *in* post *quis*. De *removendi* verbo cf. Zumpt ad Verrin. III, 2, ubi dett. aliquot codd. *ab* omittunt; Verrin. V, 80, unde Nizolius et Gesnerus laudant *locus arbitris remotus*, omnes nunc, ut in omnibus codd. est, edunt: *ab arbitris remoto loco. Reporto: Cic.* ad Att. IV, 17, 3 vulgo legitur *exercitum Britannia reportabunt*; ego ex cod. Anton. et Faërn. non dubito ita scribere, ut Lambinus (ex z?): *exercitum e Britannia reportabant*. (De y x tacetur.) Cf. V, 8, 1, ubi ego ex C. L., i. e. ex cod. Cratandri et z, scribo: *valetudo, e* (Med. non habet *e*; de y x siletur) *qua iam emerseram*; Cicero ceterique antiquiores sexcenties *emergere* sic posuerunt, Tacitus, Plinius, poëtae praepositionem omittunt, sed admodum raro. *Differo: Cic.* de Fin. V, 41 si vera esset cod. archetypi scriptura, *quid animantibus ceteris differamus*, dativus putandus erat; sed Madvigius antiquiorum prosae orationis scriptorum consuetudinem dicendi a poëtarum posteriorisque prosae orationis usu discernens, ut olim Manutius et Lambinus *ab* ante *animantibus* omissum recte addidit; cf. de Offic. I, 96, ubi tres codd. dett. *a* omittunt.***) *Dilabor: Cic.* Philipp. XIII, 11 *sed mea memoria dilabuntur*; post *sed* excidit sive *de*, quod Muretus et varietas Naugeriana addunt (cf. *excidere de memoria* Liv. XXIX, 19), sive *ex* (cf. Liv. XXXIV, 37 *excidere ex omnium animis*. Cic. de Rep. VI, 9 *ex animo meo discedit illius viri memoria)*. Optimus ille cod. Vaticanus eum locum non habet. *Dimoveo*: Nizolius laudat Cic. Philipp. IV, 5, 13 *dimoveri loco*, ubi nunc ex Vaticano vulgo legitur *demoveri* (ut p. Sestio § 101 bis) et p. Plancio § 53 *tuo loco dimoveri*, ubi nunc omnes ex plerisque codd. edunt *demoveri*, sicut ceteris omnibus locis, quibus *depellendi* notio subest, hodie ex codd. scribitur praeterquam p. Caecina § 42, ubi nunc contra codd. [immo cum optimis codd.] recte scribitur, ut est apud Quinctilianum (VII, 3, 17): *loco -- et certo de statu demovet* (cf. § 49 *demoveri -- et depelli loco*). *Discedo: Cic.* p. Roscio Amer. § 8, ubi in codd. est *ut spoliis sex hoc iudicio ornati -- discedant*, Madvigius pro interpolata omnium edd. scriptura *(spoliis Sexti Roscii hoc)* verissime scripsit *spoliis ex hoc* cet.; cf. p. Cluent. § 111 *se ex iudicio discessisse victum*. Verba a particula *se* incipientia, nullus locus est, ubi ab illis, quos dixi, scriptoribus sine praepositione po-

---

*) Cf. I, 83. Tregd. p. X. de Fin. IV, 78, ubi in B inter *accommodatarum* et *natura profectum* exciderat *a*. ad Att. X, 7, 3, ubi cum ex Mediceo legeretur *non nostra indulgentia, sed a natura profectum*, Lambinus recte scripsit *non a nostra* cet. ad Fam. XIII, 6, 3, ubi idem recte *et ab humanitate et a* (*a* vulgo deest) *potestate tua proficisci*. de Invent. I, 2, ubi pro *ex honestissimis causis natum atque optimis rationibus profectum* aut ex Lambini correctione scribendum est *atque ab* aut *atque ex optimis rationibus profectum*.

**) *Quis apud populum R. de illius dignitate industrius, quis senatui* (*senatu* P¹) *saepius dixit?* Sic vulgo editur; recte Lambinus primum ex codd. aliquot *inlustrius*; cf. p. Caelio § 73, ubi cod. Erf. *industri* pro *inlustri*. ad Att. V, 17, 5 (Med. pr. m. *iniustiorem*, sec. m. *iustiorem* pro *inlustriorem*). ad Fam. XV, 4, 15, ubi Manutius mihi videtur pro *iustiores* recte scripsisse *inlustriores*; deinde coniectura *in senatu*.

***) De leg. agr. II, 85 vulgo editur: *in eo* (agro Stellati) *duodena* (in Campano *dena*, cf. § 79) *describit in singulos homines iugera. Quasi vero paulum* (quinta ex parte) *differat ager Campanus ac Stellatis. Et multitudo, Quirites, quaeritur, qua illa omnia oppida compleantur.* Cicero certe dixisset: *ager Campanus et Stellas* (inter se) *differunt*; *et* vero absurdum est. Scribe ex Turnebi coniectura *iugera: quasi -- differat ager Campanus a Stellati; sit (sed) multitudo* cet.

sita sint: *segregandi* quidem verbo nemo, quod sciam, nisi Accius poëta sic usus est; cf. Non. s. v. *faventia* et *obscaenum* (p. 205 sq. et p. 357): *ore obscena dicta segregent,* ubi tamen in Nonii cod. Acciano *ab* post *Faventiam* facile excidere potuit. — De *a* post alterum *a* omisso cf. I, 54. II, 4. IV, 47. 58. V, 70. 86. de Fin. V, 69.» W.

Pag. 359, 24. Emendationem *et tabulis studes* praecepit Seyffertus, quo auctore sic scripsit in tertia editione Tischerus.

M. TULLII CICERONIS

DE DEORUM NATURA

LIBRI TRES.

RECOGNOVIT

IO. GEORGIUS BAITERUS.

NOTARUM INDEX.

A = cod. Leidensis (Vossianus) 84, saeculi XI. Continet fol. 1—11 librum I de deorum natura, f. 12—27 lib. II. de deor. nat., f. 28—36 lib. III de d. n.; f. 36—51 lib. I de divinatione, f. 51—66 lib. II de divin., f. 66—71 Timaeum, f. 71—76 de fato, f. 76—79 Topica (fragm.), f. 79—83 Paradoxa Stoicorum, f. 84—100 Lucullum, f. 100—115 libros de legibus. Cf. Bake ad Cic. de Legg. p. 103 sq. Collatus est ab Halmio. Apud Moserum vocatur C.

B = cod. Leidensis (Vossianus) 86, saec. XII. Continet pag. 1—20 de deor. nat. I § 1 *Quum* (sic h. l.) *multae res* — I § 64 *tam inpurus fuisset*; p. 20—27 de divinatione II § 127 *deus si quidem* usque ad libri finem; p. 27—41 de deor. nat. I § 91 *agnoscerem non inuitus* — II § 15 *tantisque uicissitudinibus*; p. 41—63 de deor. nat. II § 86 *ex sese perfectiores* — II § 156 *quae cum maxuma*; p. 63—84 de deor. nat. II § 15 *tam multarum rerum* — II § 86 *quae haec ferant aliquid*; p. 84—203 de deor. nat. II § 156 *largitate fundit ea* — de divinat. II § 127 *potius quam decreto*; p. 203—205 de fato § 41 usque ad finem libri; p. 205—210 Topicorum § 4 (§§ 1—3 in separato foliolo exstant) *non potui* — § 28 *magistratuum more aequitate consistat* (postrema verba praeter litteras *magis* a secunda manu addita sunt); p. 210 Topic. § 73 *Ergo argumentatio* — § 74 *quae tum a corporibus* (totus hic locus expunctus est); p. 211—216 Topic. § 28 *Diuisionum autem* — § 72 *prodesse possimus* (tria haec folia, manifesto ex alio codice desumpta, Leidensi A restituenda vidit et suasit Halmius); ad calcem paginae 216 et in margine superiore paginae 217 ab alia manu inserta sunt quae p. 210 deleta esse indicavimus; p. 217—223 Topic. § 74 *tum ab animis* usque ad finem Topicorum; p. 223—234 Paradox. § 1 *Animaduerti Brute* — § 37 *laude dignum aetionis*; p. 234—238 Lucull. § 2 *praeditus lucullus* — § 13 *et p. scaeuo*; p. 238 — 242 Paradox. § 37 *tabula te stupidum* usque ad finem Paradoxorum; p. 242—243 Lucull. § 1 *Magnum ingenium* — § 2 *tali ingenio*; p. 243—294 Lucull. § 13 *tam aiunt* usque ad finem Luculli. Cf. Bake l. l. p. 104 sqq. Ipse contuli.

C = cod. Leidensis (Nicolai Heinsii) 118, saec. XII, liber optimae notae, sed multis mendis inquinatus. Cf. Bake l. l. p. 106. Hunc quoque ipse contuli. Apud Moserum vocatur A.

E = cod. Erlangensis n. 38. Accuratissime contulit Alfr. Fleckeisenus. Cf. Halmium *zur Handschriftenkunde der Ciceron. Schriften* p. 2 sq. et supra p. 75.

P = cod. Palatinus n. 1519 in fol. membran. perantiquus, foliis 88 constans. Insunt libri de deorum natura et de divinatione. In illis est mutilus; continet enim I § 27 *animum esse per naturam* — § 75 *illud video pugnare te* (in §§ 28 et 29 multa erasa sunt); II § 111 *tecedit obscura specie* — II § 156 *quae cum maxima*; II § 16 *etenim si dii non sunt* — § 68 *Dianam autem* (in §§ 59 — 63 desunt verba *Dictum est de*

universo mundo — pluribus verbis explicatus est); II § 162 *deorum prudentia consuli rebus humanis* usque ad finem libri II; III § 6 *Balbus sed exspecto quid requiras* usque ad libri tertii finem. Diligentissime collatus est a Leopoldo Schmidtio.

V = cod. Vindobonensis n. 189 (in Endlicheri Catalogo n. LV) membranaceus saeculi X, ab initio et in fine mutilus, nunc foliorum 128, in quarto. fol. 1—40 *M. T. CICERONIS de natura deorum lib. II et III.* Continet p. 1—22 II § 92 *terris rebusque terrestribus* — II § 156 *quae cum maxima*; p. 22—44 II § 16 *etenim si dii non sunt* — II § 86 *quae eo ferant aliquid*; p. 44—80 II § 156 *largitate fundi te ea* usque ad finem tertii libri. Contulit Carolus Schenkl.

𝔄 = codices nostri omnes.

O = ed. Orelliana.

Lectiones codicum A P V integras commentario critico inserui omissis tamen interdum permutationibus litterarum *ae* et *e*, *i* et *y*, *ph* et *f*. Eosdem et B plerumque tacite secutus sum in orthographia restituenda.

LIBER PRIMUS.

I. 1. Cum multae res in philosophia nequaquam satis adhuc explicatae sint, tum perdifficilis, Brute, quod tu minime ignoras, et perobscura quaestio est de natura deorum, quae et ad agnitionem animi pulcherrima est et ad moderandam religionem necessaria. De qua tam variae sunt doctissimorum hominum tamque discrepantes sententiae, ut *id* magno argumento esse debeat, causam philosophiae esse inscientiam prudenterque Academicos a rebus incertis adsensionem cohibuisse. Quid est enim temeritate turpius aut quid tam temerarium tamque indignum sapientis gravitate atque constantia quam aut falsum sentire aut quod non satis explorate perceptum sit et cognitum sine ulla dubitatione defendere? 2. Velut in hac quaestione plerique, quod maxime veri simile est et quo omnes duce natura venimus, deos esse dixerunt; dubitare se Protagoras, nullos esse omnino Diagoras Melius et Theodorus Cyrenaicus putaverunt. Qui vero deos esse dixerunt, tanta sunt in varietate et dis-

---

Inscriptio. *M T CICERONI DE DEORŪ NATURA INCP LIB I* A; *DE NATURA DEORUM. M. T. CICERONIS DE DEORUM NATURA INCIPIT LIBER PRIMUS* (singulis etiam paginis superscriptum est *DE NATURA DEORUM*) B; *M. T. ciceronis. De deorum natura liber primus Incipit* C; *Incipit liber de natura deorum M. T. C.* E. E grammaticis hos libros inscribunt *de deorum natura* Nonius, Charisius, Diomedes, semel Priscianus; idem ter vocat *de natura deorum.*

2. *sint* 𝔄: *sunt* alii. — *brute* superscr. *o* B — 3. *de deorum natura* E — *ad* superscriptum habet A — *cognitionem* B; *agitationem* Muretus. — 4. *tam* superscr. habet B — 5. *sint* A B[1] — *ut* om. A C E, superscr. habet B — *id* Ernestius: om. 𝔄 O; pronomine omisso mox scribendum esse *debeant* vidit Schoemannus. — 6. *esse debeat -- sententias* (p. 371, 1) om. A C, sed in A post *argumento* signum est significans haec in margine addita fuisse, ubi iam evanuerunt; in C recenti manu margini adscripta sunt. — *causam* Astius: *causa principium* B[1] E; *causam, principium* ed. Victoriana; *causa et principium* B[2]; *causam id est principium* C O — *esse inscientiam* cod. Eliensis: *ad hanc scientiam* (litterae *anc* superscriptae sunt) B; *esse scientiam* C E — 7. *achademia* B — *de rebus* C — *enim rem temeritate* C — 8. *turpius* C: *fortius* B E; *foedius* Manutius. Cf. Acad. I § 45. II § 66. — 12. *omnes sese duce* B E — *uenimus* B E: *ueniimus* C; *vehimur* O — 14. *in* om. C — *et* B C E: *ac* O.

sensione, ut eorum molestum sit dinumerare sententias. Nam et de figuris deorum et de locis atque sedibus et actione vitae multa dicuntur, deque iis summa philosophorum dissensione certatur: quod vero maxime rem causamque continet, utrum nihil agant, nihil moliantur, omni curatione et administratione rerum vacent, an contra ab iis et a principio omnia facta et constituta sint et ad infinitum tempus regantur atque moveantur, in primis magna dissensio est, eaque nisi diiudicatur, in summo errore necesse est homines atque in maximarum rerum ignoratione versari. II. 3. Sunt enim philosophi et fuerunt, qui omnino nullam habere censerent rerum humanarum procurationem deos. Quorum si vera sententia est, quae potest esse pietas, quae sanctitas, quae religio? Haec enim omnia pure atque caste tribuenda deorum numini ita sunt, si animadvertuntur ab iis et si est aliquid a deis inmortalibus hominum generi tributum. Sin autem dei neque possunt nos iuvare nec volunt nec omnino curant nec quid agamus animadvertunt nec est, quod ab iis ad hominum vitam permanare possit, quid est quod ullos deis inmortalibus cultus, honores, preces adhibeamus? In specie autem fictae simulationis, sicut reliquae virtutes, item pietas inesse non potest, cum qua simul sanctitatem et religionem tolli necesse est, quibus sublatis perturbatio vitae sequitur et magna confusio. 4. Atque haud scio an pietate adversus deos sublata fides etiam et societas generis humani et una excellentissima virtus, iustitia, tollatur. Sunt autem alii philosophi, et ii quidem magni atque nobiles, qui deorum mente atque ratione omnem mundum administrari et regi censeant, neque vero id solum, sed etiam ab isdem hominum vitae consuli et provideri; nam et fruges et reliqua, quae terra pariat, et tempestates ac temporum varietates caelique mutationes, quibus omnia, quae terra gignat, maturata pubescant, a dis inmortalibus tribui generi humano putant, multaque, quae dicentur in his libris, colligunt, quae talia sunt, ut ea ipsa dei inmortales ad usum hominum fabricati paene videantur. Contra quos Carneades ita multa disseruit, ut excitaret homines non socordes ad veri investigandi cupiditatem. 5. Res enim nulla est, de qua tanto opere non solum indocti, sed etiam docti dissentiant, quorum opiniones cum tam variae sint tamque inter se dissidentes, alterum fieri profecto potest, ut earum nulla,

---

1. *dinumerare* C E: *innumerare* (superscr. *di*) B; *enumerare* Davisius (e Firmico), O — 3. *deque iis* B: *deque is* (superscr. *h*) A; *de quo* E; *deque his* C O — 4. *omni* A B¹ C: *an ab omni* B²; *ac ab omni* E; *ab omni* O — 5. *et* (post *iis*) in rasura om. B — *ap||principio* A — 6. *atque moveantur* in margine habet B — 7. *primis* Manutius: *primis quae* A B; *primisque* C E — *diiudicatur* A B¹ C E: *diiudicetur* B² O. Cf. Madvig ad Cic. de Finib. p. 291. — 10. *humanarum rerum* O — 11. *esse uirtus quae sanctitas* in rasura A² — 12. *enim* om. B¹ — *atque* 𝔄: *ac* O — 13. *ab his* A C E (in B *iis et si est* desunt propter laesum pergamenum) — *hominum* om. B¹; *humano* B² — 14. *possint* A — *neque volunt* E O — 15. *ab his* B E — 16. *permanere* B² E — 17. *praeces* A — *spetie* A — 18. *item* 𝔄: *ita* O — *non poterunt cum* A — 19. *sanctitatem* 𝔄: *et sanctitatem* O — 20. *haut* A; *aut* corr. in *haud* B — 22. *et hi* 𝔄 O — 23. *oratione* A B¹ — 24. *ueram* corr. in *uero* B — 25. *isdem* B¹: *hisdem* A C¹ E; *iisdem* B² C² O — 26. *tempestatē* (*atē* ex correctione in rasura) C — 27. *a dis* B E: *a diis* A C O — 29. *ea ipsa* corr. ead. m. in *ei ipsi* B; *et ipsi* Bouhier; *ea ipsi* Heindorfius. — 32. *tantopere* 𝔄 (sed B divise *tanto pere*) — 33. *tam* om. B¹ — 34. *alterum* A C: *aliorum* (litterae *o* superscr. *ut*) B; *alterutrum* E — *potest profecto* (sed cum signo transpositionis) C — *ut earum* C: *utearum* (corr. in *ut earum*) B; *et earum* A E.

alterum certe non potest, ut plus una vera sit. III. Qua quidem in causa et benevolos obiurgatores placare et invidos vituperatores confutare possumus, ut alteros reprehendisse paeniteat, alteri didicisse se gaudeant; nam qui admonent amice, docendi sunt, qui inimice insectantur, repellendi. 6. Multum autem fluxisse video de libris nostris, quos compluris brevi tempore edidimus, variumque sermonem partim admirantium, unde hoc philosophandi nobis subito studium extitisset, partim, quid quaque de re certi haberemus, scire cupientium. Multis etiam sensi mirabile videri eam nobis potissimum probatam esse philosophiam, quae lucem eriperet et quasi noctem quandam rebus offunderet, desertaeque disciplinae et iam pridem relictae patrocinium necopinatum a nobis esse susceptum. Nos autem nec subito coepimus philosophari nec mediocrem a primo tempore aetatis in eo studio operam curamque consumpsimus et, cum minime videbamur, tum maxime philosophabamur, quod et orationes declarant refertae philosophorum sententiis et doctissimorum hominum familiaritates, quibus semper domus nostra floruit, et principes illi, Diodotus, Philo, Antiochus, Posidonius, a quibus instituti sumus. 7. Et, si omnia philosophiae praecepta referuntur ad vitam, arbitramur nos et publicis et privatis in rebus ea praestitisse, quae ratio et doctrina praescripserit. IV. Sin autem quis requirit, quae causa nos inpulerit ut haec tam sero litteris mandaremus, nihil est quod expedire tam facile possimus. Nam cum otio langueremus et is esset rei publicae status, ut eam unius consilio atque cura gubernari necesse esset, primum ipsius rei publicae causa philosophiam nostris hominibus explicandam putavi, magni existimans interesse ad decus et ad laudem civitatis, res tam gravis tamque praeclaras Latinis etiam litteris contineri. 8. Eoque me minus instituti mei paenitet, quod facile sentio, quam multorum non modo discendi, sed etiam scribendi studia commoverim; complures enim Graecis institutionibus eruditi ea, quae didicerant, cum civibus suis communicare non poterant, quod illa, quae a Graecis accepissent, Latine dici posse diffiderent. Quo in genere tantum profecisse videmur, ut a Graecis ne verborum quidem copia vinceremur. 9. Hortata etiam est, ut me ad haec conferrem, animi aegritudo, fortunae magna et gravi commota iniuria. cuius si maiorem aliquam levationem reperire potuissem, non ad hanc potissimum confugissem. Ea vero ipsa nulla ratione melius frui potui quam si me non modo ad legendos libros, sed etiam ad totam philosophiam pertractandam dedissem. Omnes autem eius partes atque omnia membra tum facillume noscuntur, cum totae quaestiones scribendo explicantur; est enim admirabilis quaedam continuatio seriesque rerum, ut alia ex alia nexa et omnes inter se aptae conligataeque videantur. V. 10. Qui autem requirunt, quid quaque de re ipsi sentia-

---

1. *uera* supra versum habet A — 2. *beniuolos* 𝔄 — 5. *cumpluris* A B; *cum plures* C E — 6. *partem* A¹. Inter *partim* et *admirantium* una duaeve litterae (fort. *et*) erasae sunt in B — *ammirantur* C — 17. *possidonius* B C E — 22. *possimus* corr. ex *possumus* B — *is* B: *his* A C; *si* E — 23. *eam* corr. m. sec. in *eum* A — 24. *causam* B¹ C — 28. *discendisset etiam* B¹ — 32. *quidam* A — *est etiam* O — 35. *hunc* C — 37. *Omnis* A C — 40. *alia ex aliis nexa* B¹; *aliae ex aliis nexae* alii. (post *nexa* in A m. recentissima add. *ratione*) — 41. *quid* A B: *quod* C E.

mus, curiosius id faciunt quam necesse est; non enim tam auctores in disputando quam rationis momenta quaerenda sunt. Quin etiam obest plerumque iis, qui discere volunt, auctoritas eorum, qui se docere profitentur: desinunt enim suum iudicium adhibere, id habent ratum, quod ab eo, quem probant, iudicatum vident. Nec vero probare soleo id, quod de Pythagoreis accepimus, quos ferunt, si quid adfirmarent in disputando, cum ex eis quaereretur, qua re ita esset, respondere solitos «ipse dixit»; ipse autem erat Pythagoras. Tantum opinio praeiudicata poterat, ut etiam sine ratione valeret auctoritas. 11. Qui autem admirantur nos hanc potissimum disciplinam secutos, his quattuor Academicis libris satis responsum videtur. Nec vero desertarum relictarumque rerum patrocinium suscepimus; non enim hominum interitu sententiae quoque occidunt, sed lucem auctoris fortasse desiderant, ut haec in philosophia ratio contra omnia disserendi nullamque rem aperte iudicandi profecta a Socrate, repetita ab Arcesila, confirmata a Carneade usque ad nostram viguit aetatem; quam nunc prope modum orbam esse in ipsa Graecia intellego. Quod non Academiae vitio, sed tarditate hominum arbitror contigisse; nam si singulas disciplinas percipere magnum est, quanto maius omnis? quod facere iis necesse est, quibus propositum est veri reperiendi causa et contra omnis philosophos et pro omnibus dicere. 12. Cuius rei tantae tamque difficilis facultatem consecutum esse me non profiteor, secutum esse prae me fero. Nec tamen fieri potest ut, qui hac ratione philosophentur, ii nihil habeant quod sequantur. Dictum est omnino de hac re alio loco diligentius, sed, quia nimis indociles quidam tardique sunt, admonendi videntur saepius. Non enim sumus ii, quibus nihil verum esse videatur, sed ii, qui omnibus veris falsa quaedam adiuncta esse dicamus, tanta similitudine, ut in iis nulla insit certa iudicandi et adsentiendi nota. [Ex quo exstitit illud, multa esse probabilia, quae quamquam non perciperentur, tamen, quia visum quendam haberent insignem et inlustrem, iis sapientis vita regeretur.]

VI. 13. Sed iam, ut omni me invidia liberem, ponam in medio sententias philosophorum de natura deorum. Quo quidem loco convocandi omnes videntur, qui, quae sit earum vera, iudicent. Tum demum mihi procax Academia videbitur, si aut consenserint omnes aut erit inventus aliquis, qui, quid verum sit, invenerit. Itaque mihi libet exclamare, ut *ille* in Synephebis:

Pro deum, popularium omnium, omnium adulescentium
Clamo, postulo, obsecro, oro, ploro atque inploro fidem,

---

1. *auctores* A C E: *auctoritates* B O — 3. *uolint* A — 7. *eis* B: *hiis* C; *hys* E; *iis* A O — 8. *ipse autem erat Pythagoras* spuria censuit Walkerus. — 9. *admirantur* 𝔄: *mirantur* O — 11. *relictarumque* 𝔄: *derelictarumque* O — 15. *arces‖sila* B; *ercesila* A C; *ertesila* E — 19. *maius* A C E: *magis* B — *is* (superscr. *h*) B; *his* A C E — 23. *hi* A B C, *hy* E — 24. *hac de re* O — 25. *hi* A B C; om. E — 26. *ii* A[1]: *hii* A[2] C; *hi* B; *hy* E — 27. *iis* B: *his* A C; *hys* E — 28. *Ex quo -- regeretur* Heindorfio auctore seclusi. — *exstitit* Heindorfius: *existit* A C E O; *exsistit et* B — 29. *haberent quendam* O — 30. *his* 𝔄 — 32. *quo quidem -- iudicent* del. Heidtmann. — 35. *ut ille in Synephebis* Ursinus: *ut in synefebis* A; *ut .. inefebis* B; *ut insine febis* C; *ut terentius in ephebis* E; *ut statius in synephebis* alii. Vide ad Tusc. I § 31. — 37. *popularium omnium adulescentium* A B C; *popularium animum adolescentium* E. Vocem *omnium* primus geminavit Manutius.

non levissuma de re, ut queritur ille, in civitate fieri facinora capitalia,

ab amico amante argentum accipere meretrix nevolt,

14. sed ut adsint, cognoscant, animadvertant, quid de religione, pietate, sanctitate, caerimoniis, fide, iure iurando, quid de templis, delubris sacrificiisque sollemnibus, quid de ipsis auspiciis, quibus nos praesumus, existimandum sit; haec enim omnia ad hanc de dis inmortalibus quaestionem referenda sunt. Profecto eos ipsos, qui se aliquid certi habere arbitrantur, addubitare coget doctissimorum hominum de maxuma re tanta dissensio. 15. Quod cum saepe alias, tum maxime animadverti, cum apud C. Cottam, familiarem meum, accurate sane et diligenter de dis inmortalibus disputatum est. Nam cum feriis Latinis ad eum ipsius rogatu arcessituque venissem, offendi eum sedentem in exedra et cum C. Velleio senatore disputantem, ad quem tum Epicurii primas ex nostris hominibus deferebant. Aderat etiam Q. Lucilius Balbus, qui tantos progressus habebat in Stoicis, ut cum excellentibus in eo genere Graecis compararetur. Tum, ut me Cotta vidit, Peropportune, inquit, venis; oritur enim mihi magna de re altercatio cum Velleio, cui pro tuo studio non est alienum te interesse. VII. 16. Atqui mihi quoque videor, inquam, venisse, ut dicis, opportune; tres enim trium disciplinarum principes convenistis. M. enim Piso si adesset, nullius philosophiae, earum quidem, quae in honore sunt, vacaret locus. Tum Cotta, Si, inquit, liber Antiochi nostri, qui ab eo nuper ad hunc Balbum missus est, vera loquitur, nihil est quod Pisonem, familiarem tuum, desideres. Antiocho enim Stoici cum Peripateticis re concinere videntur, verbis discrepare. Quo de libro, Balbe, velim scire quid sentias. Egone? inquit ille: miror Antiochum, hominem in primis acutum, non vidisse interesse plurimum inter Stoicos, qui honesta a commodis non nomine, sed genere toto diiungerent, et Peripateticos, qui honesta commiscerent cum commodis, ut ea inter se magnitudine et quasi gradibus, non genere differrent; haec enim est non verborum parva, sed rerum permagna dissensio. 17. Verum hoc alias: nunc quod coepimus, si videtur. Mihi vero, inquit Cotta, videtur; sed ut hic, qui intervenit, me intuens, ne ignoret, quae res agatur, de natura agebamus deorum, quae cum mihi videretur perobscura, ut semper videri solet, Epicuri ex Velleio sciscitabar sententiam. Quam ob rem, inquit, Vellei, nisi molestum est, repete quae coeperas. Repetam vero, quamquam non mihi, sed tibi hic venit

---

1. *fieri in civitate* O — 3. *nevolt* F. A. Wolfius: *non uult* 𝔄. (Statii verba sic effert O. Ribbeck Comic. Lat. Reliq. p. 60: -- *in civitate fiunt facinora capitalia: Nam ab amico amante argentum accipere meretrix nunc nevolt.*) — 6. *sollempnibus* A C; *solemnibus* B E; *sollennibus* O — 8. *referenda sunt profecto. Eos* Bake Schol. Hypom. IV p. 407. — *certe* C — 9. *at dubitare* A E — 11. *C.*] *g.* 𝔄 — 12. *est* (superscr. *sit*) B: *sit* A C E — 13. *exhedra* O — 14. *C.* B: *g.* A C E — *uellelo* A, item v. 18. — *epicuri* 𝔄; *Epicurei* O 15. *Q.*] *quintus* 𝔄 — 17. *comparetur* C — *peroportune* 𝔄 — 19. *adqui* A; *atque* C E — 20. *opportune* B¹: *oportune* A B² C E — 21. *M. enim* (*м. n.* vel *m. n.*) *piso* A B E: *GÑ. piso* C; *M. piso* alii; *M. etiam Piso* Heindorfius. — *nullus* B — *philosophiae* del. Bake. — 22. *tunc* B — 23. *anthiochi* A C — 26. *velim scire, Balbe* O — 27. *interesse* om. C — 29. *diiungerent* A C: *disiungerent* B E O — 30. *cum* corr. ex *com* A — 32. *hoc* 𝔄: *haec* O — *cepimus* A C E — 33. *cocta* A — 37. *ceperas* C E.

adiutor; ambo enim, inquit adridens, ab eodem Philone nihil scire didicistis. Tum ego, Quid didicerimus, Cotta viderit, tu autem nolo existimes me adiutorem huic venisse, sed auditorem, et quidem aequum, libero iudicio, nulla eius modi adstrictum necessitate, ut mihi velim nolim sit certa quaedam tuenda sententia.

VIII. 18. Tum Velleius fidenter sane, ut solent isti, nihil tam verens quam ne dubitare aliqua de re videretur, tamquam modo ex deorum concilio et ex Epicuri intermundiis descendisset, Audite, inquit, non futilis commenticiasque sententias, non opificem aedificatoremque mundi, Platonis de Timaeo deum, nec anum fatidicam, Stoicorum *πρόνοιαν*, quam Latine licet providentiam dicere, neque vero mundum ipsum animo et sensibus praeditum, rotundum, ardentem, volubilem deum, portenta et miracula non disserentium philosophorum, sed somniantium. 19. Quibus enim oculis intueri potuit vester Plato fabricam illam tanti operis, qua construi a deo atque aedificari mundum facit? quae molitio? quae ferramenta? qui vectes? quae machinae? qui ministri tanti muneris fuerunt? quem ad modum autem oboedire et parere voluntati architecti aër, ignis, aqua, terra potuerunt? unde vero ortae illae quinque formae, e quibus reliqua formantur, apte cadentes ad animum afficiendum pariendosque sensus? Longum est ad omnia, quae talia sunt, ut optata magis quam inventa videantur. 20. Sed illa palmaria, quod, qui non modo natum mundum introduxerit, sed etiam manu paene factum, is eum dixerit fore sempiternum. Hunc censes primis, ut dicitur, labris gustasse physiologiam, id est naturae rationem, qui quicquam, quod ortum sit, putet aeternum esse posse? Quae est enim coagmentatio non dissolubilis? aut quid est, cuius principium aliquod sit, nihil sit extremum? *Πρόνοια* vero vestra, Lucili, si est eadem, eadem requiro, quae paulo

---

1. *filone* 𝔄 — 2. *quotta* A — *uiderit* corr. ex *uideret* A — 3. *me* inter *nolo* et *existimes* superscr. B — *sed adiutorem* B¹ C — *aeqũ* (superscr. *aequum*) B; *aecum* A; *fretum* C E — 4. *iuditio* A — 7. *uidetur* C — 8. *intermundiis* A B¹ C: *internuntiis* B² E — *descendisset* B: *descendis sed* A; *descendens. Sed* C E — 9. *futilis* C E: *futcilis* A; *fuit tilis* corr. in *futtiles* B; *futiles* O. Cf. var. lect. ad p. 316, 3. — *commentitiasque* ... — 10. *pronoeam* 𝔄 — 14. *oculis* Marsus: *oculis animi* 𝔄; *oculis* [*animi*] O. «Equidem *animi* seclusi, non quia per se non recte dicantur *animi oculi*, sed quia sententiae ipsi h. l. repugnat. Mentis enim oculis quivis, nedum Plato, intueri poterat fabricam illam, id est, talem sibi animo informare ac fingere; sed hoc quaerit Velleius, quomodo fieri potuerit ut corporis sensuum ope Plato ad eiusmodi opinionem, sensuum certissimo testimonio contradicentem, perveniret.» Or. — 18. *formae e quibus* B C E: *forme ae quibus* A; *formae, ex quibus* O — 19. *afficiendum* Schoemannus (coll. Plat. Tim. p. 64—68): *efficiendum* 𝔄 O — 20. *ad* 𝔄: om. O — 21. *illa palmaria* Davisius (in prima editione): *illa palmaris* 𝔄 O; *illud palmare* Davisius (in tertia ed.). Cf. C. G. Dietrich Quaestt. gramm. et crit. de locis aliquot Ciceronis p. 45 sqq. et Seyffert Schol. Lat. I p. 28 et 57. («*illa* Cicero posuit tamquam plura eadem orationis figura enumeraturus. Vid. Opusc. Acad. I p. 360 not. et illis, quae ibi collegi, add. N. D. II § 147: *Quanta vero illa sunt, quod et sensibus* cet. Philipp. V § 17: *An illa non gravissimis ignominiis -- sunt notanda, quod* cet.» MADVIG.) — *quod* 𝔄: *quidem, quod* O — 24. *id est naturae rationem* del. Manutius. «Sed h. l., ubi primum isto voc. Graeco utitur, equidem in explicatione Latina, eaque quam maxime Tulliana (de Divin. I § 90), minime offendo.» Or. — 25. *coagmentatio* B¹: *coacmentatio* A C; *coaugmentatio* B² E — 26. *cuius* A C E: *cui* B — 27. *Πρόνοια* Manutius: *Pronoea* 𝔄 O. Cf. v. 10. — *vero vestra, Lucili, si est eadem, eadem requiro* nos: *vero si vestra est, Lucili, eadem requiro* A B C O; *si vero vestra est lucili eadem require* E; *vero si vestra est, Lucili, eadem, eadem requiro* Heindorfius; *vero vestra si eadem est, Lucili, eadem requiro* Lambinus; *vero vestra si, Lucili, eadem est, eadem requiro* Madvigius.

ante, ministros, machinas, omnem totius operis designationem atque apparatum, sin alia est, cur mortalem fecerit mundum, non, quem ad modum Platonicus deus, sempiternum. IX. 21. Ab utroque autem sciscitor, cur mundi aedificatores repente exstiterint, innumerabilia saecla dormierint; non enim, si mundus nullus erat, saecla non erant. Saecla nunc dico non ea, quae dierum noctiumque numero annuis cursibus conficiuntur; nam fateor ea sine mundi conversione effici non potuisse. Sed fuit quaedam ab infinito tempore aeternitas, quam nulla circumscriptio temporum metiebatur; spatio tamen qualis ea fuerit, intellegi *non* potest, quod ne in cogitationem quidem cadit, ut fuerit tempus aliquod, nullum cum tempus esset. 22. Isto igitur tam inmenso spatio, quaero, Balbe, cur πρόνοια vestra cessaverit. Laboremne fugiebat? At iste nec attingit deum nec erat ullus, cum omnes naturae numini divino, caelum, ignes, terrae, maria parerent. Quid autem erat quod concupisceret deus mundum signis et luminibus tamquam aedilis ornare? Si, ut deus ipse melius habitaret, antea videlicet tempore infinito in tenebris tamquam in gurgustio habitaverat. Post autem varietatene eum delectari putamus, qua caelum et terras exornatas videmus? Quae ista potest esse oblectatio deo? quae si esset, non ea tam diu carere potuisset. 23. An haec, ut fere dicitis, hominum causa a deo constituta sunt? Sapientiumne? propter paucos igitur tanta est rerum facta molitio. An stultorum? at primum causa non fuit, cur de inprobis bene mereretur; deinde quid est adsecutus, cum omnes stulti sint sine dubio miserrimi, maxime quod stulti sunt — miserius enim stultitia quid possumus dicere? — deinde quod ita multa sunt incommoda in vita, ut ea sapientes commodorum conpensatione leniant, stulti nec vitare venientia possint nec ferre praesentia. X. Qui vero mundum ipsum animantem sapientemque esse dixerunt, nullo modo viderunt, animi natura intellegentis in quam figuram cadere posset: de quo dicam equidem paulo post. 24. Nunc autem hactenus: admirabor eorum tarditatem, qui animantem inmortalem et eundem beatum rotundum esse velint, quod ea forma neget ullam esse pulchriorem Plato. At mihi vel cylindri vel quadrati vel coni vel pyramidis videtur esse formosior. Quae vero vita tribuitur isti rotundo deo? Nempe ut ea celeritate contorqueatur, cui par nulla ne cogitari quidem possit; in qua non video ubinam mens constans et vita beata possit insistere. Quodque in nostro corpore, si minima ex parte † significetur, molestum sit, cur hoc idem non habeatur molestum in deo? Terra enim profecto, quoniam mundi pars est, pars est etiam dei. Atqui terrae maxumas

1. *dissignationem* A B — 2. *fecerit* corr. ex *fecit* A — 4. *saecla* (ter) A B C: *secla* E; *secula* O — 7. *non* (corr. in *nan*) *fateor* A; cf. v 35. — 8. *temporum circumscriptio* O — 9. *non* codd. multi: om. 𝔄 O; sed v. Schoemannum Diss. II p. 9 sq. — 12. *pronoea* 𝔄O — 13. *numini* corr. ex *nomini* B — 20 *Sapientumne* O — 21. *igitur* 𝔄 : *ergo* O — *facta rerum* E O — 23. *dubuio* A — 28. *animi natura intelligentis* A: *animi naturā. intellegentes* B; *animi naturū intellegentis* C; *animi naturam intelligentes* E; *animi natura et intelligentia* Eichstadius. Cf. Dietrich l. l. p. 51 sq. — 29. *possit* C — *hactenus: admirabor* Schoemannus: *hactenus admirabor* O — 31. *ullam neget* O — 32. *pyramides* A B[1] — 34. *cogitare* B et (corr. in *cogitari*) A — 35. *ubinam* C: *ubinan* A; *ubinon* (litteris *non* expunctis) B; *ubi* E. Cf. v. 7. — *insistere. Quodque* Madvig (ad Cic. de Finn. p. 476): *insistere: quodque* O — 36. *significetur* 𝔄 : *sic incitetur* Lachmannus ad Lucret. p. 351; *sic afficiatur* Schoemannus.

regiones inhabitabilis atque incultas videmus, quod pars earum adpulsu solis exarserit, pars obriguerit nive pruinaque longinquo solis abscessu; quae, si mundus est deus, quoniam mundi partes sunt, dei membra partim ardentia, partim refrigerata dicenda sunt.

25. Atque haec quidem vestra, Lucili; qualia vero alia sint, ab ultimo repetam superiorum. Thales enim Milesius, qui primus de talibus rebus quaesivit, aquam dixit esse initium rerum, deum autem eam mentem, quae ex aqua cuncta fingeret. Si di possunt esse sine sensu et mente, *mentem* cur aquae adiunxit? *menti autem cur aquam adiunxit*, si ipsa mens constare potest vacans corpore? Anaximandri autem opinio est nativos esse deos, longis intervallis orientis occidentisque, eosque innumerabilis esse mundos. Sed nos deum nisi sempiternum intellegere qui possumus? 26. Post Anaximenes aëra deum statuit eumque gigni esseque inmensum et infinitum et semper in motu: quasi aut aër sine ulla forma deus esse possit, cum praesertim deum non modo aliqua, sed pulcherrima specie deceat esse, aut non omne, quod ortum sit, mortalitas consequatur. XI. Inde Anaxagoras, qui accepit ab Anaximene disciplinam, primus omnium rerum discriptionem et motum mentis infinitae vi ac ratione designari et confici voluit; in quo non vidit neque motum sensui iunctum et continentem in infinito ullum esse posse, neque sensum omnino, quo non ipsa natura pulsa sentiret. Deinde, si mentem istam quasi animal aliquod voluit esse, erit aliquid interius, ex quo illud animal nominetur: quid autem interius mente? cingatur igitur corpore externo. 27. Quod quoniam non placet, aperta simplexque mens nulla re adiuncta, qua sentire possit, fugere intellegentiae nostrae vim et notionem videtur. Crotoniates autem Alcmaeo, qui soli et lunae reliquisque sideribus animoque praeterea divinitatem dedit, non sensit sese mortalibus rebus inmortalitatem dare. Nam Pythagoras, qui censuit animum esse per naturam rerum omnem intentum et commeantem, ex quo nostri animi carperentur, non vidit distractione humanorum animorum discerpi et lacerari deum et, cum miseri animi essent, quod plerisque contingeret, tum dei partem esse miseram: quod fieri non potest. 28. Cur autem quicquam ignoraret animus hominis, si esset deus? quo modo porro deus iste, si nihil esset nisi animus, aut infixus aut infusus esset

---

3. *Quo* (*o* ex correctione) *si* C — 4. *ducenda* B — 5. *vero alia sint* B² E: *uero est* A B¹ C; *vero sint* O, distinctis cum Beiero verbis *repetam*, *superiorum*; *vero cetera sint* Schoemannus. — 6. *primis* B¹ — 8. *si* E: *sic* A B C — 9. Lacunam, quae h. l. est in codicibus, supplevi praeeuntibus Lambino, qui dedit *sensu*, *cur mentem aquae, cur aquam menti adiunxit*, *si* cet., et Schoemanno, qui locum sic exhibet: *sensu et mente, cur aquae* [*mentem*, *menti autem cur aquam*] *adiunxit*. In libris et O haec sola leguntur: *sensu et mente cur aquae adiunxit*. Pro *mente* tamen *mentem* dedit B¹: pro *cur aquae* est *cura quae* in A, *curaque* in C; *adiunxit* om. C. (Transposita illa octo verborum, *si dei* - - *et mente*, parenthesi post *nativos esse deos* omnia recta fore arbitratur Madvigius.) — *siculi ipsa* C — 18. *discriptionem* A B: *discrepationem* C; *descriptionem* E O. Cf p. 303, 5. — *motum* Rigaltius: *modum* 𝔄 O. Cf. Aristot. Phys. Ausc. VIII, 1. — 19. *uiae ratione* A B — *dissignari* A B — 20. *sensu* A C; *sensus* corr. in *sensui* B — *uinctum* C — *et incontinentem* 𝔄 — *in* C: om. A B E — 21. *ipsius natura* Schoemannus (in commentario). — 22. *esse voluit* E O — 23. *illud anima* A C E — 25. *qua* Augustinus: *quae* 𝔄 — 26 *notitionem* C — *al‸cmaeo* A; *alcmeo* C — 28. *censuit deum animum esse* Bake. — 29. *omnem* A B: *omnium* C E — 30. *detractione* Ruhnkenius. — 34. *deus esset si* C.

in mundo? Tum Xenophanes, qui mente adiuncta omne praeterea, quod esset infinitum, deum voluit esse, de ipsa mente item reprehenditur, ut ceteri, de infinitate autem vehementius, in qua nihil neque sentiens neque coniunctum potest esse. Nam Parmenides quidem commenticium quiddam coronae simile efficit: *στεφάνην* appellat, continente ardore lucis orbem, qui cingat caelum, quem appellat deum: in quo neque figuram divinam neque sensum quisquam suspicari potest: multaque eiusdem modi monstra; quippe qui bellum, qui discordiam, qui cupiditatem ceteraque generis eiusdem ad deum revocet, quae vel morbo vel somno vel oblivione vel vetustate delentur, eademque de sideribus, quae reprehensa in alio iam in hoc omittantur. XII. 29. Empedocles autem multa alia peccans in deorum opinione turpissume labitur. Quattuor enim naturas, ex quibus omnia constare censet, divinas esse vult, quas et nasci et extingui perspicuum est et sensu omni carere. Nec vero Protagoras, qui sese negat omnino de deis habere quod liqueat, sint, non sint qualesve sint, quicquam videtur de natura deorum suspicari. Quid? Democritus, qui tum imagines earumque circumitus in deorum numero refert, tum illam naturam, quae imagines fundat ac mittat, tum scientiam intellegentiamque nostram, nonne in maximo errore versatur? Cum idem omnino, quia nihil semper suo statu maneat, neget esse quicquam sempiternum, nonne deum omnino ita tollit, ut nullam opinionem eius reliquam faciat? Quid? aër, quo Diogenes Apolloniates utitur deo, quem sensum habere potest aut quam formam dei? 30. Iam de Platonis inconstantia longum est dicere, qui in Timaeo patrem huius mundi nominari neget posse, in Legum autem libris, quid sit omnino deus, anquiri oportere non censeat. Quod vero sine corpore ullo deum vult esse, [ut Graeci dicunt, *ἀσώματον*,] id quale esse possit, intellegi non potest; careat enim sensu necesse est, careat etiam prudentia, careat voluptate: quae omnia una cum deorum notione conprehendimus. Idem et in Timaeo dicit et in Legibus et mundum deum esse et caelum et astra et terram et animos et eos, quos maiorum institutis accepimus, quae et per se sunt falsa perspicue et inter se vehementer repugnantia. 31. Atque etiam Xenophon paucioribus verbis eadem fere peccat; facit enim in iis, quae a Socrate dicta rettulit, Socratem disputantem, formam dei quaeri non oportere, eundemque et solem et animum deum dicere, et modo unum, tum autem plures deos: quae sunt isdem in erratis fere, quibus

---

2. *noluit* C — *rephenderetur* A C; *reprehenderet* corr. in *reprehenditur* B — **4.** *conuenticium* 𝔄 — **5.** *simile* E: *similem* A B C; *similitudinem* P; *similitudine* O — *effecit* P — *στεφάνην* Werferus: *stefane* A[1]; *stephane* C; *stefanen* A[2]; *Istefanen* (prima littera deleta et superscr. *et* per compendium) B; *stephanen* E P O — *continente ardore* Davisius: *continentem ardorem* 𝔄 — **6.** *cingat* Ernestius: *cingit* 𝔄 — **8.** *modi* Heindorfius: om. 𝔄 O — **9.** *revocet* Orellius (in adnotatione): *reuocat* 𝔄 O — **10.** *repraehensa* A C — **11.** *in alio iam* 𝔄: *iam in alio* O — *empedodes* A C[1] — **13.** *constare vult, divinas esse censet* O — **14.** *nasci extinguique* (*que* ab recentiore m.) C — **15.** *habere* om. A C P — **16.** *uideatur* (litt. *a* punctis notata) B — **17.** *eorumque* 𝔄 — *circuitus* E O. Cf. II § 155. — **18.** *numerum* Lambinus. — *tum sententiam* 𝔄 — **21.** *tollat* (sed *a* obscura) A — **22.** *diogenis* A B C — *appolloniates* A C E — **26.** *non*] *nos* C — **27.** *ut* - - *ἀσώματον* Heindorfio auctore seclusi. — *asomaton* A B C E; *auxosomaton* P — **29.** *conphendimus* A E — **31.** *malorum* B — **32.** *inter sese* O — **33.** *in his* 𝔄 — **35.** *deum* superscr. m. sec. sed antiqua habet A.

ea, quae de Platone diximus. XIII. 32. Atque etiam Antisthenes in eo libro, qui Physicus inscribitur, popularis deos multos, naturalem unum esse dicens tollit vim et naturam deorum. Nec multo secus Speusippus, Platonem avunculum subsequens et vim quandam dicens, qua omnia regantur, eamque animalem, evellere ex animis conatur cognitionem deorum. 33. Aristotelesque in tertio de philosophia libro multa turbat, a magistro suo Platone non dissentiens: modo enim menti tribuit omnem divinitatem, modo mundum ipsum deum dicit esse, modo alium quendam praeficit mundo eique eas partis tribuit, ut replicatione quadam mundi motum regat atque tueatur, tum caeli ardorem deum dicit esse, non intellegens caelum mundi esse partem, quem alio loco ipse designarit deum. Quo modo autem caeli divinus ille sensus in celeritate tanta conservari potest? ubi deinde illi tot di, si numeramus etiam caelum deum? Cum autem sine corpore idem vult esse deum, omni illum sensu privat, etiam prudentia. Quo porro modo moveri carens corpore aut quo modo semper se movens esse quietus et beatus potest? 34. Nec vero eius condiscipulus Xenocrates in hoc genere prudentior est, cuius in libris, qui sunt de natura deorum, nulla species divina describitur: deos enim octo esse dicit; quinque eos, qui in stellis vagis nominantur, unum, qui ex omnibus sideribus, quae infixa caelo sunt, ex dispersis quasi membris simplex sit putandus deus; septimum Solem adiungit octavamque Lunam, qui quo sensu beati esse possint, intellegi non potest. Ex eadem Platonis schola Ponticus Heraclides puerilibus fabulis refersit libros, et tum mundum, tum mentem divinam esse putat, errantibus etiam stellis divinitatem tribuit sensuque deum privat et eius formam mutabilem esse vult, eodemque in libro rursus terram et caelum refert in deos. 35. Nec vero Theophrasti inconstantia ferenda est: modo enim menti divinum tribuit principatum, modo caelo, tum autem signis sideribusque caelestibus. Nec audiendus eius auditor Strato, is qui physicus appellatur, qui omnem vim divinam in natura sitam esse censet, quae causas gignendi, augendi, minuendi habeat, sed careat omni sensu et figura. XIV. 36. Zeno autem, ut iam ad vestros, Balbe, veniam, naturalem legem divinam esse censet eamque vim obtinere recta imperantem prohibentemque contraria. Quam legem quo modo efficiat animantem, intellegere non possumus:

---

1. *diximus* cod. Monacensis: *dicimus* 𝔄 — *antisthenis* A C E P — 6. *aristotelesque* A B C E (in B corr. ex *aristoteles quae*; in C *que* deletum est): *Aristoteles quoque* O — 7. *magistro suo* cod. Rehdigerianus; *magistro uno* 𝔄; *magistro — non* Manutius: om. 𝔄 — 8. *quendam alium* O — 12. Ante *quo modo* popularium deorum mentionem excidisse putavit Heindorfius; astrorum divinitatis mentionem desiderat Schoemannus. — *caeleritate* A B — 13. *tot* om. P — 15. *et iam* P — *moveri* Heindorfius: *mundus moueri* 𝔄; *deus moveri* Schuetzius; *mundum movere* Ernestius, O. »*mundus* interpolatori debetur. Deum Velleius negat moveri (movere se) posse aut, si moveri possit, quietum et beatum esse posse.« Madvig. — 16. *se* om. P — *eius* om. C — 17. *est* A C (in A rasurae superscr. m. sec.): om. B E O — *in cuius* O — 18. *sunt in natura* A C E P — 20. *sint* A B C P — 21. *octauamque* 𝔄: *octauumque* alii. — 22. *possunt* A — 23. *et tum mundum* Manutius: *et tamen modo mundum* A B C P; *et* [*tamen*] *modo mundum* O; *et tum modo mundum* E; *et tum* . . . . *modo mundum* Klotzius. — 24. *etiam* superscr. sec. m. sed vetere A; *autem* E — 28. *que caelestibus* om. B — 29. *is* A E: *his* B C, sed in B littera *h*, in C tota vox expuncta est. — 31. *minuendi* 𝔄: *minuendi immutandique* O — *omni et sensu et figura* B — 32. *utinam ad* P — 33. *prohibentem* (om. *que*) E.

deum autem animantem certe volumus esse. Atque hic idem alio loco aethera deum dicit, si intellegi potest nihil sentiens deus, qui numquam nobis occurrit neque in precibus neque in optatis neque in votis. Aliis autem libris rationem quandam per omnem naturam rerum pertinentem vi divina esse adfectam putat. Idem astris hoc idem tribuit, tum annis, mensibus annorumque mutationibus. Cum vero Hesiodi Theogoniam interpretatur, tollit omnino usitatas perceptasque cognitiones deorum; neque enim Iovem neque Iunonem neque Vestam neque quemquam, qui ita appellatur, in deorum habet numero, sed rebus inanimis atque mutis per quandam significationem haec docet tributa nomina. 37. Cuius discipuli Aristonis non minus magno in errore sententia est, qui neque formam dei intellegi posse censeat neque in deis sensum esse dicat dubitetque omnino, deus animans necne sit. Cleanthes autem, qui Zenonem audivit una cum eo, quem proxime nominavi, tum ipsum mundum deum dicit esse, tum totius naturae menti atque animo tribuit hoc nomen, tum ultimum et altissimum atque undique circumfusum et extremum omnia cingentem atque conplexum ardorem, qui aether nominetur, certissimum deum iudicat. Idemque quasi delirans in iis libris, quos scripsit contra voluptatem, tum fingit formam quandam et speciem deorum, tum divinitatem omnem tribuit astris, tum nihil ratione censet esse divinius. Ita fit ut deus ille, quem mente noscimus atque in animi notione tamquam in vestigio volumus reponere, nusquam prorsus appareat. XV. 38. At Persaeus, eiusdem Zenonis auditor, eos *dicit* esse habitos deos, a quibus magna utilitas ad vitae cultum esset inventa, ipsasque res utiles et salutares deorum esse vocabulis nuncupatas, ut ne hoc quidem diceret, illa inventa esse deorum, sed ipsa divina. Quo quid absurdius quam aut res sordidas atque deformis deorum honore adficere aut homines iam morte deletos reponere in deos, quorum omnis cultus esset futurus in luctu? 39. Iam vero Chrysippus, qui Stoicorum somniorum vaferrumus habetur interpres, magnam turbam congregat ignotorum deorum, atque ita ignotorum, ut eos ne coniectura quidem informare possimus, cum mens nostra quidvis videatur cogitatione posse depingere: ait enim vim divinam in ratione esse positam et in universae naturae animo atque mente, ipsumque mundum deum dicit esse et eius animi fusionem universam, tum eius ipsius principatum, qui in mente et ratione versetur, communemque rerum naturam universitatemque om-

---

1. *loquo* P — 2. *dicit* 𝔄 : *dicit esse* O — 4. *quandam rationem* C — *omnem* cod. Glogaviensis : *omnium* 𝔄 O. Vid. Schoemannus Diss. V p. 7 sq. — *pertingentem* C — 5. *vi divina esse* Manutius et cod. Glogaviensis : *ut divina esse* A C ; *ut diuinā esse* B ; *ut divina sit* E — *adfectam* seclusit Schoëmannus. — 6. *Theogoniam* Manutius : *theogoniam id est originem deorum* 𝔄 — 7. *insitas praeceptasque* Lambinus. Cf. II § 91. — 9. *appellatur* C : *appelletur* A E P ; *apelletur* B — 11. *sententia est qui* A[2] : *sententias qui* A[1] B E ; *sentias. qui* C — 13. *cleantes* A C E P — 14. *ipsum deum mundum dicit* 𝔄 — 17. *qui ether* (littera post *qui* erasa) A ; *quia aether* C P — 18. *in his* 𝔄 — 19. *uoluntatem* B C E P — 23. *perseus* A C E — *dicit* om. 𝔄 ; *dixit* Schoemannus. (*esse ait habitos* Klotzius in Prooemio.) — 24. *a quibus aliqua magna* B — 25. *utiles* in rasura m. sec. A — 28. *afficeret* C — 29. *chrysipus* A ; *chryssippus* B ; *chrisippus* C E — 30. *cogregat* A[1] — *ignoratorum* B — 31. *nec coniectura* A B C — 32. *mens* om. C — 33. *in* ante *universae* om. C O — 35. *animi infusionem* (*in* superscr. ead. m.) B — 36. *universitatemque* Heindorfius : *universam atque* 𝔄 O. Cf. p. 381, 4.

nia continentem, tum fatalem † umbram et necessitatem rerum futurarum, ignem praeterea et eum, quem ante dixi, aethera, tum ea, quae natura fluerent atque manarent, ut et aquam et terram et aëra; solem, lunam, sidera universitatemque rerum, qua omnia continerentur, atque etiam homines eos, qui inmortalitatem essent consecuti. 40. Idemque disputat aethera esse eum, quem homines Iovem appellarent, quique aër per maria manaret, eum esse Neptunum, terramque eam esse, quae Ceres diceretur, similique ratione persequitur vocabula reliquorum deorum. Idemque etiam legis perpetuae et aeternae vim, quae quasi dux vitae et magistra officiorum sit, Iovem dicit esse eandemque fatalem necessitatem appellat, sempiternam rerum futurarum veritatem, quorum nihil tale est, ut in eo vis divina inesse videatur. 41. Et haec quidem in primo libro de natura deorum: in secundo autem volt Orphei, Musaei, Hesiodi Homerique fabellas accommodare ad ea, quae ipse primo libro de deis inmortalibus dixerit, ut etiam veterrimi poëtae, qui haec ne suspicati quidem sunt, Stoici fuisse videantur. Quem Diogenes Babylonius consequens in eo libro, qui inscribitur de Minerva, partum Iovis ortumque virginis ad physiologiam traducens deiungit a fabula.

XVI. 42. Exposui fere non philosophorum iudicia, sed delirantium somnia; nec enim multo absurdiora sunt ea, quae poëtarum vocibus fusa ipsa suavitate nocuerunt, qui et ira inflammatos et libidine furentis induxerunt deos feceruntque ut eorum bella, proelia, pugnas, vulnera videremus, odia praeterea, discidia, discordias, ortus, interitus, querellas, lamentationes, effusas in omni intemperantia libidines, adulteria, vincula, cum humano genere concubitus mortalisque ex inmortali procreatos. 43. Cum poëtarum autem errore coniungere licet portenta magorum Aegyptiorumque in eodem genere dementiam, tum etiam vulgi opiniones, quae in maxima inconstantia veritatis ignoratione versantur. Ea qui consideret quam inconsulte ac temere dicantur, venerari Epicurum et in eorum ipsorum numero, de quibus haec quaestio est, habere debeat; solus enim vidit primum esse deos, quod in omnium animis eorum notionem inpressisset ipsa natura. Quae est enim gens aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quandam deorum? quam appellat πρόληψιν Epicurus, id est anteceptam animo rei quandam informationem, sine qua nec intellegi quicquam nec quaeri nec disputari potest. Cuius rationis vim atque utilitatem ex illo caelesti Epicuri de regula et iudicio volumine accepimus. XVII. 44. Quod igitur fundamentum huius quaestionis est, id praeclare iactum videtis. Cum enim non instituto aliquo aut more aut lege sit opinio constituta maneatque ad unum omnium firma consensio, intellegi necesse est esse

---

1. *umbram* 𝔄: *vim* cod. Eliensis; *veritatem* Heindorfius; *normam* Madvigius. — 2. *tum aeaque* A — 3. *manerent* (priori *e* superscr. *a*) C — *ut* [*et*] *aquam* O — *solem et lunam* B — 4. *homines etiam* O — 7. *maneret* C — 9. *leges* corr. in *legis* A B — *et* om. C — 13. *musei* A B C E — 15. *dixerat* Ernestius. — 16. *sunt* Ernestius: *sint* 𝔄 O — *babulonius* A; *babilonius* B C E — 17. *partu iouis ortuque* A C P — 18. *deiungit* 𝔄: *diiungit* O — 22. *pugnas, proelia* O — 23. *dissidia* O — *querellas* A: *quaerelas* B; *querelas* O — 25. *et immortalis procreator* C — 28. *maxima constantia* C[1] — *uersamur* C; *uersentur* E — 34. *prolemsin* A; *prolempsin* B; *problepsin* C; *problebsin* E P — 35. *nec intellegi quicquam* om. C — 36. *quoius* A B E (in B superscr. *cuius*) — *caelestia epicuri* B.

deos, quoniam insitas eorum vel potius innatas cognitiones habemus. De quo autem omnium natura consentit, id verum esse necesse est: igitur deos confitendum est. Quod quoniam fere constat inter omnis non philosophos solum, sed etiam indoctos, fateamur constare illud etiam, hanc nos habere sive anticipationem, ut ante dixi, sive praenotionem deorum — sunt enim rebus novis nova ponenda nomina, ut Epicurus ipse πρόληψιν appellavit, quam antea nemo eo verbo nominarat —: hanc igitur habemus, ut deos beatos et inmortales putemus. 45. Quae enim nobis natura informationem ipsorum deorum dedit, eadem insculpsit in mentibus, ut eos aeternos et beatos haberemus. Quod si ita est, vere exposita illa sententia est ab Epicuro, quod beatum aeternumque sit, id nec habere ipsum negotii quicquam nec exhibere alteri, itaque neque ira neque gratia teneri, quod quae talia essent inbecilla essent omnia. Si nihil aliud quaereremus nisi ut deos pie coleremus et ut superstitione liberaremur, satis erat dictum; nam et praestans deorum natura hominum pietate coleretur, cum et aeterna esset et beatissima — habet enim venerationem iustam quicquid excellit —, et metus omnis a vi atque ira deorum pulsus esset; intellegitur enim a beata inmortalique natura et iram et gratiam segregari, quibus remotis nullos a superis inpendere metus. Sed ad hanc confirmandam opinionem anquirit animus et formam et vitae actionem mentisque agitationem in deo.

XVIII. 46. Ac de forma quidem partim natura nos admonet, partim ratio docet. Nam a natura habemus omnes omnium gentium speciem nullam aliam nisi humanam deorum: quae enim forma alia occurrit umquam aut vigilanti cuiquam aut dormienti? Sed, ne omnia revocentur ad primas notiones, ratio hoc idem ipsa declarat. 47. Nam cum praestantissumam naturam, vel quia beata est vel quia sempiterna, convenire videatur eandem esse pulcherrimam, quae conpositio membrorum, quae conformatio liniamentorum, quae figura, quae species humana potest esse pulchrior? Vos quidem, Lucili, soletis — nam Cotta meus modo hoc, modo illud —, cum artificium effingitis fabricamque divinam, quam sint omnia in hominis figura non modo ad usum, verum etiam ad venustatem apta, describere. 48. Quod si omnium animantium formam vincit hominis figura, deus autem animans est, ea figura profecto est, quae pulcherrima est omnium, quoniamque deos beatissimos esse constat, beatus autem esse sine virtute nemo potest nec virtus sine ratione constare nec ratio usquam inesse nisi in hominis figura, hominis esse specie deos confitendum est. 49. Nec tamen ea species corpus est, sed quasi corpus, nec habet sanguinem, sed quasi sanguinem. XIX. Haec quam-

---

3. *fere* BE: *fieri* ACP — 4. *fateamur* (corr. ex *fatemur*) B: *fatemur* ACEP — 5. *anticipatione - - praenotione* corr. ex *anticipationē - - praenotionē* C — 7. *problebsin* AEP; *proplebsin* (litt. post *o* erasa et superscr. *b*) B; *problepsin* corr. ex *prolebsin* C — 9. *deorum ipsorum* O — 12. *ne exhibere* C — 14. *querimus* A, *quaerimus* CP — 19. *inpedere* corr. in *inpedire* A — 20. *anquirit* corr. in *inquirit* P — 21. *vitae actionem mentisque agitationem* Beierus (ad Cic. de Offic. I § 17): *vitam et actionem mentis atque agitationem* 𝔄O — 22. *partem - - partem* B¹P — 24. *alia forma* O — 29. *conformatio* BP: *confirmatio* AE; *formatio* C — 33. *discribere* B — 35. *pulcherrima est* Madvig (ad Cic. de Finn. p. 448): *pulcherrima sit* 𝔄O — 36. *beatus autem sine virtute nemo potest esse* P — 37. *in* om. ACEP.

quam et inventa sunt acutius et dicta subtilius ab Epicuro quam ut quivis ea possit agnoscere, tamen fretus intellegentia vestra dissero brevius quam causa desiderat. Epicurus autem, qui res occultas et penitus abditas non modo viderit animo, sed etiam sic tractet ut manu, docet eam esse vim et naturam deorum, ut primum non sensu, sed mente cernatur, nec soliditate quadam nec ad numerum, ut ea, quae ille propter firmitatem στερέμνια appellat, sed imaginibus similitudine et transitione perceptis; cumque infinita simillumarum imaginum species ex innumerabilibus individuis existat et a deo adfluat, cum maximis voluptatibus in eas imagines mentem intentam infixamque nostram intellegentiam capere, quae sit et beata natura et aeterna. 50. Summa vero vis infinitatis et magna ac diligenti contemplatione dignissima est, in qua intellegi necesse est eam esse naturam, ut omnia omnibus paribus paria respondeant. Hanc ἰσονομίαν appellat Epicurus, id est aequabilem tributionem. Ex hac igitur illud efficitur, si mortalium tanta multitudo sit, esse inmortalium non minorem et, si quae interimant innumerabilia sint, etiam ea, quae conservent, infinita esse debere. Et quaerere a nobis, Balbe, soletis, quae vita deorum sit quaeque ab iis degatur aetas. 51. Ea videlicet, qua nihil beatius, nihil omnibus bonis affluentius cogitari potest; nihil enim agit, nullis occupationibus est inplicatus, nulla opera molitur, sua sapientia et virtute gaudet, habet exploratum fore se semper cum in maximis, tum in aeternis voluptatibus. XX. 52. Hunc deum rite beatum dixerimus, vestrum vero laboriosissimum. Sive enim ipse mundus deus est, quid potest esse minus quietum quam nullo puncto temporis intermisso versari circum axem caeli admirabili celeritate? nisi quietum autem nihil beatum est: sive in ipso mundo deus inest aliquis, qui regat, qui gubernet, qui cursus astrorum, mutationes temporum, rerum vicissitudines ordinesque conservet, terras et maria contemplans hominum commoda vitasque tueatur, ne ille est inplicatus molestis negotiis et operosis! 53. Nos autem beatam vitam in animi securitate et in omnium vacatione munerum ponimus; docuit enim nos idem, qui cetera, natura effectum esse mundum; nihil opus fuisse fabrica tamque eam rem esse facilem, quam vos effici negatis sine divina posse sollertia, ut innumerabilis natura mundos effectura sit, efficiat, effecerit. Quod quia quem ad modum natura efficere sine aliqua mente possit, non videtis, ut tragici poëtae, cum explicare argumenti exitum non potestis,

---

2. *intelligentiae uestrae* A — 4. *uiderit* C'E: *uiderat* A P; *uideat* B — *ut manu* 𝔄: *ut manu nos ducat* O. Cf. Dietrich l. l. p. 54 sqq. — *doceat* 𝔄 — 7. *steremnia* A B C E — 8. *cumque* Walkerus: *cum* 𝔄 O (*c* in rasura habet A). Cf. Seyffert Schol. Lat. I p. 22 sq. — *ex*] *et* C — 9. *a deo* Manutius: *ad eos* corr. in *addeos* B; *ad deos* A C E P O; *ad nos* Lambinus. Cf. § 114. — *cum* corr. ex *tum* B — 10. *defixamque* A. W. Zumpt de epist. ad Brut. p. 31. n. 1. — 11. *quam sit ea beata* Bake. — *beatae naturae et aeternae* Schoemannus. — *et magna ac diligenti* A P: *et magna diligentia* (*et* expunctum, post *diligentia* littera erasa est) C; *magna et diligenti* B E (in B superscr. *ac*) — 14. *isonomiam* 𝔄 — 16. *sunt* C — *etiam* in rasura m. sec. A; *etiam* corr. in *tum* B; *et tamen* E — 18. *ab his* A C E — 20. *nihil enim* -- *implicatus* in margine suppleta habet B — 21. *fore* om. C — *cum* A B C P: *tum* E O — 24. *pugno* (litteris *nct* superscriptis) B — 26. *si uero in* C — 28. *conservet et terras* Davisius. — 29. *tueatur* corr. ex *tuetur* B — *ne ille* corr. in *nec ille* B — 30. *operiosis* C — 31. *uocatione* A[1] C — 33. *rem eam* (sed additis transponendi signis) C — *facile* A E P — *negetis* 𝔄 — 34. *effecerit* corr. ex *effigerit* B.

confugitis ad deum, 54. cuius operam profecto non desideraretis, si inmensam et interminatam in omnis partis magnitudinem regionum videretis, in quam se iniciens animus et intendens ita late longeque peregrinatur, ut nullam tamen oram ultimi videat, in qua possit insistere. In hac igitur inmensitate latitudinum, longitudinum, altitudinum infinita vis innumerabilium volitat atomorum, quae interiecto inani cohaerescunt tamen inter se et aliae alias adprehendentes continuantur; ex quo efficiuntur eae rerum formae et figurae, quas vos effici posse sine follibus et incudibus non putatis. Itaque inposuistis in cervicibus nostris sempiternum dominum, quem dies et noctes timeremus; quis enim non timeat omnia providentem et cogitantem et animadvertentem et omnia ad se pertinere putantem curiosum et plenum negotii deum? 55. Hinc vobis extitit primum illa fatalis necessitas, quam εἱμαρμένην dicitis, ut, quicquid accidat, id ex aeterna veritate causarumque continuatione fluxisse dicatis. Quanti autem haec philosophia aestimanda est, cui tamquam aniculis et iis quidem indoctis fato fieri videantur omnia? Sequitur μαντικὴ vestra, quae Latine divinatio dicitur, qua tanta inbueremur superstitione, si vos audire vellemus, ut haruspices, augures, harioli, vates, coniectores nobis essent colendi. 56. His terroribus ab Epicuro soluti et in libertatem vindicati nec metuimus eos, quos intellegimus nec sibi fingere ullam molestiam nec alteri quaerere, et pie sancteque colimus naturam excellentem atque praestantem. Sed elatus studio vereor ne longior fuerim. Erat autem difficile rem tantam tamque praeclaram inchoatam relinquere: quamquam non tam dicendi ratio mihi habenda fuit quam audiendi.

XXI. 57. Tum Cotta comiter, ut solebat, Atqui, inquit, Vellei, nisi tu aliquid dixisses, nihil sane ex me quidem audire potuisses; mihi enim non tam facile in mentem venire solet, qua re verum sit aliquid, quam qua re falsum, idque cum saepe, tum, cum te audirem, paulo ante contigit. Roges me, qualem naturam deorum esse ducam, nihil fortasse respondeam; quaeras, putemne talem esse, qualis modo a te sit exposita, nihil dicam mihi videri minus. Sed ante quam adgrediar ad ea, quae a te disputata sunt, de te ipso dicam quid sentiam. 58. Saepe enim de familiare illo tuo videor audisse, cum te togatis omnibus sine dubio anteferret et paucos tecum Epicureos e Graecia compararet, sed, quod ab eo te mirifice diligi intellegebam, arbitrabar illum propter benevolentiam uberius id dicere. Ego autem, etsi vereor laudare praesentem, iu-

---

4. *horam* A — *ultimam* Davisius. — 6. *interlecto* B — 7. *tamen in se* P — 8. *et* 𝔄: *atque* O — 10. *dies ac noctes* B — 12. *hinc* corr. ex *hic* A — 13. *extitit* praeter litteras *ex* in rasura habet A — *himarmanem* A P; *marmanem* B; *himarmamem* C: *humarmanem* E — 14. *aeterna* in ras. A — *veritate* om. A[1] — 15. *est* B C: *sit* A E P — 16. *et his* A B C E — *mantice* A B C E — 17. *latina* B — 19. *coniectores* 𝔄: *et coniectores* O. Cf. Madvig ad Cic. de Fin. p. 571. — 20. *metuimus* (corr. ex *metuemus*) B: *metuemus* A C E P — 23. *incoatam* A — 24. *habendi* C — 26. *tum* in ras. m. sec. A — *atqui* A B: *atque* C E P — 27. *aliquit* A — 29. *audire* C — 30. *deorum naturam* O — *ducam* A B[2] P (A in rasura): *dicam* B[1] E — 31. *putem talem* A — 34. *de* A C P: *de L. Crasso* B E O (*lucio* B). Cf. Madvig ad Cic. de Finibus p. 35. — *familiare illo* A C E P: *illo familiari* B; *familiari illo* O — *rogatis* C E — 35. *et* om. A B C E — 36. *beniuolentiam* 𝔄 — 37. *id uberius* O.

dico tamen de re obscura atque difficili a te dictum esse dilucide, neque sententiis solum copiose, sed verbis etiam ornatius quam solent vestri. 59. Zenonem, quem Philo noster coryphaeum appellare Epicureorum solebat, cum Athenis essem, audiebam frequenter et quidem ipso auctore Philone, credo, ut facilius iudicarem, quam illa bene refellerentur, cum a principe Epicureorum accepissem quem ad modum dicerentur. Non igitur ille, ut plerique, sed isto modo, ut tu, distincte, graviter, ornate. Sed quod in illo mihi usu saepe venit, idem modo, cum te audirem, accidebat, ut moleste ferrem tantum ingenium — bona venia me audies — in tam leves, ne dicam in tam ineptas sententias incidisse. 60. Nec ego nunc ipse aliquid adferam melius; ut enim modo dixi, omnibus fere in rebus, sed maxime in physicis quid non sit citius quam quid sit dixerim. XXII. Roges me, quid aut quale sit deus, auctore utar Simonide, de quo cum quaesivisset hoc idem tyrannus Hiero, deliberandi sibi unum diem postulavit; cum idem ex eo postridie quaereret, biduum petivit; cum saepius duplicaret numerum dierum admiransque Hiero requireret, cur ita faceret, Quia, quanto diutius considero, inquit, tanto mihi res videtur obscurior. Sed Simoniden arbitror — non enim poëta solum suavis, verum etiam ceteroqui doctus sapiensque traditur —, quia multa venirent in mentem acuta atque subtilia, dubitantem, quid eorum esset verissimum, desperasse omnem veritatem. 61. Epicurus vero tuus — nam cum illo malo disserere quam tecum — quid dicit, quod non modo philosophia dignum esset, sed mediocri prudentia?

Quaeritur primum in ea quaestione, quae est de natura deorum, sintne di necne sint. Difficile est negare. Credo, si in contione quaeratur, sed in huius modi sermone et consessu facillimum. Itaque ego ipse pontifex, qui caerimonias religionesque publicas sanctissime tuendas arbitror, is hoc, quod primum est, esse deos, persuaderi mihi non opinione solum, sed etiam ad veritatem plane velim. Multa enim occurrunt, quae conturbent, ut interdum nulli esse videantur. 62. Sed vide, quam tecum agam liberaliter: quae communia sunt vobis cum ceteris philosophis, non attingam, ut hoc ipsum; placet enim omnibus fere mihique ipsi in primis deos esse, itaque non pugno; rationem tamen eam, quae a te adfertur, non satis firmam puto. XXIII. Quod enim omnium gentium generumque hominibus ita videretur, id satis magnum argumentum esse dixisti, cur esse deos confiteremur. Quod cum leve per se, tum etiam falsum est. Primum enim unde tibi notae sunt opiniones nationum? Equidem arbitror multas esse gentes sic inmanitate efferatas, ut apud eas nulla suspicio deorum sit. 63. Quid? Diagoras, ἄθεος qui dictus est,

1. *difficili* E et (ante rasuram unius litterae, quae videtur fuisse *a*) A B C : *difficilia* P; *difficillima* O — *esse delulicide* A; *esse delucide* P — 4. *esset* A E (in A *t* est super ras.) — 9. *acciderat* A C E — 12. *sed* 𝔄 : *et* O — 15. *unum postulauero. Cum* P — 16. *petiuit* corr. ex *putavit* B — 17. *requaereret* P — *quanto diutius considero inquit* A B C E : *quanto, inquit, diutius considero* P(?) O — 18. *res*] *spes* 𝔄. Cf. vol. II p. 80, 23. — *simoniden* A B C : *Simonidem* E P O — 19. *celeroque* 𝔄 — 20. *suptilia* B — 22. *mallo* A — 23. *set* A — 25. *sint ne* corr. ex *sint nec* B — *di* A[1]: *dei* B P; *dī* C; *dii* E O — *contentione* P — 26. *et consessu* Manutius : *et in consensu* 𝔄; *et in consessu* O — 27. *sanctissima* (superscr. *e*) B — 28. *is* corr. in *iis* B; *his* C — 32. *adtingam* A C — 33. *quae ante adfertur* (*an* ante rasuram) A — 35. *esse argumentum* O — 37. *notae tibi* O — 38. *aput* C — 39. *atheos* 𝔄.

posteaque Theodorus, nonne aperte deorum naturam sustulerunt? Nam Abderites quidem Protagoras, cuius a te modo mentio facta est, sophistes temporibus illis vel maximus, cum in principio libri sic posuisset, De divis neque ut sint neque ut non sint habeo dicere, Atheniensium iussu urbe atque agro est exterminatus librique eius in contione conbusti. Ex quo equidem existimo tardiores ad hanc sententiam profitendam multos esse factos, quippe cum poenam ne dubitatio quidem effugere potuisset. Quid de sacrilegis, quid de impiis periurisque dicemus?

Tubulus si Lucius umquam,
Si Lupus aut Carbo, Neptuni filius,

ut ait Lucilius, putasset esse deos, tam periurus aut tam inpurus fuisset? 64. Non est igitur tam explorata ista ratio ad id, quod vultis, confirmandum, quam videtur. Sed quia commune hoc est argumentum aliorum etiam philosophorum, omittam hoc tempore: ad vestra propria venire malo.

65. Concedo esse deos; doce me igitur, unde sint, ubi sint, quales sint corpore, animo, vita; haec enim scire desidero. Abuteris ad omnia atomorum regno et licentia; hinc, quodcumque in solum venit, ut dicitur, effingis atque efficis. Quae primum nullae sunt; nihil est enim ** quod vacet corpore; corporibus autem omnis obsidetur locus; ita nullum inane, nihil esse individuum potest. XXIV. 66. Haec ego nunc physicorum oracula fundo, vera an falsa nescio, sed veri tamen similiora quam vestra. Ista enim flagitia Democriti sive etiam ante Leucippi, esse corpuscula quaedam levia, alia aspera, rutunda alia, partim autem angulata, hamata quaedam et quasi adunca, ex his effectum esse caelum atque terram nulla cogente natura, sed concursu quodam fortuito, hanc tu opinionem, C. Vellei, usque ad hanc aetatem perduxisti, priusque te quis de omni vitae statu quam de ista auctoritate deiecerit. Ante enim iudicasti Epicureum te esse oportere quam ista cognovisti. Ita necesse fuit aut haec flagitia concipere animo aut susceptae philosophiae nomen amittere. 67. Quid enim mereas, ut Epicureus esse desinas? Nihil equidem, inquis, ut rationem vitae beatae veritatemque deseram. Ista igitur

---

1. *postea quae theodorus* corr. in *postea quid theodorus* B; *posteaque quid theodorus* E — *que* in rasura A — *nonne aperte* corr. ead. m. ex *non ea parte* B; *nonne a parte* A C; *none aperte* E — 2. *sofiste* P — 3. *libri* A B C P: *sui libri* E; *libri sui* O — 6. *tardioris* A¹ C P — 8. inter *potuisset* et *quid* superscr. est *Sed* in B — 9. ante *tubulus* sec. m. add. *Si* in A — 10. *lupus ut carbo* C — *Neptuni* Ios. Scaliger: *aut neptuni* 𝔄 — 13. *est hoc* O — 14. *emitam* C — *uestra* ante ras. A — 16. *doces* A B C E — *qualis* P — 17. *desiderio* P — 19. *quae* in ras. m. sec. A — *enim est* C — Hunc locum mutilum esse primus vidit Lambinus, qui eum ita supplevit: *quae primum nullae sunt; nihil enim est minimum: deinde non est inane; nihil enim est, quod vacet corpore.* Schoemannus autem (coll. Acad. post. I § 27) haec fere a Cicerone scripta fuisse opinatur: *quae primum nullae sunt; nihil est enim in rerum natura minimum, quod dividi nequeat; deinde, ut sint, moveri per inane non possunt, siquidem id dicis inane, quod vacet corpore.* — 22. *oracla* B C E P — *sed ueri simile tamen similiora* B¹ E; *sed ueri simile tamen si meliora* C; *sed ueri simili tamen similiora* B² P — 24. *rulunda* P: *rulundia* A; *rotunda* B C E O. Cf. p. 221, 19. — 25. *hamata* E: *firamata* A; *foramata* C; *firmata* P: *curuata* B O. (*angulata forma, hamata* Madvig ad Cic. de Finn. p. 115.) Cic. Acad. II § 121: *docet omnia effecta esse natura, nec, ut ille, qui asperis et levibus et hamatis uncinatisque corporibus concreta haec esse dicat interiecto inani.* Cf. Lactant. III, 17. — *ex iis* A B C P — 27. *uelleiusque* C — *perduxti* B¹ — 30. *fuit ad haec* C — 31. *merear* C — *epicurus* (in rasura) B.

est veritas? Nam de vita beata nihil repugno, quam tu ne in deo quidem esse censes, nisi plane otio langueat. Sed ubi est veritas? In mundis, credo, innumerabilibus, omnibus minimis temporum punctis aliis nascentibus, aliis cadentibus. An in individuis corpusculis tam praeclara opera nulla moderante natura, nulla ratione, fingentibus? Sed oblitus liberalitatis meae, qua tecum paulo ante uti coeperam, plura complector. Concedam igitur ex individuis constare omnia. Quid ad rem? deorum enim natura quaeritur. 68. Sint sane ex atomis: non igitur aeterni; quod enim ex atomis, id natum aliquando est: si natum, nulli dei ante quam nati, et si ortus est deorum, interitus sit necesse est, ut tu paulo ante de Platonis mundo disputabas. Ubi igitur illud vestrum beatum et aeternum, quibus duobus verbis significatis deum? quod cum efficere vultis, in dumeta conrepitis. Ita enim dicebas, non corpus esse in deo, sed quasi corpus, nec sanguinem, sed tamquam sanguinem.

XXV. 69. Hoc persaepe facitis, ut, cum aliquid non veri simile dicatis et effugere reprehensionem velitis, adferatis aliquid, quod omnino ne fieri quidem possit, ut satius fuerit illud ipsum, de quo ambigebatur, concedere quam tam inpudenter resistere. Velut Epicurus, cum videret, si atomi ferrentur in locum inferiorem suopte pondere, nihil fore in nostra potestate, quod esset earum motus certus et necessarius, invenit, quo modo necessitatem effugeret, quod videlicet Democritum fugerat: ait atomum, cum pondere et gravitate directo deorsus feratur, declinare paululum. 70. Hoc dicere turpius est quam illud, quod vult, non posse defendere. Idem facit contra dialecticos: a quibus cum traditum sit in omnibus diiunotionibus, in quibus aut etiam aut non poneretur, alterum utrum esse verum, pertimuit ne, si concessum esset huius modi aliquid, aut vivet cras aut non vivet Epicurus, alterutrum fieret necessarium, totum hoc aut etiam aut non negavit esse necessarium: quo quid dici potuit obtusius? Urguebat Arcesilas Zenonem, cum ipse falsa omnia diceret, quae sensibus viderentur, Zenon autem non nulla visa esse falsa, non omnia. Timuit Epicurus ne, si unum visum esset falsum, nullum esset verum; omnis sensus veri nuntios dixit esse. Nihil horum nimis callide; graviorem enim plagam accipiebat, ut leviorem repelleret. 71. Idem facit in natura deorum: dum individuorum corporum concretionem fugit, ne interitus et dissipatio consequatur, negat esse corpus deorum, sed tamquam corpus, nec sanguinem, sed tamquam sanguinem. XXVI. Mirabile videtur, quod non rideat haruspex, cum haruspicem viderit: hoc mirabilius, quod vos inter vos risum tenere possitis.

---

2. *otio* A, *ocio* C: *optio* B E P — 3. *cunctis* A C E P — 4. *in* om. B C — 9. *quod*] *quia* 𝔄 — *atomi sit natum* B^1; *atomis sit. natum* B^2; *atomis renatum* P — *est* Lambinus (in adnotatione): *sit* 𝔄; om. O. Cf. Madvig ad Cic. de Fin. p. 448. — 13. *dumecta* P — *conrepitis* B C: *conrepetis* A P (*et* in ras. A); *contepetis* E — 14. *tamquam* 𝔄: *quasi* O. Cf. § 71. — 18. *uelid* P — 19. *ferentur* $B^1 C^1$ — 22. *deorsus* A B E P: *deorsum* C O — 23. *diceretur pius* (corr. in *prius*) *est* P; *diceretur plus est* A E — 25. *deiunctionibus* (s. *deuinctionibus*) A B C P; *disiunctionibus* E O — *in quibus* superscr. in A — *alterum utrum* 𝔄: *alterutrum* O — 26. *esset uerum* 𝔄; *verum esse* O — 27. *epicurus trum* (litt. *s t* in rasura et superscr. m. sec. *alteru*) A — *fieri* 𝔄 — 29. *potuit* 𝔄: *potest* O — *optusius* B — *arcessilas* B — 30. *Zeno* O — 31. *uisum esset falsum. nullum esset falsum. nullum esset uerum* C — 33. *nimis callide* Schoemannus: *nisi callide* C E; *nisi ualde* A B P; *nisi calide* Davisius; *nisi calde* Klotzius. — 38. *quod*] *quam* 𝔄.

Non est corpus, sed quasi corpus. Hoc intellegerem quale esset, si in ceris fingeretur aut fictilibus figuris: in deo quid sit quasi corpus aut quasi sanguis, intellegere non possum. Ne tu quidem, Vellei, sed non vis fateri. 72. Ista enim a vobis quasi dictata redduntur, quae Epicurus oscitans halucinatus est, cum quidem gloriaretur, ut videmus in scriptis, se magistrum habuisse nullum. Quod ei non praedicanti tamen facile equidem crederem, sicut mali aedificii domino glorianti se architectum non habuisse. Nihil enim olet ex Academia, nihil ex Lycio, nihil ne e puerilibus quidem disciplinis. Xenocraten audire potuit, quem virum, di inmortales! et sunt qui putent audisse: ipse non vult. Credo plus nemini. Pamphilum quendam, Platonis auditorem, ait a se Sami auditum; ibi enim adulescens habitabat cum patre et fratribus, quod in eam pater eius Neocles agripeta venerat, sed, cum agellus eum non satis aleret, ut opinor, ludi magister fuit. 73. Sed hunc Platonicum mirifice contemnit Epicurus: ita metuit, ne quid umquam didicisse videatur. In Nausiphane Democriteo tenetur, quem cum a se non neget auditum, vexat tamen omnibus contumeliis. Atqui si haec Democritea non audisset, quid audierat? quid est in physicis Epicuri non a Democrito? Nam etsi quaedam commutavit, ut quod paulo ante de inclinatione atomorum dixi, tamen pleraque dicit eadem, atomos, inane, imagines, infinitatem locorum innumerabilitatemque mundorum, eorum ortus, interitus, omnia fere, quibus naturae ratio continetur. Nunc istuc quasi corpus et quasi sanguinem quid intellegis? 74. Ego enim te scire ista melius quam me non fateor solum, sed etiam facile patior: cum quidem semel dicta sunt, quid est quod Velleius intellegere possit, Cotta non possit? Itaque corpus quid sit, sanguis quid sit, intellego: quasi corpus et quasi sanguis quid sit, nullo prorsus modo intellego. Neque tu me celas, ut Pythagoras solebat alienos, nec consulto dicis occulte, tamquam Heraclitus, sed, quod inter nos liceat, ne tu quidem intellegis. XXVII. 75. Illud video pugnare te, species ut quaedam sit deorum, quae nihil concreti habeat, nihil solidi, nihil expressi, nihil eminentis, sitque pura, levis, perlucida. Dicemus igitur idem, quod in Venere Coa: corpus illud non est, sed simile corporis, nec ille fusus et candore mixtus rubor sanguis est, sed quaedam sanguinis similitudo: sic in Epicureo deo non rem, sed similitudines esse rerum. Fac id, quod ne intellegi quidem potest, mihi esse persuasum, cedo mihi istorum adumbratorum deorum liniamenta atque formas. 76. Non deest hoc loco copia rationum, quibus docere velitis humanas esse formas deorum: primum quod ita sit infor-

1. *si* 𝔄: *si id* O — 2. *corpus aut quasi* om. A C E P — 3. *aut quid sit quasi* B — 5. *alucinatus* B; *aluncinatus* P — 6. *ei* Klotzius: *et* 𝔄 O — *precanti* P — 7. *equidem* Lambinus: *quidem* 𝔄 — *crederem* $A^2 B^2$ E: *credem* $A^1 B^1$; *credemus* C; *credam* P — *domo* P — 8. *olet* B: *floret* A C E P — *nihil ne ex* 𝔄 — *ex leutio nihil ne* in marg. sec. m. add. A — *lecio* B^1; *leucio* B^2 C P; *lencio* E; *Lyceo* O — 9. *Xenocratem* E O — 10. *audivisse* O — 11. *pamfilum* A C; *pampilum* B; *pamphilium* E — *ait e se* C — 13. *neocle* P — *agripeta* corr. ex *agrepeta* A — 15. *contempnit* A E — 17. *adqui* A — 18. *est* 𝔄: *enim* O — 20. *pleraque quae dicit* P — *inanes imagines* 𝔄 — 22. *istud* O — 25. *uelletius* A — *quotta* A — 27. *caelas* A B — 28. *consulta* A B P — *occultae* A — 29. *liqueat* 𝔄 — 32. *igitur* 𝔄: *ergo* O — *Coa* om. B — 33. *corporis* A C E: *corpore* B^1; *corpori* B^2 O — 34. *rem* 𝔄: *res* O — 35. *rerum esse* O — *facio quod* B^1 — 36. *caedo* B — 38. *uellitis* A — *forma* C.

matum mentibus nostris, ut homini, cum de deo cogitet, forma occurrat humana; deinde quod, quoniam rebus omnibus excellat natura divina, forma quoque esse pulcherrima debeat, nec esse humana ullam pulchriorem; tertiam rationem adfertis, quod nulla alia figura domicilium mentis esse possit. 77. Primum igitur quidque considera quale sit; arripere enim mihi videmini quasi vestro iure rem nullo modo probabilem. Omnino quis tam caecus in contemplandis rebus umquam fuit, ut non videret species istas hominum conlatas in deos aut consilio quodam sapientium, quo facilius animos imperitorum ad deorum cultum a vitae pravitate converterent, aut superstitione, ut essent simulacra, quae venerantes deos ipsos se adire crederent? Auxerunt autem haec eadem poëtae, pictores, opifices. Erat enim non facile agentis aliquid et molientis deos in aliarum formarum imitatione servare. Accessit etiam ista opinio fortasse, quod homini homine pulchrius nihil videtur. Sed tu hoc, physice, non vides, quam blanda conciliatrix et quasi sui sit lena natura? An putas ullam esse terra marique beluam, quae non sui generis belua maxime delectetur? Quod ni ita esset, cur non gestiret taurus equae contrectatione, equus vaccae? an tu aquilam aut leonem aut delphinum ullam anteferre censes figuram suae? Quid igitur mirum, si hoc eodem modo homini natura praescripsit, ut nihil pulchrius quam hominem putaret [eam esse causam, cur deos hominum similis putaremus]?

78. Quid censes, si ratio esset in beluis? non suo quasque generi plurimum tributuras fuisse? XXVIII. At me hercule ego — dicam enim, ut sentio —, quamvis amem ipse me, tamen non audeo dicere pulchriorem esse me, quam ille fuerit taurus, qui vexit Europam; non enim hoc loco de ingeniis aut de orationibus nostris, sed de specie figuraque quaeritur. Quod si fingere nobis et iungere formas velimus, qualis ille maritimus Triton pingitur, natantibus invehens beluis adiunctis humano corpori, nolis esse. Difficili in loco versor; est enim vis tanta naturae, ut homo nemo velit nisi hominis similis esse. Et quidem formica formicae. 79. Sed tamen cuius hominis? quotus enim quisque formosus est? Athenis cum essem, e gregibus epheborum vix singuli reperiebantur. Video quid adriseris, sed ita tamen se res habet. Deinde nobis, qui concedentibus philosophis antiquis adulescentulis delectamur, etiam vitia saepe iucunda sunt. Naevos in articulo pueri delectat Alcaeum. At est corporis macula naevos. Illi tamen hoc lumen videbatur. Q. Catu-

---

1. *informatum* nos: *informatum anticipatum* 𝔄; *informatum anticipatumque* O — *occurret* B — 2. *quod* Walkerus: *ut* 𝔄 — 3. *ullum* A — 5. *possit* ante *quod* ponunt A C E — *nulla alia* A C E: *nulla in alia* B O — *quidquid* A, *quicquid* C E. Cf. III § 7. — *considera* B E: *consideras* A C; *consideremus* O — 7. *Omnino* Davisius: *omnium* 𝔄; *Etenim* O — 8. *sapientum* O — 9. *imperatorum* B¹ — 11. *audire* C — 14. *nihil pulchrius* E O — *videtur* Schoemannus (qui alteram suam emendationem *videbatur* praetulit): *uideatur* 𝔄 O — 15. *blande* A — *et quam sui* 𝔄 — *lena* (superscr. *is*) B; *leni a* E — 18. *aequae* A — *aequs* A — 20. *ut* sup. lin. A — 21. *eam esse* - - *putaremus* del. Madvigius. «Addita sunt cum magno sententiae detrimento, cum non intelligeretur usus formulae: *quid igitur mirum, si* cet.» Cf. Schoemann Diss. II p. 23. — 25. *uexerit* (*rit* in rasura) B — 27. *uellimus* A — 29. *corpore* A B E — *difficilis* C — 30. *uellit* (priore *l* expuncta) A — *homini* A E — *esset* B — *formica* om. A C — 31. *formonsus* (litt. *n* expuncta) A B — 35. *iucunda* A¹ B: *iocunda* A² C E — 35 et 36. *naeuos* B C: *neuos* A E (in A B terminationi superscr. *u*); *naevus* O — *At est*] *ad est* A — 36. *hoc* corr. in *hic* A — *quintus* 𝔄 — *actulus* A.

lus, huius collegae et familiaris nostri pater, dilexit municipem tuum Roscium, in quem etiam illud est eius:

Constiteram exorientem Auroram forte salutans,
Cum subito a laeva Roscius exoritur.
Pace mihi liceat, caelestes, dicere vestra,
Mortalis visu'st pulchrior esse deo.

Huic deo pulchrior: at erat, sicuti hodie est, perversissimis oculis. Quid refert, si hoc ipsum salsum illi et venustum videbatur? Redeo ad deos.

XXIX. 80. Ecquos si non tam strabones, at paetulos esse arbitramur? ecquos naevum habere? ecquos silos, flaccos, frontones, capitones, quae sunt in nobis? an omnia emendata in illis? Detur id vobis: num etiam una est omnium facies? nam si plures, aliam esse alia pulchriorem necesse est. Igitur aliquis non pulcherrimus deus. Si una omnium facies est, florere in caelo Academiam necesse est; si enim nihil inter deum et deum differt, nulla est apud deos cognitio, nulla perceptio. 81. Quid? si etiam, Vellei, falsum illud omnino est, nullam aliam nobis de deo cogitantibus speciem nisi hominis occurrere, tamenne ista tam absurda defendes? Nobis fortasse sic occurrit, ut dicis; a parvis enim Iovem, Iunonem, Minervam, Neptunum, Vulcanum, Apollinem reliquosque deos ea facie novimus, qua pictores fictoresque voluerunt, neque solum facie, sed etiam ornatu, aetate, vestitu: at non Aegyptii nec Syri nec fere cuncta barbaria; firmiores enim videas apud eos opiniones esse de bestiis quibusdam quam apud nos de sanctissimis templis et simulacris deorum. 82. Etenim fana multa spoliata et simulacra deorum de locis sanctissimis ablata videmus a nostris; at vero ne fando quidem auditum est crocodilum aut ibim aut faelem violatum ab Aegyptio. Quid igitur censes? Apim illum, sanctum Aegyptiorum bovem, nonne deum videri Aegyptiis? tam hercle, quam tibi illam vestram Sospitam, quam tu numquam ne in somnis quidem vides nisi cum pelle caprina, cum hasta, cum scutulo, cum calceolis repandis. At non est talis Argia nec Romana Iuno. Ergo alia species Iunonis Argivis, alia Lanuvinis, *alia nobis*. Et quidem alia nobis Capitolini, alia Afris Hammonis Iovis. XXX. 83. Non pudet igitur physicum, id est speculatorem venatoremque naturae, ab animis consuetudine inbutis petere testimonium veritatis? Isto enim modo dicere licebit Iovem semper barbatum, Apollinem semper inberbem, caesios oculos Minervae, caeruleos esse Neptuni. Et quidem laudamus

---

3. *exurgentem (ur* in ras. m. sec.) A; *exoriente* C E — *forte* corr ex *sorte* B — 6. *visu'st* Ursinus: *uisus* 𝔄 — 7. *deo* 𝔄: *ille deo* O — *at erat*] *aderat* A B E — *sicuti* A B E: *sicut* C E — *peruersis* (superscr. *simis*) B — 8. *falsum* C E — 9. *ecquos* (corr. ex *et quos*) B: *et quos* A C E — 10. *ecquos - - ecquos* A B²: *etquos - etquos* B¹ C E — 12. *est una* O — *nam et si* B — 13. *deos* corr. in *deus* B — 16. *quid si* E: *quod si* A C; *Quo si* B — *uobis* C — 18. *defendens* 𝔄 — *sic* B: *si* A C E — *a parvis enim* Klotzius et Madvigius (coll. Legg. II § 9): *apparuisse* 𝔄; om. O — 19. *iunonem* om. C — *appollinem* A; *appolline* E — *reliquosque* A B: *reliquos* C E O. Vide ad p. 335, 3. — 22. *firmioris* A¹ C E — *eos opiniones - - quam apud* om. C — *eas* B — 24. *multa exspoliata* O — 25. *nefandū* (*ū* in ras. m. sec. rec.) A — *auditu* A B — 26. *crocodilum* A B C (sed in B litterae *ro* a sec. m. ita mutatae sunt, ut quid voluerit librarius dignosci nequeat, et post *d* superscr. *rl*): *crocodillum* E — *ibin* A — *felem* O — *aegypto* B C, *egypto* A, *egipto* E — 27. *censes apud nullum* C — 30. *at* corr. ex *ad* B — *Argiva* O. Cf. p. 248, 40. — 31. *lanuinis* A B C¹; *lauinis* E; *latinis* C² — *alia nobis* Ursinus: om. 𝔄 O — 32. *Ammonis* B O — 33. *ueneratoremque* B — 35. *appollinem* A E — 36. *et* in ras. A — *laudamus esse athenis* 𝔄; *Athenis laudamus* O.

Athenis Volcanum eum, quem fecit Alcamenes, in quo stante atque vestito leviter apparet claudicatio non deformis. Claudum igitur habebimus deum, quoniam de Volcano sic accepimus. Age, et his vocabulis esse deos facimus, quibus a nobis nominantur? 84. At primum, quot hominum linguae, tot nomina deorum. Non enim, ut tu Velleius, quocumque veneris, sic idem in Italia Volcanus, idem in Africa, idem in Hispania. Deinde nominum non magnus numerus ne in pontificiis quidem nostris, deorum autem innumerabilis. An sine nominibus sunt? Istud quidem ita vobis dicere necesse est; quid enim attinet, cum una facies sit, plura esse nomina? Quam bellum erat, Vellei, confiteri potius nescire quod nescires quam ista effutientem nauseare atque ipsum sibi displicere! An tu mei similem putas esse aut tui deum? Profecto non putas. Quid ergo? solem dicam aut lunam aut caelum deum? ergo etiam beatum? quibus fruentem voluptatibus? et sapientem? qui potest esse in eius modi trunco sapientia? Haec vestra sunt. 85. Si igitur nec humano **, quod docui, nec tali aliquo, quod tibi ita persuasum est, quid dubitas negare deos esse? Non audes. Sapienter id quidem, etsi hoc loco non populum metuis, sed ipsos deos. Novi ego Epicureos omnia sigilla venerantes, quamquam video non nullis videri Epicurum, ne in offensionem Atheniensium caderet, verbis reliquisse deos, re sustulisse. Itaque in illis selectis eius brevibusque sententiis, quas appellatis κυρίας δόξας, haec, ut opinor, prima sententia est: Quod beatum et inmortale est, id nec habet nec exhibet cuiquam negotium. XXXI. In hac ita exposita sententia sunt qui existiment, quod ille inscitia plane loquendi fecerat, fecisse consulto: de homine minime vafro male existimant. 86. Dubium est enim, utrum dicat aliquid beatum esse et inmortale, an, si quod sit. Non animadvertunt hic eum ambigue locutum esse, sed multis aliis locis et illum et Metrodorum tam aperte quam paulo ante te. Ille vero deos esse putat, nec quemquam vidi, qui magis ea, quae timenda esse negaret, timeret, mortem dico et deos. Quibus mediocres homines non ita valde moventur, his ille clamat omnium mortalium mentes esse perterritas. Tot milia latrocinantur morte proposita; alii omnia quae possunt fana conpilant. Credo, aut illos mortis timor terret aut hos religionis.

87. Sed, quoniam non audes — iam enim cum ipso Epicuro loquar — negare esse deos, quid est quod te inpediat aut solem aut mundum aut

---

3. *deos esse* O — 4. *facimus* 𝔄: *faciamus* O — *nominantur? At* Madvigius: *nominantur. At* O. «De *age* interrogationi praeposito cf. II § 120. Tusc. III § 49. Philipp. V § 28. Interrogatio est ex eo genere, quo dicitur: *quid? arbitramur? Imusne?* cet. Opusc. Acad. II p. 40 sqq» — *at* corr. ex *ad* B — *quod* A¹ B — 9. *adtinet* A — 11. *nesciris* A¹; *nescis* A² B — 11. *effuttientem* A B. Cf. II § 94. Tusc. V § 88. — 15. *humano quod* 𝔄; *humano visu, quod* O — 16. *tali* 𝔄: *alio* cod. Glogaviensis. — 18. *venerantes* Manutius: *numerantes* 𝔄. Cf. § 77. — 19. *offensione* A B C — 20. *re* corr. ex *res* A; om. E — 21. *electis* A E (in A ab initio *s* deleta est) — *sententiis. GR. quas* C — *apellatis* B — *cyrias doxas* 𝔄 — 22. *est. id quod* C — 24. *exhistiment* A; item v. 25. — *inscita* C; *inscientia* cod Regius Davisii. — 25. *fecerat* A¹ et Schoemannus: *fecerit* A² B C E O — 26. *aliquid dicat* O — *esse* codd. Eliensis et Oxon. e: *iste* 𝔄 O — 27. *si quod sit* (scil. *id nec habere nec exhibere cuiquam negotium)* Orellius: *si quod sit id esse mortale* 𝔄; *si quod sit,* [*id esse immortale*] O — *Non enim aduertunt* C — 28. *te* om. C — 29. *quamquam* B — 33. *Credo alios* C¹; *Credo aut alios* C² — 34. *religionis* B²: *religiones* A B¹ C E.

mentem aliquam sempiternam in deorum natura ponere? Numquam vidi, inquit, animam rationis consiliique participem in ulla alia nisi humana figura. Quid? solis num quidnam aut lunae aut quinque errantium siderum simile vidisti? Sol duabus unius orbis ultimis partibus definiens motum cursus annuos conficit. Huius hanc lustrationem eiusdem incensa radiis menstruo spatio luna complet. Quinque autem stellae eundem orbem tenentes aliae propius a terris, aliae remotius ab isdem principiis disparibus temporibus eadem spatia conficiunt. Num quid tale, Epicure, vidisti? 88. Ne sit igitur sol, ne luna, ne stellae, quoniam nihil esse potest nisi quod attigimus aut vidimus. Quid? deum ipsum numne vidisti? cur igitur credis esse? Omnia tollamus ergo, quae aut historia nobis aut ratio nova adfert. Ita fit ut mediterranei mare esse non credant. Quae sunt tantae animi angustiae? Ut, si Seriphi natus esses nec umquam egressus ex insula, in qua lepusculos vulpeculasque saepe vidisses, non crederes leones et pantheras esse, cum tibi quales essent diceretur, si vero de elephanto quis diceret, etiam rideri te putares. 89. Et tu quidem, Vellei, non vestro more, sed dialecticorum, quem funditus gens vestra non novit, argumenta sententiae conclusisti: beatos esse deos sumpsisti. Concedimus. Beatum autem esse sine virtute neminem posse. XXXII. Id quoque damus, et libenter quidem. Virtutem autem sine ratione constare non posse. Conveniat id quoque necesse est. Adiungis, nec rationem esse nisi in hominis figura. Quem tibi hoc daturum putas? si enim ita esset, quid opus erat te gradatim istuc pervenire? sumpsisses tuo iure. Quid autem est istuc gradatim? nam a beatis ad virtutem, a virtute ad rationem video te venisse gradibus: a ratione ad humanam figuram quo modo accedis? Praecipitare istuc quidem est, non descendere. 90. Nec vero intellego, cur maluerit Epicurus deos hominum similes dicere quam homines deorum. Quaeres, quid intersit: si enim hoc illi simile sit, esse illud huic. Video, sed hoc dico, non ab hominibus formae figuram venisse ad deos; di enim semper fuerunt, nati numquam sunt, si quidem aeterni sunt futuri: at homines nati; ante igitur humana forma quam homines ea, qua erant forma di inmortales. Non ergo illorum humana forma, sed nostra divina dicenda est. Verum hoc quidem, ut voletis: illud quaero, quae fuerit tanta for-

---

1. *natura*] *numero* Walkerus. — 3. *quid* corr. ex *quod* A — 5. *annuis* superscr. *o* A — *hanc inlustrationem* B C E: *hanc inlustratationem* A — 7. *isdem* A B: *hisdem* E; *eisdem* C O — 8. *numquid* corr. ex *nunc quid* B; *nuncquid* C — 10. *adtigimus* A; *attingimus* C E — *numne* corr. ex *numine* B — 11. *Tollamus ergo omnia* O — 12. *sit* C — *mediterranii* (corr. ex *mediterrani*) A; *mediterrani* B — 13. *tantae* om. A[1] — *angustiae? Ut, si* Madvigius (ad Cic. de Fin. p. 531): *angustiae, ut, si* O — *esset* B — 14. *uulpiculasque* A; *uulpeculas quae* (litt. *a* expuncta) B — 15. *panthoras* C — 16. *dicerentur* 𝔄 — 17. *Et* in ras. m. sec. A — *quem* Manutius: *que* A; *quae* B C E O — 18. *argumenta sententiae* Schoemannus (coll. Madvigio ad Cic. de Fin. p 66): *argumenti sententiam* 𝔄 O, quae etiam in *argumenti summam* emendari posse arbitratur Schoemannus. — 19. *autem esse* - - *neminem posse* B: *autem* - - *neminem posse* A C; *autem* - - *neminem esse* E; *autem* - - *neminem esse posse* O — 22. *nec* om. A — 24. *sumpsisses tuo iure* post *istuc gradatim* habent 𝔄; transposuit Facciolatus. — *Quid autem* - - *gradatim* spuria censuit Walkerus. — *Quod* 𝔄 (A B C per compendium); *Qui* Schoemannus coll. II § 5 et 38. — *nam a* in ras. m. sec. A — 29. *illis* B — 30. *deos dii enim si semper* (*dii* in rasura; *enim* superscr.; *si* fort. alia m.) B; *deos si n semper* E — 31. *nati numquam sunt quia aeterni sunt. si quidem aeterni sunt futuri* C — *at*] *ad* A[1] B[1] — 32. *forma* ante *di* seclusit Ernestius.

tuna — nihil enim ratione in rerum natura factum esse vultis —, sed tamen quis iste tantus casus? unde tam felix concursus atomorum, ut repente homines deorum forma nascerentur? 91. Seminane deorum decidisse de caelo putamus in terras et sic homines patrum similes extitisse? Vellem diceretis; deorum cognationem agnoscerem non invitus. Nihil tale dicitis, sed casu esse factum ut essemus similes deorum. Et nunc argumenta quaerenda sunt, quibus hoc refellatur? Utinam tam facile vera invenire possim quam falsa convincere! XXXIII. Etenim enumerasti memoriter et copiose, ut mihi quidem admirari luberet in homine esse Romano tantam scientiam, usque a Thale Milesio de deorum natura philosophorum sententias. 92. Omnesne tibi illi delirare visi sunt, qui sine manibus et pedibus constare deum posse decreverunt? Ne hoc quidem vos movet considerantis, quae sit utilitas quaeque opportunitas in homine membrorum, ut iudicetis membris humanis deos non egere? Quid enim pedibus opus est sine ingressu? quid manibus, si nihil comprehendendum est? quid reliqua discriptione omnium corporis partium, in qua nihil inane, nihil sine causa, nihil supervacaneum est? Itaque nulla ars imitari sollertiam naturae potest. Habebit igitur linguam deus et non loquetur; dentes, palatum, fauces nullum ad usum; quaeque procreationis causa natura corpori adfinxit, ea frustra habebit deus, nec externa magis quam interiora, cor, pulmones, iecur, cetera, quae detracta utilitate quid habent venustatis? quando quidem haec esse in deo propter pulchritudinem voltis. 93. Istisne fidentes somniis non modo Epicurus et Metrodorus et Hermarchus contra Pythagoram, Platonem Empedoclemque dixerunt, sed meretricula etiam Leontium contra Theophrastum scribere ausa est? scito illa quidem sermone et Attico, sed tamen. Tantum Epicuri hortus habuit licentiae. Et soletis queri, Zeno quidem etiam litigabat. Quid dicam Albucium? Nam Phaedro nihil elegantius, nihil humanius; sed stomachabatur senex, si quid asperius dixeram, cum Epicurus Aristotelem vexarit contumeliosissime, Phaedoni Socratico turpissime male dixerit, Metrodori, sodalis sui, fratrem Timocraten, quia nescio quid in philosophia dissentiret, totis voluminibus conciderit, in Democritum ipsum, quem secutus est, fuerit ingratus, Nausiphanen, magistrum suum, a quo *non* nihil didicerat, tam male acceperit. XXXIV. Zeno quidem non eos solum, qui tum erant, Apollodorum, Silum, ceteros figebat maledictis, sed Socraten ipsum, parentem

---

2. *qui iste* B[1] — 3. *semina ne deorum* B: *semina deorum* A C E O — 4. *in terras putamus* E O — 7. *Utinam -- convincere!* Lactantius Inst. I, 3 et de ira c. 11. — 8. *possem* Lactantius. — 12. *decreuerint* A B C — 13. *oportunitas* 𝔄 — 14. *deos membris humanis* (sed additis transponendi signis) C — 16. *discriptione* A B C: *descriptione* E O. Cf. p. 303, 5. — 17. *superuacuaneum* A B — 18. *naturae sollertiam* C E — 21. *quae* litt. *a* expuncta B; *que* E — 22. *in deo*] *inde* B — 23. *fidentis* B E — *somnis* (superscr. *i*) A — 24. *hermarcus* A C — 26. *est* B[1] C: *sit* A B[2] E — *sed tamentum epicuri* A — 29. *humanius, et stomachabatur* Bake de emend. Cic. Oratore p. 38. — 30. *aristotelem uexarit contumeliosissime* A B C: *aristotilem uexarit* (om. *contumeliosissime*) E; *contumeliosissime Aristotelem vexaverit* O — 31. *timocratē* E, *Timocratem* O — 33. *concideret* A B C — *nausifanen* C; *nausifanē* E; *nausifanem* B; *nausifanē* A; *Nausiphanem* O — 34. *non* cod. Rehdigerianus: om. 𝔄 O. Cf. § 73. — *dedicerat* B — 35. *solum eos* C — 36. *silum* C: *sillim* A; *siue* B E (*ue* in ras. B); *Syllum* O — *socraten* A: *socratem* B C E O.

philosophiae, Latino verbo utens, scurram Atticum fuisse dicebat, Chrysippum numquam nisi Chrysippam vocabat. 94. Tu ipse paulo ante, cum tamquam senatum philosophorum recitares, summos viros desipere, delirare, dementis esse dicebas. Quorum si nemo verum vidit de natura deorum, verendum est ne nulla sit omnino. Nam ista, quae vos dicitis, sunt tota commenticia, vix digna lucubratione anicularum; non enim sentitis, quam multa vobis suscipienda sint, si inpetraritis ut concedamus eandem hominum esse et deorum figuram. Omnis cultus et curatio corporis erit eadem adhibenda deo, quae adhibetur homini; ingressus, cursus, accubitio, inclinatio, sessio, conprehensio, ad extremum etiam sermo et oratio. 95. Nam quod et maris deos et feminas esse dicitis, quid sequatur videtis. Equidem mirari satis non possum, unde ad istas opiniones vester ille princeps venerit. Sed clamare non desinitis retinendum hoc esse, deus ut beatus inmortalisque sit. Quid autem obstat, quo minus sit beatus, si non sit bipes? aut ista, sive beatitas sive beatitudo dicenda est — utrumque omnino durum, sed usu mollienda nobis verba sunt —, verum ea, quaecumque est, cur aut in solem illum aut in hunc mundum aut in aliquam mentem aeternam figura membrisque corporis vacuam cadere non potest? 96. Nihil aliud dicis nisi: Numquam vidi solem aut mundum beatum. Quid? mundum praeter hunc umquamne vidisti? Negabis. Cur igitur non sescenta milia esse mundorum, sed innumerabilia ausus es dicere? Ratio docuit. Ergo hoc te ratio non docebit, cum praestantissima natura quaeratur eaque beata et aeterna, quae sola divina natura est, ut inmortalitate vincamur ab ea natura, sic animi praestantia vinci, atque ut animi, item corporis? Cur igitur, cum ceteris rebus inferiores simus, forma pares sumus? ad similitudinem enim deo propius accedebat humana virtus quam figura. XXXV. 97. An quicquam tam puerile dici potest, ut eundem locum diutius urgeam, quam si ea genera beluarum, quae in rubro mari Indiave gignantur, nulla esse dicamus? Atqui ne curiosissimi quidem homines exquirendo audire tam multa possunt, quam sunt multa, quae terra, mari, paludibus, fluminibus exsistunt: quae negemus esse, quia numquam vidimus? Ipsa vero quam nihil ad rem pertinet, quae vos delectat maxime, similitudo! Quid? canis nonne similis lupo? atque, ut Ennius,

Simia quam similis, turpissuma bestia, nobis!

at mores in utroque dispares. Elephanto beluarum nulla prudentior: ad figuram quae vastior? 98. De bestiis loquor. Quid? inter ipsos homines nonne et simillimis formis dispares mores et moribus simillimis figura

---

1. *fuisse dicebat*] *nōabat (nominabat?)* C — 2. *crysippam* A; *crisippam* C E; *chrysippum* B; *Chesippum* O — 5. *ne* om. C — 7. *inpetraritis* A¹: *inpetraueritis* A²; *impetraretis* B¹; *impetraritis* B² C O — 8. *esse hominum* O — 10. *accubatio* E — 11. *maris* A¹ B C: *maries* E; *mares* A² O — *esse* om. C — 15. *Impes* C — *In tractu et declinatione talia sunt, qualia apud Ciceronem beatitas et beatitudo, quae dura quidem sentit esse, verum tamen usu putat posse molliri* Quintilianus VIII, 3, 32. — *siue beatas siue* C — 16. *est* B: *sunt* A C E (in C per compendium *st*) — *nobis* om. C — 21. *numquamne* 𝔄 — 22. *innumera* C — *ergo* in rasura A; *igitur* E — 23. *ea quae beata* C — 24. *est* B E: *sunt* A C O. «Idem est ac si dicas: *ea enim sola divina natura est.*» MADVIG. — *vincimur* O — *a beata natura* C — 25. *uinci sic corparis. Cur* C — 27. *dei* Lambinus. — 28. *ut* corr. m. sec. in *et* C — 29. *si ea* corr. ex *sia* C — 30. *nullo* C — *nec curiosissimi* C E — 31. *adire* C — 36. *ad figuram* 𝔄: *at figura* alii. — 37. *quo* A C — 38. *simillimis* post *moribus* om. 𝔄; fort. *similibus*.

dissimilis? Etenim si semel, Vellei, suscipimus genus hoc argumenti, attende quo serpat. Tu enim sumebas nisi in hominis figura rationem inesse non posse; sumet alius nisi in terrestri, nisi in eo, qui natus sit, nisi in eo, qui adoleverit, nisi in eo, qui didicerit, nisi in eo, qui ex animo constet et corpore caduco et infirmo, postremo nisi in homine atque mortali. Quod si in omnibus his rebus obsistis, quid est quod te forma una conturbet? His enim omnibus, quae proposui, adiunctis in homine rationem esse et mentem videbas, quibus detractis deum tamen nosse te dicis, modo liniamenta maneant. Hoc est non considerare, sed quasi sortiri, quid loquare. 99. Nisi forte ne hoc quidem attendis, non modo in homine, sed etiam in arbore, quicquid supervacaneum sit aut usum non habeat, obstare. Quam molestum est, uno digito plus habere! quid ita? quia nec specie nec usu alium quinque desiderant. Tuus autem deus non digito uno redundat, sed capite, collo, cervicibus, lateribus, alvo, tergo, poplitibus, manibus, pedibus, feminibus, cruribus. Si ut inmortalis sit, quid haec ad vitam membra pertinent? quid ipsa facies? Magis illa, cerebrum, cor, pulmones, iecur; haec enim sunt domicilia vitae: oris quidem habitus ad vitae firmitatem nihil pertinet. XXXVI. 100. Et eos vituperabas, qui ex operibus magnificis atque praeclaris, cum ipsum mundum, cum eius membra, caelum, terras, maria, cumque horum insignia, solem, lunam stellasque vidissent, cumque temporum maturitates, mutationes vicissitudinesque cognovissent, suspicati essent aliquam excellentem esse praestantemque naturam, quae haec ecfecisset, moveret, regeret, gubernaret. Qui etiam si aberrant coniectura, video tamen quid sequantur. Tu quod opus tandem magnum et egregium habes, quod effectum divina mente videatur, ex quo esse deos suspicere? Habebam, inquis, in animo insitam informationem quandam dei. Et barbati quidem Iovis, galeatae Minervae: num igitur esse talis putas? 101. Quanto melius haec vulgus imperitorum, qui non membra solum hominis deo tribuant, sed usum etiam membrorum; dant enim arcum, sagittas, hastam, clipeum, fuscinam, fulmen, et si, actiones quae sint deorum, non vident, nihil agentem tamen deum non queunt cogitare. Ipsi, qui inridentur, Aegyptii, nullam beluam nisi ob aliquam utilitatem, quam ex ea caperent, consecraverunt; velut ibes maximam vim serpentium conficiunt, cum sint aves excelsae, cruribus rigidis, corneo proceroque rostro: avertunt pestem ab Aegypto, cum volucris anguis ex vastitate Libyae vento Africo invectas interficiunt atque consumunt, ex quo fit,

2. *adtende* A — *rationem esse* C — 4. *nisi in eo qui didicerit* om. C — 5. *anima* C — 6. *in hominibus his* C — 7. *una forma* O — 8. *in homine rationem esse* B: *in hominē rationē esse* A; *rationem in homine esse* C: *in homine esse rationem* E — 10. *loquere* C E — *adtendis* A — 11. *superuacuaneum* A B; *superuaneum* E — 13. *nec specie nec usu* Bouhier: *nec speciem nec usum* 𝔄; *nec ad speciem nec ad usum* cod. Glogaviensis, O — *quinque* in ras. A — 15. *si,ut* A — 23. *esse* om. C — *haec effecisset* B E: *haec fecisset* A C O — 24. *aberrent* C — *coniectura* Walkerus: *a coniectura* 𝔄 O. Vide Schoemannum Diss. V p. 11 sq. — 27. *inquis* corr. ex *inquit* B — 29. *quanto* ex correctione in ras. A; in B inter *n* et *t* littera erasa est. — 30. *tribuunt* C — post *etiam* duae litt. erasae in A — 32. *uidet* A B[1] — 33. *ipsi qui inridentur -- utilitatem, quod ex ea caperent, consecrauerunt, uelut ibi maximam vim serpentum conficiunt, quasi aues excelse -- uolucres angues ex Libyeae uastitate uento Africano -- adque consumunt, atque fit, ut -- nec odore* Schol. Iuven. XV, 3. — 37. *libiae* A B, *lybiae* C, *libie* E — *aduectas* C.

ut illae nec morsu vivae noceant nec odore mortuae. Possum de ichneumonum utilitate, de crocodilorum, de faelium dicere, sed nolo esse longus. Ita concludam, tamen beluas a barbaris propter beneficium consecratas, vestrorum deorum non modo beneficium nullum extare, sed ne factum quidem omnino. 102. Nihil habet, inquit, negotii. Profecto Epicurus quasi pueri delicati nihil cessatione melius existimat. XXXVII. At ipsi tamen pueri, etiam cum cessant, exercitatione aliqua ludicra delectantur: deum sic feriatum volumus cessatione torpere, ut, si se commoverit, vereamur ne beatus esse non possit? Haec oratio non modo deos spoliat motu et actione divina, sed etiam homines inertis efficit, si quidem agens aliquid ne deus quidem esse beatus potest.

103. Verum sit sane, ut vultis, deus effigies hominis et imago: quod eius est domicilium? quae sedes? qui locus? quae deinde actio vitae? quibus rebus, id quod vultis, beatus est? utatur enim suis bonis oportet et fruatur qui beatus futurus est. Nam locus quidem iis etiam naturis, quae sine animis sunt, suus est cuique proprius, ut terra infimum teneat, hanc inundet aqua, superior aetheri, ignibus altissima ora reddatur. Bestiarum autem terrenae sunt aliae, partim aquatiles, aliae quasi ancipites, in utraque sede viventes; sunt quaedam etiam, quae in igne nasci putentur appareantque in ardentibus fornacibus saepe volitantes. 104. Quaero igitur vester deus primum ubi habitet; deinde quae causa eum loco moveat, si modo movetur aliquando; porro, cum hoc proprium sit animantium, ut aliquid adpetant, quod sit naturae accommodatum, deus quid appetat, ad quam denique rem motu mentis ac ratione utatur; postremo, quo modo beatus sit, quo modo aeternus. Quicquid enim horum attigeris, ulcus est: ita male instituta ratio exitum reperire non potest. 105. Sic enim dicebas, speciem dei percipi cogitatione, non sensu, nec esse in ea ullam soliditatem neque eandem ad numerum permanere eamque esse eius visionem, ut similitudine et transitione cernatur, neque deficiat umquam ex infinitis corporibus similium accessio, ex eoque fieri ut in haec intenta mens nostra beatam illam naturam et sempiternam putet. XXXVIII. Hoc, per ipsos deos, de quibus loquimur, quale tandem est? Nam si tantum modo ad cogitationem valent nec habent ullam soliditatem nec eminentiam, quid interest, utrum de hippocentauro an de deo cogitemus? omnem enim talem conformationem animi ceteri philosophi motum inanem vocant, vos autem adventum in animos et introitum imaginum dicitis. 106. Ut Ti. Gracchum cum videor contionantem in Capitolio videre de M. Octavio deferentem sitellam, tum eum motum animi dico esse inanem, tu autem et Gracchi et Octavii imagines remanere, quae,

---

1. *ille* A B — *ne morsu* A E — *de hicneumonum* B — 2. *crocodilorum* A B[1]: *crocodillorum* B[2] C E — 3. *benefium* A — 5. *inquid* A — 9. *haec ratio* C — 12. inter *effigies* et *hominis* sup. lin. *est* add. A[2] — 15. *et* om. 𝔄 — *his* A B — 16. *cuiusque* C — 17. *inundat* A B — *superior aetheri* Davisius: *superi aether* A; *superi aetheri* B; *superi etheris* C; *superior ether* E; *superior aëri* Manutius, O; *super eam aër sit* Madvigius. — 18. *terrene* A, *terraene* B — *sint* A B — 19. *aetiam* A B — *in* Davisius: om. 𝔄 O — *igni* O — 22. *porro* Heindorfius: *postremo* 𝔄 — 23. *aliquit* B E — *accomodatum* A E — 24. *rationis* 𝔄 — 26. *adtigerit* A, *attigerit* B C E — *ita* in ras. A — 29. *simultitudine* A B — 30. *umquam* corr. ex *numquam* A — 33. *ullam habent* O — 35. *confirmationem* A B — 37. *Ut* Madvigius: *ut igitur* 𝔄 O. Vide ad p. 397, 2. — *Ti.*] *titum* 𝔄 — *cracchum* A — 38. *M.*] *marco* 𝔄 — *referentem* C — 39. *tu*] *tum* AB; *cum* C; *tamen* (per compend.) E — *octaui* AB.

in Capitolium cum pervenerim, tum ad animum meum referantur, hoc idem fieri in deo, cuius crebra facie pellantur animi, ex quo esse beati atque aeterni intellegantur. 107. Fac imagines esse, quibus pulsentur animi: species dumtaxat obicitur quaedam; num etiam cur ea beata sit, cur aeterna? Quae autem istae imagines vestrae aut unde? A Democrito omnino haec licentia; sed et ille reprehensus a multis est nec vos exitum reperitis totaque res vacillat et claudicat. Nam quid est quod minus probari possit quam hominum in me incidere imagines, Homeri, Archilochi, Romuli, Numae, Pythagorae, Platonis, nec ea forma, qua illi fuerunt? Quo modo illi ergo? et quorum imagines? Orpheum poëtam docet Aristoteles numquam fuisse et hoc Orphicum carmen Pythagorei ferunt cuiusdam fuisse Cercopis. At Orpheus, id est imago eius, ut vos vultis, in animum meum saepe incurrit. 108. Quid, quod eiusdem hominis in meum aliae, aliae in tuum? quid, quod earum rerum, quae numquam omnino fuerunt neque esse potuerunt, ut Scyllae, ut Chimaerae? quid, quod hominum, locorum, urbium earum, quas numquam vidimus? quid, quod, simul ac mihi collibitum est, praesto est imago? quid, quod etiam ad dormientem veniunt invocatae? Tota res, Vellei, nugatoria est: vos autem non modo oculis imagines, sed etiam animis inculcatis: tanta est inpunitas garriendi. XXXIX. 109. At quam licenter! Fluentium frequenter transitio fit visionum, ut e multis una videatur. Puderet me dicere non intellegere, si vos ipsi intellegeretis, qui ista defenditis. Quo modo enim probas continenter imagines ferri? aut, si continenter, quo modo aeternae? Innumerabilitas, inquis, suppeditat atomorum. Num eadem ergo ista faciet, ut sint omnia sempiterna? Confugis ad aequilibritatem — sic enim *ἰσονομίαν*, si placet, appellemus — et ais, quoniam sit natura mortalis, inmortalem etiam esse oportere.

---

1. *peruenerint* 𝔄 O. «Scrib. *Ut Ti. Gracchum cum videor contionantem videre, -- in Capitolium cum pervenerim, tu* cet. *(Wenn es mir z. B. vorkommt u. s. w., dann sage ich u. s. w.; du aber sagst u. s. w.; so verhalte es sich auch mit dem Gotte u. s. w.)* Exemplo Cotta declarat, quid inter ceteros philosophos et Epicureos intersit in interpretandis et iudicandis visis oblatis rerum, quae non ipsae adsint; Epicuream (Velleii) rationem eos (Velleium) transferre etiam ad visa deorum. *igitur* ortum est ex *ut tigr*. Eam particulam ad exemplum parum aptum esse senserat Heindorfius. Ut concedam defendi posse, *ut* tum comparative positum non habet, quod ei respondeat, *sic*; ut hoc quoque concedam latere in illo *hoc idem fieri* cet., non potest huiusmodi apodosis suo verbo carere (cum praesertim *dicis* audiendum sit, praecedat *dico*). Tum necessarium, quod nonnulli codd. habent, *pervenerim*; alioquin neque loci commemorandi causa erat nec *remanere* recte diceretur (quod contrarium est *imaginibus pervenientibus*); in Capitolio Velleii sententia versabantur imagines; cum Cotta in eum locum, ubi illae erant, venerat, in eum incurrebant.» MADVIG. — 4. *nunc etiam* 𝔄; *non etiam* Klotzius. — 5. *democrite* B — 6. *repraehensus* A — 7. *tantaque res bacillat* C — 8. *prabari* A — *possit omnium* (om. *quam*) 𝔄 — 9. *ea* Lambinus: *ex* 𝔄. (Quod Moserus affirmat, in codice suo A (nostro C) repperisse se *ea*, falsum est.) — 10. *illi ergo* 𝔄: *ergo illi* O; *ergo illae* cod. Glogaviensis. — 12. *Cercopis* Victorius: *cerconis* A E; *cerdonis* B; *cratonis* corr. in *cerconis* C — 14. *meum alie in* A E — 15. *fuerant* 𝔄 — *potuerunt* A[1]: *potuerant* A[2] B C E — *chymere* A — 19. *est*] *eius* C — 20. *at* (in rasura) A: *ad* B C E — 22. *si uos* corr. ex *suos* A C — 23. post *probas* duae litterae erasae sunt in A — 24. *eterne* A — *inquid* A, *inquit* B C E — 25. *facient* A C E; *faciunt* B — 26. *aequilibertatem* B, *equilibertatem* A C E — *isonomian* A C, *issonomian* (litt. finali corr. ex *m*) B, *ysonomiā* E — 27. *ais* in ras. A.

Isto modo, quoniam homines mortales sunt, sint aliqui immortales et, quoniam nascuntur in terra, nascantur in aqua. «Et quia sunt quae interimant, sint quae conservent.» Sint sane, sed ea conservent, quae sunt: deos istos esse non sentio. 110. Omnis tamen ista rerum effigies ex individuis quo modo corporibus oritur? quae etiam si essent, [quae nulla sunt,] pellere se ipsa et agitari inter se concursu fortasse possent, formare, figurare, colorare, animare non possent: nullo igitur modo inmortalem deum efficitis. XL. Videamus nunc de beato. Sine virtute certe nullo modo: virtus autem actuosa, et deus vester nihil agens, expers virtutis igitur: ita ne beatus quidem. 111. Quae ergo vita? Suppeditatio, inquis, bonorum nullo malorum interventu. Quorum tandem bonorum? Voluptatum, credo, nempe ad corpus pertinentium; nullam enim novistis nisi profectam a corpore et redeuntem ad corpus animi voluptatem. Non arbitror te, Vellei, similem esse Epicureorum reliquorum, quos non pudeat earum Epicuri vocum, quibus ille testatur se ne intellegere quidem ullum bonum, quod sit seiunctum a delicatis et obscenis voluptatibus, quas quidem non erubescens persequitur omnis nominatim. 112. Quem cibum igitur aut quas potiones aut quas vocum aut florum varietates aut quos tactus, quos odores adhibebis ad deos, ut eos perfundas voluptatibus? Ac poëtae quidem [nectar, ambrosiam] epulas conparant et aut Iuventatem aut Ganymedem pocula ministrantem, tu autem, Epicure, quid facies? neque enim, unde habeat ista deus tuus, video, nec, quo modo utatur. Locupletior igitur hominum natura ad beate vivendum est quam deorum, quod pluribus generibus fruitur voluptatum. 113. At has leviores ducis voluptates, quibus quasi titillatio — Epicuri enim hoc verbum est — adhibetur sensibus. Quo usque ludis? Nam etiam Philo noster ferre non poterat, aspernari Epicureos mollis et delicatas voluptates; summa enim memoria pronuntiabat plurimas Epicuri sententias iis ipsis verbis, quibus erant scriptae; Metrodori vero, qui est Epicuri collega sapientiae, multa inpudentiora recitabat. Accusat enim Timocratem, fratrem suum, Metrodorus, quod dubitet omnia, quae ad beatam vitam pertineant, ventre metiri, neque id semel dicit, sed saepius. Adnuere te video; nota enim tibi sunt: proferrem libros, si negares. Neque nunc reprehendo, quod ad voluptatem omnia referantur — alia est ea quaestio —, sed doceo deos vestros esse voluptatis expertes, ita vestro iu-

---

2. *in aqua* A B E: *et in aqua* C; [*et*] *in aqua* O — *quae -- quae*] *qui -- qui* C — 3. *sint* 𝔄: *sunt* C — *ea conseruent* 𝔄: *ea quae conservent* O. «*Angenommen, es gebe solche erhaltende Principien; mögen sie dann das erhalten, was ist; jene Götter, glaube ich, sind nicht.*» Madvig. Sic iam Davisius: «Sint, inquit, quae conservent: sed eas res conservent quae revera sunt et existunt; deos istos in rerum natura esse non sentio.» — 4. *ex diuinis* 𝔄 — 5. *quoquo modo* B[1] — *quae nulla sunt* om. A C (*que nulle sunt* post *corporibus* habet E); ego seclusi. — 6. *ipse* A B E; *ipsae* C — *possent* C: *possint* A E; *possunt* corr. in *possent* B — 14. *te uelle similem* 𝔄 — *non* Lambinus: om. 𝔄 O — 15. *earum* B: *eadem* A; *eodem* E; *earundem* C; *carundam* i. e. *quarundam* Lachmannus ad Lucret. p. 220. — *epicurei* A B E, *epycuri* C — *ne* om. B E — 17. *prosequitur* (*pro* per compendium) C — 19. *quas tactus* B — 20. *Ac* Ernestius: *ut* 𝔄 — *ambrosiamque epulas* ed. Ascensiana; *ambrosiamque epulis* Heindorfius. Mihi *nectar ambrosiam* a glossatore addita videntur, itaque seclusi. — 21. *iuuentutem* C E — *tu* corr. ex *tum* A — 25. *leuioris* A[1] B E — 26. *etiam Philo* cod. Glogaviensis: *enim philo* (*filo* A C E) 𝔄; *Philo etiam* O — 27. *epicureos* corr. in *epicureas* B — 28. *iis* B: *his* A C E O — 29. *metrodori* corr. ex *metrodoro* A — 30. *timocraten* C — 32. *id*] *it* A — 35. *uoluptates* B[1].

dicio ne beatos quidem. XLI. 114. At dolore vacant. Satin est id ad illam abundantem bonis vitam beatissimam? Cogitat, inquiunt, adsidue beatum esse se; habet enim nihil aliud, quod agitet in mente. Conprehende igitur animo et propone ante oculos deum nihil aliud in omni aeternitate nisi «Mihi pulchre est» et «Ego beatus sum» cogitantem. Nec tamen video, quo modo non pereat iste deus beatus, cum sine ulla intermissione pulsetur agiteturque atomorum incursione sempiterna cumque ex ipso imagines semper affluant. Ita nec beatus est vester deus nec aeternus.

115. At etiam de sanctitate, de pietate adversus deos libros scripsit Epicurus. At quo modo in his loquitur? Ut Ti. Coruncanium aut P. Scaevolam, pontifices maximos, te audire dicas, non eum, qui sustulerit omnem funditus religionem, nec manibus, ut Xerxes, sed rationibus deorum inmortalium templa et aras everterit. Quid est enim, cur deos ab hominibus colendos dicas, cum dei non modo homines non colant, sed omnino nihil curent, nihil agant? 116. At est eorum eximia quaedam praestansque natura, ut ea debeat ipsa per se ad se colendam allicere sapientem. An quicquam eximium potest esse in ea natura, quae sua voluptate laetans nihil nec actura sit umquam neque agat neque egerit? Quae porro pietas ei debetur, a quo nihil acceperis? aut quid omnino, cuius nullum meritum sit, ei deberi potest? Est enim pietas iustitia adversum deos, cum quibus quid potest nobis esse iuris, cum homini nulla cum deo sit communitas? Sanctitas autem est scientia colendorum deorum, qui quam ob rem colendi sint non intellego nullo nec accepto ab eis nec sperato bono.

XLII. 117. Quid est autem quod deos veneremur propter admirationem eius naturae, in qua egregium nihil videmus? Nam superstitione, quod gloriari soletis, facile est liberari, cum sustuleris omnem vim deorum, nisi forte Diagoram aut Theodorum, qui omnino deos esse negabant, censes superstitiosos esse potuisse. Ego ne Protagoram quidem: cui neutrum licuerit, nec esse deos nec non esse. Horum enim sententiae

---

1. *at* A C (*t* in ras. A): *a* B E — *id ad* ex correctione in rasura A — 3. *habebet* A; *habebit* corr. ex *habet* B — *aliut* A; item v. 4. — 5. *pulchre* C²: *pulcro* A, *pulchro* B C¹ E — 6. *pereat -- beatus* nos: *uereatur -- beatus* A; *moueatur -- beatus* C E; *uoneatur -- beatus, ne intereat* B O. «Non tam agitur de timore interitus quam de ipso interitu. Neque enim quod sequitur *nec beatus* ad hunc timorem pertinet. Non beatus est deus, quod nihil agit, non aeternus, quod conteritur. Fuitne *Nec tamen video quomodo non conteratur iste deus (wie er dem Aufreiben entgeht)*?» MADVIG. — 7. *intermisione* A — *incursione atomorum* O — 8. *effluant* O — 10. *at* corr. ex *ad* B — 11. *Ti.* Heindorfius: om. 𝔄 O. Excidit *t* (qua una saepe littera etiam *Tiberii* praenomen in codicibus significatur, cf. III § 5. de domo sua § 39. Onomast. Tull. II p. 199) inter litteras *t* et *c*. — *corruncanium* A, *corumcanium* C, *cornutanum* E — *P. Scaevolam* Heindorfius: *pscaeuolanū* A; *.p.sceuolam* (*.p.* in rasura) C; *scaeuolan* (omisso praenomine) B¹; *scaeuolanum* B²; *sceuolanum* E; *Scaevolam* O. Errat Schoemannus sibique ipsi contradicit, h. l. de *Quinto* Scaevola cogitans. Vid. III § 5. — 12. *maximos* om. C — 13. *penitus* (superscr. recentiore m. *funditus*) C — *utexerxes* (tertia littera expuncta) A; litteras *tx* in rasura *habet* B; *ut exerses* C; fort. *uti Xerxes*. — 14. *colendos ab hominibus* C — 16. *nil curent* A¹ — *at* corr. ex *ad* B — 17. *elicere* 𝔄 (in B prima littera est ex correctione) — 19. *uoluntate* 𝔄 — 21. *est enim pietas est iustitia* C — 23. *est* E: *et* A B C — 25. *eis* C: *his* A B E; *iis* O — *nec sperato ab eis* C — 27. *videamus* Madvigius (ad Cic. de Fin. p. 162) coll. §§ 55 et 116. — 28. *liberare* A B¹ C — 30. *potuise* A.

omnium non modo superstitionem tollunt, in qua inest timor inanis deorum, sed etiam religionem, quae deorum cultu pio continetur. 118. Quid ii, qui dixerunt totam de dis inmortalibus opinionem fictam esse ab hominibus sapientibus rei publicae causa, ut, quos ratio non posset, eos ad officium religio duceret, nonne omnem religionem funditus sustulerunt? Quid Prodicus Cius, qui ea, quae prodessent hominum vitae, deorum in numero habita esse dixit, quam tandem religionem reliquit? 119. Quid? qui aut fortis aut claros aut potentis viros tradunt post mortem ad deos pervenisse eosque esse ipsos, quos nos colere, precari venerarique soleamus, nonne expertes sunt religionum omnium? Quae ratio maxime tractata ab Euhemero est, quem noster et interpretatus et secutus est praeter ceteros Ennius. Ab Euhemero autem et mortes et sepulturae demonstrantur deorum. Utrum igitur hic confirmasse videtur religionem an penitus totam sustulisse? Omitto Eleusinem sanctam illam et augustam,

Ubi initiantur gentes orarum ultimae,

praetereo Samothraciam eaque, quae Lemni

Nocturno aditu occulta coluntur
Silvestribus saepibus densa,

quibus explicatis ad rationemque revocatis rerum magis natura cognoscitur quam deorum.

XLIII. 120. Mihi quidem etiam Democritus, vir magnus in primis, cuius fontibus Epicurus hortulos suos inrigavit, nutare videtur in natura deorum. Tum enim censet imagines divinitate praeditas inesse in universitate rerum, tum principia mentis, quae sint in eodem universo, deos esse dicit, tum animantes imagines, quae vel prodesse nobis soleant vel nocere, tum ingentis quasdam imagines tantasque, ut universum mundum conplectantur extrinsecus: quae quidem omnia sunt patria Democriti quam Democrito digniora. 121. Quis enim istas imagines conprehendere animo potest? quis admirari? quis aut cultu aut religione dignas iudicare? Epicurus vero ex animis hominum extraxit radicitus religionem, cum *in* dis inmortalibus et opem et gratiam sustulit. Cum enim optimam et praestantissimam naturam dei dicat esse, negat idem esse in deo gratiam. Tollit id, quod maxime proprium est optimae praestantissimaeque naturae. Quid enim melius aut quid praestantius bonitate et beneficentia? Qua cum carere deum vultis, neminem deo nec deum nec hominem carum, neminem ab eo amari, neminem diligi vultis. Ita fit ut non

---

1. *superstionem* A — 2. *Quid ii* om. C — 6. *prodigus* 𝔄 — *Cius* Victorius: *chiuis* A B C; *chius* E; *Ceus* O — 7. *reliquid* B¹ — 11. *euhemero* A² C: *heuhemero* B; *heumero* A¹; *hemero* E — 12. *demonstratur* A — 13. *hi* A¹ — 14. *omito* A — *eleusinem* A C E: *eleusinā* B; *Eleusina* O. Cf. p. 246, 20. — 15. *horarum* A C¹; *oraï* Bentley in Hor. Carm. I, 35, 29. — 16. *samotraciam* A C — *eaque* (*que* in ras.) A — 17. *occulta coluntur aditu*, sed additis transponendi notis, C — 18. *saepibus* om. C — 19. *rationemque* (*que* in ras.) A — 22. *epicurus* corr. ex *epicurius* A — *notare* B¹ — 23. *censet* corr. ex *censit* A — *inesse in uniuersi sunt in eodem uniuerso deos esse in uniuersitate dicit tum animantes* (verbis *sunt* et *in uniuersitate* expunctis atque ab alia, sed antiqua manu verbo *sunt* in margine his substitutis: *tate rerum tum principia mentes quae sunt)* A — 24. *mentes* A B¹ C E — *sint* Heindorfius: *sunt* 𝔄 O. Cf. Schoemannum Diss. II p. 16. V p. 12. — *in eodem uniuersos deos* C — 25. *soleant* E: *solent* A B C O — 27. *paria* C E — *quam Democrito* om. A¹ — 30. *epicurius* A¹ — *in* Halmius (coll. v. 32): om. 𝔄 O — 31. *praestantissumam* corr. ex *praestantis summam* B — 34. *enim* 𝔄: *enim* [*est*] O — *quid* om. A¹.

modo homines a deis, sed ipsi dei inter se ab aliis alii neglegantur. XLIV. Quanto Stoici melius, qui a vobis reprehenduntur! Censent autem sapientes sapientibus etiam ignotis esse amicos; nihil est enim virtute amabilius, quam qui adeptus erit, ubicumque erit gentium, a nobis diligetur. 122. Vos autem quid mali datis, cum *in* inbecillitate gratificationem et benevolentiam ponitis! Ut enim omittam vim et naturam deorum, ne homines quidem censetis, nisi inbecilli essent, futuros beneficos et benignos fuisse? Nulla est caritas naturalis inter bonos? Carum ipsum verbum est amoris, ex quo amicitiae nomen est ductum, quam si ad fructum nostrum referemus, non ad illius commoda, quem diligimus, non erit ista amicitia, sed mercatura quaedam utilitatum suarum. Prata et arva et pecudum greges diliguntur isto modo, quod fructus ex iis capiuntur: hominum caritas et amicitia gratuita est. Quanto igitur magis deorum, qui nulla re egentes et inter se diligunt et hominibus consulunt. Quod ni ita sit, quid veneramur, quid precamur deos? cur sacris pontifices, cur auspiciis augures praesunt? quid optamus a deis inmortalibus? quid vovemus? At etiam liber est Epicuri de sanctitate. 123. Ludimur ab homine non tam faceto quam ad scribendi licentiam libero; quae enim potest esse sanctitas, si dei humana non curant? quae autem animans natura nihil curans? Verius est igitur nimirum illud, quod familiaris omnium nostrum Posidonius disseruit in libro quinto de natura deorum, nullos esse deos Epicuro videri, quaeque is de deis inmortalibus dixerit, invidiae detestandae gratia dixisse: neque enim tam desipiens fuisset, ut homunculi similem deum fingeret, liniamentis dumtaxat extremis, non habitu solido, membris hominis praeditum omnibus, usu membrorum ne minimo quidem, exilem quendam atque perlucidum, nihil cuiquam tribuentem, nihil gratificantem omnino, nihil curantem, nihil agentem. Quae natura primum nulla esse potest, idque videns Epicurus re tollit, oratione relinquit deos. 124. Deinde si maxime talis est deus, ut nulla gratia, nulla hominum caritate teneatur, valeat; quid enim dicam «propitius sit!»? esse enim propitius potest nemini, quoniam, ut dicitis, omnis in inbecillitate est et gratia et caritas.

---

1. *alii ab aliis* C — 4. *erit* ante *gentium* om. C — 5. *cum in imbecillitate* Lambinus: *cum inbecillitatē* A B, *cum imbecillitatem* C, *cum inbecillitatem* E — 6. *beniuolentiam* 𝔄 — 7. *inbecillos* E — 9. *dictum* C — 10. *referremus* B[1] E — *quam diligemus* A B — 11. *utilitatum quaedam* cum signis transpositionis C — 12. *ex is* A, *ex his* B C E, *ex eis* O — 14. *quiinulla* A; *qui in nulla* B E (sed in B praepositio erasa est) — 15. *ni* corr. ex *ne* B, *ne* A — *ueneremur* C[1] — 17. *mouemus* B E — *at* corr. ex *ad* B — 21. *possidonius* B C E — 22. *is*] *his* A — 24. *homunculis* 𝔄 O. Vid. Wesenberg ad Tusc. V § 56. — 26. *usum* B — 27. *gratificantem. omnino nihil* C — 28. *potest esse* O — 29. *reliquid* B[1] — *Deus si talis est, ut -- potest nemini* Lactantius de ira c. 8. — 30. *uel eat* in rasura B — 31. *enim dicam* m. sec. in ras. A — *propicius sit* A B E — *enim propicius* B E — 32. *M. T. CICERONIS DE DEORUM NATURA LIB. PRIMUS EXPLICIT. INCIPIT LIB. SECUNDUS* A B; *Explicit primus liber de natura deorum. Incipit secundus eiusdem* E; subscriptione caret C.

M. TULLII CICERONIS

DE DEORUM NATURA

LIBER SECUNDUS.

I. 1. Quae cum Cotta dixisset, tum Velleius, Ne ego, inquit, incautus, qui cum Academico et eodem rhetore congredi conatus sim. Nam neque indisertum Academicum pertimuissem nec sine ista philosophia rhetorem quamvis eloquentem; neque enim flumine conturbor inanium verborum nec subtilitate sententiarum, si orationis est siccitas. Tu autem, Cotta, utraque re valuisti: corona tibi et iudices defuerunt. Sed ad ista alias, nunc Lucilium, si ipsi commodum est, audiamus. 2. Tum Balbus: Eundem equidem mallem audire Cottam, dum, qua eloquentia falsos deos sustulit, eadem veros inducat. Est enim et philosophi et pontificis et Cottae de dis inmortalibus habere non errantem et vagam, ut Academici, sed, ut nostri, stabilem certamque sententiam. Nam contra Epicurum satis superque dictum est. Sed aveo audire, tu ipse, Cotta, quid sentias. An, inquit, oblitus es, quid initio dixerim, facilius me, talibus praesertim de rebus, quid non sentirem quam quid sentirem posse dicere? 3. Quod si haberem aliquid, quod liqueret, tamen te vicissim audire vellem, cum ipse tam multa dixissem. Tum Balbus: Geram tibi morem et agam quam brevissume potero; etenim convictis Epicuri erroribus longa de mea disputatione detracta oratio est. Omnino dividunt nostri totam istam de dis inmortalibus quaestionem in partis quattuor. Primum docent esse deos, deinde quales sint, tum mundum ab iis administrari, postremo consulere eos rebus humanis. Nos autem hoc sermone quae priora duo sunt sumamus; tertium et quartum, quia maiora sunt, puto esse in aliud tempus differenda. Minime vero, inquit Cotta; nam et otiosi sumus et iis de rebus agimus, quae sunt etiam negotiis anteponendae.

II. 4. Tum Lucilius, Ne egere quidem videtur, inquit, oratione prima pars. Quid enim potest esse tam apertum tamque perspicuum, cum caelum suspeximus caelestiaque contemplati sumus, quam esse ali-

---

1. *ne* A B C : *non* E ; *Nae* O — 3. *indesertum* corr. in *indisertum* A ; *indissertum* B — 8. *malem* (altera *l* superscr.) A — 12. *abeo* A B[1] ; *habeo* B[2] C E — 13. *inquid* A — *es* corr. ex *est* A — *quod in initio* C — 14. *quod non* A[1] — 16. *ipsae* A — 19. *parteis* B — 20. *ab his* 𝔄 — 23. *minimo* corr. in *minime* B — 24. *et his* 𝔄 — 25. *anteponenda* A C — 26. *uidetor* A[1].

quod numen praestantissimae mentis, quo haec regantur? Quod ni ita esset, qui potuisset adsensu omnium dicere Ennius,

Aspice hoc sublimen candens, quem invocant omnes Iovem,

illum vero et Iovem et dominatorem rerum et omnia nutu regentem et, ut idem Ennius,

patrem divumque hominumque

et praesentem ac praepotentem deum? Quod qui dubitet, haud sane intellego, cur non idem, sol sit an nullus sit, dubitare possit. 5. Qui enim est hoc illo evidentius? Quod nisi cognitum conprehensumque animis haberemus, non tam stabilis opinio permaneret nec confirmaretur diuturnitate temporis nec una cum saeclis aetatibusque hominum inveterari potuisset. Etenim videmus ceteras opiniones fictas atque vanas diuturnitate extabuisse. Quis enim Hippocentaurum fuisse aut Chimaeram putat? quaeve anus tam excors inveniri potest, quae illa, quae quondam credebantur, apud inferos portenta extimescat? Opinionis enim commenta delet dies, naturae iudicia confirmat. Itaque et in nostro populo et in ceteris deorum cultus religionumque sanctitates exsistunt in dies maiores atque meliores. 6. Idque evenit non temere nec casu, sed quod et praesentes saepe di vim suam declarant, ut et apud Regillum bello Latinorum, cum A. Postumius dictator cum Octavio Mamilio Tusculano proelio dimicaret, in nostra acie Castor et Pollux ex equis pugnare visi sunt, et recentiore memoria idem Tyndaridae Persem victum nuntiaverunt. P. enim Vatinius, avus huius adulescentis, cum e praefectura Reatina Romam venienti noctu duo iuvenes cum equis albis dixissent regem Persem illo die captum, senatui nuntiavit et primo quasi temere de re publica locutus in carcerem coniectus est, post a Paulo litteris allatis, cum idem dies constitisset, et agro a senatu et vacatione donatus est. Atque etiam cum ad fluvium Sagram Crotoniatas Locri maximo proelio devicissent, eo ipso die auditam esse eam pugnam ludis Olympiae memoriae proditum est. Saepe Faunorum voces exauditae,

---

1. *nomen* B^1 — *praestantissimamentis* B — *quot ni* B — 3. *sublimen* Appulei (de mundo c. 33 p. 363 Oud.) cod. Benedictinus, Scaliger ad Varr. de R. R. p. 235 veteres Appulei libros antestans (cf. Ritschl Mus. Rhen. N. S. VII p. 556 sqq.): *sub lumine* codd. Vossiani Appulei; *sublimem* Festi glossa (p. 306 M.); *sublime* 𝔄 O, cod. Festi (in versu Enniano), Appulei Florentinus, Probus (in Vergil. Ecl. 6, 31 p. 11 Keil). Cf. § 65. III §§ 10. 40. — *cadens* C — *inuocant* corr. ex *inuocat* B; *uocant* Festus et Probus. — 4. *nutu*] *motu* 𝔄 — 5. *ut idem* in ras. A — 7. *haud*] *aut* B^1 — 8. *Qui enim* Lambinus: *quid enim* 𝔄 O. Cf. Madvig Opusc. Acad. II p. 265 adn. — 11. *saeclis* A B: *seclis* C E, *seculis* O — *aetateque* C^1 — *inveterari* cod. Glogaviensis: *inueterare* 𝔄; sed vide Schoemannum Diss. VI p. 13. — 15. *condam* C — *aput* A B E — *opinionis* C E: *opinione*, ut videtur in loco evanido, A; *opinione* (superscr. *ū*) B; *Opinionum* O — 18. *ne casu* A — 19. *et* 𝔄: om. O. Vid. Madvig ad Cic. de Fin. p. 804. — *praesentes* A: *praesentiam* B C E O (*iā* in ras. B) — *dii ui'* (in ras. m. sec. multo recentiore) A: *divi vim* alii; *diui* B C E O — *ut est apud* C E — *aput* A B — 20. *cum A.*] *cuna* A; *cum* (erasa post *m* littera) B — *mamillio* A B C; *mãnillio* E — 21. *praelio* A C E — *nostra*] *no* in ras. habet A — 22. *persem* 𝔄: *Persen* O — 23. *nunciauerunt* B — *P.*] *publilius* A B, *publius* C — *uatienus* 𝔄 — 24. *albis*, syll. *bis* in ras., A — 25. *persem* E: *perse* A B; *persen* C O — *senatui nuntiaui set primo* A; *senatui nunciauissent primo* (litt. *n* ante *t* expuncta) B; *senatui nuntiasset primo* C; *senatui nunciauisset primo* E; *senatuique nuntiavisset, primo* cod. Glogaviensis. — 26. *r[illegible] p̄.* A — *a* sup. lin. A; om. E — 27. *a* sup. lin. B — 28. *crotoniatis* A^1 — post *locri* rasuram unius vel duarum litterarum habet A — 29. *praelio* A B C — 30. *olypie* A; *olympie* B; *olimpiae* C; *olimpie* E.

saepe visae formae deorum quemvis non aut hebetem aut impium deos praesentes esse confiteri coëgerunt. III. 7. Praedictiones vero et praesensiones rerum futurarum quid aliud declarant nisi hominibus ea ostendi, monstrari, portendi, praedici? ex quo illa ostenta, monstra, portenta, prodigia dicuntur. Quod si ea ficta credimus licentia fabularum, Mopsum, Tiresiam, Amphiaraum, Calchantem, Helenum, quos tamen augures ne ipsae quidem fabulae adscivissent, si res omnino repudiaret, ne domesticis quidem exemplis docti numen deorum conprobabimus? Nihil nos P. Claudii bello Punico primo temeritas movebit, qui etiam per iocum deos inridens, cum cavea liberati pulli non pascerentur, mergi eos in aquam iussit, ut biberent, quoniam esse nollent? Qui risus classe devicta multas ipsi lacrimas, magnam populo Romano cladem attulit. Quid? collega eius Iunius eodem bello nonne tempestate classem amisit, cum auspiciis non paruisset? Itaque Claudius a populo condemnatus est, Iunius necem sibi ipse conscivit. 8. C. Flaminium Caelius religione neglecta cecidisse apud Trasumenum scribit cum magno rei publicae vulnere. Quorum exitio intellegi potest, eorum imperiis rem publicam amplificatam, qui religionibus paruissent. Et si conferre volumus nostra cum externis, ceteris rebus aut pares aut etiam inferiores reperiemur, religione, id est cultu deorum, multo superiores. 9. An Atti Navii lituus ille, quo ad investigandum suem regiones vineae terminavit, contemnendus est? Crederem, nisi eius augurio rex Hostilius maxima bella gessisset. Sed neglegentia nobilitatis augurii disciplina omissa veritas auspiciorum spreta est, species tantum retenta. Itaque maximae rei publicae partes, in his bella, quibus rei publicae salus continetur, nullis auspiciis administrantur, nulla peremnia servantur, nulla ex acuminibus, nulla cum viri vocantur, ex quo in procinctu testamenta perierunt. Tum enim bella gerere nostri duces incipiunt, cum auspicia posuerunt. 10. At vero apud maiores tanta religionis vis fuit, ut quidam imperatores etiam se ipsos dis inmortalibus capite velato verbis certis pro re publica devoverent. Multa ex Sibyllinis vaticinationibus, multa ex haruspicum responsis commemorare possum, quibus ea confirmentur,

---

1. *non aut* Davisius: *aut non* 𝔄 — 2. *praesentes* corr. ex *praesentos* A — 3. *aliut* A — *ea* cod. Monacensis: *ea quae* (s. *que*) *sint* 𝔄; *ea quae futura sunt* O. Vide Schoemannum Dissert. III p. 4 sq. — *ostendi* (*di* in ras. m. sec.) A — 4. *ostenda* (litterae *d* superscr. *t*) B — 5. *ea* corr. ex *ae* A — *mopsum thyresiam amfiraum calchantem helenum. Quos* in marg. m. rec. habet B; cf. v. 18. — 6. *amfiraum* A — 7. *adcisuissent* corr. in *adsciuissent* A — *repudiarent* A B E — 8. *docti in numen* C — *comprobabimus* B¹ C: *conprobauimus* A; *comprobavimus* B² E — 9. *claudii* B²: *claudi* B¹, *clodi* A E, *dodi* C — 11. *nolent* A — 12. *multis* A¹ — *p. R.* A B C; *rei publice* E — *Quid*] *qui* A¹; *quo* A² — 14. *clodius* A E; *dodius* C — 15. *conciuit* A — *coelius* A B C — *neglecta* (*g* ex correctione) B — 16. *aput* B E — *Trasumenum* nos: *transumen* A B C, *transsumē* E, *Trasimenum* O. Vide ad or. p. Roscio Amer. § 89. — 18. *paruissent mopsum tyresiam amphilaraum chalchantem helenum quos et si* (verbis *mopsum -- quos* deletis) B; cf. v. 5. — 20. *Attii* O — *nauii* (*ii* in ras.) B — 21. *suem* corr. ex *suam* B; *ad investigandam uvam* Schuetzius. Cf. de Divinat. I § 31. — *reliones* A¹; *religiones* A² B C; *religionis* E — 22. *ostilius* A — 24. *retenda* A — *maxime* A B C — 25. *in is* A — 26. *perennia* A C E — 27. *nulla, cum viri* Schoemannus (coll. Gellio N. A. XV, 27, 3 et Sabidio ap. Schol. Veron. ad Vergil. Aen. X, 241): *nulli viri* 𝔄 O — *procintu* (litt. *c* superscr.) A — 29. *At*] *ad* A¹ — *aput* B — *tantem* corr. in *tantam* B — *fuerit* C — 30. *mortalibus* A — 31. *exibu[illegible]nis* (superscr. *s* inter *x* et *i*) A; *exibilinis* B¹; *ex sibillynis* B²; *ex sybillinis* C E — 32. *aruspicum* B E; *hauruspicum* C — *commemorare possum* om. A¹.

quae dubia nemini debent esse. IV. Atqui et nostrorum augurum et Etruscorum haruspicum disciplinam P. Scipione C. Figulo consulibus res ipsa probavit: quos cum Ti. Gracchus consul iterum crearet, primus rogator, ut eos rettulit, ibidem est repente mortuus. Gracchus, cum comitia nihilo minus peregisset remque illam in religionem populo venisse sentiret, ad senatum rettulit; senatus quos ad soleret referendum censuit; haruspices introducti responderunt non fuisse iustum comitiorum rogatorem. 11. Tum Gracchus, ut e patre audiebam, incensus ira: «Itane vero? ego non iustus, qui et consul rogavi et augur et auspicato? an vos Tusci ac barbari auspiciorum populi Romani ius tenetis et interpretes esse comitiorum potestis?» Itaque tum illos exire iussit. Post autem e provincia litteras ad collegium misit, se, cum legeret libros, recordatum esse, vitio sibi tabernaculum captum fuisse [hortos Scipionis], quod, cum pomerium postea intrasset habendi senatus causa, in redeundo, cum idem pomerium transiret, auspicari esset oblitus: itaque vitio creatos consules esse. Augures rem ad senatum; senatus, ut abdicarent consules: abdicaverunt. Quae quaerimus exempla maiora? Vir sapientissimus atque haud sciam an omnium praestantissimus peccatum suum, quod celari posset, confiteri maluit quam haerere in re publica religionem; consules summum imperium statim deponere quam id tenere punctum temporis contra religionem. 12. Magna augurum auctoritas. Quid? haruspicum ars nonne divina? Haec et innumerabilia ex eodem genere qui videat, nonne cogatur confiteri deos esse? Quorum enim interpretes sunt, eos ipsos esse certe necesse est; deorum autem interpretes sunt: deos igitur esse fateamur. At fortasse non omnia eveniunt, quae praedicta sunt. Ne aegri quidem quia non omnes convalescunt, idcirco ars nulla medicinae est. Signa ostenduntur a dis rerum futurarum. In his si qui erraverunt, non deorum natura, sed hominum coniectura peccavit. Itaque inter omnis omnium gentium summa constat; omnibus enim innatum est et in animo quasi insculptum esse deos. V. 13. Quales sint, varium est: esse nemo negat. Cleanthes quidem noster quattuor de causis dixit in animis hominum informatas deorum esse notiones. Primam posuit eam, de qua modo dixi, quae orta esset ex praesensione rerum futurarum; alteram,

---

2. *etruscorum* A¹ B¹: *etruscorum et* A² B² C E — *haruspicum* B: *hauruspicum* A; *auruspicum* C; *aruspicum* E — *disciplina* C — 3. *cum Ti.*] *conti.* A; *cum ty* B E — *consul*] *quos* A B¹ C; *cos.* B²; om. E — *crearet* B¹: *recrearet* A B² C E — *primus* corr. ex *primis* A — 4. *rogator* 𝔄: *rogatorum* O — 4 et 6. *retulit* 𝔄 O — 5. *nihil hominus* B — 7. *haruspices introducti* corr. m. sec. in *ad haruspices qui introducti* A — *hauruspices* C; *aruspices* (ubique) E — 8. *Tunc* C — *e* evanuit in A — 9. *hauspicato* A — 10. *p. r.* 𝔄 — 11. *e* 𝔄: *ex* O — 13. *uisio* B — *hortos Scipionis* 𝔄: *in hortis Scipionis* Lambinus; *ad hortos Scipionis* Schoemannus; verba *hortos Scipionis* seclusi cum Davisio. — 14 et 15. *pomerium* 𝔄: *pomoerium* O — 15. *trantsiret* A; *transisset* C — *hauspicari* A C — *consules*] *quos* A C; om. E — 17. *haud sciam* 𝔄: *haud scio* O. Cf. de Oratore II § 18. — *caelari* A B — *posse* B — 19. *R. P.* A C E; *reip.* B — *relegione* C — 21. *relegionem* A — *auruspicum* (superscr. ab initio *h*) A; *aruspicum* B E; *hauruspicum* C — 22. *et* cod. Glogaviensis: om. 𝔄 — 25. *At*] *ad* (superscr. *t*) B — 26. *medicinae* cod. Glogaviensis: *medicina* 𝔄 O — «Scrib. *medicinae st.* Alioquin scriberetur *idcirco medicina ars non est.* Latine enim dicitur *medicina ars non est*, non «*ars nulla, keine Wissenschaft.*» MADVIG. — 30. *inscuptum* (superscr. *l*) A; *incultum* corr. ead. m. in *insculptum* B — 31. *claeantes* A — 32. *formatos* B.

quam ceperimus ex magnitudine commodorum, quae percipiuntur caeli temperatione, fecunditate terrarum aliarumque commoditatum conplurium copia; 14. tertiam, quae terreret animos fulminibus, tempestatibus, nimbis, nivibus, grandinibus, vastitate, pestilentia, terrae motibus et saepe fremitibus lapideisque imbribus et guttis imbrium quasi cruentis, tum labibus aut repentinis terrarum hiatibus, tum praeter naturam hominum pecudumque portentis, tum facibus visis caelestibus, tum stellis iis, quas Graeci cometas, nostri cincinnatas vocant, quae nuper bello Octaviano magnarum fuerunt calamitatum praenuntiae, tum sole geminato, quod, ut e patre audivi, Tuditano et Aquilio consulibus evenerat, quo quidem anno P. Africanus sol alter extinctus est, quibus exterriti homines vim quandam esse caelestem et divinam suspicati sunt; 15. quartam causam esse eamque vel maximam aequabilitatem motus † conversionem caeli, solis, lunae siderumque omnium distinctionem, varietatem, pulchritudinem, ordinem, quarum rerum aspectus ipse satis indicaret non esse ea fortuita. Ut, si quis in domum aliquam aut in gymnasium aut in forum venerit, cum videat omnium rerum rationem, modum, disciplinam, non possit ea sine causa fieri iudicare, sed esse aliquem intellegat, qui praesit et cui pareatur, multo magis in tantis motionibus tantisque vicissitudinibus, tam multarum rerum atque tantarum ordinibus, in quibus nihil umquam inmensa et infinita vetustas mentita sit, statuat necesse est ab aliqua mente tantos naturae motus gubernari. VI. 16. Chrysippus quidem, quamquam est acerrimo ingenio, tamen ea dicit, ut ab ipsa natura didicisse, non ut ipse repperisse videatur. «Si enim» inquit «est aliquid in rerum natura, quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod potestas humana efficere non possit, est certe id, quod illud efficit, homine melius: atqui res caelestes omnesque eae, quarum est ordo sempiternus, ab homine confici non possunt: est igitur id, a quo illa conficiuntur, homine melius. Id autem quid potius dixeris quam deum? Etenim si di non sunt, quid esse potest in rerum natura homine melius? in eo enim solo est ratio, qua nihil potest esse praestantius. Esse autem hominem, qui nihil in omni mundo melius esse quam se putet, desipientis adrogantiae est: ergo est aliquid melius: est igitur profecto deus.» 17. An vero, si domum magnam pulchramque videris, non possis adduci ut, etiam si dominum non videas, muribus illam et mustelis ae-

---

1. *coeperimus* A — 4. *terret* C — 6. *labibus* Gulielmius: *lapidibus* 𝔄 — 7. *facibus* (*us* m. sec. in rasura) A — *his* A C E; *is* B — 8. *cincinnatas* A² B C E: *cincinnitas* A¹; *crinitas* O. Cf. Schol. Iuven. VI, 407. — 9. *fuerunt* corr. ex *fuerit* A — 10. *aquilio* A C E: *quilino* B; *Aquillio* O — *cos.* A C — 13. *motus in conversione caeli* Davisius; *motus conversionumque caeli* Ernestius. — 14. *varietatem* Manutius: *utilitatem* 𝔄 — 19. *pareator* A¹ — 20. Post *uicissitudinibus* deleta sunt in B verba *tam multarum* -- *motus gubernari*; tum sequuntur verba *ex sese perfectiores* (§ 86) -- *quae cum maxuma* (§ 156), tum (iterum) *tam multarum rerum* cet. Cf. p. 369. — *tam multarum* -- *ordinibus* in ras. m. sec. A — 24. *repperisse* B: *reperisse* A C E O — 26. *illut* A¹ — 27. *adqui* A — 28. *a* cod. Glogaviensis: om. 𝔄 O — *quo* corr. ex *quod* C; *quod* E — 29. Post *deum* in A C E sequuntur *largitate* -- *uidetur* (§ 156), tum *ex sese perfectiores* (§ 86) -- *quae cum maxima* (§ 156), tum in A C *etenim si di* cet., in E autem *tam multarum rerum atque tantarum* cet. ita ut in hoc codice versus 20—29 (*tam multarum* -- *quam deum*) bis legantur. De P V conf. p. 369 sq. — 30. *potest esse* O — 31. *ratio est* O — 32. *hominem* corr. ex *hominum* A.

dificatam putes: tantum ergo ornatum mundi, tantam varietatem pulchritudinemque rerum caelestium, tantam vim et magnitudinem maris atque terrarum, si tuum ac non deorum inmortalium domicilium putes, nonne plane desipere videare? An ne hoc quidem intellegimus, omnia supera esse meliora, terram autem esse infimam, quam crassissimus circumfundat aër? ut ob eam ipsam causam, quod etiam quibusdam regionibus atque urbibus contingere videmus, hebetiora ut sint hominum ingenia propter caeli pleniorem naturam, hoc idem generi humano evenerit, quod in terra, hoc est in crassissima regione mundi, conlocati sint. 18. Et tamen ex ipsa hominum sollertia esse aliquam mentem et eam quidem acriorem et divinam existimare debemus. «Unde enim hanc homo arripuit?» ut ait apud Xenophontem Socrates. Quin et umorem et calorem, qui est fusus in corpore, et terrenam ipsam viscerum soliditatem, animum denique illum spirabilem, si quis quaerat, unde habeamus, apparet, quod aliud a terra sumpsimus, aliud ab umore, aliud ab igni, aliud ab aëre eo, quem spiritu ducimus. VII. Illud autem, quod vincit haec omnia, rationem dico et, si placet pluribus verbis, mentem, consilium, cogitationem, prudentiam, ubi invenimus? unde sustulimus? An cetera mundus habebit omnia, hoc unum, quod plurimi est, non habebit? Atqui certe nihil omnium rerum melius est mundo, nihil praestabilius, nihil pulchrius, nec solum nihil est, sed ne cogitari quidem quicquam melius potest. Et si ratione et sapientia nihil est melius, necesse est haec inesse in eo, quod optimum esse concedimus. 19. Quid vero? tanta rerum consentiens, conspirans, continuata cognatio quem non coget ea, quae dicuntur a me, conprobare? possetne uno tempore florere, dein vicissim horrere terra? aut tot rebus ipsis se inmutantibus solis accessus discessusque solstitiis brumisque cognosci, aut aestus maritimi fretorumque angustiae ortu aut obitu lunae commoveri aut una totius caeli conversione cursus astrorum dispares conservari? Haec ita fieri omnibus inter se concinentibus mundi partibus profecto non possent, nisi ea uno divino et continuato spiritu continerentur. 20. Atque haec cum uberius disputantur et fusius, ut mihi est in animo facere, facilius effugiunt Academicorum calumniam; cum autem, ut Zeno solebat, brevius angustiusque concluduntur, tum apertiora sunt ad reprehendendum. Nam ut profluens amnis aut vix aut nullo modo, conclusa autem aqua facile conrumpitur, sic orationis flumine reprehensoris convitia diluuntur, angustia autem conclusae orationis non facile se ipsa tutatur. Haec enim, quae dilatantur a nobis, Zeno sic premebat: VIII. 21. «Quod ratione utitur,

---

1. *ergo* 𝔄: [*uero*] O — 3. *putes* corr. ex *potes* V — 4. *supera* corr. ex *supra* V — 9. *sint* corr. ex *sunt* A B — 11. *exhistimare* A — 12. *umorem* h. l. A, at infra cum ceteris *humore*. — 14. *spiritalem* B[1] — *habeamus* E: *habemus* A B C P V O — *apparet* (ex correctione) B V: *appareat* A C E P — 15. *igne* E — 16. *quem spiritum dicimus* 𝔄 — 18. *an eterra* C — 19. *plurimi* cod. Glogaviensis: *plurimum* 𝔄 — 21. *ne cogitari*] *negotiari* A[1] P; *necotari* B[1]; *nec cogitari* A[2] B[2] C E et (in rasura) V — 24. *cognatio* (litterae *a* superscr. m. sec. *i*) V — *cogat* (*at* in ras. m. sec. rec.) A; *cogat* (superscr. *e*) B — 25. *deinde* E O — 27. *solstitio* (superscr. *iis*) V — 33. *angustiis quem* B[1] — 34. *concludiuntur* (litt. *i* expuncta) A — *repraendendum* A, *repraehendendum* B, *reprendendum* V — *profluens* (superscr. m. sec. *profluus*) V — 36. *reprensoris* A C V[1]; *repraehensoris* V[2] — *conuitia* Davisius: *uitia* 𝔄 — 37. *conclusa* C — 38. *utitur in id* (praepositione expuncta) V.

id melius est quam id, quod ratione non utitur: nihil autem mundo melius: ratione igitur mundus utitur.» Similiter effici potest sapientem esse mundum, similiter beatum, similiter aeternum; omnia enim haec meliora sunt quam ea, quae sunt his carentia, nec mundo quicquam melius: ex quo efficitur esse mundum deum. 22. Idemque hoc modo: «Nullius sensu carentis pars aliqua potest esse sentiens: mundi autem partes sentientes sunt: non igitur caret sensu mundus.» Pergit idem et urguet angustius: «Nihil,» inquit «quod animi quodque rationis est expers, id generare ex se potest animantem compotemque rationis: mundus autem generat animantis conpotesque rationis: animans est igitur mundus composque rationis.» Idemque similitudine, ut saepe solet, rationem conclusit hoc modo: «Si ex oliva modulate canentes tibiae nascerentur, num dubitares quin inesset in oliva tibicinii quaedam scientia? Quid, si platani fidiculas ferrent numerose sonantes? idem scilicet censeres in platanis inesse musicam. Cur igitur mundus non animans sapiensque iudicetur, cum ex se procreet animantis atque sapientis?»

IX. 23. Sed quoniam coepi secus agere atque initio dixeram — negaram enim hanc primam partem egere oratione, quod esset omnibus perspicuum deos esse —, tamen id ipsum rationibus physicis confirmare volo. Sic enim res se habet, ut omnia, quae aluntur atque crescunt, contineant in se vim caloris, sine qua neque ali possent nec crescere. Nam omne, quod est calidum et igneum, cietur et agitur motu suo; quod autem alitur et crescit motu quodam utitur certo et aequabili, qui quam diu remanet in nobis, tam diu sensus et vita remanet; refrigerato autem et extincto calore occidimus ipsi et extinguimur. 24. Quod quidem Cleanthes his etiam argumentis docet, quanta vis insit caloris in omni corpore: negat enim esse ullum cibum tam gravem, quin is nocte et die concoquatur, cuius etiam in reliquiis inest calor iis, quas natura respuerit. Iam vero venae et arteriae micare non desinunt quasi quodam igneo motu, animadversumque saepe est, cum cor animantis alicuius evolsum ita mobiliter palpitaret, ut imitaretur igneam celeritatem. Omne igitur, quod vivit, sive animal sive terra editum, id vivit propter inclusum in eo calorem. Ex quo intellegi debet eam caloris naturam vim habere in se vitalem per omnem mundum pertinentem. 25. Atque id facilius cernemus toto genere hoc igneo, quod tranat omnia, subtilius explicato. Omnes igitur partes mundi — tangam autem maximas — ca-

---

4. *non* (superscr. m. sec. *nec*) V — 5. *efficietur* A B V — 6. *nullius* corr. ex *nullus* A — 8. *inquid* A B[1] C — *est* (superscr. m. sec. *sit*) V — *expersit generare* B[1] — 10. *compotesque* P — 13. *tibicini* 𝔄 — 14. *si platani -- numerosa sonantes* Priscianus III, 5, 30. — 16. *procreet* (*et* ex correctione in ras.) B; *procreat* E — 17. *caepi* C V — *initio* corr. ex *initia* B — 19. *fysicis id est naturalibus confirmari* 𝔄 — 20. *aluntur - crescunt* cod. Glogaviensis: *alantur - crescant* 𝔄 O — *atque* nos: *et quae* A B C P V; *et* E O — 21. *in se quandam vim* (*quandam* superscr. m. sec.) V — *nec* 𝔄: *neque* O — 23. *et* om. in rasura V — *crescit* corr. in *crescet* V — *quicquam diu* (litt. *c* erasa) V — 26. *hiis* A V; *iis* C — 27. *ullum esse* O — *ullam* V[1] — *die et nocte* O — 28. *cuius* (superscr. m. sec. *huius*) V — *reliquiis* corr. ex *reliquis* A; *reliquis* E — *inest* (corr. ex *est*) V; *insit* Heindorfius. — *iis* in ras. B; *hiis* (litt. *h* erasa) V; *is* E — 29. *et* in ras. m. sec. V — 30. *animantes* (superscr. *i*) A — 31. *euolsum* A[1] B C V[1]: *euulsum* A[2] E V[2] O — *ut imitaretur* in marg. ead. m. habet A — 35. *suptilius explicata* (superscr. *o*) B — 36. *mundi maximo calore* ex correctione C.

lore fultae sustinentur: quod primum in terrena natura perspici potest; nam et lapidum conflictu atque tritu elici ignem videmus et recenti fossione terram fumare calentem, atque etiam ex puteis iugibus aquam calidam trahi, et id maxime fieri temporibus hibernis, quod magna vis terrae cavernis continetur caloris eaque hieme fit densior ob eamque causam calorem insitum in terris continet artius. X. 26. Longa est oratio multaeque rationes, quibus doceri possit omnia quae terra concipiat semina, quaeque ipsa ex se generata stirpibus infixa contineat, ea temperatione caloris et oriri et augescere. Atque aquae etiam admixtum esse calorem primum ipse liquor aquae declarat, quae neque conglaciaret frigoribus neque nive pruinaque concresceret, nisi eadem se admixto calore liquefacta et dilapsa diffunderet. Itaque et aquilonibus reliquisque frigoribus adiectis durescit umor et idem vicissim mollitur tepefactus et tabescit calore. Atque etiam maria agitata ventis ita tepescunt, ut intellegi facile possit in tantis illis umoribus esse inclusum calorem. Nec enim ille externus et adventicius habendus est tepor, sed ex intimis maris partibus agitatione excitatus, quod nostris quoque corporibus contingit, cum motu atque exercitatione recalescunt. Ipse vero aër, qui natura est maxime frigidus, minime est expers caloris. 27. Ille vero et multo quidem calore admixtus est; ipse enim oritur ex respiratione aquarum; earum enim quasi vapor quidam aër habendus est; is autem existit motu eius caloris, qui aquis continetur. Quam similitudinem cernere possumus in iis aquis, quae effervescunt subditis ignibus. Iam vero reliqua quarta pars mundi, ea et ipsa tota natura fervida est et ceteris naturis omnibus salutarem inpertit et vitalem calorem. 28. Ex quo concluditur, cum omnes mundi partes sustineantur calore, mundum etiam ipsum simili parique natura in tanta diuturnitate servari, eoque magis, quod intellegi debet calidum illud atque igneum ita in omni fusum esse natura, ut in eo insit procreandi vis et causa gignendi, a quo et animantia omnia et ea, quorum stirpes terra continentur, et nasci sit necesse et augescere. XI. 29. Natura est igitur, quae contineat mundum omnem eumque tueatur, et ea quidem non sine sensu atque ratione; omnem enim naturam necesse est, quae non solitaria sit neque simplex, sed cum alio iuncta atque conexa, habere aliquem in se principatum, ut in homine mentem, in belua quiddam simile mentis, unde oriantur rerum adpetitus. In ar-

---

2. *conflictu* (superscr. m. sec. *conflictatione)* V — *ritu* A V (m. sec. corr. in *tritu* A, in *ictu* V) — *et regemqui fossione - - calidam trahit* Nonius p. 440. — 3. *fumare recalentem* 𝔄 — 4. *fieri hibernis temporibus* E; *hibernis fieri temporibus* O — 5. *continetur - - fit - - continet* Heindorfius: *contineatur - - sit - - contineat* 𝔄 (nisi quod V habere videtur *fit*). Cf. Schoemannum Diss. III p. 6 sq. — *ieme* (superscr. *h*) A — 7. *concipiat* corr. ex *concipit* A — 9. *oriet* (superscr. *ri*) B — 10. *declarat* C² et Davisius: *declarat effusio* A P V; *dederat effusio* C¹; *declarat effusae* B; *declarat effusioque* E; *declarat et effusio* cod. Glogaviensis, O. Cf. Herm. Sauppe Progr. Gotting. 1857/8 p. 10. — *quae* corr. ead. m. ex *aquae* V — 12. *liquaefacta* V — 13. *adiectis* (priore *i* ex correctione) A; *adlectis* C; del. Davisius; obelo notavit O — *umor* scr. cum B — 15. *umoribus* scr. cum A B — *inclusum esse* O — 16. *aduentitius* A et (corr. ead. m. in *aduenticius*) V; *aduentius* C — 17. *excitatus* (superscr. m. sec. *excitus*) V — *cum motu* corr. ex *commotu* B — 21. *eius* corr. ex *ei* B — 23. *his* 𝔄 — *efferuescunt* B C et margo V: *eis feruescunt* A E V; *feruescunt* P; *aeneis efferuescunt* alii. — *subitis* A B C E P V¹ — 24. Verbis *ea et ipsa* superscr. est «vel *et ipsa*» in V — 25. *salutem* C — 26. *omnis* P — *calorem* A B V (in A V litt. *m* expuncta) — 28. *adque* B¹ — 32. *ratione atque sensu* P — 34. *hominē* B — 35. *arborem* B¹.

borum autem et earum rerum, quae gignuntur e terra, radicibus inesse principatus putatur. Principatum autem id dico, quod Graeci ἡγεμονικόν vocant, quo nihil in quoque genere nec potest nec debet esse praestantius. Ita necesse est illud etiam, in quo sit totius naturae principatus, esse omnium optimum omniumque rerum potestate dominatuque dignissimum. 30. Videmus autem in partibus mundi — nihil est enim in omni mundo, quod non pars universi sit — inesse sensum atque rationem. In ea parte igitur, in qua mundi inest principatus, haec inesse necesse est et acriora quidem atque maiora. Quocirca sapientem esse mundum necesse est naturamque eam, quae res omnes conplexa teneat, perfectione rationis excellere, eoque deum esse mundum omnemque vim mundi natura divina contineri. Atque etiam mundi ille fervor purior, perlucidior mobiliorque *est* multo ob easque causas aptior ad sensus commovendos quam hic noster calor, quo haec, quae nota nobis sunt, retinentur et vigent. 31. Absurdum igitur est dicere, cum homines bestiaeque hoc calore teneantur et propterea moveantur ac sentiant, mundum esse sine sensu, qui integro et libero et puro eodemque acerrimo et mobilissimo ardore teneatur, praesertim cum is ardor, qui est mundi, non agitatus ab alio neque externo pulsu, sed per se ipse ac sua sponte moveatur. Nam quid potest esse mundo valentius, quod pellat atque moveat calorem eum, quo ille teneatur? XII. 32. Audiamus enim Platonem quasi quendam deum philosophorum: cui duo placet esse motus, unum suum, alterum externum, esse autem divinius, quod ipsum ex se sua sponte moveatur, quam quod pulsu agitetur alieno. Hunc autem motum in solis animis esse ponit ab hisque principium motus esse ductum putat. Quapropter, quoniam ex mundi ardore motus omnis oritur, is autem ardor non alieno inpulsu, sed sua sponte movetur, animus sit necesse est: ex quo efficitur animantem esse mundum. Atque ex hoc quoque intellegi poterit in eo inesse intellegentiam, quod certe est mundus melior quam ulla natura. Ut enim nulla pars est corporis nostri, quae non minoris sit quam nosmet ipsi sumus, sic mundum universum pluris esse necesse est quam partem aliquam universi. Quod si ita est, sapiens sit mundus necesse est; nam ni ita esset, hominem, qui est mundi pars, quoniam rationis est particeps, pluris esse quam mundum omnem oporteret. 33. Atque etiam, si a primis inchoatisque naturis ad ultimas perfectasque

---

2. *hegemonicon* B; *egemonicon* A E V; *egeminicon* C — 3. *quoque* B et (corr. ex *quo*) A: *quo* P V; *quoquo* C; *quoquam* E — 4. *itaque necesse* V^2 O — *etiam* corr. ead. m. ex *et* V — 6. *partibus* corr. ex *patribus* V — 7. *atque* 𝔄: *et* O — 9. *agriora* V^1 — 12. *ferulor* (litt. *l* expuncta) A V — 13. *est* hoc loco Lambinus: ante *etiam* O cum Bouhiero; om 𝔄 — *multo* corr. ex *multu* A — *cummouendos* A — 14. Inter *noster* et *calor* littera erasa est in V — 15. *est igitur* O — *cum* in ras. m. sec. A, sup. lin. B; *quin* C E P — 17. *quae integro* P — *et libero et puro* A B C P V: *et libero puro* E; *et puro et libero* O — *mollissimo* C — 18. *teneatur* corr. ex *teneantur* V — *cum his* A B V^1 — 19. Post *neque* sec. m. margini add. *extrinsecus hoc ab aliquo accipiat neque* V — 21. *quo* corr. ex *quod* B — *illo* A — *enim* (superscr. m. sec *nunc*) V — 22. *duos* C V^2 — 24. *quam* om. A^1 — *motumen* corr. m. sec. in *motum in* V — 25. *esse ponit* -- *motus* om. C (in marg. suppleta sunt *ponit ab hisque princi. motū)* — *hisque* B^1 C E V: *isque* A; *iisque* B^2 P — 26. *is*] *his* B — 27. *moueatur* (litt. *a* expuncta) A — 29. *intellegentiam* corr. ex *intellegentium* A — 30. *minoris* Ursinus: *minor* 𝔄 — 33. *qui est* V^2: *qui esset* A B C E P V^1 — 34. *est* A B V (corr. ex *esset* A V): *esset* C E P.

volumus procedere, ad deorum naturam perveniamus necesse est. Primo enim animadvertimus a natura sustineri ea, quae gignuntur e terra, quibus natura nihil tribuit amplius, quam ut ea alendo atque augendo tueretur. 34. Bestiis autem sensum et motum dedit et cum quodam adpetitu accessum ad res salutares, a pestiferis recessum: hoc homini amplius, quod addidit rationem, qua regerentur animi adpetitus, qui tum remitterentur, tum continerentur. XIII. Quartus autem gradus est et altissimus eorum, qui natura boni sapientesque gignuntur, quibus a principio innascitur ratio recta constansque, quae supra hominem putanda est deoque tribuenda, id est mundo, in quo necesse est perfectam illam atque absolutam inesse rationem. 35. Neque enim dici potest in ulla rerum institutione non esse aliquid extremum atque perfectum. Ut enim in vite, ut in pecude, nisi quae vis obstitit, videmus naturam suo quodam itinere ad ultimum pervenire, atque ut pictura et fabrica ceteraeque artes habent quendam absoluti operis effectum, sic in omni natura ac multo etiam magis necesse est absolvi aliquid ac perfici. Etenim ceteris naturis multa externa, quo minus perficiantur, possunt obsistere, universam autem naturam nulla res potest impedire, propterea quod omnis naturas ipsa cohibet et continet. Quocirca necesse est esse quartum illum et altissimum gradum, quo nulla vis possit accedere. 36. Is autem est gradus, in quo rerum omnium natura ponitur, quae quoniam talis est, ut et praesit omnibus et eam nulla res possit inpedire, necesse est intellegentem esse mundum et quidem etiam sapientem. Quid autem est inscitius quam eam naturam, quae omnis res sit conplexa, non optumam dici, aut, cum sit optuma, non primum animantem esse, deinde rationis et consilii compotem, postremo sapientem? Qui enim potest aliter esse optuma? Neque enim, si stirpium similis sit aut etiam bestiarum, optuma putanda sit potius quam deterruma, nec vero, si rationis particeps sit nec sit tamen a principio sapiens, non sit deterior mundi potius quam humana conditio: homo enim sapiens fieri potest, mundus autem, si in aeterno praeteriti temporis spatio fuit insipiens, numquam profecto sapientiam consequetur: ita erit homine deterior. Quod quoniam absurdum est, et sapiens a principio mundus et deus habendus est. 37. Neque enim est quicquam aliud praeter mundum, cui nihil absit quodque undique aptum atque perfectum expletumque sit omnibus suis numeris et partibus. XIV. Scite enim Chrysippus, ut clipei causa involucrum, vaginam autem gladii, sic praeter mundum cetera omnia aliorum causa esse generata, ut eas fruges atque fructus, quos terra gignit, animan-

---

1. *eorum* (superscr. *d*) A — *prima* A B E V — 2. *gignuntur* Manutius: *gignantur* 𝔄 O — 5. *omini* (superscr. *h*) A — 6. *adidit* V[1] — 7. *gradus et altissimus est* O — 8. *erorum* (priore *r* erasa) V — *sapientisque* B C — 9. *est de eoque* B — 11. *in ulla* V[2]: *in nulla* A B C E P V[1]; *in illa* O — 12. *in uitae* V[1]; *inuitet* B — 13. *im pecude* A — *obstitit* (in marg. ead. m. *optigit*) V — *quodam* corr. ex *quoddam* B — 14. *atque* corr. ex *adque* A — 15. *absoluti* corr. ex *obsoluti* V — 17. *autem* corr. ex *atem* A, ex *hanc* B — 19. *quoibet* A — 20. *quod* A — *Is*] *his* B — 21. *rerum omnis natura* Bake ad Cic. de Legg. p. 451. — 25. *optuma* B V[2], *optima* C E: *optumam* P V[1], *optimam* A — 26. *aliter potest* O — 29. *potius* om. P — 30. *condicio* V — 34. *cui* (ante rasuram) B: *quo* A C E P V — *quodque* - - *expletumque sit* om. C — 35. *sit* om. A — 36. *Scit enim* P — *clipe* A V (corr. in *clipei* A, in *clypei* V) — 37. *uagina* C — 38. *gignat* O.

tium causa, animantes autem hominum, ut equum vehendi causa, arandi bovem, venandi et custodiendi canem. Ipse autem homo ortus est ad mundum contemplandum et imitandum, nullo modo perfectus, sed est quaedam particula perfecti. 38. Sed mundus, quoniam omnia conplexus est neque est quicquam quod non insit in eo, perfectus undique est. Qui igitur potest ei deesse id, quod est optimum? Nihil autem est mente et ratione melius: ergo haec mundo deesse non possunt. Bene igitur idem Chrysippus, qui similitudines adiungens omnia in perfectis et maturis docet esse meliora, ut in equo quam in eculeo, in cane quam in catulo, in viro quam in puero, item, quod in omni mundo optimum sit, id in perfecto aliquo atque absoluto esse debere. 39. Est autem nihil mundo perfectius, nihil virtute melius: igitur mundi est propria virtus. Nec vero hominis natura perfecta est, et efficitur tamen in homine virtus: quanto igitur in mundo facilius! Est ergo in eo virtus: sapiens est igitur et propterea deus.

XV. Atque hac mundi divinitate perspecta tribuenda est sideribus eadem divinitas, quae ex mobilissima purissimaque aetheris parte gignuntur, neque ulla praeterea est admixta natura, totaque sunt calida atque perlucida, ut ea quoque rectissime et animantia esse et sentire atque intellegere dicantur. 40. Atque ea quidem tota esse ignea duorum sensuum testimonio confirmari Cleanthes putat, tactus et oculorum. Nam solis et candor inlustrior est quam ullius ignis, quippe qui in inmenso mundo tam longe lateque conluceat, et is eius tactus est, non ut tepefaciat solum, sed etiam saepe comburat, quorum neutrum faceret, nisi esset igneus. Ergo, inquit, cum sol igneus sit Oceanique alatur umoribus, quia nullus ignis sine pastu aliquo possit permanere, necesse est aut ei similis sit igni, quem adhibemus ad usum atque victum, aut ei, qui corporibus animantium continetur. 41. Atqui hic noster ignis, quem usus vitae requirit, confector est et consumptor omnium idemque, quocumque invasit, cuncta disturbat ac dissipat. Contra ille corporeus vitalis et salutaris omnia conservat, alit, auget, sustinet sensuque adficit. Negat ergo esse dubium, horum ignium sol utri similis sit, cum is quoque efficiat ut omnia floreant et in suo quaeque genere pubescant. Quare cum solis ignis similis eorum ignium sit, qui sunt in corporibus animantium, solem quoque animantem esse oportet, atque item reliqua astra, quae oriantur in ardore caelesti, qui aether vel caelum nominatur.

---

1. *equm* (superscr. altera *u*) A, *ecum* (superscr. *q*) V — 4. *perticula* B — 5. *neque enim est* cod Glogaviensis, O — 6. *quid igitur* 𝔄. Cf. p. 403, 8. — *id* om. B¹P, del. ead. m. V — *est autem* O — 9. *in equo quam* corr. sec. m. ex *nequaquam* V — *eculeo* 𝔄 (in A litt. penultima expuncta, ut sit *eculo*, in C superscr. *equulo*): *equulo* O — *cane* corr. ex *canem* B — 11. *id* corr. eadem m. ex *is* A V; *is* B E — 11. *mundo nihil* E O — 13. *et* del. m. sec. V; *ut* A — 17. *nobilissima* P V² — 18. *est* nos: *sunt* 𝔄 O — 21. *cleanthes* A — 22. *solis et candor* Klotzius: *solis calor et candor* 𝔄; *solis candor* O — *ullius* C E — *in* om. 𝔄 — 23. *et his* (litt. *h* deleta) V — *ctu* corr. in *tactus* A V — [illegible]
post *ut* habet B — 25. *inquid* B¹ C — *umori*
— 27. *ei* corr. ex *eis* V — *usum* in ras
𝔄: *ad victum* O — 28. *contineatur* (litt
que 𝔄. Vide ad p. 280, 15. — 29. *om*
v. 34. — *cum his* B C V (in B V lit
p. 124): *et quidem* 𝔄 O. Cf. III § 1

42. Cum igitur aliorum animantium ortus in terra sit, aliorum in aqua, in aëre aliorum, absurdum esse Aristoteli videtur in ea parte, quae sit ad gignenda animantia aptissima, animal gigni nullum putare. Sidera autem aetherium locum optinent; qui quoniam tenuissimus est et semper agitatur et viget, necesse est, quod animal in eo gignatur, id et sensu acerrimo et mobilitate celerrima esse. Quare cum in aethere astra gignantur, consentaneum est in iis sensum inesse et intellegentiam, ex quo efficitur in deorum numero astra esse ducenda. XVI. Etenim licet videre acutiora ingenia et ad intellegendum aptiora eorum, qui terras incolant eas, in quibus aër sit purus ac tenuis, quam illorum, qui utantur crasso caelo atque concreto. 43. Quin etiam cibo quo utare interesse aliquid ad mentis aciem putant. Probabile est igitur praestantem intellegentiam in sideribus esse, quae et aetheriam partem mundi incolant et marinis terrenisque umoribus longo intervallo extenuatis alantur. Sensum autem astrorum atque intellegentiam maxume declarat ordo eorum atque constantia — nihil est enim, quod ratione et numero moveri possit sine consilio —, in quo nihil est temerarium, nihil varium, nihil fortuitum. Ordo autem siderum et in omni aeternitate constantia neque naturam significat — est enim plena rationis — neque fortunam, quae amica varietati constantiam respuit. Sequitur ergo ut ipsa sua sponte, suo sensu ac divinitate moveantur. 44. Nec vero Aristoteles non laudandus est in eo, quod omnia, quae moventur, aut natura moveri censuit aut vi aut voluntate, moveri autem solem et lunam et sidera omnia: quae [illegible] tem natura moverentur, haec aut pondere deorsum aut levitate [illegible] ferri, quorum neutrum astris contingeret, propterea quod eorum [illegible] in orbem circumque ferretur. Nec vero dici potest vi quadam [illegible] fieri, ut contra naturam astra moveantur; quae enim potest [illegible]? Restat igitur ut motus astrorum sit voluntarius. Quae qui [illegible] indocte solum, verum etiam impie faciat, si deos esse [illegible] multum interest, utrum id neget an eos omni procura[illegible] actione privet; mihi enim qui nihil agit esse omnino [illegible] igitur deos ita perspicuum est, ut, id qui neget, vix [illegible] existimem.

XVII. 45. Restat ut qualis eorum natura sit [illegible] nihil est difficilius quam a consuetudine oculorum [illegible] cere. Ea difficultas induxit et vulgo inperitos et [illegible] peritorum ut nisi figuris hominum constitutis [illegible] mortalibus cogitare: cuius opinionis levitas [illegible]

1. igitur [illegible]: enim O — 3. ad gnenda V[1] — [illegible] mal -- gignatur corr. m. sec. in animalia -- [illegible] (super[illegible] in A m. [illegible] demque, in V ead. m. [illegible] — aër sit rursus ac tenu[illegible] mundi pa[illegible] [illegible]

derat orationem meam. Sed cum talem esse deum certa notione animi praesentiamus, primum ut sit animans, deinde ut in omni natura nihil eo sit praestantius, ad hanc praesensionem notionemque nostram nihil video quod potius accommodem quam ut primum hunc ipsum mundum, quo nihil excellentius fieri potest, animantem esse et deum iudicem. 46. Hic quam volet Epicurus iocetur, homo non aptissimus ad iocandum minimeque resipiens patriam, et dicat se non posse intellegere, qualis sit volubilis et rutundus deus, tamen ex hoc, quod etiam ipse probat, numquam me movebit. Placet enim illi esse deos, quia necesse sit praestantem esse aliquam naturam, qua nihil sit melius: mundo autem certe nihil est melius. Nec dubium quin, quod animans sit habeatque sensum et rationem et mentem, id sit melius quam id, quod his careat. 47. Ita efficitur animantem, sensus, mentis, rationis mundum esse compotem; qua ratione deum esse mundum concluditur. Sed haec paulo post facilius cognoscentur ex iis rebus ipsis, quas mundus efficit. XVIII. Interea, Vellei, noli, quaero, prae te ferre vos plane expertes esse doctrinae. Conum tibi ais et cylindrum et pyramidem pulchriorem quam sphaeram videri. Novum etiam oculorum iudicium habetis. Sed sint ista pulchriora dum taxat aspectu — quod mihi tamen ipsum non videtur; quid enim pulchrius ea figura, quae sola omnis alias figuras complexa continet quaeque nihil asperitatis habere, nihil offensionis potest, nihil incisum angulis, nihil anfractibus, nihil eminens, nihil lacunosum? cumque duae formae praestantes sint, ex solidis globus — sic enim *σφαῖραν* interpretari placet —, ex planis autem circulus aut orbis, qui *κύκλος* Graece dicitur, his duabus formis contingit solis, ut omnes earum partes sint inter se simillumae a medioque tantundem absit extremum, quo nihil fieri potest aptius. 48. Sed si haec non videtis, quia numquam eruditum illum pulverem attigistis, ne hoc quidem physici intellegere potuistis, hanc aequabilitatem motus constantiamque ordinum in alia figura non potuisse servari? Itaque nihil potest esse indoctius quam quod a vobis adfirmari solet. Nec enim hunc ipsum mundum pro certo rutundum esse dicitis; nam posse fieri ut sit alia figura, innumerabilesque mundos alios aliarum esse formarum. 49. Quae, si bis bina quot essent, didicisset Epicurus, certe non diceret, sed dum palato, quid sit optimum, iudicat, caeli palatum, ut ait Ennius, non suspexit. XIX. Nam cum

---

2. *in* superscr. in V — 4. *huc* V^1 — 5. *fieri excellentius* O — 7. *resipiens* Ursinus: *respiciens* 𝔄 — 8. *rutundus* scr. cum A V. Cf. p. 221, 19. — 10. *sit* superscr. in A — 12. *his* corr. in *iis* B; *iis* A C V; *is* P — 13. *sensus mentem rationis* P — *compotem esse mundum* O — 15. *ex his* B E — 17. *Conum* (*Co* in ras.) B; *quonum* A V^1 — *spheram* A C; *speram* B E — 21. *offensionis* corr. ex *offensiones* A — 22. *cumque duae - - circus aut orbis* Nonius p. 432. — 23. *praestantes* corr. ex *praestantis* A V; *praestantissimae* Nonius. — *spheram* A B C P V; *speram* E — 24. *cyclus* B, *ciclus* A C E P V — 25. *omnes* corr. ex *omnis* A; *omnis* B C V — 26. *tantundem absit extremum* Madvigius (Philol. Schneidew. II p. 140): *tantum* (corr. ex *tandum* B) *absit extremum* 𝔄; *tantum absit extremum, quantum idem a summo* O et margo V. Cf. Tusc. Disp. I § 104: *undique enim ad inferos tantundem viae est.* — 28. *attigistis, an ne* V^2 O. Cf. Madvig Opusc. Acad. alt. p. 163. — 29. *aequabilitatem* cod. Rehdingerianus: *aequalitatem* O. Cf. § 15 et 90. — 30. *esse* om. A C E P; superscr. in V; post *indoctius* in A idem est compendium, quod supra (p. 113, 21) significabat *est*. — 31. *ipsum* ante ras. A — *rutundum* scr. cum A V^1, item p. 115, 5. — 32. *alia sit* O — 33. *quot* C E P: *quod* A B V (corr. in *quot* V, in *quid* B) — 34. *palato* corr. ex *plato* B — 35. *palatum* (superscr. *tium* m. sec. rec.) A.

duo sint genera siderum, quorum alterum spatiis inmutabilibus ab ortu ad occasum commeans nullum umquam cursus sui vestigium inflectat, alterum autem continuas conversiones duas isdem spatiis cursibusque conficiat, ex utraque re et mundi volubilitas, quae nisi in globosa forma esse non posset, et stellarum rutundi ambitus cognoscuntur. Primusque sol, qui astrorum tenet principatum, ita movetur, ut, cum terras larga luce compleverit, easdem modo his, modo illis ex partibus opacet; ipsa enim umbra terrae soli officiens noctem efficit. Nocturnorum autem spatiorum eadem est aequabilitas quae diurnorum, eiusdemque solis tum accessus modici, tum recessus et frigoris et caloris modum temperant. Circumitus enim solis orbium v et LX et CCC quarta fere diei parte addita conversionem conficiunt annuam, inflectens autem sol cursum tum ad septentriones, tum ad meridiem aestates et hiemes efficit et ea duo tempora, quorum alterum hiemi senescenti adiunctum est, alterum aestati. Ita ex quattuor temporum mutationibus omnium, quae terra marique gignuntur, initia causaeque ducuntur. 50. Iam solis annuos cursus spatiis menstruis luna consequitur, cuius tenuissimum lumen facit proximus accessus ad solem, digressus autem longissimus quisque plenissimum. Neque solum eius species ac forma mutatur tum crescendo, tum defectibus in initia recurrendo, sed etiam regio, quae tum est aquilonia tum australis. *Inde* in lunae quoque cursu est et brumae quaedam et solstitii similitudo, multaque ab ea manant et fluunt, quibus et animantes alantur augescantque et pubescant maturitatemque adsequantur, quae oriuntur e terra. XX. 51. Maxume vero sunt admirabiles motus earum quinque stellarum, quae falso vocantur errantes. Nihil enim errat, quod in omni aeternitate conservat progressus et regressus reliquosque motus constantis et ratos. Quod eo est admirabilius in his stellis, quas dicimus, quia tum occultantur, tum rursus aperiuntur, tum adeunt, tum recedunt, tum antecedunt, tum autem subsequuntur, tum celerius moventur, tum tardius, tum omnino ne moventur quidem, sed ad quoddam tempus insistunt. Quarum ex disparibus motionibus magnum annum mathematici nominaverunt, qui tum efficitur, cum solis et lunae et quinque errantium ad eandem inter se comparationem confectis omnium spatiis est facta conversio. 52. Quae quam longa sit, magna quaestio est, esse vero certam et definitam necesse est. Nam ea, quae Saturni stella dicitur

---

2. *currus* V¹ — 3. *duas* om. P — 4. *confeciat* (*iat* in ras. m. sec.) A; *confici.at* B; *confectat* C E P; *confecta* V — 5. *potest* cod. Glogaviensis. — 6. *tenet* corr. ex *tenit* V — 7. *his*] *iis* V — 8. *officiens* corr. ex *efficiens* V — 9. *aequalitas* (superscr. *bi*) C — *diurnorum* corr. ex *diornorum* A V — 10. *modici tum recessus* om. C — *cum* V¹ — 11. *circumitus* A B P V: *circuitus* C E O. Cf. § 155. — *quinque et sexaginta et trecenti* Iac. Cuiacius: *quinque et sexaginta et trecentorum* A B V; *quinque defectibus et sexaginta et trecentorum* C; *quinque defectibus sexaginta et tricentorum* E; *quinque defectibus est et sexaginta et trecentorum* P — 13. *septentriones* V: *septemtriones* cum ceteris O. Cf. §§ 109. 111. — 14. *ihem* (superscr. in fine *i*) A — 15. *omniumque terra* V¹ — 16. *dicuntur* C¹ — 19. *solem* V¹ — *ac* corr. ex *ad* A B — *tum defectibus in initia recurrendo* h. l. margini addita, infra v. 21 inter *cursu* et *est* inserta et deleta habet B — 20. *aquilonia* cod. Glogaviensis: *aquilenta* 𝔄; *aquilonaris* O — *tum* V: *aut* A B C E P — 21. *inde (iñ)* nos: om. 𝔄 O. Vide Schoemannum Diss. III p. 8, qui supplevit *ita*. — 27. *in is* A B — *dicimus* corr. ex *dicimur* V — 28. *adeunt* Ursinus: *abeunt* 𝔄 — 29. *autem* om. O — 30. *insistit* C — 35. *eaque sat.* A — *saturni* ante rasuram unius litterae B V; *saturnis* A; *saturnia* C E.

Φαίνωνque a Graecis nominatur, quae a terra abest plurimum, xxx fere annis cursum suum conficit, in quo cursu multa mirabiliter efficiens tum antecedendo, tum retardando, tum vespertinis temporibus delitiscendo, tum matutinis rursum se aperiendo, nihil inmutat sempiternis saeclorum aetatibus, quin eadem isdem temporibus efficiat. Infra autem hanc propius a terra Iovis stella fertur, quae Φαέθων dicitur, eaque eundem duodecim signorum orbem annis duodecim conficit easdemque, quas Saturni stella, efficit in cursu varietates. 53. Huic autem proximum inferiorem orbem tenet Πυρόεις, quae stella Martis appellatur, eaque quattuor et viginti mensibus, sex, ut opinor, diebus minus, eundem lustrat orbem, quem duae superiores. Infra hanc autem stella Mercurii est: ea Στίλβων appellatur a Graecis: quae anno fere vertente signiferum lustrat orbem neque a sole longius umquam unius signi intervallo discedit, tum antevertens, tum subsequens. Infima est quinque errantium terraeque proxima stella Veneris, quae Φωσφόρος Graece, Lucifer Latine dicitur, cum antegreditur solem, cum subsequitur autem, Ἕσπερος. Ea cursum anno conficit et latitudinem lustrans signiferi orbis et longitudinem, quod idem faciunt stellae superiores, neque umquam ab sole duorum signorum intervallo longius discedit tum antecedens, tum subsequens. XXI. 54. Hanc igitur in stellis constantiam, hanc tantam tam variis cursibus in omni aeternitate convenientiam temporum non possum intellegere sine mente, ratione, consilio. Quae cum in sideribus inesse videamus, non possumus ea ipsa non in deorum numero reponere. Nec vero eae stellae, quae inerrantes vocantur, non significant eandem mentem atque prudentiam, quarum est cotidiana conveniens constansque conversio, nec habent aetherios cursus neque caelo inhaerentes, ut plerique dicunt physicae rationis ignari. Non est enim aetheris ea natura, ut vi sua stellas conplexa contorqueat; nam tenuis ac perlucens et aequabili calore suffusus aether non satis aptus ad stellas continendas videtur. 55. Habent igitur suam sphaeram stellae inerrantes, ab aetheria coniunctione secretam et liberam. Earum autem perennes cursus atque perpetui cum admirabili incredibilique constantia declarant in his vim et mentem esse divinam, ut, haec ipsa qui non sentiat deorum vim habere, is nihil omnino sensurus esse videatur. 56. Nulla igitur in caelo nec fortuna nec temeritas nec erratio nec vanitas inest, contraque omnis ordo, veritas, ratio, constantia; quaeque his vacant, ementita et falsa plenaque erroris, ea circum terras

---

1. *faenonque* A B E V, *fenonque* C — *qua eterra* C — 3. *delitescendo* V² O. Vid. ad or. p. M. Tullio § 33. — 4. *rursum* corr. in *sursum* V — *saeclorum* V: *seclorum* A P; *saeculorum* B, *seculorum* C E O — 5. *efficiatur* P — 6. *faethon* V, *faeton* A E, *fethon* C, *fethom* B — 7. *duodecim signorum orbem annis* margini ead. m. ascripta habet V — 8. *efficit* C — 9. *pyrois* A B C V, *pirois* E — 10. *oppinor* A — 11. *autem hanc* O — *stellā* B — *mercuri* A B V¹ — 12. *stilbon* A B C E V — *fere feruente* C — 14. *infima* corr. ex *infirma* A V — *errantum* C — 15. *phosphoros* C, *fosforos* A P V, *osforos* (superscr. ab initio *b* in ras.) B, *fossoros* E — *lucifer latine* (*latinae* A V) *dicitur* 𝔄; *Latine dicitur Lucifer* O — 16. *hesperos* A B C P O; *hesperos* superscr. *us* V; *hesperus* E — 18. *a sole* C E — 19. *Hanc igitur -- tantam in tam variis -- in sideribus esse videamus -- reponere* Lactantius Inst. II, 5. — 20. *in* ante *stellis* om. B — 23. *ipsa* superscr. m. sec. in V — *non inde horum* V¹ — *stellae eae* O — 27. *ut* (corr. in *aut* m. sec. rec.) A — 28. *ac*] *hac* A — 32. *declarant* corr. ex *declerant* V — 33. *is*] *his* A E P V¹ — 35. *uanitas* 𝔄: *uarietas* alii. — 36. *ementita* prima litt. ex correctione V; *mentita* post litteram erasam A — *ea* corr. m. sec. in *eunt* V.

infra lunam, quae omnium ultima est, in terrisque versantur. Caelestium ergo admirabilem ordinem incredibilemque constantiam, ex qua conservatio et salus omnium omnis oritur, qui vacare mente putat, is ipse mentis expers habendus est. 57. Haud ergo, ut opinor, erravero, si a principe investigandae veritatis huius disputationis principium duxero.

XXII. Zeno igitur naturam ita definit, ut eam dicat ignem esse artificiosum ad gignendum progredientem via. Censet enim artis maxume proprium esse creare et gignere, quodque in operibus nostrarum artium manus efficiat, id multo artificiosius naturam efficere, id est, ut dixi, ignem artificiosum, magistrum artium reliquarum. Atque hac quidem ratione omnis natura artificiosa est, quod habet quasi viam quandam et sectam, quam sequatur. 58. Ipsius vero mundi, qui omnia conplexu suo coërcet et continet, natura non artificiosa solum, sed plane artifex ab eodem Zenone dicitur, consultrix et provida utilitatum opportunitatumque omnium. Atque ut ceterae naturae suis seminibus quaeque gignuntur, augescunt, continentur, sic natura mundi omnis motus habet voluntarios conatusque et adpetitiones, quas ὁρμάς Graeci vocant, et his consentaneas actiones sic adhibet, ut nosmet ipsi, qui animis movemur et sensibus. Talis igitur mens mundi cum sit ob eamque causam vel prudentia vel providentia appellari recte possit — Graece enim πρόνοια dicitur —, haec potissimum providet et in his maxime est occupata, primum ut mundus quam aptissimus sit ad permanendum, deinde ut nulla re egeat, maxume autem ut in eo eximia pulchritudo sit atque omnis ornatus.

XXIII. 59. Dictum est de universo mundo, dictum etiam est de sideribus, ut iam prope modum appareat multitudo nec cessantium deorum nec ea, quae agant, molientium cum labore operoso ac molesto. Non enim venis et nervis et ossibus continentur, nec iis escis aut potionibus vescuntur, ut aut nimis acres aut nimis concretos umores conligant, nec iis corporibus sunt, ut casus aut ictus extimescant aut morbos metuant ex defetigatione membrorum: quae verens Epicurus monogrammos deos et nihil agentes commentus est. 60. Illi autem pulcherrima forma praediti purissimaque in regione caeli collocati ita feruntur moderanturque cursus, ut ad omnia conservanda et tuenda consensisse videantur. Multae autem aliae naturae deorum ex magnis beneficiis eorum non sine causa et a Graeciae sapientissimis et a maioribus nostris constitutae nominataeque sunt. Quicquid enim magnam utilitatem generi

---

1. *uersantur* C: *uersatur* A B E P V (ante rasuram quattuor vel quinque litterarum A) — *caelestium* cod. Glogaviensis: *caelestem* 𝔄 — 3. *ipse* corr. ex *ipsi* V — 4. *haut* A; *aut* corr. in *haud* B — 9. *id* post rasuram duarum litterarum A — *artificiosius ut naturam* P — 10. *ac* (superscr. *h*) A V — 12. *complexus uoco coercet* P — 13. *cohercet* E V (in V litt. *h* expuncta est) — 14. *oportunitatumque* B C E — 15. *quaeque* A E: *quaequae* B C P V O. Cf. Madvig ad Cic. de Fin. p. 656. — 16. *continent* (eraso in fine compendio syll. *ur*) B — 17. *uolumtarios* A — *hormas* 𝔄 — *his* corr. in *is* B; *is* A P — 18. *mouetur* V[1] — 20. *uel prouidentia* in marg. m. sec. V — *pronoea* 𝔄 (*pronea* A) — 21. *in iis* B — 25. *Dictum est -- pluribus verbis explicatus est* (§ 63) om. P — *etiam est* A B V: *etiam* C; *est etiam* E O — 26. *prope mundum* B[1] C — *necessantium* A — 27. *mollentiā* A; *molentium* (post *l* superscr. *i*) B — 28. *uenis et* B V (in B corr. ex *uenisset*, in V ex *uenis nec*): *uenis sed* A C E — *nec hiis* B; *nec his* A C V; *nec hys* E — *aescis* A C — 29. *agres* A V[1] — *um.* B[1]: *hum.* O — 30. *nec is* A; *nec hiis* B; *nec his* C V; *nec hys* E — *ut aut casus* O — 31. *defetigatione* A B V[1]: *defatigatione* C V[2] O (in C *fa* ex correctione); *deuatigatione* E.

adferret humano, id non sine divina bonitate erga homines fieri arbitrabantur. Itaque tum illud, quod erat a deo natum, nomine ipsius dei nuncupabant, ut cum fruges Cererem appellamus, vinum autem Liberum, ex quo illud Terentii:

Sine Cerere et Libero friget Venus:

61. tum autem res ipsa, in qua vis inest maior aliqua, sic appellatur, ut ea ipsa nominetur deus, ut Fides, ut Mens, quas in Capitolio dedicatas videmus proxime a M. Aemilio Scauro, ante autem ab Atilio Calatino erat Fides consecrata. Vides Virtutis templum, vides Honoris a M. Marcello renovatum, quod multis ante annis erat bello Ligustico a Q. Maximo dedicatum. Quid Opis? quid Salutis? quid Concordiae, Libertatis, Victoriae? quarum omnium rerum quia vis erat tanta, ut sine deo regi non posset, ipsa res deorum nomen optinuit. Quo ex genere Cupidinis et Voluptatis et Lubentinae Veneris vocabula consecrata sunt, vitiosarum rerum neque naturalium, quamquam Velleius aliter existimat, sed tamen ea ipsa vitia naturam vehementius saepe pulsant. 62. Utilitatum igitur magnitudine constituti sunt ei di, qui utilitates quasque gignebant. Atque his quidem nominibus, quae paulo ante dicta sunt, quae vis sit, in quoque declaratur deo. XXIV. Suscepit autem vita hominum consuetudoque communis ut beneficiis excellentis viros in caelum fama ac voluntate tollerent. Hinc Hercules, hinc Castor et Pollux, hinc Aesculapius, hinc Liber etiam — hunc dico Liberum Semela natum, non eum, quem nostri maiores auguste sancteque Liberum cum Cerere et Libera consecraverunt, quod quale sit ex mysteriis intellegi potest. Sed quod ex nobis natos liberos appellamus, idcirco Cerere nati nominati sunt Liber et Libera, quod in Libera servant, in Libero non item —, hinc etiam Romulus, quem quidem eundem esse Quirinum putant: quorum cum remanerent animi atque aeternitate fruerentur, rite di sunt habiti, cum et optimi essent et aeterni.

63. Alia quoque ex ratione et quidem physica magna fluxit multitudo deorum, qui induti specie humana fabulas poëtis suppeditaverunt, hominum autem vitam superstitione omni referserunt. Atque hic locus a Zenone tractatus post a Cleanthe et Chrysippo pluribus verbis explicatus est. Nam vetus haec opinio Graeciam opplevit, exsectum Caelum a filio Saturno, vinctum autem Saturnum ipsum a filio Iove. 64. Physica ratio non inelegans inclusa est in impias fabu-

---

2. *natum* 𝔄: *donatum* cod. Glogaviensis, O. Cf. § 62. de Offic. II § 16. — 3. *noncupabant* A — *fruges cererem* corr. ex *frugescere* V — 4. *terenti* B V¹ — 6. *inest maior -- ea ipsa* in marg. habet B — *alique* A¹ — 7. *ipsa* B: *ipsa ui* V¹; *ipsa uis* A C E V² O — 9. *fides* 𝔄: *Spes* Lambinus, O — *uides -- uides* V²: *uides -- uide* A B V¹, *uide -- uide* C E — 10. *multis* 𝔄: *nonnullis* Davisius; *haud multis* Bouhier; *non multis* alii. — *legustico* A B¹ V¹ — *q.* ex correctione habet V; *quę* A — 16. *natura* A — 18. *atque is -- qui paulo* A — 19. *Suscepit autem -- Castor, hinc Pollux, -- hinc Liber* Lactantius Inst. I, 15. — 21. *ercules* A — 22. *semela* V: *semel* (superscr. in fine m. sec. *e*) A; *semele* B C E (litt. ultima ex correctione B, ante rasuram unius litterae C) — 23. *augustae* A V¹ — *sanctaeque* A C — 24. *ministeriis* V — 26. *libera -- libero* 𝔄: *Libero -- Libera* O — 27. *romulum* 𝔄 — *quidem* E V: *quidam* A B C — 28. *entur* om. V¹ — *dii rite* O — 29. *et* ante *optimi* om. C — 31. *inducti* 𝔄 — 32. *uita* C — 33. *cleante* A E V — *crisippo* A C E V 34. *oppleuit* (corr. ex *oppleuisse*) V: *oppleuisset* A B C; *appleuisset* E; *oppleuit scilicet* alii; *opplevit, esse* Heindorfius. — 35. *caelum* corr. m. sec. in *caelium* V — 36. *incussa* B — *impia fabula* (ante erasam litteram) C.

las; caelestem enim altissimam aetheriamque naturam, id est igneam, quae per sese omnia gigneret, vacare voluerunt ea parte corporis, quae coniunctione alterius egeret ad procreandum. XXV. Saturnum autem eum esse voluerunt, qui cursum et conversionem spatiorum ac temporum contineret, qui deus Graece id ipsum nomen habet; Κρόνος enim dicitur, qui est idem χρόνος, id est spatium temporis. Saturnus autem est appellatus, quod saturaretur annis; ex se enim natos comesse fingitur solitus, quia consumit aetas temporum spatia annisque praeteritis insaturabiliter expletur, vinctus autem a Iove, ne inmoderatos cursus haberet atque ut eum siderum vinclis alligaret. Sed ipse Iupiter, id est iuvans pater, quem conversis casibus appellamus a iuvando Iovem, a poëtis «pater divumque hominumque» dicitur, a maioribus autem nostris optumus maxumus, et quidem ante optumus, id est beneficentissimus, quam maxumus, quia maius est certeque gratius prodesse omnibus quam opes magnas habere. 65. Hunc igitur Ennius, ut supra dixi, nuncupat ita dicens,

Aspice hoc sublimen candens, quem invocant omnes Iovem:

planius quam alio loco idem,

Cui, quod in me est, exsecrabor hoc, quod lucet, quicquid est:

hunc etiam augures nostri, cum dicunt Iove fulgente, tonante: dicunt enim caelo fulgente, tonante. Euripides autem, ut multa praeclare, sic hoc [breviter]:

Vides sublime fusum, inmoderatum aethera,
Qui terram tenero circumiectu amplectitur?
Hunc summum habeto divum, hunc perhibeto Iovem.

XXVI. 66. Aër autem, ut Stoici disputant, interiectus inter mare et caelum Iunonis nomine consecratur, quae est soror et coniunx Iovis, quod ei similitudo est aetheris et cum eo summa coniunctio. Effeminarunt autem eum Iunonique tribuerunt, quod nihil est eo mollius. Sed Iunonem a iuvando credo nominatam. Aqua restabat et terra, ut essent

---

1. *caelestem altissimam -- ad procreandum* Lactantius Inst. I, 12. — *caelestum* A E — 3. *affirmant eum esse Saturnum, qui cursum -- continet eumque graece -- habere. Κρόνος enim dicitur, quod est idem quod χρόνος, -- saturetur annis* Lactantius Inst. I, 12. — 4. *conuersacionem* P — 5. *cronos* A B P V; *oronos* C; *orones* E — 6. *chronos* 𝔄 — 8. *aetates* (*ates* in rasura) B — 10. *iuppiter* B C — 11. *pater quem* C E P et margo V: *partemque* A; *pater quae* B V (utraque vox in V erasa est, in B inter *a* et *t* littera erasa et *ae* in *ẽ* corr.) — *adiuuando* (priore *d* erasa) B — 12. *diuomque* B; *diuinumque* P — 13. *maxumus* superscr. *musque* V — *id est* ead. m. superscr. in B; om. C — 17. *sublime* 𝔄 (*suplime* B, *supplime* P) O. Vide § 4. — 19. *planius quam* B: *planius quem* A V (in V litt. *m.* expuncta); *planiusque* E; *Pleniusque* C — 20. *lucet* corr. ex *licet* V — 22. *ioue fulgente et tonante* B; *iouem fulgentem tonantem* P — 23. *caelo* B: *celo* corr. m. sec. ex *melo* A; *melo* C E P V — *fulgente tonante* E: *fulgentae tonantae* A; *fulgente et tonante* B C P V — *eurippides* A C V — 24. *breviter* seclusi cum Davisio et Heindorfio. — 26. *tenero terram* O — *circumuectu* E — 27. *peribeto* (superscr. *h*) A — 28. *Aër autem -- nominatam* (v. 32) Probus Schol. in Vergil. Bucol. p. 12 ed. Keil. — 29. *coniunx* B C E V et Probus: *coniux* AO — 30. *ei* Probus: *et* 𝔄 — *est aeris et* Probus. — *effeminauerunt* B; *effeminarent* P — 31. *est* om. C — *eo*] *illo* Probus. — Malim *mollius, et Iunonem,* nisi totum hoc colon *Sed Iunonem -- nominatam* insiticium est. — 32. *aiuuando* corr. in *adiuuando* A; *adiuuando* corr. in *a iuuando* B.

ex fabulis tria regna divisa. Datum est igitur Neptuno, alteri Iovis, ut volunt, fratri, maritimum omne regnum, nomenque productum, ut Portunus a portu, sic Neptunus a nando, paulum primis litteris immutatis. Terrena autem vis omnis atque natura Diti patri dedicata est, qui Dives, ut apud Graecos *Πλούτων*, quia et recidunt omnia in terras et oriuntur e terris. Cui *nuptam dicunt* Proserpinam, quod Graecorum nomen est; ea enim est, quae *Περσεφόνη* Graece nominatur, quam frugum semen esse volunt absconditamque quaeri a matre fingunt. 67. Mater autem est a gerendis frugibus Ceres, tamquam Geres, casuque prima littera itidem immutata, ut a Graecis; nam ab illis quoque *Δημήτηρ* quasi *Γῆ μήτηρ* nominata est. Iam qui magna verteret Mavors, Minerva autem, quae vel minueret vel minaretur. XXVII. Cumque in omnibus rebus vim haberent maxumam prima et extrema, principem in sacrificando Ianum esse voluerunt, quod ab eundo nomen est ductum, ex quo transitiones perviae iani foresque in liminibus profanarum aedium ianuae nominantur. Nam Vestae nomen a Graecis — ea est enim, quae ab illis *Ἑστία* dicitur —, vis autem eius ad aras et focos pertinet. Itaque in ea dea, quod est rerum custos intumarum, omnis et precatio et sacrificatio extrema est. 68. Nec longe absunt ab hac vi di Penates sive a penu ducto nomine — est enim omne, quo vescuntur homines, penus — sive ab eo, quod penitus insident, ex quo etiam penetrales a poëtis vocantur. Iam Apollinis nomen est Graecum, quem solem esse volunt, Dianam autem et Lunam eandem esse putant, cum sol dictus sit, vel quia solus ex omnibus sideribus est tantus vel quia, cum est exortus, obscuratis omnibus solus apparet, Luna a lucendo nominata sit; eadem est enim Lucina. Itaque, ut apud Graecos Dianam eamque Luciferam, sic apud nostros Iunonem Lucinam in pariendo invocant, quae eadem Diana omnivaga dicitur, non a venando, sed quod in septem numeratur tamquam vagantibus. 63. Diana dicta, quia noctu quasi diem efficeret; adhibetur autem ad partus, quod ii maturescunt aut septem non numquam aut, ut plerumque, novem lunae cursibus, qui quia mensa spatia conficiunt menses nominantur. Concinneque, ut multa, Timaeus, qui cum in historia dixisset, qua nocte natus Alexander esset, eadem Dianae Ephesiae templum deflagravisse,

---

1. *alteri* (*i* in rasura duarum litterarum) A: *alterum* B C E; *altero* P V O (*o* in ras. duar. litt. V) — *ut uolumus* V¹ — 3. *portu* B C P (corr. ex *porta* B C): *porta* A E V — *primus* V¹ — 4. *Terrena autem* - - *e terris* Probus l. l. — 5. *ut* superscr. m. sec. in C — *aput* B E — *pluton* 𝔄 — *recidunt* A et Probus: *recidant* B C E P V O — *terram. Sed* C; *terram sed* P; *terris et* E — *oriuntur* A B C P V et Probus: *oriantium* E; *oriantur* O — 6. *cui proserpinam* A B E V; *cui proserpina* C P; *Is rapuit Proserpinam* e codice Maffaei O. Supplementum *nuptam dicunt* debetur codici Regio Davisii, in quo additum est post *nomen est*. — *quod Graecorum* et *ea enim est* om. C — 7. *persefone* A B C V, *persephone* E — 9. *caeres* A — 10. *demeter quasi gemeter* 𝔄 — 12. *habere* V — 13. *primā* C — 14. *quod habeundo* A — *dictum* C — 15. *aedium ianae* C — 16. *ueste* A B C V — *graecis* 𝔄: *Graecis est* Lambinus, O — *hestia* A C E V; *aestia* B — 17. *quod* A B C P V: *que* E, *quae* O — 19. *longe* ante rasuram duarum litterarum A — *uidi* corr. in *diui* B — *ductu* P V¹ — 20. *uescunt* A P V¹ — 24. *Luna a lucendo nominata, eadem Lucina* - - *menses nominati* Probus l. l. p. 20. — 26. *aput* post *ut* B E — *aput* post *sic* A — *nostros* A B E V: *nostras* C; *nos* O — 28 *sed quod semper vagatur tamquam venantibus* Probus. — *numeratur* corr. m. sec. in *numeretur* V — 29. *quod ii* corr. m. sec. ex *quodi* V; *quod* (superscr. *ii*) B; *quod* (superscr. *hi*) C; *quo dy* E; *ii* om. Probus. — 30. *non unquam* C E — *ut* om. Probus. — 33. *esset Alexander* O — *dianae ephesianae* A; *dianā effesiā* (*ā* utroque loco in rasura) B, *dianae efesiae* C, *dianae effesie* E, *dianae effesiae* V — *templo* corr. ex *tem-*

adiunxit minime id esse mirandum, quod Diana, cum in partu Olympiadis adesse voluisset, afuisset domo. Quae autem dea ad res omnes veniret, Venerem nostri nominaverunt, atque ex ea potius venustas quam Venus ex venustate. XXVIII. 70. Videtisne igitur, ut a physicis rebus bene atque utiliter inventis tracta ratio sit ad commenticios et fictos deos? quae res genuit falsas opiniones erroresque turbulentos et superstitiones paene aniles; et formae enim nobis deorum et aetates et vestitus ornatusque noti sunt, genera praeterea, coniugia, cognationes, omniaque traducta ad similitudinem inbecillitatis humanae; nam et perturbatis animis inducuntur: accepimus enim deorum cupiditates, aegritudines, iracundias, nec vero, ut fabulae ferunt, bellis proeliisque caruerunt, nec solum, ut apud Homerum, cum duo exercitus contrarios alii dei ex alia parte defenderent, sed etiam, ut cum Titanis, ut cum Gigantibus, sua propria bella gesserunt. Haec et dicuntur et creduntur stultissime et plena sunt futilitatis summaeque levitatis. 71. Sed tamen his fabulis spretis ac repudiatis deus pertinens per naturam cuiusque rei, per terras Ceres, per maria Neptunus, alii per alia, poterunt intellegi qui qualesque sint, quoque eos nomine consuetudo nuncupaverit, hoc eos et venerari et colere debemus. Cultus autem deorum est optimus idemque castissimus atque sanctissimus plenissimusque pietatis, ut eos semper pura, integra, incorrupta et mente et voce veneremur. Non enim philosophi solum, verum etiam maiores nostri superstitionem a religione separaverunt. 72. Nam qui totos dies precabantur et immolabant, ut sibi sui liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati, quod nomen patuit postea latius. Qui autem omnia, quae ad cultum deorum pertinerent, diligenter retractarent et tamquam relegerent, sunt dicti religiosi

---

plum B; *templum* (superscr. m. sec. *templa*) V — *deagrauisse* A; *demigrauisse* (*mi* ex correctione) B; *deam migrauisse* (superscr. m. sec. *deflagrauisse*) V — 1. *adiuncxit* A — *cartu* V^1 — *olimpiadis* A B V; *olimpiades* C — 2. *afuisse* A^1 B C^1 V^1; *abfuisse* C^2; *affuisse* E; *abfuisset* A^2 V^2 O — 4. *Videtisne igitur* -- *summaeque levitatis* Augustinus de civit. dei IV, 30: *Videtisne igitur* -- *commenticios et fictos* -- *cognationes omnes omniaque* -- *imbecillitatis humanae* Lactantius Inst. I, 17. — 5. *ratio sit tracta* Augustinus. — *fictos* (superscr. sec. m. *ficticios*) V — 6. *errorisque* V — 10. *accepimus* Augustinus: *accipimus* 𝔄. Cf. III. § 42. 47. — 11. *ferunt, di bellis* Augustinus. — *praeliisque* A^1 B C V, *preliisque* E — *caluerunt* C — 12. *aput* A — *duos* A^2 E — *ali* V^1 — 13. *sed etiam cum titanis et cum* C — *titanis* corr. ex *timannis* V; *tițĩa.nis* A — *ut cum* (superscr. m. sec. *id est*) *gigantibus* V; *et cum gigantibus* C; *aut cum Gigantibus* Augustinus. — 14. *credentur* (superscr. *u*) A — 15. *furtilitatis* (litt. *r* erasa) A; *futilitatis* corr. ead. m. in *futtilitatis* B; *inutilitatis* corr. in *futilitatis* C; *facilitatis* E; *futilitatis* (littera post *u* erasa et *l* corr. ex *c*) V; *uanitatis* Augustinus. — *summeque* B C — *hiis* V; *iis* A C — 17 *poterunt* corr. in *poterant* B; *poterant* A — 18. *sint* E: *sunt* A B C V — *hoc eos* Osw. Theod. Keil (Quaestt. Tullian. Spec. p. XXII): *quos deos* A B C E; *hos* (corr. ex *quos*) *deos* V O — 21. *Non enim* -- *ut sui sibi liberi* -- *sunt appellati. Qui autem* -- *pertinerent, retractarent* -- *relegerent, ii dicti sunt religiosi ex relegendo, tamquam ex eligendo elegantes, et ex diligendo* -- *enim verbis* -- *alterum laudis* Lactantius Inst. IV, 28; *non enim* -- *superstitionem religione* -- *tota die precatus et inmolabat* -- *retractarent et aliquam rem eligerent, hi sunt religiosi ex eligendo* Nonius p. 431; *Non enim* -- *superstitiosi sunt appellati* Augustinus de civit. dei IV, 30. — 23. *separauerant* Augustini cod. Corbeiensis. — 23. *Superstitiosos ait Cicero appellatos, qui totos dies precabantur et immolabant, ut sibi sui liberi superstites essent* Isidorus Hispal. Origg. X, 244. — 24. *sui sibi* E O — 25. *Religiosus ait Cicero a relegendo appellatus, qui retractat et tamquam relegit ea quae ad cultum divinum pertinent. Hi sunt dicti relegiosi ex relegendo tamquam ex eligendo eligentes, ex diligendo diligentes, ex intellegendo intellegentes* Isidorus (corr. ex cod. Frisingensi) X, 234. — 26. *diligenter retractarent* om. A^1 — *religiosi*

ex relegendo [elegantes ex eligendo], tamquam ex diligendo diligentes, ex intellegendo intellegentes; his enim in verbis omnibus inest vis legendi eadem, quae in religioso. Ita factum est in superstitioso et religioso alterum vitii nomen, alterum laudis. Ac mihi videor satis et esse deos et quales essent ostendisse.

XXIX. 73. Proximum est ut doceam deorum providentia mundum administrari. Magnus sane locus est et a vestris, Cotta, vexatus, ac nimirum vobiscum omne certamen est. Nam vobis, Vellei, minus notum est, quem'ad modum quidque dicatur; vestra enim solum legitis, vestra amatis, ceteros causa incognita condemnatis. Velut a te ipso hesterno die dictum est anum fatidicam πρόνοιαν a Stoicis induci [id est providentiam]. Quod eo errore dixisti, quia existumas ab iis providentiam fingi quasi quandam deam singularem, quae mundum omnem gubernet et regat; sed id praecise dicitur. 74. Ut, si quis dicat Atheniensium rem publicam consilio regi, desit illud «Ariopagi», sic, cum dicimus providentia mundum administrari, deesse arbitrato «deorum». Plene autem et perfecte sic dici existimato, providentia deorum mundum administrari. Ita salem istum, quo caret vestra natio, inridendis nobis nolitote consumere, et me hercle, si me audiatis, ne experiamini quidem. Non decet, non datum est, non potestis. Nec vero hoc in te unum convenit, ** moribus domesticis ac nostrorum hominum urbanitate limatum, sed cum in reliquos vestros, tum in eum maxime, qui ista peperit, hominem sine arte, sine litteris, insultantem in omnes, sine acumine ullo, sine auctoritate, sine lepore. XXX. 75. Dico igitur providentia deorum mundum et omnes mundi partes et initio constitutas esse et omni tempore administrari, eamque disputationem tris in partes nostri fere dividunt, quarum prima [pars] est, quae ducitur ab ea ratione, quae docet esse deos, quo concesso confitendum est eorum consilio mundum administrari. Secunda est autem, quae docet omnes res subiectas esse naturae sentienti

---

ex legendo, *elegantes ex eligendo tamquam legendo delegendis. ex intellegendo intellegentes* A; *relegiosi* (altera *e* in rasura) *ex relegendo elegantes ex elegendo tamquam legendo delegendis ex intellegendo intellegentes* B; *religiosi ex relegando. elegantes ex legendo tanquam legendo delegendis. ex intellegendo intellegentes* C; *religiosi ex relegendo delegendis ex intelligendo intelligentes* (mediis omissis) E; *religiosi ex relegendo* (superscr. *ut*) *elegantes* (litterae *a* superscr. *e*) *ex eligendo. tamquam a deligendo deligentes. ex intellegendo intellegentes (tamquam -- intellegendo* ead. m. in margine) V; *religiosi ex relegendo, ut elegantes ex eligendo, tamquam a diligendo diligentes, ex intelligendo intelligentes* O. Verba *elegantes ex eligendo* seclusi cum Klotzio; illis servatis cum cod. Glogaviensi *itemque* scripsit Schoemannus pro *tamquam*. — 2. *inest uis* corr. ex *in aestuis* V — 3. *eademque in* A — *et religioso* om. V¹ — 4. *uideor* corr. m. sec. in *uidetur* V — 7. *est* om. V O — 10. *incognito* V¹ — 11. *pronoean* 𝔄 — *id est providentiam* spuria censuit Ursinus, del. Davisius. — 12. *existumas* A V: *existimes* (superscr. *a*) B; *existimabas* C E — *ab his* B E O — 15. *ariopagi* A E: *arpagi* B C V — *prouidentiā* B — 16. *mundudum* V¹ — *arbitrator* O. Cf. Madvig Opusc. Acad. II p. 241. — *deeorum* V¹ — 19. *meercle* A; *merculae* B¹; *mehercule* B² E V; *me ercule* C — 20. *hoc* om. C E — *in te uno -- limato* 𝔄 — *unum* aut plane delendum aut certe hoc modo transponendum esse censuit Kindervater: *neque vero hoc in te convenit, unum -- limatum,* i e. prae ceteris limatum. «Locus omissione verborum propter similitudinem corruptus. Scrib. *Nec vero hoc in te unum convenit*, vel potius in te unum non convenit, *moribus domesticis ac nostrorum hominum urbanitate limatum, sed* cet. Adiectio illa *moribus -- limatum* ridicule coniungitur cum illis *nec vero hoc in te unum convenit*, quae significant, convenire tamen.» Madvig. — 22. *aperit* (litterae *a* superscr. *pe*) B — 23. *actoritate* A V — 27. *pars* Ernestio auctore seclusi.

ab eaque omnia pulcherrume geri, quo constituto sequitur ab animantibus principiis ea esse generata. Tertius est locus, qui ducitur ex admiratione rerum caelestium atque terrestrium.

76. Primum igitur aut negandum est esse deos, quod et Democritus simulacra et Epicurus imagines inducens quodam pacto negat, aut, qui deos esse concedant, iis fatendum est eos aliquid agere idque praeclarum; nihil est autem praeclarius mundi administratione: deorum igitur consilio administratur. Quod si aliter est, aliquid profecto sit necesse est melius et maiore vi praeditum quam deus, quale id cumque est, sive inanima natura sive necessitas, vi magna incitata haec pulcherrima opera efficiens, quae videmus. 77. Non est igitur natura deorum praepotens neque excellens, si quidem ea subiecta est ei vel necessitati vel naturae, qua caelum, maria, terrae regantur; nihil est autem praestantius deo: ab eo igitur mundum necesse est regi. Nulli igitur est naturae oboediens aut subiectus deus: omnem ergo regit ipse naturam. Etenim si concedimus intellegentes esse deos, concedimus etiam providentes, et rerum quidem maxumarum. Ergo utrum ignorant, quae res maxumae sint quoque eae modo tractandae et tuendae, an vim non habent, qua tantas res sustineant et gerant? At et ignoratio rerum aliena naturae deorum est et sustinendi muneris propter inbecillitatem difficultas minime cadit in maiestatem deorum: ex quo efficitur id quod volumus, deorum providentia mundum administrari. XXXI. 78. Atqui necesse est, cum sint di, si modo sunt, ut profecto sunt, animantis esse, nec solum animantis, sed etiam rationis compotes inter seque quasi civili conciliatione et societate coniunctos, unum mundum ut communem rem publicam atque urbem aliquam regentis. 79. Sequitur ut eadem sit in iis, quae humano in genere, ratio, eadem veritas utrobique sit eademque lex, quae est recti praeceptio pravique depulsio. Ex quo intellegitur prudentiam quoque et mentem a deis ad homines pervenisse, ob eamque causam maiorum institutis mens, fides, virtus, concordia consecratae et publice dedicatae sunt. Quae qui convenit penes deos esse negare, cum eorum augusta et sancta simulacra veneremur? Quod si inest in hominum genere mens, fides, virtus, concordia, unde haec in terram nisi ab superis defluere potuerunt? cumque sint in nobis consilium, ratio, prudentia, necesse est deos haec ipsa habere maiora, nec habere solum, sed etiam his uti in maxumis et optumis rebus. 80. Nihil autem nec maius nec

---

1. *pulcherume* A; *pulchrume* V — *quo* corr. ex *quod* A B V — 2. *ea esse generata* Bouhier: *eam esse generatam* 𝔄 — *locus est* O — *dicitur* A C V — 4. *aut* corr. ex *at* A — 6. *iis* corr. ex *is* V; *is* A; *his* C E — 8. *sit necesse est melius* A B C: *sit necesse est melius esse* E; *sit necesse est esse* (*esse* superscr.) *melius* V; *necesse est esse melius* O — 9. *deus* (corr. ex *deos*) B: *deos* A B E V O — 10. *inanima* corr. m. sec. in *inanimata* V — *ui* corr. ex *sui* V — 11. *deorum natura* E — 13. *nihil est praestantius deo: ab eo igitur mundum regi necesse est. Nulli -- ipse naturam* Lactantius Inst. I, 5. — 14. *necesse est mundum* O — *mundundum* V^1 — 18. *eae modo* A B: *eae emodo* V^1; *ea modo* C; *hee modo* E — *qua*] *qui* A C — 23. *modo sunt* cod. Glogaviensis: *modo sint* 𝔄 — *profecto sint* V^1 — 24. *competes* V^1 — 26. *in iisque* A; *in his quae* V — 27. *humano in genere* A B C V: *in humano genere* E; *in genere humano* O — 27. *ueritas* 𝔄: *uirtus* alii. — 30. *publicae* A V — 33. *terras* O — *ab superis* A C V: *ab his superis* B; *a superis* E O — 36. *uti* corr. m. sec. ex *ut* V — *oblumis* A, *oblimis* B — *autem* A B C E V^1: *autem est* V^2; *est autem* O.

melius mundo: necesse est ergo eum deorum consilio et providentia administrari. Postremo cum satis docuerimus hos esse deos, quorum insignem vim et inlustrem faciem videremus, solem dico et lunam et vagas stellas et inerrantes et caelum et mundum ipsum et earum rerum vim, quae inessent in omni mundo cum magno usu et commoditate generis humani, efficitur omnia regi divina mente atque prudentia. Ac de prima quidem parte satis dictum est.

XXXII. 81. Sequitur ut doceam omnia subiecta esse naturae eaque ab ea pulcherrime geri. Sed quid sit ipsa natura explicandum est ante breviter, quo facilius id, quod docere volumus, intellegi possit. Namque alii naturam esse censent vim quandam sine ratione cientem motus in corporibus necessarios, alii autem vim participem rationis atque ordinis tamquam via progredientem declarantemque, quid cuiusque rei causa efficiat, quid sequatur, cuius sollertiam nulla ars, nulla manus, nemo opifex consequi possit imitando; seminis enim vim esse tantam, ut id, quamquam sit perexiguum, tamen, si inciderit in concipientem conprehendentemque naturam nanctumque sit materiam, qua ali augerique possit, ita fingat et efficiat in suo quidque genere, partim ut tantum modo per stirpes alantur suas, partim ut moveri etiam et sentire et appetere possint et ex sese similia sui gignere. 82. Sunt autem qui omnia naturae nomine appellent, ut Epicurus, qui ita dividit, omnium, quae sint, naturam esse corpora et inane quaeque iis accidant. Sed nos cum dicimus natura constare administrarique mundum, non ita dicimus, ut glaebam aut fragmentum lapidis aut aliquid eius modi, nulla cohaerendi natura, sed ut arborem, ut animal, in quibus nulla temeritas, sed ordo apparet et artis quaedam similitudo.

XXXIII. 83. Quod si ea, quae a terra stirpibus continentur, arte naturae vivunt et vigent, profecto ipsa terra eadem vi continetur, quippe quae gravidata seminibus omnia pariat et fundat ex sese, stirpes amplexa alat et augeat ipsaque alatur vicissim a superis externisque naturis; eiusdemque exspirationibus et aër alitur et aether et omnia supera. Ita, si terra natura tenetur et viget, eadem ratio in reliquo mundo est; stirpes enim terrae inhaerent; animantes autem adspiratione aëris sustinentur, ipseque aër nobiscum videt, nobiscum audit, nobiscum sonat; nihil enim eorum sine eo fieri potest. Quin etiam movetur nobiscum; quacumque enim imus, quacumque movemur, videtur quasi locum dare et cedere. 84. Quaeque in medium locum mundi, qui est infimus, et quae a medio in superum quaeque conversione rutunda circum medium feruntur, ea

---

1. *eum* om. B¹ — 5. *in* om. A — 6. *regi* om. B¹ — 8. *eaque* corr. ex *aeaque* V — 9. *regi* E O — 10. *quo facilius id, quod docere volimus, intellegi possit* Priscianus IX, 1, 8. — 15. *emitando* V¹ — 16. *conprendentemque* A V¹, *conpraehendentemque* B — 17. *nanctumque* A C V¹: *nantumque* corr. in *nactumque* B; *nactum* E; *nactumqüe* V² O — *qua ali* in ras. m. sec. A; *quali* C — 18. *quicque* (corr. m. sec. in *quidque*) V; *quinque* (corr. in *quicque*) B; *quaeque* A; *quoque* E — 19. *possent* B C V¹ — 20. *sui similia* O — 22. *et inane quaeque et inane iis* A — *his* B E O — 23. *glaebam* A; *claebam* (corr. in *glebam*) V; *glebam* B C E O — 24. *cohaerendi* corr. ex *coercendi* B — 28. *continetur* Davisius: *continetur arte naturae* 𝔄; *continetur et arte naturae* O — 30. *uicissima a* (priore *a* deleta) V — *eiusdemqui* A — 31. *et caer* (superscr. *h* inter *a* et *e*) A; *aer* (om. *et*) in ras. m. sec. V — *et ethaer* A — *supera* corr. ex *supra* V — *Ita* om. C — 34. *ipseque aer - - nobiscum sonat* om. V¹ — 36. *quacumque mouemur* B V: *qua mouemur* A C E — 38. *rut.* AV¹: *rot.* O.

continentem mundi efficiunt unamque naturam. Et cum quattuor genera sint corporum, vicissitudine eorum mundi continuata natura est; nam ex terra aqua, ex aqua oritur aër, ex aëre aether; deinde retrorsum vicissim ex aethere aër, inde aqua, ex aqua terra infima. Sic naturis iis, ex quibus omnia constant, sursus deorsus, ultro citro commeantibus mundi partium coniunctio continetur. 85. Quae aut sempiterna sit necesse est hoc eodem ornatu, quem videmus, aut certe perdiuturna, permanens ad longinquum et inmensum paene tempus. Quorum utrumvis ut sit, sequitur natura mundum administrari. Quae enim classium navigatio aut quae instructio exercitus aut rursus, ut ea, quae natura efficit, conferamus, quae procreatio vitis aut arboris, quae porro animantis figura conformatioque membrorum tantam naturae sollertiam significat, quantam ipse mundus? Aut igitur nihil est, quod sentiente natura regatur, aut mundum regi confitendum est. 86. Etenim qui reliquas naturas omnes earumque semina contineat qui potest ipse non natura administrari? ut, si qui dentes et pubertatem natura dicat existere, ipsum autem hominem, cui ea existant, non constare natura, non intellegat ea, quae ecferant aliquid ex sese, perfectiores habere naturas quam ea, quae ex iis ecferantur.

XXXIV. Omnium autem rerum, quae natura administrantur, seminator et sator et parens, ut ita dicam, atque educator et altor est mundus omniaque sicut membra et partes suas nutricatur et continet. Quod si mundi partes natura administrantur, necesse est mundum ipsum natura administrari, cuius quidem administratio nihil habet in se quod reprehendi possit; ex iis enim naturis, quae erant, quod effici optimum potuit effectum est. 87. Doceat ergo aliquis potuisse melius; sed nemo umquam docebit et, si quis corrigere aliquid volet, aut deterius faciet aut id, quod fieri non potuerit, desiderabit. Quod si omnes mundi partes ita constitutae sunt, ut neque ad usum meliores potuerint esse neque ad speciem pulchriores, videamus, utrum ea fortuitane sint an eo statu, quo cohaerere nullo modo potuerint nisi sensu moderante divinaque providentia. Si igitur meliora sunt ea, quae natura, quam illa, quae arte perfecta sunt, nec ars efficit quicquam sine ratione, ne natura quidem rationis expers est habenda. Qui igitur convenit, signum aut tabulam pictam cum aspexeris, scire adhibitam esse artem, cumque procul cursum navigii videris, non dubitare quin id ratione atque arte moveatur, aut cum

1. *sint genera* O — 4. *inde* 𝔄 : *ex aëre* O — 5. *iis* C : *hiis* B ; *is* A V ; *hys* E ; *his* O — *sursum deorsum* O — 7. *perdiuturna* (syll. *per* expuncta) B ; *diuturna* A — 13. *nihil igitur* O — 17. *ea quae* B E : *eaque* A C V — 18. *ecferant* nos : *et ferant* A C ; *haec ferant* (litt. *n* expuncta) B ; *hec ferant* E ; *eo ferant* V ; *efferant* O. Vide ad p. 257, 19. — Post *aliquid* in A C V sequuntur verba *largitate fundit* (§ 156) usque ad finem huius libri ; in V verba *ex sese perfectiores -- non modo nihil nocent* (§ 92) desunt. Cf. p. 369 sq et p. 406, 29. — 19. *ex his* 𝔄 — *ecferantur* nos : *efferantur* 𝔄 O — 20. *omnium autem rerum -- omniaquae sicut membra et partis suas -- continet* Nonius p. 478. — 21. *adque* A^1 — 22. *omniaque -- et continet* Priscianus VIII, 14, 77. — 25. *ex his* 𝔄 — 27. *faciet* B : *facit* A C E — 28. *non* om. A C E, superscriptum habet B — 29. *ad usum -- esse neque* om. A^1 — 30. *fortuita ne* corr. m. sec. in *fortuita necne* C — 32. *igitur* 𝔄 : *ergo* O — *natura* corr. ex *nature* A — 33. *nec* corr. ex *ne* A — *ne* corr. in *nec* B — 35. *cursum* (*cur* in ras.) A — 36. *adque* A^1 — *aut cum* A B C : *ut cum* E ; *et cum* Walkerus, O.

solarium vel discriptum vel ex aqua contemplere, intellegere declarari horas arte, non casu, mundum autem, qui et has ipsas artes et earum artifices et cuncta conplectatur, consilii et rationis esse expertem putare? 88. Quod si in Scythiam aut in Britanniam sphaeram aliquis tulerit hanc, quam nuper familiaris noster effecit Posidonius, cuius singulae conversiones idem efficiunt in sole et in luna et in quinque stellis errantibus, quod efficitur in caelo singulis diebus et noctibus, quis in illa barbaria dubitet quin ea sphaera sit perfecta ratione? XXXV. Hi autem dubitant de mundo, ex quo et oriuntur et fiunt omnia, casune ipse sit effectus aut necessitate aliqua an ratione ac mente divina, et Archimedem arbitrantur plus valuisse in imitandis sphaerae conversionibus quam naturam in efficiendis, praesertim cum multis partibus sint illa perfecta quam haec simulata sollertius. 89. Atqui ille apud Accium pastor, qui navem numquam ante vidisset, ut procul divinum et novum vehiculum Argonautarum e monte conspexit, primo admirans et perterritus hoc modo loquitur:

— tanta moles labitur
Fremibunda ex alto ingenti sonitu et spiritu:
Prae se undas volvit, vertices vi suscitat;
Ruit prolapsa; pelagus respergit, reflat.
Ita dum interruptum credas nimbum volvier,
Dum quod sublime ventis expulsum rapi
Saxum aut procellis vel globosos turbines
Existere ictos undis concursantibus:
Nisi quas terrestris pontus strages conciet,
Aut forte Triton fuscina evertens specus
Subter radices penitus undanti in freto
Molem ex profundo saxeam ad caelum eruit.

Dubitat primo, quae sit ea natura, quam cernit ignotam, idemque iuvenibus visis auditoque nautico cantu:

Sic aut inciti atque alacres rostris perfremunt
Delphini.

Item alia multa:

— Silvani melo
Consimilem ad aures cantum et auditum refert.

90. Ergo ut hic primo aspectu inanimum quiddam sensuque vacuum se

---

1. *vel discriptum vel ex* nos: *uel descriptum aut ex* 𝔄; *aut descriptum aut ex* O. Cf. Censorinum de die nat. c. 23. De forma *discriptus (eingetheilt)* vide ad p. 303, 5. — 3. *expertes* C — *putarem* A B — 4. *brittanniam* (priore *t* expuncta) A; *brittaniam* B E; *britaniam* C — 5. *possidonius* B E — 6. *in* ante *luna* om. B[1] — 9. *et* ante *oriuntur* om. C — 11. *in* ante *imitandis* om. A[1] — 13. *atque* A B — *apud* corr. ex *aput* A; *aput* E — *actium* 𝔄; *Attium* O — 15. *e* corr. ex *et* A — *conspecxit* B — 17. *Fremibunda - - reflat* Priscianus de metris Terentii II, 15. — *fremibunda* A C et Priscianus: *Fremebunda* O — *spiritu* Priscianus: *strepitu* 𝔄 — 18. *undas euoluit* A C E — 19. *respargit* E — *reflat* Priscianus: *profluit* 𝔄 — 20 et 21. *num* cod. Glogaviensis; *tum* Bouhier. — 25. *Aut forte - - caelum vomit* Priscianus de metris Terent. II, 15. — *auforte* B — *fuscinae uertens* A — 26. *undanti in freto* Priscianus: *undantes ueniant freto* 𝔄; *undante in freto* O. De forma *undanti* vide ad p. 275, 10. — 27. *ad*] *at* A C; om. E — *eruit* 𝔄: *uomit* Priscianus; *evomit* Toupius ad Longin. de sublim. 3; *erigit* Lachmannus ad Lucret. p. 346; *evehit* Klotzius. — 30. *Sic aut inciti atque* Ribbeck: *sicut inciti atque* 𝔄; *Sic incitati et* Heindorfius; *Simis inciti atque* (et mox *perfricant*) Lachmannus ad Lucret. p. 90; *Sic inciti atque* O — 34. *consimile* 𝔄.

putat cernere, post autem signis certioribus, quale sit id, de quo dubitaverat, incipit suspicari, sic philosophi debuerunt, si forte eos primus aspectus mundi conturbaverat, postea, cum vidissent motus eius finitos et aequabiles omniaque ratis ordinibus moderata inmutabilique constantia, intellegere inesse aliquem non solum habitatorem in hac caelesti ac divina domo, sed etiam rectorem et moderatorem et tamquam architectum tanti operis tantique muneris. XXXVI. Nunc autem mihi videntur ne suspicari quidem, quanta sit admirabilitas caelestium rerum atque terrestrium. 91. Principio enim terra sita in media parte mundi circumfusa undique est hac animali spirabilique natura, cui nomen est aër, Graecum illud quidem, sed perceptum iam tamen usu a nostris; tritum est enim pro Latino. Hunc rursus amplectitur inmensus aether, qui constat ex altissimis ignibus. Mutuemur hoc quoque verbum dicaturque tam aether Latine, quam dicitur aër, etsi interpretatur Pacuvius:

Hoc, quod memoro, nostri caelum, Graii perhibent aethera:

quasi vero non Graius hoc dicat. At Latine loquitur. Si quidem nos non quasi Graece loquentem audiamus. Docet idem alio loco:

Graiugena de istoc aperit ipsa oratio.

92. Sed ad maiora redeamus. Ex aethere igitur innumerabiles flammae siderum exsistunt, quorum est princeps sol, omnia clarissima luce conlustrans, multis partibus maior atque amplior quam terra universa: deinde reliqua sidera magnitudinibus inmensis. Atque hi tanti ignes tamque multi non modo nihil nocent terris rebusque terrestribus, sed ita prosunt, ut, si mota loco sint, conflagrare terras necesse sit a tantis ardoribus moderatione et temperatione sublata.

XXXVII. 93. Hic ego non mirer esse quemquam, qui sibi persuadeat corpora quaedam solida atque individua vi et gravitate ferri mundumque effici ornatissimum et pulcherrimum ex eorum corporum concursione fortuita? Hoc qui existimat fieri potuisse, non intellego, cur non idem putet, si innumerabiles unius et viginti formae litterarum vel aureae vel quales libet aliquo coiciantur, posse ex iis in terram excussis annales Ennii, ut deinceps legi possint, effici: quod nescio an ne in uno quidem versu possit tantum valere fortuna. 94. Isti autem quem ad modum adseverant, ex corpusculis non colore, non qualitate aliqua, quam ποιότητα Graeci vocant, non sensu praeditis, sed concurrentibus temere atque casu mundum esse perfectum, vel innumerabiles potius in omni puncto temporis alios nasci, alios interire? Quod si mundum efficere potest concursus atomorum, cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem non potest? quae sunt minus operosa et multo quidem

---

9. *Principio -- est aer* Probus ad Vergil. Bucol. p. 18 Keil. — 10. *animali* Probus: *animabili* 𝔄 — 11. *a nostritum* A[1] — 15. *Id quod nostri caelum memorant* Varro L. L. V, 17. — *grai* 𝔄 — 17. *latinae* A — 19. *Graiugena: de* O (*Graiugenam ted esse aperit ipsa oratio* Hugo Grotius.) — *istoc* Bothe: *isto* A B C; *ista* E — 24. *terris rebusque* cet.] Ab his verbis incipit V — 25. *mota loca* C; *loco mota* E — 27. *ergo* (corr. ex *ego*) V — 30. *quur* A — 31. *innumerabiles* (superscr. *e* inter duas *n*) B; *inenumerabiles* C E V — 32. *coiciantur* 𝔄 (in V superscr. *coniciantur*): *coniiciantur* O — *iis* B: *his* O — 33. *enni* A C E — 36. *poeotela* A B E; *poeta* C; *paeotela* V — 39. *quur* (quater) A — 40. *quae sunt -- faciliora*] »Miram orationis formam: *was minder schwer ist und zwar weit leichter!*

[faciliora]. Certe ita temere de mundo effutiunt, ut mihi quidem numquam hunc admirabilem caeli ornatum, qui locus est proximus, suspexisse videantur. 95. Praeclare ergo Aristoteles «Si essent» inquit «qui sub terra semper habitavissent bonis et inlustribus domiciliis, quae essent ornata signis atque picturis instructaque rebus iis omnibus, quibus abundant ii, qui beati putantur, nec tamen exissent umquam supra terram, accepissent autem fama et auditione esse quoddam numen et vim deorum, deinde aliquo tempore patefactis terrae faucibus ex illis abditis sedibus evadere in haec loca, quae nos incolimus, atque exire potuissent, cum repente terram et maria caelumque vidissent, nubium magnitudinem ventorumque vim cognovissent aspexissentque solem, eiusque cum magnitudinem pulchritudinemque, tum etiam efficientiam cognovissent, quod is diem efficeret toto caelo luce diffusa, cum autem terras nox opacasset, tum caelum totum cernerent astris distinctum et ornatum lunaeque luminum varietatem tum crescentis, tum senescentis, eorumque omnium ortus et occasus atque in omni aeternitate ratos inmutabilesque cursus: quae cum viderent, profecto et esse deos et haec tanta opera deorum esse arbitrarentur.» XXXVIII. 96. Atque haec quidem ille. Nos autem tenebras cogitemus tantas, quantae quondam eruptione Aetnaeorum ignium finitimas regiones obscuravisse dicuntur, ut per biduum nemo hominem homo agnosceret, cum autem tertio die sol inluxisset, tum ut revixisse sibi viderentur. Quod si hoc idem ex aeternis tenebris contingeret, ut subito lucem aspiceremus, quaenam species caeli videretur? Sed adsiduitate cotidiana et consuetudine oculorum adsuescunt animi neque admirantur neque requirunt rationes earum rerum, quas semper vident, proinde quasi novitas nos magis quam magnitudo rerum debeat ad exquirendas causas excitare. 97. Quis enim hunc hominem dixerit, qui, cum tam certos caeli motus, tam ratos astrorum ordines tamque inter se omnia conexa et apta viderit, neget in his ullam inesse rationem eaque casu fieri dicat, quae quanto consilio gerantur nullo consilio adsequi possumus? An cum machinatione quadam moveri aliquid videmus, ut sphaeram, ut horas, ut alia permulta, non dubitamus quin illa opera sint rationis: cum autem impetum caeli cum admirabili celeritate moveri ver-

---

Scr. *quae sunt minus operosa, et multo quidem (was minder schwer ist und zwar weit minder). faciliora* additum ab aliquo, qui non intellexerat *et multo quidem* pertinere ad *minus operosa.* Cf. ad I § 77. Madvig, quo auctore *faciliora* seclusimus. — *multa* B — 1. *effutiunt* A; *effliunt* corr. in *effutiunt* B: *efficiunt* E — 5. *his* 𝔄 — *habundant* B; *habundat* C E (in C superscr. *n* ante *t*) — 6. *hi* A C E V — 9. *sedilibus* C — 10. *replente* A — *terra* C — *nubium -- cognovissent* om. C — 11. *cum* A B C V: *tum* E O — 12. *quod his* C E (in C litt. *h* deleta); *quod dis* (altera *d* deleta) V — 14. *tum* C E V: *cum* A B — 15. *tum crescentis* om. C — *siderumque* Hoffmann (*Zeitschr. f. d. Gymnasialw.* VIII p. 704). — 16. *quae cum viderent* cet.] «Anacoluthon hoc prorsus a Ciceronis in eo genere consuetudine discedit relativo posito, ubi Cicero orationem longius fusam collegisset sic fere: — *haec* [sic codd. aliquot dett. et editt. vett.] *cum viderent, profecto* cet. Vereor ne Cicero scripserit: *eorumque omnium ortus et occasus atque in omni aeternitate ratos inmutabilesque cursus cum viderent, profecto* cet., sublato *quae.*» Madvig. — 19. *aethnaeorum* V, *ethnaeorum* A, *aethneorum* C, *ethneorum* E — 24. *adsuescunt* corr. ex *adsuescant* A — 25. *proinde* (superscr. *per*) V — 27. *quis enim -- qui tam certos caeli motus, tam status astrorum ordine tamque -- neget his -- rationem* Nonius p. 235. — 33. *celeritate moueri uertique* in rasura A.

tique videmus constantissime conficientem vicissitudines anniversarias cum summa salute et conservatione rerum omnium, dubitamus quin ea non solum ratione fiant, sed etiam excellenti divinaque ratione? 98. Licet enim iam remota subtilitate disputandi oculis quodam modo contemplari pulchritudinem rerum earum, quas divina providentia dicimus constitutas.

XXXIX. Ac principio terra universa cernatur, locata in media sede mundi, solida et globosa et undique ipsa in sese nutibus suis conglobata, vestita floribus, herbis, arboribus, frugibus, quorum omnium incredibilis multitudo insatiabili varietate distinguitur. Adde huc fontium gelidas perennitates, liquores perlucidos amnium, riparum vestitus viridissimos, speluncarum concavas altitudines, saxorum asperitates, inpendentium montium altitudines inmensitatesque camporum; adde etiam reconditas auri argentique venas infinitamque vim marmoris. 99. Quae vero et quam varia genera bestiarum vel cicurum vel ferarum! qui volucrum lapsus atque cantus! qui pecudum pastus! quae vita silvestrium! Quid iam de hominum genere dicam? qui quasi cultores terrae constituti non patiuntur eam nec inmanitate beluarum efferari nec stirpium asperitate vastari, quorumque operibus agri, insulae litoraque collucent distincta tectis et urbibus. Quae si, ut animis, sic oculis videre possemus, nemo cunctam intuens terram de divina ratione dubitaret. 100. At vero quanta maris est pulchritudo! quae species universi! quae multitudo et varietas insularum! quae amoenitates orarum ac litorum! quot genera quamque disparia partim submersarum, partim fluitantium et innantium beluarum, partim ad saxa nativis testis inhaerentium! Ipsum autem mare sic terram appetens litoribus cludit, ut una ex duabus naturis conflata videatur. 101. Exin mari finitimus aër die et nocte distinguitur, isque tum fusus et extenuatus sublime fertur, tum autem concretus in nubes cogitur umoremque colligens terram auget imbribus, tum effluens huc et illuc ventos efficit. Idem annuas frigorum et calorum facit varietates idemque et volatus alitum sustinet et spiritu ductus alit et sustentat animantes. XL. Restat ultimus et a domiciliis nostris altissimus omnia cingens et coërcens caeli complexus, qui idem aether vocatur, extrema ora et determinatio mundi, in quo cum admirabilitate maxima igneae formae cursus ordinatos definiunt. 102. E quibus sol, cuius magnitudine multis partibus terra superatur, circum eam ipsam volvitur, isque oriens et occidens

---

1. *videmus* Madvigius (cum duobus codd. Moseri): *uideamus* 𝔄 O — *cum*] *tum* V — 3. *excellenti* 𝔄: *excellente* O. Vide ad p. 275, 10. — 4. *subtilitate* corr. ex *suptilitate* V — 5. *prudentia* B — 6. *ac* in rasura A — 9. *adde hunc* (expuncta litt. *n* ead. m. et superscr. *adhuc*) V — *fontum* A B V (in V superscr. *i* ead. m.) — 11. *latitudines* Lambinus; *amplitudines* Heindorfius. — *inpendencium* A — 14. *uolucrium* B V — 15. *quid iam* - - *beluarum ecferari nec* - - *vastare* Nonius p. 185. — 16. *quid quasi* - - *non patitur eam* - - *beluarum efferari nec stirpium asperitate sallari* Nonius p. 417. — 19. *et urbibus* (priori *b* superscr. m. rec. *r*) A — *possimus* A C; *possumus* corr. in *possimus* B — 20. *intuens* (superscr. *con*) V — *de* superscriptum habet V — 22. *quot* corr. ex *quod* V — 23. *sub* superscr. in A — *fluctantium* C — 24. *saxasanatiuis* A; *saxas anatiuis* corr. in *saxo sanatiuis* B — 25. *cludit* Victorius: *eludit* 𝔄; *alludit* alii. — 26. *exim* B; *ex* (superscr. *in*) V — *finitumus* V — *aer* superscr. m. sec. recentiore in A; om. C — 27. *umoremque* A B C: *homoremque* corr. in *humoremque* V; *humoremque* E O — 28. *efluens* A — 30. *spiritus* A C E V (in V ultima litt. erasa) — 32. *cohercens* A C E V[1] — *qui idem*] *quidem* A[1] — *hora* C[1] V — 34. *e* ante litteram erasam A.

diem noctemque conficit et modo accedens, tum autem recedens, binas in singulis annis reversiones ab extremo contrarias facit, quarum in intervallo tum quasi tristitia quadam contrahit terram, tum vicissim laetificat, ut cum caelo hilarata videatur. 103. Luna autem, quae est, ut ostendunt mathematici, maior quam dimidia pars terrae, isdem spatiis vagatur, quibus sol, sed tum congrediens cum sole, tum degrediens, et eam lucem, quam a sole accepit, mittit in terras et varias ipsa lucis mutationes habet, atque etiam tum subiecta atque opposita soli radios eius et lumen obscurat, tum ipsa incidens in umbram terrae, cum est e regione solis, interpositu interiectuque terrae repente deficit. Isdemque spatiis eae stellae, quas vagas dicimus, circum terram feruntur eodemque modo oriuntur et occidunt, quarum motus tum incitantur, tum retardantur, saepe etiam insistunt. 104. Quo spectaculo nihil potest admirabilius esse, nihil pulchrius. Sequitur stellarum inerrantium maxima multitudo, quarum ita descripta distinctio est, ut ex notarum figurarum similitudine nomina invenerint. XLI. Atque hoc loco me intuens, Utar, inquit, carminibus Arateis, quae a te admodum adulescentulo conversa ita me delectant, quia Latina sunt, ut multa ex iis memoria teneam. Ergo, ut oculis adsidue videmus, sine ulla mutatione aut varietate

Cetera labuntur celeri caelestia motu,
Cum caeloque simul noctesque diesque feruntur,

105. quorum contemplatione nullius expleri potest animus naturae constantiam videre cupientis.

Extremusque adeo duplici de cardine vertex
Dicitur esse polus.

Hunc circum arctoe duae feruntur, numquam occidentes.

Ex his altera apud Graios Cynosura vocatur,
Altera dicitur esse Helice,

cuius quidem clarissimas stellas totis noctibus cernimus,

Quas nostri septem soliti vocitare Triones.

106. Paribusque stellis similiter distinctis eundem caeli verticem lustrat parva Cynosura.

Hac fidunt duce nocturna Phoenices in alto.
Sed prior illa magis stellis distincta refulget
Et late prima confestim a nocte videtur,
Haec vero parva est, sed nautis usus in hac est.
Nam cursu interiore brevi convertitur orbe.

XLII. Et quo sit earum stellarum admirabilior aspectus,

Has inter, veluti rapido cum gurgite flumen,

---

2. *in* post *quarum* om. E O — 3. *contrahitur terra* C — 5. *ostendunt* corr. ex *ostendum* V — 6. *cum sole tum degrediens* eadem m. margini adscripta habet V — *degrediens* A B[1] C V: *digrediens* B[2] E O — 8. *mutationes lucis* O — 10. *dificil* A — 11. *terram* corr. ex *terrae* V — 13. *esse admirabilius* O — 15. *notarum* 𝔄: *nota* alii; *notata* Schoemannus (coll. Cic. de Divinat. II § 146. ad Herenn. III § 37. de Orat. I § 109. Fragm. Arat. 162); «*ex notarum figurarum similitudine* significat id, quod nostri Cicerones dicunt: *propter similitudinem cum notis figuris.*» Klotz. — 17. *Arateis* Walkerus: *arati eis* 𝔄 O (sed A B ex correctione, in quibus fort. fuerat *arateis*) — 18. *ex his* B — 22. *nullius* corr. ex *nullus* A — 23. *uideri* B — 24. *duplice* C — 26. *arctoe* E: *arctoae* A B C V, *ἄρκτοι* O — 27. *ex iis* A C V — *aput* A[1] C E — 28. *helicae* V — 31. *distincta* Walkerus coll. v. 34. — 33. *Hac*] *ac* B — 39. *rapidos* B.

Torvus Draco serpit supter superaque revolvens
Sese conficiensque sinus e corpore flexos.

107. Eius cum totius sit praeclara species, in primis aspicienda est figura capitis atque ardor oculorum.

Huic non una modo caput ornans stella relucet,
Verum tempora sunt duplici fulgore notata,
E trucibusque oculis duo fervida lumina flagrant,
Atque uno mentum radianti sidere lucet:
Opstipum caput at tereti cervice reflexum
Optutum in cauda maioris figere dicas.

108. Et reliquum quidem corpus draconis totis noctibus cernimus;

Hoc caput hic paulum sese subito aequore condit,
Ortus ubi atque obitus partem admiscentur in unam.

Id autem caput

Attingens defessa velut maerentis imago
Vertitur,

quam quidem Graeci

Engonasin vocitant, genibus quia nixa feratur.
Hic illa eximio posita est fulgore Corona.

Atque haec quidem a tergo, propter caput autem Anguitenens:

109. Quem claro perhibent Ophiuchum nomine Grai.
Hic pressu duplici palmarum continet Anguem,
Atque eius ipse manet religatus corpore torto:
Namque virum medium serpens sub pectora cingit.
Ille tamen nitens graviter vestigia ponit
Atque oculos urguet pedibus pectusque Nepai.

Septentriones autem sequitur

Arctophylax, vulgo qui dicitur esse Bootes,
Quod quasi temoni adiunctam prae se quatit Arctum.

110. Dein quae sequuntur; huic enim Booti

subter praecordia fixa videtur
Stella micans radiis, Arcturus nomine claro:

cui subiecta fertur

Spicum inlustre tenens splendenti corpore Virgo.

---

1. *Torvus -- sese* Priscianus XIV, 6, 52. — *superaque* Priscianus: *supraque* 𝔄 — *retorquens* Priscianus. — 2. *flexo* Grotius. — 3. *sit* Schoemannus: *est* 𝔄 O — *in primis* 𝔄: *tum in primis* Manutius, O — *suspicienda* V² O — 6. *folgorae* (priori *o* superscr. *u*) A — 9. *obstipum* corr. in *ast ipsum* B — *at tereti* Madvigius: *a tereti* 𝔄; *ac tereti* Klotzius; *et tereti* O — 10. *figere* corr. ex *figure* V — 12. *Quod caput -- in una* Hyginus Poet. Astron. IV, 3. — *subito aequore condit* Grotius: *subitoque recondit* 𝔄 O — 13. *partem - in unam* Lambinus: *partim - in una* 𝔄; *parte - in una* Hyginus, O — *admiscetur* B C E V 15. *merentis* A B C V — 18. *engonasiam* A C E V; *engnosiam* B — *uocant* C¹ E — 19. *fulgora coronata* C — 20. *anguitenens* corr. m. rec. in *anguitenenti* A, in *anguitenentis* B — 21. *grai* E — 23. *atque eius* corr. in *eius et* B — 26. *nepai* E: *nepe* (superscr. *ai*) A B; *nepar* (*r* corr. in *i*) B; *nepii* C — 27. *septentriones autem* A B V: *septem triones autem* C E; *Septem autem triones* O — 29. *temoni* Madvigius: *temone* 𝔄 (sed in C litterae finali superscr. *i*) O — 31. *sub terrae cordia* A — 33. *cui* (corr. ex *cuius*) B: *cuius* A C E V; *cuius pedibus* Davisius coll. Arati v. 96 et Hygino III, 24. — 34. *Spicum illustre ferens insigni corpore virgo* Servius ad Vergil. Georg. I, 444.

XLIII. Atque ita demetata signa sunt, ut in tantis discriptionibus divina sollertia appareat.

Et natos Geminos invises sub caput Arcti.
Subiectus mediae est Cancer pedibusque tenetur
Magnus Leo tremulam quatiens e corpore flammam.

Auriga

Sub laeva Geminorum obductus parte feretur.
Adversum caput huic Helicae truculenta tuetur.
At Capra laevum umerum clara optinet.

Tum quae sequuntur:

Verum haec est magno atque inlustri praedita signo,
Contra Haedi exiguum iaciunt mortalibus ignem.

Cuius sub pedibus

Corniger est valido conixus corpore Taurus.

111. Eius caput stellis conspersum est frequentibus.

Has Graeci stellas Hyadas vocitare suërunt

[a pluendo; ὕειν enim est pluere]: nostri imperite suculas, quasi a subus essent, non ab imbribus nominatae. Minorem autem Septentrionem Cepheus passis palmis a tergo subsequitur.

Namque ipse ad tergum Cynosurae vertitur Arcti.

Hunc antecedit

Obscura specie stellarum Cassiepia.
Hanc autem inlustri versatur corpore propter
Andromeda aufugiens aspectum maesta parentis.
Huic Equus ille iubam quatiens fulgore micanti
Summum contingit caput alvo, stellaque iungens
Una tenet duplices communi lumine formas,
Aeternum ex astris cupiens conectere nodum.
Exin contortis Aries cum cornibus haeret,

quem propter

Pisces, quorum alter paulum praelabitur ante
Et magis horriferis aquilonis tangitur auris.

XLIV. 112. Ad pedes Andromedae Perseus describitur,

Quem summa a regione aquilonis flamina pulsant.

---

1. *dimetata* O — *discriptionibus* A C V: *descriptionibus* B E O. Vide ad p. 303, 5. — 2. *solertia* B E — 3. *inuisses* A C V¹ — 4. *media est* 𝔄 — 6. *aurigã subleua* C — 7. *feretur* (superscr. m. sec. *tenetur*) V — 8. *Helicae* Grotius: *helice* C V; *elice* A B E (in A superscr. *h*) — 9. *at* corr. ex *ad* V; *ad* A — *laeum* corr. in *laevum* A B V; *laeuium* C. — *um.* A V¹: *hum.* O — *claro* C V — 10. *tumque s.* A B C V — *secuntur* B C — 13. *cui sub* C — 14. *connixus* Lambinus: *conexus* A B C; *connexus* E V. Cf. Cic. Arat. v. 290. — 16. Ad *hyadas* in marg. V glossa adscripta est: *hyadas a pluendo. hyin est pluere.* — 17. *a pluendo* -- *pluere* suspecta iam Grutero et Walkero ego seclusi. Etymon vocis *Hyades* satis indicavit Cicero verbis *ab imbribus nominatae.* — *hyin* A B V; *hiene* C; *hian* E — *est enim* E V — *imperita* B — *succulas* V — *sucibus* C — 19. *palmis terga* 𝔄 — 20. *ipse* Davisius: *ipsum* 𝔄 O. Aratus v. 182: *Αὐτὸς μὲν κατόπισθεν ἐὼν Κυνοσουρίδος Ἄρκτου Κηφεύς.* — *ad* corr. ex *at* V; *at* A — *cynosyre* B; *cynosura* A C E V — 21. Hinc *(tecedit)* incipit rursus P — 22. *cassiepia* A B C P: *cassioepia* V; *cassiopeia* E; *Cassiopea* O — 23. *hanc* corr. m. sec. in *haec* V — 24. *aufugiens* A B V (in A ante *a* littera *h* expuncta, in B inter *u* et *f* littera erasa est): *haud fugiens* C P; *haut fugiens* E; *heu fugiens* Klotzius. — 25. *aequos* (litterae *o* superscr. *v*) A — 26. *contingit* corr. ex *contigit* C; *contigit* E — 33. *andromedes* B — 34. *a* nos: *ab* B E O (in B superscr. est); om. A C P V.

Cuius propter laevum genu
Vergilias tenui cum luce videbis.
Inde Fides leviter posita et convexa videtur.
Inde est ales Avis lato sub tegmine caeli.
Capiti autem Equi proxima est Aquarii dextra totusque deinceps Aquarius.
Tum gelidum valido de pectore frigus anhelans
Corpore semifero magno Capricornus in orbe,
Quem cum perpetuo vestivit lumine Titan,
Brumali flectens contorquet tempore currum.
113. Hinc autem aspicitur,
Ut sese ostendens emergit Scorpios alte
Posteriore trahens plexum vi corporis arcum,
Quem propter nitens pinnis convolvitur Ales.
At propter se Aquila ardenti cum corpore portat.
Deinde Delphinus,
Exinde Orion obliquo corpore nitens,
114. quem subsequens
Fervidus ille Canis stellarum luce refulget.
Post Lepus subsequitur
Curriculum numquam defesso corpore sedans.
At Canis ad caudam serpens prolabitur Argo. — —
Hanc Aries tegit et squamoso corpore Pisces,
Fluminis inlustri tangentem corpore ripas.
Quem longe serpentem et manantem aspicies
— proceraque Vincla videbis,
Quae retinent Pisces caudarum a parte locata. — —
Inde Nepae cernes propter fulgentis acumen
Aram, quam flatu permulcet spiritus austri.
Propterque Centaurus
Cedit Equi partis properans subiungere chelis.

---

1. *cuius -- videbis* om. P — *cuius propter laeuum genu* (corr. ead. m. ex *laeum genum* V) *uergilias* C V : *cuius propter laeum genum uergilias* A; *at* (in rasura, superscripto et rursus deleto *cuius*) *propter laeuum genus omni ex parte locatas paruas uergilias* (*tas paruas uer* in margine) B ; *cuius propter leuum geny omni ex parte locatas paruas uergelias* E. Interpolati sunt B E ex Arateis v. 27. — 2. *tenui cum* corr. ex *tenuit tum* V — 3. *leviter posita et* Aratea (v. 42): *posita leuiter et* 𝔄 (in A *et* expunctum est; in B signis additis *leuiter* ante *posita* transponitur); *posita et leviter* O; *leviter positu* Orellius ad Aratea; *positu leviter* Schoemannus. Cf. M. Haupt ad Ovid. Halieut. p. XIX. — *conuexa* A B C P V: *connexa* E; *conversa* Bouhier. — 5. *aequi* A — *proxima est* Klotzius: *proximat* 𝔄; *proxima* O — *aquari* A B C — 7. *Corpore -- orbe* Priscianus VI, 4, 20. — 10. *hic* B C E P V — *autem aspicitur* in B erasa sunt. — 11. *ut* om. 𝔄. Cf. Aratea v. 77. — *scorpios* AV[1]: *scorphios* B; *scorpius* C E V[2] — 12. *plexum* (litterae *p* m. sec. superscr. *f*) A B — 13. *pennis* O — 14. *at* superscr. in B — *aquilam* V — 16. *oblico* C — 18. *ille*] *inde* B — 19. *subsequitur* 𝔄: *sequitur* O — 20. Ante hunc versum excidisse quaedam videntur, cum in Arateis verba *curriculum -- sedans* non ad Leporem, sed ad Canem, qui Leporem insequitur, pertineant. — 21. *At*] *ad* A; *ac* E — Inter vv. 21 et 22 omissa sunt quae de Pistrice dixit Aratus, ad quam refertur pronomen *hanc*. — 22. *piscis* P — 23. *tangentem* corr. in *tangentes*, tum rursus in *tangentē* B — *corpore* 𝔄: *pectore* O — 24. *quam* (erasis verbis *serpentem et manantem*) *aspicies* B — 27. *nepe* A C — *fulgentis* corr. ex *fungentis* A — 29. *propter quae* B — 30. *subiungere* corr. ex *subingere* A; *submergere* P — *chelis* (supra versum) B : *cetis* A E P V; *cętis* C.

Hic dextram porgens, quadrupes qua vasta tenetur,
Tendit et inlustrem truculentus cedit ad Aram;
Hic sese infernis e partibus erigit Hydra,
cuius longe corpus est fusum,
In medioque sinu fulgens Cratera relucet.
Extremam nitens plumato corpore Corvus
Rostro tundit, et hic Geminis est ille sub ipsis
Ante Canem, Προκύων Graio qui nomine fertur.

115. Haec omnis discriptio siderum atque hic tantus caeli ornatus ex corporibus huc et illuc casu et temere cursantibus potuisse effici cuiquam sano videri potest? aut vero alia quae natura mentis et rationis expers haec efficere potuit, quae non modo ut fierent ratione eguerunt, sed intellegi qualia sint sine summa ratione non possunt?

XLV. Nec vero haec solum admirabilia, sed nihil maius quam quod ita stabilis est mundus atque ita cohaeret ad permanendum, ut nihil ne excogitari quidem possit aptius. Omnes enim partes eius undique medium locum capessentes nituntur aequaliter. Maxime autem corpora inter se iuncta permanent, cum quasi quodam vinculo circumdato colligantur, quod facit ea natura, quae per omnem mundum omnia mente et ratione conficiens funditur et ad medium rapit et convertit extrema. 116. Quocirca, si mundus globosus est ob eamque causam omnes eius partes undique aequabiles ipsae per se atque inter se continentur, contingere idem terrae necesse est, ut omnibus eius partibus in medium vergentibus — id autem medium infimum in sphaera est — nihil interrumpat, quo labefactari possit tanta contentio gravitatis et ponderum. Eademque ratione mare, cum supra terram sit, medium tamen terrae locum expetens conglobatur undique aequabiliter neque redundat umquam neque effunditur. 117. Huic autem continens aër fertur ille quidem levitate sublime, sed tamen in omnes partes se ipse fundit; itaque et mari continuatus et iunctus est et natura fertur ad caelum, cuius tenuitate et calore temperatus vitalem et salutarem spiritum praebet animantibus. Quem complexa summa pars caeli, quae aetheria dicitur, et suum retinet ardorem tenuem et nulla admixtione concretum et cum aëris extremitate coniungitur. XLVI. In aethere autem astra volvuntur, quae se et nisu suo conglobata continent et forma ipsa figuraque sua momenta sustentant; sunt enim rutunda, quibus formis, ut ante dixisse videor, minime noceri

---

1. *porgens* corr. in *pergens* A — *qua uasta* AB: *qui austa* C; *qua usta* EP; *qua iusta* P — 2. *cedit* AEP: *caedit* BCVO — 3. *esse* (superscr. *sese*) V — *infernis e* BCP: *inferni se* V[1]; *infernis he* A; *inferni de* V[2]; *infernis de* EO — 5. *in mediaque sinu fulgens cretera relucis* Nonius p. 548. — *cretera* V[1] et Nonius. — 6. *cor prae* AV[1] — 7. *tundit* B[2]C: *tendit* AB[1]EPV — 8. *antecanis* (ex correctione) B; *anticanem* P — *procyon* 𝔄 — 9. *discriptio* A: *descriptio* cum ceteris O — 10. *et* ante *temere* om. A — *cursitantibus* EO — 11. *sane* B — *at uero* A — *aliae quae* A[1]; *aliqua* A[2]B (post *a* in B litt. erasa); *alia qua* E — 14. *nihil magis* Walkerus. — 15. *ne cogitari* C — 18. *uincta* CV — 20. *mediam* P — 22. Inter *ipsae* et *per se* rasura est octo fere litterarum in B — *ipse* CV — 24. *infimum* corr. ex *infinitum* A; *et infimum* V[2] — *quo* corr. ex *quod* B; *quod* C — 27. *aequaliter* C — 28. *sublime* nos: *sublimi* ACEPV; *sublimis* BO. Conf. § 101. — 31. *Quem complexa -- ornatus oriretur* (§ 118 extr.) Probus ad Vergil. Bucol. p. 17 sq. — 32. *quae aetheria* ABCPV et Probus: *que etherea* E; *qui aether* O — *suum* 𝔄: *summum* Probus. — 34. *nixu* O — 35. *conglobata* Probus: *globata* 𝔄. Cf. §§ 98. 116. — 36. *rutunda* AV[1]: *rotunda* O.

potest. 118. Sunt autem stellae natura flammeae; quocirca terrae, maris, aquarum vaporibus aluntur iis, qui a sole ex agris tepefactis et ex aquis excitantur, quibus altae renovataeque stellae atque omnis aether refundunt eadem et rursum trahunt indidem, nihil ut fere intereat aut admodum paulum, quod astrorum ignis et aetheris flamma consumit. Ex quo eventurum nostri putant id, de quo Panaetium addubitare dicebant, ut ad extremum omnis mundus ignesceret, cum umore consumpto neque terra ali posset nec remearet aër, cuius ortus aqua omni exhausta esse non posset: ita relinqui nihil praeter ignem, a quo rursum animante ac deo renovatio mundi fieret atque idem ornatus oreretur. 119. Nolo in stellarum ratione multus vobis videri maximeque earum, quae errare dicuntur, quarum tantus est concentus ex dissimillimis motibus, ut, cum summa Saturni refrigeret, media Martis incendat, iis interiecta Iovis inlustret et temperet infraque Martem duae Soli oboediant, ipse Sol mundum omnem sua luce compleat ab eoque Luna inluminata graviditates et partus adferat maturitatesque gignendi: quae copulatio rerum et quasi consentiens ad mundi incolumitatem coagmentatio naturae quem non movet, hunc horum nihil umquam reputavisse certo scio.

XLVII. 120. Age, ut a caelestibus rebus ad terrestres veniamus, quid est in his, in quo non naturae ratio intellegentis appareat? Principio eorum, quae gignuntur e terra, stirpes et stabilitatem dant iis, quae sustinent, et e terra sucum trahunt, quo alantur ea, quae radicibus continentur, obducunturque libro aut cortice trunci, quo sint a frigoribus et caloribus tutiores. Iam vero vites sic claviculis adminicula tamquam manibus adprehendunt atque ita se erigunt ut animantes. Quin etiam a caulibus si propter sati sint, ut a pestiferis et nocentibus refugere dicuntur nec eos ulla ex parte contingere. 121. Animantium vero quanta varietas est, quanta ad eam rem vis, ut in suo quaeque genere permaneat! quarum aliae coriis tectae sunt, aliae villis vestitae, aliae spinis hirsutae; pluma alias, alias squama videmus obductas, alias esse cornibus armatas, alias habere effugia pinnarum. Pastum autem animan-

---

1. *naturae* (omissis verbis *flammeae quocirca terrae*) C — *flamae* corr. in *flameae* V — 2. *aquarumque reliquarum uaporibus* Probus. — *his* 𝔄 — 3. *quibus peraltae* Probus. — *effundunt* Probus Keilii; *refundat* A B E P V; *refund*^it^ C — 4. *eadem* 𝔄 et Probus: *eodem* Lambinus, O — *rursum* corr. ex *rursus* B — *indidem* (superscr. m. sec. *itidem*) A; *itidem* Probus. — *aut* A B (corr. ex *ut* A, corr. in *ut* B): *ut* C E P V — 5. *paulum* Probus: *paululum* 𝔄 — *consumit* Lambinus: *consumat* A B C P V; *consumant* E et Probus. — 6. *uenturum putant nostri* Probus. — 7. *ad postremum* Probus. — 8. *nec* 𝔄 et Probus: *neque* O — *remaneret* Probus. — 9. *itaque relinqui* E et Probus. — *a* om. Probus. — *ac de eo* E et Probus. — 10. *reuocatio mundi fieret idemque* Probus. — *oreretur* A $B^1C^1V^1$: *oriretur* Probus et B^2 C^2 E P V^2 O — 11. *multus* corr. ex *multis* B — *que* om. C — 12. *concentus* corr. ex *incentus* A — 13. *respigeret* C V^1 — *iis* B P V^2 (in rasura B): *is* A C V^1; *his* E O — 14. *oboediant* V: *obaediant* A; *obediant* cum ceteris O — 17. *incolomitatem* A C — *coacmentatio* V; *coaugmentatio* B E — 19. *Age uita caelestibus* P — *a* om. A^1 — 21. *his quae* A B E P V; *hisque* C — 22. *sustinent* A B: *sustinentur* C E P V — *et ex terra* O — *succum* O — *aluntur* P — 23. *trunci* om. P — 24. *et a caloribus* O — 25 *adpraehendunt* A — *atque -- animantes* om. P — *se ita* C — 26. *caulibus* Davisius: *caulibus brassicis* 𝔄; *caulibus* [*brassicisque*] O — *sipporter* (corr. ead. m. in *si propter*) V; *sipportet* C P — 29. *permaneat* 𝔄: *permaneant* O. Cf. § 127 et Madvig ad Cic. de Fin. p. 692. — *uellis* P — 30. *spinnis* A V^1 — *squama* corr. ex *saiama* V — 31. *pinnarum* A B C V (in B V *i* corr. in *e*, in C *e* ead. m. corr. in *i*): *pennarum* E P O — *pastum* corr. in *pastus* B; *pastus* A.

tibus large et copiose natura eum, qui cuique aptus erat, comparavit. Enumerare possum, ad eum pastum capessendum conficiendumque quae sit in figuris animantium et quam sollers suptilisque discriptio partium quamque admirabilis fabrica membrorum. Omnia enim, quae quidem intus inclusa sunt, ita nata atque ita locata sunt, ut nihil eorum supervacaneum sit, nihil ad vitam detinendam non necessarium. 122. Dedit autem eadem natura beluis et sensum et appetitum, ut altero conatum haberent ad naturales pastus capessendos, altero secernerent pestifera a salutaribus. Iam vero alia animalia gradiendo, alia serpendo ad pastum accedunt, alia volando, alia nando, cibumque partim oris hiatu et dentibus ipsis capessunt, partim unguium tenacitate arripiunt, partim aduncitate rostrorum, alia sugunt, alia carpunt, alia mandunt. Atque etiam aliorum ea est humilitas, ut cibum terrestrem rostris facile contingant; quae autem altiora sunt, ut anseres, ut cygni, ut grues, ut cameli, adiuvantur proceritate collorum; manus etiam data elephanto est, quia propter magnitudinem corporis difficiles aditus habebat ad pastum. XLVIII. 123. At, quibus bestiis erat is cibus, ut alius generis bestiis vescerentur, aut vires natura dedit aut celeritatem. Data est quibusdam etiam machinatio quaedam atque sollertia, ut in araneolis aliae quasi rete texunt, ut, si quid inhaeserit, conficiant, aliae autem ex inopinato observant et, si quid incidit, arripiunt idque consumunt. Pina vero — sic enim Graece dicitur — duabus grandibus patula conchis cum parva squilla quasi societatem coit comparandi cibi; itaque cum pisciculi parvi in concham hiantem innataverunt, tum admonita *a* squilla, [pina] morsu conprimit conchas. Sic dissimillimis bestiolis communiter cibus quaeritur. 124. In quo admirandum est, congressune aliquo inter se an iam inde ab ortu natura ipsa congregatae sint. Est etiam admiratio non nulla in bestiis aquatilibus iis, quae gignuntur in terra; veluti crocodili fluviatilesque testudines quaedamque serpentes ortae extra aquam, simul ac primum niti possunt, aquam persequuntur. Quin etiam anitum ova gal-

---

3. *disscriptio* B; *descriptio* cum ceteris O — 4. *enim* om. P — 5. *conclusa* C — *superuacuaneum* A B — 6. *retinendam* O — 7. *autem* in rasura A — 9. *serperdo* V^1 — 10. *horis* V — 11. *partim -- arripiunt* om. P — 13. *ea est* B C E: *eas et* A P V — *humilitas* B C E V^1: *humilatas* A P; *humiliatas* V^2 — 14. *cigni* C E V — *camelli* A C V^1 — *aduuatur* A^1 — 15. *etiam data elefantos quia* A B V (*elefantos* corr. in *elefanto* B, in *elefantis* V); *etiam elefanto data est quia* C; *est etiam data elephanto quia* E; *etiam data elephantis quia* P O — 16. *habebat* 𝔄: *habebant* O — 17. *is*] *his* A — *alius* V^2: *aliis* A B C^1 V^1; *alii* C^2 P; *alicuius* E — *bestiis* P: *estis* V^1; *escis* A B C E V^2 (in A *cis* est in ras. m. sec.) — 18. *celeritatem* (corr. sec. m. in *celeritas) data* V — 19. *in* om. E — 20. *rete* A B P (in A litterae *te* expunctae sunt, in B ante *re* duae litterae erasae et *te* superscr.): *retẹ* C; *rethe* E — *ex* P V: *ut ex* A B C E — *opinato* B — 22. *grandibus* corr. ex *gradibus* V — 23. *quasi -- squilla* om. E — *quasi* superscr. in A — *comparandi* corr. ex *comparanda* V — 24. *innatauerunt* corr. in *innatauerint* B V — *admonita a squilla* nos: *admonita squilla pina* 𝔄 (*pina* corr. in *pinae* V; *admonitu squillae pina* Davisius) O. Vocem *pina* vel locus, quo positus est, glossematis arguit; *morsu* enim a *squilla* separari sine ambiguitate nequit. — *morsu* B et (corr. ead. m. ex *morsus*) V: *morsus* A C E P — 25. *dissimillibus* (superscr. *mis*) B — 27. *natura ipsa* Walkerus: *natura ipsae* A; *naturae* (s. *nature*) *ipsae* (s. *ipse*) B C E P V — *sint* corr. ex *sunt* A; *sunt* C E — 28. *his quae* E P V; *hisque* A B C — *crocodili* C: *crocodilli* B; *corcodili* A E V (corr. in *corcodilli* A, in *corcordilli* V); *cocodrilli* P. Cf. I §§ 82. 101. II § 129 et vide ad p. 352, 28. — *fluuialesque* B — 30. *persecuntur* C V — *anitum* A V^1: *anetum* B P V^2; *anatum* C E O; cf. Lachm. ad Lucr. p. 16.

linis saepe supponimus, e quibus pulli orti primo aluntur ab iis, ut a matribus, a quibus exclusi fotique sunt, deinde eas relinquunt et effugiunt sequentes, cum primum aquam quasi naturalem domum videre potuerunt: tantam ingenuit animantibus conservandi sui natura custodiam. XLIX. Legi etiam scriptum esse avem quandam, quae platalea nominaretur: eam sibi cibum quaerere advolantem ad eas avis, quae se in mari mergerent, quae cum emersissent piscemque cepissent, usque eo premere earum capita mordicus, dum illae captum amitterent, in quod ipsa invaderet. Eademque haec avis scribitur conchis se solere complere easque, cum stomachi calore concoxerit, evomere atque ita eligere ex iis, quae sunt esculenta. 125. Ranae autem marinae dicuntur obruere sese harena solere et moveri prope aquam, ad quas quasi ad escam pisces cum accesserint, confici a ranis atque consumi. Miluo est quoddam bellum quasi naturale cum corvo; ergo alter alterius ubicumque nanctus est ova frangit. Illud vero ab Aristotele animadversum, a quo pleraque, quis potest non mirari? grues, cum loca calidiora petentes maria transmittant, trianguli efficere formam; eius autem summo angulo aër ab iis adversus pellitur, deinde sensim ab utroque latere tamquam remis, ita pinnis cursus avium levatur. Basis autem trianguli, quem efficiunt grues, ea tamquam a puppi ventis adiuvatur, eaeque in tergo praevolantium colla et capita reponunt, quod quia ipse dux facere non potest, quia non habet ubi nitatur, revolat, ut ipse quoque quiescat. In eius locum succedit ex iis, quae adquierunt, eaque vicissitudo in omni cursu conservatur. 126. Multa eius modi proferre possum, sed genus ipsum videtis. Iam vero illa etiam notiora, quanto se opere custodiant bestiae, ut in pastu circumspectent, ut in cubilibus delitiscant. L. At quam illa mirabilia, quod ea, quae nuper, id est paucis ante saeclis, medicorum ingeniis reperta sunt, vomitione canes, purgantes autem

---

1. *subponimus* A — *primo* B C E P V: *primum* A (ex Halmii silentio) O — *ab his* 𝔄 — 2. Fort. *excusi*. Cf. § 129. — *relinqunt* A — 4. *potuerunt* corr. in *poluerint* B — *incenuit* A; *g* ex correctione habet V — 5. *platelea* C; *platea* Plinius N. H. X § 115. — 6. *aduolantem* corr. ex *ad uoluntatem* V — 7. *coepissent* A — 8. *in quod* Walkerus: *idque* Madvigius; *id quod* 𝔄 O. Vide Schoemannum Dissert. III p. 13. VI p. 12. — 10. *easque* E: *eas* A B C P V — *ex his* 𝔄 — 12. *har.* A C E V: *ar.* O — *aescam* A — 13. *accesserunt* P — 14. *ceruo* V^1 — 15. *nanctus* A B^1 C V^1: *nactus* B^2 E P V^2 O — *ab Aristotele non animadversum* Moserus (in commentario). — 16. *pleraque quis* A E: *pleraquiuis* (*qui* per compendium) C; *pleraque uis* B P V — 18. *ab is* A V^1; *ab his* B C E V^2 — 19. *pinnis* A^1 B V^1: *pennis* A^2 C E P V^2 O — *lebatur* V^1 — *ba*sis* V — *quem* cod. Glogaviensis: *quam* 𝔄 — 20. *aeeque* A; *ea aeque* V — 21. *quod qua* V^1 — 22. *ubi nitatur* 𝔄: *cui innitatur* cod. Glogaviensis, O — 23. *succedit proxima ex* Lambinus; *succedit quae eam sequitur ex* Heindorfius; *succedit una ex* Schoemannus. In verbis e Graeco conversis librorum lectio ferri posse videtur. — *his* 𝔄 — *adquierunt* C E V^2: *adquirunt* A B P V^1 (*assequitur* in margine V) — 26. *cubilibus* (superscr. m. sec. *cubiculis*) V — *delitiscant* A B C: *delitescant* E P V O. Cf. § 52. — 27. *at quam* cod. Vaticanus: *atque* 𝔄 O — *quod* 𝔄: *quid* O — *id est paucis ante saeclis* spuria videntur viro docto in Mnemos. I p. 93. — *seculis* O — 28. *sunt, vomitione* Schoemannus: *sunt? vomitione* O. Heindorfius et Madvigius deleto pronomine *ea* sic scribendum censuerunt: *At quam illa mirabilia, quod (quae nuper -- reperta sunt) vomitione* cet. Sed audiatur Schoemannus: «Hoc membrum *quod ea, quae nuper -- reperta sunt, vomitione* cet. breviter dictum est per quandam non ingratam negligentiam pro eo, quod plenius dicendum fuit: *quod ea, quae -- reperta sunt, haec etiam bestiae faciunt: nam vomitione* cet.» — *purgantes -- curantur* Madvigius: *purgante -- curant* A B C V^1; *purgare -- curant* V^2; *purgantur -- curant* E; *purgatione -- curant*

alvos ibes Aegyptiae curantur. Auditum est pantheras, quae in barbaria venenata carne caperentur, remedium quoddam habere, quo cum essent usae, non morerentur, capras autem in Creta feras, cum essent confixae venenatis sagittis, herbam quaerere, quae dictamnus vocaretur, quam cum gustavissent, sagittas excidere [dicunt] e corpore. 127. Cervaeque paulo ante partum perpurgant se quadam herbula, quae seselis dicitur. Iam illa cernimus, ut contra vim et metum suis se armis quaeque defendat: cornibus tauri, apri dentibus, morsu leones, aliae fuga se, aliae occultatione tutantur; atramenti effusione sepiae, torpore torpedines, multae etiam insectantis odoris intolerabili foeditate depellunt.

LI. Ut vero perpetuus mundi esset ornatus, magna adhibita cura est a providentia deorum, ut semper essent et bestiarum genera et arborum omniumque rerum, quae a terra stirpibus continerentur. Quae quidem omnia eam vim seminis habent in se, ut ex uno plura generentur, idque semen inclusum est in intuma parte earum bacarum, quae ex quaque stirpe funduntur, isdemque seminibus et homines adfatim vescuntur et terrae eiusdem generis stirpium renovatione conplentur. 128. Quid loquar, quanta ratio in bestiis ad perpetuam conservationem earum generis appareat? Nam primum aliae mares, aliae feminae sunt, quod perpetuitatis causa machinata natura est, deinde partes corporis et ad procreandum et ad concipiendum aptissimae et in mari et in femina commiscendorum corporum mirae libidines. Cum autem in locis semen insedit, rapit omnem fere cibum ad sese eoque saeptum fingit animal, quod cum ex utero elapsum excidit, in iis animantibus, quae lacte aluntur, omnis fere cibus matrum lactescere incipit, eaque, quae paulo ante nata sunt, sine magistro duce natura mammas appetunt earumque ubertate saturantur. Atque ut intellegamus nihil horum esse fortuitum et haec omnia esse opera providae sollertisque naturae, quae multiplices fetus procreant, ut sues, ut canes, iis mammarum data est multitudo, quas easdem paucas habent eae bestiae, quae pauca gignunt. 129. Quid dicam, quantus amor bestiarum sit in educandis custodiendisque iis, quae procreaverunt, usque ad eum finem dum possint se ipsa defendere? etsi pisces, ut aiunt, ova cum genuerunt, relinquunt; facile enim illa aqua et sustinentur et fetum fundunt. LII. Testudines autem et crocodilos dicunt, cum in terra partum ediderint, obruere ova, deinde discedere: ita et nascuntur et educan-

---

P O. «Variavit quod poterat sic etiam dici: *vomitione canes, purgatione autem alvorum ibes curantur.* Malo *curantur* scribi quam (cum aliis) *se* inseri.» — 1. *aluo sibis* A; *aluo sibi* B; *aluos ibis* C E; *aluos hibis* (corr. in *ibes*) V — 2. *carperentur* A E V (in A tertia litt. expuncta) — 3. *capras* (superscr. *captas*) V — *in creta* corr. ex *in creata* V — 4. *dictamnos* B; *dictamus* (ex correct.) C — 5. *cum* om. P — *dicunt* del. Bake, ego seclusi. — 7. *defendant* P V O. Cf. § 121. — 8. *cursu* A B C E V (in V superscr. *morsu*) — 9. *saepiae* A B, *saepie* C — 10. *feditate* A C E V — 13. *quae a terra stirpibus* (superscr. *aut radicibus aut*) V; *quae altera* (superscr. *aut*) *radicibus aut stirpibus* idem in margine. Cf. § 83. — *terrae* C P — 15. *in* om. P — 17. *complent* V¹ — *quid* corr. ex *quod* A — 19. *faeminae* A — 20. *et ad procreandum* om. P — 21. *concipiendum* corr. ex *concupiendum* A; priorem *i* in rasura habet V — *aptissime* A V¹ — *mari* A C V: *mare* B E P O — *faemina* A — 22. *mirae* corr. ex *mire* V — *saemen* A — 23. *saeptum* corr. ex *septum* V — 24. *elapsum* corr. ex *et lapsum* A — *in his* B E — 27. *fortuitu* B — 28. *procreent* B — 29. *iis* A C P V: *his* E O — 30. *gignuntur* A C V¹ — 31. *his* A C E P V — 32. *alunt* 𝔄 (sed corr. in *alunt* V) — 34. *testitudines* P — *crocodilos* B C: *concordilos* A V¹; *cocodrillus* E; *corcodrillos* P V². Cf. § 124. — 35. *ediderint* corr. ex *ediderunt* B.

tur ipsa per sese. Iam gallinae avesque reliquae et quietum requirunt ad pariendum locum et cubilia sibi nidosque construunt eosque quam possunt mollissume substernunt, ut quam facillume ova serventur, e quibus pullos cum excuderunt, ita tuentur, ut et pinnis foveant, ne frigore laedantur, et, si est calor a sole, se opponant. Cum autem pulli pinnulis uti possunt, tum volatus eorum matres prosequuntur, reliqua cura liberantur. 130. Accedit ad non nullorum animantium et earum rerum, quas terra gignit, conservationem et salutem hominum etiam sollertia et diligentia; nam multae et pecudes et stirpes sunt, quae sine procuratione hominum salvae esse non possunt. Magnae etiam opportunitates ad cultum hominum atque abundantiam aliae aliis in locis reperiuntur. Aegyptum Nilus inrigat et, cum tota aestate obrutam oppletamque tenuit, tum recedit mollitosque et oblimatos agros ad serendum relinquit. Mesopotamiam fertilem efficit Euphrates, in quam quot annos quasi novos agros invehit. Indus vero, qui est omnium fluminum maximus, non aqua solum agros laetificat et mitigat, sed eos etiam conserit; magnam enim vim seminum secum frumenti similium dicitur deportare. 131. Multaque alia in aliis locis commemorabilia proferre possum, multos fertiles agros alios aliorum fructuum. LIII. Sed illa quanta benignitas naturae, quod tam multa ad vescendum, tam varia et tam iucunda gignit, neque ea uno tempore anni, ut semper et novitate delectemur et copia! Quam tempestivos autem dedit, quam salutares non modo hominum, sed etiam pecudum generi, iis denique omnibus, quae oriuntur e terra, ventos Etesias! quorum flatu nimii temperantur calores; ab isdem etiam maritimi cursus celeres et certi diriguntur. Multa praetereunda sunt, et tamen multa dicuntur. 132. Enumerari enim non possunt fluminum opportunitates, aestus maritimi [multum] accedentes et recedentes, montes vestiti atque silvestres, salinae ab ora maritima remotissimae, medicamentorum salutarium plenissimae terrae, † artes denique innumerabiles ad victum et ad vitam necessariae. Iam diei noctisque vicissitudo conservat animantes tribuens aliud agendi tempus, aliud quiescendi. Sic undique omni ratione concluditur mente

---

1. *reliquerunt* V¹ — 3. *e* 𝔄: *ex* O — 4. *excuderunt* A B C P V (in V superscr. *rint*): *excuderint* E; *excluserunt* O et (superscr. *rint*) margo V. «Videntur editores non recordati esse aeque recte dici *excudere ova* atque *excludere*; alioquin *excuderunt* e codd. restituissent.» Madvig. Cf. § 124. — 4. *pinnis - - pinnulis* A C V: *pennis - - pennulis* B E P O — 6. *prosecuntur* C — 7. *Accedit* Ernestius: *accedit etiam* 𝔄 O; *accedit autem* alii. — 8. *etiam* 𝔄: om. O — 10. *magnas* P; *magnae se* (litteris *se* expunctis) V — *oportunitates* A C E; item v. 27. — 11. *habundantiam* C E V¹ — *repperiuntur* V¹ — 13. *ad serendum agros* O — 14. *quot annos* C E: *quod annos* A B P V (*quod* corr. in *quot* A B V); *quotannis* O — 15. *indus* corr. ex *indos* B V — 16. *et irrigat* C — 18. *in aliis* 𝔄: *aliis in* O — 20. *uaria et tam* V²: *uariae tam* A V¹; *uarie tam* B; *uaria tam* C E P; *varia tamque* O — 23. *iisdemque* A, *isdemque* B — *qui oriuntur et terra* B — 24. *etesias* corr. in *ethesias* V; *ethesias* (superscr. *reos* i. e. *ethereos*) B — *caloris* P — 27. *multum accedentes et recedentes* 𝔄: *tum accedentes tum recedentes* Lambinus; *mutuo accedentes et recedentes* O. Ego *multum* seclusi, quod neque huic loco aptum est neque quo modo ex *mutuo* corrumpi potuerit video. Additum videtur ab homine, cui epitheta *accedentes et recedentes* nude posita displicebant. Sed cf. de divinat. II § 34: *de marinis aestibus, quorum accessus et recessus lunae motu gubernantur.* — 29. *plenis summae* B — 30. *artes* in rasura A (sed *tes* ab antiqua m.); *res* Moserus; *dotes* Schoemannus. — *denique* (prima syll. in ras.) A.

consilioque divino omnia in hoc mundo ad salutem omnium conservationemque admirabiliter administrari.

133. Hic quaerat quispiam, cuiusnam causa tantarum rerum molitio facta sit: arborumne et herbarum? quae quamquam sine sensu sunt, tamen a natura sustinentur. At id quidem absurdum est. An bestiarum? Nihilo probabilius deos mutarum et nihil intellegentium causa tantum laborasse. Quorum igitur causa quis dixerit effectum esse mundum? Eorum scilicet animantium, quae ratione utuntur. Hi sunt di et homines, quibus profecto nihil est melius; ratio est enim, quae praestet omnibus. Ita fit credibile deorum et hominum causa factum esse mundum quaeque in eo sint omnia. LIV. Faciliusque intellegetur a dis inmortalibus hominibus esse provisum, si erit tota hominis fabricatio perspecta omnisque humanae naturae figura atque perfectio. 134. Nam cum tribus rebus animantium vita teneatur, cibo, potione, spiritu, ad haec omnia percipienda os est aptissimum, quod adiunctis naribus spiritu augetur. Dentibus autem in ore constructis manditur atque extenuatur et molitur cibus. Eorum adversi acuti morsu dividunt escas, intimi autem conficiunt, qui genuini vocantur, quae confectio etiam a lingua adiuvari videtur. 135. Linguam autem ad radices eius haerens excipit stomachus, quo primum inlabuntur ea, quae accepta sunt ore. Is utraque ex parte tosillas attingens palato extremo atque intimo terminatur. Atque is agitatione et motibus linguae cum depulsum et quasi detrusum cibum accepit, depellit. Ipsius autem partes eae, quae sunt infra quam id, quod devoratur, dilatantur, quae autem supra, contrahuntur. 136. Sed cum aspera arteria, sic enim a medicis appellatur, ostium habeat adiunctum linguae radicibus, paulo supra quam ad linguam stomachus adnectitur, eaque ad pulmones usque pertineat excipiatque animam, eam quae ducta est spiritu, eandemque a pulmonibus respiret et reddat, tegitur quodam quasi operculo, quod ob eam causam datum est, ne, si quid in eam cibi forte incidisset, spiritus impediretur. Sed cum alvi natura subiecta stomacho cibi et potionis sit receptaculum, pulmones autem et cor extrinsecus spiritum ducant, in alvo multa sunt mirabiliter effecta, quae constat fere e nervis. Est autem multiplex et tortuosa arcetque et continet, sive illud aridum est sive umidum quod recepit, ut id mutari et concoqui possit, eaque tum astringitur, tum relaxatur, atque omne, quod accepit, cogit et confundit, ut facile et calore, quem multum habet, et

---

3. *Hic quaerat* cod. Regius Walkeri: *sin quaeret* 𝔄 — 6. *mutarum* 𝔄: *mutorum* cod. Glogaviensis, O — 9. *praestet* (s. *prestet*) 𝔄: *praestat* O. Cf. Madvig ad Cic. de Fin. p. 92. — 11. *eo* E: *eo mundo* A B C P V — *intellegitur* 𝔄 — 13. *profectio* C E — 16. *constrictis* V — *atque* nos: *atque ab iis* A C P V; *atque ab his* B E O; *ab his atque* Schoemannus. — *molitur* B: *mollitur* A C E P V — 17. *aescas* A C V — 20. *sunt ore. Is* Manutius: *sunt. oris* 𝔄; *sunt, et oris* ed. Hervagiana. — 21. *tosillas* A B E P V (inter *s* et *i* littera erasa in V): *tossillas* C; *tonsillas* O — *is* corr. in *his* C; *his* A E V — 23. *infra aquam id* (*aquam* deletum est) B — 25. *apellatur* A — 27. *ea quae ad* A C V — *eam quae ducta sit spiritu eandemque* corr. in *ea qua eductus sit spiritus eademque* V, sed in margine prior lectio restituta est. — 28. *est* Klotzius: *sit* 𝔄 O — *a*] *ad* A — *quasi quodam* O — 29. *eam* ante *causam* corr. in *quam* V — *est nisi quod si in* (*si* superscr) V — *quod* B C V — 32. *ducant* A B C: *abducant* E; *adducant* P V O (in V compendium terminationis *ur* erasum est) — *in alio* P — 33. *constant* A B E V — 34. *humidum* 𝔄 O — *recipit* C E P V — 35. *concoqui* (*coqui* m. sec. in ras.) A; *conquoni* E — 36. *accipit* B[2] C P — *calorem* A E P V (corr. ex *calorum* A, in *calore* V).

terendo et praeterea spiritu omnia cocta atque confecta in reliquum corpus dividantur. LV. In pulmonibus autem inest raritas quaedam et adsimilis spongiis mollitudo ad hauriendum spiritum aptissima, qui tum se contrahunt adspirantes, tum intrante spiritu dilatant, ut frequenter ducatur cibus animalis, quo maxime aluntur animantes. 137. Ex intestinis autem secretus a reliquo cibo sucus is, quo alimur, permanat ad iecur per quasdam a medio intestino usque ad portas iecoris — sic enim appellantur — ductas et directas vias, quae pertinent ad iecur eique adhaerent. Atque inde aliae * * pertinentes sunt, per quas cadit cibus a iecore dilapsus. Ab eo cibo cum est secreta bilis eique umores, qui e renibus profunduntur, reliqua se in sanguinem vertunt ad easdemque portas iecoris confluunt, ad quas omnes eius viae pertinent, per quas lapsus cibus in hoc ipso loco in eam venam, quae cava appellatur, confunditur perque eam ad cor confectus iam coctusque perlabitur, a corde autem in totum corpus distribuitur per venas admodum multas in omnes partes corporis pertinentes. 138. Quem ad modum autem reliquiae cibi depellantur tum astringentibus se intestinis, tum relaxantibus, haud sane difficile dictu est, sed tamen praetereundum est, ne quid habeat iniucunditatis oratio. Illa potius explicetur incredibilis fabrica naturae: nam quae spiritu in pulmones anima ducitur, ea calescit primum ipso ab spiritu, deinde contagione pulmonum, ex eaque pars redditur respirando, pars concipitur cordis parte quadam, quem ventriculum cordis appellant, cui similis alter adiunctus est, in quem sanguis a iecore per venam illam cavam influit. Eoque modo ex his partibus et sanguis per venas in omne corpus diffunditur et spiritus per arterias. Utraeque autem crebrae multaeque toto corpore intextae vim quandam incredibilem artificiosi operis divinique testantur. 139. Quid dicam de ossibus, quae subiecta corpori mirabiles commissuras habent et ad stabilitatem aptas et ad artus finiendos adcommodatas et ad motum et ad omnem corporis actionem? Huc adde nervos, a quibus artus continentur, eorumque inplicationem corpore toto pertinentem, qui sicut venae et arteriae a corde tracti et profecti in corpus omne ducuntur. LVI. 140. Ad hanc providentiam naturae tam diligentem tamque sollertem adiungi multa possunt, e quibus intel-

---

1. *et terendo* Madvig: *et terendo* (*eterendo*, sed *ete* in rasura, B) *cibo* 𝔄; *atterendo cibo* O. «Tria indicantur, quorum ope omnia (= *cibi* omnes) in alvo coquantur atque conficiantur; id fieri dicitur *calore, terendo* (= *tritura*, sed nomen in usu non erat), *spiritu*; apparet *cibo* addi non posse.» — 3. *sfongiis* A; *sfhongiis* corr. in *spongiis* V — 4. *tum intrante spiritu* Madvigius: *tum in re spiritu* A B C P V (corr. in *tum se spiritu* V); *tum in respiram* E; *tum respiratu* O — *dilatant* corr. ex *dilatantur* B — 6. *autem* Davisius et cod. Glogaviensis: *autem aluo* 𝔄; *autem et alvo* O — 8. *ad iecur eique* B C V²: *ad iecor eique* V¹; *ad iecorique* A; *iecorique* (om. *ad*) E P — 9. *aliae pertinentes* 𝔄 O: *aliae alio pertinentes* Heindorfius; *aliae ad renes pertinentes* Lambinus. «Sane excidit aliquid.» Os. — 10. *umores* corr. in *humores* V — 12. *uiae eius* P — *per* ex correctione habet V — 14. *coctusque* V: *coactusque* A B C E P; *concoctusque* Madvigius ad Cic. de Fin. p. 254. Cf. c. 54 extr. — 16. *reliquiae* corr. ex *reliquae* A — 17. *haut* B E (corr. ex *aut* B) — 19. *incredibilis* corr. ex *incredibiles* A — 20. *ab ipso* O — 21. *coagitatione* V — 22. *quem* codd. aliquot: *quam* 𝔄 O. Cf. Ochsner ad Cic. Eclog. p. 30 sqq. — *uenterculum* A P V — 23. *sanguinis* P — 24. *ex iis* A C P V — 28. *finiendos et adcommodatas* V¹ — 30. *toto corpore* O — 31. *a* corr. ex *ad* A — *tracti et profecti* ed. Ascensiana: *tractae et profectae* A B C P V; *tracte et perfecte* E — 32. *ducuntur* corr. ex *dicuntur* A.

legatur, quantae res hominibus a dis quamque eximiae tributae sint. Quae primum eos humo excitatos celsos et erectos constituit, ut deorum cognitionem caelum intuentes capere possent; sunt enim ex terra homines non ut incolae atque habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum atque caelestium, quarum spectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet. Sensus autem interpretes ac nuntii rerum in capite tamquam in arce mirifice ad usus necessarios et facti et conlocati sunt; nam oculi tamquam speculatores altissimum locum optinent, ex quo plurima conspicientes fungantur suo munere, 141. et aures, cum sonum percipere debeant, qui natura sublime fertur, recte in altis corporum partibus collocatae sunt, itemque nares et, quod omnis odor ad supera fertur, recte sursum sunt et, quod cibi et potionis iudicium magnum earum est, non sine causa vicinitatem oris secutae sunt. Iam gustatus, qui sentire eorum, quibus vescimur, genera debet, habitat in ea parte oris, qua esculentis et potulentis iter natura patefecit; tactus autem toto corpore aequabiliter fusus est, ut omnes ictus omnesque minimos et frigoris et caloris adpulsus sentire possimus. Atque ut in aedificiis architecti avertunt ab oculis naribusque dominorum ea, quae profluentia necessario taetri essent aliquid habitura, sic natura res similis procul amandavit a sensibus. LVII. 142. Quis vero opifex praeter naturam, qua nihil potest esse callidius, tantam sollertiam persequi potuisset in sensibus? quae primum oculos membranis tenuissimis vestivit et saepsit, quas [primum] perlucidas fecit, ut per eas cerni posset, firmas autem, ut continerentur. Sed lubricos oculos fecit et mobiles, ut et declinarent, si quid noceret, et aspectum, quo vellent, facile converterent, aciesque ipsa, qua cernimus, quae pupula vocatur, ita parva est, ut ea, quae nocere possint, facile vitet, palpebraeque, quae sunt tegmenta oculorum, mollissimae tactu, ne laederent aciem, aptissime factae et ad claudendas pupulas, ne quid incideret, et ad aperiendas, idque providit, ut identidem fieri posset cum maxima celeritate. 143. Munitaeque sunt palpebrae tamquam vallo pilorum, quibus et apertis oculis, si quid incideret, repelleretur, et somno coniventibus, cum oculis ad cernendum non egeremus, ut qui tamquam involuti quiescerent. Latent praeterea utiliter et excelsis undique partibus saepiuntur. Primum enim superiora superciliis obducta sudorem a capite et fronte defluentem repellunt; genae deinde ab inferiore parte tutantur subiectae leniterque eminentes, nasusque ita locatus est, ut quasi murus oculis interiectus esse videatur.

---

1. *quanta* V[1] — *a dis* delet Schoemannus. — 2. *quae* (providentia) Victorius: *qui* 𝔄 — *et rectos* V — *constituit* superscr. sec. m. *erunt* C — 3. *possent* corr. ead. m. ex *possunt* A — *ex* 𝔄: *e* O — 5. *animantum* C — 10 *sublime* Davisius: *in sublime* 𝔄. Cf. §§ 44. 101. 115. — 11. *nares et quod* A B C P V: *nares eo quod* E O — 12. *refertur* P — 14. *deberet* 𝔄 — *parte* corr. m. sec. ex *aparte* V — 15. *narula* A V[1] — 16. *corpore toto* E — 16. *minimos* (*minĩos*) E: *nimios* A B C P V — 20. *amandauit* corr. in *amendauit* V — 23. *primum* del. Lambinus. — 24. *continerent* Lambinus. — 26. *popula* B[1] C[1] — 27. *possunt* C E — 28. *aptissimae* A C — 29. *pupulas* corr. ex *populares* C — *ne quit* C — *ad* om. C — 30. *munitaeque sunt palvebrae quae tamquam vallo pilorum* Nonius p. 218. — 31. *si quit* A B — 32. *conluentibus* A B C E — *negeremus* V[1] — 33. *utque tanquam* C. De anacolutho cf. Ochsner Ecl. Cic. p. 58. — *utilner* A — 34. *et* om. C — 35. *fronte* A B[1] C E P V: *a fronte* B[2] O — 36. *leniterque* Walkerus: *leuiterque* 𝔄 — *nasus itaque, qui diductus est, quasi murus oculis interiectus esse videatur* Valerius Probus de nomine § 40. — *nasusque ita* C: *nasus itaque* A B E P V (in V *que* deletum est).

144. Auditus autem semper patet; eius enim sensu etiam dormientes egemus, a quo cum sonus est acceptus, etiam e somno excitamur. Flexuosum iter habet, ne quid intrare possit, si simplex et directum pateret; provisum etiam ut, si qua minima bestiola conaretur inrumpere, in sordibus aurium tamquam in visco inhaeresceret. Extra autem eminent quae appellantur aures et tegendi causa factae tutandique sensus et ne adiectae voces laberentur atque errarent, prius quam sensus ab iis pulsus esset. Sed duros et quasi corneolos habent introitus multisque cum flexibus, quod his naturis relatus amplificatur sonus. Quocirca et in fidibus testudine resonatur aut cornu, et ex tortuosis locis et inclusis *soni* referuntur ampliores. **145.** Similiter nares, quae semper propter necessarias utilitates patent, contractiores habent introitus, ne quid in eas, quod noceat, possit pervadere, umoremque semper habent ad pulverem multaque alia depellenda non inutilem. Gustatus praeclare saeptus est; ore enim continetur et ad usum apte et ad incolumitatis custodiam. LVIII. Omnisque sensus hominum multo antecellit sensibus bestiarum. Primum enim oculi in iis artibus, quarum iudicium est oculorum, in pictis, fictis caelatisque formis, in corporum etiam motione atque gestu multa cernunt subtilius, colorum etiam et figurarum [tum] venustatem atque ordinem et, ut ita dicam, decentiam oculi iudicant, atque etiam alia maiora; nam et virtutes et vitia cognoscunt, iratum propitium, laetantem dolentem, fortem ignavum, audacem timidumque cognoscunt. **146.** Auriumque item est admirabile quoddam artificiosumque iudicium, quo iudicatur et in vocis et in tibiarum nervorumque cantibus varietas sonorum, intervalla, distinctio et vocis genera permulta: canorum fuscum, leve asperum, grave acutum, flexibile durum, quae hominum solum auribus iudicantur. Nariumque item et gustandi et † parte tangendi magna iudicia sunt. Ad quos sensus capiendos et perfruendos plures etiam quam vellem artes repertae sunt; perspicuum est enim, quo conpositiones unguentorum, quo ciborum conditiones, quo corporum lenocinia processerint.

LIX. 147. Iam vero animum ipsum mentemque hominis, rationem, consilium, prudentiam qui non divina cura perfecta esse perspicit, is his ipsis rebus mihi videtur carere. De quo dum disputarem, tuam mihi dari vellem, Cotta, eloquentiam. Quo enim tu illa modo diceres! quanta primum intellegentia, deinde consequentium rerum cum primis coniunctio et conprehensio esset in nobis, ex quo videlicet, quid ex quibusque rebus efficiatur, [idque ratione,] concludimus, singulasque res definimus

---

1. *seper* V — 2. *a somno* C — 3. *ne quit* C — 5. *sordius* V¹ — 6. *fautae* A — 7. *ab his* 𝔄 O — 8. *multisque conflexibus* A — 9. *et* om. C — 10. *et ex* corr. ex *aut ex* V — *soni* Lambinus: om. 𝔄 — 12. *utilitatis* A — *putent* V¹ — 13. *um.* A: *hum.* O — 15. *incolomitatis* A — 16. *omnesque* B E V¹ — *antecellunt* B — 17. *in his* 𝔄 — 19. *cernunt* corr. ex *cernit* A — *suptilius* V¹ — *colorum etiam -- oculi iudicant* Nonius p. 203. — *tum* del. Lambinus. — 21. *cognoscunt* vel hic vel infra malim abesse. — *propicium* C — 22. *timidum cognoscunt* vir doctus in Mnemos. II p. 418. — 25. *canorum* 𝔄: *candidum* Davisius, O — 26. *durumque hominum* A — 27. *gustandi magna* (mediis omissis) C — *et parte* A B E P: *et arte* (littera ante *arte* erasa) V, fort. recte, ut *arte* (adv.) *tangere* similiter dictum sit atque *arte complecti* de divinat. I § 103; *pariter et* O — 32. *perspicit* (superscr *percipit*) V — *is* in A erasum om. B C — 33. *disputarem* A B E P V: *spicuarem* C; *disputem* Ernestius, O — 34. *vellem* Lambinus: *uelim* 𝔄 O — 36. *ex quo uidemus quid* B E — 37. Verba *idque ratione* recte suspecta Schoemanno, qui iis substituit *et qua ratione*, ego seclusi. — *rationem* A V.

circumscripteque conplectimur, ex quo scientia intellegitur quam vim habeat, [qualis sit,] qua ne in deo quidem est res ulla praestantior. Quanta vero illa sunt, quae vos Academici infirmatis et tollitis, quod et sensibus et animo ea, quae extra sunt, percipimus atque conprendimus! 148. Ex quibus conlatis inter se et conparatis artes quoque efficimus, partim ad usum vitae, partim ad oblectationem necessarias. Iam vero domina rerum, ut vos soletis dicere, eloquendi vis, quam est praeclara quamque divina! quae primum efficit ut et ea, quae ignoramus, discere et ea, quae scimus, alios docere possimus. Deinde hac cohortamur, hac persuademus, hac consolamur afflictos, hac deducimus perterritos a timore, hac gestientes conprimimus, hac cupiditates iracundiasque restinguimus, haec nos iuris, legum, urbium societate devinxit, haec a vita inmani et fera segregavit. 149. Ad usum autem orationis incredibile est, si diligenter attenderis, quanta opera machinata natura sit. Primum enim a pulmonibus arteria usque ad os intimum pertinet, per quam vox principium a mente ducens percipitur et funditur. Deinde in ore sita lingua est finita dentibus; ea vocem inmoderate profusam fingit et terminat atque sonos vocis distinctos et pressos efficit, cum et ad dentes et ad alias partes pellit oris. Itaque plectri similem linguam nostri solent dicere, chordarum dentes, nares cornibus iis, qui ad nervos resonant in cantibus.

LX. 150. Quam vero aptas quamque multarum artium ministras manus natura homini dedit! Digitorum enim contractio facilis facilisque porrectio propter molles commissuras et artus nullo in motu laborat. Itaque ad pingendum, ad fingendum, ad scalpendum, ad nervorum eliciendos sonos ac tibiarum apta manus est admotione digitorum. Atque haec oblectationis: illa necessitatis, cultus dico agrorum extructionesque tectorum, tegumenta corporum vel texta vel suta omnemque fabricam aeris et ferri: ex quo intellegitur ad inventa animo, percepta sensibus, adhibitis opificum manibus omnia nos consecutos, ut tecti, ut vestiti, ut salvi esse possemus, urbes, muros, domicilia, delubra haberemus. 151. Iam vero operibus hominum, id est manibus, cibi etiam varietas invenitur et copia; nam et agri multa efferunt manu quaesita, quae vel statim consumantur vel mandentur condita vetustati, et praeterea vescimur bestiis et terrenis et aquatilibus et volantibus, partim capiendo, partim alendo. Efficimus etiam domitu nostro quadripedum vectiones, quorum celeritas atque vis nobis ipsis adfert vim et celeritatem. Nos onera quibusdam bestiis, nos

---

1. *circumscriptaeque* A C — *complectemur* V[1] — 2. *qualis sit* del. Schuetzius; *qualisque sit* Moserus; *et qualis sit* Schoemannus. — 8. *et* post *ut* om. E — 9. *hac* corr. ex *ac* V — 11. *restringimus* C E — 12. *legum* corr. ex *legium* V — 13. *si* Madvigius: *nisi* 𝔄; *ubi* O — 16. *a mente* corr. ex *amante* V — *deinde in ore sita linea lingua est - - et terminat* Nonius p. 309. — 17. *est munita dentibus* Bünemannus ad Lactant. de opif. dei c. 10, 17 et Schoemannus Dissert. VI p. 8 sq. — *terminat atque* Davisius: *terminat quae* A B C P V; *terminat que* E — 18. *et* post *cum* om. C — *ad* ante *dentes* superscr. in A V; utrubique om. B — 20. *his qui* 𝔄 — 23. *facilis* om. C E — 25. *ad fingendum* P: *fingendum* A B C V; utramque vocem om. E — 26. *ac* P V (in V corr. ex *ad*): *ad* A B C E — *admotione* B C P V (corr. ex *admonitione* B, ex *admotionem* V): *ad motionem* A E — 29. *adhibitis* corr. ex *adhibitas* A — 30. *consequutos* A — 31. *possemus* C: *possumus* (corr. in *possimus*) A; *possimus* B E P V — 32. *operibus* corr. ex *opibus* B; *operis* Lambinus. — 33. *consummantur* B V — 35. *volatilibus* E O — *capiando* A — *quadrupedum* E O.

iuga inponimus; nos elephantorum acutissumis sensibus, nos sagacitate canum ad utilitatem nostram abutimur; nos e terrae cavernis ferrum elicimus, rem ad colendos agros necessariam; nos aeris, argenti, auri venas penitus abditas invenimus et ad usum aptas et ad ornatum decoras; arborum autem consectione omnique materia et culta et silvestri partim ad calficiendum corpus igni adhibito et ad mitigandum cibum utimur, partim ad aedificandum, ut tectis saepti frigora caloresque pellamus. 152. Magnos vero usus adfert ad navigia facienda, quorum cursibus subpeditautur omnes undique ad vitam copiae, quasque res violentissimas natura genuit, earum moderationem nos soli habemus, maris atque ventorum, propter nauticarum rerum scientiam plurimisque maritimis rebus fruimur atque utimur. Terrenorum item commodorum omnis est in homine dominatus: nos campis, nos montibus fruimur; nostri sunt amnes, nostri lacus; nos fruges serimus, nos arbores; nos aquarum inductionibus terris fecunditatem damus; nos flumina arcemus, dirigimus, avertimus; nostris denique manibus in rerum natura quasi alteram naturam efficere conamur.

LXI. 153. Quid vero? hominum ratio non in caelum usque penetravit? Soli enim ex animantibus nos astrorum ortus, obitus cursusque cognovimus; ab hominum genere finitus est dies, mensis, annus, defectiones solis et lunae cognitae praedictaeque in omne posterum tempus, quae, quantae, quando futurae sint. Quae contuens animus accedit ad cognitionem deorum, e qua oritur pietas, cui coniuncta iustitia est reliquaeque virtutes, e quibus vita beata existit par et similis deorum, nulla alia re nisi inmortalitate, quae nihil ad bene vivendum pertinet, cedens caelestibus. Quibus rebus expositis satis docuisse videor, hominis natura quanto omnis anteiret animantes. Ex quo debet intellegi nec figuram situmque membrorum nec ingenii mentisque vim talem effici potuisse fortuna. 154. Restat ut doceam atque aliquando perorem, omnia, quae sint in hoc mundo, quibus utantur homines, hominum causa facta esse et parata.

LXII. Principio ipse mundus deorum hominumque causa factus est [quaeque in eo sunt, ea parata ad fructum hominum et inventa sunt]. Est enim mundus quasi communis deorum atque hominum domus aut urbs utrorumque. Soli enim ratione utentes iure ac lege vivunt. Ut igitur Athenas et Lacedaemonem Atheniensium Lacedaemoniorumque causa putandum est conditas esse, omniaque, quae sint in his urbibus, eorum populorum recte esse dicuntur, sic, quaecumque sunt in omni mundo,

---

3. *argenti et auri* C — 5. *consectione* V^2: *confectione* B; *confectionem* A C E P V^1 — *omnique et materia* B — 6. *calficiendum* A C P V: *cal faciendum* B; *calefaciendum* E O. (*calficiunt* etiam cod. Mediceus ad Famil. VIII, 6, 4; sed idem *calface* XVI, 18, 2.) — 7. *partim et ad* A C E P V — 11. *nautigarum* A; *nauti earum* corr. m. sec. in *nauticarum* V — 15. *dirigimus* corr. ex *derigimus* B — 16. *auertimus* corr. ex *aduertimur* V — 18. *in* ante rasuram duarum litterarum A — 21. *praedicataeque* 𝔄 — *tempus* (superscr. manu tertia *genus*) V — 22. *accedit ad cognitionem* Davisius (qui tamen ipse in vulgata lectione adquievit): *accipit ad cognitionem* A^1 B C E P V^1; *accipit cognitionem* A^2; *accipit ab iis cognitionem* V^2; *accipit ab his cognitionem* O (*accidit ad cognitionem* Pithoeus) — 23. *e qua* B C E P V: *aequa* A; *ex qua* O — 29. *aliquanto* P — 33. *quaeque* - - *inventa sunt* Heindorfio auctore seclusi. — *sunt omnia parata* P — 38. *omni* (superscr. *hoc*) V.

deorum atque hominum putanda sunt. 155. Iam vero circumitus solis et lunae reliquorumque siderum, quamquam etiam ad mundi cohaerentiam pertinent, tamen et spectaculum hominibus praebent; nulla est enim insatiabilior species, nulla pulchrior et ad rationem sollertiamque praestantior; eorum enim cursus dimetati maturitates temporum et varietates mutationesque cognovimus: quae si hominibus solis nota sunt, hominum facta esse causa iudicandum est. 156. Terra vero feta frugibus et vario leguminum genere, quae cum maxuma largitate fundit, ea ferarumne an hominum causa gignere videtur? Quid de vitibus olivetisque dicam? quarum uberrumi laetissumique fructus nihil omnino ad bestias pertinent; neque enim serendi neque colendi nec tempestive demetendi percipiendique fructus neque condendi ac reponendi ulla pecudum scientia est, earumque omnium rerum hominum est et usus et cura. LXIII. 157. Ut fides igitur et tibias eorum causa factas dicendum est, qui illis uti possent, sic ea, quae dixi, iis solis confitendum est esse parata, qui utuntur, nec, si quae bestiae furantur aliquid ex iis aut rapiunt, illarum quoque causa ea nata esse dicemus. Neque enim homines murum aut formicarum causa frumentum condunt, sed coniugum et liberorum et familiarum suarum. Itaque bestiae furtim, ut dixi, fruuntur, domini palam et libere. 158. Hominum igitur causa eas rerum copias comparatas fatendum est, ni forte tanta ubertas et varietas pomorum eorumque iucundus non gustatus solum, sed odoratus etiam et aspectus, dubitationem adfert quin hominibus solis ea natura donaverit. Tantumque abest, ut haec bestiarum etiam causa parata sint, ut ipsas bestias hominum gratia generatas esse videamus. Quid enim oves aliud adferunt nisi ut earum villis confectis atque contextis homines vestiantur? quae quidem neque ali neque sustentari neque ullum fructum edere ex se sine cultu hominum et curatione potuissent. Canum vero tam fida custodia tamque amans dominorum adulatio tantumque odium in externos et tam incredibilis ad investigandum sagacitas narium, tanta alacritas in venando quid significat aliud nisi se ad hominum commoditates esse generatos? 159. Quid de bubus loquar? quorum ipsa terga declarant non esse se ad onus accipiendum figurata; cervices autem natae ad iugum, tum vires umerorum et latitudines ad aratra extrahenda: quibus cum terrae subigerentur fissione glebarum, ab illo aureo genere, ut poëtae loquuntur, vis nulla umquam adferebatur.

F e r r e a t u m v e r o p r o l e s e x o r t a r e p e n t e e s t

---

1. *circuitus* E O. Cf. III § 47. — 5. *demetati* V[1] — *uarietatis* A V[1] — 7. *causa facta esse* O — 8. post *quae cum maxima* in A C V sequuntur verba *etenim si di* (§ 16) -- *quae ecferant aliquid* (§ 86), in E verba *tam multarum rerum* cet. (§ 15) Cf. p. 406, 29. De B P vide p. 369 sq. — *fundi te ea* V[1]; *fundi ea* V[2] — 12. *condendi* (in marg. m. sec. *colendi*) V — 13. *hominum*] *omnium* A — *ěet et* ex dittographia A; *est* ex correctione habet V — 15. *possunt* V[2] O — *dixi iis* C V[2]: *dixi is* A[1] B V[1]; *dixi his* A[2] E; *diximus* alii. — 16. *ex his* B E — 17. *nec enim -- condunt* Charisius p. 137, 4 ed. Keil. — 18. *murum* Charisius: *murium* 𝔄 O — *aut*] *atque* C — 21. *ni* A B[1] E V: *nisi* B[2] C O — *ubertas et uarietas* C: *ubertas uarietas* A B V; *ubertas uarietasque* E — 22. *iocundus* C E — 25. *gratia* corr. ex *cratia* V — 26. *confectus* V[1] — 28. *possent* O — *canum -- adulatio* Nonius p. 17. — 32. *bubus* A B[1] C V: *bobus* B[2] E O. Cf. p. 147, 3. — *quarum* V — 34. *arara* V[1] — 36. *loquntur* A — 37. *est* superscr. in A; om. in rasura (fuisse videtur *sunt* pro *st*) B.

Ausaque funestum primast fabricarier ensem
Et gustare manu vinctum domitumque iuvencum.

Tanta putabatur utilitas percipi e bubus, ut eorum visceribus vesci scelus haberetur. LXIV. Longum est mulorum persequi utilitates et asinorum, quae certe ad hominum usum paratae sunt. 160. Sus vero quid habet praeter escam? cui quidem, ne putesceret, animam ipsam pro sale datam dicit esse Chrysippus; qua pecude, quod erat ad vescendum hominibus apta, nihil genuit natura fecundius. Quid multitudinem suavitatemque piscium dicam? quid avium? ex quibus tanta percipitur voluptas, ut interdum πρόνοια nostra Epicurea fuisse videatur. Atque eae ne caperentur quidem nisi hominum ratione atque sollertia: quamquam avis quasdam et alites et oscines, ut nostri augures appellant, rerum augurandarum causa esse natas putamus. 161. Iam vero immanes et feras beluas nanciscimur venando, ut et vescamur iis et exerceamur in venando ad similitudinem bellicae disciplinae et utamur domitis et condocefactis, ut elephantis, multaque ex earum corporibus remedia morbis et vulneribus eliciamus, sicut ex quibusdam stirpibus et herbis, quarum utilitates longinqui temporis usu et periclitatione percepimus. Totam licet animis tamquam oculis lustrare terram mariaque omnia: cernes iam spatia frugifera atque inmensa camporum vestitusque densissimos montium, pecudum pastus, tum incredibili cursus maritimos celeritate. 162. Nec vero supra terram, sed etiam in intumis eius tenebris plurimarum rerum latet utilitas, quae ad usum hominum orta ab hominibus solis invenitur.

LXV. Illud vero, quod uterque vestrum arripiet fortasse ad reprendendum, Cotta, quia Carneades lubenter in Stoicos invehebatur, Velleius, quia nihil tam inridet Epicurus quam praedictionem rerum futurarum, mihi videtur vel maxume confirmare deorum providentia consuli rebus humanis. Est enim profecto divinatio, quae multis locis, rebus, temporibus apparet cum in privatis, tum maxume *in* publicis. 163. Multa cernunt haruspices, multa augures provident, multa oraculis declarantur, multa vaticinationibus, multa somniis, multa portentis, quibus cognitis multae saepe res ex hominum sententia atque utilitate partae, multa etiam pericula depulsa sunt. Haec igitur sive vis sive ars sive natura ad scien-

---

1. *primast* V¹ : *prima est* A B E V² (*est* m. sec. in rasura A, erasum in B); *prima sunt* (*sunt* pro *st*) C — *fabricarier ensem et* A E (*er* in rasura A): *fabricariferensem et* (post *fer* superscr. *re*) B; *fabricari ferens emet* C; *fabricari ferro* (superscr. *fabricarier*) *ensem et* V — 2. *gustare* (litterae *u* superscr. *e*) B; *gestare* E — *uinctum* corr. ead. m. ex *uictum* A; *iunctum* C V — *iumentum* C — 3. *percipi e bubus* A C V: *percipue bubus* B; *percipi uel bobus* E; *percipi ex bobus* O. Cf. p. 446, 32. — 4. *mulorum persequi* corr. in *si mulorum persequar* B; ante *mulorum* duae litterae erasae sunt in V — *asinorum* corr. ex *asenorum* V — 10. *pronoea* 𝔄 O — *eae* B V²: *aeae* V¹; *hee* A E (in maiore rasura m. sec. A); *te* corr. in *hę* C; *hae* O — *caparentur* V¹ — 13. *natas esse* C — 14. *nasciscimur* A — *his* B — *et* om. V¹ — 15. *cūdocefactis ut* B; *condocefacti sint* V — 17. *eliciamus* cod. Rehdingerianus: *eligamus* 𝔄; cf. § 151. — *ex quibusdam* - - *utilitatis* - - *percepimus* Nonius p. 219. — *erbis* A — 18. *percepimus* C: *percipimus* A B E V — 19. *cernens* corr. in *cerneres* V — 23. *utillitas* A — 26. *inridit* A V¹ — *praedictionem* (ex correctione) C: *praedicationem* A B E V — 27. a verbis *deorum prudentia* rursus incipit P — *providentia* (corr. ex *prudentia*) V: *prudentia* A B C E P — 29. *cum* A B E P V: *tum* C — *in* ante *publicis* om. 𝔄 — 30. *hauruspices* C; *aruspices* E — *oraclis* A B C V — 32. *ex* Lambinus et cod. Glogaviensis: om. 𝔄 — *atque* ante rasuram unius litterae habet A — *utilitate* 𝔄: *utilitates* Marsus, O — 33. *siue ars siue uis* C.

tiam rerum futurarum homini profecto est nec alii cuiquam a dis inmortalibus data. Quae si singula vos forte non movent, universa certe tamen inter se conexa atque coniuncta movere debebant. 164. Nec vero universo generi hominum solum, sed etiam singulis a dis inmortalibus consuli et provideri solet. Licet enim contrahere universitatem generis humani eamque gradatim ad pauciores, postremo deducere ad singulos. LXVI. Nam si omnibus hominibus, qui ubique sunt, quacumque in ora ac parte terrarum ab huiusce terrae, quam nos incolimus, continuatione distantium, deos consulere censemus ob eas causas, quas ante diximus, his quoque hominibus consulunt, qui has nobiscum terras ab oriente ad occidentem colunt. 165. Sin autem *iis* consulunt, qui quasi magnam quandam insulam incolunt, quam nos orbem terrae vocamus, etiam illis consulunt, qui partes eius insulae tenent, Europam, Asiam, Africam. Ergo et earum partes diligunt, ut Romam, Athenas, Spartam, Rhodum, et earum urbium separatim ab universis singulos diligunt, ut Pyrrhi bello Curium, Fabricium, Coruncanium, primo Punico Calatinum, Duellium, Metellum, Lutatium, secundo Maxumum, Marcellum, Africanum, post hos Paulum, Gracchum, Catonem, patrumve memoria Scipionem, Laelium, multosque praeterea et nostra civitas et Graecia tulit singulares viros, quorum neminem nisi iuvante deo talem fuisse credendum est. 166. Quae ratio poëtas maxumeque Homerum inpulit, ut principibus heroum, Ulixi, Diomedi, Agamemnoni, Achilli, certos deos discriminum et periculorum comites adiungeret. Praeterea ipsorum deorum saepe praesentiae, quales supra commemoravi, declarant ab iis et civitatibus et singulis hominibus consuli: quod quidem intellegitur etiam significationibus rerum futurarum, quae tum dormientibus, tum vigilantibus portenduntur. Multa praeterea ostentis, multa extis admonemur multisque rebus aliis, quas diuturnus usus ita notavit, ut artem divinationis efficeret. 167. Nemo igitur vir magnus sine aliquo adflatu divino umquam fuit. Nec vero *id* ita refellendum est, ut, si segetibus aut vinetis cuiuspiam tempestas nocuerit aut si quid e vitae commodis casus abstulerit, eum, cui quid horum acciderit, aut invisum deo aut neglectum a deo iudicemus. Magna di curant, parva neglegunt. Magnis autem viris prosperae semper omnes res, si quidem satis a nostris et a principe philosophiae Socrate dictum est de ubertatibus virtutis et copiis.

---

1. *alicuiquam* 𝔄; *ab alio cuiquam* in marg. m. sec. V — 2. *mobent* V¹; *mouent* (*u* in rasura) A — 3. *atque iuncta* C — *debebant* A B¹ E V¹: *debeant* P; *debebunt* B² C V² — 9. *destancium* A B¹; *destantium* V¹ — *obas* (superscr. *h* ante *a*) A; *ob has* B C E P V — 11. *iis* om. 𝔄 — 12. *quandam magnam* P O — 15. *separati* A — 16. *corūcanium* C — 16. *duellium* 𝔄: *Duilium* O — 17. *lutacium* A B — *africanum* corr. ex *africanos* B — 18. *patrumue* 𝔄: *patrumque* Lambinus; *patrum vero* O — 20. *uiros* corr. ex *ueros* V — 22. *herohum* A V¹ — *ulixi. achilli. agamemnoni. achilli* P — *diomedii agamemnoni* V¹ — 23. *praeterea ipsorum* - - *artem divinationis efficeret* ab hoc loco aliena videntur, desumpta ex praecedentibus § 162 sq. — 24. *ab iis* C V: *ab is* corr. in *ab iis* A; *ab his* B E P — *et in ciuitatibus* P V (in V praepositio sec. m. expuncta est) — 27. *multa in extis* 𝔄 — 30. *id* Heindorfius: om. O — *refellendum*] «Non agitur de refellendo, sed quousque progrediendum sit in iis, quae fiunt, ad vim divinam revocandis. Nec tamen satisfacit: *Nec vero ita intellegendum est, ut* cet.» Madvig. Fort. *nec vero id ita premendum est, ut* cet. — 31. *e* in ras. m. sec. A; *de* cod. Pithoei; *a* E — *abstulerit casus* P — 33. post *magna* unius litterae rasura est in A — *prosperae semper* A C P: *prospere semper* B E V (post *prospere* margini *eueniunt* adscriptum habet V); *prospere semper eveniunt* O.

LXVII. 168. Haec mihi fere in mentem veniebant, quae dicenda putarem de natura deorum. Tu autem Cotta, si me audias, eandem causam agas teque et principem civem et pontificem esse cogites et, quoniam in utramque partem vobis licet disputare, hanc potius sumas eamque facultatem disserendi, quam tibi a rhetoricis exercitationibus amplificavit Academia, potius huc conferas: mala enim et impia consuetudo est contra deos disputandi, sive ex animo id fit sive simulate.

---

2. *eundem* V¹ — 3. *ciuem putes et* P — 4. *quovis,* superscr. *uobis*, V — *disputare* corr. m. sec. in *disputari* V — 6. *potius huc conferas* A B C E V: *potius conferas huc* P; *huc potius conferas* O — *et impia* C E V²: *et ampia* V¹; *etiam pia* A B P — 7. *M. TULLII CICERONIS DE DEORUM NATURA EXPL. L. II. INCIPIT III.* A; *M. TULLI CICERONIS DE DEORUM NATURA EXPLICITUS LIB. II. INCIPIT LIB. III.* B; *Explicit secundus liber marci tuly ciceronis de natura deorum. Incipit tertius eiusdem* E; *M. TULLII CICERONIS DE DEORUM NATURA LIB. II. EXPLICIT. INCIPIT LIB. III.* V; subscriptione caret C.

M. TULLII CICERONIS

DE DEORUM NATURA

LIBER TERTIUS.

I. 1. Quae cum Balbus dixisset, tum adridens Cotta, Sero, inquit, mihi, Balbe, praecipis, quid defendam. Ego enim te disputante, quid contra dicerem, mecum ipse meditabar, neque tam refellendi tui causa quam ea, quae minus intellegebam, requirendi. Cum autem suo cuique iudicio sit utendum, difficile factu est me id sentire, quod tu velis. 2. Hic Velleius, Nescis, inquit, quanta cum exspectatione, Cotta, sim te auditurus. Iucundus enim Balbo nostro sermo tuus contra Epicurum fuit: praebebo igitur ego me tibi vicissim attentum contra Stoicos auditorem; spero enim te, ut soles, bene paratum venire. 3. Tum Cotta, Sic me hercule, inquit, Vellei; neque enim mihi par ratio cum Lucilio est ac tecum fuit. Qui tandem? inquit ille. Quia mihi videtur Epicurus vester de dis inmortalibus non magno opere pugnare; tantum modo negare deos esse non audet, ne quid invidiae subeat aut criminis. Cum vero deos nihil agere, nihil curare confirmat membrisque humanis esse praeditos, sed eorum membrorum usum nullum habere, ludere videtur satisque putare, si dixerit esse quandam beatam naturam et aeternam. 4. A Balbo autem animadvertisti, credo, quam multa dicta sint quamque, etiam si minus vera, tamen apta inter se et cohaerentia. Itaque cogito, ut dixi, non tam refellere eius orationem quam ea, quae minus intellexi, requirere. Quare, Balbe, tibi permitto, responderene mihi malis de singulis rebus quaerenti ex te ea, quae parum accepi, an universam audire orationem meam. Tum Balbus: Ego vero, si quid explanari tibi voles, respondere malo; sin me interrogare non tam intellegendi causa quam refellendi, utrum voles faciam, vel ad singula, quae requires, statim respondebo, vel, cum peroraris, ad omnia. 5. Tum Cotta, Optime, inquit; quam ob rem sic agamus, ut nos ipsa ducet oratio. II. Sed

---

1. *inquid* A[1]; item v. 6. 10. 11. — 2. *balbae* (ubique) V — 5. *factum* A C E — 7. *iocundus* C E — 8. *me ego* O — 10. *Sic* Lambinus (addito *est* praeter necessitatem): *si* A B E V O; *sine* C. Cf. Madvig ad Cic. de Fin. III § 9. — *me* in ras. superscr. A — *par ratio* corr. ex *paratio* A B — 11. *ille quam mihi* V — 12. *magnopere* 𝔄 — 13. *inui.diae subbeat* A — 15. *habere nullum* O — 19. *eaque* A — 21. *parum* B: *paruam* A E (in A superscr. m. multo recentiore *paraueram*); *parua* C V (corr. ex *paruam* V) — *accipe* A. «Scr. *cepi* aut potius *percepi*.» Madvig. — 22. *tibi explanari* C — 23. *si me* B V — 25. *respondebo ut nos ipsa ducit uel* A — 26. *inquid* A[1] — *ducet* Heindorfius: *ducit* 𝔄 O.

ante quam de re, pauca de me. Non enim mediocriter moveor auctoritate tua, Balbe, orationeque ea, quae me in perorando cohortabatur, ut meminissem me et Cottam esse et pontificem, quod eo, credo, valebat, ut opiniones, quas a maioribus accepimus de dis inmortalibus, sacra, caerimonias religionesque defenderem. Ego vero eas defendam semper semperque defendi, nec me ex ea opinione, quam a maioribus accepi de cultu deorum inmortalium, ullius umquam oratio aut docti aut indocti movebit. Sed cum de religione agitur, Ti. Coruncanium, P. Scipionem, P. Scaevolam, pontifices maximos, non Zenonem aut Cleanthen aut Chrysippum sequor habeoque C. Laelium augurem eundemque sapientem, quem potius audiam dicentem de religione in illa oratione nobili quam quemquam principem Stoicorum. Cumque omnis populi Romani religio in sacra et in auspicia divisa sit, tertium adiunctum sit, si quid praedictionis causa ex portentis et monstris Sibyllae interpretes haruspicesve monuerunt, harum ego religionum nullam umquam contemnendam putavi mihique ita persuasi, Romulum auspiciis, Numam sacris constitutis fundamenta iecisse nostrae civitatis, quae numquam profecto sine summa placatione deorum inmortalium tanta esse potuisset. 6. Habes, Balbe, quid Cotta, quid pontifex sentiat: fac nunc ego intellegam, tu quid sentias; a te enim philosopho rationem accipere debeo religionis, maioribus autem nostris etiam nulla ratione reddita credere. III. Tum Balbus, Quam igitur a me rationem, inquit, Cotta, desideras? Et ille, Quadripertita, inquit, fuit divisio tua, primum ut velles docere deos esse, deinde quales essent, tum ab iis mundum regi, postremo consulere eos rebus humanis. Haec, si recte memini, partitio fuit. Rectissume, inquit Balbus, sed expecto, quid requiras. 7. Tum Cotta, Primum quidque videamus, inquit, et si id est primum, quod inter omnis nisi admodum impios convenit, mihi quidem ex animo eximi non potest, esse deos, id tamen ipsum, quod mihi persuasum est auctoritate maiorum, cur ita sit, nihil tu me doces. Quid est, inquit Balbus, si tibi persuasum est, cur a me velis discere? Tum Cotta, Quia sic adgredior, inquit, ad hanc disputationem, quasi nihil umquam audierim de dis inmortalibus, nihil cogitaverim; rudem me et integrum discipulum accipe et ea, quae requiro, doce. 8. Dic igitur, inquit, quid requiras. Egone? primum illud,

---

5. *cerimonias* A C V — *religionisque* A V¹ — 8. *Ti.* Manutius: *.t.* A²B; *tunc* E; om. A¹C V. Cf. p. 399, 11. — *quorum canium* A; *coruncanum* corr. sec. m. in *coruncanium* V — 9. *cleanthen* A B C: *cleantē* E; *cleanthem* V O — 10. *c. laelium* B E: *c. lelium* V²; *clelium* A V¹; *lelium* (post litteram erasam) C — 11. *de religione dicentem* O — *relegione* V¹ — 13. *in* ante *auspicia* om. E — *ospicia* A V¹ — *tertium* 𝔄: *et tertium* alii. — 14. *monstris* (in marg. *monitis*) V — *sibille* A E, *sibillae* C — 15. *hauruspicesue* C; *auruspicesue* E — *ego* A V: *ergo* B C E. Conf. v. 19. — *nullum* A — 16. *autspiciis* A; *hauspiciis* C — 17. *fundamenta* - - *civitatis* in marg. m. sec., sed vetere, A — 18. *placlatione* A — *potuissent* 𝔄 — *Habes, Balbe, quid* - - *nunc ego intelligam*, *quid tu sentias* - - *religionis accipere debeo, maioribus* - - *ratione rationis est credere* Lactantius Inst. II, 6. — 19. *ego* Lactantius: *ergo* 𝔄. Cf. v. 15. — 22. *inquid* A¹; item v. 23. 30. 34. — 23. *quadripartita* V O — 24. *ab is* (superscr. *h*) B; *ab his* E — 26. A verbis *Balbus sed expecto* rursus incipit P — 27. *et si* 𝔄: *etsi* O. Vide Schoemannum Diss. IV p. 5. — *primum est* P — 28. *eximi* Anonymus apud Davisium: *exuri* 𝔄; *erui* Walkerus; *exui* O — 29. *auctoritatē* A¹.

cur, quod in ista partitione ne egere quidem oratione dixisses, quod esset perspicuum et inter omnis constaret, de eo ipso tam multa dixeris. Quia te quoque, inquit, animadverti, Cotta, saepe, cum in foro diceres, quam plurimis posses argumentis onerare iudicem, si modo eam facultatem tibi daret causa. Atque hoc idem et philosophi faciunt et ego, ut potui, feci. Tu autem, qui id quaeris, similiter facis ac si me roges, cur te duobus contuear oculis et non altero coniveam, cum idem uno adsequi possim. IV. 9. Tum Cotta, Quam simile istud sit, inquit, tu videris. Nam ego neque in causis, si quid est evidens, de quo inter omnis conveniat, argumentari soleo: perspicuitas enim argumentatione elevatur: nec, si id facerem in causis forensibus, idem facerem in hac subtilitate sermonis. Cur coniveres autem altero oculo, causa non esset, cum idem obtutus esset amborum et cum rerum natura, quam tu sapientem esse vis, duo lumina ab animo ad oculos perforata nos habere voluisset. Sed quia non confidebas tam esse id perspicuum, quam tu velles, propterea multis argumentis deos esse docere voluisti. Mihi enim unum sat erat, ita nobis maiores nostros tradidisse; sed tu auctoritates contemnis, ratione pugnas. 10. Patere igitur rationem meam cum tua ratione contendere. Adfers haec omnia argumenta, cur di sint, remque mea sententia minime dubiam argumentando dubiam facis. Mandavi enim memoriae non numerum solum, sed etiam ordinem argumentorum tuorum. Primum fuit, cum caelum suspexissemus, statim nos intellegere esse aliquod numen, quo haec regantur. Ex hoc illud etiam

Aspice hoc sublimen candens, quem invocant omnes
Iovem:

11. quasi vero quisquam nostrum istum potius quam Capitolinum Iovem appellet aut hoc perspicuum sit constetque inter omnis, eos esse deos, quos tibi Velleius multique praeterea ne animantis quidem esse concedant. Grave etiam argumentum tibi videbatur, quod opinio de dis in-

---

1. *quod in ista partitione* Heindorfius: *quod perspicuum in istam partem* 𝔄; *qui id in ista partitione* Mosero auctore O — *quod esset perspicuum* B V^2: *quod est perspicuum* A V^1; *quod et perspicuum* C E; *quod et perspicuum esset* Madvig. — 2. *dixeris tam multa* P — 3. *te inquit quoque* P — *inquid* A — 4. *possis* A B C E P V^1 — 6. *qui id*] *quod* 𝔄 — 7. *coniveam* Madvigius: *contuear* 𝔄 O. «Prave repetitur *contuear*; prave *non altero* dicitur pro *non uno* (tantum); prave variatur *altero* - *uno* in eadem significatione. Nec minus manifesta orationis vitia in iis, quae his paulo post (§ 9) respondent, *Cur contuerere autem altero oculo*; nam et ibi *altero* vitiose pro *uno (uno tantum)* ponitur et prave *contuerere* initio ponitur, cum, in hac scriptura, pondus sententiae sit in *altero*. Atque hoc posteriore loco veram scripturam optimi codices paene integram servarunt, qui habent *contueres*, hoc est: *Cur coniueres autem altero oculo, causa non esset (das eine Auge zu schliessen, würde keine Veranlassung da sein)*. Itaque etiam priore loco scribendum est optima oratione et sententia: *cur te duobus contuear oculis et non altero coniveam, cum idem uno adsequi possim (und nicht das eine schliesse, da ich mit einem einzigen dasselbe ausrichten kann)*. Notum est quam obnoxium librariorum erroribus fuerit *conivendi* verbum, in quo offensum etiam est a compluribus II § 143. Alia exempla sunt in or. II in Catil. § 27. de lege agr. II § 77. de harusp. resp. § 38 et 52.» — 10. *argumentari* corr. ex *argumentaris* V — 11. *leuatur* B V (corr. ex *eleuatur* V) — 12. *coniueres* Madvigius: *contueres* A B C P V^1; *contuereris* E V^2; *contuerere* O. Vide ad v. 7. — 13. *esse* V^1 — 15. *velles* Ernestius: *uelis* 𝔄 O — 16. *unum* om. P — 17. *sat* 𝔄: *satis* O — *maioris* A B V^1 — *contempnis* V — 18. *cum* corr. ex *quum* V; *quam* P — 19. *contempnere* P — 20. *argumentande* V^1 — 24. *sublime* 𝔄 O. Vide ad p. 403, 3. — *cadens* A V (*n* ante *d* superscr. A) — 29. *grauem* A V^1.

mortalibus et omnium esset et cotidie cresceret. Placet igitur tantas res opinione stultorum iudicari, vobis praesertim, qui illos insanos esse dicatis? V. At enim praesentis videmus deos, ut apud Regillum Postumius, in Salaria Vatinius, nescio quid etiam de Locrorum apud Sagram proelio. Quos igitur tu Tyndaridas appellabas, id est homines homine natos, et quos Homerus, qui recens ab illorum aetate fuit, sepultos esse dicit Lacedaemone, eos tu cantheriis albis, nullis calonibus, obviam Vatinio venisse existimas et victoriam populi Romani Vatinio potius, homini rustico, quam M. Catoni, qui tum erat princeps, nuntiavisse? Ergo et illud in silice, quod hodie apparet apud Regillum tamquam vestigium ungulae, Castoris equi credis esse? 12. Nonne mavis illud credere, quod probari potest, animos praeclarorum hominum, quales isti Tyndaridae fuerunt, divinos esse et aeternos, quam eos, qui semel cremati essent, equitare et in acie pugnare potuisse? aut, si hoc fieri potuisse dicis, doceas oportet, quo modo, nec fabellas aniles proferas. 13. Tum Lucilius, An tibi, inquit, fabellae videntur? nonne ab A. Postumio aedem Castori et Polluci in foro dedicatam, nonne senatus consultum de Vatinio vides? Nam de Sagra Graecorum etiam est volgare proverbium, qui quae adfirmant certiora esse dicunt quam illa, quae apud Sagram. His igitur auctoribus nonne debes moveri? Tum Cotta, Rumoribus, inquit, mecum pugnas, Balbe, ego autem a te rationes * * *

VI. 14. Secuntur, quae futura sunt; effugere enim nemo id potest, quod futurum est. Saepe autem ne utile quidem est scire, quid futurum sit; miserum est enim nihil proficientem angi nec habere ne spei quidem extremum et tamen commune solacium, praesertim cum vos idem fato fieri dicatis omnia, quod autem semper ex omni aeternitate verum fuerit, id esse fatum. Quid igitur iuvat aut quid adfert ad cavendum scire aliquid futurum, cum id certe futurum sit? Unde porro ista divinatio? quis invenit fissum iecoris? quis cornicis cantum notavit? quis sortis? quibus ego credo, nec possum Atti Navii, quem commemorabas, lituum contemnere. Sed qui ista intellecta sint, a philosophis debeo discere, praesertim cum plurimis de rebus divini isti mentiantur. 15. At medici

---

1. *cotidie* C V : *cottidie* A B ; *quottidie* E ; *quotidie* O — 3. *praesertis* V ; *praeseritis* P (*praesentes* margo V) — *vidimus* cod. Glogaviensis, O. Cf. II § 6. — *aput* A — *reglilum* (superscr. *i* post *g*) A ; *regilium* V — 4. *Vatinius* Heindorf : *uatienus* 𝔄. Cf. v. 18. — *sacram* B C E P V^1 — *praelio* A C E — 5. *tyndarides* V^1 — 6. *omerus* (superscr. *h*) A — 7. *tu* B : *tuq.* V ; *tu quae* A C ; *tuque* P ; *que tu* E ; fort. *tu, Quinte.* — *canteriis* A C E V — *albis* P V : *aluis* A ; *alius* C E ; *ab his* B — *uatieno* -- *uatieno* 𝔄 — 9. *rustico homini* P — 10. *aput* A — *regilium* A P V — 11. *equi* superscr. in A — *credis esse* V : *credidisese* A ; *credissesse* corr. in *credidisses* B ; *credidisse* C P ; *credisse* E — 12. *probari* corr. ex *probare* A — 13. *quam semel eos qui* P — 16. *nonne aulo postumio* 𝔄 — 18. *uatinio* A B C V (superscr. *e* ante *n* B) : *uaticinio* E ; *uatieno* P — *sacra* A C E P V ; *sacris* B — 20. *aput* A — *sacram* C P — 21. *mecum disputas balbe* P — 22. *rationes* A C E V^1 : *rationes requiro* B V^2 O — 23. *secuntur* B V^1 : *recuntur* corr. in *reguntur* A ; *percunctor corum* E ; *sequuntur* V^2 O — 24. *scire quod futurum est* P — 25. *enim est* P — 26. *tamen* corr. in *tam* B — *commune* corr. ex *communem* V — *solacium* A B C E : *solatium* O — *iidem* V^2 O — 27. *omnia aeternitate* V^1 — 28. *fatum dicatis. quid* P — *quid* (ante *igitur*) corr. ex *quod* A — *aliquod* V — 30. *quis c. c. notavit* om. P — 31. *atti nauii* C^2 V : *atti naui* A B C^1 E V ; *Attii Navii* O. Cf. II § 9. — *commorabas* A C E V^1 — 32. *contempnere* V^1 — *sunt* A B C E V — 33. *diuinis isti mentiuntur* 𝔄 ; *isti divini mentiantur* O — *ad* A^1 V^1.

quoque — ita enim dicebas — saepe falluntur. Quid simile medicina, cuius ego rationem video, et divinatio, quae unde oriatur non intellego? Tu autem etiam Deciorum devotionibus placatos deos esse censes. Quae fuit eorum tanta iniquitas, ut placari populo Romano non possent, nisi viri tales occidissent? Consilium illud imperatorium fuit, quod Graeci στρατήγημα appellant, sed eorum imperatorum, qui patriae consulerent, vitae non parcerent; rebantur enim fore ut exercitus imperatorem equo incitato se in hostem inmittentem persequeretur, id quod evenit. Nam Fauni vocem equidem numquam audivi: tibi, si audivisse te dicis, credam, etsi Faunus omnino quid sit nescio. VII. Non igitur adhuc, quantum quidem in te est, Balbe, intellego deos esse, quos equidem credo esse, sed nihil docent Stoici. 16. Nam Cleanthes, ut dicebas, quattuor modis formatas in animis hominum putat deorum esse notiones. Unus is modus est, de quo satis dixi, qui est susceptus ex praesensione rerum futurarum, alter ex perturbationibus tempestatum et reliquis motibus, tertius ex commoditate rerum, quas percipimus, et copia, quartus ex astrorum ordine caelique constantia. De praesensione diximus. De perturbationibus caelestibus et maritimis et terrenis non possumus dicere, cum ea fiant, non esse multos, qui illa metuant et a dis inmortalibus fieri existument. 17. Sed non id quaeritur, sintne aliqui, qui deos esse putent: di utrum sint necne sint quaeritur. Nam reliquae causae, quas Cleanthes adfert, quarum una est de commodorum, quae capimus, copia, altera de temporum ordine caelique constantia, tum tractabuntur a nobis, cum disputabimus de providentia deorum, de qua plurima a te, Balbe, dicta sunt; 18. eodemque illa etiam differemus, quod Chrysippum dicere aiebas, quoniam esset aliquid in rerum natura, quod ab homine effici non posset, esse aliquid homine melius, quaeque in domo pulchra cum pulchritudine mundi comparabas, et cum totius mundi convenientiam consensumque adferebas, Zenonisque brevis et acutulas conclusiones in eam partem sermonis, quam modo dixi, differemus, eodemque tempore illa omnia, quae a te, physice, dicta sunt de vi ignea deque eo calore, ex quo omnia generari dicebas, loco suo quaerentur, omniaque, quae a te nudius tertius dicta sunt, cum docere velles deos esse, quare et mundus universus et sol et luna et stellae sensum ac mentem haberent, in idem tempus reservabo. 19. A te autem idem illud etiam atque etiam quaeram, quibus rationibus tibi persuadeas deos esse.

VIII. Tum Balbus: Equidem attulisse rationes mihi videor, sed eas

---

2. *oriatur* corr. ex *oriantur* V — 3. *etiam* om. P — 4. *tanta eorum* C — *placari* B E P V^2; *placeri* A V^1; *placere* C — *pl. non possent p. r. nisi* P — 5. *illut inperatorium* A — 6. *strategema* 𝔄 — 7. *imperatorum* C — *aequo* A V — 8. *hostes* O — 9. *audiuit Quam si* (*Q.* in ras. et *uā* superscr.) B; *audiui Bis se* E; *audiuit. tu si* P — *audisse* P O — 12. *nihil* B V: *michi* C; *nil* A E P — *cleantes* A — 13. *deorum* om. P — 14. *is* corr. ex *his* V; *ex his* B — 15. *reriquis* V^1 — 16. *percepimus* P — 25. *differemus, cum Chrysippum* Bake. — 26. *quoniam esset aliquid hominem aliquit in rerum* (post *quoniam* superscr. *si*; *hominem* est deletum et *aliquit* corr. in *aliquid*) B; *quoniam si esset aliquod in rerum* E — 27. *aliquid homine* A B C P V (*homine* corr. ex *hominem* B): *aliquod homine* E; *homine aliquid* O — *pulchra* corr. ex *pulchram* V — 31. *omnia* om. P — 32. *omniaque quae a te* B V^2: *omnia quaeque a te* C; *omnia quae a te* A P V^1 (in A V post *a* erasa est littera *d*); *omnia que a te* E — 33. *nudus* (superscr. *i*) A V — 35. *a* in rasura A — *autem illud etiam idem atque etiam* P — 37. *mihi rationes* P.

tu ita refellis, ut, cum me interrogaturus esse videare et ego me ad respondendum compararim, repente avertas orationem nec des respondendi locum. Itaque maximae res tacitae praeterierunt, de divinatione, de fato, quibus de quaestionibus tu quidem strictim, nostri autem multa solent dicere, sed ab hac ea quaestione, quae nunc in manibus est, separantur. Quare, si videtur, noli agere confuse, ut hoc explicemus hac disputatione, quod quaeritur.

20. Optime, inquit Cotta. Itaque quoniam quattuor in partes totam quaestionem divisisti de primaque diximus, consideremus secundam, quae mihi talis videtur fuisse, ut, cum ostendere velles, quales di essent, ostenderes nullos esse. A consuetudine enim oculorum animum abducere difficillimum dicebas, sed, cum deo nihil praestantius esset, non dubitabas quin mundus esset deus, quo nihil in rerum natura melius esset. Modo possemus eum animantem cogitare vel potius, ut cetera oculis, sic animo hoc cernere. 21. Sed cum mundo negas quicquam esse melius, quid dicis melius? Si pulchrius, adsentior; si aptius ad utilitates nostras, id quoque adsentior: sin autem id dicis, nihil esse mundo sapientius, nullo modo prorsus adsentior, non quod difficile sit mentem ab oculis sevocare, sed quo magis sevoco, eo minus id, quod tu vis, possum mente comprehendere. IX. Nihil est mundo melius in rerum natura. Ne in terris quidem urbe nostra: num igitur idcirco in urbe esse rationem, cogitationem, mentem putas aut, quoniam non sit, num idcirco existimas formicam anteponendam esse huic pulcherrumae urbi, quod in urbe sensus sit nullus, in formica non modo sensus, sed etiam mens, ratio, memoria? Videre oportet, Balbe, quid tibi concedatur, non te ipsum quod velis sumere. 22. Istum enim locum totum illa vetus Zenonis brevis et, ut tibi videbatur, acuta conclusio dilatavit. Zeno enim ita concludit: «Quod ratione utitur, id melius est quam id, quod ratione non utitur; nihil autem mundo melius: ratione igitur mundus utitur.» 23. Hoc si placet, iam efficies ut mundus optime librum legere videatur; Zenonis enim vestigiis hoc modo rationem poteris concludere: Quod litteratum est, id est melius quam quod non est litteratum; nihil autem mundo melius: litteratus igitur est mundus. Isto modo etiam disertus atque idem mathematicus, musicus, omni denique doctrina eruditus, postremo philosophus [erit mundus]. Saepe dixti nihil fieri sine

---

1. *tu* om. P — 3. *maxime* A — *tacite* A C — 5. *ea* A B P V: om. C E — *sequestrantur* P — 6. *ut* 𝔄: *at* alii; *et* (= *sed*) Madvigius. — inter *hac* et *disputatione* rasura unius duarumve litterarum est in A — 8. *in quattuor in partes* (praepositione ante *partes* deleta) C; *in quattuor partes* E — 9. *prima quae* A — 10. *talis mihi* C — *uelles ostendere* P — *uelles* B P V[2]: *uelis* A C E V[1] — *essent ut ostenderes* B[2] — 11. *enim* (hoc uno loco per compendium) V: om. A B C E P — 13. *deus esset mundus* P — *quo* 𝔄: *quod* O — 16. *quid dicis melius* in marg. m. sec. V — *dicis* corr. ex *dicus*, ut videtur, A; *dices* P — 17. *id quoque* in ras. m. sec. A; *ut quoque* P V[1] — 18. *quod* corr. ex *quo* B — 19. *ab oculis* om. P — 20. *compraendere* A — *in rerum natura melius* P — 26. *uellis* A V[1] — 27. *dilatauit* corr. in *dilatalauit* A, corr. ex *dilata lauit* V; *dilatabit* Schoemannus. (*dilatavit* idem videtur quod «effecit ut dilatari possit».) — 28. *id* ante *melius* om. O — 29. *utitur mundus* P — 34. *etiam* om. A[1] — *disertus* corr. ex *desertus* V — *atque idem* Orellius (in Add. p. 124): *et quidem* 𝔄 O. Cf. p. 412, 35. — 35. *floso* (superscr. m. sec. *phus*) A; *philosop* (superscr. *hus*) V — *erit mundus* om. 𝔄; margini ead. m. ascripta habet V; ego seclusi. — *dixti* C: *dixi* A B E P V; *dixisti* alii. Vide ad or. p. Caecina § 82.

deo nec ullam vim esse naturae, ut sui dissimilia posset effingere. Concedam non modo animantem et sapientem esse mundum, sed fidicinem etiam et tubicinem, quoniam earum quoque artium homines ex eo procreantur? Nihil igitur adfert pater iste Stoicorum, quare mundum ratione uti putemus, ne cur animantem quidem esse. Non est igitur mundus deus, et tamen nihil est eo melius; nihil est enim eo pulchrius, nihil salutarius nobis, nihil ornatius aspectu motuque constantius. Quod si mundus universus non est deus, ne stellae quidem, quas tu innumerabilis in deorum numero reponebas, quarum te cursus aequabiles aeternique delectabant, nec me hercule iniuria; sunt enim admirabili incredibilique constantia. **24.** Sed non omnia, Balbe, quae cursus certos et constantis habent, ea deo potius tribuenda sunt quam naturae. **X.** Quid Chalcidico Euripo in motu identidem reciprocando putas fieri posse constantius, quid freto Siciliensi, quid Oceani fervore illis in locis,

Europam Libyamque rapax ubi dividit unda?

Quid? aestus maritimi vel Hispanienses vel Britannici eorumque certis temporibus vel accessus vel recessus sine deo fieri non possunt? Vide, quaeso, si omnis motus omniaque, quae certis temporibus ordinem suum conservant, divina dicimus, ne tertianas quoque febres et quartanas divinas esse dicendum sit, quarum reversione et motu quid potest esse constantius? Sed omnium talium rerum ratio reddenda est. **25.** Quod vos cum facere non potestis, tamquam in aram confugitis ad deum. Et Chrysippus tibi acute dicere videbatur, homo sine dubio versutus et callidus — versutos eos appello, quorum celeriter mens versatur, callidos autem, quorum, tamquam manus opere, sic animus usu concalluit — is igitur, si aliquid est, inquit, quod homo efficere non possit, qui id efficit, melior est homine; homo autem haec, quae in mundo sunt, efficere non potest: qui potuit igitur, is praestat homini. Homini autem praestare quis possit nisi deus? est igitur deus. Haec omnia in eodem quo illa Zenonis errore versantur. **26.** Quid enim sit melius, quid praestabilius, quid inter naturam et rationem intersit, non distinguitur. Idemque, si dei non sint, negat esse in omni natura quicquam homine melius; id autem putare quemquam hominem [nihil homine esse melius] summae adrogantiae censet esse. Sit sane adrogantis pluris se putare quam mundum; at illud non modo non adrogantis, sed potius prudentis, intellegere se habere sensum et rationem, haec eadem Orionem et Cani-

---

2. *fidicineam* A; *fidicianem* V^1 — 3. *etiam* om. P — *tubicinem* A B C V: *tibicinem* E P O — 5. *ne* Lambinus: *nec* 𝔄 O — 7. *nobis salutarius* O — 12. *habent* om. V^1 (*habent* vel *seruant* m. sec. in marg.) — 14. *siilicensi* A V^1; *sicilicense* V^2 — *feruore* corr. ex *ferbore* A V — 15. *libiamque* A B C E — 16. *brittannici* A B^2 V; *brittanici* B^1 E; *britanici* C — 17. *non* B^1: *nonne* A B^2 C E P V O — 18. *quae* om. C E — 19. *quoque* Lambinus: *quidem* 𝔄; *item* Muretus. — *diuinas* corr. ex *diuinis* A — 22. *aramā* A; *aranam* corr. m. sec. in *arenam* V; *aram aut* P — *confugistis* 𝔄. Cf. I § 53. — 24. *Callidos dixerunt quidam, quorum tamquam manus opere, sic animus usu concalluerit* Grammaticus de genere nominum n. 58. — 25. *quorum -- concaluit* Nonius p. 90. — *concaluit. His* B — 26. *inquid* A — *qui id* corr. ex *quid* A; *quid* P; *quicquid id* (in rasura) V — 28. *igitur his* B — *homini. homini* corr. ex *hominis. hominis* V; *homini homine* B — 31. *idemque* A E V^2 (post erasam litteram A): *eidemque* B C P V^1 — 32. *dii* (in rasura) A — 33. *nihil homine esse melius* Davisio auctore seclusi. — 35. *at* corr. m. sec. ex *ad* V — 36. *orionem* B: *orationem* A C E P V.

culam non habere. Et, «si domus pulchra sit, intellegamus eam dominis,» inquit, «aedificatam esse, non muribus: sic igitur mundum deorum domum existimare debemus.» Ita prorsus existimarem, si illum aedificatum, non, quem ad modum docebo, a natura conformatum putarem.

XI. At enim quaerit apud Xenophontem Socrates, unde animum arripuerimus, si nullus fuerit in mundo. 27. Et ego quaero, unde orationem, unde numeros, unde cantus: nisi vero loqui solem cum luna putamus, cum propius accesserit, aut ad harmoniam canere mundum, ut Pythagoras existimat. Naturae ista sunt, Balbe, naturae non artificiose ambulantis, ut ait Zeno, quod quidem quale sit iam videbimus, sed omnia cientis et agitantis motibus et mutationibus suis. 28. Itaque illa mihi placebat oratio de convenientia consensuque naturae, quam quasi cognationem continuatam conspirare dicebas. Illud non probabam, quod negabas id accidere potuisse, nisi ea uno divino spiritu contineretur. Illa vero cohaeret et permanet naturae viribus, non deorum, estque in ea iste quasi consensus, quam συμπάθειαν Graeci vocant, sed ea, quo sua sponte maior est, eo minus divina ratione fieri existimanda est.

XII. 29. Illa autem, quae Carneades adferebat, quem ad modum dissolvitis? si nullum corpus inmortale sit, nullum esse corpus sempiternum; corpus autem inmortale nullum esse, ne individuum quidem nec quod dirimi distrahive non possit. Cumque omne animal patibilem naturam habeat, nullum est eorum, quod effugiat accipiendi aliquid extrinsecus, id est quasi ferendi et patiendi, necessitatem, et, si omne animal tale est, inmortale nullum est. Ergo itidem, si omne animal secari ac dividi potest, nullum est eorum individuum, nullum aeternum; atqui omne animal ad accipiendam vim externam et ferundam paratum est: mortale igitur omne animal et dissolubile et dividuum sit necesse est. 30. Ut enim, si omnis cera commutabilis esset, nihil esset cereum, quod commutari non posset, item nihil argenteum, nihil aeneum, si commutabilis esset natura argenti et aeris; similiter igitur, si omnia, quae sunt, e quibus cuncta constant, mutabilia sunt, nullum corpus esse potest non mutabile; mutabilia autem sunt illa, ex quibus omnia constant, ut vobis videtur: omne igitur corpus mutabile est. At si esset corpus aliquod in-

---

2. *aedficatam* A — *muribus* corr. ex *moribus* A — 3. *aedificatum* A C E P V: *aedificatum esse* B O — 4. *a* om. C E P — *confirmatum* A B C E V — 5. *animam* A B C E — 9. *exhistimat* A — *naturae ste* A; *natura istae* B — *sint* C — 11. *scientis* A C E P V — 12. *oratione de* V — 13. *cognatione continuatam* A B C P V; *cognatione continuata* E. Cf. II § 19. — *non probem* corr. ex *inprobam* V — 14. *negabam* P — *contineretur* 𝔄: *continerentur* alii. — 16. *quasi quidam consensus* (*quidam* superscr. m. sec.) V — *sympathiam* P, *synpathiam* A C, *simpatiam* B, *synpatiam* E V — 18. *illam* A¹ V — *quae ad modum* V — 19. «Debuisse Ciceronem scribere *Si nullum corpus inmortale sit, nullum esse animal sempiternum*, patet e Sexto Empir. adv. mathem. IX § 151; neque enim ab immortalitate ad sempiternum argumentum ducitur, sed a corpore ad animal; sed Ciceronem sic scripsisse nullus dico.» MADVIG. — *corpus esse* P — 23. *et si omne -- ergo itidem* in marg. m. sec. V — 24. *tale* Heindorfius: *mortale* 𝔄 — [*Ergo*] O — 25. *potest* om. P — *adqui* A — 26. *fruendam* A¹ B C E P V¹; *ferendam* A² V² O — 27. *dissoluibile* A C (in A ante *le* duae litterae erasae sunt) — 28. *omnis* corr. ex *omnes* V — *caera* V — *nihil esse* V¹ — *cereum* (litt. antepenultima in ras.) A; *certum* P — 29. *possit* B — *aeneum* A B C P V: *aureum* E; *aereum* O — 30. *si omnia, e quibus cuncta, quae sunt, constant* Davisius; *si omnia, e quibus, quae sunt, cuncta constant* Heindorfius. Malim *si ea, e quibus cuncta constant* (omissis *omnia quae sunt*). — 31. *potest esse* P — 33. *ad si* A.

mortale, non esset omne mutabile: ita efficitur ut omne corpus mortale sit. Etenim omne corpus aut aqua aut aër aut ignis aut terra est aut id, quod est concretum ex iis aut ex aliqua parte eorum; horum autem nihil est quin intereat. 31. Nam et terrenum omne dividitur et umor ita mollis est, ut facile premi conlidique possit; ignis vero et aër omni pulsu facillime pellitur naturaque cedens est maxume et dissupabilis. Praetereaque omnia haec tum intereunt, cum in naturam aliam convertuntur, quod fit, cum terra in aquam se vertit et cum ex aqua oritur aër, ex aëre aether, cumque eadem vicissim retro commeant. Quod si ea intereunt, e quibus constat omne animal, nullum est animal sempiternum. XIII. 32. Et, ut haec omittamus, tamen animal nullum inveniri potest, quod neque natum umquam sit et semper sit futurum. Omne enim animal sensus habet: sentit igitur et calida et frigida et dulcia et amara nec potest ullo sensu iucunda accipere, non accipere contraria. Si igitur voluptatis sensum capit, doloris etiam capit; quod autem dolorem accipit, id accipiat etiam interitum necesse est: omne igitur animal confitendum est esse mortale. 33. Praeterea, si quid est quod nec voluptatem sentiat nec dolorem, id animal esse non potest; sin autem, quod animal est, id illa necesse est sentiat, et quod ea sentit non potest esse aeternum, et omne animal sentit: nullum igitur animal aeternum est. Praeterea nullum potest esse animal, in quo non et adpetitio sit et declinatio naturalis. Appetuntur autem quae secundum naturam sunt, declinantur contraria, et omne animal adpetit quaedam et fugit a quibusdam. Quod autem refugit, id contra naturam est, et quod est contra naturam, id habet vim interimendi: omne ergo animal intereat necesse est. 34. Innumerabilia sunt, ex quibus effici cogique possit nihil esse quod sensum habeat quin id intereat; etenim ea ipsa, quae sentiuntur, ut frigus, ut calor, ut voluptas, ut dolor, ut cetera, cum amplificata sunt, interimunt, nec ullum animal est sine sensu: nullum igitur animal aeternum est. XIV. Etenim aut simplex est natura animantis, ut vel terrena sit vel ignea vel animalis vel umida, quod quale sit ne intellegi quidem potest, aut concretum ex pluribus naturis, quarum suum quaeque locum habeat, quo naturae vi feratur, alia infimum, alia summum,

---

3. *id* om. P — *est concretum ex iis aut ex aliqua* A C V (in A superscr. *h* ante *iis*): *est concretum ex his aut ex aliqua* B E; *ex his concretum est aut ex aliqua* P; *est concretum ex aliqua* O — *earum. orum* (superscr. *II*) B — 4. *humor* 𝔄 O — 5. *mollis est* C E V² (*llis est* om. V¹): *molle est* A B P (corr. ex *mollest* A, ex *molest* B) — *premi* E P V: *prami* (corr. in *praemi*) A, *praemi* B C; *comprimi* O — 6. *pulsu* 𝔄: *impulsu* O — *maxumae* superscr. m. sec. A — 7. *praetereaque* A B C P V: *praeterea* E O — 9. *ex aeré* A B E P V: *et ex aere* C; *et quum ex aëre* O — 10. *intereant* -- *constet* 𝔄 — *e* A B C P V: *ex* E O — 11. *ommittamus* A C — 14. *nullo* V¹ — *iocunda* A C E — *non* 𝔄: *et non* O. Cf. p. 159, 9. — 19. *id illa* corr. m. sec. ex *ad illa* V — *et quod ea sentit* om. C — 20. *est aeternum* O — 22. *secundum* in rasura A — 24. *est et quod contra naturam est* in marg. B — 25. *interemendi* V¹; *interimendi* (*i* post *inter* in rasura trium litterarum) A; *intereundi* E. Vide ad p. 257, 20. — 28. *ut frigus, ut calor, ut uoluptas, ut dolor, ut cetera* A² B C (in B verba *ut uoluptas ut dolor* superscripta sunt): *ut frigus ut calor uoluptas ut dolor ut cetera* A¹ V; *ut frigus et calor ut uoluptas et dolor ut cetera* E; *ut frigus ut calor uoluptas. ut cetera* P; *ut frigus calor, voluptas dolor, ut cetera* O — 29. *intereunt* E P — 30. *est aeternum* C — *aut* in rasura m sec. A; *ut* P V — 31. *umida* A¹ V: *humida* O — 32. *concretum* (scil. *animans*) 𝔄: *concreta est* O — 33. *ui* corr. ex *ut* V — *feratur* Lambinus: *efferatur* 𝔄 O.

alia medium. Haec ad quoddam tempus cohaerere possunt, semper autem nullo modo possunt; necesse est enim in suum quaeque locum natura rapiatur: nullum igitur animal est sempiternum. 35. Sed omnia vestri, Balbe, solent ad igneam vim referre, Heraclitum, ut opinor, sequentes, quem ipsum non omnes interpretantur uno modo, qui quoniam quid diceret intellegi noluit, omittamus, vos autem ita dicitis, omnem vim esse igneam, itaque et animantis, cum calor defecerit, tum interire et in omni natura rerum id vivere, id vigere, quod caleat. Ego autem non intellego, quo modo calore extincto corpora intereant, non intereant umore aut spiritu amisso, praesertim cum intereant etiam nimio calore. 36. Quam ob rem id quidem commune est de calido; verum tamen videamus exitum. Ita voltis, opinor, nihil esse animale intrinsecus in natura atque mundo praeter ignem. Qui magis quam praeter animam, unde animantium quoque constet animus, ex quo animal dicitur? Quo modo autem hoc quasi concedatur sumitis, nihil esse animum nisi ignem? probabilius enim videtur tale quiddam esse animum, ut sit ex igni atque anima temperatum. Quod si ignis ex sese ipse animal est nulla se alia admiscente natura, quoniam is, cum inest in corporibus nostris, efficit ut sentiamus, non potest ipse esse sine sensu. Rursus eadem dici possunt: quidquid est enim, quod sensum habeat, id necesse est sentiat et voluptatem et dolorem; ad quem autem dolor veniat, ad eundem etiam interitum venire: ita fit ut ne ignem quidem efficere possitis aeternum. 37. Quid enim? non eisdem vobis placet omnem ignem pastus indigere nec permanere ullo modo posse, nisi alatur, ali autem solem, lunam, reliqua astra aquis, alia dulcibus, alia marinis? Eamque causam Cleanthes adfert cur se sol referat nec longius progrediatur solstitiali orbi itemque brumali, ne longius discedat a cibo. Hoc totum quale sit mox; nunc autem concludatur illud, quod interire possit, id aeternum non esse natura; ignem autem interiturum esse, nisi alatur: non esse igitur natura ignem sempiternum.

XV. 38. Qualem autem deum intellegere nos possumus nulla virtute praeditum? Quid enim? prudentiamne deo tribuemus, quae constat ex scientia rerum bonarum et malarum et nec bonarum nec malarum? Cui mali nihil est nec esse potest, quid huic opus est dilectu bonorum et malorum? quid autem ratione? quid intellegentia? quibus utimur ad eam

---

1. *quohaerere* A — 5. *qui* V(?) : om. A B C E P — 6. *quid* corr. m. sec. in *qui id* A — *diceret quod intellegi* 𝔄 (in V *quod* expunctum est) — *omnium* (ex correctione) *esse* V(in marg. est *omnem uim*) — 7. *igneam* Heindorfius: *ignem* 𝔄 O. Cf. v. 4 et § 18. — 8. *id uigere* in rasura V — *uigere* corr ex *uisere* B — 10. *umore* AV: *humore* O — 12. *animale* Lambinus: *animal* 𝔄 O — *intrinsecus* Bouhier: *extrinsecus* 𝔄; *et sentiens* Wyttenbachius, O — 14. *animantem* A^1 — *animal* Lescaloperius: *anima* A B C P V; *omnia* E — 15. *ho* corr. m. sec. in *hoc* A V — *nisi ignem - - esse animum* om. V^1 — 16. *enim*] *autem* P — *quoddam* C — *ex igne* E — 17. *animal* corr. ex *anima* B — 18. *is* corr. ex *his* V; *his* B — 19. *Rursum* C — 22. *quidem* om. B — 23. *pastu* (erasa post *u* littera) C — 26. *quur* A C — *solistitiali* A V^1. *Solistitium* et *solistitialis* exhibet etiam fragmentum codicis bibliothecae Caroliruhensis saec. VI (teste Gul. Froehnero in Philol. Schneidew. XIII p. 602 sqq.), *solistitia* duo codd. Bambergenses antiquissimi (saec. VIII et IX) Isidori Hispal. de natura rerum p. 20, 15. 21, 1 et 3 ed. Gust. Becker. — *orbi* A C P V: *orbe* B E O — 28. *illut* A — 31. *nos*] *non* V — 33. *et nec bonarum nec malarum* om. E — 34. *nihil esse nec esse* V — *dilectu* A B E P: *delectu* C V O — 35. *quid autem intellegentia* (voce *autem* expuncta) A.

rem, ut apertis obscura adsequamur: at obscurum deo nihil potest esse. Nam iustitia, quae suum cuique distribuit, quid pertinet ad deos? hominum enim societas et communitas, ut vos dicitis, iustitiam procreavit. Temperantia autem constat ex praetermittendis voluptatibus corporis, cui si locus in caelo est, est etiam voluptatibus. Nam fortis deus intellegi qui potest in dolore an in labore an in periculo, quorum deum nihil attingit? 39. Nec ratione igitur utentem nec virtute ulla praeditum deum intellegere qui possumus? Nec vero volgi atque imperitorum inscitiam despicere possum, cum ea considero, quae dicuntur a Stoicis; sunt enim illa imperitorum: piscem Syri venerantur, omne fere genus bestiarum Aegyptii consecraverunt. Iam vero in Graecia multos habent ex hominibus deos: Alabandum Alabandis, Tenedii Tennen, Leucotheam, quae fuit Ino, et eius Palaemonem filium cuncta Graecia, Herculem, Aesculapium, Tyndaridas: Romulum nostri aliosque compluris, quos quasi novos et adscripticios cives in caelum receptos putant. XVI. 40. Haec igitur indocti. Quid vos philosophi? qui meliora? Omitto illa, sunt enim praeclara: sit sane deus ipse mundus. Hoc credo illud esse

— sublimen candens, quem invocant omnes Iovem.

Qua re igitur pluris adiungimus deos? quanta autem est eorum multitudo! mihi quidem sane multi videntur. Singulas enim stellas numeras deos eosque aut beluarum nomine appellas, ut Capram, ut Nepam, ut Taurum, ut Leonem, aut rerum inanimarum, ut Argo, ut Aram, ut Coronam. 41. Sed ut haec concedantur, reliqua qui tandem non modo concedi, sed omnino intellegi possunt? Cum fruges Cererem, vinum Liberum dicimus, genere nos quidem sermonis utimur usitato, sed ecquem tam amentem esse putas, qui illud, quo vescatur, deum credat esse? Nam quos ab hominibus pervenisse dicis ad deos, tu reddes rationem quem ad modum id fieri potuerit aut cur fieri desierit, et ego discam libenter. Quo modo nunc quidem est, non video, quo pacto ille, cui «in monte Oetaeo inlatae lampades fuerunt», ut ait Accius, «in domum aeternam patris» ex illo ardore pervenerit, quem tamen Homerus apud inferos conveniri facit ab Ulixe sicut ceteros, qui excesserant vita. 42. Quamquam, quem potissimum Herculem colamus, scire sane velim; pluris enim tradunt nobis ii, qui interiores scrutantur et reconditas litte-

---

1. *opscurum* A — 2. *cuique tribuit* E — 5. *intellequi* corr. m. sec. in *intellegi qui* A; *intellegi* (om. *qui*) C — 6. *potest dolore an in periculo an in dolore* P — 8. *inscitiam* corr. ex *inscitam* A V — 9. *dicitur* V¹ — *enim similia* Bake. — 12. *Alabandis* (*Ἀλαβανδεῖς*) Bouhier: *Alabandi* 𝔄 O. Cf. Lachmann ad Lucret. p. 281. — *Tenedii* Marsus: *Tenedi* 𝔄 (nisi quod in A ante *d* superscr. est *n*, ut sit *tenendi*) O — *tennen* A B P V (in B altera *n* superscr. est): *tenen* C; *tennem* E; *Tenem* O. Cf. Verrin. lib. I § 49. — *leucotheam* B V¹: *leuchotheam* A C E V² — 13. *inoo* (in rasura) B — *asclepium* (superscr. *aesculapium*) C. Cf. § 45. 57. 83. — 14. *nostrum* 𝔄 — 15. *adscriptitios* A C, *ascripticios* V — *indocti qui philosophi duos qui meliora* P — 17. *mundus deus ipse* P — 18. *sublime* 𝔄 O. Cf. II § 4. — 19. *autem eorum sit multitudo* P — 20. *numeramus -- appellamus* Halm. — 21. *easque* P — *Nepam* Ursinus: *lupam* 𝔄 — 22. *inanimarum* A B V (in B V m. sec. superscr. *ta*): *animarum* C; *inanimatarum* E O. Cf. Madvig ad Cic. de Fin. p. 541. — 25. *sermones* corr. in *sermone* V — *haecquem* A B C P V, *hecquem* E — 26. *putamus* C — 27. *peruenisse dicimus deos* P — *reddes* A B C E P V¹: *redde* V² O — 28. *id*] *idē* A C et margo V — 30. *oetaeo* C: *moetaeo* A E P V, *metaeo* B — *fuerunt* A: *fuerint* B C E V — *accius* A B: *aceius* C; *accutius* V¹; *actius* V²; *Attius* E O — 31. *aetheriam* A — 32. *excesserat* V¹ — *uita* (*ta* m. sec. in ras.) *quamquam* A; *uix aquam. quam* P — 34. *hii* A B V; *hi* P.

ras: antiquissimum Iove natum, sed item Iove antiquissimo — nam Ioves quoque pluris in priscis Graecorum litteris invenimus —; ex eo igitur et Lysithoë est is Hercules, quem concertavisse cum Apolline de tripode accepimus. Alter traditur Nilo natus Aegyptius, quem aiunt Phrygias litteras conscripsisse. Tertius est ex Idaeis Digitis, cui inferias adferunt. Quartus Iovis est et Asteriae, Latonae sororis, qui Tyri maxime coliiur, cuius Karthaginem filiam ferunt. Quintus in India, qui Belus dicitur. Sextus hic ex Alcmena, quem Iuppiter genuit, sed tertius Iuppiter, quoniam, ut iam docebo, pluris Ioves etiam accepimus.

XVII. 43. Quando enim me in hunc locum deduxit oratio, docebo meliora me didicisse de colendis dis inmortalibus iure pontificio et more maiorum capedunculis iis, quas Numa nobis reliquit, de quibus in illa aureola oratiuncula dicit Laelius, quam rationibus Stoicorum. Si enim vos sequar, dic quid ei respondeam, qui me sic roget: Si di sunt, suntne etiam Nymphae deae? si Nymphae, Panisci etiam et Satyri? Hi autem non sunt: ne Nymphae quidem igitur? At earum templa sunt publice vota et dedicata. Ne ceteri quidem ergo di, quorum templa sunt dedicata? Age porro: Iovem et Neptunum deum numeras: ergo etiam Orcus, frater eorum, deus, et illi, qui fluere apud inferos dicuntur, Acheron, Cocytus, Pyriphlegethon, tum Charon, tum Cerberus di putandi. 44. At id quidem repudiandum. Ne Orcus quidem igitur? Quid dicitis ergo de fratribus? Haec Carneades aiebat, non ut deos tolleret — quid enim philosopho minus conveniens? — sed ut Stoicos nihil de dis explicare convinceret. Itaque insequebatur. Quid enim, aiebat, si hi fratres sunt in numero deorum, num de patre eorum Saturno negari potest, quem volgo maxime colunt ad occidentem? qui si est deus, patrem quoque eius Caelum esse deum confitendum est. Quod si ita est, Caeli quoque parentes di habendi sunt, Aether et Dies eorumque fratres et sorores, qui a genealogis antiquis sic nominantur, Amor, Dolus, Morbus, Labor, Invidentia, Fatum, Senectus, Mors, Tenebrae, Miseria, Querella, Gratia, Fraus, Pertinacia, Parcae, Hesperides, Somnia, quos omnis Erebo et Nocte natos ferunt. Aut igitur haec monstra probanda sunt aut prima

---

1. *iouem natum* B — *item quo ioue* (*quo* superscr. m. sec. rec.) A — *antiquissimo item ioue* P — *iouis* A^1 B P V — 3. *Lysithoë* Creuzerus (ex Io. Lydo de mensib. p. 224 ed. Roether): *lysitho* B, *lysito* A C P V, *lisito* E — *est is* in rasura B — *herculis* A E V^1 — 4. *accepimus* corr. ex *accipimus* V. Cf. v. 9. — 5. *inferias ferunt* maluit Ernestius. — *adferunt cui quartus* 𝔄; *adferunt Coi. Quartus* Iac. Gronovius; *adferunt Cretes. Quartus* Davisius. — 6. *est et* Heindorfius: *est* 𝔄; *et* O — 7. *carthagenem* A, *cartaginem* C V, *kartaginem* E — 8. *hic qui ex* B — *alcmena* 𝔄: *Alcumena* O — *sed artius* V^1 — 9. *iouis* V — *accepimus* corr. ex *accipimus* V; *accipimus* A B P. Cf. v. 4. — 12. *iis*] *his* B; om. A C E P V — 13. ad *quam* ead. m. adscriptum est *refersit* in marg. C — 15. *panisci* A^1 B P V: *panes* C E; A^2 quid voluerit haud liquet. — *et* om. V — *hii* C — 16. *ne nymphae quidem* E: *ne nymphae deae quidem* A B C P V; *ne Nymphae quidem deae* O. Cf. Schoemannum Diss. VI p. 10 sq. — *igitur ad earum* V — 17. *dedicata. Quid igitur? ne ceteri* O — 18. *deum* 𝔄: *deos* O; seclusit Klotzius. — 19. *qui fluunt apud inferos. accaron* P — 20. *cocythus* B C V — *pyriflegethon* 𝔄: *Styx, Phlegethon* O; *Styx, Pyriphlegethon* alii. — *dii sunt putandi* C — *ad id* V^1 — 21. *ergo haec de* P — 22. *hae carneades* V — *aiebat* (corr. ex *agebat*) B: *agebat* A C E V — 24. *agebat* V^1 — *hi* 𝔄: *ii* O — 25. *negari* 𝔄: *id negari* O — 26. *uolgo* corr. in *uolgi* V — *ad occidentem colunt* P — *deus est* O — 29. *dolus* 𝔄: *dolor* alii. — *morbus* cod. Buslid.: *modus* A B C E P V^1; *motus* V^2; *Metus* O — 30. *querella* V^2: *quaerella* A B V^1 (in A prior *l* expuncta est), *querela* C E O.

illa tollenda. XVIII. 45. Quid? Apollinem, Volcanum, Mercurium, ceteros deos esse dices: de Hercule, Aesculapio, Libero, Castore, Polluce dubitabis? At hi quidem coluntur aeque atque illi, apud quosdam etiam multo magis. Ergo hi dei sunt habendi, mortalibus nati matribus? Quid? Aristaeus, qui olivae dicitur inventor, Apollinis filius, Theseus Neptuni, reliqui, quorum patres di, non erunt in deorum numero? Quid, quorum matres? Opinor, etiam magis. Ut enim iure civili qui est matre libera liber est, item iure naturae qui dea matre est deus sit necesse est. Itaque Achillem Astypalaeenses insulani sanctissume colunt; qui si deus est, et Orpheus et Rhesus di sunt, Musa matre nati, nisi forte maritumae nuptiae terrenis anteponuntur. Si hi di non sunt, quia nusquam coluntur, quo modo illi sunt? 46. Vide igitur ne virtutibus hominum isti honores habeantur, non immortalitatibus: quod tu quoque, Balbe, visus es dicere. Quo modo autem potes, si Latonam deam putas, Hecatam non putare, quae matre Asteria est, sorore Latonae? An haec quoque dea est? vidimus enim eius aras delubraque in Graecia: sin haec dea est, cur non Eumenides, quarum et Athenis fanum est et apud nos, ut ego interpretor, lucus Furinae, deae sunt, speculatrices, credo, et vindices facinorum et sceleris? 47. Quod si tales dei sunt, ut rebus humanis intersint, Natio quoque dea putanda est, cui, cum fana circumimus in agro Ardeati, rem divinam facere solemus; quae quia partus matronarum tueatur, a nascentibus Natio nominata est. Ea si dea est, di omnes illi, qui commemorabantur a te, Honos, Fides, Mens, Concordia; ergo etiam Spes, Moneta omniaque, quae cogitatione nobismet ipsi possumus fingere. Quod si veri simile non est, ne illud quidem est, haec unde fluxerunt. XIX. Quid autem dicis, si di sunt illi, quos colimus et accepimus, cur non eodem in genere Serapim Isimque numeremus? quod si facimus, cur barbarorum deos repudiemus? boves igitur et equos, ibis, accipitres, aspidas, crocodilos, pisces, canes, lupos, faelis, multas praeterea

---

2. *asclepio* (superscr. *aesculapio*) C. Cf. § 39. — 5. *aristeus* A C V — *oliue* A C; *olivi* Olivetus. — *theseus neptuni* cod. Med. Davisii: *theseus qui neptuni* 𝔄 O (in A *qui* corr. in *quid*, in V *qui* corr. ex *que*) — 7. *enim in iure* 𝔄 — 8. *dea* ante rasuram unius litterae *(e)* A B; *dea e* E; *deae* corr. in *dea* V — 9. *astypalisnse* A P, *astipalinses* B E, *astypalis ñ se* C, *astipallisnse* (litt. *n* expuncta) V — *sanctissume colunt* (ante *colunt* una littera erasa) V: *sanctissimū ecolunt* A; *sanctissimum colunt* E; *sanctissimae colunt* P; *sanctissime colunt* B C O — 10. *et hesus* A C V¹ (in A *u* corr. ex *i*); *et theseus* V² — *maritumae* A V: *maritum hae* P; *maritimae* B C E O — 13. *honoris* A B E P — *immortalibus* (superscr. *tati*) A — 14. *haecatam* A B C V (in C *m* corr. in *n*), *hecatē* E — 15. *matre est asteria soror* P — 17. *cur non Eumenides, quarum -- lucus Furinae, deae sunt* Madvigius: *cur non Eumenides, quae si deae sunt, quarum -- lucus Furinae, Furiae deae sunt* 𝔄 O. «In volgata scriptura *quarum* cet. prave divellitur ab illis *cur non Eumenides*, et, quod caput est, Eumenides et furiae separantur.» — *fanum* corr. ex *fanus* V; *fanus* A C (in A *s* erasa), *fannus* E — *aput* A — 18. *lucus* corr. ex *lucis* B; *locus* C; *lucos* P — *furinae* in B deletum est. — 19. *sceleris* 𝔄: *scelerum* O — 20. *natio* A B C E P: *ratio* V; *Nascio* O — *circumimus* A B C V: *circuimus* E P O. Cf. I § 29. II § 155. — *circuimus fana* P — 21. *ardeati* (*i* ex correctione) V — *facerere* A — 22. *tuetur* B E (in B *a* superscr. est) — *natio* 𝔄: *Nascio* O — 23. *memorabantur* (superscr. *cō*) B; *commemorabuntur* P — *honor* B — 24. *omnia quaeque cogitatione* A C — *ipsis* 𝔄 — 26. *accipimus* 𝔄. Cf. § 42 — 27. *in* om. E — 28. *igitur etquos* (inter *t* et *q* superscr. *e*) A; *igitur, equos* Heindorfius. — *ibis* B: *ibi* A E V¹; *ibī* C; *ibes* V² O — 29. *accipitros* A P et fortasse V¹, qui litteras *res* habet in rasura. — *aspides* C — *crocodilos* B: *crocodillos* A C E V¹, *crocodrillos* V², *corcodrillos* P. Vid. ad p. 436, 28. — *faelis* A V²: *felis* B V¹, *faeles* C, *feles* E O.

beluas in deorum numerum reponemus. Quae si reiciamus, illa quoque, unde haec nata sunt, reiciemus. 48. Quid deinde? Ino dea ducetur et *Λευκοθέα* a Graecis, a nobis Matuta dicetur, cum sit Cadmi filia, Circe autem et Pasiphaë et Aeeta e Perseide Oceani filia nati, patre Sole, in deorum numero non habebuntur? quamquam Circen quoque coloni nostri Circeienses religiose colunt. Ergo hanc deam duces? quid Medeae respondebis, quae duobus avis, Sole et Oceano, Aeeta patre, matre Idyia, procreata est? quid huius Absyrto fratri, qui est apud Pacuvium Aegialeus? sed illud nomen veterum litteris usitatius. Qui si di non sunt, vereor quid agat Ino; haec enim omnia ex eodem fonte fluxerunt. 49. An Amphiaraus erit deus et Trophonius? Nostri quidem publicani, cum essent agri in Boeotia deorum inmortalium excepti lege censoria, negabant inmortalis esse ullos, qui aliquando homines fuissent. Sed si sunt hi di, est certe Erechtheus, cuius Athenis et delubrum vidimus et sacerdotem. Quem si deum facimus, quid aut de Codro dubitare possumus aut de ceteris, qui pugnantes pro patriae libertate ceciderunt? quod si probabile non est, ne illa quidem superiora, unde haec manant, probanda sunt. 50. Atque in plerisque civitatibus intellegi potest augendae virtutis gratia, quo libentius rei publicae causa periculum adiret optimus quisque, virorum fortium memoriam honore deorum immortalium consecratam. Ob eam enim ipsam causam Erechtheus Athenis filiaeque eius in numero deorum sunt, itemque † Leonaticum est delubrum Athenis, quod Leocorion nominatur. Alabandenses quidem sanctius Alabandum colunt, a quo est urbs illa condita, quam quemquam nobilium deorum; apud quos non inurbane Stratonicus, ut multa, cum quidam ei molestus Alabandum deum esse confirmaret, Herculem negaret, «Ergo» inquit «mihi Alabandus, tibi Hercules sit iratus!» XX. 51. Illa autem, Balbe, quae tu a caelo astrisque ducebas, quam longe serpant non vides? Solem deum esse Lunamque,

---

1. *numerum* 𝔄: *numero* O. Cf. I § 38: *reponere in deos.* de Invent. I § 39: *in fabularum numerum reponantur.* § 97: *in numerum reponi.* de opt. gen. orat. § 17: *Isocratem -- hunc in numerum non repono.* Legitimam tamen constructionem tenent libri supra § 23 et infra § 51, item II § 54. — 2. *ducetur* A C V¹: *dicetur* B E P V² O — *et* 𝔄: *quae* O — *leucothea* A B V O; *leuchathea* C, *leucholea* E, *lechothea* P — 3. *dicetur* 𝔄: *dicitur* O — *Pasiphaë et Aeeta e Perseide* nos: *pasiphae et eae e perside* A C V; *pasiphe et eae perside* B; *pasiphe et ee e perside* E; *pasiphe et etae eperside* P; *Pasiphaë e Perseide* O; *Pasiphaë et Aeetes e Perseide* Ernestius. Cf. § 54 et Hesiodi Theog. v. 957. — 4. *filiae* A; *filiae* B C P V, *filie* E — *nati* Schoemannus (Diss. IV p. 12 probata Ernestii coniectura *et Aeetes*): *natae* 𝔄 O — *numero* corr. ex *numerum* B — 5. *circem* A B C E — *circienses* A, *cercenses* (erasa littera ante *en*) B, *cercienses* C P V, *circenses* E — 6. *duces* A¹: *dices* (corr. ex *ducis*) B; *ducis* C E V¹; *dicis* A² P V² O. Cf. v. 2. — 7. *oceano eta* (vel *et a*) *patre* 𝔄 — *matri dyla* A B C P, *matri dila* E V — 8. *absyrtio* A C E P, *absirtio* B, *obsirtio* corr. in *absirtio* V — *egialeuis* B — 10. *deus erit* O — 11. *trofoneus* (corr. in *ius*) A — *boetia* C E V — 12. *illos* P — 13. *sunt hi di* B E: *sunt di* A¹; *sunt id* V¹; *sunt ii dii* C; *hi sunt di* P; *sunt hii di* A²; *sunt hi dii* V² O — *erectheus* A B, *erilheus* E, *eratheus* V — 16. *libertate patriae* P — 17. *Atque in plerisque -- potest acuendae virtutis gratia aut quo -- consecratam* Lactantius Inst. I, 15. — *atqui* corr. ex *atque* B — 20. *immortalium esse consecratam* (*esse* superscr.) B — 21. *erectheus* A B V — *filiaeque* B P et margo V: *iliaeque* (superscr. *f*) A, *illiaeque* C V, *ilieque* E — 22. *leonaticum* 𝔄: *Leo natarum* Lambinus; *Leoidum* Wyttenbachius, O; *Lei filiarum* Schuetzius; *Leontidum* Schoemannus. — 23. *alabandensis* A B P, *alabandenshis* corr. in *alabandenses* V, *alabondensus* E. Fort. *Alabandis*. Cf. § 39. — 25. *stratyonicus* B — *molestius* C — 26. *inquid* A.

quorum alterum Apollinem Graeci, alteram Dianam putant. Quod si Luna dea est, ergo etiam Lucifer ceteraeque errantes numerum deorum optinebunt, igitur etiam inerrantes. Cur autem Arqui species non in deorum numero reponatur? est enim pulcher, et ob eam causam, quia speciem habet admirabilem, Thaumante dicitur *Iris* esse nata; cuius si divina natura est, quid facies nubibus? Arcus enim ipse e nubibus efficitur quodam modo coloratis, quarum una etiam Centauros peperisse dicitur. Quod si nubes rettuleris in deos, referendae certe erunt tempestates, quae populi Romani ritibus consecratae sunt. Ergo imbres, nimbi, procellae, turbines dei putandi. Nostri quidem duces mare ingredientes inmolare hostiam fluctibus consuerunt. 52. Iam si est Ceres a gerendo, ita enim dicebas, terra ipsa dea est et ita habetur: quae est enim alia Tellus? sin terra, mare etiam, quem Neptunum esse dicebas: ergo et flumina et fontes. Itaque et Fontis delubrum Maso ex Corsica dedicavit et in augurum precatione Tiberinum, Spinonem, Almonem, Nodinum, alia propinquorum fluminum nomina videmus. Ergo hoc aut in inmensum serpet aut nihil horum recipiemus nec illa infinita ratio superstitionis probabitur. Nihil ergo horum probandum est.

XXI. 53. Dicamus igitur, Balbe, oportet contra illos etiam, qui eos deos ex hominum genere in caelum translatos non re, sed opinione esse dicunt, quos auguste omnes sancteque veneramur. Principio Ioves tres numerant ii, qui theologi nominantur, ex quibus primum et secundum natos in Arcadia, alterum patre Aethere, ex quo etiam Proserpinam natam ferunt et Liberum, alterum patre Caelo, qui genuisse Minervam dicitur, quam principem et inventricem belli ferunt, tertium Cretensem, Saturni filium, cuius in illa insula sepulcrum ostenditur. *Διόσκουροι* etiam apud Graios multis modis nominantur: primi tres, qui appellantur Anactes, Athenis ex rege Iove antiquissimo et Proserpina nati, Tritopatreus, Eubuleus, Dionysus, secundi, Iove tertio nati et Leda, Castor et Pollux; tertii dicuntur a nonnullis Alco et Melampus et Tmolus, Atrei filii, qui Pelope natus fuit. 54. Iam Musae primae quattuor, Iove altero

---

1. *putant* corr. ex *putent* A — 2. *dea est* corr. m. sec. ex *deest* V — 3. *cur autem arcuis species non in deorum numero ponatur?* Charisius p. 117, 16 (ed. Keil.); *cur autem arci species non in deorum numero reponatur?* Priscianus VI, 14, 74. — *arqui* A¹ P V¹: *arcui* B; *arcus* A² V²; *arci* C E O. Cf. Lucret. VI, 526. — 4. *eam speciem quia causam* 𝔄 — 5. *habet* Ernestius: *habeat* 𝔄 O — *Iris* Ant. Augustinus: om. 𝔄 O — *nata* 𝔄: (ultima litt. in ras. A): *natus* alii. — 6. *e* 𝔄: *ex* O — 7. *coloratis* Davisius: *coloratus* 𝔄 O — 11. *fructibus* P V — *consueuerunt* E O — *iam* B: *tum* (*u* in ras.) A; *tam* C E V — 13. *sin* A B C E P: *in* V; *si* Heindorfius, O — *mare* B: *mater* A C E P V — 14. *Maso* Ant. Augustinus: *marso* 𝔄 — 15. *Almonem* Ursinus: *anemonem* 𝔄 (superscr. *anienem* C); *Anionem* Heindorfius. — *nodinum* corr. ex *nonium* B — 17. *horum* C E V²: *honorum* A B V¹; *bonorum* P — 19. *eos* nos: *hos* 𝔄 O — 22. *hi* B P — 23. *archadia* E V — 26. *dioscorce* (litt. penultima expuncta) A, *dioscorae* (*a* corr. ex *e*) B, *dioscorte* C E V (corr. m. sec. in *dioscorce* V), *dioscoride* margo V, *dioscoridae* P — 27. *apellantur* A — 28. *anactes* 𝔄: *Anaces* O — *trito patreus* 𝔄: *Tritopatores, Zagreus* Hemsterhusius, O; *Tritopatores, Triptolemus* (frater Eubulei, Pausan. 1, 14, 2) Fr. Rinckius. — 29. *eubulaeus* V — *Dionysus* Davisius: *dionisyus* A, *dionisius* B C E V, *dyonisius* P — *secundi* 𝔄: *secundi duo* O — 30. *Alco, Melampus et Tmolus* Davisius; *alco melampus ouiolus* A; *alco et meiuolos* (post *me* superscr. *lampus o*) B; *alco et melampus euiolus* C P V; *alco et melampus emolus* E; *Alco, Melampus* [*et*] *Tmolus* O. Conf. Madvig ad Cic. de Fin. p. 571. — *atregi* A — 31. *fili* A V¹ — *quattuor natae ioue altero nata aethei* (vel *aothei*) *xinoneoede* A; *quattuor*

natae, Thelxinoë, Aoede, Arche, Melete, secundae Iove tertio et Mnemosyne procreatae novem, tertiae Piero natae et Antiopa, quas Pieridas et Pierias solent poëtae appellare, isdem nominibus et eodem numero, quo proxume superiores. Cumque tu Solem, quia solus esset, appellatum esse dicas, Soles ipsi quam multi a theologis proferuntur! Unus eorum Iove natus, nepos Aetheris, alter Hyperione, tertius Volcano, Nili filio, cuius urbem Aegyptii volunt esse eam, quae Heliopolis appellatur, quartus is, quem heroicis temporibus Acantho Rhodi peperisse dicitur, *** Ialysi, Camiri, Lindi, Rhodi, quintus, qui Colchis fertur Aeetam et Circam procreavisse. XXII. 55. Volcani item complures: primus Caelo natus, ex quo et Minerva Apollinem eum, cuius in tutela Athenas antiqui historici esse voluerunt, secundus Nilo natus, Phthas, ut Aegyptii appellant, quem custodem esse Aegypti volunt, tertius ex tertio Iove et Iunone, qui Lemni fabricae traditur praefuisse, quartus † Memalio natus, qui tenuit insulas propter Siciliam, quae Volcaniae nominabantur. 56. Mercurius unus Caelo patre, Die matre natus, cuius obscenius excitata natura traditur, quod aspectu Proserpinae commotus sit, alter Valentis et Coronidis filius, is qui sub terris habetur idem Trophonius, tertius Iove tertio natus et Maia, ex quo et Penelopa Pana natum ferunt, quartus Nilo patre, quem Aegyptii nefas habent nominare, quintus, quem colunt Pheneatae, qui Argum dicitur interemisse ob eamque causam Aegyptum profugisse atque Aegyptiis leges et litteras tradidisse. Hunc Aegyptii Theuth appellant, eodemque nomine anni primus mensis apud eos vo-

---

natae ioue altero nata et theixinoneoëde B V (*oe* ex correctione B); *quattuor nate ioue altero nate et thei xinone cede* C; *quattuor nate ioue altero nate ethei xinoneoe de* E; *quattuor natae ioue altero et theixi ñeoe de* P; *quattuor, natae Iove altero, Thelxinoë, Aoede* Heindorfius (deleto altero quod est in codicibus *natae*; ego malui priore deleto servare alterum, cum etiam in sequentibus participia *procreatae* et *natae* ablativis postposita sint); *quattuor natae Iove altero et ...., Thelxinoë, Aoede* Klotzius; *quattuor, natae Iove altero et Neda, Thelxinoë, Aoede* Creuzerus (coll. Pausan. Messen. 33, 2), O — 1. *nemosine* E, *nemo sine* A C V (*nemo* in ras. A) — 2. *tertiae Piero natae* Iac. Gronovius: *tertio* (*o* ex *ę*, ut videtur, in rasura) *ioue tertio piero natae* A; *tertiae ioue tertio piero natae* B C V; *tercie ioue atercio piero nate* E; *tertiae ioue tertio pierio natae* P — 3. *pierias* C: *plerias* A B E; *proelias* P; *pleridas* V — *et* 𝔄 (in V superscr. m. sec.): om. O — 4. *quos* A C V — *appellatus* B V — 7. *eliopolis* A C — 8. *is* corr. ex *his* V — *acantor hodi* A B C V, *achanto rhodi* E, *acantii rhodi* P — 9. *ialysi* 𝔄: *avum Ialysi* Marsus (cf. Pind. Olymp. VII, 74); *pater Ialysi* Davisius coll. Arnobio IV, 14. Sed nolim Arnobii auctoritati tantum tribuere, qui paulo ante ex patre Hyperione Hyperionam genetricem effinxerit. Dubium etiam est propter additam Rhodum, utrum nomina *Ialysi*, *Camiri*, *Lindi* de Heliadis an de oppidis eiusdem nominis intelligenda sint. Itaque plura ante *Ialysi* videntur excidisse. — *Camiri*, *Lindi*, *Rhodi*, *quintus* nos: *cameritinder hodi quintus* A P V; *cameri tynderhodi quintus* B; *cameri. tinderodhi. Quintus* C; *camentinder rodi quintus* E; *Camiri et Lindi: quintus* O — *aetam* A B C P V, *oetam* E — *circem* E — 11. *Apollinum is, cuius* Davisius. — 12. *secundus in nilo* 𝔄 — *Phthas* Galeus (ad Iamblichi de myst. VIII, 3): *opas* A B P V; *opos* C; *opis* E — *aegypti* corr. ex *aegyptii* V — 14. *memalio* 𝔄: *Menalio* O — 15. *nominantur* Lambinus. — 16. *die* A B C E V: *dia* P O. Cf. § 59. — 18. *Coronidis* Davisius: *foronidis* A B C V, *phoronidis* P, *foronidos* E — *is* corr. ex *his* V; *his* B — *tertius ex ioue* P — 19. *tertio* corr. ex *tertius* A — *mala* A B V — *poenelopa* A V — *pana* m. sec. del. A — *penelopam natam* (om. *pana*) P — 20. *nefas* corr. ex *nefans* A V — 21. *foeneatae* (litt. *o* expuncta) A, *faeneatae* B, *feneatae* C V, *feneate* E — *qui argentum dicitur* A¹ P V — *causam in Aegyptum* Lactantius Inst. I, 6. — *aegyptum profuisse* A B¹V¹; *aegypto praefuisse* B² P V² — 22. *aegyptiis* corr. ex *aegyptis* A V — *aegypti* A¹ B C E V — 23. *Theuth* Plato (in Philebo et Phaedro): *theyn* A E, *thein* B P (litterae *i* superscr. *u* B), *theyr* C V; *Thoyth* Lactantius I, 6; *Thoth* O — *eodem nomine* V.

catur. 57. Aesculapiorum primus Apollinis, quem Arcades colunt, qui specillum invenisse primusque volnus dicitur obligavisse, secundus secundi Mercurii frater: is fulmine percussus dicitur humatus esse Cynosuris: tertius Arsippi et Arsinoae, qui primus purgationem alvi dentisque evolsionem, ut ferunt, invenit, cuius in Arcadia non longe a Lusio flumine sepulcrum et lucus ostenditur. XXIII. Apollinum antiquissimus is, quem paulo antea e Volcano natum esse dixi custodem Athenarum, alter Corybantis filius, natus in Creta, cuius de illa insula cum Iove ipso certamen fuisse traditur, tertius Iove tertio natus et Latona, quem ex Hyperboreis Delphos ferunt advenisse, quartus in Arcadia, quem Arcades *Νόμιον* appellant, quod ab eo se leges ferunt accepisse. 58. Dianae item plures: prima Iovis et Proserpinae, quae pinnatum Cupidinem genuisse dicitur, secunda notior, quam Iove tertio et Latona natam accepimus; tertiae pater Upis traditur, Glauce mater; eam saepe Graeci Upim paterno nomine appellant. Dionysos multos habemus: primum Iove et Proserpina natum, secundum Nilo, qui Nysam dicitur interemisse, tertium Cabiro patre, eumque regem Asiae praefuisse dicunt, cui Sabazia sunt instituta, quartum Iove et Luna, cui sacra Orphica putantur confici, quintum Niso natum et Thyone, a quo Trieterides constitutae putantur. 59. Venus prima Caelo et Die nata, cuius Elide delubrum vidimus, altera spuma procreata, ex qua et Mercurio Cupidinem secundum natum accepimus, tertia Iove nata et Diona, quae nupsit Volcano, sed ex ea et Marte natus Anteros dicitur, quarta Syria Cyproque concepta, quae Astarte vocatur, quam Adonidi nupsisse proditum est. Minerva prima, quam Apollinis matrem supra diximus, secunda orta Nilo, quam Aegyptii Saitae colunt, tertia illa, quam a Iove generatam supra diximus, quarta Iove nata et Coryphe, Oceani filia, quam Arcades *Κορίαν* nominant et quadrigarum inventricem ferunt, quinta Pallantis, quae patrem dicitur interemisse virginitatem suam violare conantem, cui pinnarum talaria adfigunt. 60. Cupido primus Mercurio et Diana prima natus dicitur, secundus Mercurio et Venere secunda, tertius, qui idem est Anteros, Marte et Venere tertia. Atque haec quidem aliaque eius modi ex vetere

---

1. *asclepiorum* superscr. *aesculapiorum* C. Cf. § 39. — *archades* V (ubique) — 2. *specillum* superscr. *ulum* V; *speculum* P — 3. *mercurii* corr. ex *mercuri* A C; *mercuri* B — *is* corr. ex *his* V — *gynosuris* A C E, *ginosuris* corr. in *cinosuris* V — 4. *arsinoe* A B C — 6. *lucus* priori *u* superscr. *o* V — 7. *antea* A B C V: *ante* E P O — *e* 𝔄: *ex* O — 9. *ex*] *et* A — 11. *Νόμιον* Huetius: *nomionem* 𝔄. Cf. Clemens Alex. Protr. p. 8. — *accipisse* B E — 12. *pennatum* B E — 13. *notior* corr. sec. m. ex *nitior* V — *accipimus* P — 14. *tertiae pater* -- *natum accepimus* (v. 21) om. C — *tertia patre* corr. ex *tertiae pater* B; *tertia e patre* E — *Graeci saepe* O — 15. *dyonisos* corr. in *dyonisios* A, *dyonisios* P, *dionisios* E — 16. *nisam* V — 17. *Cabiro* Iac. Gronovius: *caprio* A B E P, *capryo* V — *perfuisse* V¹ — *cui Sabazia* Manutius: *cuius abazea* A E, *cuius abazaea* B P V; *cui Cabiria* Creuzerus, O — 18. *confici* corr. ex *confeci* A V — 19. *thione* B E — 20. *elidelubrum* A V, *eli* (corr. in *heli*) *delubrum* B, *eli. delubrum* P, *helis delubrum* E — *uidimus* corr. ead. m. ex *uidemus* V — 21. *accipimus* P — 22. *tertio* B — 23. *anteros* corr. in *anteneros* A B — *syria* superscr. *sitia* V — *Cyproque* (ex Ampelio et Io. Lydo) Creuzerus: *cyroque* A B C P V, *tyroque* E — 25. *apollonis* A V¹ — 26. *salaetae* A, *saletae* B C, *salete* E V, *saletem* P — *a* A B C P: om. E V O — 27. *corufe* A B C E V (superscr. *coruce* V) — *Κορίαν* nos: *corian* A B C E V (*n* in ras. B); *Coriam* O — 29. *pinarum* corr. in *penarum* A; *pennarum* E — 31. *qui idem* Davisius: *quidem* 𝔄 — *anteros* corr. in *anteneros* A B — 32. *aliaque* Davisius: *atque* V; *et* B² O; om. A B¹ C E P. Cf. p. 467, 16.

Graeciae fama collecta sunt, quibus intellegis resistendum esse, ne perturbentur religiones. Vestri autem non modo haec non refellunt, verum etiam confirmant interpretando, quorsum quidque pertineat. Sed eo iam, unde huc digressi sumus, revertamur.

XXIV. 61. Num censes igitur subtiliore ratione opus esse ad haec refellenda? Nam mentem, fidem, spem, virtutem, honorem, victoriam, salutem, concordiam ceteraque eius modi rerum vim habere videmus, non deorum. Aut enim in nobismet insunt ipsis, ut mens, ut spes, ut fides, ut virtus, ut concordia, aut optandae nobis sunt, ut honos, ut salus, ut victoria, quarum rerum utilitatem video, video etiam consecrata simulacra, qua re autem in iis vis deorum insit, tum intellegam, cum cognovero. Quo in genere vel maxime est fortuna numeranda, quam nemo ab inconstantia et temeritate seiunget, quae digna certe non sunt deo. 62. Iam vero quid vos illa delectat explicatio fabularum et enodatio nominum? Exsectum a filio Caelum, vinctum itidem a filio Saturnum, haec et alia generis eiusdem ita defenditis, ut ii, qui ista finxerunt, non modo non insani, sed etiam fuisse sapientes videantur. In enodandis autem nominibus quod miserandum sit laboratis: Saturnus, quia se saturat annis, Mavors, quia magna vertit, Minerva, quia minuit aut quia minatur, Venus, quia venit ad omnia, Ceres a gerendo. Quam periculosa consuetudo! In multis enim nominibus haerebitis. Quid Veiovi facies, quid Volcano? quamquam, quoniam Neptunum a nando appellatum putas, nullum erit nomen, quod non possis una littera explicare unde ductum sit. In quo quidem magis tu mihi natare visus es quam ipse Neptunus. 63. Magnam molestiam suscepit et minime necessariam primus Zeno, post Cleanthes, deinde Chrysippus, commenticiarum fabularum reddere rationem, vocabulorum cur quidque ita appellatum sit causas explicare. Quod cum facitis, illud profecto confitemini longe aliter se rem habere atque hominum opinio sit; eos enim, qui di appellantur, rerum naturas esse, non figuras deorum. XXV. Qui tantus error fuit, ut perniciosis etiam rebus non *modo* nomen deorum tribueretur, sed etiam sacra constituerentur. Febris enim fanum in Palatio et *Orbonae ad* aedem Larum et aram Malae Fortunae Esquiliis consecratam videmus. 64. Omnis igitur talis a philosophia pellatur error, ut, cum de dis inmortalibus disputemus, dicamus indigna naturis inmortalibus, de quibus

---

1. *coleota* A — 4. *degressi* O — 7. *huiusmodi* B O — 8. *autem enim* P V (in V litterae *em* expunctae sunt). — *ut spes* vel delenda vel ante *ut honos* transponenda censuit Walkerus coll. § 88. — 9. *aut* corr. ex *ut* A — *honor* C — 10. alteri *uideo* superscr. *ideo* V — 11. *in iis* C V: *in hiis* in ras. m. sec. recentiore A; *in his* B E P O — 14. *explacatio* (*ac* in ras.) A; *explacatio* corr. m. sec. in *explicatio* V; *explanatio* C — *et notatio* -- *notandis* (v. 17) Bake. — 16. *defenditis* corr. ex *defendis* A — *ut hi* B P — *qui* B P: *quiqui* A E V (in A V alterum *qui* expunctum est); *quiquam* C — 21. *ueloui* A — 27. *quidque* (corr. ex *quique*) B: *quique* A C P V; *quicque* E — *appellanti* (corr. ex *appellantur*) *sint* (corr. ex *sit*) V; *appellatus sit* P — 31. *modo* om. 𝔄 — 32. *Orbonae ad* om. 𝔄; suppleta videntur ex Plinii N. H. II § 16. — 33. *exquiliis* A B C E V — 34. *a* erasum est in B — *philosophi a pellatur* V[1]; *filosofiappellatur* A, *philosophi appellatur* B[1] C; *philosophia appellatur* B[2]; *philosophis apellatur* V[2]; *philosophis appellatur* E P — 35. *disputemus* -- *immortalibus* ead. m. margini adscripta habet V — *dicamus indigna naturis* Madvigius: *dicaliusu ignais* A C P V (corr. in *dic alio usu igneis* V); *dicamus dignais de dys* E; *dicamus digna dis* B O. «Hoc teneo, *ut* referri ad *talis*, itaque subiici significationem rei *non* rectae, deinde non bis positum fuisse *dis immortalibus*; reliqua prorsus pro incertis relinquo.»

habeo ipse quod sentiam, non habeo autem quod tibi adsentiar. Neptunum esse dicis animum cum intellegentia per mare pertinentem, idem de Cerere. Istam autem intellegentiam aut maris aut terrae non modo comprehendere animo, sed ne suspitione quidem possum attingere. Itaque aliunde mihi quaerendum est ut et esse deos et quales sint di discere possim; qualis tu eos esse vis * *.

65. Videamus ea, quae secuntur: primum deorumne providentia mundus regatur, deinde consulantne di rebus humanis. Haec enim mihi ex tua partitione restant duo, de quibus, si vobis videtur, accuratius disserendum puto. Mihi vero, inquit Velleius, valde videtur; nam et maiora exspecto et iis, quae dicta sunt, vehementer adsentior. Tum Balbus, Interpellare te, inquit, Cotta, nolo, sed sumemus tempus aliud; efficiam profecto ut fateare. Sed * * *

Nequaquam istuc istac ibit: magna inest certatio.
Nam ut ego illis supplicarem tanta blandiloquentia?

XXVI. 66. Parumne ratiocinari videtur et sibi ipsa nefariam pestem machinari? Illud vero quam callida ratione!

Qui volt esse quod volt, ita dat se res, ut operam dabit,

qui est versus omnium seminator malorum.

Ille traversa mente mi hodie tradidit repagula,
Quibus ego iram omnem recludam atque illi perniciem dabo,
Mihi maerores, illi luctum, exitium illi, exilium mihi.

Hanc videlicet rationem, quam vos divino beneficio homini solum tributam dicitis, bestiae non habent. 67. Videsne igitur quanto munere deorum simus adfecti? Atque eadem Medea patrem patriamque fugiens:

postquam pater
Adpropinquat iamque paene ut conprehendatur parat,
Puerum interea optruncat membraque articulatim dividit,
Perque agros passim dispergit corpus: id ea gratia,
Ut, dum nati dissipatos artus captaret parens,

---

1. *quod -- quod* Ernestius: *quid -- quid* 𝔄 O. Vid. Wesenberg Emendatt. M. T. C. Epistolarum p. 54. — 2. *per mare* (*re* in rasura quattuor litterarum) A; *permanere* C E — *pergentem* P — 3. *de cerere* corr. ex *decedere* V — 4. *comprendere* A P — 5. *est et ut esse* A B C E V; *est ut esse* P — 6. *possim-qualis* A B C P V^1: *possum quales* E; *possim quam qualis* V^2 O. Lacunam notavi Madvigio auctore, qui supplet: *non esse scio. (possim, quoniam qualis tu eos esse vis agnoscere non possum* Heindorfius) — 7. *deorumne providentia* (corr. ex *deorum prudentia*) V: *deorum prudentia* A B C E P — 8. *di* C: *de* A B E P V^1; om. V^2 O — 11. *iis* B C V (corr. ex *his* B): *is* A; *his* E P O — 12. *inquid* A — 13. *sed nequaquam* (uno tenore) 𝔄 — 14 sq. Conf. Ribbeck Trag. Lat. Reliq. p. 39 et Vahlen Enn. Poës. Reliq. p. 129. — *istac ibit* E P: *is tacebit* C, *ista ibit* A B V (post *ista* littera erasa est in B; *isthaec* m. ead. in marg. V) — 15. *subplicarem* A — 16. *Parumne* cod Glogaviensis: *niobem parumne* A E; *ni orbem parumne* V; *niobe parumne* B; *In iouem* (superscr. *niobem*) *parumne* C; *An iobem parumne* P; *Medea parumne* Kindervater; [*Niobe*] *parumne* O — 18. *esse* om A B C E — *ita dant se res ei, ut* Ribbeck p. 221; *ita dabit sese res, ut* Halmius (om. *esse*). — 20. *transversa* O — *mi* Osannus: *mihi* 𝔄 O — 21. *pernitiem* A, *permiciem* corr. in *perniciem* V, *permitiem* Ribbeck p. IX, coll. Ad. Kochio Exerc. crit. p. 9 sq. — 23. *exitum* A C P V^1 — 26. *medea* corr. ex *media* B, *media* V — 27. *posquam* A — 28. *conprendatur* A — 31. *perque* corr. ex *peraque* V; *parque* E — 32. *disputatos* C.

Ipsa interea effugeret, illum ut maeror tardaret sequi,
Sibi salutem ut familiari pareret parricidio.

68. Huic ut scelus, sic ne ratio quidem defuit. Quid? ille funestas epulas fratri conparans nonne versat huc et illuc cogitatione rationem?

Maior mihi moles, maius miscendumst malum,
Qui illius acerbum cor contundam et conprimam.

XXVII. Nec tamen ille ipse est praetereundus,

Qui non sat habuit coniugem inlexe in stuprum,

de quo recte et verissume loquitur Atreus:

quod re in summa summum esse arbitror,
Periclum, matres coinquinari regias,
Contaminari stirpem ac misceri genus.

At id ipsum quam callide, qui regnum adulterio quaereret:

Addo, inquit, huc, quod mihi portento caelestum pater
Prodigium misit regni stabilimen mei,
Agnum inter pecudes aurea clarum coma,
Quem clam Thyestem clepere ausum esse e regia,
Qua in re adiutricem coniugem cepit sibi.

69. Videturne summa inprobitate usus non sine summa esse ratione? Nec vero scaena solum referta est his sceleribus, sed multo vita communis paene maioribus. Sentit domus unius cuiusque, sentit forum, sentit curia, campus, socii, provinciae, ut, quem ad modum ratione recte fiat, sic ratione peccetur, alterumque et a paucis et raro, alterum et saepe et a plurimis, ut satius fuerit nullam omnino nobis a dis inmortalibus datam esse rationem quam tanta cum pernicie datam. Ut vinum aegrotis, quia prodest raro, nocet saepissime, melius est non adhibere omnino quam spe dubiae salutis in apertam perniciem incurrere, sic haud scio an melius fuerit humano generi motum istum celerem cogitationis, acumen, sollertiam, quam rationem vocamus, quoniam pestifera est multis, admodum paucis salutaris, non dari omnino quam tam munifice et tam large dari. 70. Quam ob rem si mens voluntasque divina idcirco consuluit hominibus, quod iis est largita rationem, iis solis consuluit, quos bona ratione donavit, quos videmus, si modo ulli sunt,

---

5. *miscendum est* 𝔄 — 8. *inlaxse* B, *ilexe* corr. m. sec. in *illexe* V — 10. *quod*] *qui* E (non V) — *re in* A B E P V : *in re in* (posteriore *in* expuncto) C ; *in re* O — *arbitror periclum* A C P V (inter *c* et *l* superscr. *u* A) : *arbitror periculum* B E ; *periclum arbitror* O — 11. *quoinquinari* A V¹ ; *conquinari* Ribbeck coll. Mario Victorino p. 24 G. et Lachmanno in Lucret. p. 135. — *regias* A B C E P : *regiam* (ante litteram erasam) V; *regum, regias* Davisius, O — 12. *ac misceri* Ribbeckius: *admisceri* 𝔄 O — 13. *at* corr. ex *ad* A B V ; *ad* E — 14 *Adde* Ribbeckius. — *caeleste* P — 16. *agnum inter* - - *quondam Thyestem clepere ausum esse e regia* Nonius p. 20 ; sed locum spurium esse indicaverunt editores Basileenses, cum ab optimis codd. absit. Suspectum eum reddit etiam id, quod hoc uno loco libri *de nat. deor.* vocantur pro *de deor. nat.* — 17. *quem clam thyestem* A : *quendam* (in B ex correctione) *thyestem* B C ; *quem cleanthyestem* P ; *quem dant hyestem* (corr. ex *hyestim*) V ; *quam dant thiestem* E ; *quondam thyestem* alii. — *esse ausum* O — 18. *qua* (post litteram erasam) A : *aqua* (vel *a qua*) B C E P V — *caepit* A C, *coepit* B — 20. *scaena* A V : *scena* O — 24. *saepe* Manutius : *semper* 𝔄 O. Cf. § 72. — 27. *pernitiem* A — 28. *haud* corr. ex *aut* B — 30. *est* Schoemannus : *sint* A B E P V (corr. in *sit* AV); *sit* C O — *salutaris* corr. in *salutaria* B — 32. *his* B E — *largita est* O — *iis* C : *is* corr. in *his* A, *his* B E P, *hiis* V — 33. *sunt* E : *sint* A B C V (*ullis interesse* P).

esse perpaucos. Non placet autem paucis a dis inmortalibus esse consultum; sequitur ergo ut nemini consultum sit.

XXVIII. Huic loco sic soletis occurrere, non idcirco non optume nobis a dis esse provisum, quod multi eorum beneficio perverse uterentur; etiam patrimoniis multos male uti, nec ob eam causam eos beneficium a patribus nullum habere. Quisquamne istuc negat? aut quae est in collatione ista similitudo? Nec enim Herculi nocere Deianira voluit, cum ei tunicam sanguine Centauri tinctam dedit, nec prodesse Pheraeo Iasoni is, qui gladio vomicam eius aperuit, quam sanare medici non potuerant. Multi enim et, cum obesse vellent, profuerunt et, cum prodesse, obfuerunt. Ita non fit ex eo, quod datur, ut voluntas eius, qui dederit, appareat, nec, si is, qui accepit, bene utitur, idcirco is, qui dedit, amice dedit. 71. Quae enim libido, quae avaritia, quod facinus aut suscipitur nisi consilio capto aut sine animi motu et cogitatione, id est ratione, perficitur? Nam omnis opinio ratio est, et quidem bona ratio, si vera, mala autem, si falsa est opinio. Sed a deo tantum rationem habemus, si modo habemus, bonam autem rationem aut non bonam a nobis. Non enim, ut patrimonium relinquitur, sic ratio est homini beneficio deorum data. Quid enim potius hominibus dedissent, si iis nocere voluissent? Iniustitiae autem, intemperantiae, timiditatis quae semina essent, si his vitiis ratio non subesset? XXIX. Medea modo et Atreus commemorabantur a nobis, heroicae personae, inita subductaque ratione nefaria scelera meditantes. 72. Quid levitates comicae? parumne saepe in ratione versantur? parumne suptiliter disputat ille in Eunucho?

Quid igitur faciam? — —
Exclusit, revocat: redeam? non, si me obsecret.

Ille vero in Synephebis Academicorum more contra communem opinionem non dubitat pugnare ratione, qui in amore summo summaque inopia suave esse dicit

Parentem habere avarum, inlepidum, in liberos
Difficilem, qui te nec amet nec studeat tui.

73. Atque huic incredibili sententiae ratiunculas suggerit:

Aut tu illum fructu fallas aut per litteras
Avertas aliquod nomen aut per servolum
Percutias pavidum, postremo a parco patre
Quod sumas, quanto dissipes libentius!

---

3. *obtumę* A — 6. *quisquamne istuc* (ex correctione) V: *quisquam iuste* (*iuste* in rasura m. sec. multo recentiore) A; *quisquas istuc* B P (*quas* del. B); *Quisquam istuc* C; *quid istud* E — 7. *nocere deianira* A C E P V: *nocere dianae ira* B; *Deianira nocere* O — *uoluit. cui tunicam* C — 9. *iasonis qui* E V — 10. *potuerant* (litterae *a* superscr. *u*) V — 12. *si his* P — 14. *aut scelus suscipitur* O — 18. *homini est* O — 19. *notius* V — *hominibus dii dedissent* B — *si is nocere* B, *si his nocere* E — 21. *si is* A V¹, *si iis* C V² — *media* V — 22. *commemorabatur* B C E P V — *hieroicae* V — 23. *comice* C V — *saepe* Madvig: *semper* 𝔄 O. «*Parum semper* nec per se recte ullo modo dicitur (quoniam nihil nec nimis nec parum semper esse potest) nec rei aptum est. *Saepe* ratiocinationes induci in comoediis dici poterant, non *semper*. Recte idem mendum correctum erat a Manutio, Lambino, aliis § 69.» — 29. *suave*] *si auo* C — 31. *nec amet* A B P V (*amet* in ras. m. sec. A, corr. ex *necari et* V): *necari et* C E — *sui* (superscr. ead. m. *tui*) V in fine paginae; proxima rursus incipit a *tui*, quod tamen ead. m. deletum est. — 32. *incredibilis* A — 36. *dissipes* C E: *dissipis* A B P V¹; *dissipas* V² O. «Sententiam esse generalem et per se patet et ostendit *sumas*.» MADVIG.

Idemque facilem et liberalem patrem incommodum esse amanti filio disputat,

Quem neque quo pacto fallam neque ut inde auferam,
Nec quem dolum ad eum aut machinam commoliar,
Scio quicquam: ita omnis meos dolos, fallacias,
Praestigias praestrinxit commoditas patris.

Quid ergo isti doli? quid machinae? quid fallaciae praestigiaeque? num sine ratione esse potuerunt? O praeclarum munus deorum, ut Phormio possit dicere:

Cedo senem: iam instructa sunt mi in corde consilia omnia.

XXX. 74. Sed exeamus e theatro, veniamus in forum. Sessum it praetor. Quid ut iudicetur? Qui tabularium incenderit. Quod facinus occultius? At se Q. Sosius, splendidus eques Romanus ex agro Piceno, fecisse confessus est. Qui transcripserit tabulas publicas. Id quoque L. Alenus fecit, cum chirographum sex primorum imitatus est. Quid hoc homine sollertius? Cognosce alias quaestiones, auri Tolossani, coniurationis Iugurthinae. Repete superiora, Tubuli de pecunia capta ob rem iudicandam, posteriora, de incestu rogatione Peducaea, tum haec cotidiana, sicae, veneni, peculatus, testamentorum etiam lege nova quaestiones. Inde illa actio, OPE CONSILIOQUE TUO FURTUM AIO FACTUM ESSE, inde tot iudicia de fide mala, tutelae, mandati, pro socio, fiduciae, reliqua, quae ex empto aut vendito aut conducto aut locato contra fidem fiunt, inde iudicium publicum rei privatae lege Plaetoria, inde everriculum malitiarum omnium, iudicium de dolo malo, quod C. Aquillius, familiaris noster, protulit, quem dolum idem Aquillius tum teneri putat, cum aliud sit simulatum, aliud actum. 75. Hanc igitur tantam a dis inmortalibus arbitramur malorum sementim esse factam? Si enim rationem hominibus di dederunt, malitiam dederunt: est enim malitia versuta et fallax ratio nocendi: idem etiam di fraudem dederunt, facinus ceteraque, quorum nihil nec suscipi sine ratione nec effici potest. Utinam igitur, ut illa anus optat,

ne in nemore Pelio securibus
Caesa accidisset abiegna ad terram trabes,

---

3. *quem* Ciceroni tribuit O — *neque ut inde* codices aliquot Davisii et Moseri: *neque unde* A C E P; *ne quid inde* B; *neque* (superscr. *quid*) *tinde* V; *neque qui inde* Heindorf; *neque quid inde* O — 4. *commolior* P — 6. *praestrinxit* A B C E: *praestinxit* O — 7. *praestrigiaeque* V — 10. *caedo* A V — *mihi in* A B E P V — 12. *forum* om. A¹ — *ite praecor* A C; *ite precor* B P V; *ita precor* E — 14. *at se* B C P: *ad se* A E V; *id se* Davisius; *at id se* Schuetzius. — *Q.*] *quintus* A B E V — 15. *l. aienus* V; *lalenus* C — 16. *cyrographum* s. *cyrografum* B C E — *quid* corr. m. sec. ex *quod* V — 17. *tolossani* A B C: *tolosani* E P V O — *iugurtinae* V — 19. *sica* B — 20. *ueneni* cod. Regius Davisii: *uenena* 𝔄 — 21. *de fide mala tutele* C: *de fide fidem alatat utile* A; *de fide allata tutelae* B; *de fide mala at utile* P V; *de fide mala tot utiles* E — 22. *mandati* corr. ex *mandata* A — *exemto* A, ut p. 172, 26. 175, 21. — 23. *conduto* A V — 24. *lege letoria* A C, *lege laetoria* B P V, *lege lotoria* E. Cf. Indicem Legum p. 231 sq. — 28. *sementim* A B C: *sementum* E; *sementem* P V O — 29. *nocendi ratio* O — 33. *caesa accidisset* Varro L. L. VII, 33 et Priscianus VII, 8, 41 (ubi codices aliquot exhibent *accedisset*, quod recepit Vahlen): *caesae accidissent* A C P V; *caese accidissent* (corr. in *cecidissent*) B; *cese cecidissent* E. Singulari numero positum esse *trabes* testantur Varro et Priscianus. Cf. ad Herenn. II § 34. de Invent. I § 91. de Fato § 35. — *abigne* (pro *abiegnae*) 𝔄 (corr. in *abiegne* B).

sic istam calliditatem hominibus di ne dedissent! qua perpauci bene utuntur, qui tamen ipsi saepe a male utentibus opprimuntur: innumerabiles autem improbe utuntur, ut donum hoc divinum rationis et consilii ad fraudem hominibus, non ad bonitatem impertitum esse videatur.

XXXI. 76. Sed urgetis identidem hominum esse istam culpam, non deorum, ut si medicus gravitatem morbi, gubernator vim tempestatis accuset, etsi hi quidem homunculi, sed tamen ridiculi. Quis enim te adhibuisset, dixerit quispiam, si ista non essent? Contra deum licet disputare liberius. In hominum vitiis ais esse culpam. Eam dedisses hominibus rationem, quae vitia culpamque excluderet. Ubi igitur locus fuit errori deorum? Nam patrimonia spe bene tradendi relinquimus, qua possumus falli: deus falli qui potuit? An ut Sol, in currum cum Phaëthontem filium sustulit, aut Neptunus, cum Theseus Hippolytum perdidit, cum ter optandi a Neptuno patre habuisset potestatem? 77. Poëtarum ista sunt; nos autem philosophi esse volumus, rerum auctores, non fabularum. Atque hi tamen ipsi di poëtici, si scissent perniciosa fore illa filiis, peccasse in beneficio putarentur. Ut, si verum esset, quod Aristo Chius dicere solebat, nocere audientibus philosophos iis, qui bene dicta male interpretarentur — posse enim asotos ex Aristippi, acerbos e Zenonis schola exire —, prorsus [si, qui audierunt, vitiosi essent discessuri, quod perverse philosophorum disputationem interpretarentur] tacere praestaret philosophis quam iis, qui se audissent, nocere: 78. sic, si homines rationem, bono consilio a dis immortalibus datam, in fraudem malitiamque convertunt, non dari illam quam dari humano generi melius fuit. Ut, si medicus sciat eum aegrotum, qui iussus sit vinum sumere, meracius sumpturum statimque periturum, magna sit in culpa: sic vestra ista providentia reprehendenda, quae rationem dederit iis, quos scierit ea perverse et inprobe usuros. Nisi forte dicitis eam nescisse. Utinam quidem! sed non audebitis; non enim ignoro, quanti eius nomen putetis.

XXXII. 79. Sed hic quidem locus concludi iam potest. Nam si stultitia consensu omnium philosophorum maius est malum, quam si omnia mala et fortunae et corporis ex altera parte ponantur, sapientiam autem nemo adsequitur, in summis malis omnes sumus, quibus vos optume consultum a dis inmortalibus dicitis. Nam ut nihil interest, utrum nemo valeat an nemo possit valere, sic non intellego quid intersit, utrum nemo sit sapiens an nemo esse possit. Ac nos quidem nimis multa de

---

7. *et sibi quidem* A C; *etsi quidem* E — 8. *si* corr. m. sec. ex *sed* V; *sed* B — *istam* A — 9. *ais* om. A[1] — *dedisse* B E (ante litteram erasam B) — 12. *potuit* corr. ex *posuit* A — *cum* in rasura A; *quom* (corr. m. sec. in *cum*) V — 13. *aut* 𝔄: *aut ut* alii. — *Theseum, Hippolytum* Priscianus VII, 5, 16. — 17. *Ut* Davisius: *Et* 𝔄 O — *esset* Madvigius: *est* 𝔄 O. Vide ad v. 20. — 18. *is* A; *his* P — 19. *posse* corr. in *posset* B — *accerbos* A B V — 20. *scola* E V — *prorsus* corr ex *prossus* V — *si qui - - interpretarentur* del. Madvigius. «Vides sublata adnotatione, quae e margine irrepsit, quam apta sint omnia. Vulgatae scripturae vitia non persequor (*si verum est - - prorsus praestaret* et tautologiam); de adnotationis genere cf. ad Cic. de Fin. V § 21 p. 650. Opusc. Acad. p. 148.» Accedit quod *prorsus* interpositis verbis durissime a verbo *tacere* divellitur. — 21. *peruersaefiloforum* A — *philosophorum - - qui se* om. C — *disputationem* 𝔄: *disputationes* O — 22. *philosophos* Lambinus. — *is* A B, *his* P, *hiis* V, *hys* E — 24. *dari aliam quam* P V — 25. *meratius* (corr. in *temeratius* C) *sumturum* A C — 26. *prouidentia* corr. in *prudentia* V — 27. *repraendenda* A, *reprendenda* V — *is* A; *his* B[1] P — 29. *numen* Davisius.

re apertissuma. Telamo autem uno versu totum locum conficit, cur di homines neglegant:

Nam si curent, bene bonis sit, male malis, quod nunc abest.

Debebant illi quidem omnis bonos efficere, si quidem hominum generi consulebant. 80. Sin id minus, bonis quidem certe consulere debebant. Cur igitur duo Scipiones, fortissimos et optimos viros, in Hispania Poenus oppressit? Cur Maximus extulit filium consularem? Cur Marcellum Hannibal interemit? Cur Paulum Cannae sustulerunt? Cur Poenorum crudelitati Reguli corpus est praebitum? Cur Africanum domestici parietes non texerunt? Sed haec vetera et alia permulta: propiora videamus. Cur avunculus meus, vir innocentissumus idemque doctissumus, P. Rutilius in exilio est? cur sodalis meus interfectus domi suae Drusus? cur temperantiae prudentiaeque specimen ante simulacrum Vestae pontifex maximus est Q. Scaevola trucidatus? cur ante etiam tot civitatis principes a Cinna interempti? cur omnium perfidiosissimus C. Marius Q. Catulum, praestantissuma dignitate virum, mori potuit iubere? 81. Dies deficiat, si velim numerare quibus bonis male evenerit, nec minus, si commemorem quibus improbis optime. Cur enim Marius tam feliciter septimum consul domi suae senex est mortuus? cur omnium crudelissumus tam diu Cinna regnavit? XXXIII. At dedit poenas. Prohiberi melius fuit impedirique ne tot summos viros interficeret quam ipsum aliquando poenas dare. Summo cruciatu supplicioque Q. Varius, homo inportunissumus, periit; si, quia Drusum ferro, Metellum veneno sustulerat, illos conservari melius fuit quam poenas sceleris Varium pendere. Duodequadraginta annos Dionysius tyrannus fuit opulentissumae et beatissumae civitatis. 82. Quam multos ante hunc in ipso Graeciae flore Pisistratus! At Phalaris, at Apollodorus poenas sustulit. Multis quidem ante cruciatis et necatis. Et praedones multi saepe poenas dant, nec tamen possumus dicere non pluris captivos acerbe quam praedones necatos. Anaxarchum Democriteum a Cyprio tyranno excarnificatum accepimus, Zenonem Eleae in tormentis necatum. Quid dicam de Socrate, cuius morti inlacrimari soleo Platonem legens? Videsne igitur deorum iudicio, si vident res humanas, discrimen esse sublatum? XXXIV. 83. Diogenes quidem Cynicus dicere solebat Harpalum, qui temporibus illis praedo

---

1. *conficit ut di* C; *conficitur di* V^1; *conficit utrum di* V^2 — 7. *duos cipiones* A; *duo sippiones* (corr. in *duos scipiones*) C; *duos scipiones* E — 9. *hannibal* C V: *Annibal* O — 10. *regiuli* (litt. *i* post *g* expuncta) ante litteram erasam A: *reguilis* (corr. in *reguli*) V — *praeditum* B — 11. *uera* (superscr. *uetera*) V — *propriora* A B V^1 — 15. *est que sceuola* C: *est p. sceuola* V^1 — *Q.* om. E — *etiam ante* P — *ciuitates* (superscr. m. sec. recent. *ciues*) A — 16. *Q.* om. C — 17. *praestantissuma* corr. ex *praestantissume a* V — *deficiet* C. Vide ad p. 360, 2. — 18. *siccommemorem* A E V^1 — 19. *septimus* C E: *septies* (quod V quoque verae lectioni superscriptum habet) P — 21. *addedit* corr. in *addidit* B — 22. *interfeceret* V^1 — 23. *supplicio quae que uarius* A V^1 — 24. *si* A V^1: *se* B^1; *sed* B^2; *sic* C E V^2 — 26. *dionysius tyrannus annos* 𝔄O, sed *annos* ante *dionysius* transponendum esse significatur in V — *et beatissumae* ab ead. m. margini addita habet V — 27. *multas* C E P — 28. *ad falaris ad apollodorus* V — 29. *multis* B — 30. *aceruo* A P V^1 — *anxarcum* A C E (in A superscr. *a* post *n*), *anxarchum* V — 31. *democritum* B; *Democritium* O. Vide ad p. 235, 16. — 32. *elete* A — *cuius* corr. ex *quius* V — 33. *soleo l. platonem* A B V (in B *L* superscr. est).

felix habebatur, contra deos testimonium dicere, quod in illa fortuna tam diu viveret. Dionysius, de quo ante dixi, cum fanum Proserpinae Locris expilavisset, navigabat Syracusas: isque cum secundissumo vento cursum teneret, ridens «Videtisne», inquit «amici, quam bona a dis inmortalibus navigatio sacrilegis detur?» Idque homo acutus cum bene planeque percepisset, in eadem sententia perseverabat: qui cum ad Peloponnesum classem appulisset et in fanum venisset Iovis Olympii, aureum ei detraxit amiculum grandi pondere, quo Iovem ornarat e manubiis Karthaginiensium tyrannus Gelo, atque in eo etiam cavillatus est aestate grave esse aureum amiculum, hieme frigidum, eique laneum pallium iniecit, cum id esse ad omne anni tempus aptum diceret. Idemque Aesculapii Epidauri barbam auream demi iussit: neque enim convenire barbatum esse filium, cum in omnibus fanis pater inberbis esset. 84. Etiam mensas argenteas de omnibus delubris iussit auferri, in quibus cum more veteris Graeciae inscriptum esset BONORUM DEORVM, uti se eorum bonitate velle dicebat. Idem Victoriolas aureas et pateras coronasque, quae simulacrorum porrectis manibus sustinebantur, sine dubitatione tollebat eaque se accipere, non auferre dicebat: esse enim stultitiam, a quibus bona precaremur, ab iis porrigentibus et dantibus nolle sumere. Eundemque ferunt haec, quae dixi, sublata de fanis in forum protulisse et per praeconem vendidisse exactaque pecunia edixisse ut, quod quisque sacri haberet, id ante diem certam in suum quidque fanum referret. Ita ad impietatem in deos in homines adiunxit iniuriam. XXXV. Hunc igitur nec Olympius Iuppiter fulmine percussit nec Aesculapius misero diuturnoque morbo tabescentem interemit, atque in suo lectulo mortuus † in typanidis rogum inlatus est eamque potestatem,

---

1. *felix* B: *filia* A C E P V; *in Pamphylia felix* Heindorfius. — 2. *Dionysius - - nolle sumere* (v. 19) exscripsit Valerius Maximus I, 1 ext. 3. — 3. *seracusas* A V[1] — 5. *sacrilegi* B — *Idque* Lambinus: *atque* A C E P V; *atqui* B — *accutus* A — *bene plane[que]* O coll. Tusc. II § 44. — 6. *qui quod ad* A B C P V (*ad* corr. ex *a* A; *quod* corr. in *cum* B V); *quid quod cum ad* E — *peloponensum* A B C V, *pelopemensum* E — 7. *classum* A; *castrum classem* E — *apulisset* A — 8. *detraxum* V — *iouen* A — *e* B C E P V: *ex* A(?) O — *manibiis* corr. in *manubiis* C; *manubiis is* A P, *manubiis iis* V — 9. *carthaginensium* A, *cathaginiensium* C, *karthaginensium* E, *cartaginiensium* V — *gelo* A B C E V: *gelu* P; *Hiero* cod. Glogaviensis, O. Gelonem Hieroni etiam ap. Valerium Max. cum optimo omnium codice Bernensi substituit Kempfius. — 10. *grauem* A B E P V — 11. *aptum* (superscr. ante *ad*) V: *apte* E; om. A B C P O. (*ad utrumque tempus anni aptius* Valerius; *utrique tempori aptum* Lactantius Inst. Div. II, 4.) — 12. *aesculapi* A[1] B; *asclepii* (cf. § 39) corr. in *esculapio* C — *epidauri* corr. in *epidaurio* C. Vide ne *Epidauri* falsum glossema sit. — 13. *esset. etiam* Gulielmius: *esset. iam* 𝔄; *esset. Idem* O — 14. *auferi* B V[1] — 15. *cum (quom)* cod. Rehdingerianus et Madvigius (ad Cic. de Finib. p. 461): *quod* 𝔄 O. Cf. var. lect. ad v. 6. — 16. *coronasque quae simulacrorum* (*quae* superscr.) V: *coronasque simulacrorum* A E P; *coronas quae simulacrorum* B C (*quae* corr. ex *quem* C) — 17. *porrectis* corr. ex *porrectas* A — *sustinebant* P — 18. *easque* Valerius. — 19. *ab is* A, *ab his* B E P, *ab hiis* V — 21. *pecunia edixisse* E V: *pecuniae dixisse* B[1]; *pecunia dixisse* A B[2] C P — 22. *quisque sacri* B: *quisque a sacris* A C E P V O — *quidque* V[1]: *quicque* A B V[2]; *quanque* C; *quique* E P: *quodque* O — 23. *impletatem* B V (corr. in *impietatem* V, corr. in *impleta temeritate* B) — *adiuncxit* A, *iniunxit* C — 24. *flumine* A[1] V[1] — 25. *atqui* corr. ex *atque* A B — 26. *in typanidis rogum* A E P V: *in tyrannidis rogum* B; *in timpanidis rogum* C; *in Tympanidis rogum* O; *vi tympanitidis, rogo* Fr. Meyerus; *et impunitus rogo* Schoemannus. Aliorum commenta congessit et auxit Foertsch Quaestt. Tull. p. 2 sqq. Vulgatam autem lectionem ita defendit Welckerus (Mus. Rhen. N. S. VI p. 399), ut *Tympanidem* rogi artificiosi (v. Theon. Progymn. p. 68 ed. Speng.) auctorem fuisse dicat,

quam ipse per scelus erat nanctus, quasi iustam et legitimam hereditatis loco filio tradidit. 85. Invita in hoc loco versatur oratio; videtur enim auctoritatem adferre peccandi: recte videretur, nisi et virtutis et vitiorum sine ulla divina ratione grave ipsius conscientiae pondus esset, qua sublata iacent omnia. Ut enim nec domus nec res publica ratione quadam et disciplina designata videatur, si in ea nec recte factis praemia extent ulla nec supplicia peccatis, sic mundi divina [in homines] moderatio profecto nulla est, si in ea discrimen nullum est bonorum et malorum.

86. At enim minora di neglegunt neque agellos singulorum nec viticulas persecuntur nec, si uredo aut grando cuipiam nocuit, id Iovi animadvertendum fuit; ne in regnis quidem reges omnia minima curant: sic enim dicitis: quasi ego paulo ante de fundo Formiano P. Rutilii sim questus, non de amissa salute. XXXVI. Atque hoc quidem omnes mortales sic habent, externas commoditates, vineta, segetes, oliveta, ubertatem frugum et fructuum, omnem denique commoditatem prosperitatemque vitae a dis se habere; virtutem autem nemo umquam acceptam deo rettulit. 87. Nimirum recte; propter virtutem enim iure laudamur et in virtute recte gloriamur: quod non contingeret, si id donum a deo, non a nobis haberemus. At vero aut honoribus aucti aut re familiari aut si aliud quippiam nacti sumus fortuiti boni aut depulimus mali, tum dis gratias agimus, tum nihil nostrae laudi adsumptum arbitramur. Num quis, quod bonus vir esset, gratias dis egit umquam? At quod dives, quod honoratus, quod incolumis. Iovemque optumum et maxumum ob eas res appellant, non quod nos iustos, temperatos, sapientes efficiat, sed quod salvos, incolumis, opulentos, copiosos. 88. Neque Herculi quisquam decumam vovit umquam, si sapiens factus esset: quamquam Pythagoras, cum in geometria quiddam novi invenisset, Musis bovem immolavisse dicitur; sed id quidem non credo, quoniam ille ne Apollini quidem Delio hostiam immolare voluit, ne aram sanguine aspergeret. Ad rem autem ut redeam, iudicium hoc omnium mortalium est, fortunam a deo petendam, a se ipso sumendam esse sapientiam. Quamvis licet Menti delubra et Virtuti et Fidei consecremus, tamen haec in nobis ipsis sita videmus: Spei, Salutis, Opis, Victoriae facultas a dis expe-

---

quem tamen *Timaeum* quendam exstruxisse testatur Moschion ap. Athenaeum V p. 206 e: *Τίμαιος δὲ θαυμάζεται ἐπὶ τῇ πυρᾷ τῇ κατασκευασθείσῃ Διονυσίῳ τῷ Σικελίας τυράννῳ*, quae verba quis credat fuisse qui interpretarentur «Timaeus (historicus) cum admiratione loquitur de rogo -- exstructo»? — 3. *recte* 𝔄: *et recte* O — 5. *ut* corr. ex *et* V — *ratione* corr. ex *rationem* A V — 6. *dissignata* A B — *factis* corr. ex *facitis* V — 7. *in homines* del. Bouhier. «Neque *moderatio mundi in homines* Latine dicitur et universe agitur, sitne divina mundi administratio necne; ad eam rem argumentum ducitur ex bonorum et malorum discrimine.» MADVIG. — 10. *glando* V[1] — *cuipiam* C: *quipiam* A[1] B; *quippiam* A[2] V, *quidpiam* O — *aduertendum* P — 12. *formiano protulissem questus* C E — *rutili* B V — *sim* in ras. m. sec. A — 13. *quaestus* A B — *atqui* corr. ex *atque* B — 15. *fructuum* corr. ex *fructum* A V — 17. *in* superscr in B — 19. *heberemus* A — *auti* A — 20. *fortuitu* C — *tum dis* A B C P V: *cum (quum) diis* E O — 21. *adsumptum laudi* P — *laudi* om. A[1] — *adsumtum* A — 22. *at* (in marg. ead. m. *ut*) V — 23. *onoratus* A — *et* 𝔄: om. O; at «hic non tam ipsa formula spectatur, sed vis ac sententia illorum verborum, quae magis exstant singula interposita coniunctione *et*.» KLOTZ. — *ob eas* corr. ex *abeas* V — 25. *incolomis* A — 26. *quisquam* om. B — 28. *immolauisse* A B C E: *immolasse* P V O — *appollini* A — 29. *deli* corr. m. sec. in *delio* B — 32. *licet* expunctum est in V; sed cf. Tusc. IV § 53. — 33. *ipsis sita* (corr. ex *ipsi sita*) A: *ipsis ita* B C E P V.

tenda est. Inproborum igitur prosperitates secundaeque res redarguunt, ut Diogenes dicebat, vim omnem deorum ac potestatem. XXXVII. 89. At nonnumquam bonos exitus habent boni. Eos quidem arripimus attribuimusque sine ulla ratione dis inmortalibus. At Diagoras cum Samothracam venisset, atheus ille qui dicitur, atque ei quidam [amicus] «Tu, qui deos putas humana neglegere, nonne animadvertis ex tot tabulis pictis quam multi votis vim tempestatis effugerint in portumque salvi pervenerint?» ita fit, inquit; illi enim nusquam picti sunt, qui naufragia fecerunt in marique perierunt. Idemque, cum ei naviganti vectores adversa tempestate timidi et perterriti dicerent non iniuria sibi illud accidere, qui illum in eandem navem recepissent, ostendit eis in eodem cursu multas alias laborantis quaesivitque, num etiam in iis navibus Diagoram vehi crederent. Sic enim res se habet, ut ad prosperam adversamve fortunam qualis sis aut quem ad modum vixeris nihil intersit. 90. Non animadvertunt, inquit, omnia di, ne reges quidem. Quid est simile? Reges enim si scientes praetermittunt, magna culpa est. XXXVIII. At deo ne excusatio quidem est inscientiae: quem vos praeclare defenditis, cum dicitis eam vim deorum esse, ut, etiam si quis morte poenas sceleris effugerit, expetantur eae poenae a liberis, a nepotibus, a posteris. O miram aequitatem deorum! Ferretne civitas ulla latorem istius modi legis, ut condemnaretur filius aut nepos, si pater aut avus deliquisset?

Quinam Tantalidarum internicioni modus
Paretur? aut quaenam umquam ob mortem Myrtili
Poenis luendis dabitur satias supplici?

91. Utrum poëtae Stoicos depravarint an Stoici poëtis dederint auctoritatem, non facile dixerim; portenta enim ab utrisque et flagitia dicuntur. Neque enim, quem Hipponactis iambus laeserat aut qui erat Archilochi versu volneratus, a deo inmissum dolorem, non conceptum a se ipso continebat, nec, cum Aegisthi libidinem aut cum Paridis videmus, a deo causam requirimus, cum culpae paene vocem audiamus, nec ego multorum aegrorum salutem non ab Hippocrate potius quam ab Aesculapio datam iudico, nec Lacedaemoniorum disciplinam dicam umquam ab Apolline potius Spartae quam a Lycurgo datam. Critolaus, inquam, evertit Corinthum, Karthaginem Hasdrubal. Hi duo illos oculos orae maritumae effoderunt, non iratus aliqui, quem omnino irasci posse negatis, deus. XXXIX. 92. At subvenire certe potuit et conservare urbis tantas atque

---

3. *arripimus* corr. m. sec. in *ascribimus* A V — *adtribuimusquae* A — 4. *samothracam* A B C V[1]: *samothracum* P; *somotraciam* E; *samothraciam* V[2] O — 5. *atheus* 𝔄: *ἄθεος* Manutius; *Atheos* O. Cf. I § 63. — *quidam* corr. in *quidem* B — *amicus* om. A[1], ego seclusi. — 6. *neclegere* A B[1] — *none* V — 7. *multis* C P V[1] — 10. *illut* A[1] — 11. *nauim* P — 12. *iis* corr. ex *hiis* V, *is* A, *his* B P — 16. *at* (*t* in ras.) A — 19. *expectantur* corr. in *expectentur* V — *hae* P — *ac nepotibus* A B C — *a posteris* corr. in *ac posteris* B V — 20. *ulla civitas* O — 21. *legis* corr. ex *leges* A — *condempnaretur* V[1] — 22. Cf. Charisium I p. 70. — *internicioni* A: *interlectioni* (superscr. *necioni*) C; *internecioni* B E P V O. Vide ad Tacit. Ann. II, 21. — 23. *paret* corr. in *pararetur* B — 24. *satias* A B V (corr. in *satietas* A V): *satietas* C E — *supplici* B C: *supplitii* A, *supplicy* E, *supplicii* V — 26. *dicuntur* om. P — 29. *aegesthi* V[1] — *patridis* V[1] — 30. *poene* B; om. C — 31. *ippocrate* A B V, *ypocrate* C E — 32. *iudicio* P V[1] — 33. *critolauus* A V[1] — 34. *corhintum* A V — *carthaginem* A B V, *Kartaginem* E — *asdrubal* 𝔄 — *duo* (superscr. *duos*) V — 35. *alicui* P V[2] — *deus* Lambinus et cod Regius Davisii: *deum* 𝔄.

talis. Vos enim ipsi dicere soletis nihil esse quod deus efficere non possit, et quidem sine labore ullo: ut enim hominum membra nulla contentione mente ipsa ac voluntate moveantur, sic numine deorum omnia fingi, moveri mutarique posse. Neque id dicitis superstitiose atque aniliter, sed physica constantique ratione: materiam enim rerum, ex qua et in qua omnia sint, totam esse flexibilem et commutabilem, ut nihil sit quod non ex ea quamvis subito fingi convertique possit; eius autem universae fictricem et moderatricem divinam esse providentiam: hanc igitur, quocumque se moveat, efficere posse quicquid velit. Itaque aut nescit quid possit aut neglegit res humanas aut quid sit optimum non potest iudicare. 93. Non curat singulos homines. Non mirum: ne civitates quidem. Non eas? ne nationes quidem et gentis. Quod si has etiam contemnet, quid mirum est omne ab ea genus humanum esse contemptum? Sed quo modo idem dicitis non omnia deos persequi, idem voltis a dis inmortalibus hominibus dispertiri ac dividi somnia? Idcirco haec tecum, quia vestra est de somniorum veritate sententia. Atque idem etiam vota suscipi dicitis oportere. Nempe singuli vovent; audit igitur mens divina etiam de singulis. Videtis ergo non esse eam tam occupatam quam putabatis. Fac esse distentam, caelum versantem, terram tuentem, maria moderantem: cur tam multos deos nihil agere et cessare patitur? cur non rebus humanis aliquos otiosos deos praeficit, qui a te, Balbe, innumerabiles explicati sunt? Haec fere dicere habui de natura deorum, non ut eam tollerem, sed ut intellegeretis quam esset obscura et quam difficilis explicatus haberet.

XL. 94. Quae cum dixisset, Cotta finem. Lucilius autem, Vehementius, inquit, Cotta, tu quidem invectus es in eam Stoicorum rationem, quae de providentia deorum ab illis sanctissume et providentissume constituta est. Sed quoniam advesperascit, dabis nobis diem aliquem, ut contra ista dicamus. Est enim mihi tecum pro aris et focis certamen et pro deorum templis atque delubris proque urbis muris, quos vos, pontifices, sanctos esse dicitis diligentiusque urbem religione quam ipsis moenibus cingitis: quae deseri a me, dum quidem spirare potero, nefas iudico. 95. Tum Cotta: Ego vero et opto redargui me, Balbe, et ea, quae disputavi, disserere malui quam iudicare et facile me a te vinci posse certo scio. Quippe, inquit Velleius, qui etiam somnia putet ad nos mitti ab Iove, quae ipsa tamen tam levia non sunt quam est Stoicorum de natura deorum oratio. Haec cum essent dicta, ita discessimus,

---

2. *nulla* corr. ex *ulla* V — 4. *figi* V — *dicitis*] *additis* B — 5. *sedifisica* A — *materia* A C E V — 8. *hanc* (corr. ex *haec*) V: *haec* A B C E — 10. *quid* (ante *possit*) corr. ex *quod* A — *neclegit* A — 11. *nec ciuitates* 𝔄 — 12. *quidem. Si non eas, ne nationes quidem* Madvigius. «Interrogatio illa *non eas?* posita iam eiusdem rei negatione et supervacua est et prave concepta; debebat esse: *ne eas quidem?*» — *et sentis* P V — 13. *contemnet* A B C E, *contempnet* P V: *contemnit* O — 14. *persequi qui idem* (*qui* superscr.) V — 15. *dispartiri* O — *diuidis* (*s* del. m. sec.) *omnia* V — 19. *occupatam* corr. ex *occulpatam* V — 20. *nil* P — 21 *praefecit* E V — 23. *non uti eam* B — 25. *quae* corr. in *quem* B — 26. *in eam* C E: *ineram* (litt. *r* expuncta) A, *in eram* B P V (superscr. *istam* P, corr. in *in moram* V) — 27. *prudentissime* B E — 28. *diem nobis* O — 29. *enim hic tecum* P — 31. *que* om. P — 32. *cingitis* corr. ex *cincitis* A V — *me* ante litteram erasam A — 36. *miti* B — *ad iouem* B; *a ioue* C. Cf. § 59. — *leuia* corr. ex *leui* V.

ut Velleio Cottae disputatio verior, mihi Balbi ad veritatis similitudinem videretur esse propensior.

Fragmenta librorum de deorum natura.

EX LIBRO III.

1. Lactantius Instit. Divin. II, 3. *Intelligebat Cicero falsa esse, quae homines adorarent; nam cum multa dixisset, quae ad eversionem religionum valerent, ait tamen* non esse illa vulgo disputanda, ne susceptas publice religiones disputatio talis exstinguat.

2. Lactantius Inst. div. II, 8. *Cicero de natura deorum disputans sic ait*: Primum igitur non est probabile eam materiam rerum, unde orta sunt omnia, esse divina providentia effectam, sed habere et habuisse vim et naturam suam. Ut igitur faber, cum quid aedificaturus est, non ipse facit materiam, sed ea utitur, quae sit parata, fictorque item cera: sic isti providentiae divinae materiam praesto esse oportuit, non quam ipse faceret, sed quam haberet paratam. Quod si non est a deo materia facta, ne terra quidem et aqua et aër et ignis a deo factus est.

3. Arnobius III, 6 sq. *Adduci - - hoc ut credamus non possumus, immortalem illam praestantissimamque naturam divisam esse per sexus et esse partem unam mares, partem esse alteram feminas. Quem quidem locum plene iam dudum homines pectoris vivi tam Romanis litteris explicavere quam Graecis, et ante omnes Tullius, Romani disertissimus generis, nullam veritus impietatis invidiam, ingenue, constanter et libere, quid super tali opinatione sentiret, 'pietate cum maiore monstravit: a quo si res sumere iudicii veritate conscriptas, non verborum luculentias pergeretis, perorata esset haec causa nec secundas, ut dicitur, actiones nobis ab infantibus postularet. Sed quid aucupia verborum splendoremque sermonis peti ab hoc dicam, cum sciam esse non paucos, qui aversentur et fugiant libros de hoc eius, nec in aurem velint admittere lectionem opinionum suarum praesumpta vincentem, cumque alios audiam mussitare indignanter et dicere oportere statui per senatum, aboleantur ut haec scripta, quibus Christiana religio comprobetur et vetustatis opprimatur auctoritas?*

---

2. M. TULLII CICERONIS DE DEORUM NATURA LIBER TERTIUS EXPLICITUS FELICITER CICERONIS DE DIVINATIONE LIBER PRIMUS INCIPIT AB; M. TULLII CICERONIS DE DEORUM NATURA LIBER TERTIUS EXPLICITUS FELICITER. FELICITER V; *M. Tullii Ciceronis de deorum natura liber III explicit. Eiusdem de diuinitate liber I incipit* C; *Expliciunt tres libri de natura deorum marci tuly ciceronis* E.

5. «Quamvis Lactantius librum non memoret, ex quo haec sint hausta, tertio tamen libro de N. D. adscribere nullus equidem dubitavi; nam, ut ait ille lib. I Div. Inst. c. 17, *totus liber tertius de natura deorum omnes funditus religiones evertit ac delet.* Idem de ira dei c. 11: *Tullius tertio de natura deorum libro dissolvit publicas religiones.* Vide sis et Augustinum C. D. V, 9.» DAVIS. — 15. «Certo certius videtur, Arnobio in mente fuisse tertium de nat. deor. librum.» DAVIS. At vide ne haec Arnobiana non ad tertium librum, sed ad II § 95 pertineant: *Nam quod et maris deos et feminas esse dicitis, quid sequatur videtis. Equidem mirari satis non possum, unde ad istas opiniones vester ille princeps venerit.*

[4. Nonius p. 96 Merc. *Dulcitas, dulcitudo.* - - *Cicero de deorum natura lib. III*: quin etiam gustatus, qui est sensus ex omnibus maxime voluptarius, quique dulcitudine praeter ceteros sensus commovetur.]

5. Maii vett. interpretes Virgilii p. 45 ed. Mediol. - - *apud Ciceronem de natura deorum IT*, ubi de Cleomene Lacedaemonio . . .

6. Diomedes Art. Gramm. I p. 313, 10 ed. Keil. *Cicero de deorum natura tertio*: homines omnibus bestiis antecedunt.

EX LIBRIS INCERTIS.

7. Servius ad Vergil. Aen. III, 284. *Tullius in libris de natura deorum* tria milia annorum *dixit* magnum annum tenere.

8. Servius ad Vergil. Aen. III, 600. *Cicero* spiritabile *dixit in libris de deorum natura.*

[9. Servius ad Vergil. Aen. VI, 894. *Per portam corneam* oculi *significantur, qui et* cornei sunt et duriores ceteris membris; nam frigus non sentiunt, *sicut etiam Cicero dixit in libris de natura deorum.*]

---

4. immo *Cic. de Oratore III* (§ 99). — 7. «Ex tertio de deorum natura libro quae citantur in lacuna capitis 25 posita fuisse videntur; nisi potius in libris Diomedis exciderunt haec, c. 10, 25 *qui potuit igitur, is praestat homini. homini autem praestare quis possit nisi deus?* ea autem quae restant ad Cic. de offic. I, 30, 105, *quantum natura hominis pecudibus reliquisque beluis antecedat*, pertinent.» KEIL. — 10. Cf. II § 51 sq. — 11. Cf. II § 18. — 13. De auribus, non de oculis, Cicero II § 144 dixit: *duros et quasi corneolos habent introitus*. Aut erravit igitur Servius aut tertium librum respicit.

SUPPLEMENTA ADNOTATIONIS.

Pag. 370, 3. *quae et ad -- religionem necessaria* del. Heidtmann (*Zur Kritik und Interpretation der Schrift Cicero's* de natura deorum, Neustettin 1858).
« 370, 14. *putaverunt* del. Bake (Mnemos II p. 115).
« 371, 19. *quibus sublatis -- magna confusio* post *tollatur* (v. 22) cum Wyttenbachio transponit Heidtmann.
« 371, 24. *neque vero id solum -- fabricati paene videantur* (v. 30) delet idem.
« 373, 11. *nec vero desertarum relictarumque rerum patrocinium suscepimus* del. idem.
« 373, 20 *philosophos* del. Bake.
« 376, 10. *quod ne in cogitationem quidem -- tempus esset* del. Heidtmann, relecta negatione ante *potest*.
« 376, 12. *At iste nec attingit deum -- maria parerent* del. idem.
« 376, 24. *deinde quod ita multa -- nec ferre praesentia* del. idem.
« 376, 36. *quodque in nostro corpore -- pars est etiam dei* del. idem.
« 379, 24 *putat* del. Bake.
« 383, 22 *hunc demum beatum* idem.
« 387, 12. *quod cum effugere vultis* idem.
« 388, 13. *venerat; is, cum agellus eum non satis aleret* idem.
« 388, 24. *cum quidem simpliciter* (*similia* Dobree Advers. II p. 373) *dicta sunt* idem.
« 388, 29. *sed quod, inter nos liceat, ne tu quidem intellegis* idem.
« 392, 17. *Sed tu quidem* idem.
« 392, 32. *homines, eaque erant forma* idem.
« 393, 4. *putabimus* idem.
« 394, 28. Verba *an quicquam -- quia numquam vidimus* post illa *etiam rideri te putares* (p. 392, 16) transponit idem.
« 398, 2. *quoniam nascuntur in terra, sint qui nascantur in aqua* idem.
« 398, 3. In adnotatione scrib. *sint quae* 𝔄: *sunt quae* O.
« 400, 6. *deorum in numero habenda esse dixit* Bake.
« 400, 31. *cum enim -- naturam dei dicit esse, negat autem esse in deo gratiam, tollit* idem.
« 404, 1. *saepe visae formae deorum quem non -- coëgerunt?* idem coll. II, 19 init.
« 405, 25. *ne aegri quidem omnes convalescunt: num idcirco ars nulla medicina est?* Ruhnkenius.
« 406, 1. *quam caperemus ex magnitudine commodorum* Bake.
« 409, 19. *ille vero et multo quidem calore admixtus est* del. Ruhnkenius.
« 418, 24. *intellegi potest; et quod ex nobis natos liberos appellamus* Bake.
« 418, 34. *Nam cum vetus haec opinio Graeciam opplevisset, exsectum Caelum -- a filio Iove, physica ratio* idem. (Eandem lectionem codici Leidensi A falso tribuit Moserus.)
« 419, 10. *sed ipse Iupiter, id est iuvans pater (quem conversis -- magnas habere): hunc igitur* idem.
« 436, 20. *ex inopinato servantes, quod inciderit, arripiunt* idem.
« 438, 7. *ut contra vim et impetum suis se armis quaeque defendat* idem.
« 438, 11. *magna adhibita cura est et providentia deorum* idem.
« 446, 19. *bestiae furtim, ut dixi, fruuntur, homines palam et libere* idem.
« 450, 2. *ego enim te disputante, quod contra dicerem, mecum ipse meditabar* idem.

M. TULLII CICERONIS

DE DIVINATIONE

LIBRI DUO.

RECOGNOVIT

GUILELMUS CHRIST.

NOTARUM INDEX.

A = codex Leidensis Vossianus num. 84. Contulit C. Halm.
B = codex Leidensis Vossianus num. 86. Contulit I. G. Baiter.
H = codex Leidensis Heinsianus num. 118. Contulit idem.
V = codex Vindobonensis $\frac{189}{\varphi . 208}$ (apud Endlich. LV). Contulit C. Schenkl.
C = codices A B H V.
O = editio Orelliana.

Praeterea ad manus erant cod. Erlangensis collatio a Fleckeiseno facta et cod. Salisburgensis aulicus num. 34 (nunc Monacensis), quem ipsi inspeximus, et excerpta codicis quo usus est Pithoeus, quae C. Halm ex exemplo Graeviano in bibliotheca Heidelbergensi descripsit.

LIBER PRIMUS.

I. 1. Vetus opinio est iam usque ab heroicis ducta temporibus, eaque et populi Romani et omnium gentium firmata consensu, versari quandam inter homines divinationem, quam Graeci *μαντικήν* appellant, id est praesensionem et scientiam rerum futurarum. Magnifica quaedam res et salutaris, si modo est ulla, quaque proxime ad deorum vim natura

---

Inscriptio. *M. TULLII CICERONIS DE DEORUM NATURA LIBER TERTIUS EXPLICITUS FELICITER CICERONIS DE DIUINATIONE LĪB PRIM̄ INCIPĪ* A, *Incipit de diuinatione liber primus eiusdem* V, *M. TULLI CICERONIS DE DEORUM NATURA LIB. III EXPLICITUS FELICITER. CICERONIS DE DIUINATIONE LIBER I INCIPIT* B, *M. Tullii Ciceronis de deorum natura liber III explicit. Eiusdem de diuinatione liber primus incipit* H.

1. *eroicis* A, *herocis* H — 2. *firmita* A¹ — 3. *manticen* C — 4. *id est*] .i. H — *praescientiam* cod. Rhedig., at cf. § 105. — *quidem* Davisius ex codd. dett. — 5. *est* om. H — *quaque proxime* Turnebus: *quaeque* (*sique* V corr.) *proxima* C — *naturam* A B¹.

mortalis possit accedere. Itaque ut alia nos melius multa quam Graeci, sic huic praestantissimae rei nomen nostri a divis, Graeci, ut Plato interpretatur, a furore duxerunt. 2. Gentem quidem nullam video neque tam humanam atque doctam, neque tam inmanem tamque barbaram, quae non significari futura et a quibusdam intellegi praedicique posse censeat. Principio Assyrii, ut ab ultumis auctoritatem repetam, propter planitiam magnitudinemque regionum, quas incolebant, cum caelum ex omni parte patens atque apertum intuerentur, traiectiones motusque stellarum observitaverunt, quibus notatis, quid cuique significaretur, memoriae prodiderunt. Qua in natione Chaldaei, non ex artis, sed ex gentis vocabulo nominati, diuturna observatione siderum scientiam putantur effecisse, ut praedici posset quid cuique eventurum et quo quisque fato natus esset. Eandem artem etiam Aegyptii longinquitate temporum innumerabilibus paene saeculis consecuti putantur. Cilicum autem et Pisidarum gens et his finituma Pamphylia, quibus nationibus praefuimus ipsi, volatibus avium cantibusque, *ut* certissimis signis, declarari res futuras putant. 3. Quam vero Graecia coloniam misit in Aeoliam, Ioniam, Asiam, Siciliam, Italiam sine Pythio aut Dodonaeo aut Hammonis oraculo? aut quod bellum susceptum ab ea sine consilio deorum est?

II. Nec unum genus est divinationis publice privatimque celebratum. Nam, ut omittam ceteros populos, noster quam multa genera conplexus est! Principio huius urbis parens Romulus non solum auspicato urbem condidisse, sed ipse etiam optumus augur fuisse traditur. Deinde auguribus et reliqui reges usi, et exactis regibus nihil publice sine auspiciis nec domi nec militiae gerebatur. Cumque magna vis videretur esse et inpetriendis consulendisque rebus et monstris interpretandis ac procurandis in haruspicum disciplina, omnem hanc ex Etruria scientiam adhibebant, ne genus esset ullum divinationis quod neglectum ab iis videretur. 4. Et cum duobus modis animi sine ratione et scientia motu ipsi suo soluto et libero incitarentur, uno furente, altero somniante, furoris divinationem Sibyllinis maxime versibus contineri arbitrati eorum decem interpretes delectos e civitate esse voluerunt. Ex quo genere saepe hariolorum etiam et vatum furibundas praedictiones, ut Octaviano bello Corneli Culleoli, audiendas putaverunt. Nec vero somnia graviora, si quae ad rem publicam pertinere visa sunt, a summo consilio neglecta sunt.

---

1. *mortali* C, sed in A *i* sup. lin. — 2. *praestantissime* AH, quas vulgares litterarum *ae* et *e* permutationes posthac non exscribemus nisi locis notabilioribus. — 4. *tamque* C: *atque* cod. Eliensis Davisii et O — 5. *et in quibusdam* H — 6. *assirii* A — 7. *planitiem* HO — *ex* om. H — 8. *intuentur* H[1] — *traiectionesque motusque st. obseruitauerant* H — 9. *cuique* C: *quoque* cum Hottingero O; cf. Manilii Astr. I v. 51 sqq. — *memoria* B — 10. *gens* B[1] — 11. *nominari* H — *syderum* H — 12. *efficisse* B — 13. *aegypti* H — 14. *Caelicum* H — *fisidarum* B, ut saepe codd. — 15. *pamphilia* AH — 16. *et cantibus* H, sed *et* m. rec. add. — *ut* addidit Lambinus, *et* add. V[2] — 17. *Aeoliam* Turnebus (Advers. V, 20): *aetoliam* C — 18. *phythio* A — *ammonis* BV — 19. *at quod* A[1] — 22. *romulos* A[1], *romolus* H — 23. *obtumus* A — 24. *et* sup. lin. B — 25. *miliciae* A — *et* C: *et in* V[2] O — 26. *inpetriendis* Manutius (cf. I § 28. II § 35): *inpetrandis* (*imp.* HV) C — *et monstris* Davisius: *et in monstris* CO — *procurandissin arusp.* V[1], *procurandis sine arusp.* V[2] — 27. *in* C: *ex* coni. Ernesti, delendum esse *in* censuit Moser. — *aruspicum* AHV — *ex* om. H — 28. *illum* A — *his* B[1]H — 30. *suo et soluto* H — *furentes -- somniantes* Schuetz. — *sompniante* H et sic saepius. — 32. *ariolorum* BH — 34. *culeoli* B — 35. *rem pertinere* AB, sed i B post *rem* littera erasa, *tempus pertinere* H.

Quin etiam memoria nostra templum Iunonis Sospitae L. Iulius, qui cum P. Rutilio consul fuit, de senatus sententia refecit ex Caeciliae, Baliarici filiae, somnio.

III. 5. Atque haec, ut ego arbitror, veteres rerum magis eventis moniti quam ratione docti probaverunt. Philosophorum vero exquisita quaedam argumenta cur esset vera divinatio collecta sunt, e quibus, ut de antiquissumis loquar, Colophonius Xenophanes, unus qui deos esse diceret, divinationem funditus sustulit. Reliqui vero omnes praeter Epicurum balbutientem de natura deorum divinationem probaverunt, sed non uno modo. Nam cum Socrates omnesque Socratici Zenoque et ii, qui ab eo essent profecti, manerent in antiquorum philosophorum sententia, vetere Academia et Peripateticis consentientibus, cumque huic rei magnam auctoritatem Pythagoras iam ante tribuisset, qui etiam ipse augur vellet esse, plurumisque locis gravis auctor Democritus praesensionem rerum futurarum conprobaret, Dicaearchus Peripateticus cetera divinationis genera sustulit, somniorum et furoris reliquit, Cratippusque familiaris noster, quem ego parem summis Peripateticis iudico, isdem rebus fidem tribuit, reliqua divinationis genera reiecit. 6. Sed cum Stoici omnia fere illa defenderent, quod et Zeno in suis commentariis quasi semina quaedam sparsisset, et ea Cleanthes paulo uberiora fecisset, accessit acerrumo vir ingenio Chrysippus, qui totam de divinatione duobus libris explicavit sententiam, uno praeterea de oraclis, uno de somniis: quem subsequens unum librum Babylonius Diogenes edidit, eius auditor, duo Antipater, quinque noster Posidonius. Sed a Stoicis vel princeps eius disciplinae, Posidonii doctor, discipulus Antipatri, degeneravit Panaetius, nec tamen ausus est negare vim esse divinandi, sed dubitare se dixit. Quod illi in aliqua re invitissumis Stoicis Stoico facere licuit, id nos ut in reliquis rebus faciamus a Stoicis non concedetur? praesertim cum id, de quo Panaetio non liquet, reliquis eiusdem disciplinae solis luce videatur clarius. 7. Sed haec quidem laus Academiae praestantissumi philosophi iudicio et testimonio conprobata est. IV. Etenim nobismet ipsis quaerentibus, quid sit de divinatione iudicandum, quod a Carneade multa acute et copiose contra Stoicos disputata sint, verentibusque ne temere vel falsae rei vel non satis cognitae adsentiamur, faciendum videtur ut diligenter etiam atque etiam argumenta cum argumentis comparemus, ut fecimus in iis tribus libris, quos de natura deorum scripsi-

---

1. *sospite* B — *lucius* ABH — 2. *baliaricae* H, *Balearici* O — 3. *somno filiae* H¹ — 4. *haec* A sup. lin. m. pr. — *euentus* H¹ — 6. *vera* suspectum erat Ernestio, *vere* Schuetz; at cf. § 9. — 7. *unos* A — *deum* H — 10. *non* om. B¹ — *omnes* B¹ — *etiqui* A — 11. *numerent* H¹ — *philoforum* A — 12. *veteri academiae Peripateticis consentientibus* Davisius. — 14. *plurimisque* A¹ — 16. *genera* A corr. ex *gera*. — *Cratippus* H, *Cratippus quoque* ex codd. dett. Davisius. — 17. *parem* A corr. ex *patrem*. — *iudico* A sup. lin. m. 2. — *idem* H¹, *iisdem* O — 18. *reicit* H — 19. *quod* C: fort. *quae*. — *Zenon* H — 20. *deanthes* H — *oberiora* A¹, *ubiora* H — *acerumo* H — 21. *de* om. B¹ — 22. *oraculis* O — 23. *duos* A² — 24. *possidonius* mei fere semper. — *stocis* H — *princeps* cod. Pithoeanus: *principe*, A, *principes* B¹HV¹, *principibus* B²V²; nominum a capite derivatorum casum rectum singularis veteres in *cipes* extulisse auctores sunt Charisius p. 67 et Priscianus I p. 755 ed. Putsch. — 27. *inuictissimis* H — 31. *iudilio* A — 32. *de uinatione* H — 33. *acuta et copiosae* A — 34. *teme* A² — *cognite* A — 35. *atque etiam* om. B¹ — *argumenta* om. H — 36. *facimus* V — *his* C.

mus. Nam cum omnibus in rebus temeritas in adsentiendo errorque turpis est, tum in eo loco maxime, in quo iudicandum est quantum auspiciis rebusque divinis religionique tribuamus. Est enim periculum ne aut neglectis iis impia fraude aut susceptis anili superstitione obligemur.

V. 8. Quibus de rebus et alias saepe et paulo accuratius nuper, cum essem cum Quinto fratre in Tusculano, disputatum est. Nam cum ambulandi causa in Lyceum venissemus — id enim superiori gymnasio nomen est —, Perlegi, inquit ille, tuum paulo ante tertium de natura deorum, in quo disputatio Cottae, quamquam labefactavit sententiam meam, non funditus tamen sustulit. Optime vero, inquam: etenim ipse Cotta sic disputat, ut Stoicorum magis argumenta confutet quam hominum deleat religionem. Tum Quintus, Dicitur quidem istuc, inquit, a Cotta et vero saepius, credo, ne communia iura migrare videatur, sed studio contra Stoicos disserendi deos mihi videtur funditus tollere. 9. Eius orationi non sane desidero quid respondeam; satis enim defensa religio est in secundo libro a Lucilio, cuius disputatio tibi ipsi, ut in extremo tertio scribis, ad veritatem est visa propensior. Sed, quod praetermissum est in illis libris — credo, quia commodius arbitratus es separatim id quaeri deque eo disseri — id est de divinatione, quae est earum rerum, quae fortuitae putantur, praedictio atque praesensio, id, si placet, videamus quam habeat vim et quale sit. Ego enim sic existimo, si sint ea genera divinandi vera, de quibus accepimus quaeque colimus, esse deos, vicissimque, si di sint, esse qui divinent.

VI. 10. Arcem tu quidem Stoicorum, inquam, Quinte, defendis, si quidem ista sic reciprocantur, ut et, si divinatio sit, di sint, et, si di sint, sit divinatio. Quorum neutrum tam facile quam tu arbitraris conceditur. Nam et natura significari futura sine deo possunt et, ut sint di, potest fieri ut nulla ab iis divinatio generi humano tributa sit. Atque ille, Mihi vero, inquit, satis est argumenti et esse deos et eos consulere rebus humanis, quod esse clara et perspicua divinationis genera iudico. De quibus quid ipse sentiam, si placet, exponam, ita tamen, si vacas animo neque habes aliquid quod huic sermoni praevertendum putes. 11. Ego vero, inquam, philosophiae, Quinte, semper vaco: hoc autem tempore, cum sit nihil aliud quod lubenter agere possim, multo magis aveo audire de divinatione quid sentias. Nihil, inquit, equidem novi nec quod praeter ceteros ipse sentiam; nam cum antiquissimam sententiam, tum omnium populorum et gentium consensu conprobatam sequor. Duo sunt enim divinandi genera, quorum alterum artis est, alterum naturae. 12. Quae est autem gens aut quae civitas, quae non aut

---

3. *regionique* B — 4. *his* B¹ — 6. *aliasepae* A — 7. *Quinto* om. H — 8. *gumnasio* H — 9. *inquit ille* Lambinus: *inquit* H, *ille inquit* A B V; illud *ille* in archetypo super lineam videtur fuisse. — 10. *quanquam* H — 11. *ipsae* A — 12. ante et post *cotta* in B una litt. erasa. — *ut* om. B¹ — *computet* A B V — 13. *istuc quidem* coni. Halm. — 14. *communi a iure* exc. Pith. — 16. *quid* C: *quod* Ernesti et O — 19. *arbitrantes separatim* H — 21. *Iam si placet ut eamus* H¹ — 24. *sunt* A, sed corr. pr. m. — 26. *isti* H — 27. *tam* om. B¹ — 29. *his* B¹ — 30. *eos* A B H: om. V(?)O — 34. *uago* B¹ — 35. *possimus* Moserus ex codd. dett. et O — 36. *habeo* C, sed *abeo* A¹ — *inquid* A — 37. *cum* H in ras. — 38. *tum*] *to*, A¹ — 39. *genera diuinandi* H — 40. *autem*] *aut* H.

extispicum aut monstra aut fulgora interpretantium aut augurum aut astrologorum aut sortium — ea enim fere artis sunt — aut somniorum aut vaticinationum — haec enim duo naturalia putantur — praedictione moveatur? Quarum quidem rerum eventa magis arbitror quam causas quaeri oportere. Est enim vis et natura quaedam, quae tum observatis longo tempore significationibus, tum aliquo instinctu inflatuque divino futura praenuntiat.

VII. Quare omittat urguere Carneades, quod faciebat etiam Panaetius requirens, Iuppiterne cornicem a laeva, corvum ab dextera canere iussisset: observata sunt haec tempore inmenso et in significationem eventus animadversa et notata. Nihil est autem quod non longinquitas temporum excipiente memoria prodendisque monumentis efficere atque adsequi possit. 13. Mirari licet quae sint animadversa a medicis herbarum genera, quae radicum ad morsus bestiarum, ad oculorum morbos, ad vulnera, quorum vim atque naturam ratio numquam explicavit, utilitate et ars est et inventor probatus. Age ea, quae quamquam ex alio genere sunt, tamen divinationi sunt similiora, videamus.

Atque etiam ventos praemonstrat saepe futuros
Inflatum mare, cum subito penitusque tumescit,
Saxaque cana salis niveo spumata liquore
Tristificas certant Neptuno reddere voces,
Aut densus stridor cum celso e vertice montis
Ortus adaugescit scopulorum saepe repulsus.

VIII. Atque his rerum praesensionibus Prognostica tua referta sunt. Quis igitur elicere causas praesensionum potest? etsi video Boethum stoicum esse conatum, qui hactenus aliquid egit, ut earum rationem rerum explicaret, quae in mari caelove fierent. 14. Illa vero cur eveniant quis probabiliter dixerit?

Cana fulix itidem fugiens e gurgite ponti
Nuntiat horribilis clamans instare procellas,
Haud modicos tremulo fundens e gutture cantus;
Saepe etiam pertriste canit de pectore carmen
Et matutinis acredula vocibus instat,

---

1. *extispicum* Mercerus (ad Nonium s. h. v. cf. infra II §§ 26 et 42): *extis pecudum* (*pecodum* V[1]) C; *haruspicum, exta pecudum* Schuetz. — *fulgera* A, *fulgura* O — *interpraetantum* H — *astralogorum* A H — 2. *sortum* H — *eae* B, *aeae* H — *artis* V[2]: *artes* C — 3. *vatitinationem* A — 5. *natura quae neque cum obs.* H — *tum* om. B[1], *cum* codd. dett Moseri. — 6. *afflatuque* Herelius, ut est I § 34; at v. I § 115. — 8. *omittit* H — *guere* B[1], *urgere* H O — *fatiebat* A — 9. *iupiterne* H — *leua* A — *ab dextera* A: *ab dextra* V, *ad extera* B, *a sinistra* H, *a dextra* O — 10. *tempora* A[1] — *in significationem eventus* coni. Orelli: *in significatione euentus* C, *significatio euentu* Hottinger, *significatio euentis* Madvig, *significatione euentus* Klotz; *in significationem* dictum videtur eodem sensu quo infra: *animadversa sunt herbarum genera ad morsus bestiarum.* — 12. *prodentibusque* maluit Davisius. — 17. *tamen*] *tam* H — 18. *uentos monstrat* H — *sepe* sup. lin. H — 19. *poenitusque* A — 21. *cantant* H[1] — 22. *dens* A — 23. *repulsu* Manutius; at fungitur hic *saepe* substantivi vice. — 25. *dicere* H — *uide beothum* A, *uidebo eotum* V, *uidebo euthum* B, *uidebo eothii* H — 26. *aegit* A — 27. *caelo.uae* A[1] — 29. *Cana* A H V: *cano* B, *Rava* O cum Camerario — *fulix itidem* Camerarius: *fluxit idem* C, sed B *idem fluxit.* — 30. *Clamans Nuntiat horribiles* H, sed add. signis transpositionis, *clamans enuntiat horribilis* A V — 31. *guttere* A B — 32. *canit* C: *ciet* cod. Uffenbach. Moseri et O — 33. *acredula* Isidorus (Origg. XII, 7): *acredulis* A V, *accredulis* B H — *instant* C.

Vocibus instat et adsiduas iacit ore querellas,
Cum primum gelidos rores aurora remittit;
Fuscaque non numquam cursans per litora cornix
Demersit caput et fluctum cervice recepit.

IX. 15. Videmus haec signa numquam fere mentientia, nec tamen cur ita fiat videmus.

Vos quoque signa videtis, aquai dulcis alumnae,
Cum clamore paratis inanis fundere voces
Absurdoque sono fontis et stagna cietis.

Quis est qui ranunculos hoc videre suspicari possit? Sed inest † in reuis et ranunculis natura quaedam significans aliquid, per se ipsa satis certa, cognitioni autem hominum obscurior.

Mollipedesque boves, spectantes lumina caeli,
Naribus umiferum duxere ex aëre sucum.

Non quaero cur, quoniam quid eveniat intellego.

Iam vero semper viridis semperque gravata
Lentiscus triplici solita grandescere fetu
Ter fruges fundens tria tempora monstrat arandi.

16. Ne hoc quidem quaero, cur haec arbor una ter floreat aut cur arandi maturitatem ad signum floris accommodet: hoc sum contentus, quod, etiam si † quo quidque fiat ignorem, quid fiat intellego. Pro omni igitur divinatione idem quod pro rebus iis, quas commemoravi, respondebo.

X. Quid scammoneae radix ad purgandum, quid aristolochia ad morsus serpentium possit — quae nomen ex inventore repperit, rem ipsam inventor ex somnio — video, quod satis est: cur possit nescio. Sic ventorum et imbrium signa, quae dixi, rationem quam habeant non satis perspicio: vim et eventum agnosco, scio, adprobo. Similiter quid fissum in extis, quid fibra valeat accipio: quae causa sit nescio. Atque horum quidem plena vita est; extis enim omnes fere utuntur. Quid? de fulgurum vi dubitare num possumus? Nonne cum multa alia mirabilia, tum illud in primis: cum Summanus in fastigio Iovis optumi maxumi, qui tum erat fictilis, e caelo ictus esset nec usquam eius simulacri caput inveniretur, haruspices in Tiberim id depulsum esse dixerunt, idque inventum est eo loco, qui est ab haruspicibus demonstratus.

---

1. *Vocibus -- cum primum* B in marg. — *instate adsiduas* A — *querelas* B H O — 3. *littora* O — 5. *haec* corr. in *nec* H — *mentientia* Hottinger: *ementientia* C O — 8. *inanes* O et sic fere semper in accusativis plur. tertiae declinationis, quod non iam notabimus — 10. *ranunculis* B¹ — *uide* A¹ — *in re uis et ranunculis* H¹V¹: *in riuis et ran.* B, *in ranis et ran.* A, sed *ranis* in ras., *mire uis et ran.* H²V², *in gyrinis et ran* Victorius, *in bestiis et ran.* Klotz, *mira vis in ranunculis et* ex Riegeri coni. O — 11. *cetera* H¹ — 14. *umiferum* A H: *humiferum* B V(?) O — *succum* O — 16. *uirdis* A; *Iam -- arandi* affert Plinius N. H. XVIII, sect. 61. — 17. *faetu* H — 18. *mostrat* A¹ — 19. *ne hoc* Davisius: *nec hoc* C O — *hoc*] fort. *hic* — *cur ad arandi maturitatem signum* malebat Davisius. — 21. *quo* C: *quo modo* codd. Oxonn et O; vide ne lateat antiqua scriptura *quor*. — 22. *his* B¹ — 23. *scamoneae* H, *scammonea* Davisius. — *quid aristolochiae, quae -- ex somnio, ad morsus serpentium possit video* Pearcius. — *aristholoia* A, sed *ch* sup. *oi* suprascr., *aristolochiae* Lambinus; cf. II § 47. — 24. *serpentium* C: *serpentum* O — *inuentore* C: *inventa re* praeeunte Victorio Lambinus. — *repperit* A B V: *reperit* H O — 25. *uideo* Marsus: *posse uideo* (*uidebo* H) C — 28. *acipio* A — *sit* A in ras. — 29. *utuntur* C: *utimur* codd. dett. O — 31. *sumamus* B¹, *submamus* B² — *maxumi* om. H — 33. *tyberim* H — *dixerint* H — 34. *ab* sup. lin. A — *arusp.* A H.

XI. 17. Sed quo potius utar aut auctore aut teste quam te? cuius edidici etiam versus, et lubenter quidem, quos in secundo *de* consulatu Urania musa pronuntiat:

Principio aetherio flammatus Iuppiter igni
Vertitur et totum conlustrat lumine mundum
Menteque divina caelum terrasque petessit,
Quae penitus sensus hominum vitasque retentat,
Aetheris aeterni saepta atque inclusa cavernis.
Et si stellarum motus cursusque vagantis
Nosse velis, quae sint signorum in sede locatae,
Quae verbo et falsis Graiorum vocibus errant,
Re vera certo lapsu spatioque feruntur,
Omnia iam cernes divina mente notata.
18. Nam primum astrorum volucris te consule motus
Concursusque gravis stellarum ardore micantis
Tu quoque, cum tumulos Albano in monte nivalis
Lustrasti et laeto mactasti lacte Latinas,
Vidisti et claro tremulos ardore cometas,
Multaque misceri nocturna strage putasti:
Quod ferme dirum in tempus cecidere Latinae,
Cum claram speciem concreto lumine luna
Abdidit et subito stellanti nocte perempta est.
Quid vero Phoebi fax, tristis nuntia belli,
Quae magnum ad columen flammato ardore volabat,
Praecipitis caeli partis obitusque petessens?
Aut cum terribili percussus fulmine civis
Luce serenanti vitalia lumina liquit?
Aut cum se gravido tremefecit corpore tellus?
Iam vero variae nocturno tempore visae
Terribiles formae bellum motusque monebant,
Multaque per terras vates oracla furenti
Pectore fundebant tristis minitantia casus;
19. Atque ea, quae lapsu tandem cecidere vetusto,
Haec fore perpetuis signis clarisque frequentans
Ipse deum genitor caelo terrisque canebat.
XII. Nunc ea, Torquato quae quondam et consule Cotta
Lydius ediderat Tyrrhenae gentis haruspex,
Omnia fixa tuus glomerans determinat annus.
Nam pater altitonans stellanti nixus Olympo

1. *Huius* B — 2. *edidi* H[1] — *etiam ei uersus* H — *et*] *ut* A B V[1] — *lubentur* H — *quod* B[1] — *de consulatu* Manutius: *de* om. C, *consulatus* codd. aliquot dett. — 6. *petesset* B[1] H, *petisset* A B[2] V, *petissit* exc. Pith. *Petessere* analogia firmatur, quamquam Priscianus inter reliqua huius formae desiderativa hoc verbum non recenset; apud Festum quoque in lemmate p. 260 M. *petessere* scribendum videtur, ut item in Paulo Diacono p. 11. — 7. *poenitus* A — *.ominum* A — *retentant* C — 15. *cantis* B[1] — 18. *tremulas* H — 20. *cecidere* cod. Eliensis teste Davisio: *cecinere* C — 22. *stellanti subito* A V — 23. *Quum vero -- petisset* Lambinus. — *trixtis* A[1] — 24. *columem* A B — 25. *petessens* Hottinger: *petisset* C — 26. *percussus* B[1]: *perculsus* A B[2] H V — 28. *At* A[1] — 30. *terribilis* V — 31. *.oracla..* B — 33. *lapsus* A H — 34. *frequentas* A B V — 37. *Lidius* H — *tirreno* H — *aruspex* H — 39. *Nam pater -- ignis* iterantur hi versus II § 45.

Ipse suos quondam tumulos ac templa petivit
Et Capitolinis iniecit sedibus ignis.
Tum species ex aere vetus venerataque Nattae
Concidit, elapsaeque vetusto numine leges,
Et divom simulacra peremit fulminis ardor.
Hic silvestris erat Romani nominis altrix,
Martia, quae parvos Mavortis semine natos
Uberibus gravidis vitali rore rigabat:
Quae tum cum pueris flammato fulminis ictu
Concidit atque avolsa pedum vestigia liquit.
Tum quis non artis scripta ac monumenta volutans
Voces tristificas chartis promebat Etruscis?
Omnes civilem generosa stirpe profectam
Vitare ingentem cladem pestemque monebant,
Vel legum exitium constanti voce ferebant,
Templa deumque adeo flammis urbemque iubebant
Eripere et stragem horribilem caedemque vereri:
Atque haec fixa gravi fato ac fundata teneri,
Ni prius excelsum ad columen formata decore
Sancta Iovis species claros spectaret in ortus.
Tum fore ut occultos populus sanctusque senatus
Cernere conatus posset, si solis ad ortum
Conversa, inde patrum sedes populique videret.
21. Haec tardata diu species multumque morata
Consule te tandem celsa est in sede locata,
Atque una fixi ac signati temporis hora
Iuppiter excelsa clarabat sceptra columna,
Et clades patriae flamma ferroque parata
Vocibus Allobrogum patribus populoque patebat.
XIII. Rite igitur veteres, quorum monumenta tenetis,
Qui populos urbisque modo ac virtute regebant,
Rite etiam vestri quorum pietasque fidesque
Praestitit et longe vicit sapientia cunctos,
Praecipue coluere vigenti numine divos;
Haec adeo penitus cura videre sagaci

---

1. *Ipse suas arces atque inclula templa petiuit* Lactantius div. inst. III, 17. — 2. *inuectit* H — 3. *uenerataque* Guilelmus: *generataque* C, *sacrataque* Wopkens, *generosaque* O cum Mureto. — *natae* A — 4. *delapsaeque* H — *uetusto* V[2]: *uetustae* (vel *uetuste*) C — 5. *diuum* B H V[2] — 7. *Marcia* B H — 10. *auulsa* V[2] O, *euulsa* H — *liquid* A[1] — 11. *Cum* H — *scribta* A — 12. *cartis* H V — 13. *ciuilem* H: *ciuile* A V[1], *ciuili* B V[2] O — *generosa stirpe* H[2]: *generosam stirpe* C, *generosa ab stirpe* O — vv. 14 et 15 inverso ordine leguntur in C — 14. *Uire* (corr. *Uitare*) *ingentem* B (litterae *ein* in ras.), *Uir ingentem* A V, *Uiri ingentem* H — 15. *Vel legum* V[2]: *Uoltum legum* A B V[1], sed prior vox A in ras., *Vultum legum* H — *exitum* H — 16. *urbisque* A B V — 18. *tenere* A — 19. *Ni prius* Guilelmus: *Nepos* A V[1], *Ne post* B V[2], *Ni post* H O — *excelsum* B[2]: *excesum* A B[1] V, *excessum* H — *culumen* A — 20. *alacros* H — 21. *populos* H — 23. *Conuorsa* B — *inde ad patrum* H[1] — 24. *tarda..* A, *ta* sup. lin. add. — 25 *consulte* B, sed *te* in ras., *consulet et* H — 26. hunc versum B in marg. habet. — 28. *Et* Hottinger: *At* B H V, *Ad* A, *ac* Marsus. — *clade* A[1] — *patata* A — 29. *Vocibusque* B[1] — *populusque* A B[1] V[1], *populisque* B[2] H V[2] — 30. *monumenta -- uestri quorum* om. H — 31. *populus* A — *orbis quae* A[1] — *ac* sup. lin. B — 34. *ingenti* H — *nomine* B.

Otia qui studiis laeti tenuere decoris,
22. Inque Academia umbrifera nitidoque Lyceo
Fuderunt claras fecundi pectoris artis:
E quibus ereptum, primo iam a flore iuventae,
Te patria in media virtutum mole locavit.
Tu tamen anxiferas curas requiete relaxans
Quod patriae vacat, id studiis nobisque sacrasti.

Tu igitur animum poteris inducere contra ea, quae a me disputantur de divinatione, dicere, qui et gesseris ea, quae gessisti, et ea, quae pronuntiavi, accuratissume scripseris? 23. Quid? quaeris, Carneades, cur haec ita fiant aut qua arte perspici possint? Nescire me fateor, evenire autem te ipsum dico videre. Casu, inquis. Itane vero? Quicquam potest casu esse factum, quod omnes habet in se numeros veritatis? Quattuor tali iacti casu Venerium efficiunt. Num etiam centum Venerios, si quadringentos talos ieceris, casu futuros putas? Aspersa temere pigmenta in tabula oris liniamenta efficere possunt. Num etiam Veneris Coae pulcritudinem effici posse aspersione fortuita putas? Sus rostro si humi A litteram inpresserit, num propterea suspicari poteris Andromacham Enni ab ea posse describi? Fingebat Carneades in Chiorum lapicidinis saxo diffisso caput extitisse Panisci. Credo aliquam non dissimilem figuram, sed certe non talem, ut eam factam a Scopa diceres. Sic enim se profecto res habet, ut numquam perfecte veritatem casus imitetur.

XIV. 24. At non numquam ea, quae praedicta sunt, minus eveniunt. Quae tandem id ars non habet? earum dico artium, quae coniectura continentur et sunt opinabiles. An medicina ars non putanda est? quam tamen multa fallunt. Quid? gubernatores nonne falluntur? An Achivorum exercitus et tot navium rectores non ita profecti sunt ab Ilio, ut profectione laeti piscium lasciviam intuerentur, ut ait Pacuvius, nec tuendi satietas capere posset?

Interea, prope iam occidente sole, inhorrescit mare,
Tenebrae conduplicantur noctisque et nimbum obcaecat nigror.

Num igitur tot clarissimorum ducum regumque naufragium sustulit ar-

---

2. *Umbrifera inque academia* Moser; at v. Lachmanni comment. ad Lucretium p. 159. — 6. *relaxans quod patriae vacat id* Madvig: *relaxas quod patriae uocatis* C, sed V *uocis* ex correct., *relaxas, quod patria vacat his studiis* Davisius, *relaxas, quam patriae vocis* Schuetz, *relaxas, quod patriae voci studium* Foertsch in programmate gymnasii Naumburgensis a. 1846; *relaxas, quod patriae vocis* O — 7. *serasti* H — 9. *de* dett. aliquot: *et de* C — *gessisti* C: fort. *scripsisti*. — 10. *qur* A — 11. *euenire te autem te* B — 14. *casum* A B V — *efficiant* B[1] — 15 *eieceris* A B V, *eiceris* H — *casus* B — 16. *liniamenta* C: *lineamenta* O — *efficere* C: *effingere* V[2] O — *Coae*] *coaeque* V, *coeque* B, *quoque* A, *cohe* H; *Cnidiae Coaeque* Marsus. — 17. *effingi* V[2] O — *A* sup. lin. B — 18. *inpraesserit* A — *Ennii* V[2] O — 19. *lapicidinis* V[2]: *lapidicinis* A B[2] V, *lapidi cini* B[1], *lipidicinis* H — *saxa* H — 20. *diffiso* A V[1] — 21. *eam*] *esse* H — *profecto se* H — 22. *imitatur* A — 27. *reclines* A, ut videtur. — 28. *Pacuvius*] *p quius* (*P.* B[2]) A B, cf. II § 133. — 29. *tuendis* B[1] — *satietas capere possit* C; *ab Ilio*, || *Ut profectione laeti piscium lasciviam* || *Intuerentur, ut ait Pacuvius, nec tuendi capere posset satietas* O cum Davisio; *ab Ilio ut* || *profectione laeti piscium lasciuiam* || *Intuentur, nec tuendi capere satietas potest* Ribbeck auctore Hermanno. — 30. *prope* sup. lin. H — *inorrescit* H — 31. *nimbum* A corr. ex *nimbus*. — *obcecat* B H V, *occecat* A — 32. *nigor* H[1] — 33. *naufragum* A[1].

tem gubernandi? aut num imperatorum scientia nihil est, quia summus imperator nuper fugit amisso exercitu? aut num propterea nulla est rei publicae gerendae ratio atque prudentia, quia multa Cn. Pompeium, quaedam M. Catonem, non nulla etiam te ipsum fefellerunt? Similis est haruspicum responsio omnisque opinabilis divinatio; coniectura enim nititur, ultra quam progredi non potest. 25. Ea fallit fortasse non numquam, sed tamen ad veritatem saepissime dirigit. Est enim ab omni aeternitate repetita, in qua cum paene innumerabiliter res eodem modo evenirent isdem signis antegressis, ars est effecta eadem saepe animadvertendo ac notando.

XV. Auspicia vero vestra quam constant! quae quidem nunc a Romanis auguribus ignorantur — bona hoc tua venia dixerim —, a Cilicibus, Pamphyliis, Pisidis, Lyciis tenentur. 26. Nam quid ego hospitem nostrum, clarissimum atque optumum virum, Deiotarum regem commemorem? qui nihil umquam nisi auspicato gerit. Qui cum ex itinere quodam proposito et constituto revertisset aquilae admonitus volatu, conclave illud, ubi erat mansurus, si ire perrexisset, proxima nocte corruit. 27. Itaque, ut ex ipso audiebam, persaepe revertit ex itinere, cum iam progressus esset multorum dierum viam. Cuius quidem hoc praeclarissimum est, quod, postea quam a Caesare tetrarchia et regno pecuniaque multatus est, negat se tamen eorum auspiciorum, quae sibi ad Pompeium proficiscenti secunda evenerint, paenitere: senatus enim auctoritatem et populi Romani libertatem atque imperii dignitatem suis armis esse defensam, sibique eas aves, quibus auctoribus officium et fidem secutus esset, bene consuluisse: antiquiorem enim sibi fuisse possessionibus suis gloriam. Ille mihi videtur igitur vere augurari. Nam nostri quidem magistratus auspiciis utuntur coactis; necesse est enim offa obiecta cadere frustum ex pulli ore, cum pascitur. 28. Quod autem scriptum habetis avi tripudium fieri, si ex ea quid in solidum ceciderit, hoc quoque, quod dixi coactum, tripudium solistimum dicitis. Itaque multa auguria, multa auspicia, quod Cato ille sapiens queritur, neglegentia collegii amissa plane et deserta sunt.

XVI. Nihil fere quondam maioris rei nisi auspicato ne privatim quidem gerebatur, quod etiam nunc nuptiarum auspices declarant, qui re

---

1. *aut* A corr. ex *at* — *imperatorem* B^1 — 2. *fuit* B^1 — 3. *generande* H — *Cn.* sup. lin. B — 5. *arusp.* B H — *opinabilis* eiciebat Davisius; ipse sic interpretor: *omnisque divinatio opinabilis est.* — 6. *fortasse* om. H — 7. *a ueritate saepissime dirigitur* V^1 — 8. *modo* sup. lin. H — 9. *hisdem* B^1, *iisdem* O — *ante egressis* H — 11. *uero* om. H — 13. *luciis* A, *liciis* B H V^1 — 15. *quondam* H — 19. *Quoius* B — 20. *tetrarchia et regno* Davisius (coll. II § 79 et or. Phil. II § 94): *tetrarchiae regno* C, *tetrarchia, regno* Klotz. — 21. *eorum* om. H — 22. *secunde uenerint* B V^1 — *poenitere* O — 24. *offitium* A — 25. *coluisse* H — 26. *mihi*] *nichil* H — *auguriari* H — 28. *scribtum* A — 29. *aui tripudium* Turnebus (Advers. V, 20: cf. infra II § 73): *aut* (*hinc* V^2) *tripudium* C, *aut* eiecit O cum Ernestio; fort. *solistimum aui trip.*; verbis enim sequentibus Cicero explicat, cur hoc augurium solistimum nuncupatum sit, cum alterum fuerit genus tripudii sonivium; v. Festum s. v. — *solidum* A H V: *solum* B(?)O — 30. *quo actum* A — *solistimum* A V^1 (cf. II § 20 et 72): *sollistimum* B H V^2 O — 32. *omissa* Moser. — *et* sup. lin. A — 33. *maiores* H — *priuatum* H — 34. *nunc* om. H — *auspicis* A V^1, *auspiciis* B H V^2; forma *auspicis* casus nominativi iis addenda est, quas Lachmannus ad Lucret. p. 56 recensuit; eandem codd. nostri non omnes praebent I § 48 *terribilis*, § 81 *uirginis*, § 100 *uoientis*, II § 20 *classis*, § 24 *haruspicis*, § 52 *omnis*.

omissa nomen tantum tenent. Nam ut nunc extis, quamquam id ipsum aliquanto minus quam olim, sic tum avibus magnae res inpetriri solebant. 29. Itaque, sinistra dum non exquirimus, in dira et in vitiosa incurrimus: ut P. Claudius, Appi Caeci filius, eiusque collega L. Iunius classis maxumas perdiderunt, cum vitio navigassent. Quod eodem modo evenit Agamemnoni: qui, cum Achivi coepissent

> Inter sese strepere aperteque artem obterere extispicum,
> Solvere imperat secundo rumore adversaque avi.

Sed quid vetera? M. Crasso quid acciderit videmus dirarum obnuntiatione neglecta. In quo Appius, collega tuus, bonus augur, ut ex te audire soleo, non satis scienter virum bonum et civem egregium censor C. Ateium notavit, quod ementitum auspicia subscriberet. Esto: fuerit hoc censoris si iudicabat ementitum: at illud minime auguris, quod adscripsit ob eam causam populum Romanum calamitatem maximam cepisse. Si enim ea causa calamitatis fuit, non in eo est culpa, qui obnuntiavit, sed in eo, qui non paruit. Veram enim fuisse obnuntiationem, ut ait idem augur et censor, exitus adprobavit: quae si falsa fuisset, nullam adfere potuisset causam calamitatis. Etenim dirae, sicutei cetera auspicia, ut omina, ut signa, non causas adferunt cur quid eveniat, sed nuntiant eventura, nisi provideris. 30. Non igitur obnuntiatio Atei causam finxit calamitatis, sed signo obiecto monuit Crassum quid eventurum esset, nisi cavisset. Ita aut illa obnuntiatio nihil valuit, aut si, ut Appius iudicat, valuit, id valuit, ut peccatum haereat non in eo, qui monuerit, sed in eo, qui non optemperarit.

XVII. Quid? lituus iste vester, quod clarissumum est insigne auguratus, unde vobis est traditus? Nempe eo Romulus regiones direxit tum, cum urbem condidit. Qui quidem Romuli lituus, id est incurvum et leviter a summo inflexum bacillum, quod ab eius litui, quo canitur, similitudine nomen invenit, cum situs esset in curia Saliorum, quae est in Palatio, eaque deflagravisset, inventus est integer. 31. Quid? multis annis post Romulum, Prisco regnante Tarquinio, quis veterum scriptorum non loquitur, quae sit ab Attio Navio per lituum regionum facta discriptio? Qui cum propter paupertatem sues puer pasceret, una ex iis amissa

---

1. *quanquam* H — 2. *tunc* B² O — *impetriri* H: *inpertiri* AV (*imp.* V), *imperti***ri* B — 4. *ut* om. B¹ — *L.* sup. lin. B — 5. *clasis* B, *classes* AO — 6. *caepissent* H — 7. *inter sese* Davisius: *inter se* CO, *illi inter se* Stieglitz, . . *inter se* Ribbeck. — *extispicium* H — 12. *scientem* H — *G.* AH — *ateium* A: *aeteium* BV, *eteium* H — 13. *subscriberet* C: *subscripserit* Lambinus, *subscripsit* O cum Rathio: Giese bene ad codd. lectionem defendendam provocat ad Zumptii gr. lat. § 551. — 14. *adscribsit* A — 15. *popul****um* A — *coepisse* B, *caepisse* H — 18. *fuisset* codd. dett. Davisii: *fuissent* C — fort. *nullam tamen.* — *potuissent* B² H — 19. *dirae* Turnebus (Advers. V, 20): *dira* C; intellegas illas ἀράς, quarum Appianus b. civ. II, 28 mentionem fecit. — *sicutei* Klotz (in praefat.): *sicut et* ABH, *sicut* V(?)O — *cetera, ut auspicia* Frenzel in progr. gymnasii Isenacii a. 1828. — *ut omina* V²: *ut in omnia* AV¹, *utin omnia* B, *ut omnia* H, *uti omina, uti signa* Klotz. — 20. *adferant* B — 21. *aetei* B, *etei* AHV — 22. *uenturum* B² — 23. *ita ut illo* B — *ita nichil ualuit obnunciatio* H — *ut* om. H — 24. *haereat* B in ras., *ereat* H — *mouerint* H¹ — 26. *quis* A¹ — *clarissume* B¹ — 27. *religiones* B — *dixerit* BHV — 28. *id est* - - *invenit* pro glossemate habent cum Lambino alii. — 29. *leniter* exc. Pith. — *a summo* bis habet B — *lutui* H — 32. *torquinio* AV¹ — *scribtorum* A — 33. *attio* B¹: *atio* AB²V, *accio* H — *discriptio* Halm: *descriptio* CO — 34. *pasceret puer* H — *ex his* B.

vovisse dicitur, si recuperasset, uvam se deo daturum, quae maxima esset in vinea: itaque sue inventa ad meridiem spectans in vinea media dicitur constitisse, cumque in quattuor partis vineam divisisset trisque partis aves abdixissent, quarta parte, quae erat reliqua in regione distributa, mirabili magnitudine uvam, ut scriptum videmus, invenit. Qua re celebrata, cum vicini omnes ad eum de rebus suis referrent, erat in magno nomine et gloria. 32. Ex quo factum est ut eum ad se rex Priscus arcesseret. Cuius cum temptaret scientiam auguratus, dixit ei cogitare se quiddam; id possetne fieri consuluit. Ille augurio acto posse respondit. Tarquinius autem dixit se cogitasse cotem novacula posse praecidi. Tum Attium iussisse experiri. Ita cotem in comitium allatam inspectante et rege et populo novacula esse discissam. Ex eo evenit ut et Tarquinius augure Attio Navio uteretur et populus de suis rebus ad eum referret. 33. Cotem autem illam et novaculam defossam in comitio supraque inpositum puteal accepimus. Negemus omnia, comburamus annales, ficta haec esse dicamus, quidvis denique potius quam deos res humanas curare fateamur: quid? quod scriptum apud te est de Ti. Graccho, nonne et augurum et haruspicum conprobat disciplinam? qui cum tabernaculum vitio cepisset inprudens, quod inauspicato pomerium transgressus esset, comitia consulibus rogandis habuit. Nota res est et a te ipso mandata monumentis. Sed et ipse augur Ti. Gracchus auspiciorum auctoritatem confessione errati sui conprobavit, et haruspicum disciplinae magna accessit auctoritas, qui recentibus comitiis in senatum introducti negaverunt iustum comitiorum rogatorem fuisse.

XVIII. 34. Iis igitur adsentior, qui duo genera divinationum esse dixerunt: unum quod particeps esset artis, alterum quod arte careret. Est enim ars in iis, qui novas res coniectura persecuntur, veteres observatione didicerunt. Carent autem arte ii, qui non ratione aut coniectura observatis ac notatis signis, sed concitatione quadam animi aut soluto liberoque motu futura praesentiunt, quod et somniantibus saepe contigit et non numquam vaticinantibus per furorem, ut Bacis Boeotius, ut Epimenides Cres, ut Sibulla Erythraea. Cuius generis oracla etiam habenda sunt, non ea, quae aequatis sortibus ducuntur, sed illa, quae instinctu divino adflatuque funduntur: etsi ipsa sors contemnenda non est, si et auctoritatem habet vetustatis, ut eae sunt sortes, quas e terra

---

1. *uouisse se* H — *recuperavisset* O — 4. *obduxissent* V, fort. *obdixissent*. — *regiones* Lambinus. — 8. *tentaret* O — 9. *quidam* H — *posset* A¹ — *consuluit* glossema visum est Ernestio. — *altum* B¹, *actium* H — 10. *posse* H — 11. *experiri* B² H : *expediri* A B¹ V — *ita*] *lam* H — *comitiem* A¹ — *allatam* B corr. ex *alatam*, *illatam* H — 12. *discisam* Hottinger. — 13. *actio* H — 14. *autem* bis B — 16. *haec* om. H — *denique* sup. lin A — 17. *scriptum est apud te est* B — *tiberio* C, et sic plerumque. — *gracco* A, *gracho* H — 18. *arusp.* H — 19. *coepisset* A — *pomoerium* B O — 20. *consulimus rogantis* A B V — *a* om. B — 21. *thiberius* A — *grachus* A H — 22. *arusp.* H — 23. *recentibus* A, sed *ibus* in ras. — *negaverant* Ernesti. — 25. *his* C — 27. *ars* om. A¹ — *in his* C — *coniectura* A in marg., *coniecturas* H — *persequuntur* O — 28. *hii* A V, *hi* B H, sed in B add. altera manu. — 31. *contigit* A B V : *contingit* H O — *Bacis*] *bacchis* A² B V, *bacchi* A¹, *bachus* H — *boetius* B H¹ — 32. *sibulla erythraea* V : *sibulla aeritraea* (*aerythraea* corr.) A, *sibullae* (*sibyllae* corr.) *aerythraea* B, *sibillae sythraea* H, *Sibylla Erythraea* O — *oracula* O — 34. *inflatuque* cod. Erlang., ut supra § 12. — *contempnenda* C — 35. *si et* C : *si* Schuetz; at hic locus iis addendus est, quos Madvigius ad Cic. de finn. p. 802 sqq. recensuit;

editas accepimus: quae tamen ductae ut in rem apte cadant fieri credo posse divinitus. Quorum omnium interpretes, ut grammatici poetarum, proxume ad eorum, quos interpretantur, divinationem videntur accedere. 35. Quae est igitur ista calliditas res vetustate robustas calumniando velle pervertere? Non reperio causam. Latet fortasse obscuritate involuta naturae. Non enim me deus ista scire, sed his tantum modo uti voluit. Utar igitur nec adducar, aut in extis totam Etruriam delirare aut eandem gentem in fulgoribus errare aut fallaciter portenta interpretari, cum terrae saepe fremitus, saepe mugitus, saepe motus multa nostrae rei publicae, multa ceteris civitatibus gravia et vera praedixerint. 36. Quid? qui inridetur partus hic mulae nonne, quia fetus extitit in sterilitate naturae, praedictus est ab haruspicibus incredibilis partus malorum? Quid? Ti. Gracchus, Publii filius, qui bis consul et censor fuit idemque et summus augur et vir sapiens civisque praestans, nonne, ut C. Gracchus, filius eius, scriptum reliquit, duobus anguibus domi conprehensis haruspices convocavit? qui cum respondissent, si marem emisisset, uxori brevi tempore esse moriendum, si feminam, ipsi, aequius esse censuit se maturam oppetere mortem quam P. Africani filiam adulescentem. Feminam emisit, ipse paucis post diebus est mortuus.

XIX. Inrideamus haruspices, vanos, futiles esse dicamus, quorumque disciplinam et sapientissimus vir et eventus ac res conprobavit, contemnamus; contemnamus etiam Babylonem et eos, qui e Caucaso caeli signa servantes numeris [et motibus] stellarum cursus persecuntur. Condemnemus, inquam, hos aut stultitiae aut vanitatis aut inpudentiae, qui quadringenta septuaginta milia annorum, ut ipsi dicunt, monumentis conprehensa continent, et mentiri iudicemus nec saeculorum reliquorum iudicium, quod de ipsis futurum sit, pertimescere. 37. Age, barbari vani atque fallaces: num etiam Graiorum historia mentita est? Quae Croeso Pythius Apollo, ut de naturali divinatione dicam, quae Atheniensibus, quae Lacedaemoniis, quae Tegeatis, quae Argivis, quae Corinthiis responderit quis ignorat? Collegit innumerabilia oracula Chrysippus nec

---

Cicero enim dicturus «*si et auctoritatem habet vetustatis et divina vi sortes subornantur*» alterum membrum mutata verborum structura intulit. — *heae* H, *hueae* A V — 1. *eductae* H — 2. *grammatici ut poetarum* H — 3. *divinitatem* Hottinger. — 7. *nec adducat* V¹, cui lectioni in marg. add. *ut rear*. — *aut eandem - - errare* B in marg. — 8. *fulguribus* O — 9. *saepe frem.*] *sepemitis* (r supra lin.) H, quae vocabula linea transversa deleta sunt. — *multe* B — 10. *praedixerunt* H — *Quod qui* H — 11. *fetus hic extitit* V² — *natura* B — 12. *arusp.* A H — *mulorum* H — 13. *Ti.*] *tibi* C — *p. filius* C — *Iidemque* B — 14. *G.* C — 15. *reliquid* A — *conpraehensus* A¹ — *arusp.* H et sic fere semper. — 17. *equus* H — 18. *maturam* C: *maturum* O cum Davisio, qui contulit Plut. v. Tib. Gracchi c. 1. — *P.* om. B¹ — *africani* om. A¹ — 22. *contempnamus* (*contemnamus* B) C semel habent. — *babylonem* (*babil* A) *et eos* C: *Babylonios et eos* Victorius, *Babylonios, eos* O cum Hottingero; videntur verba *Babylonem et* ex interpolatione (cf. II § 97) addita esse. — *cancaso* H — 23. *et motibus stellarum cursus* C: *et motus stellarum cursusque* O cum Goerenzio, *stellarum cursus et motus* Davisius; equidem *et motibus* loco eius quod est *et motus* ex l. II § 17 ab eodem interpolatore additum esse puto, a quo illo loco ex hoc *et cursus* adiectum est. — *persequuntur* A V O — *condempnemus* A, *condempnamus* H — 24. *impudentiae* Lambinus: *inprudentiae* (vel *impr.*) C — 25. *septuaginta* B sup. lin. habet; locum respicit Lactantius inst. VII, 14. — 27. *ipsi* A¹ — 30. *lacaedemonis* A — *Tegeatis* Turnebus: *taygetis* V, *thaygetis* A, *tagreatis* B, *targetis* H — *responderent* H — 31. *oracla* B V.

ullum sine locuplete auctore atque teste, quae quia nota tibi sunt, relinquo; defendo unum hoc: numquam illud oraclum Delphis tam celebre et tam clarum fuisset neque tantis donis refertum omnium populorum atque regum, nisi omnis aetas oraclorum illorum veritatem esset experta. 38. Idem iam diu non facit. Ut igitur nunc *in* minore gloria est, quia minus oraculorum veritas excellit, sic tum nisi summa veritate in tanta gloria non fuisset. Potest autem vis illa terrae, quae mentem Pythiae divino adflatu concitabat, evanuisse vetustate, ut quosdam evanuisse et exaruisse amnes aut in alium cursum contortos et deflexos videmus. Sed, ut vis, acciderit; magna enim quaestio est: modo maneat id, quod negari non potest, nisi omnem historiam perverterimus, multis saeclis verax fuisse id oraculum.

XX. 39. Sed omittamus oracula, veniamus ad somnia. De quibus disputans Chrysippus multis et minutis somniis colligendis facit idem, quod Antipater, ea conquirens, quae Antiphontis interpretatione explicata declarant illa quidem acumen interpretis, sed exemplis grandioribus decuit uti. Dionysi mater, eius, qui Syracosiorum tyrannus fuit, ut scriptum apud Philistum est, et doctum hominem et diligentem et aequalem temporum illorum, cum praegnas hunc ipsum Dionysium alvo contineret, somniavit se peperisse Saturiscum. Huic interpretes portentorum, qui Galeotae tum in Sicilia nominabantur, responderunt, ut ait Philistus, eum, quem illa peperisset, clarissimum Graeciae diuturna cum fortuna fore. 40. Num te ad fabulas revoco vel nostrorum vel Graecorum poetarum? Narrat enim et apud Ennium Vestalis illa:

Eccita cum tremulis anus attulit artubus lumen,
Talia tum memorat lacrimans exterrita somno:
Eurydica prognata, pater quam noster amavit,
Vires vitaque corpus meum nunc deserit omne.
Nam me visus homo pulcher per amoena salicta
Et ripas raptare locosque novos: ita sola
Post illa, germana soror, errare videbar
Tardaque vestigare et quaerere te neque posse
Corde capessere: semita nulla pedem stabilibat.
41. Exim compellare pater me voce videtur
His verbis: O gnata, tibi sunt ante gerendae

1. *tibi nota* H — 2. *defenso* H — 5. *facit* C: *fit* Davisius. — *nunc* sup. lin. A — *in minore* Davisius: *minore* CO — 6. *sic* sup. lin. A — *tunc nisi* B, *nisi* $\overset{c}{tum}$ H — 8. *euanuisse et* (*euanuisset* A^1) *exaruisse* ABH: *exaruisse* V(?)O — 10. *utut vis* Ursinus. — *occiderit* ABH, sed *a* in B ex corr. — 11. *multas* H — *seculis* O — 12. *uerarum* H — *oraclum* HV — 13. *omitta* H^1, *mittamus* cod. Ulmensis teste Mosero. — *oracla* BHV — 14. *disputas* A^1 — *isdem* C, sed V^2 corr. *idem*. — 16. *gradioribus* A^1 — 17. *dyonisi* AB — *syracosiorum* (*sir.* BH) C: *Syracusiorum* A^{2}O — 19. *praegnas* A^1: *praegnans* A^{2}BHVO — *Satyriscum* O — *hinc* H — 21. *galeatae* H, *galleatae* ABV — *tunc* B^2 — 23. *num* C: *nunc* Erlang. — *ad* sup. lin. B — 24. *et apud* C; cf. Madvig ad Cic. de finn. p. 803. — *Vestalis Ilia* Columna. — 25. *eccita* Klotz: *et cita* ABV^1, *excita* HV^{2}O — *artubu'* O et sic semper. — 26. *tum memorat* C: *commemorat* O — 27. *Euridica* H; *Eurydica pro gnata pater* coni. Orelli contra numerorum leges. — 28. *uita meum corpus nunc* B, sed *meum corp.* in ras., *uitamque corpus nostrum* H — 29. *amena* AH — 30. *noua sita sola* B^1 — 32. *querere utique posse* H — 33. *semitam nullam* H — 34. *exin* A^{2}HV(?)O — 35. *o gnata* exc. Pith.: *cognata* AB, *cognita* HV — *ferundae* Davisius.

Aerumnae, post ex fluvio fortuna resistet.
Haec ecfatus pater, germana, repente recessit
Nec sese dedit in conspectum corde cupitus:
Quamquam multa manus ad caeli caerula templa
Tendebam lacrumans et blanda voce vocabam.
Vix aegro tum corde meo me somnus reliquit.

XXI. 42. Haec, etiam si ficta sunt a poeta, non absunt tamen a consuetudine somniorum. Sit sane etiam illud commenticium, quo Priamus est conturbatus, quia

mater gravida parere se ardentem facem
Visa est in somnis Hecuba: quo facto pater
Rex ipse Priamus somnio mentis metu
Perculsus, curis sumptus suspirantibus
Exsacrificabat hostiis balantibus.
Tum coniecturam postulat pacem petens,
Ut se edoceret obsecrans Apollinem,
Quo sese vertant tantae sortes somnium.
Ibi ex oraclo voce divina edidit
Apollo: puerum, primus Priamo qui foret
Post illa natus, temperaret tollere:
Eum esse exitium Troiae, pestem Pergamo.

43. Sint haec, ut dixi, somnia fabularum, hisque adiungatur etiam Aeneae somnium, quod in nostri Fabi Pictoris Graecis annalibus eius modi est, ut omnia, quae ab Aenea gesta sunt quaeque illi acciderunt, ea fuerint, quae ei secundum quietem visa sunt.

XXII. Sed propiora videamus. Cuiusnam modi est Superbi Tarquini somnium, de quo in Bruto Atti loquitur ipse?

44. Quom iam quieti corpus nocturno inpetu
Dedi sopore placans artus languidos,
Visus 'st in somnis pastor ad me appellere
Pecus lanigerum eximia pulchritudine:
Duos consanguineos arietes inde eligi
Praeclarioremque alterum immolare me:
Deinde eius germanum cornibus conitier
In me arietare, eoque ictu me ad casum dari:

---

vv. 1 et 2 inverso ordine in codd. leguntur. — 2. *efatus* A V[1], *fatus* H, *effatus* V[2] O; *pater effatus* B, sed in ras. — *et germana* H — 4. *Quanquam* H — 5. *lacrimans* H O — 6. *egro cum* B H — 9. *Quia mater* O; *quia* extra versum posuit Ribbeck. — 10. *se* om. H — 11. *haecuba* A — *quo fato* Ribbeck. — 12. *mentem* Lambinus, *mortis* Bothe. — 14. *et sacrificabat* H, fort. *ecsacrificabat*. — 15. *coniecturam* A B H: *coniecturum* V, *coniectorem* O — 16. *obsecras* A[1] — *appollinem* A — 18. *Ubi* B, *sibi* H[1], *ib* A[1] — *uocem diuinam* ex cod. Eliensi Davisius. — *diuinae dedit* A — 20. *templaret* H — *tempora extollere* V[2] — 21. *exitum* H — 22. *adiunguntur* H[1] — *eaeneae* A — 23. *nostri Fabi* Hertz («*philologisch klinischer Streifzug*» p. 33): *numerum fabi* C, *Numerii Fabii* Sigonius et O — 26. *propriora* A B V, *propria* H — *Cuius modi nam* H[1] — 27. *accius* A B V, *actius* H, *Attii* O cum Camerario. — 28. *Quoniam* C, *Quum iam* O — 30. *Visus 'st*] *uisus est* H, *uisum est* A B V O, *Visu'st* Lambinus. — *pastor* C: *pastorem* O — *apellere* A, *appellare* H — vv. 31 et 32 inverso ordine C, in suum restituit Muretus. — 31. *lanierum* B — 33. *me* A in ras. — 34. *conitier* A B V (sed *it* et *er* B ex corr.): *cornicier* H, *connitier* O.

Exin prostratum terra, graviter saucium,
Resupinum in caelo contueri maximum ac
Mirificum facinus: dextrorsum orbem flammeum
Radiatum solis liquier cursu novo.

45. Eius igitur somnii a coniectoribus quae sit interpretatio facta, videamus:

Rex, quae in vita usurpant homines, cogitant, curant, vident,
Quaeque agunt vigilantes agitantque, ea si cui in somno accidunt,
Minus mirandum est: di rem tantam haut temere inproviso offerunt.
Proin vide ne, quem tu esse hebetem deputes aeque ac pecus,
Is sapientia munitum pectus egregium gerat
Teque regno expellat: nam id quod de sole ostentum est tibi,
Populo commutationem rerum portendit fore
Perpropinquam. Haec bene verruncent populo: nam quod ad dexteram
Cepit cursum ab laeva signum praepotens, pulcherrume
Auguratum est rem Romanam publicam summam fore.

XXIII. 46. Age nunc ad externa redeamus. Matrem Phalaridis scribit Ponticus Heraclides, doctus vir, auditor et discipulus Platonis, visam esse videre in somnis simulacra deorum, quae ipsa domi consecravisset: ex iis Mercurium e patera, quam dextera manu teneret, sanguinem visum esse fundere, qui cum terram attigisset, refervescere videretur sic, ut tota domus sanguine redundaret. Quod matris somnium inmanis filii crudelitas conprobavit. Quid ego, quae magi Cyro illi principi interpretati sint, ex Dinonis Persicis proferam? Nam cum dormienti ei sol ad pedes visus esset, ter eum scribit frustra adpetivisse manibus, cum se convolvens sol elaberetur et abiret: ei magos dixisse, quod genus sapientium et doctorum habebatur in Persis, ex triplici adpetitione solis triginta annos Cyrum regnaturum esse portendi. Quod ita contigit. Nam

---

1. immo *exim.* — *protratum* A^1 — *terrae* Pareus. — 2. *maxime* B^1, *maxumum* O — *ac* delevit Ribbeck: in A est *Ac mirificum.* — 4. *liquier* cod. Balliolensis teste Davisio: *linquier* C, sed H corr. m. 1 ex *linquere.* — 5. *somnii a*] *somnia* B H — *congectoribus* H — 7. *Reges* B, sed *g* in ras., *rerum* H, *res* V^2 — 9. *ea sicut in* H V^2 — 10. *accidant* V^2 — 11. *minus mirandum est: di rem tantam* nos: *minus mirandum est sed in re tanta* CO, *minus mirum est, sed di rem tantam* Ribbeck cum Neukirchio. — *haud temere* B in ras. — 12. *inprouiso offerunt* C: *visa se offerunt* Davisius, *invisa se offerunt* Hottinger, *improviso ingruunt* coni. Orelli. — 13. *proinde* H^1 — *deputas* H — 16. *Te* H — 19. *Perpropinquam* Turnebus: *perpropinqua* A B V, *propinqua* H — *ueruncent* C, at v. Varro de L. L. VII § 102. — 20. *adexterram* B^1 — 21. *caepit* A, *coepit* B O — *..sum* V^1, *casum* V^2 — *ad leua* H — *pucherrume* B — 25. *ipsa domi* Marsus: *ipsa phalaris* (*phalaridis* B^1) *domi* C, *ipse Phalaris domi* coni. Davisius. — 26. *iis* B^2 V: *is* A B^1, *his* H O — *pater* B^1 — *dextra* O — 28. *somnum* H — 29. *illo* B^1 — 30. *sint* B V: *sunt* A H O, sed in A eadem m. *sint* corr. — *Dinonis Persicis* Gulielmus: *dinonis persicis libris* B^1, *dinonisi* (*dionisii* H) *persicis libris* A B^2 H V — 32. *uoluens* H — *sol* delevit Hottinger. — *ei* sup. lin. B; *et magos* coni. Foertsch l. c. pag. 11; at *ei* satis, opinor, defenditur simili usu §§ 48 et 53. — 33. *sapientum* O — 34. *contingit* B^1.

ad septuagesimum pervenit, cum quadraginta natus annos regnare coepisset. 47. Est profecto quiddam etiam in barbaris gentibus praesentiens atque divinans, si quidem ad mortem proficiscens Callanus Indus, cum inscenderet in rogum ardentem, «O praeclarum discessum» inquit «e vita, cum, ut Herculi contigit, mortali corpore cremato in lucem animus excesserit!» Cumque Alexander eum rogaret, si quid vellet, ut diceret, «Optime» inquit; propediem te videbo.» Quod ita contigit: nam Babylone paucis post diebus Alexander est mortuus. Discedo parumper a somniis, ad quae mox revertar. Qua nocte templum Ephesiae Dianae deflagravit, eadem constat ex Olympiade natum esse Alexandrum atque, ubi lucere coepisset, clamitasse magos pestem ac perniciem Asiae proxuma nocte natam. Haec de Indis et magis.

XXIV. 48. Redeamus ad somnia. Hannibalem Caelius scribit, cum columnam auream, quae esset in fano Iunonis Laciniae, auferre vellet dubitaretque, utrum ea solida esset an extrinsecus inaurata, perterebravisse, cumque solidam invenisset statuisse tollere; ei secundum quietem visam esse Iunonem praedicere ne id faceret minarique, si fecisset, se curaturam ut eum quoque oculum, quo bene videret, amitteret, idque ab homine acuto non esse neglectum. Itaque ex eo auro, quod exterebratum esset, buculam curasse faciendam et eam in summa columna conlocavisse. 49. Hoc item in Sileni, quem Caelius sequitur, Graeca historia est; is autem diligentissume res Hannibalis persecutus est: Hannibalem, cum cepisset Saguntum, visum esse in somnis a Iove in deorum concilium vocari: quo cum venisset, Iovem imperavisse ut Italiae bellum inferret ducemque ei unum e concilio datum, quo illum utentem cum exercitu progredi coepisse: tum ei ducem illum praecepisse ne respiceret, illum autem id diutius facere non potuisse elatumque cupiditate respexisse: tum visam beluam vastam et immanem circumplicatam serpentibus quacumque incederet omnia arbusta, virgulta, tecta pervertere, et eum admiratum quaesisse de deo, quodnam illud esset tale monstrum: et deum respondisse Vastitatem esse Italiae praecepisseque ut pergeret protinus; quid retro atque a tergo fieret ne laboraret. 50. Apud Agathoclem

---

1. *quadringenta* B — 2. *Est autem quiddam* H — 3. *callanus* C: *Calanus* O. Illa forma origine vocis defenditur; Latina enim respondet sanscriticae *kaljanas* = *formosus* — 4. *inscenderet* AV: *scenderet* B^1, *ascenderet* B^2, *conscenderet* H — *inquit discessum* B — *inquid uita* B^1 — *e uita* om. A in extremo versu — 5. *ut*] *et* H, *in* A — 7. *contingit* B^1 — *babillone* B, *babilone* H — 8. *post diebus paucis* H — *dies est alexander* B — *discedo parumper a somniis* Frenzel l. c. p. 19 aut eicienda aut verbis *est profecto quiddam* praeponenda censuit. — 9. *somnis* H — *ad quae*] *atque* ABV — 11. *ibi* A^1B^1 — *caepisset clamasse* H — 12. *haec* sup. lin. B — *deindiis* B — 13. *Annibalem* BO — *coelius* AV, quam scripturam uno consensu codd. exhibent §§ 55 et 56 — 14. *Laciniae* Marsus (v. Liv. 24, 3): *lucine* B, sed *ne* ex corr., *luciae* AHV — 16. *statuisse* ABH: *statuisset-que* V ex corr. et O — *eum* B^1 — 17. *unonem* H — *manarique* A^1, *minitarique* codd. dett. O — 17. *si id fecisset* dett. pauci — 18. *curaturum* A, sed *rum* in ras. — *eam* B^1 — *qui bono* V^1 — 19. *acuto* C: *cauto* Alanus — *non* om. H — 19. *et terebratum* H, fort. ex *ecterebratum* — 20. *columnae* HV, *columne* A — 21. *item* Lambinus: *idem* CO, sed A^1H *isdem* — 21. *quam* A — 21. *coelius* AV — *graeci* V — 22. *his* B — *Annibalis* A^1HO — *Annibalem* AO — 23. *concilio* H — 24. *inferet* B — 25. *e*] *in* H — 26. *caepisse cum* H — *respiceret* A in ras. — 27. *autem* B sup. lin. — *id* om. H — 29. *tesca* malebat Orelli — 30. *de deo* B corr. ex *deeo* — 31. *praecepisseque* cod. Salisb.: *praecepissetque* C — *protenus* exc. Pith. — 32. *a* sup. lin. B —

scriptum in historia est Hamilcarem Karthaginiensem, cum oppugnaret Syracusas, visum esse audire vocem se postridie cenaturum Syracusis: cum autem is dies inluxisset, magnam seditionem in castris eius inter Poenos et Siculos milites esse factam: quod cum sensissent Syracusani, inproviso eos in castra inrupisse Hamilcaremque ab iis vivum esse sublatum. Ita res somnium conprobavit. Plena exemplorum est historia, tum referta vita communis. 51. At vero P. Decius ille, Quinti filius, qui primus e Deciis consul fuit, cum esset tribunus militum M. Valerio Aulo Cornelio consulibus a Samnitibusque premeretur noster exercitus, cum pericula proeliorum iniret audacius monereturque ut cautior esset, dixit, quod extat in annalibus: sibi in somnis visum esse, cum in mediis hostibus versaretur, occidere cum maxuma gloria. Et tum quidem incolumis exercitum obsidione liberavit: post triennium autem, cum consul esset, devovit se et in aciem Latinorum inrupit armatus. Quo eius facto superati sunt et deleti Latini. Cuius mors ita gloriosa fuit, ut eandem concupisceret filius. 52. Sed veniamus nunc, si placet, ad somnia philosophorum.

XXV. Est apud Platonem Socrates, cum esset in custodia publica, dicens Critoni suo familiari sibi post tertium diem esse moriendum: vidisse se in somnis pulchritudine eximia feminam, quae se nomine appellans diceret Homericum quendam eius modi versum:

Tertia te Phthiae tempestas laeta locabit.

Quod, ut est dictum, sic scribitur contigisse. Xenophon Socraticus — qui vir et quantus! — in ea militia, qua cum Cyro minore perfunctus est, sua scribit somnia, quorum eventus mirabiles exstiterunt. 53. Mentiri Xenophontem an delirare dicemus? Quid? singulari vir ingenio Aristoteles et paene divino ipsene errat an alios vult errare, cum scribit Eudemum Cyprium, familiarem suum, iter in Macedoniam facientem Pheras venisse, quae erat urbs in Thessalia tum admodum nobilis, ab Alexandro autem tyranno crudeli dominatu tenebatur: in eo igitur oppido ita graviter aegrum Eudemum fuisse, ut omnes medici diffiderent: ei visum in quiete egregia facie iuvenem dicere fore ut perbrevi convalesceret, paucisque diebus interiturum Alexandrum tyrannum, ipsum autem Eudemum quinquennio post domum esse rediturum. Atque ita quidem prima statim scribit Aristoteles consecuta, et convaluisse Eudemum et ab uxoris fratribus interfectum tyrannum: quinto autem anno exeunte, cum esset spes ex illo somnio, in Cyprum illum ex Sicilia esse rediturum, proeliantem eum ad Syracusas occidisse: ex quo ita illud somnium esse interpreta-

---

1. *Kartaginensem* H, *cartaginiensem* A V, *carthaginensem* B — 2. *coenaturum* O — 3. *luxisset* A — 4. *paenos* H — *sentissent* B — 5. *ab his* B H — 6. *res omnium* A^1 — *exemplo est* B^1, *est exemplorum* H — 7. *tum*] *cum* H — *de ciuis* H — *quinti* * B — 8. *fuit consul* B — *consol* A^1 — 9. *aulio* V — *consule cornelio* H — 10. *praeliorum* H — *audatius* A, *adacius* H — *aut causior* H — 12. *uersaretur hostibus* H^1 — 13. *liberauit* A^1 — 18. *aput* A — 20. *eximie* A — 22. *philhae* H, *pythlae* AV, *pythele* B — *locauit* AV^1 — 23. *ut est* V^2: *est* A B V^1, *eius* H — 24. *mino* A^1 — 25. *scribere* H — 26. *an*] *in* H — 27. post *scribit* in B duae litterae erasae, item *eu* in ras. — 28. *falientem* A — 31. *diffiderent* ** *ei* A — *euisum* V^1 — 32. *aegreia falie* A — *perbreuiter* H — 34. *ita* C: *ista* A ex corr., *illa* Halm — 35. *aristotelis* A V — 37. *praeliantem* A V — 38. *illut* A — *somnum* H — *interpretatum*] hanc passivam huius verbi vim respicit Gellius XV, 13, qua eadem vi verbum recurrit I, § 118. —

tum, ut, cum animus Eudemi e corpore excesserit, tum domum revertisse videatur. 54. Adiungamus philosophis doctissimum hominem, poetam quidem divinum, Sophoclem: qui, cum ex aede Herculis patera aurea gravis subrepta esset, in somnis vidit ipsum deum dicentem qui id fecisset. Quod semel ille iterumque neglexit. Ubi idem saepius, ascendit in Ariopagum, detulit rem. Areopagitae conprehendi iubent eum, qui a Sophocle erat nominatus. Is quaestione adhibita confessus est pateramque rettulit. Quo facto fanum illud Indicis Herculis nominatum est.

XXVI. 55. Sed quid ego Graecorum? nescio quo modo me magis nostra delectant. Omnes hoc historici, Fabii, Gellii, sed proxume Caelius: Cum bello Latino ludi votivi maxumi primum fierent, civitas ad arma repente est excitata. Itaque ludis intermissis instaurativi constituti sunt. Qui ante quam fierent cumque iam populus consedisset, servus per circum, cum virgis caederetur, furcam ferens ductus est. Exin cuidam rustico Romano dormienti visus est venire qui diceret praesulem sibi non placuisse ludis idque ab eodem iussum esse eum senatui nuntiare: illum non esse ausum. Iterum esse idem iussum et monitum ne vim suam experiri vellet: ne tum quidem esse ausum. Exim filium eius esse mortuum, eandem in somnis admonitionem fuisse tertiam. Tum illum etiam debilem factum rem ad amicos detulisse, quorum de sententia lecticula in curiam esse delatum, cumque senatui somnium enarravisset, pedibus suis salvum revertisse. Itaque somnio comprobato a senatu ludos illos iterum instauratos memoriae proditum est. 56. Gaius vero Gracchus multis dixit, ut scriptum apud eundem Caelium est, sibi in somnis quaesturam petere dubitanti Tiberium fratrem visum esse dicere, quam vellet cunctaretur, tamen eodem sibi leto, quo ipse interisset, esse pereundum. Hoc, ante quam tribunus plebi C. Gracchus factus esset, et se audisse scribit Caelius et *illum* dixisse multis. Quo somnio quid inveniri potest certius?

XXVII. Quid? illa duo somnia, quae creberrume commemorantur a Stoicis, quis tandem potest contemnere? Unum de Simonide: qui cum ignotum quendam proiectum mortuum vidisset eumque humavisset habe-

---

1. *eudemiae corpore* A[1] — *e* B in ras. — 2. *videretur* Ernesti — *philosophos* H[1] — 3. *sofoclem* AV, *sofodem* H — *ex • ede* A — 4. *suprepta* H — *quid fec.* HV — 5. *ibiidem* V — *sepius* A, sed *us* in ras. — *ascendit* A, sed *as* in ras., *scendit* HV; *escendit* coni. Halm — 6. *ariopagum* A: *areopagum* H, *arium pagum* BV — *reum* Valckenaer ad Herod. VIII, 52 — *areopagitae* C: *ariopagitae* B[2]V[2]O; de commutatis litteris *e* et *i* loco graecae diphthongi *ει* cf. I, § 8 *liceum*, II, § 8 *licio*, I, § 16 *scammoneae*, II, § 47 *scammoniam*, I, § 121 *dareus*, II, § 88 *Halicarnassius* — 7. *his* AB — *adobita* A[1], *habita* ex codd. dett. Davisius — 8. *retulit* CO — *illut* A — 10. *proxume* V[1], *maxime* V[2] — *coelius* BHV — 12. *excitata quae* B[1], *excita itaque* H — 13. *quantaequam* A[1] — *cumsedisset* A — 15. *romano dormienti rustico* H — *qui • • diceret* A — 16. *uisum* H — *eum*] *cum* A; suspecta haec vox Ernestio — 17. *non ausum* B(?)O — *idem uisum* C — 18. *exim* B: *exin* AHVO 21. *in curia* H — 22. *saluum domum reuertisse* B et exc. Pith. — 23. *instaurato* A — *Gaius* C: *C.* O — 24. *grachus* H, ut fere semper; locum respicit Plutarchus in v. C. Gracchi c. I — *scriptum est* H — *coelium* C — 25. *petere dubitanti* Halm: *petenti* ABHO, om. V; *non petenti* Klotz — 26. *dicente* H — *quem uellet* B — *sibi eto quo* H — *laeto* B[1] — 27. *hac autem ante quam* H — *plebis* B[2]V — *cracchus* A, *crachus* H — 28. *coelius* AV — *illum* addidi: om. CO; cf. Val. Max. I, 7, 6: *Id ex Graccho prius quam tribunatum, in quo fraternum exitum habuit, iniret multi audierunt (et dixisse multos* coni. Hottinger) — 31. *contempnere* AHV — 32. *eum humauisset* A[1], *cumque umauisset* H, *eumque humanauisset* B. —

retque in animo navem conscendere, moneri visus est ne id faceret ab eo, quem sepultura adfecerat; si navigavisset, eum naufragio esse periturum: itaque Simonidem redisse, perisse ceteros, qui tum navigavissent. 57. Alterum ita traditum, clarum admodum somnium. Cum duo quidam Arcades familiares iter una facerent et Megaram venissent, alterum ad coponem devertisse, ad hospitem alterum. Qui ut cenati quiescerent, concubia nocte visum esse in somnis ei, qui erat in hospitio, illum alterum orare ut subveniret, quod sibi a copone interitus pararetur: eum primo perterritum somnio surrexisse, dein cum se conlegisset idque visum pro nihilo habendum esse duxisset, recubuisse: tum ei dormienti eundem illum visum esse rogare ut, quoniam sibi vivo non subvenisset, mortem suam ne inultam esse pateretur: se interfectum in plaustrum a copone esse coniectum et supra stercus iniectum; petere ut mane ad portam adesset, prius quam plaustrum ex oppido exiret. Hoc vero eum somnio commotum mane bubulco praesto ad portam fuisse, quaesisse ex eo quid esset in plaustro: illum perterritum fugisse, mortuum erutum esse, coponem re patefacta poenas dedisse.

XXVIII. 58. Quid hoc somnio dici divinius potest? Sed quid aut plura aut vetera quaerimus? Saepe tibi meum narravi, saepe ex te audivi tuum somnium: me, cum Asiae pro consule praeessem, vidisse in quiete, cum tu equo advectus ad quandam magni fluminis ripam, provectus subito atque delapsus in flumen, nusquam apparuisses, me contremuisse timore perterritum: tum te repente laetum exstitisse eodemque equo adversam ascendisse ripam nosque inter nos esse conplexos. Facilis coniectura huius somnii, mihique a peritis in Asia praedictum est fore eos eventus rerum, qui acciderunt. 59. Venio nunc ad tuum. Audivi equidem ex te ipso, sed mihi saepius noster Sallustius narravit: cum in illa fuga, nobis gloriosa, patriae calamitosa, in villa quadam campi Atinatis maneres magnamque partem noctis vigilasses, ad lucem denique arte et graviter dormitare coepisse. Itaque, quamquam iter instaret, se tamen silentium fieri iussisse neque esse passum te excitari: cum autem experrectus esses hora secunda fere, te sibi somnium narravisse: visum tibi esse, cum in locis solis maestus errares, C. Marium cum fascibus laureatis quaerere ex te quid tristis esses, cumque tu te

---

2. *acfectarat* H — *navigasset* O — 3. *tum* om. H — *nauigauissent* B: *nauigassent* A^2HVO, *nauigasset* A^1 — 4. *traditur* Hottinger — *somnum* H — 5. *familiares* om. H — *alteram* B^1 — 6. *cauponem* AB^2V^2O, sed *cau* A in ras. — *divertisse* Moser — *coenati* O — 8. *a copone* V^1: •• *pone* A^1, *apone* B^1, *copone* H, *a caupone* $A^2B^2V^2$O — 9. *eum* A in ras. — *perterritom* A^1 — *deinde* H — 10. *dixisset* B — *recubuisse tum* A, sed *se t* in ras. — 12. *puteretur* V — 13. *a caupone* B^2V^2O — *pete* H — 14. *adesse* V — *plostrum* B — 16. *quaesissexeo* A^1 — *plustro* B^1 — 17. *cauponem* h. l. CO — *paenas* H — 18. *potest divinius* O — *quid plura* H — 19. *Sepe enim* H — 20. *somnium* om. Salisb. — *procos* B, *procis* AV, *prouinciis* HO, exc. Pith.; receptam lectionem optime defendit Bergmannus in Philologi II, 673 — 22. *delatus* H — *nunquam* H — 25. *coniectura*] *cetera* H — 26. *rerum dictum est qui* A, sed *dictum est* pr. m. punctatum — 27. *sallustius* AV^1: *salustius* BHV^2O — 29. *atinatinatis* B — *uigilassem* H — 30. *arcte te et* F. A. Wolf — *coepisses* BV^1, *cepisses* H — *quanquam* HV, quae varietas non iam notabitur — 31. *iter* sup. lin. B — *in* •• *staret* A — *se tamen* F. A. Wolf et Dobree (Advers. II, 374): *te tamen* CO — *texcitari* A — 32. *exporrectus* H — *ora* A — *fore* H — 33. *Gaium* V, G. ABH — 34. *facibus* H — *tristes* V^1 — *tu te patria* Moser: *te tu patria* ABV, *tu patria te* H, *tu te tua patria* Manutius.

patria vi pulsum esse dixisses, prehendisse eum dextram tuam et bono animo te iussisse esse lictorique proxumo tradidisse, ut te in monumentum suum deduceret, et dixisse in eo tibi salutem fore. Tum et se exclamasse Sallustius narrat, reditum tibi celerem et gloriosum paratum et te ipsum visum somnio delectari. Nam illud mihi ipsi celeriter nuntiatum est, ut audivisses in monumento Mari de tuo reditu magnificentissumum illud senatus consultum esse factum, referente optumo et clarissimo viro consule, idque frequentissimo theatro incredibili clamore et plausu comprobatum, dixisse te nihil illo Atinati somnio fieri posse divinius.

XXIX. 60. At multa falsa: immo obscura fortasse nobis. Sed sint falsa quaedam; contra vera quid dicimus? Quae quidem multo plura evenirent, si ad quietem integri iremus: nunc onusti cibo et vino perturbata et confusa cernimus. Vide quid Socrates in Platonis Politia loquatur. Dicit enim: Cum dormientibus ea pars animi, quae mentis et rationis sit particeps, sopita langueat, illa autem, in qua feritas quaedam sit atque agrestis inmanitas, cum sit inmoderato extumefacta potu atque pastu, exsultare eam in somno inmoderateque iactari: itaque huic omnia visa obiciuntur a mente ac ratione vacua, ut aut cum matre corpus miscere videatur aut cum quovis alio vel homine vel deo, saepe belua, atque etiam trucidare aliquem et impie cruentari multaque facere inpure atque taetre cum temeritate et inpudentia. 61. At qui salubri et moderato cultu atque victu quieti se tradiderit, ea parte animi, quae mentis et consilii est, agitata et erecta saturataque bonarum cogitationum epulis, eaque parte animi quae voluptate alitur, nec inopia enecta nec satietate afluenti — quorum utrumque praestringere aciem mentis solet, sive deest naturae quippiam sive abundat atque afluit — illa etiam tertia parte animi, in qua irarum existit ardor, sedata atque restincta, tum eveniet duabus animi temerariis partibus compressis, ut illa tertia pars rationis et mentis eluceat et se vegetam ad somniandum acremque praebeat, tum ei visa quietis occurrent tranquilla atque veracia. Haec verba ipsa Platonis expressi.

XXX. 62. Epicurum igitur audiemus potius? Namque Carneades,

---

1. *dexteram* HO — 2. *proxume* H — *tradisse* B — 4. *sallustius* V^1: *salustius* ABHV^2O — *redditum sibi* H — 5. *illut* A^1 — 6. *mari* BV^1: *mani* H, *marii* AV^2O, sed in A posterius *i* in ras. — *de tuo* A in ras. — 9. *at tinati* H, *antinati* V — 11. *At* A in ras. — *sunt* H — 12. *dicemus* B^2 — *multa* H — 16. *sit* sup. lin. A — 17. *agrestis -- potu atque* A in marg. — 18. *cum* videtur delendum — *extumefacta* scripsi vestigia cod. B et Platonis πληθέν secutus: *extupefacta* B^1, *obstupefacta* AB^2HV, *tumefacta* cod. Eliensis et O — *puto* V^1 — 19. *exultare* H — 21. *misceri* V — 22. *beluam* H — 23. *cruentare* A^2 — 24. *tetre* O — *pudentia* H — *At quum* Rath —' 25. *moderata* A — 26. *agitata*] *excitata* Lambinus; at expressit Cicero graecum κινήσας — 27. *ea parte* H — 29. *afluenti* AV^1: *affluenti* BHV^2O — *praestinge* B^1, *perstringere* H — 30. *deesse* H — *quidpiam* BO — 31. *effluit* C, *diffluit* Marsus, *affluit* codd. dett. O — 32. *sedata atque restincta* B sup. lin. — 35. *aeremque* H — *tum et visa* Hottinger — 36. *ueratia* A — *ipsius* H^1 — 37. *epicurum esse igitur* B^1 — *audimus* A^1.

concertationis studio modo ait hoc, modo illud ait; ille quod sentit; sentit autem nihil umquam elegans, nihil decorum. Hunc ergo antepones Platoni et Socrati? qui ut rationem non redderent, auctoritate tamen hos minutos philosophos vincerent. Iubet igitur Plato sic ad somnum proficisci corporibus adfectis, ut nihil sit quod errorem animis perturbationemque adferat. Ex quo etiam Pythagoricis interdictum putatur ne faba vescerentur, quod habet inflationem magnam is cibus, tranquillitati mentis quaerenti vera contrariam. 63. Cum ergo est somno sevocatus animus a societate et a contagione corporis, tum meminit praeteritorum, praesentia cernit, futura providet; iacet enim corpus dormientis ut mortui, viget autem et vivit animus. Quod multo magis faciet post mortem, cum omnino corpore excesserit. Itaque adpropinquante morte multo est divinior. Nam et id ipsum vident, qui sunt morbo gravi et mortifero adfecti, instare mortem; itaque iis occurrunt plerumque imagines mortuorum, tumque vel maxume laudi student, eosque, qui secus quam decuit vixerunt, peccatorum suorum tum maxume paenitet. 64. Divinare autem morientes illo etiam exemplo confirmat Posidonius, quod adfert, Rhodium quendam morientem sex aequales nominasse et dixisse, qui primus eorum, qui secundus, qui deinde deinceps moriturus esset. Sed tribus modis censet deorum adpulsu homines somniare: uno, quod provideat animus ipse per sese, quippe qui deorum cognatione teneatur, altero, quod plenus aer sit inmortalium animorum, in quibus tamquam insignitae notae veritatis appareant, tertio, quod ipsi di cum dormientibus conloquantur. Idque, ut modo dixi, facilius evenit adpropinquante morte, ut animi futura augurentur. 65. Ex quo et illud est Callani, de quo ante dixi, et Homerici Hectoris, qui moriens propinquam Achilli mortem denuntiat. XXXI. Neque enim illud verbum temere consuetudo adprobavisset, si ea res nulla esset omnino,

P r a e s a g i b a t a n i m u s f r u s t r a m e i r e , c u m e x i r e m d o m o.

Sagire enim sentire acute est, ex quo sagae anus, quia multa scire volunt, et sagaces dicti canes. Is igitur, qui ante sagit quam oblata res est, dicitur praesagire, id est, futura ante sentire. 66. Inest igitur

---

1. *modo hoc, modo illud ait; ille quod sentit* Madvig: *modo ait* (*aut* H) *hoc modo illud at ille quod sentit* C; *modo ait hoc, modo illud. At ille quid sentit?* O «Acerba ironia Epicurum laudat, quod non ut Carneades, quod lubuerit, defendat, sed aperte quod sentiat dicat.» — 4. *Iubet igitur -- contrariam* affert Gellius N. A. IV, 11 — 5. *et affectis* H — 6. *Pythagoreis* Gellius — 7. *quod*] *quae res* Gellius, a quo abest *is cibus — magnam escibus* H, sed *escibus* linea transversa deletum — 7. *tranquillitatem mentis quaerentibus contrariam* Gellius — *quaerentis* codd. dett. et O — 10. *prouidet* AB: *praeuidet* V(?) HO; cf. I, § 64. II, §§ 14, 16, 17, 25, 27 — *enim* om. H — 13. *est quam ante diuinior* H — *et* inclusit O; at v. Madvig. ad Cic. de finn. p. 799 — *id* om. H — 14. *morbum* H — *iis* V: *is* AB, *his* HO — 15. *studens* A[1] — 17. *penitet* BH, *poenitet* O — *illo etiam* C: *etiam illo* O — 18. *quod* ABV: *quo* HO — *morientem quendam* H[1] — 19. *qui deinde deinceps* C: *qui deinde qui deinceps* V[2], *qui deinceps* O — 20. *adpulso* A[1], *apulsu* H — 21. *praeuideat* V(?)O — 22. *mortalium* H — 24. *idque non modo* A[1] — *dixi modo* H — 25. *eueniet* B — 26. *illut* A — *Calani* BO; at v. ad § 47 — 27. *enim* om. H 28. *appropinquauisset* H — 30. *praesagitabat* B[1]; versus exstat in Plauti Aulul. II, 2, 1, unde Lambinus *praesagibat mi animus* — 31. *sagae anus* V[2]: *sageanus* A[2]HV[1], *sagenus* A[1] — *quia*] *quae* malebat Frenzelius — 32. *qui* in ras. H — *ante* om. H — *sagitque oblata* H — 33. *inest* om. H.

in animis praesagitio extrinsecus iniecta atque inclusa divinitus. Ea si exarsit acrius, furor appellatur, cum a corpore animus abstractus divino instinctu concitatur.

Sed quid oculis rabere visa es derepente ardentibus?
Ubi paulo ante sapiens illa virginali' modestia?
Mater, optumarum multo mulier melior mulierum,
Missa sum superstitiosis hariolationibus;
Namque Apollo fatis fandis dementem invitam ciet.
Virgines vereor aequalis, patris mei meum factum pudet,
Optumi viri: mea mater, tui me miseret, mei piget.
Optumam progeniem Priamo peperisti extra me: hoc dolet,
Men obesse, illos prodesse, me obstare, illos obsequi.

O poema tenerum et moratum atque molle! Sed hoc minus ad rem:
67. illud, quod volumus, expressum est, ut vaticinari furor vera soleat.

Adest, adest fax obvoluta sanguine atque incendio.
Multos annos latuit; cives, ferte opem et restinguite.

Deus inclusus corpore humano, iam non Cassandra loquitur.

Iamque mari magno classis cita
Texitur: exitium examen rapit:
Adveniet, fera velivolantibus
Navibus complebit manus litora.

XXXII. 68. Tragoedias loqui videor et fabulas. At ex te ipso non commenticiam rem, sed factam eiusdem generis audivi: C. Coponium ad te venisse Dyrrachium, cum praetorio imperio classi Rhodiae praeesset, cum primo hominem prudentem atque doctum, eumque dixisse remigem quendam e quinqueremi Rhodiorum vaticinatum, madefactum iri minus xxx diebus Graeciam sanguine, rapinas Dyrrachi et conscensionem in navis cum fuga fugientibusque miserabilem respectum incendiorum fore, sed Rhodiorum classi propinquum reditum ac domum itionem dari: tum neque te ipsum non esse commotum Marcumque

---

1. *praesagatio* AV, *praesatia* H; cf. § 123 — *diuinus* A[1] — *ea* sup. lin. B, *et* H — 4. *rabere* Muretus (Var. lectt. IX, 19): *rapere* C — *uisa es* Lambinus: *uisa est* CO — 5. *ubi paulo ante sapiens illa* Auratus: *ubi illa paulo ante sapiens* CO, *ubi illa tua paulo ante sapiens* Reiz, *aut ubi illa paulo ante sapiens* Lachmann ad Lucret. p. 29 — *virginali'* Bothe: *uirginali* CO — 6. *optumarum* M. Haupt: *optuma tum* AV; *optima* H, *optumatum* BO; *optima optimarum mater matrum mulier mulierum* Dobree in Advers. II, 374 — *multa* A, *multo* om. H — *mulier melior missa* V, erasa post *melior* voce aliqua, cuius apparent apices *is*; superscr. m. 2 *mulierum* — 7. *ariolationibus* HV — 8. *namque* O. Ribbeck: *neque me* CO, *namque me* Hottinger, *meque* Grotius — *appollo* A — *sciet* B[1] — 9. *vereor* Ribbeck (qui ordine verborum mutato scripsit *aequalis vereor*): *uero* CO — *aequalis* C: *aequales* O — *fatum* H — *patris -- pudet* affert Cicero etiam Orat. 46, 155; *Virgines vereor aequalis, patris meum factum pudet* Maehly in annall. philol. a. 1857 p. 286 — 10. *optimi* H — *misere* H — *puget* A[1] — 11. *optimam* H — *peperisti* cod. Eliensis: *repperisti* C (sed H *reperisti*) — *me* om. H — 12. *men* AV: *me** BH, *med* O cum Lambino — *illo* A — 14. *vera* delevit Hottinger — 15. *adest a fax* (altero *adest* om.) H, *ah adest fax* Turnebus — 16. *referte* AHV — *restinguit* A — 18. *clasis* A, *clausis* V[1] — 20. *aduenict* ABH: *aduenit et* V(?)O, *advenit ecfera* Wakefield — 21. *complebit* Herelius et dett. aliquot: *compleuit* C — *manu* B(?) — 23. *C.*] *G.* B, *gi* AH — 24. *Dyrrachium* Creverius: *dyrrachio* C — *clasi* A — *classis hodie* H — 25. *cum primo* C: *cum primis* Lamb. et O. Similiter Varro de l. l. VII, 2 *in primo* — 26. *quendam equumque remi* H — 27. *sanguinem* C — *chirrachi* H — 28. *nauis* B: *naves* AHVO — 29. *ac dominationem* H.

Varronem et M. Catonem, qui tum ibi erant, doctos homines, vehementer esse perterritos: paucis sane post diebus ex Pharsalia fuga venisse Labienum: qui cum interitum exercitus nuntiavisset, reliqua vaticinationis brevi esse confecta. 69. Nam et ex horreis direptum effusumque frumentum vias omnis angiportusque constraverat, et naves subito perterriti metu conscendistis, et noctu ad oppidum respicientes flagrantis onerarias, quas incenderant milites, quia sequi noluerant, videbatis: postremo a Rhodia classe deserti verum vatem fuisse sensistis.

70. Exposui quam brevissime potui somnii et furoris oracula, quae carere arte dixeram. Quorum amborum generum una ratio est, qua Cratippus noster uti solet: animos hominum quadam ex parte extrinsecus esse tractos et haustos — ex quo intellegitur esse extra divinum animum, humanus unde ducatur — humani autem animi eam partem, quae sensum, quae motum, quae adpetitum habeat, non esse ab actione corporis seiugatam: quae autem pars animi rationis atque intellegentiae sit particeps, eam tum maxume vigere, cum plurimum absit a corpore. 71. Itaque expositis exemplis verarum vaticinationum et somniorum Cratippus solet rationem concludere hoc modo: Si sine oculis non potest exstare officium et munus oculorum, possunt autem aliquando oculi non fungi suo munere, qui vel semel ita est usus oculis, ut vera cerneret, is habet sensum oculorum vera cernentium. Item igitur, si sine divinatione non potest officium et munus divinationis exstare, potest autem quis, cum divinationem habeat, errare aliquando nec vera cernere, satis est ad confirmandam divinationem semel aliquid esse ita divinatum, ut nihil fortuito cecidisse videatur. Sunt autem eius generis innumerabilia; esse igitur divinationem confitendum est.

XXXIII. 72. Quae vero aut coniectura explicantur aut eventis animadversa ac notata sunt, ea genera divinandi, ut supra dixi, non naturalia, sed artificiosa dicuntur: in quo haruspices, augures coniectoresque numerantur. Haec inprobantur a Peripateticis, a Stoicis defenduntur. Quorum alia sunt posita in monumentis et disciplina, quod Etruscorum declarant et haruspicini et fulgurales et rituales libri, vestri etiam augurales, alia autem subito ex tempore coniectura explicantur, ut apud Homerum Calchas, qui ex passerum numero belli Troiani annos augu-

---

2. *esse* om. H — *pharsalia* AH: *pharsilia* V, *parsalia* B, *Pharsalica* O; cf. ad or. Philipp. II, § 39 — 3. *cum*] *tum* H — 5. *angiporta* Ciceronem in libris de divinat. dixisse Nonius s. h. v. refert — *subito eam partemque sensum perterriti* B, sed tribus mediis verbis expunctis; v. infra v. 13 — 6. *flagrantes* AHO — 7. *honerarias* AV¹, *honorarias* B — 9. *oracula* V²O — 10. *dixeram arte* codex Creuzeri — *ambarum* H — 11. *animas* B — *ut assolet* H — *quodam* H — *parte et extrinsecus* B — 13. *humanum* H — *inde* V¹ — 15. *pars animi eam partem quae sensum (sensus* H) *rationis* HV, item A, sed in eo *sensum* erasum; de cod. B v. supra lectionem ad v. 5 — 18. *si* om. AHV — 19. *offitium* A — 22. *potest et officium* C; *potest officium* habent codd. II, § 107 — 25. *fortuitu* H — 27. *explicant* H — *uentis* BHV¹ — 28. *ac* C: *et* O — 29. *ducuntur* H — *in quo* C: *in queis* Davisius; lectionem librorum ex simili usu Varronis defendit Spengelius in emend. Varron. p. 7 — 31. *quod et etruscorum* AH, *quod et et rusticorum* B — 32. *fulgorales* B — *rituales* BV²: *trituales* AHV², *tonitruales* aliquot dett. (ut Erlang.) et O. Libri rituales cum Festo auctore de urbibus condendis, de aedibus sacrandis deque aliis id genus rebus agerent, multa ex disciplina haruspicina petita continere poterant. — 32. *nostri* Salisb. — *alii* H — 34. *qui* Ernesti delendum censuit.

ratus est, et ut in Sullae scriptum historia videmus, quod te inspectante factum est, ut, cum ille in agro Nolano inmolaret ante praetorium, ab infima ara subito anguis emergeret, cum quidem C. Postumius haruspex oraret illum ut in expeditionem exercitum educeret: id cum Sulla fecisset, tum ante oppidum Nolam florentissuma Samnitium castra cepit. 73. Facta coniectura etiam in Dionysio est, paulo ante quam regnare coepit: qui cum per agrum Leontinum iter faciens equum ipse demisisset in flumen, submersus equus voraginibus non exstitit: quem cum maxima contentione non potuisset extrahere, discessit, ut ait Philistus, aegre ferens. Cum autem aliquantum progressus esset, subito exaudivit hinnitum respexitque et equum alacrem laetus aspexit, cuius in iuba examen apium consederat. Quod ostentum habuit hanc vim, ut Dionysius paucis post diebus regnare coeperit.

XXXIV. 74. Quid? Lacedaemoniis paulo ante Leuctricam calamitatem quae significatio facta est, cum in Herculis fano arma sonuerunt Herculisque simulacrum multo sudore manavit! At eodem tempore Thebis, ut ait Callisthenes, in templo Herculis valvae clausae repagulis subito se ipsae aperuerunt armaque, quae fixa in parietibus fuerant, ea sunt humi inventa. Cumque eodem tempore apud Lebadiam Trophonio res divina fieret, gallos gallinaceos in eo loco sic adsidue canere coepisse, ut nihil intermitterent: tum augures dixisse Boeotios, Thebanorum esse victoriam, propterea quod avis illa victa silere soleret, canere, si vicisset. 75. Eademque tempestate multis signis Lacedaemoniis Leuctricae pugnae calamitas denuntiabatur. Namque et in Lysandri, qui Lacedaemoniorum clarissimus fuerat, statua, quae Delphis stabat, in capite corona subito exstitit ex asperis herbis et agrestibus, stellaeque aureae, quae Delphis erant a Lacedaemoniis positae post navalem illam victoriam Lysandri, qua Athenienses conciderunt, qua in pugna quia Castor et Pollux cum Lacedaemoniorum classe visi esse dicebantur, eorum insignia deorum, stellae aureae, quas dixi, Delphis positae, paulo ante Leuctricam pugnam deciderunt neque repertae sunt. 76. Maximum vero illud portentum isdem Spartiatis fuit, quod, cum oraculum ab Iove Dodonaeo petivissent de victoria sciscitantes, legatique *vas* illud, in quo inerant sortes, collocavissent, simia, quam rex Molossorum in deliciis habebat, et sortes ipsas et cetera, quae erant ad sortem parata, disturbavit et aliud alio dissupavit. Tum ea quae praeposita erat oraclo sacerdos dixisse dicitur, de salute Lacedaemoniis esse, non de victoria cogitandum.

---

1. *in sullae* B^2HV: *insulae* B^1, *in sillae* A, *in Sisennae* Marsus et O — 2. *ille* C: *Sulla* Marsus et O — *nolanii* H — 3. *infirma* H — *G.* C — 4. *expeditione* H — *scylla* B, *silla* H — 5. *florentissimam* H, *fortissima* Hottinger, ut est apud Valerium Maximum I, 6, 4 — *samnitum* H — 6. *in* in B erasum — 7. *dimisisset* C — 8. *subuersus* B^1 — 9. *magna* H — 10. *aliquantulum* codd dett. et O — 11. *intubae* A^1V^1, *in tuba* A^2 — 12. *apum* V(?)O — *vim*] *rem* H in ras. — 14. *leutricam* A, item infra — 15. *est* B sup. lin., *est facta* H — 17. *calisthenes* A — *arculis* B — 19. *apud thebaidam* C, qui idem error II, § 56 recurrit — 21. *boetios* H, *boeotio* A, *boetio* BV; cf. II, § 56 — 24. *pugna* H — *et Lysandri -- statuae* Lamb. et O — 25. *statua* AB^2HV, *statue* B^1 — 28. *qua in pugna* om. H — 32. *illut* A — *iisdem* BO — *oraculum* O — *ab uno dodoneo petiuisset* H — 33. *vas illud* Ernesti: *vas* om. CO — *in quo -- simia* om. H; *legatique sitellam, in qua inerant sortes, in solo colloc.* coni. Orelli — 34. *molosorum* BH — 36. *aliut* A — *erant* H — *oraculo* O.

XXXV. 77. Quid? bello Punico secundo nonne C. Flaminius consul iterum neglexit signa rerum futurarum magna cum clade rei publicae? Qui exercitu lustrato, cum Arretium versus castra movisset et contra Hannibalem legiones duceret, et ipse et equus eius ante signum Iovis Statoris sine causa repente concidit nec eam rem habuit religioni, obiecto signo, ut peritis videbatur, ne committeret proelium. Idem cum tripudio auspicaretur, pullarius diem proelii committendi differebat. Tum Flaminius ex eo quaesivit, si ne postea quidem pulli pascerentur, quid faciendum censeret. Cum ille quiescendum respondisset, Flaminius: «Praeclara vero auspicia, si esurientibus pullis res geri poterit, saturis nihil geretur.» Itaque signa convelli et se sequi iussit. Quo tempore cum signifer primi astati signum non posset movere loco nec quicquam proficeretur, plures cum accederent, Flaminius re nuntiata suo more neglexit. Itaque tribus iis horis concisus exercitus atque ipse interfectus est. 78. Magnum illud etiam, quod addidit Caelius, eo tempore ipso, cum hoc calamitosum proelium fieret, tantos terrae motus in Liguribus, Gallia compluribusque insulis totaque in Italia factos esse, ut multa oppida conruerint, multis locis labes factae sint terraeque desiderint fluminaque in contrarias partes fluxerint atque in amnes mare influxerit.

XXXVI. Fiunt certe divinationum coniecturae a peritis. Midae illi Phrygi, cum puer esset, dormienti formicae in os tritici grana congesserunt. Divitissimum fore praedictum est, quod evenit. At Platoni cum in cunis parvulo dormienti apes in labellis consedissent, responsum est singulari illum suavitate orationis fore: ita futura eloquentia provisa in infante est. 79. Quid? amores ac deliciae tuae, Roscius, num aut ipse aut pro eo Lanuvium totum mentiebatur? Qui cum esset in cunabulis educareturque in Selonio, qui est campus agri Lanuvini, noctu lumine adposito experrecta nutrix animadvertit puerum dormientem circumplicatum serpentis amplexu. Quo adspectu exterrita clamorem sustulit. Pater autem Roscii ad haruspices rettulit, qui responderunt nihil illo puero clarius, nihil nobilius fore. Atque hanc speciem Pasiteles caelavit argento et noster expressit Archias versibus. Quid igitur expectamus? an dum in foro nobiscum di immortales, dum in viis versentur, dum domi? qui quidem ipsi se nobis non offerunt, vim autem suam longe

---

1. *G.* C — 3. *aretium* B, *arreuum* H — 4. *Annibalem* BO — 5. *stutoris sane causa* H — 6. *idem*] *id est* H — 7. *commitendi* A — 9. *censeret* Salisb.: *censerent* ABV, *censeret -- quiescendum* om. H — *respondissent* A¹, *respondisse* H — 10. *vero*] *nunc* H — *potuit* H — 11. *couelli* H — 12. *cum* om. H — *astati* AHV: *hastati* BO; cf. Varro de l. lat. V, § 115 — *ne* H — 14. *tribus iis horis* ed. Iuntina: *tribus his horis* ABV, *tribus horis* HO. Lectionem receptam Madvigius recte sic interpretatur: tribus ab illo momento temporis horis, intra tres horas, qui usus satis est notus. — 15. *coelius* ABV — 16. *com* A¹ — *proelium fieret* B: *proelium* om. AHV, *fieret proelium* O — 17. *in solis* V¹ — 18. *corruerunt* H — *laues* AV¹ — *desiderint* A: *desederint* BHVO — 19. *fluxerunt* H — *atque -- influxerit* om. H — *atque innes* A¹V¹, *atque amnes* V², *atque annes* A² — 20. *certae* Marsus probabiliter; nam coniecturae aeque a peritis atque ab imperitis fiunt, certae solae a peritis fieri videntur. — 21. *Phrygio* O — 22. *diuinitis summum* AB, *diuinissumum* V, sed *ni* in loco eraso — *at* A in ras., *ad* V, *et* B — 25. *infantem* H — 27. *selonio* C: *Solonio* O cum Grutero, ut est II, § 66 — *lanuini* A, *colani uni* H — 28. *aposito* AV¹ — *experta* H — 29. *aspectu* AH — 30. *rettulit* B: *retulit* AHVO — 31. *Pasiteles* Winckelmann (coll. Plin. N. H. XXXIII, 12 et XXXVI, 4, quo in loco hoc nomen melioribus codd. confirmatur): *praxiteles* A, *praxitelis* V, *praxitheles* B, *praxitales* H — *celauit* AHV.

lateque diffundunt, quam tum terrae cavernis includunt, tum hominum naturis implicant; nam terrae vis Pythiam Delphis incitabat, naturae Sibyllam. Quid enim? non videmus quam sint varia terrarum genera? ex quibus et mortifera quaedam pars est, ut et Ampsancti in Hirpinis et in Asia Plutonia, quae vidimus, et sunt partes agrorum aliae pestilentes, aliae salubres, aliae quae acuta ingenia gignant, aliae quae retusa: quae omnia fiunt et ex caeli varietate et ex disparili adspiratione terrarum. 80. Fit etiam saepe specie quadam, saepe vocum gravitate et cantibus, ut pellantur animi vehementius, saepe etiam cura et timore, qualis est illa

Flexanima tamquam lymphata aut Bacchi sacris
Commota, in tumulis Teucrum commemorans suum.

XXXVII. Atque etiam illa concitatio declarat vim in animis esse divinam. Negat enim sine furore Democritus quemquam poetam magnum esse posse, quod idem dicit Plato. Quem, si placet, appellet furorem, dum modo is furor ita laudetur, ut in Phaedro Platonis laudatus est. Quid? vestra oratio in causis, quid? ipsa actio potest esse vehemens et gravis et copiosa, nisi est animus ipse commotior? Equidem etiam in te saepe vidi et, ut ad leviora veniamus, in Aesopo familiari tuo tantum ardorem vultuum atque motuum, ut eum vis quaedam abstraxisse a sensu mentis videretur.

81. Obiciuntur etiam saepe formae, quae reapse nullae sunt, speciem autem offerunt: quod contigisse Brenno dicitur eiusque Gallicis copiis, cum fano Apollinis Delphici nefarium bellum intulisset. Tum enim ferunt ex oraclo ecfatam esse Pythiam:

Ego providebo rem istam et albae virgines.

Ex quo factum ut et viderentur virgines ferre arma contra et nive Gallorum obrueretur exercitus.

XXXVIII. Aristoteles quidem eos etiam, qui valetudinis vitio furerent et melancholici dicerentur, censebat habere aliquid in animis praesagiens atque divinum. Ego autem haud scio an nec cardiacis tribuendum hoc sit nec phreneticis; animi enim integri, non vitiosi est [corporis] divinatio. 82. Quam quidem esse re vera hac Stoicorum ratione concluditur: «Si sunt di neque ante declarant hominibus quae futura sint, aut non diligunt homines, aut quid eventurum sit ignorant, aut existumant nihil interesse hominum scire quid sit futurum, aut non

---

1. *cauernae terrae* H[1] — 3. *sibillam* H — 4. *ut et am sancti* B[1], *ut etiam .p. sancti* A — *hyrpinis* A — 5. *platonia* B — *uidimus* Pearce: *uidemus* C — 6. *retunsa* B — 7. *dispari* unus cod. Moseri — 8. *species* HV — 9. *animae* H — 11. *flexanima* A et Varro de l. l. VII, § 87: *flexa anima* HV, *flexi anima* B — *limphata* H — *aut* Auratus: *ut* C — *bacchi* Palatinus unus teste Grutero, ut est apud Varronem: *baccha* C, sed in B posterior *a* in ras. — 14. *magnam* V — 15. *posse* sup. lin. A — 16. *laudatur* H — 18. *etiam* om. H — 20. *uultum atque motum* H — *ut*] *et* B — *eum*] *cum* H. *tum* coni. Davisius, delendum censuit Frenzelius — *obstraxisse* V — 21. *a sensu mentes* Davisius, *a statu mentis* Moserus — 22. *quaere abse* ABH, *quae res ab se* V — 24. *copiis*] *opibus* H — *tum uero efferunt* H — 25. *oraculo* O — *ecfatum* A: *haec fatam* A[2]BV, sed B in ras., *effetam* H, *effatam* O — 26. *uirginis* AV[1] — 27. *ut et*] *et* B[1], *ut* H, *ut ei* Madvig — 28. *obruetur* H — 29. *ualitudinis* H — 31. *haut* A[2]V[2]: *aut* A[1]HV[2] — *nec*] *haec* H — *trib. hoc* BHV: *hoc trib.* A(?)O — 32. *integre* V[1] — *est corporis* AHV: *est anime corporis* B, sed *anime* expunctum; *corporis est* O, ipse *corporis* inclusi — 35. *sint* AV et B sup. lin.: *sunt* B[1]HO; cf. II, § 101 — *homine*• B; cf. II, § 101 — *quod* AH — 36. *futurum sit* H.

censent esse suae maiestatis praesignificare hominibus quae sunt futura, aut ea ne ipsi quidem di significare possunt. At neque non diligunt nos — sunt enim benefici generique hominum amici —, neque ignorant ea, quae ab ipsis constituta et designata sunt, neque nostra nihil interest scire ea, quae eventura sint — erimus enim cautiores, si sciemus — neque hoc alienum ducunt maiestate sua — nihil est enim beneficentia praestantius —, neque non possunt futura praenoscere. 83. Non igitur sunt di nec significant futura. Sunt autem di, significant ergo. Et non, si significant, nullas vias dant nobis ad significationis scientiam — frustra enim significarent —, nec, si dant vias, non est divinatio: est igitur divinatio.»

XXXIX. 84. Hac ratione et Chrysippus et Diogenes et Antipater utitur. Quid est igitur cur dubitandum sit quin sint ea, quae disputavi, verissima, si ratio mecum facit, si eventa, si populi, si nationes, si Graeci, si barbari, si maiores etiam nostri, si denique hoc semper ita putatum est, si summi philosophi, si poetae, si sapientissimi viri, qui res publicas constituerunt, qui urbes condiderunt? An dum bestiae loquantur exspectamus, hominum consentiente auctoritate contenti non sumus? 85. Nec vero quicquam aliud adfertur, cur ea, quae dico, divinandi genera nulla sint, nisi quod difficile dictu videtur quae cuiusque divinationis ratio, quae causa sit. Quid enim habet haruspex cur pulmo incisus etiam in bonis extis dirimat tempus et proferat diem? quid augur cur a dextra corvus, a sinistra cornix faciat ratum? quid astrologus cur stella Iovis aut Veneris coniuncta cum Luna ad ortus puerorum salutaris sit, Saturni Martisve contraria? Cur autem deus dormientes nos moneat, vigilantes neglegat? Quid deinde causae est cur Cassandra furens futura prospiciat, Priamus sapiens hoc idem facere non queat? 86. Cur fiat quidque quaeris? Recte omnino, sed non nunc id agitur: fiat necne fiat, id quaeritur. Ut, si magnetem lapidem esse dicam, qui ferrum ad se adliciat et trahat, rationem cur id fiat adferre nequeam, fieri omnino neges. Quod idem facis in divinatione, quam et cernimus ipsi et audimus et legimus et a patribus accepimus. Neque ante philosophiam patefactam, quae nuper inventa est, hac de re com-

1. *sint* H — 2. *dii* corr. in *di* A — post *neque* est in A maior lacuna, neque tamen quicquam deest — *non* om. H — 3. *hominū* (*nū* in ras. m. sec.) *neque* (om. *amici*) A — *ignorare* H — 4. *nostram nihil interesse* H — 5. *uentura* H — *sint* ABV: *sunt* HO — 6. *neque enim hoc* B[1]H — 7. *beneficientia* BH, cf. II, § 126 — *praestantus* A corr. ex *praestanteis* — *praenoscere* C: *praesignificare, praemonstrare, praedicere* aut aliud verbum eius modi significationis bene requirit Iortinus in miscell. observv. p. 8. Cum tamen idem error infra II, §§ 102 et 105 recurrat, Ciceronem reprehendere quam corrigere satius est. — 8. *igitur et sunt* Lambinus — 9. *et non si* Lambinus: *et si non* C — 10. *non non est* ABV — 13. *cur* sup. lin. B — *quin*] *cum* H — *ea* sup. lin. A — 14. *si* ante *euenta* om. B — *euenta* B, sed *a* in ras. duarum litterarum — 15. vv. *si denique hoc semper ita putatum est* post vv. *urbes condiderunt* transponenda esse Hottingerus censuit — *hoc ita semper* H, sed *ita* sup. lin. — 16. fort. *poetae clarissumi* — 18. *contempti* B — 19. *simus* H — 20. *quae cuius quae* A — 23. *cur a*] *quid a* B[1], sed corr. 1 m. — Probus p. 25 Keil: *ut Cicero diuinarum: Quorum a dextra corvus, a sinistra cornix facit augurium.* — 25. *puerorom* A[1] — 26. *est* P. Victorius: *sit* C — 27. *furens* om. H — 28. *quid queris* H — 29. *necne*] *nec* H — 30. *adliceat* HV — *trahat* ABH: *trahat at* V, sed *at* sup. lin., *attrahat* exc. Pith. et O — 31. *nequeo* H — *neges?* O; signum interrogationis tollendum esse docuit Madvig ad Cic. de finn. p. 531 — 33. *philosofia patefacta* H — *hac*] *ac* H.

munis vita dubitavit, et, postea quam philosophia processit, nemo aliter philosophus sensit, in quo modo esset auctoritas. 87. Dixi de Pythagora, de Democrito, de Socrate; excepi de antiquis praeter Xenophanem neminem; adiunxi veterem Academiam, Peripateticos, Stoicos: unus dissentit Epicurus. Quid vero hoc turpius quam quod idem nullam censet gratuitam esse virtutem?

XL. Quis est autem quem non moveat clarissumis monumentis testata consignataque antiquitas? Calchantem augurem scribit Homerus longe optumum eumque ducem classium fuisse ad Ilium, auspiciorum credo scientia, non locorum. 88. Amphilochus et Mopsus Argivorum reges fuerunt, sed idem augures, iique urbis in ora marituma Ciliciae Graecas condiderunt. Atque etiam ante hos Amphiaraus et Tiresias, non humiles et obscuri neque eorum similes, ut apud Ennium est,

Qui sui quaestus causa fictas suscitant sententias,

sed clari et praestantes viri [qui] avibus et signis admoniti futura dicebant. Quorum de altero etiam apud inferos Homerus ait solum sapere, ceteros umbrarum vagari modo. Amphiaraum autem sic honoravit fama Graeciae, deus ut haberetur, atque ut ab eius solo, in quo est humatus, oracla peterentur. 89. Quid? Asiae rex Priamus nonne et Helenum filium et Cassandram filiam divinantes habebat, alterum auguriis, alteram mentis incitatione et permotione divina? Quo in genere Marcios quosdam fratres, nobili loco natos, apud maiores nostros fuisse scriptum videmus. Quid? Polyidum Corinthium nonne Homerus et aliis multa et filio ad Troiam proficiscenti mortem praedixisse commemorat? Omnino apud veteres, qui rerum potiebantur, idem auguria tenebant. Ut enim sapere, sic divinare regale ducebatur. Testis est nostra civitas, in qua et reges augures et postea privati, eodem sacerdotio praediti, rem publicam religionum auctoritate rexerunt. XLI. 90. Eaque divinationum ratio ne in barbaris quidem gentibus neglecta est, si quidem et in Gallia Druidae sunt, e quibus ipse Divitiacum Haeduum hospitem tuum laudatoremque cognovi, qui et naturae rationem, quam φυσιολογίαν Graeci appellant, notam esse sibi profitebatur et partim auguriis, partim coniectura quae essent futura dicebat, et in Persis augurantur et divinant magi, qui congregantur in fano commentandi causa atque inter se conloquendi, quod etiam idem vos quondam facere Nonis solebatis. 91. Nec quisquam rex Persarum potest esse, qui non ante magorum disciplinam scientiamque perceperit. Licet autem videre et genera quae-

---

1. *uitae dubitabit* H — 2. *sensi* H — 4. *adiuncxi* A — 5. *Quid vero? hoc turpius* O — 7. *clarissumus* V — 9. *optumitur* H — *eundemque* Hottinger — *classicim* V^1 — *ad Ilium* Guilelmus (ex Hom. Il. I, 71): *ad illum* B^1H, *at dillum* B^2, *at illum* AV — *auspicorum* H — 11. *iidem* O — *iique*] *que* A^1 — 13 et 22. *aput* A — 14. *factas suscitam* V^1 — 15. *qui* delendum esse vidit Madvig — *uisibus et* H — 17. *autem* om. H — 18. *ab eo loco* malebat Moser, coll. Val. Max. VIII, 15, ext. 3 — *in quo est humatus* spuria visa sunt Hottingero — 19. *oracula* O — *paterentur* B^1 — 23. *Polyidum* Marsus: *polybum* C; cf. Hom. Il. XIII, 633 — *corinthum* H — 25. *idem* ABV: *.i.* H, *iidem* O — *auguriam* H — 26. *ducebatur. Testis* Auratus: *ducebant* (*tenebant* A) *ut testis* C, *ducebant. Testis* O cum Hottingero — 28. *religionem* B — 30. *druidae* V^2: *dryadae* AV^1, *driadae* B, *triadae* H — *diuiciacum* A, *diuiaticum* H — *Aeduum* O — 31. *physiologiam* vel *phisiologiam* C — 32. *sibi esse* H — *auguris* A^1 — 33. *dicebant* H — *et* om. A^1 — *in* om. B^1.

dam et nationes huic scientiae deditas. Telmesus in Caria est, qua in urbe excellit haruspicum disciplina. Itemque Elis in Peloponneso familias duas certas habet, Iamidarum unam, alteram Clutidarum, haruspicinae nobilitate praestantes. In Syria Chaldaei cognitione astrorum sollertiaque ingeniorum antecellunt. 92. Etruria autem de caelo tacta scientissume animadvertit, eademque interpretatur quid quibusque ostendatur monstris atque portentis. Quocirca bene apud maiores nostros senatus tum, cum florebat imperium, decrevit ut de principum filiis X ex singulis Etruriae populis in disciplinam traderentur, ne ars tanta propter tenuitatem hominum a religionis auctoritate abduceretur ad mercedem atque quaestum. Phryges autem et Pisidae et Cilices et Arabum natio avium significationibus plurimum obtemperant, quod idem factitatum in Umbria accepimus.

XLII. 93. Ac mihi quidem videntur e locis quoque ipsis, qui a quibusque incolebantur, divinationum opportunitates esse ductae. Etenim Aegyptii et Babylonii in camporum patentium aequoribus habitantes, cum ex terra nihil emineret, quod contemplationi caeli officere posset, omnem curam in siderum cognitione posuerunt; Etrusci autem, quod religione inbuti studiosius et crebrius hostias immolabant, extorum cognitioni se maxume dediderunt, quodque propter aëris crassitudinem de caelo apud eos multa fiebant et quod ob eandem causam multa inusitata partim e caelo, alia ex terra oriebantur, quaedam etiam ex hominum pecudumve conceptu et satu, ostentorum exercitatissimi interpretes exstiterunt. Quorum quidem vim, ut tu soles dicere, verba ipsa prudenter a maioribus posita declarant. Quia enim ostendunt, portendunt, monstrant, prodicunt, ostenta, portenta, monstra, prodigia dicuntur. 94. Arabes autem et Phryges et Cilices, quod pastu pecudum maxume utuntur, campos et montes hieme et aestate peragrantes, propterea facilius cantus avium et volatus notaverunt. Eademque et Pisidiae causa fuit et huic nostrae Umbriae. Tum Caria tota praecipueque Telmeses, quos ante dixi, quod agros uberrumos maximeque fertiles incolunt, in quibus multa propter fecunditatem fingi gignique possunt, in ostentis animadvertendis diligentes fuerunt.

XLIII. 95. Quis vero non videt in optuma quaque re publica plurimum auspicia et reliqua divinandi genera valuisse? Quis rex umquam

---

1. *telmesus* ABV: *tedmesuis* H. *Telmessus* O; cf. § 94 — 2. *familias die certas* AHV, sed *cert* H in ras. — 3. *Iamidarum*] *iam indarum* C — syllabae *rum unam alteram* in B sup. lin. additae — *Clutidarum* Lambinus: *glutidarum* C, *Clytidarum* O cum Ursino — 6. *interpraetatione quod quibusque* H — 7. *aput* H — 8. *con* B[1] — fort. *imperio* — 9. *X ex* scripsi: *sex* CO, *seni* malebat Orelli; *ut deni principum filii ex sing.* Madvig; cf. Val. Max. I, 1, 1. — *extruriae* A[1] — *nec ars* H — 10. *a* om. H — *abducerentur* A[1] — 11. *friges autem et fiside* A, in quo eius loco quod est *ph* fere semper *f* scriptum est — 12. *plurimus* A[1] — *idem*] *ita* H — 14. *hac mihi* A, *at mihi* H — 15. *oportunitates* AH — *etenim* Manutius: *ut enim* C, ut item erratum est § 130 — 16. *et* Manutius: *ut* C — 16. *ecoribus* A[1] — 17. *contemplatione* BHV — 18. *possit* C — *in* om. H — 19. *imbuti studiosius, crebrius* Herelius — *hostia* A[1] — 21. *aput* A, ut fere semper — *feriebantur* Iortinus — *inuisitata* B, sed altera *i* in ras. — 22. *partim* om. B — 23. *et satu* om. V et multi codd. dett. — *ostentorum* ABH: *tentorum* V[1], *portentorum* V[2]O — 26. *prodicunt* Lambinus: *praedicunt* CO — 30. *telmeses* A: *tedmeses* H, *telmesses* BVO — 34. *non* A sup. lin. m. 1.

fuit, quis populus, qui non uteretur praedictione divina? neque solum in pace, sed in bello multo etiam magis, quo maius erat certamen et discrimen salutis. Omitto nostros, qui nihil in bello sine extis agunt, nihil sine auspiciis domi habent: externa videamus. Namque et Athenienses omnibus semper publicis consiliis divinos quosdam sacerdotes, quos μάντεις vocant, adhibuerunt, et Lacedaemonii regibus suis augurem adsessorem dederunt, itemque senibus — sic enim consilium publicum appellant — augurem interesse voluerunt, idemque de rebus maioribus semper aut Delphis oraclum aut ab Hammone aut a Dodona petebant. 96. Lycurgus quidem, qui Lacedaemoniorum rem publicam temperavit, leges suas auctoritate Apollinis Delphici confirmavit. Quas cum vellet Lysander commutare, eadem est prohibitus religione. Atque etiam qui praeerant Lacedaemoniis, non contenti vigilantibus curis, in Pasiphaae fano, quod est in agro propter urbem, somniandi causa excubabant, quia vera quietis oracla ducebant. 97. Ad nostra iam redeo. Quotiens senatus decemviros ad libros ire iussit! quantis in rebus quamque saepe responsis haruspicum paruit! nam et cum duo visi soles essent et cum tres lunae et cum faces et cum sol nocte visus esset et cum e caelo fremitus auditus et cum caelum discessisse visum esset atque in eo animadversi globi, delata etiam ad senatum labe agri Privernatis, cum ad infinitam altitudinem terra desidisset Apuliaque maximis terrae motibus conquassata esset, quibus portentis magna populo Romano bella perniciosaeque seditiones denuntiabantur. Inque his omnibus responsa haruspicum cum Sibyllae versibus congruebant. 98. Quid? cum Cumis Apollo sudavit, Capuae Victoria? quid? ortus androgyni nonne fatale quoddam monstrum fuit? quid? cum fluvius Atratus sanguine fluxit? quid? cum saepe lapidum, sanguinis non numquam, terrae interdum, quondam etiam lactis imber defluxit? quid? cum in Capitolio ictus Centaurus e caelo est, in Aventino portae et homines, Tusculi aedes Castoris et Pollucis Romaeque Pietatis? Nonne et haruspices ea responderunt, quae evenerunt, et in Sibyllae libris eaedem repertae praedictiones sunt?

---

2. *multoque magis* H — *et discrimen* om. V — 4. *domi habent* scripsi: *domi habent auspicia* B, *dum habent* (*haberent* H) *auspicia* AHV; *domi habent ausp.* Davisio auctore O seclusit, *habent ausp.* delevit Schuetz. In verbis *nihil sine ausp. domi habent* cogitandum est de censu, contionibus, comitiis, quae *haberi*, non *agi* dicuntur. — *externa* A, sed *ex* in ras. — *namque ex* V — 6. *mantis* C — *uocant* om. H — *adhiberunt* A[1] — 8. *iidemque* O — *rebus* A corr. ex *regibus* — 9. *a delfis* B, sed *a* sup. lin. — *aut ab* A[2]B[2]V: *ut ab* A[1], *ab* B[1], *ut aut ab* H — *a* B sup. lin. — 12. *prohibitus pro religione* H — 13. *pasiphae* HV, *pasiphe* B, *pasife* A — 14. *fano*] *domo* H — *excubabant* C (sed H *excubant*): *incubabant* O cum Manutio — 15. *oracula* O; in A est *oracla*, sed cum virgula litterae *l* addita, ut saepius in hac voce, unde forma *oraclum* non ubique certa videtur — *oracla uera ducebant* (sine *quietis*) H — *nostram* H — *quoties* O — 16. *quantis - - paruit*, quae verba codd. in fine § 98 habent, huc reponenda esse vidit Davisius — 17. *essent aut cum* H — 19. *dissessisse* H — *visum esset* Moser: *visum est* CO — 20. *labe* Ernesti et Madvig (commate post *globi* posito): *labes* CO (*globi. Delata etiam - - labes* O) — *desidisset* AB: *disidisset* H, *desedisset* V(?)O — *apulia* H — 23. *sediciones* A — *denunciabantur: in his omnibus* Ernesti — 24. *sibillae* AH, ut fere semper — *quid cum is* H — 25. *ortos* V — 26. *cum* Herelius: *quod* C, corruptum ex *quom* — *Atratus* Marsus: *atratus* C, ut edidit Moserus — 28. *defluxit* dett. pauci: *effluxit* C — 29. *e* B corr. ex *ine* — *auentione* V — 30. *respondebunt* V — 32. *sunt quotiens senatus decem*

XLIV. 99. Caeciliae Q. filiae somnio modo Marsico bello templum est a senatu Iunoni Sospitae restitutum. Quod quidem somnium Sisenna cum disputavisset mirifice ad verbum cum re convenisse, tum insolenter, credo ab Epicureo aliquo inductus, disputat somniis credi non oportere. Idem contra ostenta nihil disputat exponitque initio belli Marsici et deorum simulacra sudavisse et sanguinem fluxisse et discessisse caelum et ex occulto auditas esse voces, quae pericula belli nuntiarent, et Lanuvii clipeos, quod haruspicibus tristissumum visum esset, a muribus esse derosos. 100. Quid? quod in annalibus habemus, Veienti bello, cum lacus Albanus praeter modum crevisset, Veientem quendam ad nos hominem nobilem perfugisse eumque dixisse ex fatis, quae Veientes scripta haberent, Veios capi non posse, dum lacus is redundaret, et, si lacus emissus lapsu et cursu suo ad mare profluxisset, perniciosum populo Romano: sin autem ita esset eductus, ut ad mare pervenire non posset, tum salutare nostris fore. Ex quo illa mirabilis a maioribus Albanae aquae facta deductio est. Cum autem Veientes bello fessi legatos ad senatum misissent, tum ex iis quidam dixisse dicitur non omnia illum transfugam ausum esse senatui dicere: in isdem enim fatis scriptum Veientes habere, fore ut brevi a Gallis Roma caperetur, quod quidem sexennio post Veios captos factum esse videmus.

XLV. 101. Saepe etiam et in proeliis Fauni auditi et in rebus turbidis veridicae voces ex occulto missae esse dicuntur: cuius generis duo sint ex multis exempla, sed maxuma. Nam non multo ante urbem captam exaudita vox est a luco Vestae, qui a Palatii radice in novam viam devexus est, «ut muri et portae reficerentur: futurum esse, nisi provisum esset, ut Roma caperetur.» Quod neglectum, cum caveri poterat, post acceptam illam maximam cladem expiatum est. Ara enim Aio Loquenti, quam saeptam videmus, exadversus eum locum consecrata est. Atque etiam scriptum a multis est, cum terrae motus factus esset, ut sue plena procuratio fieret, vocem ab aede Iunonis ex arce extitisse: quocirca Iunonem illam appellatam Monetam. Haec igitur et a dis significata et a nostris maioribus iudicata contemnimus? 102. Neque solum deorum voces Pythagorei observitaverunt, sed etiam hominum, quae vocant omina. Quae maiores nostri quia valere censebant, idcirco om-

---

uiros ad libros ire iussit quantis in rebus quamq. saepe responsis aruspicum paruit caeciliae C; v. supra ad v. 16 — 1. *q. f.* AB, *que* HV — 2. *iunonis hospite* BH — *restitum* B — 3. *uenisse* A^1 — *tum* C: *tamen* Ursinus — 4. *epicuro* B — 5. *idemque* H — *belli marsici initio* H — 7. *ocullo* A^1 — *lanuini* V, *lanuii* B, sed *ii* in ras. — 8. *clipeum* H, *clypeos* O — *tristis sumum* A — 9. *ueienti* A^2B^2V: *ueiecti* A^1, *uegente* B^1, *uergenti* H — 10. *ueiectem* A^1, *uenientem* B^1, *uetentem* H — 11. *homines* B^1 — *perfugissem* B^1, *profugisse* edd. vett. — *et fatis* V — *ueientis* V, *ueietes* A^1, *uegentes* B^1, *uetentes* H — 12. *scribta* A — *uei eos* V — 12. *is*] *his* B — 13. *labsu* A — *fluxisset* B — 14. *populum* B — *esset* om. H — 15. *fere* V^1 — *mirabilis* C: *admirabilis* codd. Moseri et O — 16 et 19. *ueiectes* A^1 — *fesse* A — 17. *ex is* B^1, *ex his* AB^2HVO — 18. *hisdem* ABH, *iisdem* O — *scribtum* A — 21. *turbidi* V^1 — 22. *uiridicae* BV — 23. *sint* Madvig: *sunt* CO. «In vulgata mirum est loquendi genus, duo esse exempla ex multis (sic absolute). Scrib. *duo sint* (id est, hoc loco ponantur) *ex multis exempla, sed maxima.*» — *non* om. H — 25. *reficentur* H — 26. *cum* om. B^1, *tum* AV — 27. *expiatum* Davisius (ex Liv. V, c. 50): *explicatum* C — 28. *septem* V — *consecratur* H — 29. *scribtum* A — *est* A sup. lin. — 30. *suae* BH — 31. *igitur a* H — 32. *indicata* V^2 — 34. *iccirco* H.

nibus rebus agendis, «Quod bonum, faustum, felix fortunatumque esset,» praefabantur, rebusque divinis, quae publice fierent, ut «faverent linguis,» imperabatur, inque feriis imperandis, ut «litibus et iurgiis se abstinerent.» Itemque in lustranda colonia ab eo, qui eam deduceret, et cum imperator exercitum, censor populum lustraret, bonis nominibus qui hostias ducerent, eligebantur. Quod idem in dilectu consules observant, ut primus miles fiat bono nomine. 103. Quae quidem a te scis et consule et imperatore summa cum religione esse servata. Praerogativam etiam maiores omen iustorum comitiorum esse voluerunt. XLVI. Atque ego exempla ominum nota proferam. L. Paulus consul iterum, cum ei bellum ut cum rege Perse gereret obtigisset, ut ea ipsa die domum ad vesperum rediit, filiolam suam Tertiam, quae tum erat admodum parva, osculans animum advertit tristiculam. «Quid est» inquit, «mea Tertia? quid tristis es?» «Mi pater» inquit, «Persa periit.» Tum ille artius puellam conplexus, «Accipio» inquit, «mea filia, omen»; erat autem mortuus catellus eo nomine. 104. L. Flaccum, flaminem Martialem, ego audivi cum diceret Caeciliam Metelli, cum vellet sororis suae filiam in matrimonium conlocare, exisse in quoddam sacellum ominis capiendi causa, quod fieri more veterum solebat. Cum virgo staret et Caecilia in sella sederet neque diu ulla vox exstitisset, puellam defatigatam petisse a matertera ut sibi concederet, paulisper ut in eius sella requiesceret: illam autem dixisse «Vero, mea puella, tibi concedo meas sedes.» Quod omen res consecuta est. Ipsa enim brevi mortua est, virgo autem nupsit cui Caecilia nupta fuerat. Haec posse contemni vel etiam rideri praeclare intellego, sed id ipsum est deos non putare, quae ab iis significantur contemnere.

XLVII. 105. Quid de auguribus loquar? Tuae partes sunt; tuum, inquam, auspiciorum patrocinium debet esse. Tibi App. Claudius augur consuli nuntiavit, addubitato Salutis augurio bellum domesticum triste ac turbulentum fore: quod paucis post mensibus exortum paucioribus a te est diebus oppressum. Cui quidem auguri vehementer adsentior. Solus enim multorum annorum memoria non decantandi augurii, sed divinandi tenuit disciplinam. Quem inridebant collegae tui eumque tum Pisidam, tum Soranum augurem esse dicebant. Quibus nulla videbatur in auguriis aut praesensio aut scientia veritatis futurae, sapienter aiebant ad opinionem imperitorum esse fictas religiones. Quod longe secus est; neque enim in pastoribus illis, quibus Romulus praefuit, nec in ipso

---

3. *inperandis* A — 4. *uirgis* H — *itemque illustranda* H — *eo* om. H — *quietam deduceret* H — 6. *qui*] *quid* H — *dilectu* B: *dilecto* A H V, *delectu* O — 7. *primus -- bono* om. H — 8. *scis* C: *scio* Cobetus in Mnemosyne V, 247 — *summa religione* V(?) O — 9. *omen* B: *omnes* A H V — 10. *ego* om. H, *ergo* A¹ — *hominum* A H — 11. *persarum* H — *oblisgisset* A, *oblisgessit* V — 12. *redigit* H — *terciam* B — *tum* om. H — 13. *animum* (*animam* B¹) *aduertit* A¹ B H¹ V¹: *animaduertit* A² H² V² O — 14. *mea Tertia -- inquit* om. H — *inquid* A, item paulo post — 15. *perit* A¹ B V — *accepio* A¹, *accepiō* H, *accepiomen* V — 16. *omnem* H — *autem* om. H — 17. *marcialem* A H — *cumidiceret* A¹ — 18. *uellet* om. A¹ — *sui* B — 24. *nubsit* A — 25. *nubta* A — 26. *id* om. B¹ H V — *his* B, *hiis* V — 28. *hospiciorum* V — *App.* Manutius (coll. II, § 35): *P.* C — 29. *domesticum bellum* H — 30. *a te*] *ante* H — 34. *esse augurem* H — 35. *aut praesensio* C (sed V¹ *praesensia*): *aut auspiciis praesensio* codd. dett. et O, item V m. 2 in marg. — *aut scientia* om. V — *agebant* C, sed *aiebant* in B V corr. — 36. *imperatorum* V¹ — *fictam* H — 37. *romulis* A¹.

Romulo haec calliditas esse potuit, ut ad errorem multitudinis religionis simulacra fingerent. Sed difficultas laborque discendi disertam neglegentiam reddidit. Malunt enim disserere nihil esse in auspiciis quam quid sit ediscere. 106. Quid est illo auspicio divinius, quod apud te in Mario est? ut utar potissumum auctore te:

Hic Iovis altisoni subito pinnata satelles
Arboris e trunco serpentis saucia morsu
Subrigit, ipsa feris transfigens unguibus, anguem
Semianimum et varia graviter cervice micantem.
Quem se intorquentem lanians rostroque cruentans,
Iam satiata animos, iam duros ulta dolores,
Abiecit ecflantem et laceratum adfligit in unda,
Seque obitu a solis nitidos convertit ad ortus.
Hanc ubi praepetibus pinnis lapsuque volantem
Conspexit Marius, divini numinis augur,
Faustaque signa suae laudis reditusque notavit,
Partibus intonuit caeli pater ipse sinistris.
Sic aquilae clarum firmavit Iuppiter omen.

XLVIII. 107. Atque ille Romuli auguratus pastoralis, non urbanus fuit, nec fictus ad opiniones inperitorum, sed a certis acceptus et posteris traditus. Itaque Romulus augur, ut apud Ennium est, cum fratre item augure,

Curantes magna cum cura concupientes
Regni dant operam simul auspicio augurioque.
Hinc Remus auspicio se devovet atque secundam
Solus avem servat. At Romulus pulcher in alto
Quaerit Aventino, servat genus altivolantum.
Certabant urbem Romam Remoramne vocarent.
Omnibus cura viris uter esset induperator:
Exspectant veluti, consul quom mittere signum
Volt, omnes avidi spectant ad carceris oras,
108. Quam mox emittat pictis e faucibus currus:
Sic exspectabat populus atque ore timebat
Rebus, utri magni victoria sit data regni.

---

1. *caliditas* B — *esse* om. V — 2. *desertam* A[1] — 3. *malint* H — *auspicis* A — 6. *pennata* V[2] — 8. *subrigit* Lachmann (ad Lucret. p. 35): *Subigit* B H V O, *Subiit* A — 9. *semanimum* A[1]B[1], *sedanimum* H — *minantem* Wakefield — 11. *satiat* H — *ultra* H — 12. *Abiecit* AV: *Abiicit* O, cf. Lachm. ad Lucr. p. 128 — *ecflantem* AB (*ecf* B in ras.): *efflantem* HVO — *in undas* Lambinus — 14. *pennis* B V[2] — 16. *fastaque* V[1] — 20. *a ceteris* H, *a certantibus* Hottinger — 21. *augur* A sup. lin. — *cum cum fratre* B — 23. *Certantes* Ciofanus ex codice, ut ait — *curatum* (*curatim* H) *cupientes* C — 24. *auspicio imperioque* Giese — 25. *Hinc* ed. Iuntina: *in monte* C, *hic* Victorius. Vahlenius eiectis verbis *in monte* versum totum et initium alterius intercidisse parum probabiliter statuit — *deuoueratque* AHV (sed AH *quae*) — 26. *auem* B: *autem* AHV — *romolus* H[1] — *pulcer* O — 27. *seruat* C: *seruans* cod. Ciofani et O; fortasse: *At Romulus pulcher in alto Monte Palatino quaerit genus altivolantum.* — *alteuolantum* C, ut libri Lucretii V, 433 — 28. *romam remoramne* AV: *romam rem**amne* B, *romam remoram neque* H, *Romamne Remamne* O — 29. *omnibus* C: *omnis* O, ut in V correctum est — *indit perator* H — 30. *quom mittere* Vahlen (in praefat. ad Ennii rell.): *committere* A B[2], *cum mittere* B[1]H V O — 31. *uult* BH — *audi* H — *oris* V[1] — 32. *Quam* Erlang.: *Qua* C — 33. *ore timebat* C (sed H *timebant*): *ora tenebat* dett. aliquot et O.

Interea sol albus recessit in infera noctis;
Exin candida se radiis dedit icta foras lux,
Et simul ex alto longe pulcherruma praepes
Laeva volavit avis. Simul aureus exoritur sol,
Cedunt de caelo ter quattuor corpora sancta
Avium, praepetibus sese pulchrisque locis dant.
Conspicit inde sibi data Romulus esse priora,
Auspicio regni stabilita scamna solumque.

XLIX. 109. Sed ut unde huc digressa est, eodem redeat oratio: si nihil queam disputare quam ob rem quidque fiat, et tantum modo fieri ea, quae commemoravi, doceam, parumne Epicuro Carneadive respondeam? Quid? si etiam ratio exstat artificiosae praesensionis facilis, divinae autem paulo obscurior? quae enim extis, quae fulgoribus, quae portentis, quae astris praesentiuntur, haec notata sunt observatione diuturna. Adfert autem vetustas omnibus in rebus longinqua observatione incredibilem scientiam: quae potest esse etiam sine motu atque inpulsu deorum, cum, quid ex quoque eveniat et quid quamque rem significet, crebra animadversione perspectum est. 110. Altera divinatio est naturalis, ut ante dixi; quae physica disputandi subtilitate referenda est ad naturam deorum, a qua, ut doctissimis sapientissimisque placuit, haustos animos et libatos habemus, cumque omnia completa et referta sint aeterno sensu et mente divina, necesse est contagione divinorum animos humanos commoveri. Sed vigilantes animi vitae necessitatibus serviunt diiunguntque se a societate divina vinclis corporis inpediti. 111. Rarum est quoddam genus eorum, qui se a corpore avocent et ad divinarum rerum cognitionem cura omni studioque rapiantur. Horum sunt auguria non divini impetus, sed rationis humanae: nam et natura futura praesentiunt, ut aquarum eluviones et deflagrationem futuram aliquando caeli atque terrarum. Alii autem in re publica exercitati, ut de Atheniensi Solone accepimus, orientem tyrannidem multo ante prospiciunt: quos prudentes possumus dicere, id est providentes, divinos nullo modo possumus, non plus quam Milesium Thalem, qui, ut obiurgatores suos convinceret ostenderetque etiam philosophum, si ei commodum esset, pecuniam facere posse, omnem oleam, antequam florere coepisset, in agro Milesio coëmisse dicitur. 112. Animadverterat fortasse quadam

---

1. Hunc versum post vers. *Regni* p. 514, 24 transponit Bergk in Quaestt. Ennianarum spec. novo (Halae, 1860). — *in* om. A[1] — 2. *acta* Wakefield — *slux* A — 3. *pulcerrima* O — 4. *auis et simul* AHV[1] — *avis. Simul a. exoritur sol*| *cedunt* distinxi: *avis: simul a. exoritur sol. Cedunt* vulgo — 5. *quatuor* BHV[2]O, *quattor* Ritschl in mus. rhen. VIII, 309; v. etiam Lachm. ad Lucret. p. 193 — 6. *praepetibus -- dant* Gellius VII, 6 — 7. *priora* B: *propriam* AHV — 8. *stabilita* C: *stabilitaque* cod. Ciofani et O — 9. *sed ut inde* A[1], *sed unde* HO — *degressa* HO — 10. *queam*] *quam* H — *quicque* AB[2]H, *quicquid* B[1] — 11. *epicurei* H — 13. *paulo ante obscurior* H — *fulguribus* O — 15. *uetustatis* H — *longinquae* V[1] — 17. *ex quo*** H — *et* sup. lin. B — 18. *crebra anima aduersione* A, *crebra enim aduersione* H — 19. *suptilitate* V — 21. *libitos* H — *habemus* sup. lin. B — *sunt* C — 22. *contagione* Davisius: *cognitione* C, *cognatione* O, quam lectionem noli defendere coll. I, § 64 — *anima nos* H — 23. *uigilantium* Davisius malebat — *uiuunt iunguntque* H — 24. *disiunguntque* V[2] — 27. *et in natura futura* malim — 28. *eluviones* Turnebus (Advers. V, 23): *fluxiones* ABV, *flexiones* H — *futurarum* V — 29. *athenienses* V[1], *atheniensibus* H — 30. *solenne* H — 31. *id est*] *idem* H — 32. *milesin* H — 34. *coepissent* V — 35. *quo emisso* V[1] — *quandam scientiam* H.

scientia olearum ubertatem fore. Et quidem idem primus defectionem solis, quae Astyage regnante facta est, praedixisse fertur.

L. Multa medici, multa gubernatores, agricolae etiam multa praesentiunt, sed nullam eorum divinationem voco, ne illam quidem, qua ab Anaximandro physico moniti Lacedaemonii sunt ut urbem et tecta linquerent armatique in agro excubarent, quod terrae motus instaret, tum, cum et urbs tota corruit et monte Taygeto extrema montis quasi puppis avolsa est. Ne Pherecydes quidem, ille Pythagorae magister, potius divinus habebitur quam physicus, quod, cum vidisset haustam aquam de iugi puteo, terrae motus dixit instare. 113. Nec vero umquam animus hominis naturaliter divinat, nisi cum ita solutus est et vacuus, ut ei plane nihil sit cum corpore: quod aut vatibus contingit aut dormientibus. Itaque ea duo genera a Dicaearcho probantur et, ut dixi, a Cratippo nostro. Si propterea, quod ea proficiscuntur a natura, sint summa sane, modo ne sola: sin autem nihil esse in observatione putant, multa tollunt, quibus vitae ratio continetur. Sed quoniam dant aliquid idque non parvum vaticinationes cum somniis, nihil est quod cum his magno opere pugnemus, praesertim cum sint qui omnino nullam divinationem probent. 114. Ergo et ii, quorum animi spretis corporibus evolant atque excurrunt foras, ardore aliquo inflammati atque incitati cernunt illa profecto, quae vaticinantes pronuntiant, multisque rebus inflammantur tales animi, qui corporibus non inhaerent, ut ii, qui sono quodam vocum et Phrygiis cantibus incitantur. Multos nemora silvaeque, multos amnes aut maria commovent, quorum furibunda mens videt ante multo quae sint futura. Quo de genere illa sunt:

Eheu videte!
Iudicabit inclitum iudicium inter deas tris aliquis:
Quo iudicio Lacedaemonia mulier, furiarum una, adveniet.

Eodem enim modo multa a vaticinantibus saepe praedicta sunt neque solum verbis, sed etiam

Versibus, quos olim Fauni vatesque canebant.

115. Similiter Marcius et Publicius vates cecinisse dicuntur: quo de genere Apollinis operta prolata sunt. Credo etiam anhelitus quosdam fuisse terrarum, quibus inflatae mentes oracla funderent.

---

7. *monte* A[1] B[1] H: *in monte* A[2] B[2], *e monte* V, *de monte* Salisb., *ex monte* O — *ex Taygeto extrema pars montis* Schuetz — 8. *ne* C: *neque* O — 9. *diuinius* H — *bibisset* Aldobrandini susp. — *haustum* H, *exhaustam* B, sed *ex* in ras. — 10. *motus* C: *motum* codd. dett. et O — *unquam* h. l. A — 12. *sit quod cum* B, sed *quod* deletum — *quod* A corr. ex *quo* — *et vatibus cont. et dorm.* amicus Davisii — 16. *set* A[1] — 17. *uaticiones* H — *magnopere* C — 19. *et hi* (*hii* H) C; de *et* v. Madvig de finn. p. 801 — 20. *illi* Roosii susp. — 21. *quem* H — *praenuntiant* V ex corr., H O — 22. *ut hi* (*hii* H) C — *somno* B[1] — 24. *sint* C: *sunt* Salisb. et O — 26. *et heu* H — 27. *iudicauit* C; *iudicabit* emend. Haupt in Philologo III, 547, qui idem numeros constituit antea de Davisii sententia sic dispositos: *Eheu, videte: iudicavit inclutum* || *Iudicium -- aliquis* || *Quo -- Lacedaemonia* || *Mulier -- adveniet* — *inclitum* A B[1] H: *inclytum* B[2] V, *inclutum* O — *inter* B in marg. — 29. *enim* om. H — 31. *quo solum* A[1] — 32. *quo e genere* H V — 33. *Apollinis Apertae* et hic et II, § 113 Goerenz ex Festo p. 22 M. reponere voluit; verba *quo de genere -- prolata sunt* post *funderent* transponenda esse censuit Meyerus — *hanelitus* A V, *anelitus* H — 34. *afflatae* Herelius; at cf. I, § 12 — *oracula* O.

LI. Atque haec quidem vatium ratio est, nec dissimilis sane somniorum. Nam quae vigilantibus accidunt vatibus, eadem nobis dormientibus. Viget enim animus in somnis liber ab sensibus omnique inpeditione curarum, iacente et mortuo paene corpore. Qui quia vixit ab omni aeternitate versatusque est cum innumerabilibus animis, omnia, quae in natura rerum sunt, videt, si modo temperatis escis modicisque potionibus ita est adfectus, ut sopito corpore ipse vigilet. Haec somniantis est divinatio. 116. Hic magna quaedam exoritur neque ea naturalis, sed artificiosa somniorum Antiphontis interpretatio, eodemque modo et oraclorum et vaticinationum sunt explanatores [ut grammatici poetarum]. Nam ut aurum et argentum, aes, ferrum frustra natura divina genuisset, nisi eadem docuisset quem ad modum ad eorum venas perveniretur, nec fruges terrae bacasve arborum cum utilitate ulla generi humano dedisset, nisi earum cultus et conditiones tradidisset, materiave quid iuvaret, nisi consectionis eius fabricam haberemus: sic cum omni utilitate, quam di hominibus dederunt, ars aliqua coniuncta est, per quam illa utilitas percipi possit. Item igitur somniis, vaticinationibus, oraclis, quod erant multa obscura, multa ambigua, explanationes adhibitae sunt interpretum. 117. Quo modo autem aut vates aut somniantes ea videant, quae nusquam etiam tunc sint, magna quaestio est. Sed explorata si sint ea, quae ante quaeri debeant, sint haec, quae quaerimus, faciliora. Continet enim totam hanc quaestionem ea ratio, quae est de natura deorum, quae a te secundo libro est explicata dilucide. Quam si optinemus, stabit illud, quod hunc locum continet, de quo agimus: esse deos et eorum providentia mundum administrari eosdemque consulere rebus humanis, nec solum universis, verum etiam singulis. Haec si tenemus, quae mihi quidem non videntur posse convelli, profecto hominibus a dis futura significari necesse est. LII. 118. Sed distinguendum videtur quonam modo. Nam non placet Stoicis singulis iecorum fissis aut avium cantibus interesse deum; neque enim decorum est nec dis dignum nec fieri ullo pacto potest: sed ita a principio inchoatum esse mundum, ut certis rebus certa signa praecurrerent, alia in extis, alia in avibus, alia in fulgoribus, alia in ostentis, alia in stellis, alia in somniantium visis,

---

1. *quidem* B sup. lin. — *uatium* C: *uatum* V²O — 3. *enim* om. H — *liber ab sensibus omnique* scripsi: *liberque* (*libetque* H) *sensibus ab omni* C, *liberque est sensibus et omni* praeeunte ex parte Davisio Moser et O; cf. II, § 27 — 4. *omnibus* V — 5. *in* om. H — 6. *modicisque* B corr. m. 2 ex *mundique* — 7. *euigilet* H — 8. *hic* C O: fort. *hinc* — 9. *antiphonis* C, sed supra § 39 *antiphontis* — *oraculorum* A O — 10. *sunt explanatores* Ernesti: *sunt enim explanatores* C; *sunt enim harum rerum explan.* Lambinus, quod probare nolim, cum Antiphon somniorum interpretationes scripserit, vaticinationum non item; in recepta autem lectione verba *eodemque modo* ad ea, quae praecedunt, non ad ea, quae sequuntur, relata esse volo, qua de causa vv. *ut grammatici poetarum* ex § 34 interpolata ratus uncis inclusi. — 11. *et* om. Lamb., ut Iortinus monuit. — *es et ferrum* H — 12. *nisi eadem docuisset* om. H — 13. *generique* H — 14. *materiaue quid* AB: *materiane quid* H, *matheria de quid* V, *materia deinde quid* V²O, *materiave quidquam* Madvig — 15. *consectionis* B V²: *confectiones* AV, *confectionis* H, *consectionibus* malebat Davisius — *haberemus?* O — 16. *di* A²: *dii* C O — 17. *oraculis* B O — 19. *autem uates* (om. *aut*) H — 21. *sunt haec* A¹ — 22. *deorum a te secundo libro explic.* O cum Hottingero — 23. *in secundo* H — 24. *illut* A — *tenet* H — 26. *uniuersus* V¹ — 27. *quem hi quidem* H — 29. *iecorum*] *eorum* H — 31. *mundum esse* H — 32. *praecucurrerent* H — 33. *fulguribus* O — *alia in stellis* om. H.

alia in furentium vocibus. Ea quibus bene percepta sunt, ii non saepe falluntur. Male coniecta maleque interpretata falsa sunt, non rerum vitio, sed interpretum inscientia. Hoc autem posito atque concesso, esse quandam vim divinam hominum vitam continentem, non difficile est, quae fieri certe videmus, ea qua ratione fiant suspicari. Nam et ad hostiam diligendam potest dux esse vis quaedam sentiens, quae est toto confusa mundo, et tum ipsum cum immolare velis, extorum fieri mutatio potest, ut aut absit aliquid aut supersit; parvis enim momentis multa natura aut adfingit aut mutat aut detrahit. 119. Quod ne dubitare possimus, maximo est argumento quod paulo ante interitum Caesaris contigit. Qui cum immolaret illo die, quo primum in sella aurea sedit et cum purpurea veste processit, in extis bovis opimi cor non fuit. Num igitur censes ullum animal, quod sanguinem habeat, sine corde esse posse? Qua ille rei novitate perculsus, cum Spurinna diceret timendum esse ne et consilium et vita deficeret; earum enim rerum utramque a corde proficisci. Postero die caput in iecore non fuit. Quae quidem illi portendebantur a dis immortalibus, ut videret interitum, non ut caveret. Cum igitur eae partes in extis non reperiuntur, sine quibus victuma illa vivere nequisset, intellegendum est in ipso immolationis tempore eas partes, quae absint, interisse. LIII. 120. Eademque efficit in avibus divina mens, ut tum huc, tum illuc volent alites, tum in hac, tum in illa parte se occultent, tum a dextra, tum a sinistra parte canant oscines. Nam si animal omne, ut vult, ita utitur motu sui corporis, prono, obliquo, supino, membraque quocumque vult flectit, contorquet, porrigit, contrahit, eaque ante efficit paene quam cogitat: quanto id deo est facilius, cuius numini parent omnia? 121. Idemque mittit et signa nobis eius generis, qualia permulta historia tradidit, quale scriptum illud videmus: si luna paulo ante solis ortum defecisset in signo Leonis, fore ut armis Dareus et Persae ab Alexandro et Macedonibus [proelio] vincerentur Dareusque moreretur, et, si puella nata biceps esset, seditionem in populo fore, corruptelam et adulterium domi, et, si mulier leonem peperisse visa esset, fore ut ab exteris gentibus vinceretur ea res publica, in qua id contigisset. Eiusdem generis etiam illud est, quod scribit Herodotus Croesi filium, cum esset infans, locutum; quo ostento regnum patris et domum funditus concidisse. Caput arsisse Servio Tullio dormienti, quae historia non prodidit? Ut igitur qui se tradit quieti**

---

1. *uocibus furentium* H — *e quibus* H, *ea a quibus* Halm — *hi* BV, *hii* H, om. A — 3. *interpraetantium* H — *inscientia* C: *inscitia* O — 4. *difficile esse quae si fieri esse uidemus* H — 5. *eaque rat.* H — *ad* om. H — 6. *diligendam* AH: *deligendam* BVO — 7. *ipsum* C: *ipsam* O; *tum cum ipsam* Lamb. — 8. *ut absit* H — 13. *ullam* V¹, *illum* H — *habet* H — 14. *rei* B, sed ι in ras. — *perculsus* C: *percussus* Ernesti et O; *qua illo rei novit. perculso* Davisius, *qua rei novit. perculsus* Hottinger, *qua illa re nova non ita est perculsus* Moser, *qua ille rei novit. non perculsus* Foertsch, item Klotz, sed hic *non est perc.* — 15. *uita efficeret* V¹ — *rerum* om. O operarum errore — *utramque* A B¹H²V: *utrumque* B²H¹O — 17. *ut uideret interitum* om. V — 18. *eae*] *esse* H¹ — *repperiuntur* A — *uictuma* A¹BV: *uictima* A²HO — 20. *interrisse* A — 21. *uelent* V¹ — 22. *occultant* V¹ — *parte* om. H, ut Rath voluit — *hoscines* ABV — 23. *sui* sup. lin A — 25. *eficit* A — 28. *paulo luna* B — *decisset* H — 29. *armis* Orellio, *proelio* Davisio delendum videbatur, *Arbelis* Foertsch — *darius* B²HO — 30 *dariusque* B²HO — *bicebs* H, *bices* V — 35. *concidisset* A — 36. *tradit quieti* scripsi: *tradet ita quieti* C, *tradet quieti* codd. dett. et O.

praeparato animo cum bonis cogitationibus, tum rebus ad tranquillitatem adcommodatis, certa et vera cernit in somnis, sic castus animus purusque vigilantis et ad astrorum et ad avium reliquorumque signorum et ad extorum veritatem est paratior.

LIV. 122. Hoc nimirum est illud, quod de Socrate accepimus quodque ab ipso in libris Socraticorum saepe dicitur, esse divinum quiddam, quod δαιμόνιον appellat, cui semper ipse paruerit, numquam impellenti, saepe revocanti. Et Socrates quidem — quo quem auctorem meliorem quaerimus? — Xenophonti consulenti sequereturne Cyrum, postea quam exposuit quae ipsi videbantur, «Et nostrum quidem» inquit «humanum est consilium, sed de rebus et obscuris et incertis ad Apollinem censeo referundum,» ad quem etiam Athenienses publice de maioribus rebus semper rettulerunt. 123. Scriptum est item, cum Critonis sui familiaris oculum alligatum vidisset, quaesivisse quid esset: cum autem ille respondisset in agro ambulanti ramulum adductum, ut remissus esset, in oculum suum recidisse, tum Socrates: «Non enim paruisti mihi revocanti, cum uterer qua soleo praesagitione divina.» Idem etiam Socrates, cum apud Delium male pugnatum esset Lachete praetore fugeretque cum ipso Lachete, ut ventum est in trivium, eadem qua ceteri fugere noluit. Quibus quaerentibus cur non eadem via pergeret, deterreri se a deo dixit; cum quidem ii, qui alia via fugerant, in hostium equitatum inciderunt. Permulta conlecta sunt ab Antipatro, quae mirabiliter a Socrate divinata sunt: quae praetermittam; tibi enim nota sunt, mihi ad commemorandum non necessaria. 124. Illud tamen eius philosophi magnificum ac paene divinum, quod, cum impiis sententiis damnatus esset, aequissimo animo se dixit mori: neque enim domo egredienti neque illud suggestum, in quo causam dixerat, ascendenti, signum sibi ullum quod consuesset a deo quasi mali alicuius inpendentis datum.

LV. Equidem sic arbitror, etiam si multa fallant eos, qui aut arte aut coniectura divinare videantur, esse tamen divinationem: homines autem ut in ceteris artibus, sic in hac posse falli. Potest accidere ut aliquod signum dubie datum pro certo sit acceptum, potest aliquod latuisse aut ipsum aut quod esset illi contrarium. Mihi autem ad hoc, de quo disputo, probandum satis est non modo plura, sed etiam pauciora divine praesensa et praedicta reperiri. 125. Quin etiam hoc non dubitans dixerim, si unum aliquid ita sit praedictum praesensumque,

---

1. *cum praeparato animo bonis* Hottinger — *tum rebus* om. V — 2. *cernet* Lambinus — 3. *et ad avium et ad extorum reliquorumque signorum* Hottinger, haud scio an recte — 7. *demonion* ABV, *demon* H — 9. *Cyrum* codd. dett. aliquot: *epicurum* C, *et ipse Cyrum* Camerarius — 10. *ipsi* C: *ei* Salisb., *sibi* O — *et* om. cod. Rehdig. ut voluit Hottinger — *inquid* AH — 11. prius *et* om. B²H — 12. *referuntur* B, *referendum* HO — 13. *scribtum* A¹ — *est* om. H — 14. *uidisset alligatum quae fuisse quid* H — *quaesiuisse quid esset* om. A — 17. *praesagatione* C; at cf. § 66 — 18. *duellium* C — 19. *ipso* B sup. lin. — 21. *a deo se* H — *cum* C: *tum* O. «Recte codd. meliores *quum quidem ii* (i. e. quo quidem ii tempore) -- *inciderunt. Tum quidem* ferri non potest; *et tum quidem* ita diceretur, ut plura expectare lector iuberetur de eadem re.» Madvig. — *hi qui* C — 22. *conlecta* P. Victorius (Var. lectt. X, 7): *coniecta* C — 26. *se* om. V — 27. *neque enim illud* B (in A *neque* sup. lin.) — 30. *sic* om. H — 32. *in certis* H — 33. *dubietatum pro* H — 36. *diuina* V² — *reperi* H — 37. *praedictum -- cadat* V m. pr. in marg.

ut, cum evenerit, ita cadat, ut praedictum sit, neque in eo quicquam casu et fortuito factum esse appareat, esse certe divinationem idque esse omnibus confitendum. Quocirca primum mihi videtur, ut Posidonius facit, a deo, de quo satis dictum est, deinde a fato, deinde a natura vis omnis divinandi ratioque repetenda. Fieri igitur omnia fato ratio cogit fateri. Fatum autem id appello, quod Graeci *εἱμαρμένην*, id est ordinem seriemque causarum, cum causae causa nexa rem ex se gignat. Ea est ex omni aeternitate fluens veritas sempiterna. Quod cum ita sit, nihil est factum quod non futurum fuerit, eodemque modo nihil est futurum, cuius non causas id ipsum efficientes natura contineat. 126. Ex quo intellegitur, ut fatum sit non id, quod superstitiose, sed id, quod physice dicitur, causa aeterna rerum, cur et ea quae praeterierunt facta sint et quae instant fiant et quae sequuntur futura sint. Ita fit ut et observatione notari possit quae res quamque causam plerumque consequatur, etiam si non semper — nam id quidem adfirmare difficile est — easdemque causas veri simile est rerum futurarum cerni ab iis, qui aut per furorem eas aut in quiete videant.

LVI. 127. Praeterea cum fato omnia fiant, id quod alio loco ostendetur, si quis mortalis possit esse, qui conligationem causarum omnium perspiciat animo, nihil eum profecto fallat. Qui enim teneat causas rerum futurarum, idem necesse est omnia teneat, quae futura sint. Quod cum nemo facere nisi deus possit, relinquendum est homini ut signis quibusdam consequentia declarantibus futura praesentiat. Non enim illa, quae futura sunt, subito exsistunt, sed est quasi rudentis explicatio, sic traductio temporis nihil novi efficientis et primum quidque replicantis. Quod et ii vident, quibus naturalis divinatio data est, et ii, quibus cursus rerum observando notatus est. Qui etsi causas ipsas non cernunt, signa tamen causarum et notas cernunt: ad quas adhibita memoria et diligentia et monumentis superiorum efficitur ea divinatio, quae artificiosa dicitur, extorum, fulgorum, ostentorum signorumque caelestium. 128. Non est igitur ut mirandum sit ea praesentiri a divinantibus, quae nusquam sint; sunt enim omnia, sed tempore absunt. Atque ut in seminibus vis inest earum rerum, quae ex iis progignuntur, sic in causis conditae sunt res futurae, quas esse futuras aut concitata mens aut soluta somno cernit aut ratio aut coniectura praesentit. Atque ut ii, qui solis et lunae reliquorumque siderum ortus, obitus motusque cognorunt, quo quidque tempore eorum futurum sit multo ante praedicunt, sic qui cursum rerum eventorumque consequen-

---

2. *fortuitu* H — 3. *omnibus* om. H — 6. *autem* om. H — *himarmenen* C — 7. *causae causa (causam* V[1]) C: *causa causae* O — *nexarum* V — 11. *factum* BH — 12. *cur ea* H — 13. *qua instant* V[1] — *et* sup. lin. B — *secuntur* BH, *sequentur* Davisius — 14. *et* om. V — *quamcumque* V — *plurumque* V[1] — 16 *simile est* Manutius: *similes* C (in B posterius *s* ex corr.) — 17. *is* B[1], *his* B[2] — 18. *Propterea* malim — *id quod alio loco ostendetur* Hottinger in suspicionem vocavit — *ostenderes* H — 20. *animo*] *initio* H — *fallit* H, *fallet* V ex corr. — 21. *est* om. H — 24. *enim* om. H — *se est* A[1] — 25. *tradutio* A — *efficientis, sed* Rath — *quicque* AV — 26. *explicantis* Wyttenbach — *hi* ABV, *hii* H, et sic item paulo post — 28. *cernant* B[1] — *ad quis* H — 29. *et mon.* ABH: *ex mon.* V(?) O — 30. fort. *extorum, auium, fulg.* — *fulgurum* O — 32. *divinationibus* H — *nusquam* P. Victorius: *numquam* C — 33. *his* C — 36 *ut* om. H — *hi* ABV, *hii* H — 37. *connorunt* A — *temporum* H.

tiam diuturnitate pertractata notaverunt, aut semper aut, si id difficile est, plerumque, quod si ne id quidem conceditur, non numquam certe quid futurum sit intellegunt. Atque haec quidem et quaedam eiusdem modi argumenta cur sit divinatio ducuntur a fato.

LVII. 129. A natura autem alia quaedam ratio est, quae docet quanta sit animi vis seiuncta a corporis sensibus, quod maxime contingit aut dormientibus aut mente permotis. Ut enim deorum animi sine oculis, sine auribus, sine lingua sentiunt inter se quid quisque sentiat, ex quo fit ut homines, etiam cum taciti optent quid aut voveant, non dubitent quin di illud exaudiant: sic animi hominum, cum aut somno soluti vacant corpore aut mente permoti per se ipsi † liberi incitati moventur, cernunt ea, quae permixti cum corpore [animi] videre non possunt. 130. Atque hanc quidem rationem naturae difficile est fortasse traducere ad id genus divinationis, quod ex arte profectum dicimus, sed tamen id quoque rimatur quantum potest Posidonius. Esse censet in natura signa quaedam rerum futurarum. Etenim Ceos accepimus ortum caniculae diligenter quotannis solere servare coniecturamque capere, ut scribit Ponticus Heraclides, salubrisne an pestilens annus futurus sit. Nam si obscurior et quasi caliginosa stella extiterit, pingue et concretum esse caelum, ut eius adspiratio gravis et pestilens futura sit: sin inlustris et perlucida stella apparuerit, significari caelum esse tenue purumque et propterea salubre. 131. Democritus autem censet sapienter instituisse veteres ut hostiarum immolatarum inspicerentur exta, quorum ex habitu atque ex colore tum salubritatis, tum pestilentiae signa percipi, non numquam etiam, quae sit vel sterilitas agrorum vel fertilitas futura. Quae si a natura profecta observatio atque usus agnovit, multa adferre potuit dies, quae animadvertendo notarentur, ut ille Pacuvianus qui in Chryse physicus inducitur minime naturam rerum cognosse videatur:

Nam isti qui linguam avium intellegunt
Plusque ex alieno iecore sapiunt quam ex suo,
Magis audiendum quam auscultandum censeo.

Cur? quaeso, cum ipse, paucis interpositis versibus, dicas satis luculente:

Quidquid est hoc, omnia animat, format, alit, auget, creat,
Sepelit recipitque in sese omnia omniumque idem est pater,

---

1. *diuturna pertractatione* coni. Davisius — 2. *sinid quidem* A, *sin quidem* V¹ — 3. *intellegant* vel *intelligant* C — *eiusdem modi* C :· *eiusmodi* Erlang., *huiusmodi* O — 4. *diuinatio du*] hic deficit H in hoc libro — *dicuntur* A¹ V¹ — 6. *seiuncti* Madvig. «Sic certe scribere Cicero debuit; nam animus quum seiunxit se a corporis sensibus, magnam vim habet, non animus vim seiunctam etc.» — 9. *uoueant* A corr. ex *uoce* — 11. *mente permota* malebat Moser. *aut in mente permotis per se ipsi libere, incitati moventur* Davisius — *liberi* C: *libere* O cum Davisio, fort. *liberi* [*incitati*] — 12. *moueantur* A¹ — *animi* Manutius glossema esse vidit — 15. *censet* B sup. lin., *Posidonius esse censens* Hottinger — 16. *etenim* Manutius: *ut enim* C, cf. ad I, § 93 — 17. *quodannis* B — 19. *et* codd. dett.: om. C — 20. *aspiratio* B in marg. — *si* V — 21. *apparuit* V — *significare* B — 24. *excolere* V, *colore* (sine *ex*) codd. dett. — 25. *sterelitas* A — 28. *chrysi* A² V, *crysi* A¹, *crisy*∘ B (*qui se* Nonius p. 246, 9) — 30. *isti* C: *istis* Salisb. et O, *stos* cod. Oxon. et Rehdig. — 32. *magis* -- *censeo* Nonius l. c. — 36. *id est* B¹.

Indidemque eadem quae oriuntur de integro aeque eodem occidunt.

Quid est igitur cur, cum domus sit omnium una eaque communis cumque animi hominum semper fuerint futurique sint, cur ii quid ex quoque eveniat et quid quamque rem significet perspicere non possint? Haec habui, inquit, de divinatione quae dicerem.

LVIII. 132. Nunc illa testabor, non me sortilegos neque eos, qui quaestus causa hariolentur, ne psychomantia quidem, quibus Appius amicus tuus uti solebat, agnoscere. Non habeo denique nauci Marsum augurem, non vicanos haruspices, non de circo astrologos, non Isiacos coniectores, non interpretes somniorum. Non enim sunt ii aut scientia aut arte divini,

Sed superstitiosi vates inpudentesque harioli,
Aut inertes aut insani aut quibus egestas imperat,
Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam:
Quibus divitias pollicentur, ab iis drachumam ipsi petunt.
De his divitiis sibi deducant drachumam, reddant cetera.

Atque haec quidem Ennius, qui paucis ante versibus esse deos censet, sed eos non curare opinatur quid agat humanum genus. Ego autem, qui et curare arbitror et monere etiam ac multa praedicere, levitate, vanitate, malitia exclusam divinationem probo. Quae cum dixisset Quintus, «Praeclare tu quidem» inquam «paratus * * *

---

1. *eadem quae* A: *eademque* BHVO — *aeque* Scaliger: *atque* CO — 3. *cur* om. Davisius ex codd. dett. — *unaque communis* Salisb. — 4. *hii* B — 5. *possint* Lambinus: *possunt* C — 6. *inquid* A — 8. *quaestos* A¹ — *ne* codd. dett.: *nec* C — 9. *non habeo denique nauci* codd. dett. aliquot: *non ab eodem sanci* (*sancti* B corr. in *sanxi*) C, *non habeo dein nauci* coni. Davisius; verba inde ab «*non habeo*» numeris includere vario modo viri docti tentaverunt — 10 *isiagos* B — 11. *hi* AV, *hii* B — 13. *Sed* utrum sit Ennii an Ciceronis dubitari posse recte monet Ribbeck — 16. *his* C — *drachmam* B¹O, *dragmam* B²V, *dracmam* A; v. Ritschelium in mus. rhen. novo VII, 559 — 18. *de his* etc.] hunc versum obelo notavit Ribbeck, quamquam talis commenti nullum aliud est in his libris vestigium — *drachumam* AB¹V¹: *dracmam* V², *dragmam* B², *drachmam* O — 20. *quidennius* B¹ — 22. *ac*] *hac* B — 23. *exclusa* O cum Turnebo in Advers. V, 23 — 24. *M̄. TULLII CICERONIS LĪB. I. EXPLICIT V̄S: INCĪP LIBER. II.* A, *M̄. TULLI CICERONIS LIBER PRIMUS EXPLICIT INCIPIT LIBER II. FELICITER.* B, *MI TULLI°° De diuinatione liber I. explīc. Incīp. II.* H, *M. TULLII CICERONIS DE diuinatione LĪB. I. explicitus. IÑC. LIBER SECUNDUS.* V.

M. TULLII CICERONIS

DE DIVINATIONE

LIBER SECUNDUS.

I. 1. Quaerenti mihi multumque et diu cogitanti quanam re possem prodesse quam plurimis, ne quando intermitterem consulere rei publicae, nulla maior occurrebat quam si optimarum artium vias traderem meis civibus: quod conpluribus iam libris me arbitror consecutum. Nam et cohortati sumus ut maxime potuimus ad philosophiae studium eo libro, qui est inscriptus Hortensius, et quod genus philosophandi minime adrogans maximeque et constans et elegans arbitraremur quattuor Academicis libris ostendimus. 2. Cumque fundamentum esset philosophiae positum in finibus bonorum et malorum, perpurgatus est is locus a nobis quinque libris, ut quid a quoque et quid contra quemque philosophum diceretur intellegi posset. Totidem subsecuti libri Tusculanarum disputationum res ad beate vivendum maxime necessarias aperuerunt. Primus enim est de contemnenda morte, secundus de tolerando dolore, de aegritudine lenienda tertius, quartus de reliquis animi perturbationibus, quintus eum locum conplexus est, qui totam philosophiam maxime inlustrat; docet enim ad beate vivendum virtutem se ipsa esse contentam. 3. Quibus [rebus] editis tres libri perfecti sunt de natura deorum, in quibus omnis eius loci quaestio continetur. Quae ut plane esset cumulateque perfecta, de divinatione ingressi sumus his libris scribere, quibus, ut est in animo, de fato si adiunxerimus, erit abunde satis factum toti huic quaestioni. Atque his libris adnumerandi sunt sex de re publica, quos tum scripsimus, cum gubernacula rei publicae tenebamus. Magnus locus philosophiaeque proprius a Platone, Aristotele, Theophrasto totaque Peripateticorum familia tractatus uberrime. Nam quid ego de consolatione dicam? quae mihi quidem ipsi sane aliquantum medetur, ceteris item multum illam profuturam puto. Interiectus est etiam nuper liber is, quem ad nostrum Atticum de senectute misimus. Inprimisque, quo-

---

4. *cumpluribus* B H — *liber* H — 5. *et quo hortati* A — 6. *filosophandi initum me arr.* H — 9. *locus* om. H — 10. *filosophim* H¹ — 11. *dicetur* H — *disputationem res ad beatum* V¹ — 16. *decet* H — *quibus rebus* C; «*rebus* mihi suspectum est, idque aut delendum aut pro eo *libris* scribendum sit, omisso post *libri*». Ern. *quibus libris editis tres libri* O — 18. *omnis* om. H — *pleno* V²O — 20. *aduxerimus* H — 21. *ad numerandis ex* H — 22. *tum* ABV: *cum* H, *tunc* O — *scribsimus* A — 25. *cane* H¹ — *aliquantulum* Sal. — 26. *liber is* A, sed *er is* in ras., *libris* V.

niam philosophia vir bonus efficitur et fortis, Cato noster in horum librorum numero ponendus est. 4. Cumque Aristoteles itemque Theophrastus, excellentes viri cum subtilitate tum copia, cum philosophia dicendi etiam praecepta coniunxerint, nostri quoque oratorii libri in eundem librorum numerum referendi videntur: ita tres erunt de Oratore, quartus Brutus, quintus Orator.

II. Adhuc haec erant; ad reliqua alacri tendebamus animo, sic parati, ut, nisi quae causa gravior obstitisset, nullum philosophiae locum esse pateremur, qui non Latinis litteris inlustratus pateret. Quod enim munus rei publicae adferre maius meliusve possumus, quam si docemus atque erudimus iuventutem? his praesertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrenanda ac coercenda sit. 5. Nec vero id effici posse confido, quod ne postulandum quidem est, ut omnes adulescentes se ad haec studia convertant. Pauci utinam! quorum tamen in re publica late patere poterit industria. Equidem ex iis etiam fructum capio laboris mei, qui iam aetate provecti in nostris libris adquiescunt; quorum studio legendi meum scribendi studium vehementius in dies incitatur, quos quidem plures, quam rebar, esse cognovi. Magnificum illud etiam Romanisque hominibus gloriosum, ut Graecis de philosophia litteris non egeant. 6. Quod adsequar profecto, si instituta perfecero. Ac mihi quidem explicandae philosophiae causam adtulit casus gravis civitatis, cum in armis civilibus nec tueri meo more rem publicam nec nihil agere poteram nec quid potius, quod quidem me dignum esset, agerem reperiebam. Dabunt igitur mihi veniam mei cives vel gratiam potius habebunt, quod, cum esset in unius potestate res publica, neque ego me abdidi neque deserui neque adflixi neque ita gessi, quasi homini aut temporibus iratus, neque porro ita aut adulatus aut admiratus fortunam sum alterius, ut me meae paeniteret. Id enim ipsum a Platone philosophiaque didiceram, naturales esse quasdam conversiones rerum publicarum, ut eae tum a principibus tenerentur, tum a populis, aliquando a singulis. 7. Quod cum accidisset nostrae rei publicae, tum pristinis orbati muneribus haec studia renovare coepimus, ut et animus molestiis hac potissimum re levaretur et prodessemus civibus nostris, qua re cumque possemus. In libris enim sententiam dicebamus, contionabamur, philosophiam nobis pro rei publicae procuratione substitutam putabamus. Nunc quoniam de re publica consuli coepti sumus, tribuenda est opera rei publicae, vel omnis potius in ea

---

3. *cum* A B H V[1]: *tum* V[2] O — *supt.* H — *cum copia* B H — 4. *coniuncxerint* A — 5. *librorum* om. codd. dett. Moseri O, *eorundem librorum* maluit Hottinger — *numero* H — 7. *a reliqua* A[1] — 9. *pataremur* V[1], *putaremus* V[2] — 12. *opus* A[1] — *hac cohorenda* B[1] — 13. *qui idem* H — 14. *adol.* O — *pauci*] *pauor* H — 15. *potuit* H — 16. *ex his* (*is* V) *etiam* C, *etiam ex* iis O — *quia iam* V — 17. *aquiescunt* A, *adquiescant* B — 18. *incitatur* C: *citatur* Nonius, locum s. v. *citare* (= vocare) sic p. 265 afferens: *quorum studium legendi non scribendi studium vehementius in dies citant* — 20. *litteris* C: *libris* maluit Rathius, quae res dubia visa est Madvigio ad Cic. de finn. p. 30 — 21. *philosophia* B — 22. *gravis casus* Lambinus O — 24. *esset agere* B — 25. *cum* om. H — 27. *ratus* H — *ita porro* ex libr. dett. Moserus O — 28. *adadmir.* A, *ammir.* H — *sum*] *suam* A — *paeniteret* A: *pen.* H, *poen.* B V O — *Idem ira ipsum* H — 30. *ut hae* ex corr. V — *tum*] *cum* H — 32. *tum*] *cum* H — 33. *animis* H[1] — *molestis* A[1], *a molestiis* H[2] — *potissimum releuaretur* A — 35. *concion.* B O — 37. *coepimus* V.

cogitatio et cura ponenda, tantum huic studio relinquendum, quantum vacabit a publico officio et munere. Sed haec alias pluribus, nunc ad institutam disputationem revertamur.

III. 8. Nam cum de divinatione Quintus frater ea disseruisset, quae superiore libro scripta sunt, satisque ambulatum videretur, tum in bibliotheca, quae in Lycio est, adsedimus. Atque ego, Adcurate tu quidem, inquam, Quinte, et stoice Stoicorum sententiam defendisti, quodque me maxime delectat, plurimis nostris exemplis usus es, et iis quidem claris et inlustribus. Dicendum est mihi igitur ad ea, quae sunt a te dicta, sed ita, nihil ut adfirmem, quaeram omnia, dubitans plerumque et mihi ipse diffidens. Si enim aliquid certi haberem, quod dicerem, ego ipse divinarem, qui esse divinationem nego. 9. Etenim me movet illud, quod in primis Carneades quaerere solebat, quarumnam rerum divinatio esset: earumne quae sensibus perciperentur? At eas quidem cernimus, audimus, gustamus, olfacimus, tangimus. Num quid ergo in his rebus est, quod provisione aut permotione mentis magis quam natura ipsa sentiamus? aut num nescio qui ille divinus, si oculis captus sit, ut Tiresias fuit, possit quae alba sint, quae nigra dicere? aut si surdus sit, varietates vocum aut modos noscere? Ad nullam igitur earum rerum, quae sensu accipiuntur, divinatio adhibetur. Atqui ne in iis quidem rebus, quae arte tractantur, divinatione opus est. Etenim ad aegros non vates aut hariolos, sed medicos solemus adducere, nec vero, qui fidibus aut tibiis uti volunt, ab haruspicibus accipiunt earum tractationem, sed a musicis. 10. Eadem in litteris ratio est reliquisque rebus, quarum est disciplina. Num censes eos, qui divinare dicuntur, posse respondere sol maiorne quam terra sit? an tantus, quantus videatur? lunaque suo lumine an solis utatur? sol, luna quem motum habeat? quem quinque stellae, quae errare dicuntur? Nec haec, qui divini habentur, profitentur se esse dicturos, nec eorum, quae in geometria describuntur, quae vera, quae falsa sint: sunt enim ea mathematicorum, non hariolorum.

IV. De illis vero rebus, quae in philosophia versantur, num quid est quod quisquam divinorum aut respondere soleat aut consuli, quid bonum sit, quid malum, quid neutrum? Sunt enim haec propria philosophorum. 11. Quid? de officio num quis haruspicem consulit, quem ad modum sit cum parentibus, cum fratribus, cum amicis vivendum? quem ad modum utendum pecunia? quem ad modum honore? quem ad modum imperio? Ad sapientes haec, non ad divinos referri solent. Quid? quae a dialecticis aut a physicis tractantur, num quid eorum divinari

---

2. *uocauit* H — *nunc* sup. lin. B — 5. *tum*] *cum* H — 6. *lycio* AV: *licio* BH, *lyceo* O ut in libris scriptum I § 8 — 8. *es*] *est* H — *his* C — 10. *ut* om. H — 11. *quod*] *quid* H — 13. *quarum rerum* A¹ — 16. *praemonitione* Salisb., *praenotione* Camerarius — 17. *aut num nescio qui* C: *aut numne scio qui* Muellerus in progr. Bromberg. a. 1843 p. 4, *at nescio qui* Sturmius, *ut nescio qui* Schellerus O, fort.: *aut num ille divinus nescio qui*; cf. Cic. Acad. II, § 81 — 18. *uaritates* H — 20. *percipiuntur* Salisb. — *is* AH, *his* B, *hiis* V — 23. *uti* sup. lin. B — 24. *reliquisque rentibus* H — 26. *sit antus* A¹V¹ — 27. *habeat* AB¹H¹V: *habeant* B²H²O — 29. *que in geometriam* B¹, *qui in geometria* B² — 30. *ea*] *e* B¹ — 31. *num quidem quod* H — 36. *utendum pecunia quemadmodum* in marg. add. B — 37. *ad* ante *sapientes* sup. lin. B — 38. *aut phys.* Davisius O — *num quid eorum* AH: *num eorum* supra lin. addito *quis* B, *num quis deorum* V, *num quis eorum* O — *diuinare* V²O.

potest? unusne mundus sit an plures, quae sint initia rerum, ex quibus nascuntur omnia — physicorum est ista prudentia — quo modo aut mentientem, quem ψευδόμενον vocant, dissolvas aut quem ad modum soriti resistas — quem, si necesse sit, Latino verbo liceat acervalem appellare, sed nihil opus est; ut enim ipsa philosophia et multa verba Graecorum, sic sorites satis Latino sermone tritus est — ergo haec quoque dialectici dicent, non divini. Quid? cum quaeritur qui sit optimus rei publicae status, quae leges, qui mores aut utiles aut inutiles, haruspicesne ex Etruria arcessentur, an principes statuent et delecti viri periti rerum civilium? 12. Quod si nec earum rerum quae subiectae sensibus sunt ulla divinatio est, nec earum quae artibus continentur, nec earum quae in philosophia disseruntur, nec earum quae in re publica versantur: quarum rerum sit nihil prorsus intellego. Nam aut omnium debet esse aut aliqua ei materia danda est, in qua versari possit; sed nec omnium divinatio est, ut ratio docuit, nec locus nec materia invenitur, cui divinationem praeficere possimus: vide igitur ne nulla sit divinatio.

V. Est quidam Graecus vulgaris in hanc sententiam versus:

Bene qui coniciet, vatem hunc perhibebo optumum.

Num igitur aut quae tempestas inpendeat vatis melius coniciet quam gubernator? aut morbi naturam acutius quam medicus, aut belli administrationem prudentius quam inperator coniectura adsequetur? 13. Sed animadverti, Quinte, te caute et ab iis coniecturis, quae haberent artem atque prudentiam, et ab iis rebus, quae sensibus aut artificiis perciperentur, abducere divinationem, eamque ita definire: divinationem esse earum rerum praedictionem et praesensionem, quae essent fortuitae. Primum eodem revolveris. Nam et medici et gubernatoris et imperatoris praesensio est rerum fortuitarum. Num igitur aut haruspex aut augur aut vatis quis aut somnians melius coniecerit, aut e morbo evasurum aegrotum aut e periculo navem aut ex insidiis exercitum, quam medicus, quam gubernator, quam imperator? 14. Atqui ne illa quidem divinantis esse dicebas, ventos aut imbres inpendentes quibusdam praesentire signis — in quo nostra quaedam Aratea memoriter a te pro-

---

1. *unius nemus sit* H^1 — 2. *nascantur* Moser maluit — *est*] *et* H — *ita* A — *prudentia. Quo modo* O; at verba *quo modo--resistas* aeque atque superiora *unusne mundus sit--omnia* a verbo divinandi pendere mihi videntur — *aut* AB: *ut* H, *aut non* V, *autem non* Salisb., *autem* Davisius O — 3. *soriti resistas — quem, si necesse -- tritus est — ergo haec quoque* sic interpungendum esse docuit Madvigius ad Cic. de finn. p. 183: *Quo modo autem -- dissolvas? aut quemadmodum soriti resistas? quem si* etc. O — *sorites istas* V — 4. *quam* B — 5. *ipsi* H — *et* om. V — 8. *aut inutiles* sup. lin. B — 9. *etruria* una littera ante *e* erasa H — 10. *ne* V — 15. *nec* ante *omnium* sup. lin. B — 16. *possumus* H — *ne ulla* B^1, *an ulla* V, sed in marg. adscriptum: *vel: nulla* — 18. *est quidem* Klotzius — *Graecus* om. V, *Graecis* maluit Davisius — 19. *conicit* H, *coniiciet* O — *optimum* B H V O — 20. *Num*] *Cum* H — *uatis* A B H: *uates* VO — *coniiciet* O — 22. *coniecturam* H — *adsequatur* A — 23. *is* A, *his* BHV — *coniectoris* $B^1 V^1$ — 24. *ab* om. A^1 — *is* A^1, *his* A^2 B H V — *artifitiis* A; *sensibus ab arte vacuis* Schuetz et Moser, at isti non viderunt alias esse coniecturas quae ratione fierent, alias res quae arte perciperentur — 25. *adducere* A — *difinire* B, *diffinire* H — 27. *et* ante *medici* supra lin. B — 28. *Num*] *Cum* H — *aruspices* H — 29. *uatis* A^1, *uates* A^2 B H V O — *morbo evasurum* A sed *o e* in ras. — 30. *at periculo* A^1, *at ex peric.* A^2 — *exercituum* H — 31. *atqui* A, sed *at* in ras. m. sec. — 33. *quaedam cur ate amemoriter* H.

nuntiata sunt — etsi haec ipsa fortuita sunt, plerumque enim, non semper eveniunt: quae est igitur, aut ubi versatur fortuitarum rerum praesensio, quam divinationem vocas? quae enim praesentiri aut arte aut ratione aut usu aut coniectura possunt, ea non divinis tribuenda putas, sed peritis. Ita relinquitur ut ea fortuita divinari possint, quae nulla nec arte nec sapientia provideri possunt, ut, si quis M. Marcellum illum, qui ter consul fuit, multis annis ante dixisset naufragio esse periturum, divinasset profecto. Nulla enim arte alia id nec sapientia scire potuisset. Talium ergo rerum, quae in fortuna positae sunt, praesensio divinatio est.

VI. 15. Potestne igitur earum rerum, quae nihil habent rationis, quare futurae sint, esse ulla praesensio? quid est enim aliud fors, quid fortuna, quid casus, quid eventus, nisi cum sic aliquid cecidit, sic evenit, ut vel aliter cadere atque evenire potuerit? quo modo ergo id, quod temere fit caeco casu et volubilitate fortunae, praesentiri et praedici potest? 16. Medicus morbum ingravescentem ratione providet, insidias imperator, tempestates gubernator; et tamen ii ipsi saepe falluntur, qui nihil sine certa ratione opinantur: ut agricola, cum florem oleae videt, bacam quoque se visurum putat, non sine ratione ille quidem, sed non numquam tamen fallitur. Quod si falluntur ii, qui nihil sine aliqua probabili coniectura ac ratione dicunt, quid existimandum est de coniectura eorum, qui extis aut avibus aut ostentis aut oraclis aut somniis futura praesentiunt? Nondum dico quam haec signa nulla sint, fissum iecoris, corvi cantus, volatus aquilae, stellae traiectio, voces furentium, sortes, somnia, de quibus singulis dicam suo loco, nunc de universis. 17. Qui potest provideri quicquam futurum esse, quod neque causam habet ullam neque notam, cur futurum sit? Solis defectiones itemque lunae praedicuntur in multos annos ab iis, qui siderum motus numeris persecuntur. Ea praedicunt enim, quae naturae necessitas perfectura est. Vident ex constantissimo motu lunae, quando illa e regione solis facta incurrat in umbram terrae, quae est meta noctis, ut eam obscurari necesse sit, quandoque eadem luna, subiecta atque obposita soli, nostris oculis eius lumen obscuret, quo in signo quaeque errantium stellarum quoque tempore futura sit, qui exortus quoque die signi alicuius aut qui occasus futurus sit. Haec qui ante dicunt, quam rationem sequantur vides.

VII. 18. Qui thesaurum inventum iri aut hereditatem venturam

---

1. *fortuita sunt* et verba sequentia usque ad § 18 mediam interciderunt in V — 4. *divis* H[1] — 7. *multos annos* A, corr. manu eadem — *ante* bis scriptum in H — 9. *talium enim ergo* H — *fortune posita* H — 11. *potestne earum igitur earum* B, sed prius *earum* deletum, alterum in marg. adiectum — 12. *quae* B[1] — *futura* H — *aliut* A — *sors* B — 14. *ut vel aliter* C (nisi quod *vel* in B deest): *ut vel non cadere atque evenire vel aliter* codd. interpolati Davisii O — *caderet* B — 15. *nobilitate* cod. St. Victoris, unde Guilelmus coniecit: *mobilitate*; at cf. Pacuvii versus in libr. rhet. ad Herennium II, § 36 et Cic. pro Mil. § 69 — 17. *hi* CO — 18. *certa* sup. lin. B — *ut* del. Davisius — 20. *hi* C — 22. *de* sup. lin. B — 23. *oraculis* HO — 25. *fortes* A ex corr. — 26. *de unium sus* H — *quidquam* BO — 28. *his* C — 29. *siderum motus* C: *siderum cursus et motus* codd. interpolati Moseri O; cf. nos ad I, § 36 — *persecuntur* H: *persequuntur* ABO — *praedicunt enim* C: *enim praedicunt* Marsus O — *naturam* H — 33. *obposita* A: *opp.* BHO — *solis* H — *lumem obscurat* A, sed *at* in ras. — 36. *quam nocionem* H — 37. *thesanrum* A[1]; an ex *thensaurum*? — *inventum iri* Lambinus: *inventurum* C.

dicunt, quid secuntur? aut in qua rerum natura inest id futurum? Quod si haec eaque, quae sunt eiusdem generis, habent aliquam talem necessitatem, quid est tandem, quod casu fieri aut forte fortuna putemus? Nihil enim est tam contrarium rationi et constantiae quam fortuna, ut mihi ne in deum quidem cadere videatur, ut sciat quid casu et fortuito futurum sit. Si enim scit, certe illud eveniet; sin certe eveniet, nulla fortuna est; est autem fortuna: rerum igitur fortuitarum nulla praesensio est. 19. Aut si negas esse fortunam et omnia, quae fiunt quaeque futura sunt, ex omni aeternitate definita dicis esse fataliter, muta definitionem divinationis, quam dicebas praesensionem esse rerum fortuitarum. Si enim nihil fieri potest, nihil accidere, nihil evenire, nisi quod ab omni aeternitate certum fuerit esse futurum rato tempore, quae potest esse fortuna? qua sublata qui locus est divinationi, quae a te fortuitarum rerum est dicta praesensio? Quamquam dicebas omnia, quae fierent futurave essent, fato contineri. Anile sane et plenum superstitionis fati nomen ipsum; sed tamen apud Stoicos de isto fato multa dicuntur, de quo alias, nunc quod necesse est.

VIII. 20. Si omnia fato, quid mihi divinatio prodest? Quod enim is, qui divinat, praedicit, id vero futurum est; ut ne illud quidem sciam, quale sit, quod Deiotarum, necessarium nostrum, ex itinere aquila revocavit. Qui nisi revertisset, in eo conclavi ei cubandum fuisset, quod proxuma nocte corruit; ruina igitur oppressus esset. At id neque, si fatum fuerat, effugisset, nec, si non fuerat, in eum casum incidisset. Quid ergo adiuvat divinatio? aut quid est quod me moneant aut sortes aut exta aut ulla praedictio? Si enim fatum fuit classes populi Romani bello Punico primo, alteram naufragio, alteram a Poenis depressam interire, etiam si tripudium solistumum pulli fecissent L. Iunio et P. Clodio consulibus, classes tamen interissent. Sin, cum auspiciis obtemperatum esset, interiturae classes non fuerunt, non interierunt fato; vultis autem omnia fato: nulla igitur est divinatio. 21. Quod si fatum fuit bello Punico secundo exercitum populi Romani ad lacum Trasumenum interire, num id vitari potuit, si Flaminius consul iis signis iisque auspiciis, quibus pugnare prohibebatur, paruisset? [Certe potuit.] Aut igitur non fato interiit exercitus — mutari enim fata non possunt — aut si fato, quod certe vobis ita dicendum est, etiam si obtemperasset auspiciis, idem eventurum fuisset. Ubi est igitur ista divinatio Stoicorum? quae,

1. *secuntur* H: *sequuntur* ABO — 3. *forte* om. H — 4. *nihil est enim* Hottinger — 5. *siat* H, *siciat* A¹ — *et*] *aut* B — 6. *scit*] *sit* H, ut saepius in hoc verbo scribendo erravit hic codex — 8. *fortunam esse* H — *omnia*] *oratio* H¹ — 9. *multa* A¹ — 10. *fortuitarum. Nichil si enim fieri* H — 12. *fuerat* H — 13. *locus est* -- *rerum est* in marg. habet B — *divinationi? quae* O — 19. *illut* A — *quid est* H¹ — 20. *necessarium nostrum* C: *familiarem nostrum* codd. dett. Moseri, *familiarem nostrum et necessarium* codd. dett. Davisii O — 24. *me adiuvat* Herelius — *moneat* H, *moueant* Erlang. — 26. *altero* B — *paenis* H — 27. *solistumum* AB: *solis tum cum* H, *solistimum* O — 28. *classis* H — *auspicis* A¹ — 30. *omnia a fato* B — *nulla est igitur* Beier ad Cic. de offic. II. p. 16 — 30. *fuit bello punico si fuit secundo* A — *trans sumennum* A (*r* in *trans* punctata), *trassumen* **** B, *trassummnum* H — 32. *his* C — *hisque* C — *hausp.* A — 33. *Certe potuit* C, uncis inclusit Davisius, *Certe non potuit* Pearcius; tu cf. II, § 94 — 34. *facta* H¹ — 35. *ita*] *uti* H, delevit Davisius fidem cod. Parisini secutus; at vide Madvigium ad Cic. de finn. p. 169 — 36. *fuisset* C: *fuit* Madvigius Opuscc. alt. p. 122. recte, ut videtur.

si fato omnia fiunt, nihil nos admonere potest ut cautiores simus; quoquo enim modo nos gesserimus, fiet tamen illud, quod futurum est. Sin autem id potest flecti, nullum est fatum: ita ne divinatio quidem, quoniam ea rerum futurarum est. Nihil autem est pro certo futurum, quod potest aliqua procuratione accidere ne fiat.

IX. 22. Atque ego ne utilem quidem arbitror esse nobis futurarum rerum scientiam. Quae enim vita fuisset Priamo, si ab adulescentia scisset quos eventus senectutis esset habiturus? Abeamus a fabulis, propiora videamus. Clarissimorum hominum nostrae civitatis gravissimos exitus in Consolatione collegimus. Quid igitur? ut omittamus superioris, Marcone Crasso putas utile fuisse, tum cum maxumis opibus fortunisque florebat, scire sibi interfecto Publio filio exercituque deleto trans Euphratem cum ignominia et dedecore esse pereundum? An Cn. Pompeium censes tribus suis consulatibus, tribus triumphis, maximarum rerum gloria laetaturum fuisse, si sciret se in solitudine Aegyptiorum trucidatum iri amisso exercitu, post mortem vero ea consecutura, quae sine lacrimis non possumus dicere? 23. Quid vero Caesarem putamus, si divinasset fore ut in eo senatu, quem maiore ex parte ipse cooptasset, in curia Pompeia, ante ipsius Pompei simulacrum, tot centurionibus suis inspectantibus, a nobilissumis civibus, partim etiam a se omnibus rebus ornatis, trucidatus ita iaceret, ut ad eius corpus non modo amicorum sed ne servorum quidem quisquam accederet, quo cruciatu animi vitam acturum fuisse? Certe igitur ignoratio futurorum malorum utilior est quam scientia. 24. Nam illud quidem dici, praesertim a Stoicis, nullo modo potest: non isset ad arma Pompeius; non transisset Crassus Euphratem; non suscepisset bellum civile Caesar. Non igitur fatalis exitus habuerunt; vultis autem evenire omnia fato: nihil ergo illis profuisset divinare. Atque etiam omnem fructum vitae superioris perdidissent; quid enim posset iis esse laetum, exitus suos cogitantibus? Ita, quoquo sese verterint Stoici, iaceat necesse est omnis eorum sollertia. Si enim id, quod eventurum est, vel hoc vel illo modo potest evenire, fortuna valet plurimum; quae autem fortuita sunt, certa esse non possunt. Sin autem certum est, quid quaque de re quoque tempore futurum sit, quid est quod me adiuvent haruspices, cum res tristissimas portendi dixerunt?

X. 25. Addunt ad extremum omnia levius casura rebus divinis procuratis. Si enim nihil fit extra fatum, nihil levari re divina potest. Hoc

---

1. *ammonere* H — *quoque* AB — 2. *est* sup. lin. A — 6. *ego*] *ergo* H — 8. *abiturus* H — 9. *propiora* vulgo: *propriora* C, cf. I, § 43 — 10. *superiores* HO — 11. *fuisset* H — *maximis* BHO — 13. *eufratem* AH, *eufraten* B ex corr. — 14. *triumfis* A — 15. *rerum* om. B — *fuisset* H[1] — *scisset* Lambinus — *se a satellite Aegyptio contrucidatum* Fabri susp., *se in celoce Aegyptia tandem trucidatum* vel *se a spadonibus Aegyptiis demum trucidatum* Davisius maluit, *se sollicitum in solo Aegyptiorum trucidatum* Frenzelius — 16. *eo* B — 18. *coaptasset* H — 19. *pompeia* C: *Pompeiana* codd. dett. Moseri O — 20 *nobilissimis* BHO — 21. *ordinatis* B, *orbatis* H — 22. *ne*] *nec* B — 25. *non transisset Crassus Euphratem non isset ad arma Pompeius* codd. Reg. et Cantab. Davisii — *traxisset* H — 26. *eufratem* AH — *fatales* HO — 29. *iis* H: *his* AB — 30. *quoque* AH — *sese* C: *se* O — *uerterunt* H — *luceat* H — *solertia* B — 34. *adiuuet* AB — *haruspicis* A — 35. *dixerunt* AH: *dixerint* BO, cf. Madvigium ad Cic. de finn. p. 690 — 36. *addant -- procuratis; si enim* Foertschius l. l. p. 4 — 37. *si enim* C: *si autem* Davisius O, *male, si enim* Ernesti,

sentit Homerus, cum querentem Iovem inducit, quod Sarpedonem filium a morte contra fatum eripere non posset. Hoc idem significat Graecus ille in eam sententiam versus:

Quod fore paratum est, id summum exsuperat Iovem.

Totum omnino fatum etiam Atellanio versu iure mihi esse inrisum videtur, sed in rebus tam severis non est iocandi locus. Concludatur igitur ratio: si enim provideri nihil potest futurum esse eorum, quae casu fiunt, quia esse certa non possunt, divinatio nulla est; sin autem idcirco possunt provideri, quia certa sunt et fatalia, rursus divinatio nulla est. Eam enim tu fortuitarum rerum esse dicebas. 26. Sed haec fuerit nobis tamquam levis armaturae prima orationis excursio: nunc comminus agamus experiamurque, si possimus cornua commovere disputationis tuae.

XI. Duo enim genera divinandi esse dicebas, unum artificiosum, alterum naturale; artificiosum constare partim ex coniectura partim ex observatione diuturna; naturale quod animus arriperet aut exciperet extrinsecus ex divinitate, unde omnes animos haustos aut acceptos aut libatos haberemus. Artificiosae divinationis illa fere genera ponebas: extispicum eorumque qui ex fulgoribus ostentisque praedicerent, tum augurum eorumque qui signis aut ominibus uterentur; omneque genus coniecturale in hoc fere genere ponebas. 27. Illud autem naturale aut concitatione mentis edi et quasi fundi videbatur, aut animo per somnum sensibus et curis vacuo provideri. Duxisti autem divinationem omnem a tribus rebus: a deo, a fato, a natura. Sed tamen cum explicare nihil posses, pugnasti commenticiorum exemplorum mirifica copia. De quo primum hoc libet dicere: hoc ego philosophi non esse arbitror, testibus uti, qui aut casu veri aut malitia falsi fictique esse possunt; argumentis et rationibus oportet, quare quidque ita sit, docere, non eventis, iis praesertim, quibus mihi liceat non credere.

XII. 28. Ut ordiar ab haruspicina, quam ego rei publicae causa communisque religionis colendam censeo — sed soli sumus, licet verum exquirere sine invidia, mihi praesertim de plerisque dubitanti —: inspiciamus, si placet, exta primum. Persuaderi igitur cuiquam potest ea, quae significari dicuntur extis, cognita esse ab haruspicibus observatione diuturna? Quam diuturna ista fuit? aut quam longinquo tempore observari potuit? aut quo modo est conlata inter ipsos, quae pars inimica, quae pars familiaris esset; quod fissum periculum, quod commodum

---

sed hoc eadem ratione refellitur; si enim amicus quidam Lambini; ipse codd. lectionem revocavi, cum illud *male,* quod Ernestius addidit, in verbis *ad extremum,* quibus infirmitas huius argumenti significetur, latere videatur; Madvigius totum locum ita sanandum duxit: *haruspices? Cum res tristissimas portendi dixerunt, addunt - - procuratis; si nihil* vel: *haruspices, quod cum - - dixerunt, addunt - - procuratis? Si enim nihil* — 4. *sorte* Klotz — *exuperat* H — 5. *omnia* H — *fatem* A[1] — *uerso* A[1] — 6. *igitur* C: quod codd. interpolati alii omittunt, alii in eius locum *ergo* habent — 8. *certe* B — 16. *aut acceptos* suspecta visa sunt Ratbio — 17. *artificiosa* AB — 18. *fulguribus* B[1]O — *hostisque* A[1]; astrologorum genus hoc loco Cicero neglegentia quadam praetermisisse videtur — *praediceretur cum aug.* H — 19. *hominibus* H — 20. *coniecturae* A[1] — 21. *somnum* Marsus: *somnium* C — 25. *holibet* A[1] — 26. *malicia* A — *possint* Rathius — 27. *his* C — 32. *persuadere* A[1] — 33. *ab haruspicibus* H: *ab aruspicibus* AB, *haruspicibus* codd. dett. Davisii et Moseri O — 34. *quam diuturna* om. A — 35. *collatum* Lambinus — *inimica* ex cod. Mediceo Davisius: *inimici* C.

aliquod ostenderet? an haec inter se haruspices Etrusci, Elii, Aegyptii, Poeni contulerunt? At id, praeterquam quod fieri non potuit, ne fingi quidem potest; alios enim alio more videmus exta interpretari nec esse unam omnium disciplinam. 29. Et certe, si est in extis aliqua vis, quae declaret futura, necesse est eam aut cum rerum natura esse coniunctam aut conformari quodam modo numine deorum vique divina. Cum rerum natura tanta tamque praeclara in omnes partes motusque diffusa quid habere potest commune, non dicam gallinaceum fel — sunt enim, qui vel argutissima haec exta esse dicant —, sed tauri opimi iecur aut cor aut pulmo? quid habet naturale, quod declarare possit, quid futurum sit?

XIII. 30. Democritus tamen non inscite nugatur, ut physicus, quo genere nihil adrogantius —

Quod est ante pedes nemo spectat, caeli scrutantur plagas —

verum is tamen habitu extorum et colore declarari censet haec dumtaxat: pabuli genus et earum rerum, quas terra procreet, vel ubertatem vel tenuitatem, salubritatem etiam aut pestilentiam extis significari putat. O mortalem beatum! cui certo scio ludum numquam defuisse, huncine hominem tantis delectatum esse nugis, ut non videret tum futurum id veri simile, si omnium pecudum exta eodem tempore in eundem habitum se coloremque converterent! Sed si eadem hora aliae pecudis iecur nitidum atque plenum est, aliae horridum et exile, quid est quod declarari possit habitu extorum et colore? 31. An hoc eiusdem modi est, quale Pherecydeum illud, quod est a te dictum? qui cum aquam ex puteo vidisset haustam, terrae motum dixit futurum. Parum, credo, inpudenter, quod, cum factus esset motus, dicere audent quae vis id effecerit: etiamne futurum esse aquae iugis colore praesentiunt? Multa istius modi dicuntur in scholis, sed credere omnia vide ne non sit necesse. 32. Verum sint sane ista Democritea vera. Quando ea nos extis exquirimus? aut quando aliquid eius modi ab haruspice inspectis extis audivimus? ab aqua aut ab igni pericula monent; tum hereditates, tum damna denuntiant; fissum familiare et vitale tractant; caput iecoris ex omni parte diligentissime considerant, si vero id non est inventum, nihil putant accidere potuisse tristius.

---

1. *etuicis* H — *helii* B, *alii* H — 2. *paeni* H — *ad id* A — *fieri* om. H — *potui* H — 5. *necessesset* A¹, *necesse esset* A² — 6. *nomine* H — *uique* B¹: *utque* AH, *atqui* B² — 7. *naturata tamque* B¹, *natura tantamque* H — *partes locosque* Davisii susp. — *quid*] *quod* H — 10. *pulmone* A — *habent* Moserus maluit — *quod declurare* AH: *quo declarare* B, *quo declarari* codd. Oxonn. O, *tale quod declarare* Klotz — 11. *inscite*] *inte si* H — 13. *quod est* C: *quod 'st* O — 15. *his tamen habita* H — *hoc* Salisb., *non haec* Davisii susp. — 16. fort. *pabuli et earum rerum* vel: *pabuli et aliarum id genus rerum*. — 17. *salubritatem* - - *puto* glossema esse videbatur Grutero — *puto* AH — 18. *ludum* C: *iudicium* Davisii codd. — *hunccine* HO — 19. *hominum* H — *tantum delectatum nugis* Ernestius — *tum*] *cum* H — 20. *simile, omnium cum pecudum* Davies et Klotz, sed hic *simile esse* — 21. *pecudes* A — 22. *est*] *habent* A m. sec. in ras. — *quod*] *quid* H — 23. *colorem* H¹ — 24. *illum* H — *ad te* A¹, *ante* H — 25. *austam* H — 26. *pudenter* Ernestius — *esset* C: *est* Madvig — *qua eius* H, quibus in margine adiectum est *dictum* — 27. *efficeret* H — 28. *dicunt* H — *scolis* AH — *ne* in ras. A — 29. *sit* A¹ — 30. *eiusdem modi* H — 32. *uitale* C: *hostile* Hottingerus, quae coniectura nescio an sit probanda — 34. *accedere* A¹.

XIV. 33. Haec observari certe non potuerunt, ut supra docui. Sunt igitur artis inventa, non vetustatis, si est ars ulla rerum incognitarum. Cum rerum autem natura quam cognationem habent? quae ut uno consensu iuncta sit et continens, quod video placuisse physicis, eisque maxume, qui omne quod esset unum esse dixerunt: quid habere mundus potest cum thesauri inventione coniunctum? Si enim extis pecuniae mihi amplificatio ostenditur idque fit natura, primum exta sunt coniuncta mundo, deinde meum lucrum natura rerum continetur. Nonne pudet physicos haec dicere? Ut enim iam sit aliqua in natura rerum contagio, quam esse concedo — multa enim Stoici colligunt: nam et musculorum iecuscula bruma dicuntur augeri, et puleium aridum florescere brumali ipso die, et inflatas rumpi vesiculas, et semina malorum, quae in iis mediis inclusa sint, in contrarias partis se vertere, iam nervos in fidibus aliis pulsis resonare alios, ostreisque et conchyliis omnibus contingere, ut cum luna pariter crescant pariterque decrescant, arboresque ut hiemali tempore cum luna simul senescentes, quia tum exsiccatae sint, tempestive caedi putentur; **34.** quid de fretis aut de marinis aestibus plura dicam? quorum accessus et recessus lunae motu gubernantur: sescenta licet eiusdem modi proferri, ut distantium rerum cognatio naturalis appareat — demus hoc, nihil enim huic disputationi adversatur: num etiam, si fissum cuiusdam modi fuerit in iecore, lucrum ostenditur? Qua ex coniunctione naturae et quasi concentu atque consensu, quam συμπάθειαν Graeci appellant, convenire potest aut fissum iecoris cum lucello meo aut meus quaesticulus cum caelo, terra rerumque natura?

XV. Concedam hoc ipsum, si vis, etsi magnam iacturam causae fecero, si ullam esse convenientiam naturae cum extis concessero: **35.** sed tamen eo concesso qui evenit ut is, qui inpetrire velit, convenientem hostiam rebus suis immolet? Hoc erat, quod ego non rebar posse dissolvi; at quam festive dissolvitur! pudet me non tui quidem, cuius etiam memoriam admiror, sed Chrysippi, Antipatri, Posidoni, qui idem istuc quidem dicunt, quod est dictum a te, ad hostiam deligendam ducem esse vim quandam sentientem atque divinam, quae toto confusa mundo sit. Illud vero multo etiam melius, quod et a te usurpatum est et dicitur ab illis: cum immolare quispiam velit, tum fieri extorum

---

2. *non*] *con* A[1] — *incognitarum* A, sed *rum* m. sec. in ras. — 3. *cognitionem* A — 6. *thensauri* A[1] — 8. *nonne* C: *non* codd. dett. Moseri O — 10. *contagio* B H: *cognatio* A (sed *gnatio* m. sec. in ras.) O; cf. Cic. de fato § 5 — *colligitur* H — 11. *dicunt* A[2] — *pulegium* B — 13. *his* B — *mediis* om. H — *partes* A H O — 14. *ostreisque* A, sed *que* in ras. m. sec. — 16. *ut* et *putentur* delenda censet Hottinger, *arboresque hiemali* -- *senescere ut quia* Rath, *tempore*, *luna simul senescente* Madvig; ipse commate, quod apud Orellium post *tempore* positum est, sublato sic verba interpretor: ut arbores hiemali tempore (non aestivo) cum luna simul senescerent et tum, quia exsiccatae sint, tempestive caedi putentur — 16. *tum*] *cum* H — 17. *excitate* H — *sint* A in ras. — 19. *sexcenta* O — *eius modi* Salisb. — 21. *num*] *cum* H — *si* om. H — 22. *quam ex* B — *coniunctione* C: *cognatione* codd. dett. Moseri, *contagione* Klotzius — 23. *sympathiam* C — *fisum* A — 26. *causa* H — 28. *his* B — *inpetrire* Lambinus: *impertire* C, cf. I, § 3 — 30. *At*] *ad* H — 31. *ammiror* H — *possidoni* A[2] H, *Posidonii* O — *qui idem*] *quidem* B[1] H, *quid est* A sed *st* in ras. — 32. *diligendam* A H — 33. *sencientem* A — *tota* A B, at vide I, § 148 — 35. *tum*] *cum* H.

mutationem, ut aut absit aliquid aut supersit; deorum enim numini parere omnia. 36. Haec iam, mihi crede, ne aniculae quidem existimant. An censes, eundem vitulum si alius delegerit, sine capite iecur inventurum, si alius, cum capite? haec decessio capitis aut accessio subitone fieri potest, ut se exta ad immolatoris fortunam accommodent? non perspicitis aleam quandam esse in hostiis deligendis, praesertim cum res ipsa doceat? cum enim tristissuma exta sine capite fuerunt, quibus nihil videtur esse dirius, proxuma hostia litatur saepe pulcherrime. Ubi igitur illae minae superiorum extorum? aut quae tam subito facta est deorum tanta placatio?

XVI. Sed adfers in tauri opimi extis immolante Caesare cor non fuisse; id quia non potuerit accidere, ut sine corde victuma illa viveret, iudicandum esse tum interisse cor, cum immolaretur. 37. Qui fit ut alterum intellegas sine corde non potuisse bovem vivere, alterum non videas cor subito non potuisse nescio quo avolare? Ego enim possum vel nescire quae vis sit cordis ad vivendum, vel suspicari contractum aliquo morbo bovis exile et exiguum et vietum cor et dissimile cordis fuisse. Tu vero quid habes, quare putes, si paulo ante cor fuerit in tauro opimo, subito id in ipsa immolatione interisse? an quod aspexerit vestitu purpureo excordem Caesarem, ipse corde privatus est? Urbem philosophiae, mihi crede, proditis, dum castella defenditis; nam dum haruspicinam veram esse vultis, physiologiam totam pervertitis. Caput est in iecore, cor in extis: iam abscedet, simul ac molam et vinum insperseris, deus id eripiet, vis aliqua conficiet aut exedet. Non ergo omnium interitus atque obitus natura conficiet, et erit aliquid, quod aut ex nihilo oriatur aut in nihilum subito occidat. Quis hoc physicus dixit umquam? haruspices dicunt: his igitur quam physicis credendum potius existumas?

XVII. 38. Quid? cum pluribus deis immolatur, qui tandem evenit, ut litetur aliis, aliis non litetur? quae autem inconstantia deorum est, ut primis minentur extis, bene promittant secundis? aut tanta inter eos dissensio saepe etiam inter proxumos, ut Apollinis exta bona sint, Dianae non bona? quid est tam perspicuum quam cum fortuito hostiae adducantur, talia cuique exta esse, qualis cuique optigerit hostia? At enim id ipsum habet aliquid divini, quae cuique hostia obtingat, tamquam in sortibus, quae cui ducatur. Mox de sortibus; quamquam tu quidem non hostiarum casum confirmas sortium similitudine, sed infirmas sortis

---

2. *haec iam*] *hetiam* H — 3. *iecor* B¹ — 4. *inventum iri* Davisii susp. — *acessio* A — 5. *accomodent* AH — 6. *ad eam* H — *quadam* A¹ — *diligendis* AB — 7. *tristissuma* uncis inclusit Hottingerus, *primae victimae* Madvigius — *fuerint* B, sed extrema pars in ras. — 8. *dirius* vulgo: *durius* C — 9. *mina* H — 14. *intelligas* ABO — 16. *contractum* C: *contactum* Marsus O — 18. *quid*] *qui* AH — 19. *aspexerit* C: *aspexit* Marsus O; modum coniunctivum ita explico, ut Ciceronem cum *ipsum corde privatum esse putas* scribere voluerit, constructionem mutasse dicam — 20. *porpureo* A — 21. *catella* H — 23. *exitis* A¹ — 24. *asperseris* A, sed *as* in ras. m. sec. — *excedet* A — 25. *obitus* C: *ortus* Davisii coni. O, quam ne probem vi verbi conficiendi prohibeor — 28. *existimas* O — 29. *deis* C, sed in A in ras.: *diis* O — 30. *non literus* H — 31. *primus* A¹ — 32. *proxumos aut* A¹ — 33. *quam confortuito* A — 34. *exta esse qualiscuique* in marg. hab. A — *at* A, sed *t* in ras. — 35. *id* sup. lin. A — 37. *casum* C: fort. *causam* — *confirma* A¹ — *sortes* BO.

conlatione hostiarum. 39. An cum in Aequimaelium misimus, qui adferat agnum, quem immolemus, is mihi agnus adfertur, qui habet exta rebus accommodata et ad eum agnum non casu sed duce deo servos deducitur? Nam si casum in eo quoque esse dicis quasi sortem quandam cum deorum voluntate coniunctam, doleo tantam Stoicos nostros Epicureis inridendi sui facultatem dedisse; non enim ignoras quam ista derideant. 40. Et quidem illi facilius facere possunt; deos enim ipsos iocandi causa induxit Epicurus perlucidos et perflabilis et habitantis tamquam inter duos lucos sic inter duos mundos propter metum ruinarum; eosque habere putat eadem membra, quae nos, nec usum ullum habere membrorum. Ergo hic circumitione quadam deos tollens recte non dubitat divinationem tollere, sed non, ut hic sibi constat, item Stoici. Illius enim deus nihil habens nec sui nec alieni negotii non potest hominibus divinationem inpertire; vester autem deus potest non inpertire, ut nihilo minus mundum regat et hominibus consulat. 41. Cur igitur vos induitis in eas captiones, quas numquam explicetis? Ita enim cum magis properant, concludere solent: si di sunt, est divinatio; sunt autem di: est ergo divinatio. Multo est probabilius: non est autem divinatio: non sunt ergo di. Vide quam temere committant ut, si nulla sit divinatio, nulli sint di. Divinatio enim perspicue tollitur; deos esse retinendum est.

XVIII. 42. Atque hac extispicum divinatione sublata omnis haruspicina sublata est. Ostenta enim secuntur et fulgora. Valet autem in fulguribus observatio diuturna, in ostentis ratio plerumque coniecturaque adhibetur. Quid est igitur, quod observatum sit in fulgure? Caelum in sedecim partis diviserunt Etrusci. Facile id quidem fuit, quattuor, quas nos habemus, duplicare; post idem iterum facere, ut ex eo dicerent, fulmen qua ex parte venisset. Primum id quid interest? deinde quid significat? Nonne perspicuum est, ex prima admiratione hominum, quod tonitrua iactusque fulminum extimuissent, credidisse ea efficere rerum omnium praepotentem Iovem? Itaque in nostris commentariis scriptum habemus: I o v e t o n a n t e, f u l g u r a n t e c o m i t i a p o p u l i h a b e r e n e f a s. 43. Hoc fortasse rei publicae causa constitutum est; comitiorum enim non habendorum causas esse voluerunt. Itaque comitiorum solum vitium est fulmen, quod idem omnibus rebus optumum

---

1. *aequimelium* AH, *equimelium* B; eadem scriptura est apud Varronem de l. l. V, § 157 quamquam is quoque nomen loci ab aequata Maelii domo deducit; cf. inpr. Cic. de domo sua § 101 — *mittimus* A^2 — 3. *acomodata* A^1 — *agnum non* sup. lin. B — *servos* B^1: *seruus* AB^2HO — 4. *casum* A ex corr.: *casus* A^1BH, sed in B altera *s* in ras. — *dicis esse* Salisb. O — 5. *Stoicos vestros* Davisii susp. — 6. *ignorans* H — 7. *deriant* H — 8. *inducit* Davisii coni. — *flabilis* B, *perflabiles* HO — *habitantes* HO — 10. *illum* A — 11. *Ergo is* Salisb. — *circumitione* AB^2H: *circum mitione* B^1, *circuitione* O — *recta* Clericus coni. — 12. *ut* om. H — 14. *inpertire* correctum in *inpertiri* (bis) B — *uester* -- *inpertire* A in marg. m. sec. additum habet — 15. *nichil hominus* H — 16. *inducitis* A^2B^2H — 17-19 *di* A, sed quarto loco (v. 20) *sunt dei* — 20. *perpicuae* A^1 — 22. *atque* sup. lin. B — 23. *sequuntur* HO — *fulgura* AHO — 24. *fulgyribus* A — 26. *partes* HO — 27. *duplicares pidem* H — 28. *euenisset* AB, sed in B prima *e* ex corr. — 29. *ammir.* H — *homines* Lambinus — 30. *thonitrua* A — 31. *coment.* A — 32. *tonante et fulg.* H — 33. *haberi* Erlang. — *constitum* A — 35. *solum* C: fort.: *solorum*.

auspicium habemus, si sinistrum fuit. Sed de auspiciis alio loco, nunc de fulgoribus.

XIX. Quid igitur minus a physicis dici debet quam quicquam certi significari rebus incertis? Non enim te puto esse eum, qui Iovi fulmen fabricatos esse Cyclopas in Aetna putes; 44. nam esset mirabile, quo modo id Iuppiter totiens iaceret, cum unum haberet; nec vero fulminibus homines quid aut faciendum esset aut cavendum moneret. Placet enim Stoicis eos anhelitus terrae, qui frigidi sint, cum fluere coeperint, ventos esse; cum autem se in nubem induerint eiusque tenuissimam quamque partem coeperint dividere atque disrumpere idque crebrius facere et vehementius, tum et fulgores et tonitrua existere; si autem nubium conflictu ardor expressus se emiserit, id esse fulmen. Quod igitur vi naturae, nulla constantia, nullo rato tempore videmus effici, ex eo significationem rerum consequentium quaerimus? Scilicet, si ista Iuppiter significaret, tam multa frustra fulmina emitteret! 45. Quid enim proficit, cum in medium mare fulmen iecit? quid, cum in altissimos montis, quod plerumque fit? quid, cum in desertas solitudines? quid, cum in earum gentium oras, in quibus haec ne observantur quidem?

XX. At inventum est caput in Tiberi. Quasi ego artem aliquam istorum esse negem, divinationem nego. Caeli enim distributio, quam ante dixi, et certarum rerum notatio docet unde fulmen venerit, quo concesserit; quid significet autem nulla ratio docet. Sed urges me meis versibus:

Nam pater altitonans stellanti nixus Olympo
Ipse suos quondam tumulos ac templa petivit,
Et Capitolinis iniecit sedibus ignis.

Tum statua Nattae, tum simulacra deorum Romulusque et Remus cum altrice belua vi fulminis icti conciderunt, deque his rebus haruspicum extiterunt responsa verissuma. 46. Mirabile autem illud, quod eo ipso tempore, quo fieret indicium coniurationis in senatu, signum Iovis biennio post, quam erat locatum, in Capitolio conlocabatur. «Tu igitur animum induces — sic enim mecum agebas — causam istam et contra facta tua et contra scripta defendere?» Frater es, eo vereor. Verum quid tibi hic tandem nocet? resne, quae talis est, an ego, qui verum explicari volo? Itaque nihil contra dico; a te rationem totius haruspicinae peto. Sed te mirificam in latebram coniecisti; quod enim intellegeres fore ut premerere, cum ex te causas unius cuiusque divinationis exqui-

---

2. *fulguribus* BHO — 3. *quidquam* BO — 4. Bene contra eos, qui scribebant: *Non enim te puto -- Aetna putes (nam esset --haberet) nec vero fulminibus, quid aut faciendum esset aut carendum, monere* Orellius monuit sic dispositis verbis dicendum fuisse: *quid faciendum sit* — 6 *toties* O — 7. *moneret ventos esse cum autem se (sei* m. pr.) *nubem induerint eiusque tenuissem quamque partem caeperint placet* H — 8. *sint* A: *sunt* BHO — 11. *tum*] *cum* H — *fulgures* H, *fulgora* Lambinus; apte Orellius contulit II, § 82 — *extitere* H — 12. *emisserit* A — 15. *non emitteret* H — 16. *iacit* Lambinus — *quid* sup. lin A — *montes* AHO — 21. *unde -- docet* om. A[1] — 22. *docuit* H — 24. *stelanti* A[1] — 26. *ingecit* H — *ignes* BO — 27. *Tum*] *Cum* H — 28. *vi*] *ut* H; *ut fulminis ictu* Lambinus, *tum fulminis ictu* Davisius — *is* C — 29. *ueris summa* A — 32. *mecum gebas* H — 33. *faleris eo* in ras. B, *fratres non uereor* Salisb., unde Schuetzius: *frater es, eo non vereor* — 36. *intellegere* H — 37. *praemerem te* B[2], *praemeret* H.

rerem, multa verba fecisti te, cum res videres, rationem causamque non quaerere; quid fieret, non cur fieret ad rem pertinere. Quasi ego aut fieri concederem, aut esset philosophi causam, cur quidque fieret, non quaerere. 47. Et eo quidem loco et prognostica nostra pronuntiabas et genera herbarum, scammoniam aristolochiamque radicem, quarum causam ignorares, vim et effectum videres.

XXI. Dissimile totum. Nam et prognosticorum causas persecuti sunt et Boëthus Stoicus, qui est a te nominatus, et noster etiam Posidonius; et si causae non reperiantur istarum rerum, res tamen ipsae observari animadvertique potuerunt. Nattae vero statua aut aera legum de caelo tacta, quid habent observatum ac vetustum? Pinarii Nattae nobiles: a nobilitate igitur periculum. Hoc tam callide Iuppiter cogitavit! Romulus lactens fulmine ictus: urbi igitur periculum ostenditur ei, quam ille condidit. Quam scite per notas nos certiores facit Iuppiter! At eodem tempore signum Iovis conlocabatur, quo coniuratio indicabatur. Et tu scilicet mavis numine deorum id factum quam casu arbitrari? et redemptor, qui columnam illam de Cotta et de Torquato conduxerat faciendam, non inertia aut inopia tardior fuit, sed a deis inmortalibus ad istam horam reservatus est? 48. Non equidem plane despero ista esse vera, sed nescio et discere a te volo. Nam cum mihi quaedam casu viderentur sic evenire, ut praedicta essent a divinantibus, dixisti multa de casu, ut Venerium iaci posse casu quattuor talis iactis, sed quadringentis centum Venerios non posse casu consistere. Primum nescio cur non possint, sed non pugno; abundas enim similibus. Habes et respersionem pigmentorum et rostrum suis et alia permulta. Idem Carneadem fingere dicis de capite Panisci, quasi non potuerit id evenire casu et non in omni marmore necesse sit inesse vel Praxitelia capita. Illa enim ipsa efficiuntur detractione neque quicquam illuc adfertur a Praxitele; sed cum multa sunt detracta et ad liniamenta oris perventum est, tum intellegas illud, quod iam expolitum sit, intus fuisse. 49. Potest igitur tale aliquid etiam sua sponte in lapicidinis Chiorum extitisse. Sed sit hoc fictum. Quid? in nubibus numquam animadvertisti leonis formam aut hippocentauri? Potest igitur, quod modo negabas, veritatem casus imitari.

XXII. Sed quoniam de extis et de fulgoribus satis est disputatum, ostenta restant, ut tota haruspicina sit pertractata. Mulae partus prolatus est a te. Res mirabilis, propterea quia non saepe fit; sed si fieri

---

1. *tecum cum res* B, sed *cum* sup. lin. — 3. *non concederem* Nodellii susp. — *esse* B[1] — *quicque* AH — 5. *scammoniam* AH : *scamoniam* B, *scammoneam* O, ut supra I, § 16 — *causam*] hic desinit H — 10. *potuerunt* C : *possunt* cod Reg. Davisii O — *aera legum*] *simulacra deorum* B in ras. — 11. *quid habent observandum. At vetus, tum Pinarii* Marklandus ep. crit. p. 47 — *pinari innattae* A[1] — 12. *Hoc quam callide Iuppiter excogitavit? At Romulus* Marklandus l. l. in cuius scriptura *excogitavit* rectum videtur — 14. *at* A, sed *t* in ras. — 16. *nomine* A — 22. *uenerum* B — *iactis, sed* Davisius : *iactis et* C, *iactis* Lambinus O — 23. *consistere*] hinc denuo incipit V — 24. *habundas* AV[1] — *aspersionem* Lambinus ex I, § 23 — 27. *vel Praxitelia -- adfertur* in marg. m. pr. habet A — fort. *Pasitelia -- Pasitele* ut I, § 79 a viris doctissimis correctum est, quod ut hic quoque scribamus temporum ratio videtur monere — 28. *neque* C : *nec* O — *afferatur* V — 29. *lineamenta* O — 30. *illud*] *aliud* V — *expoliatum* V[1] — 35. *fulguribus* BV[2]O — 36. *to arusp.* B[1] — *prolatus st* A[1].

non potuisset, facta non esset. Atque hoc contra omnia ostenta valeat: numquam quod fieri non potuerit esse factum, sin potuerit, non esse mirandum. Causarum enim ignoratio in re nova mirationem facit; eadem ignoratio si in rebus usitatis est, non miramur. Nam qui mulam peperisse miratur, is quo modo equa pariat, aut omnino quae natura partum animantis faciat ignorat. Sed quod crebro videt non miratur, etiam si cur fiat nescit; quod ante non vidit, id si evenit, ostentum esse censet. Utrum igitur, cum concepit mula, an cum peperit, ostentum est? 50. Conceptio contra naturam fortasse, sed partus prope necessarius.

XXIII. Sed quid plura? Ortum videamus haruspicinae, sic facillume quid habeat auctoritatis iudicabimus. Tages quidam dicitur in agro Tarquiniensi, cum terra araretur et sulcus altius esset impressus, extitisse repente et eum adfatus esse, qui arabat. Is autem Tages, ut in libris est Etruscorum, puerili specie dicitur visus, sed senili fuisse prudentia. Eius adspectu cum obstipuisset bubulcus clamoremque maiorem cum admiratione edidisset, concursum esse factum totamque brevi tempore in eum locum Etruriam convenisse; tum illum plura locutum multis audientibus, qui omnia verba eius exceperint litterisque mandarint; omnem autem orationem fuisse eam, qua haruspicinae disciplina contineretur; eam postea crevisse rebus novis cognoscendis et ad eadem illa principia referendis. Haec accepimus ab ipsis, haec scripta conservant, hunc fontem habent disciplinae. 51. Num ergo opus est ad haec refellenda Carneade? num Epicuro? estne quisquam ita desipiens, qui credat exaratum esse, deum dicam an hominem? Si deum, cur se contra naturam in terram abdiderit, ut patefactus aratro lucem adspiceret? Quid? idem nonne poterat deus hominibus disciplinam superiore e loco tradere? Si autem homo ille Tages fuit, quonam modo potuit terra oppressus vivere? unde porro illa potuit, quae docebat alios, ipse didicisse? Sed ego insipientior, quam illi ipsi, qui ista credunt, qui quidem contra eos tam diu disputem.

XXIV. Vetus autem illud Catonis admodum scitum est, qui mirari se aiebat, quod non rideret haruspex, haruspicem cum vidisset. 52. Quota enim quaeque res evenit praedicta ab istis? aut si evenit quippiam, quid adferri potest, cur non casu id evenerit? Rex Prusias, cum Hannibali apud eum exsulanti depugnari placeret, negabat se audere, quod exta prohiberent. «Ain tu? inquit, carunculae vitulinae mavis quam imperatori veteri credere?» Quid? ipse Caesar, cum a summo haruspice moneretur ne in Africam ante brumam transmitteret, nonne transmisit? quod

---

2. *sin poterit* B^1 — 3. *admirationem* Bakius — 6. *miramur* A^1 — 7. *ante*] *autem* Salisb. — 12. *habeat* Erlang.: *habet* C — *tage* A^1 — 13. *alcius* A — 16. *obstupuisset* B V^2 O — 17. *ededisset* A — 19. *verba eius* C: *eius verba* O — *mandauerint* O — 20. *disciplinae* V^1 — 22. *accepi* B^1 — *ipsis qui haec* A, sed *qui* sup. lin. m. sec. — 24. *num*] *non* A — 25. *dicam an hominem si deum* in marg. habet B — *si deus* ex cod. Baliolensi Davisius — 26. *abdiderat* Lambinus, *abdidit* Klotzius — *aspiceret* AV — 29. *opr.* A — 31. *diu* in ras. habet A — 34. *quippiam* AV: *quidpiam* BO — 35. *Annibali* O — 36. *aput* A — 37. *ain tu* B: *an tu* AVO, *vin tu* Salisb.; cf. II, § 146 — *inquid* A — 38. *a Spurinna haruspice* ingeniose Davisius coniecit — 39. *tramitteret* ABV^1, sed iidem deinde *transmisit* — *non* A^1.

ni fecisset, uno in loco omnes adversariorum copiae convenissent. Quid ego haruspicum responsa commemorem — possum equidem innumerabilia —, quae aut nullos habuerint exitus aut contrarios? 53. Hoc civili bello, di inmortales! quam multa luserunt! quae nobis in Graeciam Roma responsa haruspicum missa sunt! quae dicta Pompeio! Etenim ille admodum extis et ostentis movebatur. Non lubet commemorare, nec vero necesse est, tibi praesertim, qui interfuisti. Vides tamen omnia fere contra ac dicta sint evenisse. Sed haec hactenus; nunc ad ostenta veniamus.

XXV. 54. Multa me consule a me ipso scripta recitasti, multa ante Marsicum bellum a Sisenna collecta attulisti, multa ante Lacedaemoniorum malam pugnam in Leuctris a Callisthene commemorata dixisti. De quibus dicam equidem singulis, quoad videbitur; sed dicendum etiam est de universis. Quae est enim ista a deis profecta significatio et quasi denuntiatio calamitatum? quid autem volunt [ea] di inmortales primum significantes, quae sine interpretibus non possimus intellegere, deinde ea, quae cavere nequeamus? At hoc ne homines quidem probi faciunt, ut amicis inpendentis calamitates praedicant, quas illi effugere nullo modo possint, ut medici, quamquam intellegunt saepe, tamen numquam aegris dicunt illo morbo eos esse morituros. Omnis enim praedictio mali tum probatur, cum ad praedictionem cautio adiungitur. 55. Quid igitur aut ostenta aut eorum interpretes vel Lacedaemonios olim vel nuper nostros adiuverunt? quae si signa deorum putanda sunt, cur tam obscura fuerunt? Si enim, ut intellegeremus quid esset eventurum, aperte declarari oportebat, aut ne occulte quidem, si ea sciri nolebant.

XXVI. Iam vero coniectura omnis, in qua nititur divinatio, ingeniis hominum in multas aut diversas aut etiam contrarias partis saepe diducitur. Ut enim in causis iudicialibus alia coniectura est accusatoris, alia defensoris et tamen utriusque credibilis, sic in omnibus iis rebus, quae coniectura investigari videntur, anceps reperitur ratio. Quas autem res tum natura tum casus adfert, non numquam etiam errorem creat similitudo, magna stultitia est earum rerum deos facere effectores, causas rerum non quaerere. 56. Tu vates Boeotios credis Lebadiae vidisse ex gallorum gallinaceorum cantu victoriam esse Thebanorum, quia galli victi

---

1. *omnis* AV — 3. *habuerunt* Erl. O — 4. *di* $A^1 V^1$ — 8. *sint* in ras. B, *sunt* Salisb. — *actenus* AV^1 — *nunc ad ostenta veniamus* C: Cicero si his in libris magis sibi constaret, aut *nunc ad ostenta redeamus* ei scribendum, aut eiecta exili cap XXII disputatione amplior capp. XXV—XXXIII eius in locum substituenda fuit; sed cum multa in his libris parum concinne disputata sint, illis verbis transitum parari crediderim ad id divinationis genus explicandum, quod ex signis interposita coniectura explicetur (cf. II, § 26), quod quidem latius pateat quam illud alterum, quo haruspices portentosa ostenta procurarunt — 11. *atul.* A^1 — 13. *etiam* C: fort. *antea* — 15. *uolunt ea* AV, *ea uolunt* B; *ea* post *primum* transposuit Lambinus in marg. ed. a. 1581, idem in ed. a. 1566 eiecit, quem secutus uncis illud pronomen inclusi — 17. *hec* V^1 — 18. *impendentes* O — 20. *praedicatio* A^1 — 21. *quum* hoc loco A — 22. *lacedemoniis* V^1 — 26 *nititur* A — *ingenis* A^1 — 27. *aut di.* C: *ac di.* Lambinus O — *partes* O — *diducitur* Manutius: *deducitur* C — 29. *his* B — 30. *investigari solent* Manutius — *ratio* Hottingerus: *oratio* C — 31. *in quibus nonnumquam* Lambinus — 32. *causas non quaerere* vir quidam doctus in marg. ed. Lamb. 1581 — 33. *Lebadiae* vulgo: *thebaide* C, quem eundem errorem invenimus I, § 74.

silere solerent, canere victores. Hoc igitur per gallinas Iuppiter tantae civitati signum dabat? An illae aves, nisi cum vicerunt, canere non solent? At tum canebant, nec vicerant; id enim est, inquies, ostentum. Magnum vero, quasi pisces, non galli cecinerint. Quod autem est tempus, quo illi non cantent, vel nocturnum vel diurnum? Quod si victores alacritate et quasi laetitia ad canendum excitantur, potuit accidisse alia quoque laetitia, qua ad cantum moverentur. 57. Democritus quidem optumis verbis causam explicat cur ante lucem galli canant. Depulso enim de pectore et in omne corpus diviso et mitificato cibo cantus edere quiete satiatos; qui quidem silentio noctis, ut ait Ennius, favent faucibus russis cantu plausuque premunt alas. Cum igitur hoc animal tam sit canorum sua sponte, quid in mentem venit Callistheni dicere deos gallis signum dedisse cantandi, cum id vel natura vel casus efficere potuisset?

XXVII. 58. Sanguine pluisse senatui nuntiatum est, Atratum etiam fluvium fluxisse sanguine, deorum sudasse simulacra. Num censes his nuntiis Thalen aut Anaxagoran aut quemquam physicum crediturum fuisse? nec enim sanguis nec sudor nisi e corpore. Sed et decoloratio quaedam ex aliqua contagione terrena maxume potest sanguini similis esse, et humor adlapsus extrinsecus, ut in tectoriis videmus austro, sudorem videtur imitari. Atque haec in bello plura et maiora videntur timentibus, eadem non tam animadvertuntur in pace. Accedit illud etiam, quod in metu et periculo cum creduntur facilius tum finguntur inpunius. 59. Nos autem ita leves atque inconsiderati sumus, ut si mures corroserint aliquid, quorum est opus hoc unum, monstrum putemus? Ante vero Marsicum bellum quod clipeos Lanuvii, ut a te dictum est, mures rosissent, maxumum id portentum haruspices esse dixerunt. Quasi vero quicquam intersit, mures diem noctem aliquid rodentes scuta an cribra corroserint. Nam si ista sequimur, quod Platonis Politian nuper apud me mures corroserunt, de re publica debui pertimescere; aut si Epicuri de Voluptate liber rosus esset, putarem annonam in macello cariorem fore.

XXVIII. 60. An vero illa nos terrent, si quando aliqua portentosa aut ex pecude aut ex homine nata dicuntur? quorum omnium, ne sim longior, una ratio est. Quidquid enim oritur, qualecumque est, causam habeat a natura necesse est, ut etiam si praeter consuetudinem extiterit,

---

1. *solerent* C: *solent* O; cf. I, § 74 — *gallinaceos* Davisius — *tantae ciuitati* C: fort. *tantae rei ciuitati* — 2. aut *aves, cum* scribendum, aut Cicero parum acute disputasse iudicandus est — *uicerint* B^2 O — 3. *at cum* A — 5. *qui illi* V^1 — 6. *et* om. A — 8. *cantant* AV, *cantent* Erlang. — 9. *diuiso et modificato* V^2, *diviso mitificato* Foertschius l. l. p. 7 — *cybo* A — 10. *saciatos* A — Ennii verba Ribbeck ita in numeros anapaesticos redegit, ut ante *favent: gallique* scriptum fuisse statueret — 11. *cantu* V^2. *cantus* ABV^1 — *lausuque* AV^1 — 15. *sanguine* edd. vett.: *sanguinem* C O — 16. *sanguinem* AB — *num* in ras. A — 17. *Anaxagoram* O — *quenquam* AV — 18. *e corpore* A — *corpore est* V^2 O — 19. *sanguinis* B — 20. *umor* A^1 — 22. *notam* A^1 — 24. *leue esse atque* V^1 — *inconsideratis* V^1, *inconsiderantis* V^2 — 26. *clypeos* O — 27. *est dictum* codd. dett. Moseri O — *rosissent* $A^2 V^2$: *rossent* A^1, *essent* B^1, *possent* V^1, *nocte essent* B^2 — *esse*] *si* A^1 — 28. *quidquam* O — *aliquid rodent quorum est opus an cribra* V — *corroserint* V^2: *correserint* A B V^1 — 30. *Politiam* O — 31. *corrosus* V^2 O — 33. *portentuosa* Klotzius — 35. *quicquid* AV — 36. *ut* om. V^1.

praeter naturam tamen non possit existere. Causam igitur investigato in re nova atque admirabili, si poteris; si nullam reperies, illud tamen exploratum habeto nihil fieri potuisse sine causa, eumque terrorem, quem tibi rei novitas attulerit, naturae ratione depellito. Ita te nec terrae fremitus nec caeli discessus nec lapideus aut sanguineus imber nec traiectio stellae nec faces visae terrebunt. 61. Quorum omnium causas si a Chrysippo quaeram, ipse ille divinationis auctor numquam illa dicet facta fortuito naturalemque rationem omnium reddet. Nihil enim fieri sine causa potest, nec quicquam fit, quod fieri non potest; nec si id factum est, quod potuit fieri, portentum debet videri: nulla igitur portenta sunt. Nam si, quod raro fit, id portentum putandum est, sapientem esse portentum est; saepius enim mulam peperisse arbitror quam sapientem fuisse. Illa igitur ratio concluditur, nec id, quod non potuerit fieri, factum umquam esse, nec quod potuerit, id portentum esse: ita omnino nullum esse portentum. 62. Quod etiam coniector quidam et interpres portentorum non inscite respondisse dicitur † ei, qui cum ad eum retulisset quasi ostentum, quod anguis domi vectem circumiectus fuisset: «tum esset», inquit «ostentum, si anguem vectis circumplicavisset». Hoc ille responso satis aperte declaravit, nihil habendum esse, quod fieri posset, ostentum.

XXIX. C. Gracchus ad M. Pomponium scripsit duobus anguibus domi conprehensis haruspices a patre convocatos. Qui magis anguibus quam lacertis, quam muribus? Quia sunt haec cotidiana, angues non item. Quasi vero referat, quod fieri potest, quam id saepe fiat. Ego tamen miror, si emissio feminae anguis mortem adferebat Ti. Graccho, emissio autem maris anguis erat mortifera Corneliae, cur alteram utram emiserit. Nihil enim scribit respondisse haruspices, si neuter anguis emissus esset, quid esset futurum. At mors insecuta Gracchum est. Causa quidem, credo, aliqua morbi gravioris, non emissione serpentis; neque enim tanta est infelicitas haruspicum, ut ne casu quidem umquam fiat, quod futurum illi esse dixerint.

XXX. 63. Nam illud mirarer, si crederem, quod apud Homerum Calchantem dixisti ex passerum numero belli Troiani annos auguratum; de cuius coniectura sic apud Homerum, ut nos otiosi convertimus, loquitur Agamemnon:

> **Ferte, viri, et duros animo tolerate labores,**
> **Auguris ut nostri Calchantis fata queamus**
> **Scire ratosne habeant an vanos pectoris orsus.**
> **Namque omnes memori portentum mente retentant,**

---

2. *repperies* B — 3. *terrorem* Lambinus: *errorem* C — 4. *atul.* A — 6. *quorum* Salisb.: *quarum* C — 7. *quaerem* V^1, *quaererem* V^2 — *ipsa* A^1 — 9. *quidquam* BO — 16. *qui cum* A, sed *cum* in ras.: *qui quodam* (*quoddam* corr.) V; *qui quondam* (aut *qui* om. *cum*) coni. Davies; *dicitur cum quidam* coni. Halm — 20. *esse quod fieri posset ostentum* AB, nisi quod in B *ostentum* sup. lin. additum est: *esse quod fieri posset* V, quibus verbis in margine adiectum est *portentum*; *esse portentum, quod fieri posset* O — 21. *G* AB, sed in B sup. lin., om. V — *grachus* B — *scribit* A^1 — 23. *quotidiana* O — 24. *potest*] *post* A^1 — 25. *Ti.* vulgo: *tito* C — 26. *alterutram* A^2 — 27. *missus* AB — 28. *Gracchi* Davisius — 30. *ne*] *nec* B — 34. *cuius* V^2: *quoius* ABV^1 — 35. *Agamemno* O, Ulixem haec apud Homerum Il. B v. 299 sqq. loqui vidit Politianus; cf. II, § 82 — 36. *tolerare* A.

Qui non funestis liquerunt lumina fatis.
Argolicis primum ut vestita est classibus Aulis,
Quae Priamo cladem et Troiae pestemque ferebant,
Nos circum latices gelidos fumantibus aris,
Aurigeris divom placantes numina tauris,
Sub platano umbrifera, fons unde emanat aquaï,
Vidimus inmani specie tortuque draconem
Terribilem, Iovis ut pulsu penetraret ab ara;
Qui platani in ramo foliorum tegmine saeptos
Corripuit pullos; quos cum consumeret octo,
Nona super tremulo genetrix clangore volabat,
Cui ferus inmani laniavit viscera morsu.
64. Hunc, ubi tam teneros volucris matremque peremit,
Qui luci ediderat genitor Saturnius idem
Abdidit et duro formavit tegmine saxi.
Nos autem timidi stantes mirabile monstrum
Vidimus in mediis divom versarier aris.
Tum Calchas haec est fidenti voce locutus:
Quidnam torpentes subito obstipuistis Achivi?
Nobis haec portenta deum dedit ipse creator
Tarda et sera nimis, sed fama ac laude perenni.
Nam quot avis taetro mactatas dente videtis,
Tot nos ad Troiam belli exanclabimus annos,
Quae decumo cadet et poena satiabit Achivos.
Edidit haec Calchas, quae iam matura videtis.

65. Quae tandem ista auguratio est ex passeribus annorum potius quam aut mensum aut dierum? Cur autem de passerculis coniecturam facit, in quibus nullum erat monstrum, de dracone silet, qui, id quod fieri non potuit, lapideus dicitur factus? Postremo quid simile habet passer annis? Nam de angue illo, qui Sullae apparuit immolanti, utrumque memini, et Sullam, cum in expeditionem educturus esset, immolavisse et anguem ab ara extitisse, eoque die rem praeclare esse gestam non haruspicis consilio sed imperatoris.

XXXI. 66. Atque haec ostentorum genera mirabile nihil habent, quae cum facta sunt, tum ad coniecturam aliqua interpretatione revocantur, ut illa tritici grana in os pueri Midae congesta aut apes, quas

---

2. *aulis* Erlang.: *aules* C — 3. *ferebat* B² — 4. *gelides* A — 5. *augeris* A¹ — *diuum* AO, sed in A *u* posterius in ras. — 6. *emanabat* AB, *manebat* Pithoeus — 7. *inmanis* A¹, *immanis* B — 8. *penetraret* C: *penetrabat* codd. dett. Davisii et Moseri O — 10. *quum* hic scriptum est in AV¹ — 11. *genitrix* O; cf. Lachmannum ad Lucret. p. 15 — *glangore* A¹V¹ — 13. *uolucres* O — 15. *formauit* C: *firmavit* codd. interpolati Moseri O, fort. *velavit* — *tegmine saxi* ABV¹: *tegmina saxo* V²O — 17. *diuum* AO, sed alterum *u* in ras. habet A — *uersarier* in ras. A — 18. *chalcas* A et sic item v. 25 — 19. *obstupuistis* O; cf. II, § 54 — 20. *potenta* A¹ — 21. *sera animis* C — *peremni* BO — 22. *quod* AB — *aues* AO — *tetro* A m. sec. in ras. scriptum habet — 24. *decimo* O — *et* sup. lin. habet V — *poenas* A, *penis* B — 27. *mensum* nos: *mensuum* AV, *mensium* BO; v. adnotata ad or. Philipp. XII, § 22 — 30. *sillae* A, sed *si* in ras. — 31. *sillam* A, sed *si* in ras. — *cum in*] *qui in* A m. 2 in loco evanido; videtur primitus *quum in* scriptum fuisse — 33. *haruspices* A¹V¹ — 35. *aliqua* C: *aliquam* O — 36. *in hos* B — *puerim midae* A in loco evanido — *aut* corr. in *ut* B.

dixisti in labris Platonis consedisse pueri, non tam mirabilia sint quam coniecta belle; quae tamen vel ipsa falsa esse vel ea, quae praedicta sunt, fortuito cecidisse potuerunt. De ipso Roscio potest illud quidem esse falsum, ut circumligatus fuerit angui, sed ut in cunis fuerit anguis non tam est mirum, in Solonio praesertim, ubi ad focum angues nundinari solent. Nam quod haruspices responderunt, nihil illo clarius, nihil nobilius fore, miror deos immortalis histrioni futuro claritatem ostendisse, nullam ostendisse Africano. 67. Atque etiam a te Flaminiana ostenta collecta sunt: «quod ipse et equus eius repente conciderit»: non sane mirabile hoc quidem; «quod evelli primi hastati signum non potuerit»: timide fortasse signifer evellebat, quod fidenter infixerat. Nam Dionysi equus quid attulit admirationis quod emersit e flumine quodque habuit apes in iuba? sed quia brevi tempore regnare coepit, quod acciderat casu vim habuit ostenti. At Lacedaemoniis in Herculis fano arma sonuerunt eiusdemque dei Thebis valvae clausae subito se aperuerunt, eaque scuta, quae fuerant sublime fixa, sunt humi inventa. Horum cum fieri nihil potuerit sine aliquo motu, quid est cur divinitus ea potius quam casu facta esse dicamus?

XXXII. 68. At in Lysandri statuae capite Delphis extitit corona ex asperis herbis et quidem subita. Itane? censes ante coronam herbae extitisse quam conceptum esse semen? Herbam autem asperam credo avium congestu, non humano satu; iam quidquid in capite est, id coronae simile videri potest. Nam quod eodem tempore stellas aureas Castoris et Pollucis Delphis positas decidisse neque eas usquam repertas esse dixisti, furum id magis factum quam deorum videtur. 69. Simiae vero Dodonaeae improbitatem historiis Graecis mandatam esse demiror. Quid minus mirum quam illam monstruosissumam bestiam urnam evertisse, sortes dissupavisse? Et negant historici Lacedaemoniis ullum ostentum hoc tristius accidisse. Nam illa praedicta Veientium, si lacus Albanus redundasset isque in mare fluxisset, Romam perituram; si repressus esset, Veios....ita aqua Albana deducta ad utilitatem agri suburbani, non ad arcem urbemque retinendam. At paulo post audita vox est monentis, ut providerent ne a Gallis Roma caperetur; ex eo Aio Loquenti aram in nova via consecratam. Quid ergo? Aius iste Loquens, quom eum nemo norat, et aiebat et loquebatur et ex eo nomen invenit; postea quam et sedem et aram et nomen invenit, obmutuit? Quod idem dici de Moneta potest; a qua, praeterquam de sue plena, quid umquam moniti sumus?

---

2. *coniectabilia* B, sed *bilia* ex corr. — 5. *selonio* A, sed *se* in ras., cf. I, § 79 — *nondinarj* A, *nidulari* amicus quidam Ursini, *meridiari* Davisius — 6. *responderunt* codd. dett.: *responderint* C — 7. *immortales* AVO — 9. *collecta sunt. Quod* O; nos in interpungendo hoc loco Madvigium ad Cic. de finn. p. 54 secuti sumus — *eius* om. B — 12. *Dionysii* O — *atul.* A — 13. *occiderat* V^1 — 14. *at* in ras. A — 16. *quae* sup. lin. B — *humani* V^1 — 17. *aliquo* om. B^1, *alico* V^1 — *quur diuinatus* V^1 — 22. *quicquid* AB — 26. *dodoneae* A — *historicis* A — 28. *dissipauisse* O — 31. *Veios ita* C: aliquid intercidisse Lambinus intellexit, quam lacunam sic commode expleveris: *Veios: omni ex parte rata exstiterunt? num minus Roma a Gallis capta est? ita aqua* etc. — *agris* A — 34. *quom* B: *quo* V corr. m. 2 in *quoniam*, *cum* A in ras., *quando* codd. dett. Moseri et O — 35. *et* ante *ex* om. ABV^1 — 36. *arum* V^1 — *ommutuit* C — 37. *umquam* A hoc loco.

XXXIII. 70. Satis multa de ostentis. Auspicia restant et sortes eae, quae ducuntur, non illae, quae vaticinatione funduntur, quae oracla verius dicimus; de quibus tum dicemus, cum ad naturalem divinationem venerimus. Restat etiam de Chaldaeis. Sed primum auspicia videamus. Difficilis auguri locus ad contra dicendum. Marso fortasse, sed Romano facillumus. Non enim sumus ii nos augures, qui avium reliquorumve signorum observatione futura dicamus. Et tamen credo Romulum, qui urbem auspicato condidit, habuisse opinionem esse in providendis rebus augurandi scientiam — errabat enim multis in rebus antiquitas —, quam vel usu iam vel doctrina vel vetustate immutatam videmus. Retinetur autem et ad opinionem vulgi et ad magnas utilitates rei publicae mos, religio, disciplina, ius augurum, collegii auctoritas. 71. Nec vero non omni supplicio digni P. Clodius L. Iunius consules, qui contra auspicia navigaverunt. Parendum enim religioni fuit nec patrius mos tam contumaciter repudiandus. Iure igitur alter populi iudicio damnatus est, alter mortem sibi ipse conscivit. Flaminius non paruit auspiciis, itaque periit cum exercitu. At anno post Paulus paruit. Num minus cecidit in Cannensi pugna cum exercitu? Etenim, ut sint auspicia, quae nulla sunt; haec certe, quibus utimur, sive tripudio sive de caelo, simulacra sunt auspiciorum, auspicia nullo modo.

XXXIV. Q. Fabi, te mihi in auspicio esse volo: respondet, audivi. Hic apud maiores adhibebatur peritus, nunc quilubet. Peritum autem esse necesse est eum, qui silentium quid sit intellegat; id enim silentium dicimus in auspiciis, quod omni vitio caret. 72. Hoc intellegere perfecti auguris est; illi autem, qui in auspicium adhibetur, cum ita imperavit is, qui auspicatur, dicito si silentium esse videbitur, nec suspicit nec circumspicit; statim respondet silentium esse videri. Tum ille: dicito si pascuntur. — Pascuntur. — Quae aves? aut ubi? Attulit, inquit, in cavea pullos is, qui ex eo ipso nominatur pullarius. Hae sunt igitur aves internuntiae Iovis; quae pascantur

---

1. *eae*] *aee* B — 2. *quae*] *qui* A corr. ex *qua*, ut videtur — *oracula* O — 5. *augurii* C — 7. *discamus* Cobetus, sed vide nos ad II, § 108 — 9. *augurandis* B — *rebus et ant.* V — *quas -- immutatas* Clericus; verba *errabat -- antiquitas* uncinis incluserunt Pearcius atque Orellius, ut *quam* ad *augurandi scientiam* vel ad *opinionem* referretur — 11. *oppin.* A — 12. *ius augurum* codd. dett., ut infra § 75 codd. fide legitur, *ius augurium* CO, quam lectionem ita defendit Jac. Gronovius, ut *augurium* munere nominis adiectivi fungi dicat, ut Cic. de senect. c. IV et epp. ad fam. III, 9 *iuris augurii* scripserit, quamquam vereor, ne in illis locis *iuris augurii* eodem modo dictum sit quo infra § 76 *disciplina augurii* — 12. *collegi* AV — 13. *Claudius* O — *cos.* A^1, *quos* V^1 — *qui*] *Q.* in ras. B — *nauigarunt* VO; inde usque ad c. XL cod. V manu recentiore simili, ut videtur, exemplari atque cod. Salisb. descriptus est, unde leviores calami lapsus in his foliis etiam minus quam antea notavi — 14. *fuit religioni* VO — 17. *Paullus* O — *nummius* A^1 — *canensi* A — 21. *Q.*] *que* AB; praenomen hoc expulit Rathius, cum in formulis solemnibus nominibus fictis praenomina non adderentur; at cf. Varronem de l. l. VI, § 88 qui in simili formula nomen fictum *C. Calpurni* exhibet — 22. *maiores nostros* Marsus O — *num* A — *quid iubet* V, *quilibet* O — 24. *haec* V — 25. *adhibetur* vulgo: *adhibentur* C — 26. *iis* A, *his* B^1V^1 — *auspicatur* A^2B^2: *auspicator* A^1B^1, *auspicantur* V — *dicito* B, sed *to* in ras. — *si* Erlang.: om. C — 27. *responderet* V — 28. *pascentur* Kayserus — 29. *aut* B^1, *at* B^2 — *inquit* vide ne ex glossemate adiectum sit — 30. *has* A^2BV: *haec* A^1, quam formam Ciceronis aetate in usu fuisse Varronis auctoritate nisus nego. — *pascuntur* V.

necne quid refert? Nihil ad auspicia; sed quia, cum pascuntur, necesse est aliquid ex ore cadere et terram pavire, terripavium primo, post terripudium dictum est; hoc quidem iam tripudium dicitur. Cum igitur offa cecidit ex ore pulli, tum auspicanti tripudium solistimum nuntiatur.

XXXV. 73. Ergo hoc auspicium divini quicquam habere potest, quod tam sit coactum et expressum? quo antiquissumos augures non esse usos argumento est, quod decretum collegii vetus habemus omnem avem tripudium facere posse. Tum igitur esset auspicium, si modo esset ei liberum se ostendisse; tum avis illa videri posset interpres et satelles Iovis. Nunc vero inclusa in cavea et fame enecta si in offam pultis invadit et si aliquid ex eius ore cecidit, hoc tu auspicium aut hoc modo Romulum auspicari solitum putas? 74. Iam de caelo servare non ipsos censes solitos, qui auspicabantur? nunc imperant pullario, ille renuntiat. Fulmen sinistrum auspicium optumum habemus ad omnis res praeterquam ad comitia; quod quidem institutum rei publicae causa est, ut comitiorum vel in iudiciis populi vel in iure legum vel in creandis magistratibus principes civitatis essent interpretes. At Ti. Gracchi litteris Scipio et Figulus consules, cum augures iudicassent eos vitio creatos esse, magistratu se abdicaverunt. Quis negat augurum disciplinam esse? divinationem nego. At haruspices divini; quos cum Ti. Gracchus propter mortem repentinam eius, qui in praerogativa referenda subito concidisset, in senatum introduxisset, non iustum rogatorem fuisse dixerunt. 75. Primum vide ne in eum dixerint, qui rogator centuriae fuisset; is enim erat mortuus; id autem sine divinatione coniectura poterant dicere. Deinde fortasse casu, qui nullo modo est ex hoc genere tollendus. Quid enim scire Etrusci haruspices aut de tabernaculo recte capto aut de pomerii iure potuerunt? Equidem adsentior C. Marcello potius quam App. Claudio, qui ambo mei collegae fuerunt, existimoque ius augurum, etsi divinationis opinione principio constitutum sit, tamen postea rei publicae causa conservatum ac retentum.

XXXVI. 76. Sed de hoc loco plura in aliis, nunc hactenus. Externa enim auguria, quae sunt non tam artificiosa quam superstitiosa, videamus. Omnibus fere avibus utuntur, nos admodum paucis; alia illis sinistra sunt, alia nostris. Solebat ex me Deiotarus percontari nostri augurii disciplinam, ego ex illo sui: di inmortales! quantum differebat! ut quaedam essent etiam contraria. Atque ille iis semper utebatur, nos, nisi dum a populo auspicia accepta habemus, quam multum iis utimur?

---

3. *dicitum* A — *hocque idem iam* Davisius — *dicitur* om. V — 4. *solistimum* AV: *sollistimum* BO; cf. I § 28 — 5. *nuntiant* V — 8. *usus esse* V^1, *usos esse* V^2 — *collogii* A^1, *colligii* A^2 — 10. *ei* C: *avi* Hottingerus — 12. *inuasit* Davisius — 13. *servare* vulgo: *seruari* C — 14. *auspicantur* A^1 — *nunc*] *non* V — 15. *habemus* Marsus: *quod habemus* C, *quidem habemus* cod. Pithoeus alter — *omnes* B V O — 17. *commotiorem* A^1 — *in* ante *iure* om. B — 18. *ciuitates* A^1 — *at*] *ac* A^2 — 19. *figulos* A^1 — *cons.*] *quos* A V — *cum* A in ras. habet — *uitios* A — 21. *nego* linea transversa del. B — *at*] *aut* V — 25. *poterat* V — 28. *pomoerii* O — *C.* corr. in *G.* A — 29. *apio* A, *appio* B — *augurium* maluit Orellius, cum ita scriptum sit II § 70 — 30. *si tamen* A^1 — 32. *actenus* A — 33. *artificiose* V^1 — *supersticiosa* AV — 35. *percunctari* V — 36. *ego et illos uidi inm.* V — 37. *his* C — 38. *his* B.

Bellicam rem administrari maiores nostri nisi auspicato noluerunt; quam multi anni sunt, cum bella a proconsulibus et a propraetoribus administrantur, qui auspicia non habent! 77. Itaque nec amnis transeunt auspicato nec tripudio auspicantur; nam ex acuminibus quidem, quod totum auspicium militare est, iam M. Marcellus ille quinquiens consul totum omisit idem imperator, idem augur optumus. Ubi ergo avium divinatio? quae, quoniam ab iis, qui auspicia nulla habent, bella administrantur, ab urbanis retenta videtur, a bellicis esse sublata. Et quidem ille dicebat, si quando rem agere vellet, ne impediretur auspiciis, lectica operta facere iter se solere. Huic simile est, quod nos augures praecipimus, ne iuge auspicium obveniat, ut iumenta iubeant diiungere. 78. Quid est aliud nolle moneri a Iove, nisi efficere ut aut ne fieri possit auspicium aut, si fiat, videri?

XXXVII. Nam illud admodum ridiculum, quod negas Deiotarum auspiciorum, quae sibi ad Pompeium proficiscenti facta sint, paenitere, quod fidem secutus amicitiamque populi Romani functus sit officio; antiquiorem enim sibi fuisse laudem et gloriam quam regnum et possessiones suas. Credo equidem, sed hoc nihil ad auspicia; nec enim ei cornix canere potuit recte eum facere, quod populi Romani libertatem defendere pararet; ipse hoc sentiebat, sicuti sensit. 79. Aves eventus significant aut adversos aut secundos: virtutis auspiciis video esse usum Deiotarum, quae vetat spectare fortunam, dum praestetur fides. Aves vero si prosperos eventus ostenderunt, certe fefellerunt: fugit e proelio cum Pompeio — grave tempus —, discessit ab eo — luctuosa res —, Caesarem eodem tempore hostem et hospitem vidit —, quid hoc tristius? Is cum ei Trogmorum tetrarchian eripuisset et adseculae suo Pergameno nescio cui dedisset eidemque detraxisset Armeniam a senatu datam, cumque ab eo magnificentissumo hospitio acceptus esset, spoliatum reliquit et hospitem et regem. Sed labor longius, ad propositum revertar. Si eventa quaerimus, quae exquiruntur avibus, nullo modo prospera Deiotaro: sin officia, a virtute ipsius, non ab auspiciis petita sunt.

XXXVIII. 80. Omitte igitur lituum Romuli, quem in maximo incendio negas potuisse comburi, contemne cotem Atti Navi. Nihil debet esse in philosophia commenticiis fabellis loci; illud erat philosophi totius au-

---

2. *bella procos* AV — 3. *amnes* A²VO — 4. verba *nam ex acuminibus - - augur optimus* post *a bellicis esse sublata* collocanda esse censet Madvigius — *cuminibus* V, unde amicus quidam Ursini coniecit: *cacuminibus* — 5. *quinquies* A²B²O — 6. *totum*] *dudum* Herelius — *misit* B¹, *emisit* V — *eidem imp.* A¹ — *et idem aug.* V — *obtumus* B — 7. *administrantur, in rebus urbanis* Madvigius — 9. *quando agere rem* V — 11. *iuge* Salisb.: *iuge** A, *iuges* B, *iyges* V, *ingens* Erlang. — *iubeunt* B¹ — *adiungere* A¹, *disiungere* V — 12. *ut* sup. lin. B — 15. *penitere* AV, *poenitere* BO — 18. *equidem* Madvig: *id quidem* CO — *sed hoc nihil* AB: *sed nihil* O, *sed tu quidem nihil* V — *enim* om. V — *ei* om. Erlang. — 22. *uetant* B² — *spectare* Marsus: *exspectare* C — 23. *vero si prosperos* Marsus: *uero prosperos* C, sed inter has voces in B una litera erasa est — *fugi* A — 25. *tempore et hostem* Marsus O — *hospidem* A¹ — 26. *is*] *his* B — *Trogmorum* Davisius: *trochamorum* C, *Trocmorum* Brodaeus — *tetrarchiam* O — *adsaeculae* AB, *assеclae* VO — 27. *cui dedisset* vulgo: *qui dedisset* AB², *quid dedisset* A²V, *qui uidisset* B¹ — 28. *hospicis* A — *reliquid* A; *reliquit hospitem* Klotzius — 29. *praepositum* B — 30. *Deiotaro prospera* V — *deiotarus in* A, *deiotaro*in* B — 32. *quem* om. AV — 33. *contempne* A — *Attii* O — *naui* B: *auii* A¹, *nauii* A²VO — 34. *philosofi potius totius* AB, sed in B *potius* sup. lin. scriptum est.

gurii primum naturam ipsam videre, deinde inventionem, deinde constantiam. Quae est igitur natura, quae volucris huc et illuc passim vagantis efficiat ut significent aliquid et tum vetent agere, tum iubeant aut cantu aut volatu? cur autem aliis a laeva, aliis a dextra datum est avibus, ut ratum auspicium facere possint? Quo modo autem haec aut quando aut a quibus inventa dicemus? Etrusci tamen habent exaratum puerum auctorem disciplinae suae: nos quem? Attiumne Navium? at aliquot annis antiquior Romulus et Remus ambo augures, ut accepimus. An Pisidarum aut Cilicum aut Phrygum ista inventa dicemus? placet igitur humanitatis expertis habere divinitatis auctores?

XXXIX. 81. At omnes reges populi nationes utuntur auspiciis. Quasi vero quicquam sit tam valde quam nihil sapere vulgare, aut quasi tibi ipsi in iudicando placeat multitudo. Quotus quisque est qui voluptatem neget esse bonum? plerique etiam summum bonum dicunt: num igitur eorum frequentia Stoici de sententia deterrentur? aut num plerisque in rebus sequitur eorum auctoritatem multitudo? Quid mirum igitur, si in auspiciis et in omni divinatione inbecilli animi superstitiosa ista concipiant, verum dispicere non possint? 82. Quae autem est inter augures conveniens et coniuncta constantia? Ad nostri augurii consuetudinem dixit Ennius:

Tum tonuit laevum bene tempestate serena.

At Homericus Aiax apud Achillem querens de ferocitate Troianorum nescio quid hoc modo nuntiat:

Prospera Iuppiter his dextris fulgoribus edit.

Ita nobis sinistra videntur, Graiis et barbaris dextra meliora. Quamquam haud ignoro quae bona sint sinistra nos dicere, etiam si dextra sint. Sed certe nostri sinistrum nominaverunt externique dextrum, quia plerumque id melius videbatur. 83. Haec quanta dissensio est! Quid? quod aliis avibus utuntur, aliis signis, aliter observant, alia respondent? Non necesse est fateri partim horum errore susceptum esse, partim superstitione, multa fallendo?

XL. Atque his superstitionibus non dubitasti etiam omina adiungere: Aemilia Paulo Persam perisse, quod pater omen accepit; Caecilia se sororis filiae sedes suas tradere; iam illa «Favete linguis» et

---

1. *deinde inuentionem* in marg. add. habet A — 2. *uolucres* AVO — 3. *uagantes* O — *efficiant* B[1] — 7. *attium* (om. *ne*) in ras. m. sec. scriptum A, *attumne* BV — *at* in ras. A — 8. *annos* A[1] — *accipimus* A[1] — 10. *expertes* O — *diuinatates* A[1], *divinationis* Clericus — 11. *at* in ras. A, *aut* V — 12. *quidquam* O — 16. *horum* Hottingerus — 17. *supersticiosa* A — 19. *at* B[2] — *auguri in* A, *auguris in* B[1], *augurii in* B[2] — 21. *Tum* AB: *cum* VO — 22. *Aiax* C: *Ulysses* Marsus ex Homeri Il. IX, 236; tu conferas l. II § 36 — 25. *grais* A, sed *i* in ras., *graecis* V — 26. *haud*] *hud* A[1], *ut* B — *quae mala sint, sinistra nos dicere* Lambinus; *quae bona sunt, dextra nos dicere, etiamsi sinistra sint* Davisius; *quamquam h. i. q. b. sunt, dextra nos dicere, etiam si sinistra sint*; *quae mala, sinistra, etiam si dextra sint* Jacobs; at nihil codd. lectione verius; etenim ut fere fulgura et aves, quae a laeva manu conspiciebantur, bona omina significabant, ita quaedam aves, ut cornix (cf. I § 85, II § 80) a dextra ratum augurium faciebant, quod omen nihilo setius et ipsum sinistrum dicebatur (cf. II § 76). — 27. *sunt* A[1] — 28. *melius id* O — 29. *aliter resp.* Marsus — 30. *nonne* Hottinger — *suscepta* Rath — 31. *supersticione* AV — 32. *supersticionibus* A — **omina* B — 33. *emilia* A, *emilio* V[2] — *perisse* A, sed *isse* in rasura, *perisse* sup. lin. B — *cecilia* A — 34. *se sororis* scripsi: *sororis* AO, *se soris* B[1], *sessoris* B[2]V.

«praerogativam, omen comitiorum» hoc est ipsum esse contra se copiosum et disertum. Quando enim ista observans quieto et libero animo esse poteris, ut ad rem gerendam non superstitionem habeas, sed rationem ducem? Itane? Si quis aliquid ex sua re atque ex suo sermone dixerit, et eius verbum aliquod apte ceciderit ad id, quod ages aut cogitabis, ea res tibi aut timorem adferet aut alacritatem? 84. Cum M. Crassus exercitum Brundisi inponeret, quidam in portu caricas Cauno advectas vendens Cauneas clamitabat. Dicamus, si placet monitum ab eo Crassum caveret ne iret; non fuisse periturum, si omini paruisset. Quae si suscipiamus, pedis offensio nobis et abruptio corrigiae et sternumenta erunt observanda.

XLI. 85. Sortes restant et Chaldaei, ut ad vates veniamus et ad somnia. Dicendum igitur putas de sortibus? Quid enim sors est? Idem propemodum, quod micare, quod talos iacere, quod tesseras, quibus in rebus temeritas et casus, non ratio nec consilium valet. Tota res est inventa fallaciis aut ad quaestum aut ad superstitionem aut ad errorem. Atque, ut in haruspicina fecimus, sic videamus clarissumarum sortium quae tradatur inventio. Numerium Suffustium Praenestinorum monumenta declarant honestum hominem et nobilem somniis crebris, ad extremum etiam minacibus cum iuberetur certo in loco silicem caedere, perterritum visis irridentibus suis civibus id agere coepisse; itaque perfracto saxo sortis erupisse in robore insculptas priscarum litterarum notis. Is est hodie locus saeptus religiose propter Iovis pueri, qui lactens cum Iunone Fortunae in gremio sedens mammam adpetens castissime colitur a matribus. 86. Eodemque tempore in eo loco, ubi Fortunae nunc est aedes, mel ex olea fluxisse dicunt, haruspicesque dixisse summa nobilitate illas sortis futuras, eorumque iussu ex illa olea arcam esse factam, eoque conditas sortis, quae hodie Fortunae monitu tolluntur. Quid igitur in iis esse potest certi, quae Fortunae monitu pueri manu miscentur atque ducuntur? quo modo autem istae positae in illo loco? quis robur illud cecidit, dolavit, inscripsit? Nihil est, inquiunt, quod deus efficere non possit. Utinam sapientis Stoicos effecisset, ne omnia cum superstitiosa sollicitudine et miseria crederent! Sed hoc quidem genus divinationis vita iam communis explosit. Fani pulchritudo et vetustas Praenestinarum etiam nunc retinet sortium nomen, atque id in volgus. 87. Quis enim magistratus aut quis vir inlustrior utitur sortibus? ceteris vero in locis sortes plane refrixerunt. Quod Carneadem

---

1. *praerogativum* B^2 — *omnem* A, sed *n* in ras. — *commiciorum* A — 2. *illa* V — 3. *supersticionem* A — 5. *et eius -- ea res* bis scriptum, sed alterum deletum est in B — fort.: *quod ipse ages* — 7. *Brundisii* VO — *quidam* ex corr. B — 8. *aduectans* C — 9. *non fuisse*] *confuisse* A^1, *confuisset* A^2 — *si omni offensio nobis* V^1 — 10. *sternumenta* C: *sternutamenta* O — 16. *aut superstitionem* A^1 — 17. *ut* sup. lin. A — 18. *suffuscium* V, *Suffucium* Lambinus O — 22. *sortes* O — *eripuisse* V — *insculptis* B^2 — 23. *is est -- matribus* interpolatoris cuiusdam additamentum esse videbatur Giesio, bene illi refutato a Foertschio l. l. p. 9 — 26. *est* Klotz et Madvig: *sit* C, *sita* Pithoeus, *sita est* Marsus O; *sita aedes est* Lambinus — *oleo* V^1 — *summam* B^2 — 27. *nobilitate* Erlang.: *nobilitatem* C — *sortes* O — 29. *iis* AB^2: *his* B^1VO — *potest esse* VO — 30. *ducentur* A^1 — 32. *sapientes* A^2VO — 33. *supersticiosa* A et sic fere semper — 35. *uenustas* V^2, quod Davisio non displicuit; tu cf. I § 34 — 36. *uulgus* AVO — 37. «Per *ceteros locos* intellige praesertim *Antium* ubi *Fortunae Antiates* colebantur; v. Inscriptt. meas Lat. N. 1738 sqq. Sortium

Clitomachus scribit dicere solitum nusquam se fortunatiorem quam Praeneste vidisse Fortunam. Ergo hoc divinationis genus omittamus.

XLII. Ad Chaldaeorum monstra veniamus, de quibus Eudoxus, Platonis auditor, in astrologia iudicio doctissimorum hominum facile princeps, sic opinatur, id quod scriptum reliquit: «Chaldaeis in praedictione et in notatione cuiusque vitae ex natali die minime esse credendum.» 88. Nominat etiam Panaetius, qui unus e Stoicis astrologorum praedicta reiecit, Anchialum et Cassandrum, summos astrologos illius aetatis, qua erat ipse, cum in ceteris astrologiae partibus excellerent, hoc praedictionis genere non usos. Scylax Halicarnasius, familiaris Panaetii, excellens in astrologia idemque in regenda sua civitate princeps, totum hoc Chaldaeicum praedicendi genus repudiavit. 89. Sed ut ratione utamur omissis testibus, sic isti disputant, qui haec Chaldaeorum natalicia praedicta defendunt. Vim quandam esse aiunt signifero in orbe, qui Graece ζωδιακὸς dicitur, talem, ut eius orbis unaquaeque pars alia alio modo moveat inmutetque caelum, perinde ut quaeque stellae in his finitumisque partibus sint quoque tempore, eamque vim varie moveri ab iis sideribus, quae vocentur errantia: cum autem in eam ipsam partem orbis venerint, in qua sit ortus eius, qui nascatur, aut in eam, quae coniunctum aliquid habet aut consentiens, ea triangula illi et quadrata nominant. Etenim cum temporum anni tempestatumque caeli conversiones commutationesque tantae fiant accessu stellarum et recessu, cumque ea vi solis efficiantur, quae videmus, non veri simile solum, sed etiam verum esse censent perinde, utcumque temperatus sit aer, ita pueros orientis animari atque formari, ex eoque ingenia, mores, animum, corpus, actionem vitae, casus cuiusque eventusque fingi.

XLIII. 90. O delirationem incredibilem! non enim omnis error stultitia dicenda est. Quibus etiam Diogenes Stoicus concedit aliquid, ut praedicere possint dum taxat, quali quisque natura et ad quam quisque maxume rem aptus futurus sit. Cetera quae profiteantur, negat ullo modo posse sciri; etenim geminorum formas esse similis, vitam atque

---

ipsarum exempla habes ibid. N. 2485. De Praenestino et Antiati intelligenda etiam *vicina Urbi oracula,* Suet. Tib. c. 63» Orellius — 1. *clytomachus* B — 2. *ergo hoc divinationis* in marg. habet B — *ego* A[1] — 3. *achaldeorum* B[1] — *montra* A[1] — *venimus* B[1] — 5. *reliquid cahldaeis* A — 6. *et innouatione* A — *natale* A[1] — 8. *anchialum* C: *Archelaum* Marsus O — 10. *schilax* B, *cylax* V — *halicarnasius* AV: *alicarnassius* B, *Halicarnasseus* O — 12. *chaldei cum* BV, sed *cum* in ras. in B, *chaldaicum* AO, sed *aic* in ras. hab. A; tu cf. II § 98 — 13. *omisis* A[1] — 14. *natalitia* V — 15. *zodiacos* BV, *zodiazys* A, sed *y* in ras. — *alia alia modo* A — 16. fort. *caelum, eamque vim varie moveri ab iis sideribus, quae vocentur errantia, proinde ut quaeque stellae etc.*; cf. Sextum Empiricum adv. astrologos §§ 20 et 30, quamquam omnino minus accurate Cicero Chaldaeorum placita explicuisse videtur — *his* C: *iis* O — 17. *finitumhisque* A — 18. *iis* V[2]: *is* V[1], *his* AB — *vocantur* Marsus O — 19. *qua coniunctum aliquit habent* B[1] — 20. *trianguli* V[1] — 21. *nominant* Marsus: *nominent* C — *Et cum* Hottingerus; tu vide Madvigium ad Cic. de finn. p. 8 — *temporum* Hottingerus: *tempore* C, *caeli conversiones tempestatumque commutationes* (*temp. anni* om.) partim ex suis codd. interp. Davisius, *tempore anni tempestatum caelique conversiones commutationesque* Giesius, *tempore anni tempestatum atque caeli* Madvigius l. l. — 22. *cumque aui* A[1] — 23. *non videri simile* A — 24. *aer ita* in ras. A — 25. *orientes* A[2]O — *animari* ** *atque* A — *eaque* B — 26. *figi* A[1] — 28. *est dicenda* Marsus O — 29. *quali* A: *qualis* BV — *natura et ad quam quisque* in marg. habet B — 30. *caetera* A — 31. *scire* B[1]V — *similes* A[2]O.

fortunam plerumque disparem. Procles et Eurysthenes, Lacedaemoniorum reges, gemini fratres fuerunt: at ii nec totidem annos vixerunt; anno enim Procli vita brevior fuit, multumque is fratri rerum gestarum gloria praestitit. 91. At ego id ipsum, quod vir optumus, Diogenes, Chaldaeis quasi quadam praevaricatione concedit, nego posse intellegi. Etenim cum, ut ipsi dicunt, ortus nascentium luna moderetur, eaque animadvertant et notent sidera natalicia Chaldaei, quaecumque lunae iuncta videantur, oculorum fallacissimo sensu iudicant ea, quae ratione atque animo videre debebant. Docet enim ratio mathematicorum, quam istis notam esse oportebat, quanta humilitate luna feratur terram paene contingens, quantum absit a proxuma Mercuri stella, multo autem longius a Veneris, deinde alio intervallo distet a sole, cuius lumine conlustrari putatur; reliqua vero tria intervalla infinita et inmensa, a sole ad Martis, inde ad Iovis, ab eo ad Saturni stellam, inde ad caelum ipsum, quod extremum atque ultumum mundi est. 92. Quae potest igitur contagio ex infinito paene intervallo pertinere ad lunam vel potius ad terram?

XLIV. Quid? cum dicunt id, quod iis dicere necesse est, omnis omnium ortus, quicumque gignantur in omni terra, quae incolatur, eosdem esse, eademque omnibus, qui eodem statu caeli et stellarum nati sint, accidere necesse esse, nonne eius modi sunt, ut ne caeli quidem naturam interpretes istos caeli nosse appareat? Cum enim illi orbes, qui caelum quasi medium dividunt et aspectum nostrum definiunt, qui a Graecis ὁρίζοντες nominantur, a nobis finientes rectissume nominari possunt, varietatem maxumam habeant aliique in aliis locis sint, necesse est ortus occasusque siderum non fieri eodem tempore apud omnis. 93. Quod si eorum vi caelum modo hoc modo illo modo temperatur, qui potest eadem vis esse nascentium, cum caeli tanta sit dissimilitudo? In his locis, quae nos incolimus, post solstitium Canicula exoritur, et quidem aliquot diebus; at apud Troglodytas, ut scribitur, ante solstitium, ut si iam concedamus aliquid vim caelestem ad eos, qui in terra gignuntur, pertinere, confitendum sit illis eos, qui nascuntur eodem tempore, posse in dissimilis incidere naturas propter caeli dissimilitudinem, quod minime illis placet. Volunt enim illi omnis eodem tempore ortos, qui ubique sint nati, eadem conditione nasci.

XLV. 94. Sed quae tanta dementia est, ut in maxumis motibus

---

1. *procles* (u over e) B, sed *cles* (u over e) in ras. — 2. *ii* C, sed in ras. in B: *hi* O — 3. *Proclis* A[2] — *Procli uita* B, sed *cli vit* in ras. — 4. *ad* A[1], *ut* V — 6 *cum* Lambinus: *cur* C — 7. *Luna* O errore typographico — 10. *poene* A — 11. *mercuri* C, sed in B ras. aliquot litt. ante hoc verbum: *Mercurii* O — 12. *distat* ex cod. Oxon. Hottingerus — 14. *inde ** at* A[1], *inde at* V[1] — 16. *poene* A — 18. *qui cum* A[1] — *iis* V: *hiis* A, *is* B — *omnes* O, *omnis in* V — 20. *nati sunt* Erlang. — 23 *asp.* A — 24. *orizontes* C — *finiendis* AV, *finiendes* Erl. — 26. *omnes* O — 27. *hoc modo illo modo* in marg. hab. A m. sec. add. — 28. *vis esse in nascentes* vel *vita esse nascentium* Davisius maluit — 29. *in is* A — *solisticium* A — 30. *at apud* AB[2]: *ad apud* B[1]V[1], *apud* V[2]O — *trogoditas* C — *solisticium* A — 32. fort. *gignantur,* ut paulo post *qui nascantur* Ernestius recte emendasse mihi videtur — 33. *dissimiles* VO — *incedere* A[1]B — 34. *illi** A, *illis* V — *omni* V[1], *omnes* O — 36. *ut, cum in* Schuetzius; Madvigium scite de toto hoc loco disputantem (Emend in Cic. l. phil. p. 36) secutus Orellius distinxit: *ubique sit? (quarum rerum --sentiant) haec igitur etc.*, a qua ratione nobis lectione codd. BV *sint* admissa recedendum fuit; eo magis autem modus con-

mutationibusque caeli nihil intersit, qui ventus, qui imber, quae tempestas ubique sit, quarum rerum in proxumis locis tantae dissimilitudines saepe sint, ut alia Tusculi, alia Romae eveniat saepe tempestas — quod qui navigant maxume animadvertunt, cum in flectendis promunturiis ventorum mutationes maxumas saepe sentiunt —: haec igitur cum sit tum serenitas tum perturbatio caeli, estne sanorum hominum hoc ad nascentium ortus pertinere non dicere [quod non certe pertinet], illud nescio quid tenue, quod sentiri nullo modo, intellegi autem vix potest, quae a luna ceterisque sideribus caeli temperatio fiat, dicere ad puerorum ortus pertinere? Quid? quod non intellegunt seminum vim, quae ad gignendum procreandumque plurimum valeat, funditus tolli, mediocris erroris est? Quis enim non videt et formas et mores et plerosque status ac motus effingere a parentibus liberos? quod non contingeret, si haec non vis et natura gignentium efficeret, sed temperatio lunae caelique moderatio. 95. Quid? quod uno et eodem temporis puncto nati dissimilis et naturas et vitas et casus habent, parumne declarat nihil ad agendam vitam nascendi tempus pertinere? nisi forte putamus neminem eodem tempore ipso et conceptum et natum quo Africanum. Num quis igitur talis fuit?

XLVI. 96. Quid? illudne dubium est, quin multi, cum ita nati essent, ut quaedam contra naturam depravata haberent, restituerentur et corrigerentur ab natura, cum se ipsa revocasset, aut arte atque medicina? ut quorum linguae sic inhaererent, ut loqui non possent, eae scalpello resectae liberarentur? Multi etiam naturae vitium meditatione atque exercitatione sustulerunt, ut Demosthenem scribit Phalereus, cum ano dicere nequiret, exercitatione fecisse ut planissume diceret. Quod si haec astro ingenerata et tradita essent, nulla res ea mutare posset. Quid? dissimilitudo locorum nonne dissimilis hominum procreationes habet? quas quidem percurrere oratione facile est, quid inter Indos et Persas, Aethiopas et Syros differat corporibus animis, ut incredibilis varietas dissimilitudoque sit. 97. Ex quo intellegitur plus terrarum situs quam lunae tactus ad nascendum valere. Nam quod aiunt quadringenta septuaginta milia annorum in periclitandis experiundisque pueris, quicumque essent nati, Babylonios posuisse, fallunt. Si enim esset factita-

---

iunctivus nobis probatur, quod priorem sententiae partem inde a verbis *ut in maximis* usque ad *sentiunt* pertinere arbitramur, unde hanc verborum sententiam esse ducimus: cum illi caeli siderumque motus ad temperandos ventos tempestatesque nihil valeant, tempestatum autem dissimilitudines, ab nautis maxime illae quidem perceptae, in proximis locis maximae sint, nonne magno opere falluntur, qui hanc tempestatum vim ad ortus nascentium nihil pertinere, illam siderum plurimum pertinere dicant? — *maxumus* A — 3. *sint* BV: *sunt* AO — 4. *animaduertant* BV — *promunturiis* A[1]: *promunctoriis* B, *promontoriis* A[2]V(?)O — 5. *mutationis* A[1] — *sentiant* Manutius O — 7. *quod certe pertinet* Davisius, *quod certe non pertinet* Schuetzius O; suspecta visa sunt Hottingero, cui simile additamentum deprendimus II § 21 — 13. *a* om. B[1] — 14. *hoc* Salisb. O — 16. *dissimiles* A[2]O — *declarat* Davisius: *declarant* C — 19. *nunquis* A — 20. *ita* sup. lin. B — 22. *ab* C: *aut* Davisius coni. — *ipse* V[1] — *aut medicina* V[2] — 23. *aut quorum* BV — *eae* Manutius: *hae* C — 26. *fecisset* B — 27. *eam* A — 28. *dissimiles* A[2]O — 29. *orationem* B[1] — 30. *aethiopas et syros* codd. dett. Moseri, *et aethiopas syros* AV, *et aethiopas siros* B — *ut* om. V — 32. *luna* A — *tactus* AV: *actus* B, *status* Clericus, *tractus* Salisb. et O — 33. *pereclitandis* A — *experiundis quae* B[1] — *quicumque* A corr. ex *quicum* — 34. *babillonios* A — *enim* sup. lin. B.

tum, non esset desitum; neminem autem habemus auctorem, qui id aut fieri dicat aut factum sciat.

XLVII. Videsne me non ea dicere, quae Carneades, sed ea, quae princeps Stoicorum Panaetius dixerit? Ego autem etiam haec requiro, omnesne, qui Cannensi pugna ceciderint, uno astro fuerint? exitus quidem omnium unus et idem fuit. Quid? qui ingenio atque animo singulares, num astro quoque uno? Quod enim tempus, quo non innumerabiles nascuntur? at certe similis nemo Homeri. 98. Et si ad rem pertinet, quo modo caelo adfecto conpositisque sideribus quodque animal oriatur, valeat id necesse est non in hominibus solum, verum in bestiis etiam. Quo quid potest dici absurdius? Lucius quidem Tarutius Firmanus, familiaris noster, in primis Chaldaeicis rationibus eruditus, urbis etiam nostrae natalem diem repetebat ab iis Parilibus, quibus eam a Romulo conditam accepimus, Romamque, in iugo cum esset luna, natam esse dicebat nec eius fata canere dubitabat. 99. O vim maxumam erroris! Etiamne urbis natalis dies ad vim stellarum et lunae pertinebat? Fac in puero referre, ex qua adfectione caeli primum spiritum duxerit, num hoc in latere aut in caemento, ex quibus urbs effecta est, potuit valere? Sed quid plura? cotidie refelluntur. Quam multa ego Pompeio, quam multa Crasso, quam multa huic ipsi Caesari a Chaldaeis dicta memini, neminem eorum nisi senectute, nisi domi, nisi cum claritate esse moriturum! ut mihi permirum videatur quemquam exstare, qui etiam nunc credat iis, quorum praedicta cotidie videat re et eventis refelli.

XLVIII. 100. Restant duo divinandi genera, quae habere dicimur a natura, non ab arte, vaticinandi et somniandi. De quibus, Quinte, inquam, si placet, disseramus. Mihi vero, inquit, placet; his enim, quae adhuc disputasti, prorsus adsentior, et vere ut loquar, quamquam tua me oratio confirmavit, tamen etiam mea sponte nimis superstitiosam de divinatione Stoicorum sententiam iudicabam: haec me Peripateticorum ratio magis movebat et veteris Dicaearchi et eius, qui nunc floret, Cratippi, qui censent esse in mentibus hominum tamquam oraclum aliquod, ex quo futura praesentiant, si aut furore divino incitatus animus aut somno relaxatus solute moveatur ac libere. His de generibus quid sentias et quibus ea rationibus infirmes audire sane velim.

XLIX. 101. Quae cum ille dixisset, tum ego rursus, quasi ab alio principio, sum exorsus dicere. Non ignoro, inquam, Quinte, te semper

---

1. *esse desitum* AB — *qui id aut* A²BV²: *quid aut* A¹V¹, *qui aut* Erlang. O — 4. *principes* V¹ — *haec* C: *hoc* Marsus O; atqui duae res hoc loco quaeruntur, primum num omnes qui una clade interierint uno astro fuerint, deinde num qui ingenio sint singulares singulari quoque astro nati sint — *panetius* AV — 5. *omnes neque canensi* B¹ — *cociderunt* V²O — *orti fuerint* cod. Balliolensis — 8. *nascantur* Salisb. O — *ad* A¹ — 10. *non in hominibus solum verum in bestiis etiam* AB: om. V¹, *etiam in rebus inanimis* in marg. V²O; genuina lectio a nobis revocata firmatur Sexto Empirico adv. Astrol. § 94, quamquam disputationem, quae sequatur, aliam in partem deflecti intelligimus. — 11. *dici potest* Marsus O — *lucius* AB: *L.* O — *tarucius* V — 12. *chaldaicis* AO, *chaldeicis* BV¹, cf. II § 88 — 13. *his* B — 15. *canere*] *tenere* V — 16. *pertinebit* Lambinus — 17. *ex qua* C: *qua* Davisius O — *spiritum* sup. lin. manu eadem B — 18. *cemento* A — 19. *qui* (d sup. lin.) B — *cotidiae* B, *quotidie* O — *ergo* B² — 21. *in senectute* codd. interp. Davisii — 23. *is* A, *iis* B sed ex corr. — *cottidiae* B¹, *quotidie* O — 27. *prosus* AV¹ — 28. *superstitosam* A — 29. *haec* C: *ac* V²O — 31. *oraculum* O — 35. *rusus* AV.

ita sensisse, ut de ceteris divinandi generibus dubitares, ista duo, furoris et somnii, quae a libera mente fluere viderentur, probares. Dicam igitur de istis ipsis duobus generibus mihi quid videatur, si prius et Stoicorum conclusio rationis et Cratippi nostri quid valeat videro. Dixisti enim et Chrysippum et Diogenem et Antipatrum concludere hoc modo: Si sunt di neque ante declarant hominibus quae futura sint, aut non diligunt homines, aut quid eventurum sit ignorant, aut existumant nihil interesse hominum scire quid sit futurum, aut non censent esse suae maiestatis praesignificare hominibus quae sint futura, aut ea ne ipsi quidem di significare possunt. 102. At neque non diligunt nos, sunt enim benefici generique hominum amici; neque ignorant ea, quae ab ipsis constituta et designata sunt; neque nostra nihil interest scire ea, quae futura sint, erimus enim cautiores, si sciemus; neque hoc alienum ducunt maiestate sua, nihil est enim beneficentia praestantius; neque non possunt futura praenoscere. Non igitur di sunt nec significant nobis futura; sunt autem di: significant ergo. Et non, si significant futura, nullas dant vias nobis ad significationum scientiam, frustra enim significarent; nec, si dant vias, non est divinatio: est igitur divinatio. 103. O acutos homines! quam paucis verbis confectum negotium putant! ea sumunt ad concludendum, quorum iis nihil conceditur. Conclusio autem rationis ea probanda est, in qua ex rebus non dubiis id, quod dubitatur, efficitur.

L. Videsne Epicurum, quem hebetem et rudem dicere solent Stoici, quem ad modum quod in natura rerum omne [esse] dicimus, id infinitum esse concluserit? Quod finitum est, inquit, habet extremum. Quis hoc non dederit? Quod autem habet extremum, id cernitur ex alio extrinsecus. Hoc quoque est concedendum. At quod omne est, id non cernitur ex alio extrinsecus. Ne hoc quidem negari potest. Nihil igitur cum habeat extremum, infinitum sit necesse est. 104. Videsne ut ad rem dubiam concessis rebus pervenerit? Hoc vos dialectici non facitis, nec solum ea non sumitis ad concludendum, quae ab omnibus concedantur, sed ea sumitis, quibus concessis nihilo magis efficiatur quod velitis. Primum enim hoc sumitis: Si sunt di, benefici in homines sunt. Quis hoc vobis dabit? Epicurusne, qui negat quicquam deos nec alieni curare nec sui? an noster Ennius? qui magno plausu loquitur adsentiente populo:

---

1. *ita duo* AV — *fuoris* A^1 — 3. *prius Stoicorum* V — 4. *conclusi orationis* B^1, *conclusio orationis* B^2 — *craptippi* A — *dixero* corr. ex *uidero* ut videtur B — 6. *futura sunt* Erlang., cf. I § 82 — 8. *hominum* Davisius et codd. l. I § 82: *hominem* C — 9. *non* corr. ex *con* A — 11. di] *de* AV — *ad neque* B^1 — 14. *sint* A^2B: *sunt* AVO, cf. I § 82 et II § 105 — 16. *ducunt* C^2: *dicunt* C^1 — 17. *praenoscere* C; sed vide nos ad I § 82 — 21. *nec si* C et hic et I § 83: *neque si* Manutius O — *est igitur diuinatio* in margine habet A — 23. *negotium confectum* Manutius O — *his* B^1 — 26. *rudum* V^1 — 27. *esse* delendum esse censet Madvig — *id finitum* C — 28. *habet* in minore rasura B; *id habet* Herelius — 30. *hoc quoque -- extrinsecus* om. V — 33. *concessis rebus non dubiis* vel *concessis veris* Hottingerus — 38. *negat* ** *quicquam* B — *quidquam* O — 39. *enius* B^1.

Ego deum genus esse semper dixi et dicam caelitum,
Sed eos non curare opinor, quid agat humanum genus.

Et quidem cur sic opinetur rationem subicit; sed nihil est necesse dicere, quae secuntur: tantum sat est intellegi id sumere istos pro certo, quod dubium contraversumque sit.

LI. 105. Sequitur porro: Nihil deos ignorare, quod omnia sint ab iis constituta. Hic vero quanta pugna est doctissumorum hominum negantium esse haec a dis inmortalibus constituta! At nostra interest scire ea, quae eventura sint. Magnus Dicaearchi liber est, nescire ea melius esse quam scire. Negant id esse alienum maiestate deorum. Scilicet casas omnium introspicere, ut videant quid cuique conducat. Neque non possunt futura praenoscere. 106. Negant posse ii, quibus non placet esse certum quid futurum sit. Videsne igitur quae dubia sint, ea sumi pro certis atque concessis? Deinde contorquent et ita concludunt: Non igitur et sunt di nec significant futura; id enim iam perfectum arbitrantur. Deinde adsumunt: Sunt autem di, quod ipsum non ab omnibus conceditur: significant ergo. Ne id quidem sequitur; possunt enim non significare et tamen esse di. Nec, si significant, non dant vias aliquas ad scientiam significationis. At id quoque potest, ut non dent homini, ipsi habeant. Cur enim Tuscis potius quam Romanis darent? Nec, si dant vias, nulla est divinatio. Fac dare deos, quod absurdum est, quid refert, si accipere non possumus? Extremum est: Est igitur divinatio. Sit extremum, effectum tamen non est. Ex falsis enim, ut ab ipsis didicimus, verum effici non potest. Iacet igitur tota conclusio.

LII. 107. Veniamus nunc ad optumum virum, familiarem nostrum, Cratippum. Si sine oculis, inquit, non potest exstare officium et munus oculorum, possunt autem aliquando oculi non fungi suo munere, qui vel semel ita est usus oculis, ut vera cerneret, is habet sensum oculorum vera cernentium; item igitur, si sine divinatione non potest officium et munus divinationis exstare, potest autem, cum quis divinationem habeat, errare aliquando nec vera cernere, satis est ad confirmandam divinationem semel aliquid ita esse divinatum, nihil ut fortuito cecidisse videatur; sunt autem eius generis innumerabilia: esse igitur divinationem confitendum est. Festive et breviter. Sed cum bis sumpsit quod voluit, etiam si faciles nos ad concedendum habuerit, id tamen, quod adsumit, concedi nullo modo potest. 108. Si, inquit, cum aliquando oculi peccent, tamen, quia recte aliquando viderunt, inest in iis

---

2. *curarare* B — 3. *subiicit* O — 4. *sequuntur* VO — *intellegi* B — 5. *controuersumque* V²O — 9. *scribere ea* A¹ — *sunt* Salisb. O — 11. *causas* B²V — *ut* sup. lin. A — 13. *hii* BV — 14. *sumere pro* V¹, *sumere ipsos pro* V² — 15. *igitur sunt* ex codd. Reg. et Cantab. Davisius — *nec si* V, sed *si* sup. lin. m. 2 add. — 16. *significent* AV — 19. *dant* codd. interpolati Moseri: *dare* C — 21. *Quur* B — 23. *est. est* codd. aliquot Davisii et Moseri: *est* C — 24. *igitur -- extremum* om. V — 27. *obtimum* B — 31. *is* ex corr. B — 33. *potest autem quis cum* Salisb., ut scriptum est I § 74 — 40. *cum* addidit Madvig, puncto ante *item si* sublato — 41. *viderunt* Madvig: *uiderint* C — *in his* B.

vis videndi: item, si quis semel aliquid in divinatione dixerit, is etiam cum peccet, tamen existumandus sit habere vim divinandi.

LIII. Vide, quaeso, Cratippe noster, quam sint ista similia; nam mihi non videntur. Oculi enim vera cernentes utuntur natura atque sensu, animi si quando vel vaticinando vel somniando vera viderunt, usi sunt fortuna atque casu; nisi forte concessuros tibi existumas eos, qui somnia pro somniis habent, si quando aliquod somnium verum evaserit, non id fortuito accidisse. Sed demus tibi istas duas sumptiones, ea quae λήμματα appellant dialectici, sed nos Latine loquí malumus; adsumptio tamen, quam πρόςληψιν idem vocant, non dabitur. 109. Adsumit autem Cratippus hoc modo: Sunt autem innumerabiles praesensiones non fortuitae. At ego dico nullam — vide quanta sit controversia —; iam adsumptione non concessa nulla conclusio est. At impudentes sumus, qui, cum tam perspicuum sit, non concedamus. Quid est perspicuum? Multa vera, inquit, evadere. Quid, quod multo plura falsa? Nonne ipsa varietas, quae est propria fortunae, fortunam esse causam, non naturam esse docet? Deinde si tua ista conclusio, Cratippe, vera est — tecum enim mihi res est —, nonne intellegis eadem uti posse et haruspices et fulguratores et interpretes ostentorum et augures et sortilegos et Chaldaeos? quorum generum nullum est, ex quo non aliquid, sicut praedictum sit, evaserit. Ergo aut ea quoque genera divinandi sunt, quae tu rectissume inprobas, aut si ea non sunt, non intellego cur haec duo sint, quae relinquis. Qua ergo ratione haec inducis, eadem illa possunt esse, quae tollis.

LIV. 110. Quid vero habet auctoritatis furor iste, quem divinum vocatis, ut quae sapiens non videat, ea videat insanus, et is, qui humanos sensus amiserit, divinos adsecutus sit? Sibyllae versus observamus, quos illa furens fudisse dicitur. Quorum interpres nuper falsa quadam hominum fama dicturus in senatu putabatur eum, quem re vera regem habebamus, appellandum quoque esse regem, si salvi esse vellemus. Hoc si est in libris, in quem hominem et in quod tempus est? Callide enim qui illa composuit perfecit, ut quodcumque accidisset, praedictum videretur hominum et temporum definitione sublata. 111. Adhibuit etiam latebram obscuritatis, ut idem versus alias in aliam rem posse accommodari viderentur. Non esse autem illud carmen furentis, cum ipsum poema declarat, est enim magis artis et diligentiae quam incitationis et motus, tum vero ea, quae ἀκροστιχὶς dicitur, cum deinceps ex primis

---

1. *si quis* C: *si qui* O — 2. *dixerit* C: *uiderit* cod. Regius O, *vere dixerit* Lambinus; tu vide de illo minus solemni vi verbi dicendi I §§ 80, 90, II § 70; ceterum malis: *si quis -- dixit, -- existimandus est* — *his* B — 6. *si* om. V — 7. *uisi* V¹ — 8. *quando uel uaticinando aliquid somnium* V — 9. *fortuitu* B — 10. *lemmata* C — *malumus* ∘∘∘ B — 11. *adsumptio* Pearcius: *praesensio* C — *πρόςληψιν* Ernestius: *prolemsin* A, *prolemsim* BV — ∘ *idem* B, *iidem* O — 18. *naturam docet* codd. interpolati O; cf. II § 94 — *si tua* ∘∘ *ista* B — 19. *non* A¹ — 20. *fulgoratores* B — 22. *praedictumst* Halm — 24. *sint*] *sunt* A — *rationem* B¹ — 28. *adsecutos* B¹ — *sybillae* AB, *sibillae* V — 29. *quadam* codd. dett. Moseri: *quaedam* C — 32. *et in quot tempus* B, sed *in* sup. lin. — 35. *iidem* O — *acomm.* A — 38. *uere eaque acrostichis* B — *acrothicis* A¹, *acrosthicis* V — *ex primis cuiusque versus litteris* scripsi (nisi malis *ex primi versus* scil. prima littera *primis cuius-*

cuiusque versus litteris aliquid conectitur, ut in quibusdam Ennianis Q. Ennius fecit. Id certe magis est attenti animi quam furentis. 112. Atque in Sibyllinis ex primo versu cuiusque sententiae primis litteris illius sententiae carmen omne praetexitur. Hoc scriptoris est, non furentis, adhibentis diligentiam, non insani. Quam ob rem Sibyllam quidem sepositam et conditam habeamus, ut, id quod proditum est a maioribus, iniussu senatus ne legantur quidem libri valeantque ad deponendas potius quam ad suscipiendas religiones: cum antistitibus agamus, ut quidvis potius ex illis libris quam regem proferant, quem Romae posthac nec di nec homines esse patientur.

LV. At multi saepe vera vaticinati, ut Cassandra,

Iamque mari magno --

eademque paulo post

Eheu videte --

113. Num igitur me cogis etiam fabulis credere? quae delectationis habeant quantum voles, verbis sententiis, numeris cantibus adiuventur: auctoritatem quidem nullam debemus nec fidem commenticiis rebus adiungere. Eodemque modo nec ego Publicio nescio cui nec Marciis vatibus nec Apollinis opertis credendum existimo, quorum partim ficta aperte, partim effutita temere, numquam ne mediocri quidem cuiquam, non modo prudenti probata sunt. 114. Quid? inquies, remex ille de classe Coponi nonne ea praedixit, quae facta sunt? Ille vero et ea quidem, quae omnes eo tempore ne acciderent timebamus. Castra enim in Thessalia castris conlata audiebamus, videbaturque nobis exercitus Caesaris et audaciae plus habere, quippe qui patriae bellum intulisset, et roboris propter vetustatem. Casum autem proelii nemo nostrum erat quin timeret, sed ita, ut constantibus hominibus par erat, non aperte. Ille autem Graecus quid mirum, si magnitudine timoris, ut plerumque fit, a constantia atque a mente atque a se ipse discessit? qua perturbatione animi quae, sanus cum esset, timebat ne evenirent, ea demens eventura esse dicebat. Utrum tandem, per deos atque homines! magis veri simile est vesanum remigem an aliquem nostrum, qui ibi tum eramus, me, Catonem, Varronem, Coponium ipsum consilia deorum inmortalium perspicere potuisse?

---

que versus litteris): *ex primi uersus litteris* AB, *ex primis uersus litteris* V, *ex primis versuum literis* codd. interpolati Moseri O — 1. *co ∘ nectitur* B, *connectitur* VO — 2. *Q.* Auratus: *quae* C — *quem* B[1] — 3. *atque -- insani* glossema esse Frenzelius arbitratus est — *sybillinis* AB, *sibillinis* V[1] — *sententia* B — *primis literis illius sententiae* om. Pith., *ex primis versuum cuiusque sententiae litteris illius sententiae carmen* Auratus, *ex primi versus cuiusque sententiae primis literis* Fr. Jacob in Philol. III, 332; vera codicum scriptura sic explicanda est: in carminibus Sibyllinis non solum ex primis versuum litteris aliquid conectitur, sed ipsae primae literae cuiusque sententiae in capitibus versuum, qui illam sententiam continent, inde a primo versu repetitae leguntur. — 5. *sybillam* A — 7. *senatus* A, sed *us* in ras. — 8. *religionis* B — *antistibus* AB — 10. *posthac* B[1]: *posthaec* ABVO — *dii* A[2]O — *pacientur* A — 11. *ad* AB[1] — *multis* B[1] — 13. *paulo*] *populo* V — 15. *me*] *ne* B — *delectationis* vulgo: *delectationes* C — 16. *canticis* Pith. — 18. ∘∘∘ *nescio* B — 19. *appollinis* B — *facta* B[1] — 20. *quidem* sup. lin. habet B — 21. *remex* B, sed *ex* in ras. — *declasse* B[1], *declarasse* B[2] — *Coponii* O — 25. *audatiae* A — 26. *qui timeret* V[1], *qui non timeret* V[2] — 27. *ut* corr. ex *aut* B — *in constantibus* Ernestius — 29. *adeoque a se ipso* maluit Moserus — 30. *nec uenirent* B[1] — 31. *est*] *sit* A in ras. m. sec. — 32. *uesanus* A, sed *uesa* in ras. — *me Catonem* AB: *M. Catonem* V — 33. *respicere* AV.

LVI. 115. Sed iam ad te venio:

Sancte Apollo, qui umbilicum certum terrarum obsides,
Unde superstitiosa primum saeva evasit vox fera.

Tuis enim oraculis Chrysippus totum volumen inplevit, partim falsis, ut ego opinor, partim casu veris, ut fit in omni oratione saepissime, partim flexiloquis et obscuris, ut interpres egeat interprete et sors ipsa ad sortes referenda sit, partim ambiguis et quae ad dialecticum deferenda sint. Nam cum illa sors edita est opulentissumo regi Asiae,

Croesus Halyn penetrans magnam pervertet opum vim,

hostium vim se perversurum putavit, pervertit autem suam. 116. Utrum igitur eorum accidisset, verum oraclum fuisset. Cur autem hoc credam umquam editum Croeso? aut Herodotum cur veraciorem ducam Ennio? Num minus ille potuit de Croeso quam de Pyrrho fingere Ennius? Quis enim est, qui credat Apollinis ex oraculo Pyrrho esse responsum:

Aio te, Aeacida, Romanos vincere posse.

Primum Latine Apollo numquam locutus est; deinde ista sors inaudita Graecis est; praeterea Pyrrhi temporibus iam Apollo versus facere desierat; postremo, quamquam semper fuit, ut apud Ennium est,

-- stolidum genus Aeacidarum,
Bellipotentes sunt magis quam sapientipotentes,

tamen hanc amphiboliam versus intellegere potuisset, vincere te Romanos nihilo magis in se quam in Romanos valere. Nam illa amphibolia, quae Croesum decepit, vel Chrysippum potuisset fallere, haec vero ne Epicurum quidem.

LVII. 117. Sed quod caput est, cur isto modo iam oracla Delphis non eduntur, non modo nostra aetate, sed iam diu, iam ut nihil possit esse contemptius? Hoc loco cum urgentur, evanuisse aiunt vetustate vim loci eius, unde anhelitus ille terrae fieret, quo Pythia mente incitata oracula ederet. De vino aut salsamento putes loqui, quae evanescunt vetustate. De vi loci agitur, neque solum naturali sed etiam divina; quae quo tandem modo evanuit? Vetustate, inquies. Quae vetustas est, quae vim divinam conficere possit? Quid tam divinum autem quam adflatus e terra mentem ita movens, ut eam providam rerum futurarum efficiat, ut ea non modo cernat multo ante, sed etiam numero versuque pronuntiet? Quando ista vis autem evanuit? an postquam homines minus creduli esse coeperunt? 118. Demosthenes quidem, qui abhinc annos

---

2. *o sancte* C, *O* retinuit O extra versum ponens — 3. *obsides* C: *obtines* Varro de ling. lat. VII § 17 — 4. *Unde haec* Lambinus, ut versus iambicus octonarius fieret — *fera* C: *foras* Gruterus — 5. *oraclis* B — 6. *omni oraculorum ratione* Orellius coniecit, *omni divinatione* Frenzelius — 8. *referenda sit ad sortes* codd. dett. Moseri O — *deferenda* ex codd. interpolatis Davisius: *deferendae* C — 9. *esset* Ernesti — 10. *halyn* A: *Valyn* B, *Halym* VO — *poenetrans* A — 11. *se* A B V[1]: *sese* V[2]O — 12. *accidisse* V[1] — *oraculum* O — 13. *erodotum* B — 15. *oraclo* B — 19. *post tremo* A — 22. *amfbolia* A — 23. *romanos* B, sed *o* posterius ex *a* vel *u* corr. — 26. *quo* A — *oracula* O — *Delphis eduntur* Hottingerus — 27. *iam diu iam ut* V: *iam diu tantum modo iam ut* A, *iam ut* B[1], *iam diu ut modo* B[2] — 28. *urguentur* A[1] — 29. *quod* AB[1] — 30. *oracula* O — *de uino* A[2] V: *diuino* A[1]B — 31. *naturales* B[1] — 33 *quit tam diuinam* V[1] — 34. *e terra* C (sed *a* in ras. habet B): *ex terra* Marsus O — 36. *quando autem ista uis* Marsus O — 37. *credulis* A[1].

prope trecentos fuit, iam tum φιλιππίζειν Pythiam dicebat, id est, quasi cum Philippo facere. Hoc autem eo spectabat, ut eam a Philippo corruptam diceret; quo licet existumare in aliis quoque oraculis [Delphicis] aliquid non sinceri fuisse. Sed nescio quo modo isti philosophi superstitiosi et paene fanatici quidvis malle videntur quam se non ineptos. Evanuisse mavultis et extinctum esse id, quod si umquam fuisset, certe aeternum esset, quam ea, quae non sunt credenda, non credere.

LVIII. 119. Similis est error in somniis, quorum quidem defensio repetita quam longe est! Divinos animos censent esse nostros eosque esse tractos extrinsecus animorumque consentientium multitudine conpletum esse mundum; hac igitur mentis et ipsius divinitate et coniunctione cum externis mentibus cerni quae sint futura. Contrahi autem animum Zeno et quasi labi putat atque concidere et ipsum esse dormire. Iam Pythagoras et Plato, locupletissimi auctores, quo in somnis certiora videamus, praeparatos quodam cultu atque victu proficisci ad dormiendum iubent; faba quidem Pythagorei utique abstinere, quasi vero eo cibo mens, non venter infletur. Sed nescio quo modo nihil tam absurde dici potest, quod non dicatur ab aliquo philosophorum. 120. Utrum igitur censemus dormientium animos per sene ipsos in somniando moveri, an, ut Democritus censet, externa et adventicia visione pulsari? Sive enim sic est sive illo modo, videri possunt permulta somniantibus falsa pro veris. Nam et navigantibus moveri videntur ea, quae stant, et quodam obtutu oculorum duo pro uno lucernae lumina: quid dicam insanis, quid ebriis quam multa falsa videantur? Quod si eius modi visis credendum non est, cur somniis credatur nescio. Nam tam licet de his erroribus, si velis, quam de somniis disputare, ut ea, quae stant, si moveri videantur, terrae motum significare dicas aut repentinam aliquam fugam, gemino autem lucernae lumine declarari dissensionem ac seditionem moveri.

LIX. 121. Iam ex insanorum aut ebriorum visis innumerabilia coniectura trahi possunt, quae futura videantur..... Quis est enim, qui totum diem iaculans non aliquando conliniet? Totas noctes dormimus, neque ulla est fere, qua non somniemus; et miramur aliquando id, quod somniarimus, evadere? Quid est tam incertum quam talorum iactus?

---

1. *ccc* BO — *flippizin* AV, *philipizin* B — 2. *a* om. B[1] — 3. *quo* A[2]B[2]: *quod* A[1]B[1]V — *oraclis* BV — *Delphicis* eiciendum esse censet Madvigius — 5. *se* A[2]: *si* A[1]BV — 6. *exstinctum* BO — 7. *quae* om. B[1] — 11. *hac** A — *et* deest in A, sed adest rasura — 13. *ipsum* C: *id ipsum* Schuetz et O; cf. varias lectiones ad I § 104 — 14. *somniis* B[2] — 16. *pythagoraei* B — *abstinuere* Lambinus, contra quem sic Orellius disputat: sed neque perfectum ipsum placet pro praesenti *abstinent*, quod volebat Davisius, et quod maius est, ista forma perfecti in *ere* nisi in corruptis locis apud Ciceronem non reperitur; cf. Oratorem § 157. Addenda ad Vol. IV P. I p. 575; rectius sic se habet etiam v. *utique:* Pythagorei, si non praeparatos quodam cultu atque victu proficisci ad dormiendum suos discipulos iubent, faba saltem abstinere iubent. — 17. *cybo* A — 19. *semet ipsos* Marsus — 20. *et* om. A[1] — 27. *stant si moveri* vulgo: *stant moueri* AV, *stant moderi* B; fort. *stant, moveri si videantur* — 30. *ex insanorum* in ras. A — 31. post *videantur* lacunam indicavimus, quam hoc modo commode expleas: *quid igitur mirum est, si quae somniantibus vera videantur?* etenim quae sequuntur non ad ebriorum vel insanorum visa, sed ad somnia referenda sunt — 32. *conliniet* C: *conlimet* Erlang., *collineet* O — *dormimus* Muretus Var. Lectt. VI, 16: *somniamus* CO — 33. *somniemus* Muretus: *dormiamus* CO — 34. *somniaremus* B[1].

Tamen nemo est, quin saepe iactans Venerium iaciat aliquando, non numquam etiam iterum ac tertium. Num igitur, ut inepti, Veneris id inpulsu fieri malumus quam casu dicere? Quod si ceteris temporibus falsis visis credendum non est, non video quid praecipui somnus habeat, in quo valeant falsa pro veris. **122.** Quod si ita natura paratum esset, ut ea dormientes agerent, quae somniarent, alligandi omnes essent, qui cubitum irent. Maiores enim quam ulli insani efficerent motus somniantes. Quod si insanorum visis fides non est habenda, quia falsa sunt, cur credatur somniantium visis, quae multo etiam perturbatiora sunt, non intellego. An quod insani sua visa coniectori non narrant, narrant qui somniaverunt? Quaero etiam, si velim scribere quid aut legere aut canere vel voce vel fidibus, aut geometricum quiddam aut physicum aut dialecticum explicare, somniumne exspectandum sit an ars adhibenda, sine qua nihil earum rerum nec fieri nec expediri potest? Atqui ne si navigare quidem velim, ita gubernem, ut somniaverim; praesens enim poena sit. **123.** Qui igitur convenit aegros a coniectore somniorum potius quam a medico petere medicinam? An Aesculapius, an Serapis potest nobis praescribere per somnium curationem valetudinis, Neptunus gubernantibus non potest? et sine medico medicinam dabit Minerva, Musae scribendi, legendi, ceterarum artium scientiam somniantibus non dabunt? At si curatio daretur valetudinis, haec quoque, quae dixi, darentur; quae quoniam non dantur, medicina non datur, qua sublata tollitur omnis auctoritas somniorum.

LX. **124.** Sed haec † quoque in promptu fuerint: nunc interiora videamus. Aut enim divina vis quaedam consulens nobis somniorum significationes facit, aut coniectores ex quadam convenientia et coniunctione naturae, quam vocant *συμπάθειαν*, quid cuique rei conveniat [ex somniis] et quid quamque rem sequatur intellegunt, aut eorum neutrum est, sed quaedam observatio constans atque diuturna est, cum quid visum secundum quietem sit, quid evenire et quid sequi soleat. Primum igitur intellegendum est nullam vim esse divinam effectricem somniorum. Atque illud quidem perspicuum est, nulla visa somniorum proficisci a numine deorum; nostra enim causa di id facerent, ut providere futura possemus. **125.** Quotus igitur est quisque, qui somniis pareat, qui intellegat, qui meminerit? quam multi vero, qui contemnant eamque superstitionem inbecilli animi atque anilis putent! Quid est igitur, cur his hominibus consulens deus somniis moneat eos, qui illa non modo cura, sed ne memoria quidem digna ducant? Nec enim ignorare deus potest, qua mente quisque sit, nec frustra ac sine causa quid facere dignum deo est, quod abhorret etiam ab hominis constantia. Ita si pleraque somnia aut igno-

---

1. *ianctans* A — 3. *causa* A^1 — 6. *egerent* A^1 — 9. *qui* V^2 — *perturbatiores* V — 15. *gubernem* Wesenberg ad Sest. p. 48: *gubernarem* CO — 16. *quid igitur* V — 18. *valitudinis* BV; cf. I § 81 — 19. *et sine* cod. Balliol. Davisii: *et si sine* C — 20. *ceterarumque* V, sed *que* sup. lin. — *somnientibus* A — 24. *quoque* C: *cuique* Herelius, quem refutavit Madvigius ad Cic. de finn. p. 28, fort. *quidem* — *promptum* B^1 — *fuerint* C: uncinis inclusit O, *sunt* codd. interp. Moseri — 27. *sympathian* AV, *sympathiam* B — *quicque* corr. in *quid cuique* B — *ex somniis* delebat Davisius — 28. *quicquam que* B^1 — 30. *sit* C: *est* Halm — *et* om. B^1 — 32. *nullam uim somniorum* V^1 — *proficiscenti* A^1 — 35. *contempnat* A^1 — *eamque* B, sed *que* sup. lin. — 37. *curat* V — 38. *ducant* A, sed *a* in ras.

rantur aut negleguntur, aut nescit hoc deus aut frustra somniorum significatione utitur; sed horum neutrum in deum cadit: nihil igitur a deo somniis significari fatendum est.

LXI. 126. Illud etiam requiro, cur, si deus ista visa nobis providendi causa dat, non vigilantibus potius det quam dormientibus. Sive enim externus et adventicius pulsus animos dormientium commovet, sive per se ipsi animi moventur, sive quae causa alia est, cur secundum quietem aliquid videre, audire, agere videamur, eadem causa vigilantibus esse poterat; idque si nostra causa di secundum quietem facerent, vigilantibus idem facerent, praesertim cum Chrysippus Academicos refellens permulto clariora et certiora esse dicat, quae vigilantibus videantur quam quae somniantibus. Fuit igitur divina beneficientia dignius, cum consulerent nobis, clariora visa dare vigilanti quam obscuriora per somnum. Quod quoniam non fit, somnia divina putanda non sunt. 127. Iam vero quid opus est circumitione et anfractu, ut sit utendum interpretibus somniorum, potius quam derecto deus, si quidem nobis consulebat, hoc facito, hoc ne feceris diceret, idque visum vigilanti potius quam dormienti daret?

LXII. Iam vero quis dicere audeat vera omnia esse somnia? Aliquot somnia vera, inquit Ennius, sed omnia noenum necessest. Quae est tandem ista distinctio? quae vera, quae falsa habet? et si vera a deo mittuntur, falsa unde nascuntur? Nam si ea quoque divina, quid inconstantius deo? quid inscitius autem est quam mentes mortalium falsis et mendacibus visis concitare? Sin vera visa divina sunt, falsa autem et inania humana, quae est ista designandi licentia, ut hoc deus, hoc natura fecerit potius quam aut omnia deus, quod negatis, aut omnia natura? Quod quoniam illud negatis, hoc necessario confitendum est. 128. Naturam autem eam dico, qua numquam animus insistens agitatione et motu esse vacuus potest. Is cum languore corporis nec membris uti nec sensibus potest, incidit in visa varia et incerta ex reliquiis, ut ait Aristoteles, inhaerentibus earum rerum, quas vigilans gesserit aut cogitaverit; quarum perturbatione mirabiles interdum existunt species somniorum, quae si alia falsa, alia vera, qua nota inter-

---

1. *neglig.* O — *nescit haut deus* corr. in *nescit ea deus* V — 2. *sed* Victorius: *et* C, *at* Ascensius — 5. *uilantibus* A[1] — 6. *aduentius* A[1] — 7. *ipse* B[1] — 9. *doi* BV — 10. *cum* Victorius: *ut* C — 12. *beneficientia* B: *beneftitientia* A, *beneficentia* VO, cf. I § 82 — 13. *consuleret* Manutius — *uigilanti* AV: *uegilanti* B, *uigilantibus* codd. interp. Moseri et O — *per somnum* Halm: *per somnium* CO — 15. *circuitione* VO — *sit*] *si* B[1] — 16. *somniorum potius, quam directo? Deus -- daret.* edd. Loci sententiam Madvigius restituit, vulgata verborum interpunctione emendata — *derecto* C: *directo* O — 19. *aliquod* B[1] — 20. *inquid* AB[1] — *omnia non nunc haec esset* AV, *omnia non nunc necesse est* B, sed *nunc* punctatum, *omnia necesse est* Erlang., *omnia non est necesse* Marsus O; *aliquot sunt vera somnia, at non omnia est necesse* vel *aliquot sunt vera somnia, omnia esse non necessest* Ribbeck; *somnia vera aliquot, verum omnia noenu necessest* ex Ilbergii coniect. Vahlen — 21. *quae* ∘∘∘ *nam si* B, cui in marg. infimo adiectum est *uera* ∘∘∘∘∘ *si uera mittuntur, falsa unde nascuntur* — 22. *mituntur* AV[1] — 23. *inscientius* A[1], *institius* B, *insititius* V[1] — 24. *si uera* A[1] — 26. *ferit* B[1] — *deus aut negatis* B[1] — 27. *honecessario* B, *hoc* del. Ernesti — 29. *motus* A — *vacuus non potest* Hottingerus — *laguore* B, *langore* A[1]V[1], cf. II § 139 — 30. *inciditenuis auaria* B[1] — 31. *reliquis* A[1] — *aristotelis* B[2] — 33. *speties* A — *uera sunt qua* B, sed *sunt* sup. lin. m. sec.

noscantur scire sane velim. Si nulla est, quid istos interpretes audiamus? sin quaepiam est, aveo audire quae sit, sed haerebunt.

LXIII. 129. Venit enim iam in contentionem, utrum sit probabilius, deosne inmortalis, rerum omnium praestantia excellentis, concursare omnium mortalium, qui ubique sunt, non modo lectos verum etiam grabatos, et cum stertentem aliquem viderint, obicere iis visa quaedam tortuosa et obscura, quae illi exterriti somnio ad coniectorem mane deferant, an natura fieri, ut mobiliter animus agitatus, quod vigilans viderit, dormiens videre videatur? Utrum philosophia dignius sagarum superstitione ista interpretari an explicatione naturae? ut si iam fieri possit vera coniectura somniorum, tamen isti, qui profitentur, eam facere non possint; ex levissimo enim et indoctissimo genere constant. Stoici autem tui negant quemquam nisi sapientem divinum esse posse. 130. Chrysippus quidem divinationem definit his verbis: vim cognoscentem et videntem et explicantem signa, quae a dis hominibus portendantur; officium autem esse eius praenoscere dei erga homines mente qua sint quidque significent, quem ad modumque ea procurentur atque expientur. Idemque somniorum coniectionem definit hoc modo: esse vim cernentem et explanantem, quae a dis hominibus significentur in somnis. Quid ergo? ad haec mediocri opus est prudentia an et ingenio praestanti et eruditione perfecta? talem autem cognovimus neminem.

LXIV. 131. Vide igitur ne, etiam si divinationem tibi esse concessero, quod numquam faciam, neminem tamen divinum reperire possimus. Qualis autem ista mens est deorum, si neque ea nobis significat in somnis, quae ipsi per nos intellegamus, neque ea, quorum interpretes habere possimus? similes enim sunt dei, si ea nobis obiciunt, quorum nec scientiam neque explanatorem habeamus, tamquam si Poeni aut Hispani in senatu nostro loquerentur sine interprete. 132. Iam vero quo pertinent obscuritates et aenigmata somniorum? intellegi enim a nobis di velle debebant ea, quae nostra causa nos monerent. Quid? poeta nemo, nemo physicus obscurus? Ille vero nimis etiam obscurus Euphorion, at non Homerus: uter igitur melior? 133. Valde Heraclitus obscurus, minime Democritus: num igitur conferendi? Mea causa me mones quod non intellegam? Quid me igitur mones? Ut si quis medicus aegroto imperet ut sumat

---

2. *sin quepia* A, *si non quaepiam* B — *aveo* vulgo: *abeo* C^1, *habeo* C^2 — 3. *contemptionem* V^1 — 4. *inmortalis* AV: *immortales* BO — *excellentis* A: *excellentes* BVO — 5. *mortalium* om. A^1 — *grauatos* C^1, *grabattos* B^2 — 6. *stertentem aliquem* AB: *stertentem aliquod* V^1, *stertentes aliquot* V^2, *stertentes aliquos* Marsus O; cf. supra § 126 *vigilanti* — *abicere* B^1, *obiicere* O — *iis* AV, *hs* B, sed *h* in ras., *his* Erlang. O — 7. *somno* A^1 — 8. *efferi* A^1 — 13. *quenquam* A — *nisi sapientem divinum esse* om. V — 14. *difinit* A, *diffiniuit* B, *diffinit* V — 16. *offitium* A — 17. *procurrentur adque* A — 18. *explentur* B^1, *expleantur* B^2 — *deffinit* V — *homodo* B^1 — 20. *midiocri* A^1 — 24. *numquam* B, sed *quam* sup. lin. — *possumus* B^1 — 25. *neque a nobis* A^1 — *significant* Salisb. O — 27. *dei* ex corr. habet B — *obiiciunt* O — 28. *nec scientiam* Erlang.: *nescientiam* C, *neque scientiam* Salisb. et O — 29. *senato* B^1 — 30. *quo* sup. lin. A — *intelli* A^1 — 31. *di* in ras. habet B — *mouerent* B^1 — *qui* B^1 — 32. *nemo nemo* vulgo: *nemone* C, *nemo* Pith., *nemo nec* Salisb. — *illi vero: nimis* Lambinus — 33. *Euphorion* C: *Euphorio* O, cf. II § 63 — *omerus* A^1 — *eraclitus* B — 36. *imperat* B — *sumet* A.

Terrigenam, herbigradam, domiportam, sanguine cassam potius quam hominum more cocleam dicere. Nam Pacuvianus Amphio,

Quadrupes tardigrada, agrestis, humilis, aspera,
Capite brevi, cervice anguina, aspectu truci,
Eviscerata, inanima, cum animali sono,

cum dixisset obscurius, tum Attici respondent:

Non intellegimus, nisi si aperte dixeris:

at ille uno verbo «Testudo». Non potueras hoc igitur a principio, citharista, dicere?

LXV. 134. Defert ad coniectorem quidam somniasse se, ovum pendere ex fascea lecti sui cubicularis. Est hoc in Chrysippi libro somnium. Respondit coniector thesaurum defossum esse sub lecto. Fodit, invenit auri aliquantum, idque circumdatum argento. Misit coniectori quantulum visum est de argento. Tum ille, nihilne, inquit, de vitello? id enim ei ex ovo videbatur aurum declarasse, reliquum argentum. Nemone igitur umquam alius ovum somniavit? cur ergo hic nescio qui thesaurum solus invenit? Quam multi inopes, digni praesidio deorum, nullo somnio ad thesaurum reperiendum admonentur! Quam autem ob causam tam est obscure admonitus, ut ex ovo nasceretur thesauri similitudo, potius quam aperte thesaurum quaerere iuberetur, sicut aperte Simonides vetitus est navigare? 135. Ergo obscura somnia minime consentanea maiestati deorum.

LXVI. Ad aperta et clara veniamus, quale est de illo interfecto a copone Megaris, quale de Simonide, qui ab eo, quem humarat, vetitus est navigare, quale etiam de Alexandro, quod a te praeteritum esse miror: qui, cum Ptolemaeus, familiaris eius, in proelio telo venenato ictus esset eoque vulnere summo cum dolore moreretur, Alexander adsidens somno est consopitus. Tum secundum quietem visus ei dicitur draco is, quem mater Olympias alebat, radiculam ore ferre et simul dicere quo illa loci nasceretur — neque is longe aberat ab eo loco —, eius autem esse vim tantam, ut Ptolemaeum facile sanaret. Cum Alexander experrectus narrasset amicis somnium, emisisse qui illam radiculam quaererent; qua inventa et Ptolemaeus sanatus dicitur et multi milites, qui erant eodem genere teli vulnerati. 136. Multa etiam sunt a te ex historiis prolata somnia, matris Phalaridis, Cyri superioris, matris Dio-

---

1. *terrigenem* V^1 — *casam* A, *causam* B^1 — 2. *cocleam* C: *cochleam* O — *dicere* delevit Lambinus, *diceret* vel *dicat* Wopkens, *dicens* Foertsch — *pacuianus* A B^1, *pacuinus* V, cf. I § 24 et Lachmannum ad Lucr. p. 306 — 3. *Quadrupes - - aspera* citat Tertullianus de pallio c. 3 — 4. *adsp.* O — post *truci* una lit. erasa in B — 6. *Attici* C: *attice* Bothe, *Astici*, ut nomen sit eorum, ex quibus chorus constitit, Orelli, *rustici* Bergk, *Bacchici* Welcker de trag. Gr. p. 815 — *responderunt* Salisb. — 7. *nisi si* B: *nisi* AVO — 8. *ad* B^1, *ait* V^2 — 9. *cytharista* B — 10. *oum* B^1; *se ui imp.* V^1 — 11. *fascia* V^{2}O — 12. *respondit* C: *respondet* cod. Parisinus teste Davisio et O — *thensaurum* A^{1}V — 13. *inquid* B^1 — 15. ante *ei* una lit. erasa in B — 19. *nosceretur* Hottingerus — *thensauris* A^1, *thesauro* B — 20. *thens.* A^1 — *simonides* B, sed *des* in ras. — 24. *caupone* A^{2}O, *quopone* V^1; cf. I § 57 — ante *qui* una lit. in B erasa — 26. *qui* ∘ ∗ *cum* A, *quidcum* V^1, *quod cum* V^2, quod Rathius probavit, *quippe cum* Herelius — *ptolomeus* AV, *ptholomeus* B — 28. *consoitus* B^1 — 29. *his* A — *olympias alebat* B, sed *s a* in ras. — 30. *quo illa loco* codd. interp. Moseri — 32. *emisisse* V ex corr.: *et misisset* A, *et misisset* B, *ex misisset* V^1; *emisit* coni. Halm, vitio ex male invecto *et* enato; *emissos esse* mavult Klotz — 33. *ptolomeus* AB — 34. *tali* V^1 — *exsistoriis* B^1 — 35. *dyonosi* B.

nysi, Poeni Hamilcaris, Hannibalis, P. Deci; pervulgatum iam illud de praesule, C. Gracchi etiam et recens Caeciliae, Baliarici filiae, somnium. Sed haec externa ob eamque causam ignota nobis sunt, non nulla etiam ficta fortasse. Quis enim auctor istorum? De nostris somniis quid habemus dicere? tu de emerso me et equo ad ripam, ego de Mario cum fascibus laureatis me in suum deduci iubente monumentum.

LXVII. Omnium somniorum, Quinte, una ratio est, quae, per deos inmortalis, videamus ne nostra superstitione et depravatione superetur. 137. Quem enim tu Marium visum a me putas? Speciem, credo, eius et imaginem, ut Democrito videtur. Unde profectam imaginem? a corporibus enim solidis et a certis figuris vult fluere imagines. Quod igitur Mari corpus erat? Ex eo, inquit, quod fuerat; plena sunt imaginum omnia. Ista igitur me imago Mari in campum Atinatem persequebatur; nulla enim species cogitari potest nisi pulsu imaginum. 138. Quid ergo? istae imagines ita nobis dicto audientes sunt, ut simul atque velimus accurrant? etiamne earum rerum, quae nullae sunt? quae est enim forma tam invisitata, tam nulla, quam non sibi ipse fingere animus possit? ut quae numquam vidimus, ea tamen informata habeamus, oppidorum situs, hominum figuras. 139. Num igitur, cum aut muros Babylonis aut Homeri faciem cogito, imago illorum me aliqua pellit? Omnia igitur, quae volumus, nota nobis esse possunt; nihil est enim de quo cogitare nequeamus: nullae ergo imagines obrepunt in animos dormientium extrinsecus nec omnino fluunt ullae, nec cognovi quemquam, qui maiore auctoritate nihil diceret. Animorum est ea vis eaque natura, ut vigeant vigilantes nullo adventicio pulsu, sed suo motu, incredibili quadam celeritate. Hi cum sustinentur membris et corpore et sensibus, omnia certiora cernunt, cogitant, sentiunt. Cum autem haec subtracta sunt desertusque animus languore corporis, tum agitatur ipse per sese. Itaque in eo et formae versantur et actiones, et multa audiri, multa dici videntur. 140. Haec scilicet in inbecillo remissoque animo multa omnibus modis confusa et variata versantur maxumeque reliquiae rerum earum moventur in animis et agitantur, de quibus vigilantes aut cogitavimus aut egimus, ut mihi temporibus illis multum in animo Marius versabatur recordanti, quam ille gravem suum casum magno animo, quam constanti tulisset. Hanc credo causam de illo somniandi fuisse.

LXVIII. Tibi autem de me cum sollicitudine cogitanti subito sum visus emersus e flumine. Inerant enim in utriusque nostrum animis

---

1. *amilcaris* B — *Annibalis* O — *P* in ras. quinque literarum in B — *deci* A¹B: *decii* A²VO — 2. *C.* scripsi: *g* AB, om. VO, sed *ule* in loco evanido habet V; cf. I § 56 — *ceciliae* BV — *baliarici* AV: *balliarici* B, *Balearici* O — 5. *de emerso* A¹, quod coniectura Davisius adsecutus erat: *de merso* A²BVO — *cum* sup. lin. A — 8. *immortales* VO — 11. *fuguris* A — 12. *marii* BVO — *inquid* B¹ — *flueral* AB² — fort. *quod fueral. Isla igilur me imago Mari in campum Atinatem persequebatur? Plena sunt imaginum omnia; nulla enim* — 14. *imaginum omnia ista Quid ergo* A — 16. *acurrant* B¹ — *etiamne earum* B, sed *ne* linea transversa deletum — 17. *inusitata* O — 19. *num igur* A — 23. *ullae* Davisius: *ille* C — *maiora* B — 25. *aduentio* A¹, *aduentitio* A²B — 26. *et corpore* codd. interpolatorum fide delevit Davisius — 27. *desertusque est* codd. interpolati Davisii ac Moseri et O — 28. *langore* A¹B¹V; cf. II § 128 — *ipsi* A — 30. *remisoque* A — 31. *reliqui hererem* V — 32. *quibus gilantes* B¹ — 34. inter *magno* et *animo* una litt. erasa et *o* nominis *magno* in ras. scripta in B — *tulisel* A — 35. *fuissel* B — 36. *cogitandi* B¹ — 37. *in* sup. lin. in B.

vigilantium cogitationum vestigia. At quaedam adiuncta sunt, ut mihi de monumento Marii, tibi quod equus, in quo ego vehebar, mecum una demersus rursus apparuit. 141. An tu censes ullam anum tam deliram futuram fuisse, ut somniis crederet, nisi ista casu non numquam forte temere concurrerent? Alexandro draco loqui visus est. Potest omnino hoc esse falsum, potest verum, sed, utrum est, non est mirabile. Non enim audivit ille draconem loquentem, sed est visus audire, et quidem, quo maius sit, cum radicem ore teneret, locutus est. Sed nihil est magnum somnianti. Quaero autem, cur Alexandro tam inlustre somnium, tam certum, nec huic eidem alias, nec multa ceteris. Mihi quidem praeter hoc Marianum nihil sane quod meminerim. Frustra igitur consumptae tot noctes tam longa in aetate. 142. Nunc quidem propter intermissionem forensis operae et lucubrationes detraxi et meridiationes addidi, quibus uti antea non solebam, nec tam multum dormiens ullo somnio sum admonitus, tantis praesertim de rebus, nec mihi magis umquam videor, quam cum aut in foro magistratus aut in curia senatum video, somniare.

LXIX. Etenim — ex divisione hoc secundum est — quae est continuatio coniunctioque naturae, quam, ut dixi, vocant *συμπάθειαν*, eius modi, ut thesaurus ex ovo intellegi debeat? Nam medici ex quibusdam rebus et advenientis et crescentis morbos intellegunt, non nullas etiam valetudinis significationes, ut hoc ipsum, pleni enectine simus, ex quodam genere somniorum intellegi posse dicunt. Thesaurus vero et hereditas et honos et victoria et multa generis eiusdem qua cum somniis naturali cognatione iunguntur? 143. Dicitur quidam, cum in somnis complexu Venerio iungeretur, calculos eiecisse. Video sympathiam; visum est enim tale obiectum dormienti, ut id, quod evenit, naturae vis, non opinio erroris effecerit. Quae igitur natura obtulit illam speciem Simonidi, a qua vetaretur navigare? aut quid naturae copulatum habuit Alcibiadis quod scribitur somnium? qui paulo ante interitum visus est in somnis amicae esse amictus amiculo; is cum esset proiectus inhumatus ab omnibusque desertus iaceret, amica corpus eius texit suo pallio. Ergo hoc inerat in rebus futuris et causas naturalis habebat? an et ut videretur et ut eveniret casus effecit?

LXX. 144. Quid? ipsorum interpretum coniecturae nonne magis ingenia declarant eorum quam vim consensumque naturae? Cursor ad Olympia proficisci cogitans visus est in somnis curru quadrigarum vehi;

---

1. *ad* B[1] — 2. *equs* A[1] — 3. *apparuerit* B — *anum* corr. ex *manum* in B — 5. *potest esse* Erlang. — 6. *utrum est* Klotz: *utrum sit* CO — *non esse* C — 7. post *quidem* una litt. erasa in B — 8. *ore* ex *more* corr. in B — *loquutus* B, *locutus est* eiciendum esse censebat Jortinus — 10. fort. *certum tum, nec* — *alios* V[1] — 11. *marianum* B, sed *anum* in ras. — *me*ₐ*minerim* A — 12. *loga* B — 13. *intermisionem* A — 15. *unquam* A, *usquam* edd. ante Davisium — 16. *aut fero* A[1] — 18. *at enim* Hottingerus; codd. scripturam defendit Madvigius ad Cic. de finn. p. 8 — 19. *sympathian* C — 21. *aduenientes* C — *nonnullas* AB, sed *as* in ras. in B: *nonnullae* V — 22. *ualitudinis* B[2] — *ut hoc ipsum* bis scriptum in B — post *pleni* una litt. erasa in B — *enectine* Lambinus: *enectiue* C — 23. *ex quodam genere*] inde ab his verbis usque ad § 148 *atque hominum* lacuna in V est. — 24. *qua* Marsus: *quae* C — 25. *iuguntur* A — 26. *sympatian* A — 28. *qui naturae* B[1] — 30. *somium* B — 31. *hisque cum* B — 33. *naturales* O — *an et uid.* A[1] — 34. *ueniret* A[1].

mane ad coniectorem; at ille, vinces, inquit; id enim celeritas significat et vis equorum. Post idem ad Antiphontem; is autem, vincare, inquit, necesse est: an non intellegis quattuor ante te cucurrisse? Ecce alius cursor — atque horum somniorum et talium plenus est Chrysippi liber, plenus Antipatri —, sed ad cursorem redeo: ad interpretem detulit aquilam se in somnis visum esse factum; at ille, vicisti; ista enim avi volat nulla vehementius. Huic eidem Antipho, baro, inquit, victum te esse non vides? ista enim avis insectans alias avis et agitans semper ipsa postrema est. 145. Parere quaedam matrona cupiens, dubitans essetne praegnans, visa est in quiete obsignatam habere naturam; rettulit; negavit eam, quoniam obsignata fuisset, concipere potuisse. At alter praegnantem esse dixit; nam inane obsignari nihil solere. Quae est ars coniectoris eludentis ingenio? an ea, quae dixi, et innumerabilia, quae conlecta habent Stoici, quicquam significant nisi acumen hominum, ex similitudine aliqua coniecturam modo huc, modo illuc ducentium? Medici signa quaedam habent ex venis et ex spiritu aegroti, multisque ex aliis futura praesentiunt; gubernatores cum exsultantis lolligines viderunt aut delphinos se in portum conicientes, tempestatem significari putant: haec ratione explicari et ad naturam revocari facile possunt, ea vero, quae paulo ante dixi, nullo modo.

LXXI. 146. At enim observatio diuturna — haec enim pars una restat — notandis rebus fecit artem. Ain tandem? somnia observari possunt? quonam modo? sunt enim innumerabiles varietates; nihil tam praepostere, tam incondite, tam monstruose cogitari potest, quod non possimus somniare. Quo modo igitur haec infinita et semper nova aut memoria conplecti aut observando notare possumus? Astrologi motus errantium stellarum notaverunt; inventus est enim ordo in iis stellis, qui non putabatur. Cedo tandem qui sit ordo aut quae concursatio somniorum? quo modo autem distingui possunt vera somnia a falsis, cum eadem et aliis aliter evadant et isdem non semper eodem modo? ut mihi mirum videatur, cum mendaci homini ne verum quidem dicenti credere soleamus, quo modo isti, si somnium verum evasit aliquod, non ex multis potius uni fidem derogent quam ex uno innumerabilia confirment. 147. Si igitur neque deus est effector somniorum neque natu-

---

1. *inquid* AB¹ — 4. *ad que* B — 5. *at* A — 6. *ad ille* A — *avi* Lambinus: *auis* C — 7. *huic eidem* Lambinus: *huic equidem* AB², *huic est quidem* B¹, *huic quidem* Erlang. — *antipho* A: *anticho* B, *Antiphon* O; cf. I § 116 — *te uictum* Marsus O — 8. *auis* B: *aves* AO, sed *e* in ras. scriptum in A — 9. *pregnas* B — 10. *rettulit* B: *sed tulit* A, *retulit* O; *ad coniectorem retulit* Lambinus — 11. *ad* A¹ — *praegnatem* A¹B¹ — 12. *ista ars* codd. interpolati Moseri et O — 14. *quidquam* O — *significent* B¹ — *acumen ex hominum* B, sed *ex* eras. — 15. *mo illuc dicentium* B — 16. *quadam* A¹ — *expiritu* A¹B¹ — 17. *exultantis* AB, *exsultantes* O — *lolligines* AB: *loligines* Erlang. O — *uiderint* Erlang. O — 18. *coniic.* O — *putant*] *p̆ coitant* A in loco evanido — 19. *explicare* O errore typographico — 21. *at* in ras. A — 22. *prestat* B¹ — *ain*] *an* B, cf. II § 52 — 23. *conam* B¹ — 25. *possimus* corr. ex *possumus* in B — 27. *terrantium* B¹ — *stellare* B¹ — *is* AB — 28. *aut quem* A — 30. *iisdem* O — 32. *aliquid* A¹, *aliquot* B — *non*] *nim* B¹ — 33. *derogent -- confirment* Lambinus: *derogant -- confirmant* CO; codicum lectionis patronicium suscepit Moserus, sed ille argumentis usus, quae nobis quidem nulla videntur. — 34. *naturae societas* B, sed *urae so* in ras.; *naturae societas est* coni. Lambinus.

rae societas ulla cum somniis neque observatione inveniri potuit scientia, effectum est ut nihil prorsus somniis tribuendum sit, praesertim cum illi ipsi qui ea vident nihil divinent, ii qui interpretantur coniecturam adhibeant non naturam, casus autem innumerabilibus paene saeculis in omnibus plura mirabilia quam in somniorum visis effecerit, neque coniectura, quae in varias partis duci possit, non numquam etiam in contrarias, quicquam sit incertius.

LXXII. 148. Explodatur *igitur* haec quoque somniorum divinatio pariter cum ceteris. Nam, ut vere loquamur, superstitio fusa per gentis oppressit omnium fere animos atque hominum inbecillitatem occupavit. Quod et in iis libris dictum est, qui sunt de natura deorum, et hac disputatione id maxume egimus. Multum enim et nobismet ipsis et nostris profuturi videbamur, si eam funditus sustulissemus. Nec vero — id enim diligenter intellegi volo — superstitione tollenda religio tollitur. Nam et maiorum instituta tueri sacris caerimoniisque retinendis sapientis est, et esse praestantem aliquam aeternamque naturam et eam suspiciendam admirandamque hominum generi pulchritudo mundi ordoque rerum caelestium cogit confiteri. 149. Quam ob rem, ut religio propaganda etiam est, quae est iuncta cum cognitione naturae, sic superstitionis stirpes omnes eiciendae. Instat enim et urget et, quo te cumque verteris, persequitur, sive tu vatem sive tu omen audieris, sive inmolaris sive avem aspexeris, si Chaldaeum, si haruspicem videris, si fulserit, si tonuerit, si tactum aliquid erit de caelo, si ostenti simile natum factumve quippiam: quorum necesse est plerumque aliquid eveniat, ut numquam liceat quieta mente consistere. 150. Perfugium videtur omnium laborum et sollicitudinum esse somnus. At ex eo ipso plurumae curae metusque nascuntur, qui quidem ipsi per se minus valerent et magis contemnerentur, nisi somniorum patrocinium philosophi suscepissent, nec ii quidem contemptissimi, sed in primis acuti et consequentia et repugnantia videntes, qui prope iam absoluti et perfecti putantur. Quorum licentiae nisi Carneades restitisset, haud scio an soli iam philosophi iudicarentur. Cum quibus omnis fere nobis disceptatio contentioque est, non quod eos maxume contemnamus, sed quod videntur acutissime sententias suas prudentissimeque defendere. Cum autem proprium sit Academiae iudicium suum nullum interponere, ea probare, quae simillima veri videantur, conferre causas et quid in quamque sententiam dici possit expromere, nulla adhibita sua auctoritate iudicium audientium

---

1. *inuenire* A — 2. *ut* sup. lin. in B — *prosus* A — 3. *diuinent* B, sed *nt* in ras. quatuor litt. — *hii* A^2 B — 4. *innuberabilibus* B^1 — *pene* A B — *seculis* O — 5. *uisus* B — 6. *partes* O — 7. *quidquam* O — 8. *igitur* in marg. ed. Lamb. 1584 add., om. in CO — 9. *gentes* O — 10. *occupaui* B^1 — 11. *his* B — 12. *nobis* corr. ex *nostris* B — 14. *intellego* V^1 — 15. *ccr.* C — 17. *pulcr.* A — 19. *etiam atque etiam* maluit Orelli — *cognatione* B, sed *gnat* in ras. — *superstitiones* V^1 — 20. *eiiciendae* O, *elidendae* Manutius — *instant* B^1 — *qumce* A, *cumqe* B, *quinte* V — 21. *tu * uantem* A^1 — ante *omen* una litt. erasa in B, *omnem* A^1 — 22. *adsp.* O — *arusp.* B — 23. *natum* om. A^1 — 24. *factumque* B — *quidpiam* O — 26. *ad ex* A, *et ex* B^1 — *plurume* A — 28. *contempn.* AV — *ni* A^1 — 29. *neci* A B^1, *nec hi* V — *et cons* in ras. B — *et* post *cons.* sup. lin. B — 30. *qorum licentia* B — 31. *aut* B^1 — 32. *omnibus* B^1 — *disceptio* B^1 — 33. *contempn.* BV — 34. *proprium* om. V^1 — 35. *iuditium* A — *interponere* B, sed *ponere* in ras. — 36. * *quemque* B^1 — 37. *audientibus* vir quidam doctus apud Davisium.

relinquere integrum ac liberum: tenebimus hanc consuetudinem a Socrate traditam eaque inter nos, si tibi, Quinte frater, placebit, quam saepissime utemur. Mihi vero, inquit ille, nihil potest esse iucundius. Quae cum essent dicta, surreximus.

---

3. *mihi* om. A¹ — *iucundus* A¹ — *potest agnoscerem non inuitus* B; cf. de natura deorum I § 91; in margine adiectum: *Quae cum essent dicta surreximus* — *esset* A¹ — *M. Tullii Ciceronis de diuinatione lib. II explicit, incipit Timeus* AV; *M. Tu[illegible] Ciceronis de diuinatione lib. secundus explicit* B.

M. TULLII CICERONIS

DE FATO LIBER

EX RECENSIONE GUILELMI CHRIST.

NOTARUM INDEX.

A = codex Leidensis Vossianus num. 84. Lectiones exscripsit C. HALM.
B = codex Leidensis Vossianus num. 86. Excussit I. G. BAITER.
V = codex Vindobonensis num. LV apud Endlich. Excussit C. SCHENKL.
C = codices A B V.
O = exemplum Orellianum.

Praeterea ad manus erant lectiones ex codicibus Erlangensi et Gudiano secundo exscriptae, quas omnes repetere operae pretium non est visum.

---

* * *

I. 1. quia pertinet ad mores, quod ἦθος illi vocant, nos eam partem philosophiae de moribus appellare solemus, sed decet augentem linguam Latinam nominare moralem; explicandaque vis est ratioque enuntiationum quae Graeci ἀξιώματα vocant, quae de re futura cum aliquid dicunt deque eo quod possit fieri aut non possit, quam vim habeant obscura quaestio est, quam περὶ δυνατῶν philosophi appellant, totaque est λογική, quam rationem disserendi voco. Quod autem in illis libris feci, qui sunt *de natura Deorum*, itemque in iis, quos *de divinatione* edidi, ut in utramque partem perpetua explicaretur oratio, quo facilius id a quoque probaretur, quod cuique maxime probabile videretur, id in hac disputatione *de fato* casus quidam ne facerem inpedivit. 2. Nam cum essem in Puteolano Hirtiusque noster, consul designatus, isdem in locis, vir nobis amicissimus et his studiis, in quibus nos a pueritia viximus, deditus, multum una eramus, maxime nos

---

Exordium huius libri, quo res eo tractatas et ad ἠθικὴν et ad λογικὴν pertinere Cicero docuisse videtur, Lud. Chrysost. Ferrucci in folio palimpsesto se invenisse ementitus est, cuius fraudis impudentia explosa est a Frid. Ritschelio in Musei Rhen. vol. IX p. 469 sqq. — 1. *quos ethos* Rehdig.; *quos ἤθη Graeci vocant* Manutius — 2. *apellare* A — 3. *moralem* V^2: *morabilem* C — 6. *apellant* A — 7. *logice* V, *loice* AB, *logicae* coni. Ramus et Davisius; at graeca, opinor, non latina consuetudine genetivum Cicero extulisset. — 7. *illis* Ernesti Davisii vestigia secutus, qui *iis* proposuerat: *aliis* C — 8. *in his* AV — 9. *diuinatio* B^1 — 12. *inpediuit* A, sed *iuit* in ras., *inpeduit* B^1 — *hirciusque* B — 13. *iisdem* BV^2O — *his* C: *iis* O — 14. *multum una eramus* V^2: *multa numeramus* A, sed *a* et *um* in ras., *multu muneramus* B^1, *multu munera mus* V^1, *multa numerauimus* B^2 Erlang.

quidem exquirentes ea consilia, quae ad pacem et ad concordiam civium pertinerent. Cum enim omnes post interitum Caesaris novarum perturbationum causae quaeri viderentur iisque esse occurrendum putaremus, omnis fere nostra in his deliberationibus consumebatur oratio: idque et saepe alias et quodam liberiore quam solebat et magis vacuo ab interventoribus die, cum ad me ille venisset, primo ea, quae erant cotidiana et quasi legitima nobis, de pace et de otio.

II. 3. Quibus actis, Quid ergo? inquit ille, quoniam oratorias exercitationes non tu quidem, ut spero, reliquisti, sed certe philosophiam illis anteposuisti, possumne aliquid audire? Tu vero, inquam, vel audire vel dicere; nec enim, id quod recte existimas, oratoria illa studia deserui, quibus etiam te incendi, quamquam flagrantissumum acceperam, nec ea quae nunc tracto minuunt, sed augent potius illam facultatem. Nam cum hoc genere philosophiae, quod nos sequimur, magnam habet orator societatem; subtilitatem enim ab Academia mutuatur et ei vicissim reddit ubertatem orationis et ornamenta dicendi. Quam ob rem, inquam, quoniam utriusque studii nostra possessio est, hodie utro frui malis optio sit tua. Tum Hirtius, Gratissumum, inquit, et tuorum omnium simile; nihil enim umquam abnuit meo studio voluntas tua. 4. Sed quoniam rhetorica mihi vestra sunt nota teque in iis et audivimus saepe et audiemus, atque hanc Academicorum contra propositum disputandi consuetudinem indicant te suscepisse Tusculanae disputationes, ponere aliquid, ad quod audiam, si tibi non est molestum, volo. An mihi, inquam, potest quicquam esse molestum, quod tibi gratum futurum sit? Sed ita audies, ut Romanum hominem, ut timide ingredientem ad hoc genus disputandi, ut longo intervallo haec studia repetentem. Ita, inquit, audiam te disputantem, ut ea lego, quae scripsisti. Proinde ordire. † Considamus hic * * *

III. 5. Quorum in aliis, ut in Antipatro poeta, ut in brumali die natis, ut in simul aegrotantibus fratribus, ut in urina, ut in unguibus, ut in reliquis eius modi, naturae contagio valet, quam ego non tollo, vis

---

2. *pertinere* B^1 — 3. *hisque* AVO — 4. *his* C : *iis* O — *consumabatur* AV^1 — *itaque et saepe alias* coni. Davisius — 5. *solebam* Manutius — 6. *ad me ille* C : *ille ad me* O — *ea* C : *illa* O — *quotidiana* O — 8. *acceptis* A^1 V — *oratoria exercitatio* B^1 — 11. *id* om. Erlang. — *recte audire existimas* A Erlang. — 18. *oblio* V — 20. *retorica* A^1, *rethorica* A^2 — *uestra* Manutius: *nostra* C — *his* AV — 21. *positum* coni. Davisius, satis ille quidem a Mosero aliisque refutatus — 22. *suscipisse* B — *disputationis* V^2 — 24. *uolo* -- *gratum* om. V — *an* vulgo: *ad* A^1, *at* A^2 B — 25. *futurumst* scribendum esse monet Madvigius de finn. p. 752 sq.; ipsi modum coniunctivum expellere dubitavimus, atque *futurum sit* idem fere quod *futurum esse potest* valere iudicamus — *et* B^1 — 28. *ordire considamus hic* A, sed *damus hic* manu rec. in lacuna scriptum, *ordire considamus hic* (*hic* in ras.) *non est igitur* B, quo in codice in margine post *hic* adnotatum est: *abhinc retrouersus XXIV foliis sequitur de eiusdem corpore orationis sed omissis in medio pluribus,* itemque ante *non: hic interpositum est, quod in primo libro de natura deorum* (I, 23, 64) *dimissum est, ubi de secundo libro diuinationis est interpositum; ordire considamus ici* V, *ordire considamus hic. hic deest. quorum* Erlang.; inter *Proinde ordire* et *considamus hic* multa deesse Orelli adnotat; nos codd. fidem secuti post illa verba plures paginas, in quibus cum de aliis rebus, tum de adsensionibus disputatum fuisse §§ 40 et 42 docemur, intercidisse ita iudicamus, ut genuina verba *Proinde ordire; cum consedissemus* postea interpolata esse dicamus. — 29. *aliis* corr. in *aleis* V — *ut imbrum ali die natois* B — 31. *tollo uis* V, quibus verbis supra lineam manu ead. additum est *an*.

est nulla fatalis; in aliis autem fortuita quaedam esse possunt, ut in illo naufrago, ut in Icadio, ut in Daphita; quaedam etiam Posidonius — pace magistri dixerim — comminisci videtur; sunt quidem absurda. Quid enim? si Daphitae fatum fuit ex equo cadere atque ita perire, ex hocne equo, qui cum equus non esset nomen habebat alienum? aut Philippus hasne in capulo quadrigulas vitare monebatur? quasi vero capulo sit occisus. Quid autem magnum [aut], naufragum illum sine nomine in rivo esse lapsum? quamquam huic quidem hic scribit praedictum in aqua esse pereundum: ne hercule Icadii quidem praedonis video fatum ullum; nihil enim scribit ei praedictum. 6. Quid mirum igitur ex spelunca saxum in crura eius incidisse? puto enim, etiam si Icadius tum in spelunca non fuisset, saxum tamen illud casurum fuisse. Nam aut nihil omnino est fortuitum, aut hoc ipsum potuit evenire fortuna. Quaero igitur — atque hoc late patebit —, si fati omnino nullum nomen, nulla natura, nulla vis esset, et forte temere casu aut pleraque fierent aut omnia, num aliter ac nunc eveniunt evenirent? Quid ergo adtinet inculcare fatum, cum sine fato ratio omnium rerum ad naturam fortunamve referatur?

IV. 7. Sed Posidonium, sicut aequum est, cum bona gratia dimittamus, ad Chrysippi laqueos revertamur. Cui quidem primum de ipsa contagione rerum respondeamus, reliqua postea persequemur. Inter locorum naturas quantum intersit videmus: alios esse salubris, alios pestilentis, in aliis pituitosos et quasi redundantis, in aliis exsiccatos atque aridos; multaque sunt alia, quae inter locum et locum plurimum differant. Athenis tenue caelum, ex quo etiam acutiores putantur Attici, crassum Thebis, itaque pingues Thebani et valentes. Tamen neque illud tenue caelum efficiet, ut aut Zenonem quis aut Arcesilam aut Theophrastum audiat, neque crassum, ut Nemea potius quam Isthmo victoriam petat. 8. Diiunge longius: quid enim loci natura adferre potest, ut in porticu Pompei potius quam in campo ambulemus? tecum quam cum alio? Idibus potius quam Kalendis? Ut igitur ad quasdam res natura loci pertinet aliquid, ad quasdam autem nihil, sic astrorum adfectio valeat, si vis, ad quasdam res, ad omnis certe non valebit. At enim, quoniam in naturis hominum dissimilitudines sunt, ut alios dulcia, alios subamara delectent, alii libidinosi, alii iracundi aut crudeles aut

---

2. *in Daphita. Quaedam* O; nos plenam interpunctionem sustulimus, ut illa verba *sunt quidem absurda* et ad exempla, in quibus fortuita quaedam insint, et ad exempla, quae Posidonius commentus est, referri possint — 3. *sint* A^1V — *quidem* BV^2: *quidam* A^1V^1, *quidaem* A^2, *inquam* Rebdig., *quaedam* Turnebus, *quidem inquam* O — *absorde* A^1, *obsurda* V^1 — 4. *si* om. B — 5. *hocine* Klotz — 6. *capula* A^1 — 7. *magnum aut naufragum* C, *magnum est naufr.* cum F. A. Wolfio O, *magnum et naufr.* Lambinus et Klotz — 8. *quamquam*] *quicquam* V — *quidem*] *quid enim* V — 9. *Icadii* om. V — *praeconis* V^2 — 11. *ex* om. A^1 — 13. *est omnino* O — *ipsud* B^1 — 16. *ac*] *hac* B^2 — 17. *attinet* O — 19. *ecum* corr. in *equum* B — 20. *primum quidem* O — 21. *rerum contagione* O — 22. *uideamus* A^1V — *salubres* O — 23. *pestilentes* O — *aliis esse* O — *pituosos* V — *redundatis* A^1, *redundantes* O — 24. *locum et plurimum* V, sed *et* punctis notatum — 25. *differunt* O — 27. *arcesilam* corr. in *archesilam* V — 29. *diiungue* A^1, *diungo* cod. Balliol., *diiungo* O — *longuis* V^1, *locis* V^2, quod in *locos* correctum est in marg. — 30. *portico* B^1 — *in campo amb. tecum quam* om. V — *tecum quam cum alio idibus* in marg. m. antiqua suppleta in A — 33. *omnes* O — *ad* corr. in *at* C.

superbi sint, alii talibus vitiis abhorreant: quoniam igitur, inquit, tantum natura a natura distat, quid mirum est has dissimilitudines ex differentibus causis esse factas?

V. 9. Haec disserens qua de re agatur et in quo causa consistat non videt. Non enim, si alii ad alia propensiores sunt propter causas naturalis et antecedentis, idcirco etiam nostrarum voluntatum atque adpetitionum sunt causae naturales et antecedentes; nam nihil esset in nostra potestate, si ita se res haberet. Nunc vero fatemur acuti hebetesne, valentes inbecilline simus non esse id in nobis; qui autem ex eo cogi putat, ne ut sedeamus quidem aut ambulemus voluntatis esse, is non videt quae quamque rem rès consequatur. Ut enim et ingeniosi et tardi ita nascantur antecedentibus causis itemque valentes et inbecilli, non sequitur tamen ut etiam sedere eos et ambulare et rem agere aliquam principalibus causis definitum et constitutum sit. 10. Stilponem, Megaricum philosophum, acutum sane hominem et probatum temporibus illis accepimus. Hunc scribunt ipsius familiares et ebriosum et mulierosum fuisse: neque haec scribunt vituperantes, sed potius ad laudem. Vitiosam enim naturam ab eo sic edomitam et conpressam esse doctrina, ut nemo umquam vinolentum illum, nemo in eo libidinis vestigium viderit. Quid? Socraten nonne legimus quem ad modum notarit Zopyrus physiognomon, qui se profitebatur hominum mores naturasque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoscere? Stupidum esse Socraten dixit et bardum, quod iugula concava non haberet, obstructas eas partes et obturatas esse dicebat; addidit etiam mulierosum, in quo Alcibiades cachinnum dicitur sustulisse. 11. Sed haec ex naturalibus causis vitia nasci possunt, extirpari autem et funditus tolli, ut is ipse, qui ad ea propensus fuerit, a tantis vitiis avocetur, non est id positum in naturalibus causis, sed in voluntate, studio, disciplina; quae tolluntur omnia, si vis et natura fati ex divinationis ratione firmabitur.

VI. Etenim si est divinatio, qualibusnam a perceptis artis proficiscitur? Percepta appello, quae dicuntur Graece *θεωρήματα*. Non enim credo nullo percepto aut ceteros artifices versari in suo munere aut eos, qui divinatione utantur, futura praedicere. 12. Sint igitur astrologorum percepta huius modi: «Si quis verbi causa oriente Canicula natus est, is in mari non morietur.» Vigila, Chrysippe, ne tuam causam, in qua tibi cum Diodoro, valente dialectico, magna luctatio est, deseras. Si enim est verum, quod ita conectitur: «Si quis oriente Canicula natus

---

1. *a talibus* Lambinus — *aborreant* V — *inquid* B — 2. *a natura natura* B — 4. *quam* B[1] — 5. *sint* Erlang. O — 6 *naturales et antecedentes* A V O — *adque* B — 8. *res ita se* Erlang. O — 10. *putat .c. ne ut* B — *aut* sup. lin. additum in A — *is* om. B — 13. *tamen e ut* B[1] — 14. *stilfonem* A, *stilphonem* B V — 15. *megarium* Erlang., *Megareum* Cratand.: tu vide, sis, quae Bremi ad hunc locum disputavit — 17. *haec* C: *hoc* Erlang. O — 18. *et* sup. lin. add. B — *conpraessam* AB — 19. *uinulentum* B[1] V[2] — *in eo* A[2] B[2]: *in eum* A[1] B[1] V — 20. *quod* corr. in *quid* AV — *Socratem* hic et v. 22 O — 23. *obsturatas* B[1], *opturatas* V[2] — *eas esse* B — 24. *addit* B — 25. *subtulisse* B[1] — 26. *exstirp.* A[2] — 27. *a talis* V[1], *aetatis* V[2] — 29. *et*] *ex* (altera man. *et* superscr.) V — 30. *si esse* B[1] — *praeceptis* et infra *praecepta* Salisb. — 31. *apello* AB — 33. *sunt* Erlang. O — *astralogorum* A — 36. *dialetico* A — *desideras* corr. in *deseras* B — 37. *enim* om. B — *quis oriente,* quibus verbis sup. lin. additum *uerbi causa* in B.

est, in mari non morietur», illud quoque verum est: «Si Fabius oriente Canicula natus est, Fabius in mari non morietur.» Pugnant igitur haec inter se, Fabium oriente Canicula natum esse et Fabium in mari moriturum; et quoniam certum in Fabio ponitur, natum esse eum Canicula oriente, haec quoque pugnant, et esse Fabium et in mari esse moriturum. Ergo haec quoque coniunctio est ex repugnantibus: «Et est Fabius et in mari Fabius morietur», quod, ut propositum est, ne fieri quidem potest. Ergo illud: «Morietur in mari Fabius», ex eo genere est, quod fieri non potest. Omne ergo, quod falsum dicitur in futuro, id fieri non potest.

VII. 13. At hoc, Chrysippe, minime vis, maximeque tibi de hoc ipso cum Diodoro certamen est. Ille enim id solum fieri posse dicit, quod aut sit verum aut futurum sit verum et, quidquid futurum sit, id dicit fieri necesse esse, et, quidquid non sit futurum, id negat fieri posse. Tu et quae non sint futura posse fieri dicis, ut frangi hanc gemmam, etiam si id numquam futurum sit, neque necesse fuisse Cypselum regnare Corinthi, quamquam id millensimo ante anno Apollinis oraculo editum esset. At si ista conprobabis divina praedicta et quae falsa in futuris dicentur in iis habebis, ut ea fieri non possint, ut si dicatur Africanum Karthagine potiturum, et si vere dicatur de futuro idque ita futurum sit, dicas esse necessarium; quae est tota Diodori vobis inimica sententia. 14. Etenim si illud vere conectitur «Si oriente Canicula natus es, in mari non moriere», primumque quod est in conexo «Natus es oriente Canicula» necessarium est — omnia enim vera in praeteritis necessaria sunt, ut Chrysippo placet, dissentienti a magistro Cleanthe, quia sunt inmutabilia nec in falsum e vero praeterita possunt convertere —, si igitur quod primum in conexo est necessarium est, fit etiam quod consequitur necessarium. Quamquam hoc Chrysippo non videtur valere in omnibus; sed tamen, si naturalis est causa cur in mari Fabius non moriatur, in mari Fabius mori non potest.

VIII. 15. Hoc loco Chrysippus aestuans falli sperat Chaldaeos ceterosque divinos neque eos usuros esse coniunctionibus, ut ita sua percepta pronuntient: «Si quis natus est oriente Canicula, is in mari non

---

1. inter *est* et *in* sup. lin. addit. *is* in B — *oriente - - et fabium* in marg A — 4. *certum «esse eum in fabio ponitur natum» canicula* B signis transpositionis additis — 7. *positum* coni. Davisius, at vide nos ad § 4 — 9. *ergo* C: *igitur* O — 11. *ad* C[1] — *mine uis* A[1] — *uix* B[1] — *maximae quae* B — 12. *posset* B[1] — Hieronymus adv. Pelag.: *Diodorus id solum posse fieri dicit, quod aut sit uerum aut uerum futurum sit,* ut Cicero et ipse infra § 17 — 13 et 14. *quicquid* C — 14. *necesse* B — *id genat* B[1] — 15. *sunt* O — *fragi* B[1] — 16. *id* corr. ex *ad* BV — 17. *millesimo* B A[2] V[2] O — 18. *esset et* B, sed *et* punctis notatum — *conprobabis* A, sed *bis* in ras. man. alt.: *cuprobabas* B[1], *comprobabas* B[2], *comprobas* Rehdig. — 19. *dicuntur* BO — *his* AV — *habemus* C, quod nescio an ex *habeuis* ortum sit — Verba *ut si dicatur Afr. Kar. potiturum* ad alteram divisionis partem *si vere dicatur de futuro* exempli gratia ab interpolatore quodam addita esse iudico — 20 *carthaginem* AB, sed *m* in A punct., *cartagine* V[1] — 21. *esse nec.* V[1], *esse non nec.* V[2] — 23. *quonexo* A[1] — *es* cod. Gudianus: *est* C — 26. *falsum me uero* B, *falsum ne uero* V[1], *falsum nec in uerum* V[2] — *praeterito* V — 31. *facilis* B, sed *ci* et *s* punctis notata — *nos falli sperat neque Chaldaeos ceterosque diuinos usuros esse* coni. Hottinger — 32. *coniunctionibus*]» aut Cicero scripsit *neque eos usuros esse conexionibus* (etsi alibi *conexa* dicit), aut turpiter diversissima et ea ipsa, in quibus distinguendis versatur, confudit: nam hoc *si quid - - morietur* conexum est, illud *non - - morietur* coniunctionis negatio.» Madvig — *praecepta* A — 33. *pronuncient* B.

morietur», sed potius ita dicant: «Non et natus est quis oriente Canicula, et is in mari morietur.» O licentiam iocularem! ne ipse incidat in Diodorum, docet Chaldaeos quo pacto eos exponere percepta oporteat. Quaero enim, si Chaldaei ita loquantur, ut negationes infinitarum coniunctionum potius quam infinita conexa ponant, cur idem medici, cur geometrae, cur reliqui facere non possint? Medicus in primis quod erit ei perspectum in arte non ita proponet: «Si cui venae sic moventur, is habet febrim», sed potius illo modo: «Non cui venae sic moventur, et is febrim non habet.» Itemque geometres non ita dicet: «In sphaera maximi orbes medii inter se dividuntur», sed potius illo modo: «Non et sunt in sphaera maximi orbes, et ii non medii inter se dividuntur.» 16. Quid est quod non possit isto modo ex conexo transferri ad coniunctionum negationem? Et quidem aliis modis easdem res efferre possumus. Modo dixi: «In sphaera maximi orbes medii inter se dividuntur», possum dicere: «Si in sphaera maximi orbes erunt», possum dicere: «Quia in sphaera maximi orbes erunt.» Multa genera sunt enuntiandi nec ullum distortius quam hoc, quo Chrysippus sperat Chaldaeos contentos Stoicorum causa fore.

IX. 17. Illorum tamen nemo ita loquitur; maius est enim has contortiones orationis quam signorum ortus obitusque perdiscere. Sed ad illam Diodori contentionem, quam περὶ δυνατῶν appellant, revertamur, in qua quid valeat id quod fieri possit anquiritur. Placet igitur Diodoro id solum fieri posse, quod aut verum sit aut verum futurum sit. Qui locus attingit hanc quaestionem: nihil fieri, quod non necesse fuerit, et: quidquid fieri possit, id aut esse iam aut futurum esse, nec magis commutari ex veris in falsa posse ea, quae futura, quam ea, quae facta sunt, sed in factis inmutabilitatem apparere, in futuris quibusdam, quia non apparet, ne inesse quidem videri: ut in eo qui mortifero morbo urgeatur verum sit: «Hic morietur hoc morbo»; at hoc idem si vere dicatur in eo, in quo vis morbi tanta non appareat, nihilo minus futurum sit. Ita fit ut commutatio ex vero in falsum ne in futuro quidem ulla fieri possit. Nam «Morietur Scipio» talem vim habet, ut quamquam de futuro dicitur, tamen ut id non possit convertere in falsum; de homine enim dicitur, cui necesse est mori. 18. Sic si diceretur «Morietur

---

1. *dicant* cod. Rehdig.: *dicent* C — 2. *et his* B^1 — *ipsa* AV^1 — 3. *diorum* B^1 — *quo facto* B — 4. *chaldci* A — *loquentur* BV, *loquuntur* cod. Gudianus — 5. *cum conexa* V — 6. *possunt* A^1 — 7. *perceptum* Hottinger — 8. *febrem* O — *non cui* Hottinger, quod recte ille quidem coniecisse mihi videtur, ut infinita sit coniunctio: *non ei* CO — 9. *febrem* ABO — 10. 11. 14. 16. *sphera* B — 10. *orbis* corr. in *orbes* BV — 11. *ii* A^1, *hii* A^2 — 12. *quod* sup. lin. A — *quonexo* A^1V^1 — 13. fort. *coniunctionis* — 14. *medii inter se -- orbes erunt* in marg. manu antiqua suppl. in A — 15. *si* om. V — 16. *qua* B^1, *qui* coni. Bremi — *possum dicere quia -- orbes erunt* om. V — 17. *quod* corr. in *quo* A — 18. *contemptos* V — 20. *mortus* B^1 — 21. *quam* sup. lin. V — *apellant* AB — 22. *inquiritur* Erlang. O — 24. *quod non necesse fuerit et quicquid fieri* in marg. manu alt. suppl. B — 25. *quicquid* C — 26. *ea posse* O — *futura* AB^2V: *futuram* B^1, *futura sunt* O — 27. *qui non* A^1 — 28. *apparet* coni. Davisius: *appareret* C, *apparent* Erlang., *appareat* Bremi; modus indicativus *apparet*, ex quo facile codd. lectio oriri potuit, eodem modo, quo paulo antea *facta sunt*, positus videtur — 29. *urgueatur* A^2V — *uerum sit* C: *uerum et inmutabile sit* Cicero aut scripsit aut scribere debuit — *adhoc* B^1V^1 — 30. *futurumst* Halm — 33. *dicitur* C (sed *ci* sup. lin. in A): *dicatur* Ursinus O, *dicetur* Stephanus.

noctu in cubiculo suo vi oppressus Scipio», vere diceretur; id enim fore diceretur, quod esset futurum, futurum autem fuisse, ex eo, quia factum est, intellegi debet. Nec magis erat verum «Morietur Scipio» quam «Morietur illo modo», nec magis necesse mori Scipioni quam illo modo mori, nec magis inmutabile ex vero in falsum «Necatus est Scipio» quam «Necabitur Scipio». Nec, cum haec ita sint, est causa cur Epicurus fatum extimescat et ab atomis petat praesidium easque de via deducat et uno tempore suscipiat res duas inenodabiles, unam, ut sine causa fiat aliquid, ex quo existet ut de nihilo quippiam fiat, quod nec ipsi nec cuiquam physico placet, alteram, ut, cum duo individua per inanitatem ferantur, alterum e regione moveatur, alterum declinet. 19. Licet enim Epicuro, concedenti omne enuntiatum aut verum aut falsum esse, non vereri ne omnia fato fieri sit necesse; non enim aeternis causis, naturae necessitate emanantibus, verum est id, quod ita enuntiatur: «Descendit in Academiam Carneades», nec tamen sine causis, sed interest inter causas fortuito antegressas et inter causas cohibentis in se efficientiam naturalem. Ita et semper verum fuit «Morietur Epicurus, cum duo et septuaginta annos vixerit, archonte Pytharato», neque tamen erant causae fatales cur ita accideret, sed quod ita cecidisset, certe casurum, sicut cecidit, fuit. 20. Nec ii, qui dicunt inmutabilia esse quae futura sint nec posse verum futurum convertere in falsum, fati necessitatem confirmant, sed verborum vim interpretantur. At qui introducunt causarum seriem sempiternam, ii mentem hominis voluntate libera spoliatam necessitate fati devinciunt.

X. Sed haec hactenus; alia videamus. Concludit enim Chrysippus hoc modo: «Si est motus sine causa, non omnis enuntiatio, quod ἀξίωμα dialectici appellant, aut vera aut falsa erit; causas enim efficientis quod non habebit, id nec verum nec falsum erit; omnis autem enuntiatio aut vera aut falsa est: motus ergo sine causa nullus est. 21. Quod si ita est, omnia quae fiunt causis fiunt antegressis; id si ita est, fato omnia fiunt: efficitur igitur fato fieri quaecumque fiant.» Hic primum mihi libeat adsentiri Epicuro et negare omnem enuntiationem aut veram esse aut falsam. Eam plagam potius accipiam quam fato omnia fieri conprobem; illa enim sententia habet aliquid disputationis, haec vero non est tolerabilis. Itaque contendit omnis nervos Chrysippus, ut persuadeat omne ἀξίωμα aut verum esse aut falsum. Ut enim Epicurus veretur ne, si hoc concesserit, concedendum sit fato fieri quaecumque fiant — si enim alterum utrum ex aeternitate verum sit, esse id etiam certum, et

---

1. *id enim fore diceretur* in marg. manu ant. suppl. in V — 3. *intelligi* AO — 4. *nec magis* coni. P. Ramus: *nec minus* C — *Scipionem* ex codd. Palat. Gruter O — 7. *easque* A[1] — 9. *quidpiam* O — *ipsar* (sic) V[1] — 10. *feruntur* V — 11. *alteram decl.* V[1] — 13. *ex aeternis* ex codd. interp. vestigiis Davisius O — *a naturae* V[2]O — 14. *emanantibus* scripsi: *manantibus* CO — 15. *ter causas* sup. lin. B — 16. *cohibentes* VO — 18. *archon thepitharato* AV — 19. *ita* om. V — *accidisset* V — *casurum* corr. ex *causarum* A, *causarum* V[1], *a serie causarum* V[2] — 20. *fuerit* A[2]B — *hic* A[2], *hi* V — 22. *interpraetantur* B — *at qui*] *atque* C — 23. *hii* AB, *hi* V — 26. *axioma*, sed ante hoc verbum duae literae in loco evanido scriptae sunt in A — 27. *efficientes* O — 30. *omnia fato* O — 31. *primum mihi* Hottinger: *primum si mihi* C — 33. *qua* V — 34. *sentia* B[1] — *aliquid habet* O — 35. *omes* BVO — 36. *epicorus* A[1] — 38. *alterum si utrum* B, *alterum ** utrum ***** A — ante *ex* quatuor litt. erasae in A — *certe* A[1].

si certum, etiam necessarium: ita et necessitatem et fatum confirmari putat —, sic Chrysippus metuit ne, si non optinuerit omne, quod enuntietur, aut verum esse aut falsum, non teneat omnia fato fieri et ex causis aeternis rerum futurarum. 22. Sed Epicurus declinatione atomi vitari necessitatem fati putat. Itaque tertius quidam motus oritur extra pondus et plagam, cum declinat atomus intervallo minimo — id appellat ἐλάχιστον —, quam declinationem sine causa fieri, si minus verbis, re cogitur confiteri. Non enim atomus ab atomo pulsa declinat; nam qui potest pelli alia ab alia, si gravitate feruntur ad perpendiculum corpora individua rectis lineis, ut Epicuro placet? † Sequitur enim ut, si alia ab alia numquam depellatur, ne contingat quidem alia aliam. Ex quo efficitur, etiam si sit atomus eaque declinet, declinare sine causa. 23. Hanc Epicurus rationem induxit ob eam rem, quod veritus est ne, si semper atomus gravitate ferretur naturali ac necessaria, nihil liberum nobis esset, cum ita moveretur animus, ut atomorum motu cogeretur. Id Democritus, auctor atomorum, accipere maluit, necessitate omnia fieri, quam a corporibus individuis naturalis motus avellere. XI. Acutius Carneades, qui docebat posse Epicureos suam causam sine hac commenticia declinatione defendere. Nam cum docerent esse posse quendam animi motum voluntarium, id fuit defendi melius quam introducere declinationem, cuius praesertim causam reperire non possunt; quo defenso facile Chrysippo possent resistere. Cum enim concessissent motum nullum esse sine causa, non concederent omnia quae fierent fieri causis antecedentibus; voluntatis enim nostrae non esse causas externas et antecedentis. 24. Communi igitur consuetudine sermonis abutimur, cum ita dicimus, velle aliquid quempiam aut nolle sine causa. Ita enim dicimus «sine causa», ut dicamus sine externa et antecedente causa, non sine aliqua. Ut, cum vas inane dicimus, non ita loquimur, ut physici, quibus inane esse nihil placet, sed ita, ut verbi causa sine aqua, sine

---

1. *etiam* om. V, sup. lin. add. A — 3. *an uerum* B[1] — *non teneat* om. V, sup. lin. m. 2. in A, ante *aut falsum* signis transpositionis adiectis scriptum in B, *falsum, omnia fato fieri possint* Cratand. — *et* om. V — 4. *declinationem* B — 5. *uitari nec.* sed *ri ne* in ras. man. alt. scriptum in A — *fati necessitatem* O — *itaque*] *atque* V — 6. *apellat* A — 7. *uerbi* V[1] — 8. *confieri* A[1] — 9. *peli* A[1] — *referuntur*, sed *re* punctis notatum A — 10. *sequitur autem* Davisius; fort. *sequitur enim, ut si ne contingat quidem alia aliam, alia ab alia numquam depellatur*. Similem coniecturam Madvigius proposuit, qui in litteris, quas ad C. Halmium dedit, haec disputat: «Hoc minime sequitur; potest enim alia aliam contingere neque tamen ab ea depelli. Praeterea ex non concesso concluditur concessum. Ex eo, quod Epicurus docebat, atomos ferri rectis lineis ad perpendiculum (sua quamque regione, ut nulla aliam attingeret), concludi argumentum debebat ad id, quod propositum est adversus Epicurum, atomos aliam ab alia non depelli, ita declinationem sine causa fieri. Aut igitur Cicero graviter erravit et argumenti conclusionem perturbavit, aut scripsit *Sequitur enim ut alia ab alia numquam depellatur, si ne contingat quidem alia aliam.* Sed difficillimum est statuere quid Ciceroni erroris imputari possit in libello festinato de acuminibus dialecticorum, in quibus parum fuisse exercitatum omnia clamant.» — 11. *contigat* B — 12. *effigitur* A[1] V[1] — *etiam* ex codd. interp. Davisius: *ut iam* C — *eaquae* AV — *eam sine* ex cod. Regio Davisius O — 14. *feretur* A[1] — 16. *hic Democritus* Ursini liber, *hinc Dem.* codd Oxonn. — *magis maluit* V[2] — 17. *naturales* O — *auelle* A[1] — 18. *ac* V[1] — 19. *docerent* J. F. Meyer: *doceret* C, nisi quod *t* m. alt. sup. lin. additum in B — 21. *possem* V[1], *possent* V[2] — 25. *antecedentes* AVO — *igitur*] *enim* cod. Gud. — 26. *uelle aliquid* in ras. A — 27. *si non ext.* B[1] — 28. *aut cum* B[1].

vino, sine oleo vas esse dicamus: sic, cum sine causa animum dicimus moveri, sine antecedente et externa causa moveri, non omnino sine causa dicimus. De ipsa atomo dici potest, cum per inane moveatur gravitate et pondere, sine causa moveri, quia nulla causa accedat extrinsecus. 25. Rursus autem, ne omnibus a physicis inrideamur, si dicamus quicquam fieri sine causa, distinguendum est et ita dicendum, ipsius individui hanc esse naturam, ut pondere et gravitate moveatur, eamque ipsam esse causam cur ita feratur. Similiter ad animorum motus voluntarios non est requirenda externa causa; motus enim voluntarius eam naturam in se ipse continet, ut sit in nostra potestate nobisque pareat, nec id sine causa; eius rei enim causa ipsa natura est. 26. Quod cum ita sit, quid est cur non omnis pronuntiatio aut vera aut falsa sit, nisi concesserimus fato fieri quaecumque fiant? Quia futura vera, inquit, non possunt esse ea, quae causas cur futura sint non habent: habeant igitur causas necesse est ea, quae vera sunt; ita cum evenerint, fato evenerint.

XII. Confectum negotium, si quidem concedendum tibi est aut fato omnia fieri aut quicquam fieri posse sine causa. 27. An aliter haec enuntiatio vera esse non potest «Capiet Numantiam Scipio», nisi ex aeternitate causa causam serens hoc erit effectura? An hoc falsum potuisset esse, si esset sescentis saeculis ante dictum? et si tum non esset vera haec enuntiatio «Capiet Numantiam Scipio», ne illa quidem eversa vera est haec enuntiatio: «Cepit Numantiam Scipio». Potest igitur quicquam factum esse, quod non verum fuerit futurum esse? nam ut praeterita ea vera dicimus, quorum superiore tempore vera fuerit instantia, sic futura, quorum consequenti tempore vera erit instantia, ea vera dicemus. 28. Nec si omne enuntiatum aut verum aut falsum est, sequitur ilico esse causas inmutabilis easque aeternas, quae prohibeant quicquam secus cadere atque casurum sit. Fortuitae sunt causae, quae efficiant, ut vere dicantur quae ita dicentur «Veniet in senatum Cato», non inclusae in rerum natura atque mundo. Et tamen tam est inmutabile venturum, cum est verum, quam venisse, nec ob eam cau-

---

1. *amum* A[1] — 5. *omnibus a physicis inrideamur* censor Jenens. ed. Brem.: *omnes physici inrideamur* C, *omnes nos physici inrideant* Bremi — 8. *cur* sup. lin. man. pr. add. V — 12. *pronuntiatio*] *enuntiatio* coni. Davisius; at vide A. Gellium XVI, 8 «*ἀξίωμα* appellatum est a M. Varrone sicuti dixi «prologium», a M. autem Cicerone «pronuntiatum» quo ille tamen vocabulo tantisper uti se adtestatus est, quoad melius, inquit, invenero» — 13. *inquid* B[1] — 15. *eaque uera* A — fort. *quae vera futura sunt* — 18. *quicquid* B[1] — 19. *nuntiatio* A[1] — *possent* B[1] — *capiet* (*et* in ras.) A — *nummantiam* V — ante *Scipio* littera erasa est in A — 20. *causa serens* (*causam* om.) V[1], *causarum serie* V[2] — *erat* V[2]; equidem verba *erit effectura* ita interpretor, ut idem quod «concedes esse effecturam» iis significari dicam — 21. *sexcentis* O — *si tum* in ras. manu sec. A — 22. *ne illa quidem* -- *Scipio* manu vet. in textu et in marg. suppl. V — *quidem eversa vera est* Turnebus: *quidem uer a esset* (*t* m. sec. add.) *uera est* A, *quidem uera esset Uera* (*Uera est* m. sec.) B, *quidem euersa uera esset* V, *quidem uera esset uera est* Erlang. — 23. *cepit* coni. P. Ramus: *capiet* C — 24. *fatum* A[1]V[1] — *futurum? nam* coni. Bremi — 25. *fuerit* ex edit. 1471 reposuit Davisius: *fuerunt* C — 26. *erit* Davisius: *erunt* AB, *fuerunt* V — 28. *ilico* AV[1]: *illico* BV[2]O; cf. Lachmann ad Lucret. p. 32 sq. — *esse* in ras. V — *inmutabiles* VO — *easquae* A — 29. *casurum* A[2]B[2]: *causarum* A[1]V, *casarum* B[1] — *sit*] *si* V[2]; Halmio in *si* vera lectio *casurumst* videtur latere — 31. post *inclusae* in V supra lin. *sunt* additum est.

sam fatum aut necessitas extimescenda est. Etenim erit confiteri necesse: «Si hoc enuntiatum, Veniet in Tusculanum Hortensius, verum non est, sequitur ut falsum sit». Quorum isti neutrum volunt, quod fieri non potest.

Nec nos impediet illa ignava ratio quae dicitur; appellatur enim quidam a philosophis ἀργὸς λόγος, cui si pareamus, nihil omnino agamus in vita. Sic enim interrogant: Si fatum tibi est ex hoc morbo convalescere, sive tu medicum adhibueris sive non adhibueris, convalesces; 29. item: Si fatum tibi est ex hoc morbo non convalescere, sive tu medicum adhibueris sive non adhibueris, non convalesces; et alterutrum fatum est: medicum ergo adhibere nihil attinet. XIII. Recte genus hoc interrogationis ignavum atque iners nominatum est, quod eadem ratione omnis e vita tolletur actio. Licet etiam inmutare, ut fati nomen ne adiungas et eandem tamen teneas sententiam, hoc modo: Si ex aeternitate verum hoc fuit «ex isto morbo convalesces», sive adhibueris medicum sive non adhibueris, convalesces; itemque, Si ex aeternitate falsum hoc fuit «ex isto morbo convalesces», sive adhibueris medicum sive non adhibueris, non convalesces; deinde cetera. 30. Haec ratio a Chrysippo reprehenditur. Quaedam enim sunt, inquit, in rebus simplicia, quaedam copulata: simplex est «Morietur illo die Socrates»; huic, sive quid fecerit sive non fecerit, finitus est moriendi dies. At si ita fatum est «Nascetur Oedipus Laio», non poterit dici, sive fuerit Laius cum muliere sive non fuerit; copulata enim res est et confatalis: sic enim appellat, quia ita fatum sit et concubiturum cum uxore Laium et ex ea Oedipum procreaturum, ut, si esset dictum «Luctabitur Olympiis Milon», et referret aliquis «Ergo sive habuerit adversarium sive non habuerit, luctabitur», erraret. Est enim copulatum «luctabitur», quia sine adversario nulla luctatio est. Omnes igitur istius generis captiones eodem modo refelluntur. «Sive tu adhibueris medicum sive non adhibueris, convalesces» captiosum; tam enim est fatale medicum adhibere quam convalescere. Haec, ut dixi, confatalia ille appellat.

XIV. 31. Carneades genus hoc totum non probabat et nimis inconsiderate concludi hanc rationem putabat. Itaque premebat alio modo nec ullam adhibebat calumniam, cuius erat haec conclusio: Si omnia antecedentibus causis fiunt, omnia naturali conligatione conserte contexteque fiunt; quod si ita est, omnia necessitas efficit; id si verum est,

---

2. *hoc enuntiatum* coni. P. Ramus: *haec enuntiatio* C (*tio* in ras. manu sec. A) O — *ueniat* V — *ortensius* A — *uerum non est sequitur ut falsum* C (*sum* sup. lin. V): *vera non est, sequitur ut falsa* ex codd., ut ait, Davisius O, *verum non est verum non esse in Tusculanum venturum Hortensium, si verum non est, sequitur ut falsum* Lambinus — 3. *sequi* coni. P. Ramus — 6. *quiddam* A² B² — *logos* V¹, *locus* V² — *agemus* V² — 11. *adhibere** A — 14. *nomine* corr. in *nomen ne* B — *edem* V¹ — *tamen*** A — *sententiam teneas* O — 16. *non conualesces* (*adhibueris* om.) cod. Gudianus — 17. *hoc falsum* O — *morbo non conualesces* C, sed *non* punctis notatum in A, sup. lin. loco eraso scriptum in V — 19. *repraehenditur* A — 20. *illo* C: *eo* O — 21. *ad* A¹ B — 22. *est* Madvig (de finn. p. 448): *sit* CO — 24. *quia* V, *quasi* in marg. V — *concubitorum* AV — *Laium haec ex* B — 25. *ut si*] fort. *item si* — 26. *minon* ABV¹, *Milo* O — *aduersarium siue non habuerit* in marg. suppl. in V — 27. *incopulatum* A — 28. *omnis* V — 29. *medicum siue non adhibueris* in marg. suppl. in A — 30. *captiosum est tam enim fatale* cod. Gud. — 31. *ualescere* B¹ — 33. *praemebat* AB, *premebatur* V — 35. *consertae contextaeque* A.

nihil est in nostra potestate; est autem aliquid in nostra potestate: at si omnia fato fiunt, omnia causis antecedentibus fiunt: non igitur fato fiunt quaecumque fiunt. 32. Hoc artius adstringi ratio non potest. Nam si quis velit idem referre atque ita dicere: «Si omne futurum ex aeternitate verum est, ut ita certe eveniat, quem ad modum sit futurum, omnia necesse est conligatione naturali conserte contexteque fieri», nihil dicat. Multum enim differt, utrum causa naturalis ex aeternitate futura vera efficiat, an etiam sine aeternitate naturali futura quae sint ea vera esse possint intellegi. Itaque dicebat Carneades ne Apollinem quidem futura posse dicere, nisi ea, quorum causas natura ita contineret, ut ea fieri necesse esset. 33. Quid enim spectans deus ipse diceret Marcellum eum, qui ter consul fuit, in mari esse periturum? Erat hoc quidem verum ex aeternitate, sed causas id efficientis non habebat. Ita ne praeterita quidem ea, quorum nulla signa tamquam vestigia extarent, Apollini nota esse censebat; quo minus futura! causis enim efficientibus quamque rem cognitis posse denique sciri quid futurum esset. Ergo nec de Oedipode potuisse Apollinem praedicere, nullis in rerum natura causis praepositis cur ab eo patrem interfici necesse esset, nec quicquam eius modi. XV. Quocirca si Stoicis, qui omnia fato fieri dicunt, consentaneum est huius modi oracla ceteraque, quae a divinatione ducuntur, conprobare, iis autem, qui quae futura sunt, ea vera esse ex aeternitate dicunt, non idem dicendum est, vide ne non eadem sit illorum causa et Stoicorum. Hi enim urgentur angustius, illorum ratio soluta ac libera est.

34. Quod si concedatur nihil posse evenire nisi causa antecedente, quid proficiatur, si ea causa non ex aeternis causis apta dicatur? Causa autem ea est, quae id efficit, cuius est causa, ut vulnus mortis, cruditas morbi, ignis ardoris. Itaque non sic causa intellegi debet, ut quod cuique antecedat, id ei causa sit, sed quod cuique efficienter antecedat; nec quod in campum descenderim, id fuisse causae cur pila luderem, nec Hecubam causam interitus fuisse Troianis, quod Alexandrum genuerit, nec Tyndareum Agamemnoni, quod Clytaemnestram. Hoc enim modo viator quoque bene vestitus causa grassatori fuisse dicetur cur ab eo spoliaretur. 35. Ex hoc genere illud est Enni:

---

1. *ad* A[1], *ac* cod. Gud. — 3. *quaecumque* sup. lin. m. sec. add. B — *haec* cod. Gud. O — 6. *conlegatioñ* B[1], *conleg.* V[1] — *consertae contextaeque* A — 7. *dicat* mutatum in *dicit* A — *naturales* V[1] — 8. fort.: *sine causa naturali ex aeternitate* — 9. *intelligi* O — *appollinem* B — 10. *posse dicere* in marg. add. A — 13. *causa si deficientis* A, *causas si de* ficientis* B, *causas fide ficientis*, sed prius *f* manu ead. del. V — 14. *quorum ** illa* A, *quorum illa* B — 15. *quo* C: *quanto* codd. interp. O — 16. *quod* corr. in *quid* A — 17. *ne de Oedipode quidem* mavult Klotz — 18. *quoquam* corr. in *quicquam* AV — 19. *Quocirca -- huiusmodi* in marg. suppl. in V — 20. *oracula* O — *a divinatione ducuntur* Madvig (in litteris ad Halmium datis): *ad diuinationem* (*adiuinationem* B) *dicuntur* C, *ad diuinationem pertinere dicuntur* cod. Salisb. et O — 21. *his* C — 23. *urguentur* A[1]B — *angustiis* AB, *angustus* V[1] — 26. *dicatur* Erlang.: *ducatur* C — 28. *ignes* A[2]B — 29. *antecedat -- cuique* suppletum in marg. in A — *ei* A[2]B: *et* A[1]V — *efficientur* B[1]V[1] — *antecedant* A[1]V[1] — 30. *ne quod* A[1]V — *descenderint* V[1] — *l*uderem* A — 31. *haecubam* V — *causa* B — *traianis* V[1] — 33. *crassatori* B, item AV, sed in ras. scriptum — *dice*tur* A, *diceretur* V — 34. *gere* B — *Ennii* B[2]V[2]O.

Utinam ne in nemore Pelio securibus
Caesae accedissent abiegnae ad terram trabes!

Licuit vel altius «Utinam ne in Pelio nata ulla umquam esset arbor!», etiam supra «Utinam ne esset mons ullus Pelius!» similiterque superiora repetentem regredi infinite licet.

Neve inde navis inchoandi exordium
Cepisset.

Quorsum haec praeterita? Quia sequitur illud

Nam numquam era errans mea domo ecferret pedem,
Medea animo aegro, amore saevo saucia,

non, ut eae res causam adferrent amoris.

XVI. 36. Interesse autem aiunt, utrum eius modi quid sit, sine quo effici aliquid non possit, an eius modi, cum quo effici aliquid necesse sit. Nulla igitur earum est causa, quoniam nulla eam rem sua vi efficit, cuius causa dicitur; nec id, sine quo quippiam non fit, causa est, sed id, quod cum accessit, id cuius est causa efficit necessario. Nondum enim ulcerato serpentis morsu Philocteta, quae causa in rerum natura continebatur, fore ut is in insula Lemno linqueretur? post autem causa fuit propior et cum exitu iunctior. 37. Ratio igitur eventus aperit causam. Sed ex aeternitate vera fuit haec enuntiatio: «Relinquetur in insula Philoctetes», nec hoc ex vero in falsum poterat convertere. Necesse est enim in rebus contrariis duabus — contraria autem hoc loco ea dico, quorum alterum ait quid, alterum negat —, ex iis igitur necesse est invito Epicuro alterum verum esse, alterum falsum, ut «Sauciabitur Philocteta» omnibus ante saeculis verum fuit, «Non sauciabitur» falsum; nisi forte volumus Epicureorum opinionem sequi, qui talis enuntiationes nec veras nec falsas esse dicunt, aut cum id pudet, illud tamen dicunt, quod est inpudentius, veras esse ex contrariis diiunctiones, sed quae in his enuntiata essent, eorum neutrum esse verum. 38. O admirabilem licentiam et miserabilem inscientiam disserendi! Si enim aliquid in eloquendo nec verum nec falsum est, certe id verum non est. Quod autem verum non est, qui potest non falsum esse? aut quod falsum non est,

---

2. *caesae accedissent* V: *caesae cecaedissent* A¹, *caesae cecidissent* A² B (sed *ce* in ras. B), *caesa accidisset* O; cf. lectt. var. ad Auct. ad Herenn. II, 22 — *abiegnae* B: *abi˳egnae* A, *abiaegne* V, *abiegna* O — *trabas* V¹ — 3. *Utinam - - etiam supra* om. V — 4. *esse* V¹ — 5. *infinitae* B¹ — *licet quorsum* V, sed infra v. 8 *quorsum* deest in V — 6. *inchoandi* C: *inchoandae* Salisb. et O — 7. *cepisset* Erlang.: *caepisset* B, *coepisset* AVO — 8. *quosum* ut videtur in loco evanido A — 9. *hera* O — *haec ferret* BV — 10. *aegra* codd. Auct. ad Herenn. — *sautia* AV¹ — 11. *hae* V² — *adferent* AB¹ — 13. *aliquid effici* O — *non possit - - effici aliquid* in marg. suppl. B — *cum quo* C: *quo* Erlang. O; praepositionis usus eo defenditur, quod infra *sed id quod cum accessit*, non *antecessit* Cicero dixit — *aliquid effici* O — 15. *cuius* codd. aliquot Moseri: *in cuius* C, *nulla earum rerum sua ui efficit id cuius* Cratand. — *dicitur causa* O — Disputandi ordo flagitare mihi videtur ut verba *Nulla igitur - - causa dicitur* ante illa *Interesse autem - - necesse sit* collocentur — *quidpiam* O — 16. *causa est* cod. Gud. O — *effici* V¹, *efficitur* cod. Gud. Davisius — 19. *proprior* AB — 21. *properat* B¹ — *conuertere* A¹ V: *conuerte* B¹, *conuerti* A² B² — 23. *his* V(?)O — 24. *invito Epicuro* spuria esse censet Bremi — *saubitur* A¹ — 26. *tales* AB²VO — 27. *uera* B¹ — 28. *disiunctiones* O — *sed que* A — 29. *iis eniunctiata* B¹ — 30. *mirabilem insc.* B¹ — *inscientiam* BV: *inscientientiam* (sed *entien* punctis notatum) A, *inscitiam* O; cf. Cic. de div. I § 118 — *diserendi* A — 32. *non falsum esse - - qui potest* in marg suppl. in V — *aut quod falsum non est, qui potest non verum esse* aut ab interpolatore quodam

qui potest non verum esse? Tenebitur *igitur* id, quod a Chrysippo defenditur: omnem enuntiationem aut veram aut falsam esse; ratio ipsa coget et ex aeternitate quaedam esse vera, et ea non esse nexa causis aeternis et a fati necessitate esse libera.

XVII. 39. Ac mihi quidem videtur, cum duae sententiae fuissent veterum philosophorum, una eorum, qui censerent omnia ita fato fieri, ut id fatum vim necessitatis adferret, in qua sententia Democritus, Heraclitus, Empedocles, Aristoteles fuit, altera eorum, quibus viderentur sine ullo fato esse animorum motus voluntarii, Chrysippus, tamquam arbiter honorarius, medium ferire voluisse, sed adplicat se ad eos potius, qui necessitate motus animorum liberatos volunt. Dum autem verbis utitur suis, delabitur in eas difficultates, ut necessitatem fati confirmet invitus. 40. Atque hoc, si placet, quale sit videamus in adsensionibus, quas prima oratione tractavi. Eas enim veteres illi, quibus omnia fato fieri videbantur, vi effici et necessitate dicebant. Qui autem ab iis dissentiebant, fato adsensiones liberabant negabantque fato adsensionibus adhibito necessitatem ab his posse removeri, iique ita disserebant: Si omnia fato fiunt, omnia fiunt causa antecedente, et si adpetitus, illa etiam quae adpetitum secuntur, ergo etiam adsensiones: at si causa adpetitus non est sita in nobis, ne ipse quidem adpetitus est in nostra potestate; quod si ita est, ne illa quidem, quae adpetitu efficiuntur, sunt sita in nobis: non sunt igitur neque adsensiones neque actiones in nostra potestate. Ex quo efficitur ut nec laudationes iustae sint nec vituperationes nec honores nec supplicia. Quod cum vitiosum sit, probabiliter concludi putant non omnia fato fieri quaecumque fiant.

XVIII. 41. Chrysippus autem cum et necessitatem inprobaret et nihil vellet sine praepositis causis evenire, causarum genera distinguit, ut et necessitatem effugiat et retineat fatum. Causarum enim, inquit, aliae sunt perfectae et principales, aliae adiuvantes et proximae. Quam ob rem cum dicimus omnia fato fieri causis antecedentibus, non hoc intellegi volumus, causis perfectis et principalibus, sed causis adiuvantibus [antecedentibus] et proximis. Itaque illi rationi, quam paulo ante conclusi, sic occurrit: Si omnia fato fiant, sequi illud quidem, ut omnia causis fiant antepositis, verum non principalibus causis et perfectis, sed adiuvantibus et proximis. Quae si ipsae non sint in nostra potestate,

---

adiecta aut a Cicerone parum acute addita esse censenda sunt, cum nihil quo haec conclusio apte referatur antecedat. — 1. *tenebitur igitur* scripsi, cum illud *igitur*, quod in codd. nostris omnibus desideratur, facile proximis litteris hauriri posset: *tenebitur ergo* ex suis, ut ait, codd. Davisius O — 3. *externitate* V — 5. *hac* B[1] — 6. *concenserint* V — 9. *ulla* B[1] — 10. *honerarius* V — *ferire*] *ferre* Erlang. — *se* man. sec. sup. lin. B — 11. *animorum* Davisius: *animos* C — 14. *tractavit* sc. *Chrysippus* coni. Bremi; at vide quae nos ad § 4 disputavimus — 15. *ab iis* in ras. A, *ab his* VO — 17. *remori* B[1] — *hique* AV — 19. *atpet.* V[1] — *sequntur* V — 23. *iustae . . . sint*, sed *ae* in ras. B — *ne* B[1] — 24. *subplicia . . quod* A — 28. *effugiat* in ras. A, *effugeat* B[1] — *inquid* V[1] — 30. *cum dm̄s*, sed *d* in ras. B — 31. *perfecti**s* B — 32. *antecedentibus* eiciendum esse monuit Davisius; O. Heine «Stoicorum de fato doctrina» p. 42 codd. lectionem ita defendit, ut duas species adiuvantium causarum Ciceronem significasse diceret; quod si statuimus, et parum ille sibi constitisse et minus concinne elocutus esse iudicatur, si intra tam breve spatium «antecedentes causas» diversissima vi usurpasse et duo adiectiva priore in parte, tria in altera eum posuisse dicimus. — 34. *ed perfectis* B[1] — 35. *ipsi* V[1], *ipsa* V[2] — aut *sunt* aut *sequi* scribendum esse videtur, nisi levitate quadam

non sequitur ut ne adpetitus quidem sit in nostra potestate. At hoc sequeretur, si omnia perfectis et principalibus causis fieri diceremus, ut, cum eae causae non essent in nostra potestate, ne ille quidem esset in nostra potestate. 42. Quam ob rem qui ita fatum introducunt, ut necessitatem adiungant, in eos valebit illa conclusio. Qui autem causas antecedentis non dicent perfectas neque principalis, in eos nihil valebit. Quod enim dicantur adsensiones fieri causis antepositis, id quale sit facile a se explicari putat. Nam quamquam adsensio non possit fieri nisi commota viso, tamen, cum id visum proximam causam habeat, non principalem, hanc habet rationem, ut Chrysippus vult, quam dudum diximus, non ut illa quidem fieri possit nulla vi extrinsecus excitata — necesse est enim adsensionem viso commoveri —, sed revertitur ad cylindrum et ad turbinem suum, quae moveri incipere nisi pulsa non possunt. Id autem cum accidit, suapte natura, quod superest, et cylindrum volvi et versari turbinem putat.

XIX. 43. Ut igitur, inquit, qui protrusit cylindrum, dedit ei principium motionis, volubilitatem autem non dedit, sic visum obiectum inprimet illud quidem et quasi signabit in animo suam speciem, sed adsensio nostra erit in potestate, eaque, quem ad modum in cylindro dictum est, extrinsecus pulsa, quod reliquum est, suapte vi et natura movebitur. Quod si aliqua res efficeretur sine causa antecedente, falsum esset omnia fato fieri, sin omnibus, quaecumque fiunt, veri simile est causam antecedere, quid adferri poterit, cur non omnia fato fieri fatendum sit? modo intellegatur, quae sit causarum distinctio ac dissimilitudo. 44. Haec cum ita sint a Chrysippo explicata, si illi, qui negant adsensiones fato fieri, † fateantur tamen eas non sine viso antecedente fieri, alia ratio est; sed si concedunt anteire visa nec tamen fato fieri adsensiones, quod proxima illa et continens causa non moveat adsensionem, vide ne idem dicant. Neque enim Chrysippus concedens adsensionis proximam et continentem causam esse in viso positam neque eam

---

dicendi *sint* ita dictum est quasi *sequi* sequeretur, ut infra § 42 *possit fieri* dictum est, quasi *habere*, non *habet* sequeretur — *potestate∘∘ non* A, *potestate ad non*, sed *ad* in *at* et deinde in *id* corr. B — 1. *ad* C[1] — 2. *ut cum* in marg. B — *ut cum etiam sepulchra contemplor* B, sed signo ante *etiam* adposito in marg. adnotatum est: *ab eo loco, quo superius de corpore timei interpositum est, usque huc peruenit. Quod uero sequitur in fine est libri secundi de diuinatione usque quo de topicis incipit loqui* (cf. de legibus II § 5) — 3. *hae* ex corr. V et O — *ne ille -- potestate* om. AB, in marg. V, quae quamquam ex ingenio profecta iudico, vere tamen suppleta esse videntur — 4. *ob rem* in ras. A — 6. *antecedentes* BVO — *principales* AVO — post *ualebit* rasura in B, in qua *quod enim* scriptum fuisse videtur — 10. *habeant* B[1] — *quam dudum diximus*] in illa quidem parte, unde Gellius deprompsit, quae VII, 2 sq. disserit — 14. *naturae* A — 16. *inquid* B[1] — *quilindrum* A[1] V[1] — 19 *eaque*, sed *que* sup. lin. A — *quilyndro* A[1] V, *quilindro* B — 20. *relicum* B[1] — 23. *quid* om. B, *quod* AV, sed in A m. sec. deletum, in V m. sec. in *quid* corr. — *poterit* V: *potest* ABO, sed A in ras. scriptum habet, cum primitus *poterit* in illo quoque fuerit. — 26. *fateantur tamen eas non* C, quod cum falsum sit, Lambinus *non* delevit, Heine «Stoicorum de fato doctrina» p. 2 *fateantur* in *infitiantur* correxit, censor illius libri in Lit. Centralbl. a. 1860 No. 11 *fatuentur tamen eas sine viso* scribendum esse iudicavit — 29. *uide∘∘ne* A — *adsensionis* corr. man. sec. in *assensiones* A, *adsensiones* corr. in *assensionis* B — 30. *positam neque eam* (*eam* in ras. A) C: *neque* eiecit Lambinus, quem omnes editores secuti sunt; falso illi quidem, cum quae Chrysippus non concedere dicitur non antecedentibus verbis *eam causam -- necessariam*, sed sequentibus *ut si omnia -- necessariis* contineantur.

causam esse ad adsentiendum necessariam, concedet ut, si omnia fato fiant, omnia causis fiant antecedentibus et necessariis; itemque illi, qui ab hoc dissentiunt, confitentes non fieri adsensiones sine praecursione visorum, dicent, si omnia fato fierent eius modi, ut nihil fieret nisi praegressione causae, confitendum esse fato fieri omnia: ex quo facile intellectu est, quoniam utrique patefacta atque explicita sententia sua ad eundem exitum veniant, verbis eos, non re dissidere. 45. Omninoque cum haec sit distinctio, ut quibusdam in rebus vere dici possit, cum hae causae antegressae sint, non esse in nostra potestate, quin illa eveniant, quorum causae fuerint, quibusdam autem in rebus causis antegressis in nostra tamen esse potestate, ut illud aliter eveniat: hanc distinctionem utrique adprobant, sed alteri censent, quibus in rebus, cum causae antecesserint, non sit in nostra potestate ut aliter illae eveniant, eas fato fieri, quae autem in nostra potestate sint, ab iis fatum abesse. * * *

XX. 46. Hoc modo hanc causam disceptari oportet, non ab atomis errantibus et de via declinantibus petere praesidium. Declinat, inquit, atomus. Primum cur? aliam enim quandam vim motus habebant a Democrito inpulsionis, quam plagam ille appellat, a te, Epicure, gravitatis et ponderis. Quae ergo nova causa in natura est, quae declinet atomum? aut num sortiuntur inter se, quae declinet, quae non? aut cur minimo declinent intervallo, maiore non? aut cur declinent uno minimo, non declinent duobus aut tribus? Optare hoc quidem est, non disputare. 47. Nam neque extrinsecus inpulsam atomum loco moveri et declinare dicis, neque in illo inani, per quod feratur atomus, quicquam fuisse causae cur ea non e regione ferretur, nec in ipsa atomo mutationis aliquid factum est, quam ob rem naturalem motum sui ponderis non teneret. Ita cum adtulisset nullam causam, quae istam declinationem efficeret, tamen aliquid sibi dicere videtur, cum id dicat, quod omnium mentes aspernentur ac respuant. 48. Nec vero quisquam magis confirmare mihi videtur non modo fatum, verum etiam necessitatem et vim omnium rerum sustulisseque motus animi voluntarios, quam hic,

---

1. *esse* om. B, post *causam* habet O — *concedit* B^1 — 2. *fiant causis* O — 3. *dissentiant* B^1 — 4. *praegressionem* B^1 — 5. *intellectum* B — 6. *quoniam* corr. in *cum* V — *explicata* VO — 7. *omnino quae cum* AB — 8. *posset* V — 9. *hae*° A, *haec* V^1; hanc femini formam Ciceroni equidem tribuere nolui, cum Varronem ita genera distinxisse constet, ut nominativo pluralis feminini generis formam *hae*, neutrius *haec* adsignaret. — 11. *ueniat* V — 13. *anteconserint* A^1 — *non*] huic particulae *ita ut* anteponenda esse in marg. cod. V significatum est, quae cum in C desint et orationis nexum turbent, nos expulimus — *sint* A^1B^1 — 13. *illae* Davisius: *illa* CO — 14. *eas* AB^2V: *ea* B^1 — *ab iis* AB corr. ex *ab is*, *ab his* O — *uatum* V^1 — 15. post *abesse* pauca intercidisse Lambinus vidit, quam lacunam Alanus cum in cod. Harleiano, cui fides est nulla, lectionem *fatum omne relegari* repperisset, inscitissime sic explevit: *alteri volunt a rebus fatum omne relegari*. — 16. *abato mis erantibus* B^1 — 17. fort. *aberrantibus* — 18. *enim* manu sec. deletum in A, om. cod. Erlang. — *habebant* BV: *habebunt* AO — 19. *illae* B^1 — *a te*] *ante* V — 20. *qua declinet atomus* coni. Davisius — 21. *aut num* (*t num* in ras.) A — 22. *aut cur non*, sed *non* punctis notatum, B — 26. *ipsa atomum utationis* V^1, *ipsam atomum mutationis* V^2 — 27. *sui ponderis motum* O — 28. *atulisset* A — 31. *factum* corr. in *fatum* B — 32. *sustulisse quae* B.

qui aliter obsistere fato fatetur se non potuisse, nisi ad has commenticias declinationes confugisset. Nam ut essent atomi, quas quidem esse mihi probari nullo modo potest, tamen declinationes istae numquam explicarentur. Nam si atomis ut gravitate ferantur tributum est necessitate naturae, quod omne pondus nulla re inpediente moveatur et feratur necesse est, illud quoque necesse est declinare quibusdam atomis, vel, si volunt, omnibus naturaliter * * *

Reliquiae libri de fato.

1. Gellius noct. Attic. VII, 2, 15: ***Itaque M. Cicero in libro, quem de fato conscripsit, cum quaestionem istam diceret obscurissimam esse et inplicatissimam, Chrysippum quoque philosophum non expedisse se in ea ait his verbis:*** **Chrysippus aestuans laboransque, quonam pacto explicet et fato omnia fieri et esse aliquid in nobis, intricatur hoc modo.**

2. Servius ad Vergil. Aen. III, 376: ***Volvitque vices] definitio fati secundum Tullium, qui ait:*** **Fatum est conexio rerum per aeternitatem se invicem tenens, quae suo ordine et lege sic variatur [ita tamen], ut ipsa varietas habeat aeternitatem.**

3. Augustinus de civit. dei V, 8: ***Illi quoque versus Homerici huic sententiae suffragantur, quos Cicero in latinum vertit:***

Tales sunt hominum mentes, quali pater ipse
Iuppiter auctiferas lustravit lumine terras.

Nec in hac quaestione auctoritatem haberet poetica sententia, sed quoniam Stoicos dicit vim fati asserentes istos ex Homero versus solere usurpare, non de illius poetae sed de istorum philosophorum opinione tractatur, cum per istos versus, quos disputationi adhibent, quam de fato habent, quid sentiant esse fatum apertissime declaratur, quoniam Iovem appellant, quem summum deum putant, a quo conexionem dicunt pendere fatorum.

4. Augustinus de civit. dei V, 2: ***Cicero dicit*** **Hippocratem nobilissimum medicum scriptum reliquisse quosdam fratres, cum simul aegrotare coepissent, et eorum morbus eodem tempore ingravesceret, eodem levaretur, geminos suspicatum. Quos Posidonius Stoicus multum astrologiae**

---

1. *commentitias* A — *commenticias -- declinationes* (v. 3) om. cod Gud.; in cod. V eadem verba, quae trium linearum spatium complebant, in extrema pagina impia manu ita erasa sunt, ut pauca litterarum vestigia supersint; sequens pagina a litteris *nes* incipit, quam extremam syllabam vocis *declinationes* esse apparet — 3. *probare* C — *numquam*] *num quid* B — 5. *impedientem* B — *et*] *e* A¹ — 7. Subscriptio deest in C; cod. A eodem versu pergit in Topicis a verbis *ut potui* (§ 4), in B signo adposito ad *naturaliter* in margine adnotatum est: *hic deest finis huius libri quem invenies quaternione XXI folio secundo.*

12. *ait* addidimus: *refert his verbis* O — *pacto* om. codd.; *quonam hoc modo* (*hoc modo* v. 13 om) Hertz — 14. Hoc fragmentum et duo sequentia in hoc editione primum accesserunt. — 16. *ita tamen* uncinis inclusi — 20. *qualis* vel *quales* codd. dett. — 21. *astrifero* cod. Colbertinus, cf. Hom. Od. XVIII, 136 sq. — 31. *Quos Posidonius*] Inde ab hoc loco Augustinus sua verba Ciceronis immiscuisse videtur; quod ad rem pertinet, vide Cic. de fato § 5: *ut in simul aegrotantibus fratribus.*

deditus eadem constitutione astrorum natos eademque conceptos solebat asserere. Ita quod medicus pertinere credebat ad simillimam temperiem valetudinis, hoc philosophus astrologus ad vim constitutionemque siderum, quae fuerat quo tempore concepti natique sunt.

5. Macrobius Saturnal. III, 16, 3: *Et ne vilior sit testis poeta, accipite adsertore Cicerone, in quo honore fuerit hic piscis apud P. Scipionem Africanum illum et Numantinum. Haec sunt in dialogo de fato verba Ciceronis:* Nam cum esset apud se ad Lavernium Scipio unaque Pontius, adlatus est forte Scipioni accipenser, qui admodum raro capitur, sed est piscis, ut ferunt, in primis nobilis. Cum autem Scipio unum et alterum ex iis, qui eum salutatum venerant, invitavisset pluresque etiam invitaturus videretur, in aurem Pontius: Scipio, inquit, vide quid agas: accipenser iste paucorum hominum est.

---

7. *dialogo de fato*] librum de fato dialogorum in numerum Cicero quidem non rettulit; unde nescio an Macrobius in libro laudando memoria lapsus sit.

M. TULLII CICERONIS

CATO MAIOR

DE SENECTUTE

EX RECOGNITIONE CAROLI HALM.

NOTARUM INDEX.

B = codex lat. Monacensis 4611, olim Benedictoburanus, saec. XII, collatus ab A. Fleckeiseno.
E = codex Erfurtensis, collatus ab Ed. Wundero.
I = codex lat. Monacensis 7809, olim Indersdorfiensis, saec. XIII, collatus a C. Halmio.
N = fragmentum vetusti codicis Bernensis, alligatum codici num. 104, collatum ab J. G. Baitero.
P = codex Parisinus 6332, saec. X, iterum collatus ab H. Keilio.
R = codex Rhenaugiensis 127, saec. XII, collatus a C. Halmio.
S = codex lat. Monacensis 15964, olim monasterii Salisburgensis ad S. Petrum, saec. XI, collatus ab A. Fleckeiseno.
C = omnes libri superiores.
O = editio Orelliana.

Praeterea ad manus erant lectiones codicum Augustei 51, 12, olim Hildesiensis, ex bibliotheca Wolfenbuttelana, Duisburgensis, qui nunc est Bonnensis, Gudiani secundi, Oehlereani, ab A. Fleckeiseno diligentissime, ut solet, exscriptae.

I. 1. O Tite, si quid te adiuero curamve levasso,
Quae nunc te coquit et versat in pectore fixa,
Ecquid erat praemi?

Licet enim mihi versibus eisdem adfari te, Attice, quibus adfatur Flamininum

---

INSCRIPTIO LIBRI. *INCIPIT LIB̃ CATONIS. DESENECTVTE* P, *M TVLLII CICERONIS CATO INCIPIT* S, *Tullius de senectute* B. *MARCI TVLLII CICERONIS. CATO MAIOR. DE SENECTVTE*; I, *Marci tullii ciceronis de senectute liber incipit* Gud. 2, *Marci Tullii Ciceronis de Senectute liber Incipit feliciter* Oehl.

1. *O Tite*] *Attice* R, *Tite* E in ras. — *quit* I et sic fere semper — *te* P: *ego* rell. mei et O — *adiuuero* P, item E, sed ex corr., *adiuto* BIRS, *adiuro* O — *leuavero* lect. v. in P — 2. *te nunc* R — *uersatur pectore* I — *firma* R — post *fixa* est in BIS *et qua deprimeris* — 3. *ecquid* IRS: *et quid* BE — *praemii* RE, *praecii* I, *precii* BS; *ecquid e. pr.* om. P[1]; *et* (en) *quid erit praemii* P[2] in marg. — 4. *hisdem uersibus* R, *te uersibus isdem affari o attice* I — 5. *flaminium* BI, *flamminium* R.

Ille vir haud magna cum re, sed plenus fidei:
quamquam certo scio non, ut Flamininum,
Sollicitari te, Tite, sic noctesque diesque.

Novi enim moderationem animi tui et aequitatem teque non cognomen solum Athenis deportasse, sed humanitatem et prudentiam intellego. Et tamen te suspicor eisdem rebus quibus me ipsum interdum gravius commoveri, quarum consolatio et maior est et in aliud tempus differenda. Nunc autem visum est mihi de senectute aliquid ad te conscribere. 2. Hoc enim onere, quod mihi commune tecum est, aut iam urgentis aut certe adventantis senectutis et te et me ipsum levari volo: etsi te quidem id modice ac sapienter, sicut omnia, et ferre et laturum esse certe scio. Sed mihi, cum de senectute vellem aliquid scribere, tu occurrebas dignus eo munere, quo uterque nostrum communiter uteretur. Mihi quidem ita iucunda huius libri confectio fuit, ut non modo omnes absterserit senectutis molestias, sed effecerit mollem etiam et iucundam senectutem. Numquam igitur laudari satis digne philosophia poterit, cui qui pareat omne tempus aetatis sine molestia possit degere. 3. Sed de ceteris et diximus multa et saepe dicemus: hunc librum ad te de senectute misimus. Omnem autem sermonem tribuimus non Tithono, ut Aristo Ceus — parum enim esset auctoritatis in fabula —, sed M. Catoni seni, quo maiorem auctoritatem haberet oratio: apud quem Laelium et Scipionem facimus admirantes, quod is tam facile senectutem ferat, eisque eum respondentem. Qui si eruditius videbitur disputare, quam consuevit ipse in suis libris, attribuito litteris Graecis, quarum constat eum perstudiosum fuisse in senectute. Sed quid opus est plura? Iam enim ipsius Catonis sermo explicabit nostram omnem de senectute sententiam.

II. 4. *Scipio.* Saepe numero admirari soleo cum hoc C. Laelio cum ceterarum rerum tuam excellentem, M. Cato, perfectamque sapientiam, tum vel maxime, quod numquam tibi senectutem gravem esse senserim, quae plerisque senibus sic odiosa est, ut onus se Aetna gravius dicant

---

1. uir] *uir ennius* I — *haut* BI, item E sed ex corr. — *cum magna* BIS — *plenu'* O — 2. *certe* BI — *flaminium* BEI, *flamininium* R — 3. *attice* E — *sic* om. I — *noctes* E — 4. *cognomen non* BIPS — 5. *athenis* P, sed sup. lin. m. 2 *ab* add. — 6. *suspicor te eisdem rebus* E, *suspicor hisdem rebus te* R — 8. *uisum est mihi* P: *mihi est uisum* BERS, *mihi visum est* I — *scribere* BS — 9. *enim*] *autem* BS — *onere* P corr. ex *honore* — *tecum commune* I — 10. *leuare* E — 11. *etsi te -- certo scio* Charisius p. 206, 11 ed. Keil. — *omnia ferre* BS, *omnia fers ferre* I — 12. *certo* P²R — *aliquid vellem* Madvig contra meos — 14. *iocunda* BIS et sic plerumque — 15. *absterserit omnes* R, *oms absterserit oms* I — *omnis absterseris* (sic) *s. m. sed etiam effecerit m. ac iucundam senectutem* Nonius p. 347, 11. — 16. *ac iocundam* I (*ac*, ut videtur; nam est hic in cod. scissura) — *laudari igitur* P, sed additis signis transpositionis — *satis laudari digne* BRS, *etiam satis laud. d.* I, *digne satis laud.* E — 18. *ad te de senect.* C: *de senect. ad te* O — 19. *thitono* IR — 20. *aristoceus* R: *aristo* P. *aristoteles* S, *aristotiles* BI; *Aristo Chius* EO; cf. impr. Ritschelium in mus. rhen. philol. (a. 1842) Vol. I, p. 193 sqq. — *parum enim* BEIPS: *ne parum* R — *auctoritas* P¹ — 22. *ammirantes* BERS — 23. *hisque* R, *iisque* O — 24. *libris suis* EP; (*consueuit in suis ipse libris* R); affert locum Charisius p. 198 Keil: *Qui -- in suis libris* — *attribuito hoc* I, *attribuitur* E — *Graecis litteris* O — 26. *omnem nostram* R — 28. *G.* P, *Gaio* BIS — *tum ceterarum* I²O, *ceterarum* R — 29. *Marce* IO — *perfectam* B — *sapientiam* EIR: *patientiam* BPS — 30 *maxume* BS — *tibi senect. numquam* E — *senectutem tibi* RO — *senserim esse grauem* R — 31. *est odiosa* I — *onus dicant se grauius ethna* I (*aethna* vel *ethna* etiam BPS).

sustinere. *Cato.* Rem haud sane, Scipio et Laeli, difficilem admirari videmini. Quibus enim nihil est in ipsis opis ad bene beateque vivendum, eis omnis aetas gravis est: qui autem omnia bona a se ipsis petunt, iis nihil potest malum videri, quod naturae necessitas adferat. Quo in genere est in primis senectus, quam ut adipiscantur omnes optant, eandem accusant adeptam: tanta est stultitiae inconstantia atque perversitas. Obrepere aiunt eam citius quam putavissent. Primum quis coegit eos falsum putare? Qui enim citius adulescentiae senectus quam pueritiae adulescentia obrepit? Deinde qui minus gravis esset iis senectus, si octingentesimum annum agerent quam octogesimum? Praeterita enim aetas quamvis longa, cum effluxisset, nulla consolatione permulcere posset stultam senectutem. 5. Quocirca si sapientiam meam admirari soletis — quae utinam digna esset opinione vestra nostroque cognomine! — in hoc sumus sapientes, quod naturam optumam ducem tamquam deum sequimur eique paremus: a qua non veri simile est, cum ceterae partes aetatis bene descriptae sint, extremum actum tamquam ab inerti poeta esse neglectum. Sed tamen necesse fuit esse aliquid extremum et, tamquam in arborum bacis terraeque fructibus, maturitate tempestiva quasi vietum et caducum, quod ferundum est molliter sapienti. Quid est enim aliud Gigantum modo bellare cum dis nisi naturae repugnare? 6. *Laelius.* Atqui, Cato, gratissimum nobis, ut etiam pro Scipione pollicear, feceris, si, quoniam speramus, volumus quidem certe senes fieri, multo ante a te didicerimus, quibus facillime rationibus ingravescentem aetatem ferre possimus. *Cato.* Faciam vero, Laeli, praesertim si utrique vestrum, ut dicis, gratum futurum est. *Laelius.* Volumus sane, nisi molestum est, Cato, tamquam longam aliquam viam confeceris, quam nobis quoque ingrediundum sit, istuc, quo pervenisti, videre quale sit.

III. 7. *Cato.* Faciam, ut potero, Laeli. Saepe enim interfui querelis aequalium meorum — pares autem vetere proverbio cum paribus facillime congregantur —, quae C. Salinator, quae Sp. Albinus, homines consulares, nostri fere aequales, deplorare solebant, tum quod voluptatibus carerent, sine quibus vitam nullam putarent, tum quod spernerentur ab iis, a quibus essent coli soliti. Qui mihi non id videbantur

---

1. *haut sane et o scipio* I — *et* om. B; *et o leli* R — 3. *eis* EP: *his* BIRS, *iis* O — *omnibus* IR — *ipsi* PR[1] — 4. *eis* E, *his* BIRS — *mali potest* E — 5. *in primis est* R — 6. *adeptam* BIPRS: *adepti* E — *inest* ER — *stullicia* R — 7. *citius eam aiunt* E — *putassent* R — 8. *cogit* B — *falsum dubitare* I — *Quid enim? citius* O; at cf. Tusc. V, § 89 et § 109 — 9. *iis* P: *eis* E, *his* BIRS — 10. *agerent annum* BRS — *quam octog.* P addito *si* post *quam* m. 2 — *praeterea* B — 11. *enim*] *autem* BS, om. E — post *quamvis* est in R parva rasura — *consolatione* EI: *consolatio* BPRS — 13. *ammiracione* I, sed ead m. *oppinione* suprascr. — *uestroque* R, sed corr. *nostro* — 15. *tanquam* B et sic plerumque — 16 malim *discriptae,* ut sit idem quod «distributae» — 18. *fructibus* BEIPS: *frugibus* RO; cf. Madv. Opusc. II, 271 — 19. *uigetum* BS — *molliter ferendum est* I; *quod ferundum est molliter sapienti* Nonius p. 347, 4 — 20. *est enim* IP: *enim est* RS, *est* om. B, *enim* om. E — *gigantium* E — *more* I, sed *modo* ead. m. sup. lin. — 21. *repugnare nature* I — 22. *pollicear pro scipione* I — 26. *tamquam* om. P — *aliquam longam* IR — 27. *qua* S rasura factum ex *quā* — *ingrediendum* P[2]O — 30. *meorum aequalium* IO — *pares autem cum paribus uetere prou.* R — *ueteri* S — 31. *G.* I — *spurius* I, *superius* E — 32. *Cum quod* I — *uoluptates* P — 34. *ab his* BIRS — *uidentur accusare non id* I.

accusare, quod esset accusandum. Nam si id culpa senectutis accideret, eadem mihi usu venirent reliquisque omnibus maioribus natu, quorum ego multorum cognovi senectutem sine querela, qui se et libidinum vinculis laxatos esse non moleste ferrent nec a suis despicerentur. Sed omnium istius modi querelarum in moribus est culpa, non in aetate. Moderati enim et nec difficiles nec inhumani senes tolerabilem senectutem agunt, inportunitas autem et inhumanitas omni aetati molesta est. 8. *Laelius.* Est, ut dicis, Cato; sed fortasse dixerit quispiam tibi propter opis et copias et dignitatem tuam tolerabiliorem senectutem videri, id autem non posse multis contingere. *Cato.* Est istuc quidem, Laeli, aliquid, sed nequaquam in isto omnia: ut Themistocles fertur Seriphio cuidam in iurgio respondisse, cum ille dixisset non eum sua, sed patriae gloria splendorem adsecutum: «Nec hercule» inquit, «si ego Seriphius essem, nec tu, si Atheniensis esses, clarus umquam fuisses.» Quod eodem modo de senectute dici potest. Nec enim in summa inopia levis esse senectus potest, ne sapienti quidem, nec insipienti etiam in summa copia non gravis. 9. Aptissima omnino sunt, Scipio et Laeli, arma senectutis artes exercitationesque virtutum, quae in omni aetate cultae, cum diu multumque vixeris, mirificos ecferunt fructus, non solum, quia numquam deserunt, ne extremo quidem tempore aetatis — quamquam id quidem maximum est —, verum etiam quia conscientia bene actae vitae multorumque bene factorum recordatio iucundissima est.

IV. 10. Ego Quintum Maximum — eum qui Tarentum recepit — senem adulescens ita dilexi ut aequalem. Erat enim in illo viro comitate condita gravitas, nec senectus mores mutaverat: quamquam eum colere coepi non admodum grandem natu, sed tamen iam aetate provectum. Anno enim post consul primum fuerat quam ego natus sum, cumque eo quartum consule adulescentulus miles ad Capuam profectus sum quintoque anno post ad Tarentum. Quaestor deinde quadriennio post factus sum, quem magistratum gessi consulibus Tuditano et Cethego, cum quidem ille admodum senex suasor legis Cinciae de donis et muneribus fuit. Hic et bella gerebat ut adulescens, cum plane grandis esset, et Annibalem iuveniliter exultantem patientia sua molliebat: de quo praeclare familiaris noster Ennius:

---

2. *usu evenirent* (*euenerint* E) C — 3. *multorum ego* R — *sine -- agunt* P in marg. habet m. 2 — 4. *esse* om. B — 6. *difficiles senes nec inhumani* I — *tolerabiliorem* B — 7. *aetate* BR — 10. *est istud quidem, Laeli, aliquid, sed nequaquam tibi concedendum fuit* Charisius p. 208, 17 K. — 11. *seriphio cuidam fertur iniurio* B — 13. *seriphius essem ignobilis* C; *Seriphius essem, nobilis* O, quae est correctio nescio cuius; glossema sustulit Car. Langius; v. Madvigii Opusc. II, 271 — 14. *esses* om. E — *umquam clarus* IR — *quod eo modo* B — 15. *non leuis* E — 16. *ne* om. E — 19. *ecfecerunt* P corr. in *efferunt* — 20. *nec extremo* I — 21. *quidem* C: om O — 22. *multorum* E — 23. *recepit tarentum* I — *recipit* P[1]; *eum qui Tarentum recepit* pro glossemate habent Cobet et Rinkes — 24. *adolescens ita dilexi senem* O — *erat enim*] *ergo erat* B — *comitate* E corr. ex *cum, tate* — 25. *condita* (sic) I — *gravitas*] *grauis uirtus* E — 26. *cepi* S, *caepi* B — 27. *postquam consul primum fuerat ego* I — *post consulatum* P — 28. *cum que* (*quo* corr.) P — *eo*] *ego* P — *quartum* P[1]: *quarto* BEIRS, sed in R *quartum* ead. m. sup. lin., in E manu recent. — *ad* om. I — 29. *tarentum quaestor deinde aedilis quadriennio post* (*post* om. E) *factus sum praetor quem magistr.* C, correxit Pighius — 31. *tum quidem* E — *legis cinthiae* E, *cincie legis* I — 32. *tum p. g. erat* E — 33. *et -- molliebat* affert Nonius p. 304, 3 et p. 347, 16 — *Annibalem* P et codd. Nonii: *Hannibalem* BEIRS — *moliebatur* R, sed syllaba *ur* erasa — 34. post *noster* est in E sup. lin. *ait* (i. e. *ait*).

Unus homo nobis cunctando restituit rem:
Noenum rumores ponebat ante salutem.
Ergo postque magisque viri nunc gloria claret.

11. Tarentum vero qua vigilantia, quo consilio recepit! cum quidem me audiente Salinatori, qui amisso oppido fugerat in arcem, glorianti atque ita dicenti: «Mea opera, Quinte Fabi, Tarentum recepisti», «Certe» inquit ridens: «nam, nisi tu amisisses, numquam recepissem.» Nec vero in armis praestantior quam in toga; qui consul iterum, Spurio Carvilio collega quiescente, C. Flaminio tribuno plebis quoad potuit restitit agrum Picentem et Gallicum viritim contra senatus auctoritatem dividenti; augurque cum esset, dicere ausus est optimis auspiciis ea geri, quae pro rei publicae salute gererentur; quae contra rem publicam ferrentur, contra auspicia ferri. 12. Multa in eo viro praeclara cognovi, sed nihil est admirabilius quam quo modo ille mortem filii tulit, clari viri et consularis. Est in manibus laudatio, quam cum legimus, quem philosophum non contemnimus? Nec vero ille in luce modo atque in oculis civium magnus, sed intus domique praestantior. Qui sermo, quae praecepta! quanta notitia antiquitatis, scientia iuris augurii! Multae etiam, ut in homine Romano, litterae. Omnia memoria tenebat, non domestica solum, sed etiam externa bella. Cuius sermone ita tum cupide fruebar, quasi iam divinarem id, quod evenit, illo extincto fore unde discerem neminem.

V. 13. Quorsus igitur haec tam multa de Maximo? Quia profecto videtis nefas esse dictu, miseram fuisse talem senectutem. Nec tamen omnes possunt esse Scipiones aut Maximi, ut urbium expugnationes, ut pedestres navalesve pugnas, ut bella a se gesta, ut triumphos recordentur. Est etiam quiete et pure atque eleganter actae aetatis placida ac lenis senectus, qualem accepimus Platonis, qui uno et octogesimo anno scribens est mortuus, qualem Isocratis, qui eum librum, qui Panathenaicus inscribitur, quarto nonagesimo anno scripsisse se dicit vixitque quinquennium postea: cuius magister Leontinus Gorgias centum et septem complevit annos neque umquam in suo studio atque opere ces-

---

1. *homo nobis* I et codd. in libro de offic. I, § 84: *homo qui nobis* BPS, sed *qui* in P punctatum, in S erasum, *qui nobis* ER — 2. *noenum* Lachmannus (in comment. ad Lucretium p. 150): *non enim* BEPRSO; *non ponebat enim rumores* I — *ponebant* P, sed posterior *n* punctata — 3. *postque* C (sed E *post quaeque magis*): *plusque* Vahlen in Ennii reliq. p. 41 cum Bernaysio; *magisque* Muretus Var. Lectt. VI, 14. — 5. *in arce* C — 8. *spu.* B, *Sp.* O; *Sp. Carvilio -- diuidenti* affert Charisius p. 224 Keil, om. verbis *collega quiescente*, qua de re v. Car. Fr. Hermann. in mus. rhen. Ritschelii II, 573 sqq. — 9. *flaminino* P, sed posterior *n* punctata — 10. *pecinatem* E, *picensem* I, *picenum* codd. dett.; *Picentem* firmat Charisius — *cullicum* corr. rec. in *gallicum* P — *auctoritatem senatus* I — *augur* I — 11. *ausus est dicere* R — *optumis* S — *pro* sup. lin. P, *pro salute rei p.* I — 14. *ammirabilius* (om. *est*) E — *mortem m.* (*marci* BISR) *filii* C — 16. *non* sup. lin. R — *in luce* om. I[1] — *atque oculis* E — 18. *scientia* C: *quae scientia* O — *iuris et augurum* E — 19. *romano homine* I — *in memoria* E — 20. *extera* E — *ita cupide perfruebar* (*fruebar* R) *tunc quasi* BEIRS — 21. *id quo* P[1] — *neminem unde discerem* I — 23. *quorsus* C: *quorsum* O — *perfecto* P[1] — 26. *naualesque* E — 27. *etiam*] *enim* EI — *atque* BIPRS: *et* O, om. E — *eliganter* P — 28. *octogesimo anno et uno scribens mortuus est* I — 29. *socratis* C — *panathenicus* ER, *panathaticus* S, *panathanaticus* BI — 30. *quarto et nonag.* E(?)O — *se* P: om. BEIRS — *dicitur* C, sed in P *ur* erasa (*scripsisse dicitur anno* E) — 32. *annos compleuit* R.

savit. Qui, cum ex eo quaereretur, cur tam diu vellet esse in vita, «nihil habeo» inquit «quod accusem senectutem.» Praeclarum responsum et docto homine dignum! 14. Sua enim vitia insipientes et suam culpam in senectutem conferunt; quod non faciebat is, cuius modo mentionem feci, Ennius:

Sic ut fortis equus, spatio qui saepe supremo
Vicit Olympia, nunc senio confectus quiescit.

Equi fortis et victoris senectuti comparat suam: quem quidem probe meminisse potestis. Anno enim undevicesimo post eius mortem hi consules, T. Flamininus et M'. Acilius, facti sunt; ille autem Caepione et Philippo iterum consulibus mortuus est, cum ego quinque et sexaginta annos natus legem Voconiam magna voce et bonis lateribus suasissem. Annos septuaginta natus — tot enim vixit Ennius — ita ferebat duo quae maxima putantur onera, paupertatem et senectutem, ut eis paene delectari videretur. 15. Etenim, cum conplector animo, quattuor reperio causas cur senectus misera videatur: unam quod avocet a rebus gerendis, alteram quod corpus faciat infirmius, tertiam quod privet omnibus fere voluptatibus, quartam quod haud procul absit a morte. Earum, si placet, causarum quanta quamque sit iusta una quaeque videamus.

VI. A rebus gerendis senectus abstrahit. Quibus? an iis, quae iuventute geruntur et viribus? Nullaene igitur res sunt seniles, quae vel infirmis corporibus animo tamen administrentur? Nihil ergo agebat Q. Maximus, nihil L. Paulus, pater tuus, socer optimi viri, filii mei? ceteri senes, Fabricii, Curii, Coruncanii, cum rem publicam consilio et auctoritate defendebant, nihil agebant? 16. Ad Appii Claudii senectutem accedebat etiam ut caecus esset: tamen is, cum sententia senatus inclinaret ad pacem cum Pyrrho foedusque faciendum, non dubitavit dicere illa, quae versibus persecutus est Ennius:

Quo vobis mentes, rectae quae stare solebant
Antehac, dementes sese flexere viai?

---

5. *feci*] *fecit* EP — *Ennius* om. BS — 6. *sicut* I: *siculi* BEPRS — 7. *olimpia* BIRS — *confectu'* O — *quiesco* Cobet Mnemos. V, 246 — 8. *comparat senectuti* I — 9. *annum enim undeuicesimum* (*ante uicesimum* BS) BIPRS, *anno enim uigesimo* E — 10. *flammininus* R, *flaminius* BI — *M.'*] .*m.* BIRS, *macilius* P corr. in *m̄. acilius* (de E tacet Wunderus) — *scipione* EIR — 11. *consule* BIPRS (de E tacet Wunderus) — *ego* C: *ego quidem* O — 12. *natus quinque et sexaginta annos* I — *uocaniam* R, *uaconiam* I — *et bonis*] *magnisque* R — *suasisset* P[1] — 13. *sexaginta* S — vv. *tot enim vixit Ennius* pro glossemate habet Cobet — 14. *maxuma* B[2]S — *honora* corr. in *onera* P — 15. *conplector* (vel *compl.*) C: *contemplor* O — *quatuor* BEIRS — *repperio* IPS, *reperior* R — 17. *facit* P — *faciat corpus* B — 18. *fere omnibus* BIRS — *haut* BEIR — *procul sit* R — 19. *iusta sit* ER — 21. *his* BIR — 22. *in iuuentute* E — *res sunt similes* P, sed add. m. 2 *uel seniles* — 23. *nil enim agebat* B — *quintus* EIS, sed E *maximus quintus* — 24. *pater tuus* C: *pater tuus, Scipio* O et pauci dett., velut ex meis Oehlerianus — *uiri optimi* BS, *uiri* om. I — 25. *curtii* P (*fabricius curius coruncanius* I) — *coruncani* E — 26. *apii* E — 27. *ut etiam caecus esset accedebat* I — *esset* E in marg. — 28. *ad pacem foedusque faciendum cum pirro* R — *pyrro* BEIS, et sic semper — *faedusque* E — 29. *prosecutus* E — 30. *Qua uobis recte mentes* I — 31. *dementi sese* E, *dementes sese* S ante rasuram, *dementes se* BI, *dementi se* RS[2]; *dementis sese* Vahlen — *uiai* Lambinus (ad Hor. carm. III, 5, 45): *uia* C; cf. Lachm. comm. Lucr. p. 49.

ceteraque gravissime: notum enim vobis carmen est; et tamen ipsius Appii extat oratio. Atque haec ille egit septemdecim annis post alterum consulatum, cum inter duos consulatus anni decem interfuissent censorque ante superiorem consulatum fuisset; ex quo intellegitur, Pyrrhi bello grandem sane fuisse: et tamen sic a patribus accepimus. 17. Nihil igitur adferunt, qui in re gerenda versari senectutem negant, similesque sunt ut si qui gubernatorem in navigando nihil agere dicant, cum alii malos scandant, alii per foros cursent, alii sentinam exhauriant, ille clavum tenens quietus sedeat in puppi. Non facit ea, quae iuvenes, at vero multo maiora et meliora facit. Non viribus aut velocitatibus aut celeritate corporum res magnae geruntur, sed consilio, auctoritate, sententia: quibus non modo non orbari, sed etiam augeri senectus solet. 18. Nisi forte ego vobis, qui et miles et tribunus et legatus et consul versatus sum in vario genere bellorum, cessare nunc videor, cum bella non gero. At senatui quae sint gerenda praescribo et quo modo, Karthagini male iam diu cogitanti bellum multo ante denuntio, de qua vereri non ante desinam quam illam excisam esse cognovero. 19. Quam palmam utinam di inmortales, Scipio, tibi reservent, ut avi reliquias persequare! cuius a morte tertius hic et tricesimus annus est, sed memoriam illius viri omnes excipient anni consequentes. Anno ante me censorem mortuus est, novem annis post meum consulatum, cum consul iterum me consule creatus esset. Num igitur, si ad centesimum annum vixisset, senectutis eum suae paeniteret? Nec enim excursione nec saltu nec eminus hastis aut comminus gladiis uteretur, sed consilio, ratione, sententia. Quae nisi essent in senibus, non summum consilium maiores nostri appellassent senatum. 20. Apud Lacedaemonios quidem ii, qui amplissimum magistratum gerunt, ut sunt, sic etiam nominantur senes. Quod si legere aut audire voletis externa, maximas res publicas ab adulescentibus labefactatas, a senibus sustentatas et restitutas reperietis.

Cedo, qui vestram rem publicam tantam amisistis tam cito?

---

1. *est enim uobis carmen* I — *et tamen* C: malim *etiam*, item infra v. 5 — *extat ipsius appii* I — 2. *apii* E — *haec* BEIPS^{1}: *hanc* RS^{2} — *septemdecim* scripsi: *septem decem* C, *septimo decimo anno* S corr., *septem et decem* O; cf. or. Verr. V, § 124 or. Phil. V, § 19 — *annos* C, quae lectio suadere videtur ut *septimo decimo anno* scribatur — 3. *interfuissent per quinquaginta annos censorque* I — 4. *ante consul. sup.* R, *sup. ante consul.* E — 5. *grande* P — *et tamen* C: an *etiam*? — 6. *asserunt* I — 7. *similesque sunt* om. BIS, haud scio an recte — *in nauigando* om. S, sed suppletum in marg. m. antiqua — *nil agere* B — *dicunt* BIP — 8. *scandunt* B — *fores cursent* E corr. in *foros cursitent* — 9. *ille* P: *ille autem* BEIRSO, sed O [*autem*] — *faciat* C — 10. *multo* om. P — *facit* S: *faciat* BEIPR — *uiribus non ueloc.* B — *uelocitate* E — 12. *non modo orbari* BES — 13. *et leg. et trib.* R — 14. *sum* om. R^{1} — *ludorum* B^{1} — 15. *sunt* BS — *Kartagini male* ER: *Kartagini (cartagini) cui male* BPS, sed in S *cui* erasum; *cartagine resistendum sit cui male* I — 16. *cogitanti multum* (om. *bellum*) R — *bellum inferatur multo* E — 17. *excissam* Lambinus — 18. *dii* CO — 19. *hic tertius* R, *sextus hic* probabiliter Manutius in frequenti confusione numerorum *III* et *UI* — *t. hic annus et tricesimus* I — *trigesimus* E — 20. *excipiant* E — 21. *consul* R: *simul consul* BEIPS (E *simul iterum consul*) — 23. *uixisset annum* R — *paeniteret* R: *peniteret* BIPS, *poen.* E(?)O — 24. *cominus* B — 25. *maiores nostri* in E sup. lin. — 26. *hi qui* C (*hii* B) — 28. *aut* EPR: *uel* BIS — *maxumas* S — *res et publ.* I — *ab adolescentia* S — 29. *labefactas* IO — *et restitutas* om. S — 30. *caedo* P, *cedo* E addito sup. lin. *dic* — *cedo rem publ. qui vestram tantam amistis tam cito* Köchly in «*Vermischte Blätter zur Gymnasialreform*» I, p. 105.

Sic enim percontantur, ut est in Naevii poetae † ludo: respondentur et alia et hoc in primis:

Proveniebant oratores novi, stulti adulescentuli.

Temeritas est videlicet florentis aetatis, prudentia senescentis.

VII. 21. At memoria minuitur. Credo, nisi eam exerceas aut etiam si sis natura tardior. Themistocles omnium civium perceperat nomina: num igitur censetis eum, cum aetate processisset, qui Aristides esset, Lysimachum salutare solitum? Equidem non modo eos novi, qui sunt, sed eorum patres etiam et avos; nec sepulcra legens vereor, quod aiunt, ne memoriam perdam: his enim ipsis legendis in memoriam redeo mortuorum. Nec vero quemquam senem audivi oblitum, quo loco thesaurum obruisset. Omnia quae curant meminerunt, vadimonia constituta, qui sibi, cui ipsi debeant. 22. Quid iuris consulti, quid pontifices, quid augures, quid philosophi senes? quam multa meminerunt! Manent ingenia senibus, modo permaneat studium et industria, neque ea solum in claris et honoratis viris, sed in vita etiam privata et quieta. Sophocles ad summam senectutem tragoedias fecit: quod propter studium cum rem neglegere familiarem videretur, a filiis in iudicium vocatus est, ut, quem ad modum nostro more male rem gerentibus patribus bonis interdici solet, sic illum quasi desipientem a re familiari removerent iudices. Tum senex dicitur eam fabulam, quam in manibus habebat et proxime scripserat, Oedipum Coloneum, recitasse iudicibus quaesisseque, num illud carmen desipientis videretur. Quo recitato sententiis iudicum est liberatus. 23. Num igitur hunc, num Hesiodum, Simonidem, Stesichorum, num quos ante dixi, Isocraten, Gorgian, num philosophorum principes, Pythagoram, Democritum, num Platonem, num Xenocraten, num postea Zenonem, Cleanthem aut eum, quem vos etiam vidistis Romae, Diogenem Stoicum coegit in suis studiis obmutescere senectus? an in omnibus his studiorum agitatio vitae aequalis fuit? 24. Age, ut ista divina studia omittamus, possum nominare ex agro Sabino rusticos Romanos, vicinos et familiares meos, quibus absentibus numquam fere

---

1. *percunctantur* R — *neuii poetae ludo* BIRS: *neuii posteriori* (*posteriore* E) *libro* EP, *Naevii Ludo* O (*Ludo* etiam Ribbeck scripsit in Com. Lat. rel. p. 14) — 3. *prouenientur* P, sed *ur* deletum — *noui et stulti* EP — 5. *etiam* C: om. O — 6. *ciuium nomina perceperat* R, *perc. nom. ciu.* I — 10. *ne* om. ER — *in memoria* R — 11. *senem* BEIPS (sed I *audiui senem*): *senum* RO — 12. *omniaque curare* R — *meminerint* E — 13. *quis* E — *quid augures* om. R — 15. *modo* etiam P, sed in marg. m. 2 *dum* — *neque* C: *nec* O — *solum ea* I — 16. *et*] *ac* R — *Sophocles*] cf. Charisium p. 215, 9 K. — 17. *traguedias* P[1] — *propter quod* BEIS — *rem fam. neglegere* I — 19. *gerentibus rem* I — *bona interdici solent* B et ex corr. S — 21. *Tunc s. dicitur* habet R in marg. m. 1 — 22. *oedippum* BIRS — *Οἰδίπουν ἐπὶ Κολωνῷ* Charisius l. c. — *coleon* E[1] — 23. *iudicium* P, sed *i* ante *um* erasa — 24. *liberatus est* BES — *hunc* C: *hunc, num Homerum* O — *esiodum* C — *simonidem stecicorum* (*stersicorum* I, *tersicorem* R) C: *num Simonidem, num Stesichorum* O; v. Madv. Opusc. II, 272 — 25. *Isocraten* P: *socraten* BEIRS, *Isocratem* O — *Gorgian num* (*gorginam* E[1] sine *num*) *homerum* C; *Gorgiam* O; *num homerum* delere quam cum ceteris transponere maluimus; ex loco enim, quod nomen in codd. obtinet, apparet ab homine curioso additum esse. — 26. *pytagoram* C — *num* ante *Plat.* om. R — *execraten* R, *Xenocratem* IO — 27. *cleantem* C — *romae uidistis* IS — 28. *dyogenen* I, *drogenen* BS, *diogine͞* R — *obmutiscere* P — 29. *his* om. P, in quo videtur *iis*, quod haud scio an praeferendum sit, post *us* intercidisse. — 30. *studia* om. E — 31. *vicinos*] *ciues* S.

ulla in agro maiora opera fiunt, non serendis, non percipiendis, non condendis fructibus. Quamquam in aliis minus hoc mirum est; nemo enim est tam senex qui se annum non putet posse vivere: sed idem in eis elaborant, quae sciunt nihil ad se omnino pertinere:

Serit arbores, quae alteri saeclo prosint,

ut ait Statius noster in Synephebis. 25. Nec vero dubitat agricola, quamvis sit senex, quaerenti, cui serat, respondere: Dis inmortalibus, qui me non accipere modo haec a maioribus voluerunt, sed etiam posteris prodere.

VIII. Et melius Caecilius de sene alteri saeculo prospiciente quam illud idem:

Edepol, senectus, si nil quicquam aliud viti
Adportes tecum, cum advenis, unum id sat est,
Quod diu vivendo multa quae non volt videt.

Et multa fortasse, quae volt! atque in ea, quae non volt, saepe etiam adulescentia incurrit. Illud vero idem Caecilius vitiosius:

Tum equidem in senecta hoc deputo miserrimum,
Sentire ea aetate esse se odiosum alteri.

26. Iucundum potius quam odiosum! Ut enim adulescentibus bona indole praeditis sapientes senes delectantur, leviorque fit senectus eorum, qui a iuventute coluntur et diliguntur, sic adulescentes senum praeceptis gaudent, quibus ad virtutum studia ducuntur; nec minus intellego me vobis quam mihi vos esse iucundos. Sed videtis, ut senectus non modo languida atque iners non sit, verum etiam sit operosa et semper agens aliquid et moliens, tale scilicet, quale cuiusque studium in superiore vita fuit. Quid? qui etiam addiscunt aliquid? ut et Solonem versibus gloriantem videmus, qui se cotidie aliquid addiscentem dicit senem fieri, et ego feci, qui litteras Graecas senex didici, quas quidem sic avide arripui quasi diuturnam sitim explere cupiens, ut ea ipsa mihi nota essent, quibus me nunc exemplis uti videtis. Quod cum fecisse Socratem in fidibus audirem, vellem equidem etiam illud — discebant enim fidibus antiqui —, sed in litteris certe elaboravi.

---

1. *in agro ulla* ER — 2. *mirum est* Madvig: *mirum sit* C, *mirum* O — 3. *est enim* EIS, *nemo enim tam senex est* B — *iidem* O — *in his* ER — 4. *omnino ad se* BS — 5. *saeclo* codd. Tuscul. I, § 31 (v. supra 217, 33): *saeculo* vel *seculo* CO — *prosint* C: *prosient* lectio varia in marg. P m. sec. et O; *serit Arbores quae alteri saeculo prosient* Hermannus — 6. *ait actius* E — *sine phebis* P — *dubitet* O, prob. Madvigio Opusc. II, 209 — 7. *sit* om. O — *dis* P: *diis* BEIRS — 8. *non accipere -- prodere* Nonius p. 363, 31 — *posteriores* E[1] — 10. *Et* BIPS: om. ERO — *cecilius dixit de* R — *quam sibi illud idem* B, super *illud* P m. 2 habet: *ennii* — 12. *nihil* C — *quicquam* om. I — *uitii* C (*apportes uicii* E) — 13. *adueneris* E[2] — *id satis est* B — 14. *uidet. C. Et multa* R, *uidet. Verba catonis. Et multa* I — 15. *atqui* B — *in ea* C: *in ea quidem* O — 16. *Caecilius uitiosius illud ait de senectute* Charisius p. 224, 8 K. — *uiciosus dixit* R — 17. *hoc in senecta* R — 18. *esse se odiosum* I: *se esse od.* E, *esse odiosum* BPS, *esse odiosum se* R, *eum ipsum esse odiosum* Nonius 1, 20, unde Ribbeck cum Bothio (Com. L. rel. p. 33) *ipsum esse odiosum* — *alteri*] *alteri. C.* R, *alteri. Verba catonis* I — 20. *fit*] *est* ER — *eorum senectus* O — 21. *sic adulescentes -- ducuntur* Nonius p. 283, 14 — 22. *ad uirtutem studia* R — 24. *iners -- moliens* Nonius p. 346, 10 — *operosa sit* I — *et semper* S corr. ex *ut s.* — 25. *superiori* E — 26. *aliquit addiscunt* I — *ut et* EIPRS: *ut* BO — 27. *cottidie* BRS — 28. *et ego* Madvig: *ut ego* CO — *Graecas literas* O — 29. *essent nota* P solus, sed signis transpositionis additis — 30. *fecissent* P ante rasuram — *socratem* ER — 31. *audire* P[1] — *equidem uellem* E — *etiam illud equidem* R — 32. *laboraui* E.

IX. 27. Nec nunc quidem vires desidero adulescentis — is enim erat locus alter de vitiis senectutis —, non plus, quam adulescens tauri aut elephanti desiderabam. Quod est, eo decet uti et quidquid agas agere pro viribus. Quae enim vox potest esse contemptior quam Milonis Crotoniatae? qui cum iam senex esset athletasque se exercentes in curriculo videret, aspexisse lacertos suos dicitur inlacrimansque dixisse: «At hi quidem mortui iam sunt.» Non vero tam isti quam tu ipse, nugator! Neque enim ex te umquam es nobilitatus, sed ex lateribus et lacertis tuis. Nihil Sex. Aelius tale, nihil multis annis ante Ti. Coruncanius, nihil modo P. Crassus, a quibus iura civibus praescribebantur: quorum usque ad extremum spiritum est provecta prudentia. 28. Orator metuo ne languescat senectute; est enim munus eius non ingenii solum, sed laterum etiam et virium. Omnino canorum illud in voce splendescit etiam nescio quo pacto in senectute, quod equidem adhuc non amisi, et videtis annos. Sed tamen est decorus senis sermo quietus et remissus, facitque persaepe ipsa sibi audientiam diserti senis compta et mitis oratio. Quam si ipse exequi nequeas, possis tamen Scipioni praecipere et Laelio. Quid enim est iucundius senectute stipata studiis iuventutis? 29. An ne eas quidem vires senectuti relinquimus, ut adulescentes doceat, instituat, ad omne officii munus instruat? quo quidem opere quid potest esse praeclarius? Mihi vero Cn. et P. Scipiones et avi tui duo, L. Aemilius et P. Africanus, comitatu nobilium iuvenum fortunati videbantur, nec ulli bonarum artium magistri non beati putandi, quamvis consenuerint vires atque defecerint. Etsi ista ipsa defectio virium adulescentiae vitiis efficitur saepius quam senectutis; libidinosa enim et intemperans adulescentia effetum corpus tradit senectuti. 30. Cyrus quidem apud Xenophontem eo sermone, quem moriens habuit, cum admodum senex esset, negat se umquam sensisse senectutem suam imbecilliorem factam quam adulescentia fuisset. Ego L. Metellum memini puer, qui cum quadriennio post alterum consulatum pontifex maximus factus esset, viginti et duos annos ei sacerdotio praefuit, ita bonis esse viribus extremo tempore aetatis, ut adulescentiam non requireret. Nihil

---

1. *nec* PR: *ne* BEIS. Sententia est, ut vidit Lahmeyer (*Jahrb. f. Philol.* LXXVI, 138): *Nec desidero vires adul. nunc quidem*; si Cicero *ne -- quidem* scribere voluisset, dixisset: *ne vires quidem nunc desidero.* — *his enim* EP — 2. *alter Diuitias* P — *adulescentis* E¹P — *tauri* E add. sup. lin. *uires* — 3. *elefanti* P, *elephantis* BRS, *elephantis uires* I — *uti decet* S — *quicquid* C — 4. *contempcior esse* I — 5. *cotoniate* P¹ — *sese* E — 7. *sunt. C. Non* R — 8. *enim* om. E — *numquam* E¹ — 9. *sextus aemilius* C — *Ti.* P: *titus* (vel *t.*) BIRS — 15. *annos meos sed* R — *decorus est* RO; *sed tamen est senis sermo quietus ac remissus* Nonius p. 383, 24 — 16. *facitque persaepe ipsa sibi audientia dissertis sermonibus et mitis oratio* idem p. 343, 23 — 17. *praecipere scipioni* I — 18. *enim est* EIPS: *est enim* BR, *est* om. O — 19. *an ne has* E²IR, *annales* BE¹P, *an tales* S; *an ne illas quidem* videtur scribendum esse — *relinquimus* C: *relinquemus* O; cf. Madvigii Opusc. II, 40 — *adulescentes* BP (*adulescentis* P corr.): *adolescentes* EIRS, *adolescentulos* O — 20. *munus officii* I — 21. *pulcrius* I — *et GN. et P.* EP, *et gneus* (*gneius* R) *et p.* (*publii* I) BIRS — *et* ante *P.* om. P — *duo* in E punctatum — 22. *affricanus* BIS, ut fere semper; *affranius* E — 23. *magistri bonarum arcium* I — 24. *defecerunt* P¹ — *ipsa ista* P, sed additis transpositionis signis — 26. *senectuti tradit* I — 27. *quidam* E — *xenofontem* P — *quemadmodum* EP (ex *quom admodum*) — 28. *senect. suam sensisse* R, sed *sensisse* in marg. m. 2 suppletum — *inbecilliorem* BIR — 29. *lucium* IS — 30. *maxumus* IS — 32. *uiribus esse* BIS — *acquireret* R (corruptum ex *anquireret*, ut habent dett. pauci).

necesse est mihi de me ipso dicere, quamquam est id quidem senile aetatique nostrae conceditur.

X. 31. Videtisne ut apud Homerum saepissime Nestor de virtutibus suis praedicet? Tertiam enim iam aetatem hominum vivebat, nec erat ei verendum ne vera praedicans de se nimis videretur aut insolens aut loquax. Etenim, ut ait Homerus, «ex eius lingua melle dulcior fluebat oratio», quam ad suavitatem nullis egebat corporis viribus: et tamen dux ille Graeciae nusquam optat ut Aiacis similes habeat decem, sed ut Nestoris, quod si sibi acciderit, non dubitat quin brevi sit Troia peritura. 32. Sed redeo ad me. Quartum ago annum et octogesimum: vellem equidem idem possem gloriari quod Cyrus, sed tamen hoc queo dicere, non me quidem iis esse viribus, quibus aut miles bello Punico aut quaestor eodem bello aut consul in Hispania fuerim aut quadriennio post, cum tribunus militaris depugnavi apud Thermopylas M'. Glabrione consule, sed tamen, ut vos videtis, non plane me enervavit, non adflixit senectus: non curia vires meas desiderat, non rostra, non amici, non clientes, non hospites. Nec enim umquam sum adsensus veteri illi laudatoque proverbio, quod monet, «mature fieri senem, si diu velis senex esse.» Ego vero me minus diu senem esse mallem quam esse senem ante quam essem. Itaque nemo adhuc convenire me voluit cui fuerim occupatus. 33. At minus habeo virium quam vestrum utervis. Ne vos quidem T. Pontii centurionis vires habetis: num idcirco est ille praestantior? Moderatio modo virium adsit et tantum quantum potest quisque nitatur: ne ille non magno desiderio tenebitur virium. Olympiae per stadium ingressus esse Milo dicitur, cum humeris sustineret bovem vivum: igitur has corporis an Pythagorae tibi malis vires ingenii dari? Denique isto bono utare, dum adsit; cum absit, ne requiras, nisi forte adulescentes pueritiam, paulum aetate progressi adulescentiam debent requirere. Cursus est certus aetatis et una via naturae eaque simplex, suaque cuique parti aetatis tempestivitas est data, ut et infirmitas pue-

---

1. *de me ipso mihi* R — 4. *praedicetur* BS — *tertiam iam enim* PR, *iam enim tertiam* BEIS — *nec ei erat* I, sed *ei* sup. lin.; *ne certe uerendum -- loquax* Nonius p. 322, 13 — 7. *ad quam* P — 8. *illae* P¹ — *numquam* R — *sed ut*] *sed sex* vel *.VI.* (*VI* pro *VT*) BEIPS, *at ut* RO — 9. *si sibi* BEIPR²S: *sibi si* R¹, *sibi* om. O; post *acciderit* est in P repetitum: *aiacis similem habeat ducem at ut nestoris*, quae est varia lectio ex margine in sermonem recepta — *troia brevi sit* I — 10. *ego annum* E, *annum ago* O, *ago et octogesimum annum* I — 11. *possem* BS: *posse* EIPRO (sed R in marg.) — 12. *quidem* om. S — *his* BIR — *uirtutibus* E — *bello pecunio* E — 14. *M.'* P (sup. *M.'* m. 2 add. *et*): *m.* BIRS (de E tacet Wunderus) — *glabrione* P: *acilio glabrione* mei reliqui et O, sed E *acilio .l. glabrione* (in P in marg. add. m. 2 *aci...*) — 15. *cos* P¹, *coss.* P², *consul*(ibus) *consulibus* I, *consul* E — *set* I — *non* (ante *adflixit*) C: *nec* dett. pauci et O — 18. *sedius* P¹ — *esse senex* O — 19. *ego autem* E — *mallem senem esse quam esse ante quam essem senex* I — *esse ante* (om. *senem*) E — 20. *nemo -- me* om. I; *me* sup. lin. R — *cui* R: *qui* P, *quominus* BIS ex vetere *quoi* corruptum, *cum* E — *fuerit* E — 21. *occupatos* P¹ — 22. *T.* om. R; *ne vos quidem -- praestantior* Nonius p. 371, 28 — *uiris* Nonius — *ille est* R — 23. *assit* E, item paulo post — *quisque potest* R — 24. *nae* O — *ille quidem* BIS — *non* om. BS — 25. *milio* E — 26. *igitur* PS: *igitur utrum* I, *utrum igitur* BERO — *uires an pytagorae tibi malis* B — 28. *paululum* E — 29. *est aetatis certus* R, *certus est aetatis* I; *cursus est certus aetatis -- est data* Nonius p. 408 — 30. *parti aetatis* Nonius: *particitatis* I, *parcitatis* P, *par*** (sex septemve litterae erasae) S, *parti* (om. *aetatis*) BER — *ut enim infirmitas -- aetatis est. ita senectutis* ER.

rorum et ferocitas iuvenum et gravitas iam constantis aetatis et senectutis maturitas naturale quiddam habeat, quod suo tempore percipi debeat. 34. Audire te arbitror, Scipio, hospes tuus avitus Masinissa quae faciat hodie nonaginta natus annos: cum ingressus iter pedibus sit, in equum omnino non ascendere, cum autem equo, ex equo non descendere; nullo imbri, nullo frigore adduci ut capite operto sit; summam esse in eo corporis siccitatem, itaque omnia exequi regis officia et munera. Potest igitur exercitatio et temperantia etiam in senectute conservare aliquid pristini roboris.

XI. Ne sint in senectute vires: ne postulantur quidem vires a senectute. Ergo et legibus et institutis vacat aetas nostra muneribus iis, quae non possunt sine viribus sustineri. Itaque non modo quod non possumus, sed ne quantum possumus quidem cogimur. 35. At multi ita sunt inbecilli senes, ut nullum officii aut omnino vitae munus exsequi possint. At id quidem non proprium senectutis vitium est, sed commune valetudinis. Quam fuit inbecillus Publii Africani filius is, qui te adoptavit, quam tenui aut nulla potius valetudine! Quod ni ita fuisset, alterum illud extitisset lumen civitatis; ad paternam enim magnitudinem animi doctrina uberior accesserat. Quid mirum igitur in senibus, si infirmi sunt aliquando, cum id ne adulescentes quidem effugere possint? Resistendum, Laeli et Scipio, senectuti est eiusque vitia diligentia compensanda sunt: pugnandum tamquam contra morbum sic contra senectutem: 36. habenda ratio valetudinis, utendum exercitationibus modicis, tantum cibi et potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur. Nec vero corpori solum subveniendum est, sed menti atque animo multo magis: nam haec quoque, nisi tamquam lumini oleum instilles, extinguuntur senectute. Et corpora quidem exercitationum defetigatione ingravescunt, animi autem exercitando levantur. Nam quos ait Caecilius comicos stultos senes, hoc significat, credulos, obliviosos, dissolutos, quae vitia sunt non senectutis, sed inertis, ignavae, somniculosae senectutis. Ut petulantia, ut libido magis est adulescentium quam senum, nec tamen omnium adulescentium, sed non proborum, sic ista senilis stultitia, quae deliratio appellari solet, senum

---

2. *habet* ER — 3. *audisse* E — *avitus*] *habitus* C — 4. *facit* ER — .*LXXX*. E — *annos natus* IR — *ingressus iter pedibus* Charisius p. 215 K. — 5. *cum autem -- descendere* om. R — *autem* BEIPS: om. O — 6. *nullo -- corp. siccitatem* Nonius p. 395, 9 et idem usque ad *opertus sit* p. 246, 26 — *imbri* Nonius utroque loco: *imbre* CO; cf. or. Verr. IV, § 87, ad Attic. VII, 20, 1 — 7. *siccitatem corporis* BIS — *exequi omnia* R — 8. *in* ER: om. BIPS — 10. *ne sint* R: *ne desint* E²P, *nec desint* E¹, *non sunt* BISO — *nec* E — *postulentur* I — *a senectute uires* R; *uires* videtur glossema — 11. *idem muneribus* E — *his* BIR — 12. *quae non* ER: *quoniam* BIPS — 13. *quidem possumus* R, *quidem* om. E — *multi ita sunt* BEIPS: *multi sunt ita* R, *ita multi sunt* O — 14. *officium* R — 16. *ualitudinis* P — *inbecillis* P² — *P. africanus* EP — 17. *potius* om. S — *ita esset alterum illud lumen ciuitatis extitisset* I — 20. *sunt* BIS: *sint* EPR — 22. *tamquam*] *namque est* R — 25. *solum* C: *soli* O — 27. *istilles* P¹ — *extinguntur* IP, *instinguuntur* R — 28. *defegatione* R, *defatigatione* EI (*exercitatione ingravescunt* O errore operarum) — *exercitando* BIPS: *se exercendo* ERO, sed O [*se*] — 29. *comicus* C — *hoc* BIPS: *hos* ERO — 30. *quae uitia -- somnic. senect.* Nonius p. 33, 23 — *inertis* E corr. ex *meritis* — *ignauiae* BPS — 31. *somnicolosae* P¹, *somniculosaeque* B — *est* om. E — *iuuenum* R — 32. *nec*] *sed* E — 33. *deleratio* P¹.

levium est, non omnium. 37. Quattuŏr robustos filios, quinque filias, tantam domum, tantas clientelas Appius regebat et caecus et senex; intentum enim animum tamquam arcum habebat nec languescens succumbebat senectuti. Tenebat non modo auctoritatem, sed etiam imperium in suos; metuebant servi, verebantur liberi, carum omnes habebant; vigebat in illa domo mos patrius et disciplina. 38. Ita enim senectus honesta est, si se ipsa defendit, si ius suum retinet, si nemini mancipata est, si usque ad ultimum spiritum dominatur in suos. Ut enim adulescentem, in quo est senile aliquid, sic senem, in quo est aliquid adulescentis, probo: quod qui sequitur corpore senex esse poterit, animo numquam erit. Septimus mihi liber Originum est in manibus; omnia antiquitatis monumenta colligo; causarum inlustrium, quascumque defendi, nunc cum maxime conficio orationes; ius augurum, pontificium, civile tracto; multum etiam Graecis litteris utor Pythagoreorumque more exercendae memoriae gratia, quid quoque die dixerim, audierim, egerim, commemoro vesperi. Hae sunt exercitationes ingenii, haec curricula mentis; in his desudans atque elaborans corporis vires non magno opere desidero. Adsum amicis, venio in senatum frequens ultroque adfero res multum et diu cogitatas easque tueor animi, non corporis viribus. Quas si exequi nequirem, tamen me lectulus meus oblectaret ea ipsa cogitantem, quae iam agere non possem, sed ut possim facit acta vita. Semper enim in his studiis laboribusque viventi non intellegitur quando obrepat senectus. Ita sensim sine sensu aetas senescit nec subito frangitur, sed diuturnitate extinguitur.

XII. 39. Sequitur tertia vituperatio senectutis, quod eam carere dicunt voluptatibus. O praeclarum munus aetatis, si quidem id aufert a nobis, quod est in adulescentia vitiosissimum. Accipite enim, optimi adulescentes, veterem orationem Archytae Tarentini, magni in primis et praeclari viri, quae mihi tradita est, cum essem adulescens Tarenti cum Q. Maximo. Nullam capitaliorem pestem quam voluptatem corporis hominibus dicebat a natura datam, cuius voluptatis avidae libidines temere et ecfrenate ad potiendum incitarentur. 40. Hinc patriae proditiones, hinc rerum publicarum eversiones, hinc cum hostibus clande-

1. *quatuor* BIPS — *filios tantum quinque* BIP — 3. *intentum - - senectuti* Nonius p. 329, 32 — *languens* codd. Nonii — *subcumbebat* B — 4. *senectute* P — 5. *reuerebantur* ER — 6. *uiuebat* R — *in illa domo mos* ER: *in illo animus* BIPS — *patrias* P — *et* om. P — *Ita enim senectus - - dominatur* Nonius 405, 47 — 7. *nemini* S in rasura habet, *menti* BP, *si mens occupata est* I; *nemini emancipata est* Nonius — 8. *spiritum ultimum* R — *dominatur in suos*] *uendicat iustum* I — 9. *aliquit senile est* I; *est* om. O — *aliquid* (ante *adul.*) om. R — 10. *adolescen tis* S cum lacuna trium literarum — *sequetur* R — 11. *liber originum est* EIPRS: *liber est originum* B, *Originum liber est* O — *in* om. BS — 12. *monimenta* BIS — 13. *nunc quam maxime* C (sed S *nam* pro *nunc*, in E est *quam* sup. lin.) — *rationes* S, *rationis* B — *augurum* BEIPS: *augurium* RO — *pontificum* BEI — 14. *in grecis litteris* E, *litteris grecis* R — *Pythagoreorumque - - uesperi* Nonius 91, 10 — 15. *quoque* BEPS: *quo* R, *una quoque* I — 16. *uespere* E — *heae* B — *hec sunt curr.* B — 17. *magnopere* C — 18. *ultro* R[1] — 20. *quas* BIPS: *quae* ERO — *me* post *meus* habet I, post *oblect.* R, sed sic sup lin. — *meus oblect.* C: *oblect. meus* O — 21. *non possum* BE — 22. *enim* om. E — 23. *obrepat* P corr. ex *obreptat* — 25. *sequatur* BS[1] — 27. *a nobis* BIPS: *nobis* ERO — 28. *adolescentes optimi* (*optumi* S) BS — *archite* IP — 30. *corporis voluptatem* O — 31. *uoluptates* E — *libidinis* E[1] — *auidae - - incitarentur* Charisius p. 198, 30 K. — 32. *potiundum* IO — 33. *puplicarum* R — *glandestina* P[1].

stina colloquia nasci; nullum denique scelus, nullum malum facinus esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis inpelleret: stupra vero et adulteria et omne tale flagitium nullis excitari aliis inlecebris nisi voluptatis. Cumque homini sive natura sive quis deus nihil mente praestabilius dedisset, huic divino muneri ac dono nihil tam esse inimicum quam voluptatem. 41. Nec enim libidine dominante temperantiae locum esse, neque omnino in voluptatis regno virtutem posse consistere. Quod quo magis intellegi posset, fingere animo iubebat tanta incitatum aliquem voluptate corporis quanta percipi posset maxima: nemini censebat fore dubium quin tam diu, dum ita gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione consequi posset. Quocirca nihil esse tam detestabile tamque pestiferum quam voluptatem, si quidem ea, cum maior esset atque longior, omne animi lumen extingueret. Haec cum C. Pontio Samnite, patre eius, a quo Caudino proelio Sp. Postumius T. Veturius consules superati sunt, locutum Archytam Nearchus Tarentinus, hospes noster, qui in amicitia populi Romani permanserat, se a maioribus natu accepisse dicebat, cum quidem ei sermoni interfuisset Plato Atheniensis, quem Tarentum venisse L. Camillo Appio Claudio consulibus reperio. 42. Quorsus haec? Ut intellegeretis, si voluptatem aspernari ratione et sapientia non possemus, magnam esse habendam senectuti gratiam, quae efficeret ut id non liberet, quod non oporteret. Impedit enim consilium voluptas, rationi inimica est, mentis, ut ita dicam, praestringit oculos nec habet ullum cum virtute commercium. Invitus feci ut fortissimi viri T. Flaminini fratrem, L. Flamininum, e senatu eicerem septem annis post quam consul fuisset, sed notandam putavi libidinem. Ille enim, cum esset consul in Gallia, exoratus in convivio a scorto est ut securi feriret aliquem eorum, qui in vinculis essent damnati rei capitalis. Hic Tito fratre suo censore, qui proximus ante me fuerat, elapsus est: mihi vero et Flacco neutiquam probari potuit tam flagitiosa et tam perdita libido, quae cum probro privato coniungeret imperii dedecus.

---

1. post *colloquia* R in marg. habet *s. dicebat* — *nullum denique -- impelleret* Nonius p. 309, 33 — *malum esse facinus* Nonius, *malum* om. E — 2. *lubido* Nonius — *stupra uero -- posse consistere* affert Lactantius inst. div. VI, 20 — 3. *excitari aliis inlecebris* EP et Lactantius (sed E *exerceri*): *excitari illecebris aliis* BS, *aliis ill. exc.* IR — 5. *tam esse* C: *esse tam* O; *esse* om. Lactantius — 7. *nec* S — 8. *possit* BIPS — 9. *maxuma* S — 10. *nihil agitare mente* om. BS — 12. *tamque pestiferum* om. P — 13. *longior* IP: *longinquior* BERS — *cum .g.* BI — 14. *gaudino* I, *in caudino* E — *spurius* I — *posthumius* P, *postumus* E — *titius* E — 15. *ueterius* P[1] — *nearcus* BIPS, *nearthius* E — *tarenticus* E — 16. *.P. R.* BEIPS: *rei p.* R — 17. *accipisse* P[1] — 18. *Camillo*] *emilio* E — *appio* I: *app.* BPS (*.l. emilio ac .p. claudio* R) — 19. *repperio* BIS — *hoc* BPS[1] — *intellegeretis* BPS[1]: *intellegatis* EIRS[2]O — *si uolupt.* R sup. lin. m. 2 — 20. *esse* BIPS: om. ERO — *senectuti habendam* R — 21. *efficeret* EIPR: *effecerat* BS, *effecerit* O — *luberet* R — 22. *inpedit* R — *uoluptas -- commercium* Nonius p. 34, 33. — *est* om. R — *mentis* P et Nonius: *ac mentis* (*menti* E) BEIRSO — 24. *titi flaminii* C (sed R *T.*) — *L.* ER: *c.* vel *g.* BIPS; at cf. Liv. 39, 42. — *Flamininum* P: *flaminium* BEIRS — 25. *eicerem* P, sed add. glossa *eiecerim* — *fuisset sed -- esset consul* om. BS (in S m. rec. in marg. suppl.) — 26. *exortatus* P, sed prior *t* punctata, *exhortatus* BE[1]RS, *exhoratus* E[2], *exhortatus est* I — 28. *dampnati* BEIR — *T.* R — *proxumus* S — 29. *ne utiquam* I; *mihi uero neutiquam -- libido* Charisius p. 208, 14 K. — 30. *et perdita* E.

XIII. 43. Saepe audivi a maioribus natu, qui se porro pueros a senibus audisse dicebant, mirari solitum C. Fabricium, quod, cum apud regem Pyrrhum legatus esset, audisset a Thessalo Cinea esse quendam Athenis, qui se sapientem profiteretur, eumque dicere omnia, quae faceremus, ad voluptatem esse referenda. Quod ex eo audientes M'. Curium et Ti. Coruncanium optare solitos ut id Samnitibus ipsique Pyrrho persuaderetur, quo facilius vinci possent, cum se voluptatibus dedissent. Vixerat M'. Curius cum P. Decio, qui quinquennio ante eum consulem se pro re publica quarto consulatu devoverat. Norat eundem Fabricius, norat Coruncanius: qui cum ex sua vita tum ex eius quem dico Decii facto iudicabant esse profecto aliquid natura pulchrum atque praeclarum, quod sua sponte peteretur quodque spreta et contempta voluptate optumus quisque sequeretur. **44.** Quorsum igitur tam multa de voluptate? quia non modo vituperatio nulla, sed etiam summa laus senectutis est, quod ea voluptates nullas magno opere desiderat. Caret epulis exstructisque mensis et frequentibus poculis: caret ergo etiam vinolentia et cruditate et insomniis. Sed si aliquid dandum est voluptati, quoniam eius blanditiis non facile obsistimus — divine enim Plato escam malorum appellat voluptatem, quod ea videlicet homines capiantur ut pisces —, quamquam inmoderatis epulis caret senectus, modicis tamen conviviis delectari potest. C. Duellium, Marci filium, qui Poenos classe primus devicerat, redeuntem a cena senem saepe videbam puer; delectabatur crebro funali et tibicine, quae sibi nullo exemplo privatus sumpserat: tantum licentiae dabat gloria. **45.** Sed quid ego alios? ad me ipsum iam revertar. Primum habui semper sodales. Sodalitates autem me quaestore constitutae sunt sacris Idaeis Magnae Matris acceptis. Epulabar igitur cum sodalibus omnino modice, sed erat quidam fervor aetatis, qua progrediente omnia fiunt in dies mitiora. Neque enim ipsorum conviviorum delectationem voluptatibus corporis magis quam coetu amicorum et sermonibus metiebar. Bene enim maiores accubitionem epularem amicorum, quia vitae coniunctionem haberet, convivium nominaverunt, melius quam Graeci, qui hoc idem tum compotationem, tum concenationem vocant, ut, quod in eo genere minimum est, id maxime probare videantur.

---

1. *a* ex meis Gud. et Oehl.: *ea a* BIPS, *e* ER — 2. *asenatibus* P¹ — *gaium* I, *g.* B — 3. *a*] *e* R — *Cinea*] *ciue* BE²IPS, *ciui* R, *cui* E¹ — *quendam esse* E — 4. *sese* ER — *feceremus* P¹ — 5. *M.*' E(?)P: *m.* BIRS — 6. *Ti.* E(?): *T.* vel *titum* mei rell. et O (*Ti.* iam habet Ernesti) — *coryncanium* P — 8. *dedissent* C: *dedidissent* O — *m. curius* C — *qui* om. ER — 10. *qui eum* E — *ex eius* BEIS: *eius* PR — 11. *decii* EP: *p. decii* BIRSO — *pulchrum* P, sed *h* inducta — 13. *optumus* BIS: *uptumis* P¹, *optimus* EP²RO — 15. *magnopere* C — *caret* C: *At caret* O — 16. *aepulis* P — *exstructisque* IS: *extructisque* BPR — *etiam* om. E — 17. *uinulentia* P¹, ut habet cod. Vat. in or. Phil. II, §101 — *si* in E punctatum — 20. *ut pisces* C: *ut hamo pisces* E sup. lin. et O, *quod ea* - - *pisces* Valckenaer pro spuriis habet — 21. *potest delectari* O — *duellium* C: *Duilium* O — *Marci fil.* om. R — 22. *primus classe* R — *cena* C (*cęna* R): *coena* O — 23. *crebro*] *credo* R — 24. *sumserat* I — *gloria dabat* I, *dabat gloriam* B — 25. *iam* BEP: om. IS, in marg. R — *habui*• P — 27. *omnino modice cum sodalibus* I — 29. *delectationem* - - *magis* om. B — 30. *bene enim* - - *nominaverunt* Nonius p. 42, 11, idem usque ad *haberet* p. 193, 30 — *maiores* C et Nonius utroque loco: *maiores nostri* O (abest *nostri* etiam a P) — *accubacionem* I — 31. *nominarunt* EIO — 32. *comparationem* corr. in *computationem* B — 33. *concenationem* C (sed P *concentionem*, add. *a* sup. lin.): *concoenationem* O — *ut* om. B — *minimi* R — *maxume* S — 34. *uidentur* B.

XIV. 46. Ego vero propter sermonis delectationem tempestivis quoque conviviis delector nec cum aequalibus solum, qui pauci admodum restant, sed cum vestra etiam aetate atque vobiscum, habeoque senectuti magnam gratiam, quae mihi sermonis aviditatem auxit, potionis et cibi sustulit. Quod si quem etiam ista delectant, ne omnino bellum indixisse videar voluptati, cuius est fortasse quidam naturalis modus, non intellego ne in istis quidem ipsis voluptatibus carere sensu senectutem. Me vero et magisteria delectant a maioribus instituta et is sermo, qui more maiorum a summo adhibetur in poculo, et pocula, sicut in Symposio Xenophontis est, minuta atque rorantia, et refrigeratio aestate et vicissim aut sol aut ignis hibernus. Quae quidem etiam in Sabinis persequi soleo conviviumque vicinorum cotidie compleo, quod ad multam noctem quam maxime possumus vario sermone producimus. 47. At non est voluptatum tanta quasi titillatio in senibus. Credo, sed ne desideratio quidem. Nihil autem est molestum, quod non desideres. Bene Sophocles, cum ex eo quidam iam adfecto aetate quaereret, utereturne rebus veneriis: «Di meliora!» inquit: «ego vero istinc sicut a domino agresti ac furioso profugi.» Cupidis enim rerum talium odiosum fortasse et molestum est carere, satiatis vero et expletis iucundius est carere quam frui. Quamquam non caret is, qui non desiderat: ergo non desiderare dico esse iucundius. 48. Quod si istis ipsis voluptatibus bona aetas fruitur libentius, primum parvulis fruitur rebus, ut diximus, deinde iis, quibus senectus, etiam si non abunde potitur, non omnino caret. Ut Turpione Ambivio magis delectatur qui in prima cavea spectat, delectatur tamen etiam qui in ultima, sic adulescentia voluptates propter intuens magis fortasse laetatur, sed delectatur etiam senectus procul eas spectans tantum quantum sat est. 49. At illa quanti sunt, animum tamquam emeritis stipendiis libidinis, ambitionis, contentionum, inimicitiarum, cupiditatum omnium secum esse secumque, ut dicitur, vivere! Si vero habet aliquod tamquam pabulum studii atque doctrinae, nihil est otiosa senectute iucundius. Videbamus in studio dimetiendi paene

---

1. *tempestiuis quoque conuiuiis delector propter sermonis delectationem* Charisius p. 221, 18 K; *Ego vero -- uestra etiam aetate* Nonius p. 236, 4; *nec cum aequalibus -- aetate* idem p. 378, 24 — 2. *pauci iam admodum* EIS — 4. *magnam gratiam senectuti* I — 5. *etiam* om. E — *delectent* E — 6. *uidear indixisse* B — *est fortasse* C: *est etiam fortasse* O — *modus* BEIPR: *motus* SO; v. Madv. Opusc. II, 274 — 7. *uoluptatibus ipsis* RO — 9. *a summo magistro* C — *in poculo* C: *in poculis* O — 10. *simphosio* E, *siriposio* R — *xenofontis* EP — 11. *ut sol* E — *Quem* E — 12. *conuiuiumque -- producimus* Nonius p. 372, 25 — *cottidie* BIRS — *complector* E — 13. *maxume* Nonius — 15. *autem* om. S — *molestum est* B, *est* om. O — *desideras* E — 17. *ueneriis* IPS: *uenereis* BERO; *ueneriis rebus* S — *dii* BEIO — *ego uero* P et Oehlerianus: *libenter uero* BIRSO, *ego libenter uero* E — *istim* P² — 19. *fortasse* om. BS, *fort. et* om. I — 20. *iis qui* P — *non* in E erasum — *ergo non* P: *ergo hoc non* BEIRS, *ego non* O errore operarum — 21. *quod si -- fruitur rebus* Nonius p. 2, 10 — *ipsis istis* E — *istis* om. Nonius — 22. *lubentius* BI et Nonius — *ut dicimus* BS — 23. *dehinc* E — *iis* EPS: *his* BIR — *senectus etiam* C: *etiam* om. O — *si* om. B — *habunde* BI, *habende* P¹ — 24. *turpio amuibio* BIP — 25. *tamen* ER: om. BIPS; firmat *tamen* Nonius qui affert p. 417, 23: *magis delectatur -- in ultima* — *etiam* om. E — *sic etiam adolescencia* I, *sic in adol.* E — *uoluptatem* P¹ — *propter* EPRS: *prope* BI — 27. *aspectans* E, *aspiciens* BIS — *animum delectant tamquam* BR, item in ES superscr. *delectant* — 28. *tamquam*] *quanta* E — *contentionis* O — 29. *cupiditatem* E — 30. *habet aliquid* E, *aliquod habet* I — 31. *uideamus* P; *Uideamus mori* E, sed *mori* in ras., *mori uidebamus* (*uidebamur* B) BIRS — *in*

caeli atque terrae C. Gallum, familiarem patris tui, Scipio. Quotiens illum lux noctu aliquid describere ingressum, quotiens nox oppressit, cum mane coepisset! Quam delectabat eum defectiones solis et lunae multo ante nobis praedicere! 50. Quid in levioribus studiis, sed tamen acutis? Quam gaudebat bello suo Punico Naevius, quam Truculento Plautus, quam Pseudolo! Vidi etiam senem Livium, qui cum sex annis ante quam ego natus sum fabulam docuisset Centone Tuditanoque consulibus, usque ad adulescentiam meam processit aetate. Quid de P. Licinii Crassi et pontificii et civilis iuris studio loquar aut de huius P. Scipionis, qui his paucis diebus pontifex maximus factus est? Atqui eos omnes, quos commemoravi, his studiis flagrantis senes vidimus. M. vero Cethegum, quem recte Suadae medullam dixit Ennius, quanto studio exerceri in dicendo videbamus etiam senem! Quae sunt igitur epularum aut ludorum aut scortorum voluptates cum his voluptatibus comparandae? Atque haec quidem studia doctrinae, quae quidem prudentibus et bene institutis pariter cum aetate crescunt, ut honestum illud Solonis sit, quod ait versiculo quodam, ut ante dixi, senescere se multa in dies addiscentem, qua voluptate animi nulla certe potest esse maior.

XV. 51. Venio nunc ad voluptates agricolarum, quibus ego incredibiliter delector: quae nec ulla impediuntur senectute et mihi ad sapientis vitam proxime videntur accedere. Habent enim rationem cum terra, quae numquam recusat imperium nec umquam sine usura reddit quod accepit, sed alias minore, plerumque maiore cum faenore. Quamquam me quidem non fructus modo, sed etiam ipsius terrae vis ac natura delectat. Quae cum gremio mollito ac subacto sparsum semen excepit, primum id occaecatum cohibet, ex quo occatio, quae hoc efficit, nominata est; deinde tepefactum vapore et compressu suo diffundit et elicit herbescentem ex eo viriditatem, quae nixa fibris stirpium sensim adulescit culmoque erecta geniculato vaginis iam quasi pubescens includitur; e quibus cum emersit, fundit frugem spici ordine structam et contra avium minorum morsus munitur vallo aristarum. 52. Quid ego vitium ortus, satus, incrementa commemorem? Satiari delectatione non possum, ut meae senectutis requietem oblectamentumque noscatis.

---

studio E in ras. — *dimetiendi* (*demet.* BIS) *paene* C: *paene* hic om. O, cum Graevio edens: *Mori paene videbamus* etc.; locum ad integritatem reduxit Madvig Opusc. II, 274 sq. — 1. *et terrae* R — *C.* om. C — *galum* P[1] — 2. *lux* E sup. lin. — 4. *nobis ante* BO — *praedicare* BS — 6. *pseudulo* BEIS, *speudolo* R — *leuium* E — 8. *P.* om. E — 9. *Licinii* om. R — 10. *diebus paucis* E — *maxumus* S — *atque* R — 12. *cetegum* P — 15. *atqui* BEPS — *hec studia quidem sunt* B — 17. *salonis* EI — *sit* om. I, m. sec. linea subductum in P, *est* R — *aut* P corr. in *ait* — 18. *maior potest esse* R — 20. *inpediuntur* IR — 21. *proxume* BS: *et mihi -- accedere* Charisius p. 215 K. — *enim* BERS: *etiam* P, *igitur* I — 23. *minori* E — 24. *sed etiam -- excepit* Nonius p. 401, 10; *sparsum semen -- nominata est* idem p. 42, 16 — 26. *occaecatum* PR: *obcaecatum* Nonius, *occetatum* E, *occatum* BIS — 27. *dein* BIS — *diffundit* C (etiam P): *diffindit* edd. recentiores omnes, incertum qua auctoritate — 28. *et exigit* Ruhnkenius, v. Schneidewini Philol. V, 752 — *ex eo herbesc.* I, sed *ex eo* sup. lin. 1 m. — 29. *culmoque recta* IPS; *culmoque erecta -- structam* Nonius p. 225, 26 — 30. *emersit* om. Nonius — *structam* ER: *structo* P, *exstructo* BIS; *fruges spici ordine structas* Nonius — 31. *quid ergo* BIS; *quid ego -- commemorem* Nonius p. 227, 6 — 32. *satorum* S, *sacium* I — 33. *ut meae -- noscatis* Priscianus XI, 58 — *requietem* E rasura mutatum in *requiem*.

Omitto enim vim ipsam omnium, quae generantur e terra; quae ex fici tantulo grano aut ex acini vinaceo aut ex ceterarum frugum aut stirpium minutissimis seminibus tantos truncos ramosque procreet. Malleoli, plantae, sarmenta, viviradices, propagines nonne ea efficiunt, ut quemvis cum admiratione delectent? Vitis quidem, quae natura caduca est et, nisi fulta est, fertur ad terram, eadem, ut se erigat, claviculis suis quasi manibus quidquid est nacta complecitur: quam serpentem multiplici lapsu et erratico ferro amputans coercet ars agricolarum, ne silvescat sarmentis et in omnes partes nimia fundatur. 53. Itaque ineunte vere in iis, quae relicta sunt, existit tamquam ad articulos sarmentorum ea quae gemma dicitur, a qua oriens uva se ostendit, quae et suco terrae et calore solis augescens primo est peracerba gustatu, deinde maturata dulcescit vestitaque pampinis nec modico tepore caret et nimios solis defendit ardores. Qua quid potest esse cum fructu laetius tum aspectu pulchrius? Cuius quidem non utilitas me solum, ut ante dixi, sed etiam cultura et natura ipsa delectat, adminiculorum ordines, capitum iugatio, religatio et propagatio vitium, sarmentorum ea, quam dixi, aliorum amputatio, aliorum inmissio. Quid ego irrigationes, quid fossiones agri repastinationesque proferam, quibus fit multo terra fecundior? 54. Quid de utilitate loquar stercorandi? Dixi in eo libro, quem de rebus rusticis scripsi, de qua doctus Hesiodus ne verbum quidem fecit, cum de cultura agri scriberet. At Homerus, qui multis, ut mihi videtur, ante saeculis fuit, Laërtam lenientem desiderium, quod capiebat e filio, colentem agrum et eum stercorantem facit. Nec vero segetibus solum et pratis et vineis et arbustis res rusticae laetae sunt, sed hortis etiam et pomariis, tum pecudum pastu, apium examinibus, florum omnium varietate. Nec consitiones modo delectant, sed etiam insitiones, quibus nihil invenit agri cultura sollertius.

XVI. 55. Possum persequi permulta oblectamenta rerum rusticarum, sed ea ipsa, quae dixi, sentio fuisse longiora. Ignoscetis autem; nam et studio rerum rusticarum provectus sum et senectus est natura loquacior, ne ab omnibus eam vitiis videar vindicare. Ergo in hac vita M'. Curius, cum de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphavisset, consumpsit extremum tempus aetatis: cuius quidem ego villam contemplans

---

1. *e* om. P — *ex fici* BIRS: *effici* EP, altera *f* punctata; *quae ex fici -- vinacio* Nonius p. 193, 14 — 2. *acini* P et Nonius: *acino* BEIRSO (*uinaceo acino* I); cf. Gesneri Lex. rusticum s. v. *vinacea* p. 158 — *aut stirpium* C: *ac st.* O — 3. *procreet* C (sed E *procreent*): *procreat* O — 4. *uites radices* C — *non ea* R — 5. *delectant* I — 6. *et* om. R — *fulta est* C: *fulta sit* O — *erigat se* S — 7. *quicquid* C — 8. *cohercet* IR — 9. *minima fundantur* E — 10. *in his* BIR — 11. *dicitur gemma* I — *sese* ERO — *succo* O — 12. *dein* BIPS, et R, sed hic in ras m. 2 (*deinde* habet ex meis etiam Duisb. et Oehl.) — 13. *tempore* EPR, sed in EP *m* punctata — 14. *tum fructu* O et ex meis Gud. et Oehl. — 16. *ipsa natura* RO — 17. *coniugatio* R — *sarmentorum* C: *sarmentorumque* O — *ea quae* E — 18. *quid ergo* BES — 19. *multa* BS — *faecundior* P — 21. *esiodus* P — 22. *multis et mihi* P¹ — 23. *Laertam* EP: *lertam* BIRS, *Laertem* Duisb. Oehl. et O — 26. *hortis etiam* C (*ortis* EIPR): *etiam hortis* O — *pecodum* B — *et apium* BEIPS — 27. *consitiones* (sic) *modo delectant sed etiam institiones* Nonius p. 273, 12. — 29. *permulta* C: *multa* O — 30. *fuisse sentio* O, *fuisse* om. B — *nam et* EP: *nam a* BIRS — 31. *rusticarum rerum* EIR — *sum* in P add. m. 2 — *et senectus -- uindicare* Nonius p. 449, 7 — *natura* in P sup. lin. m. 2 — 32. *in hanc uitam* P — *m. curius* C — 33. *triumphauisset* PS: *triumphasset* BEIRO — 34. *ego quidem* dett. pauci, *quidem* om. E.

— abest enim non longe a me — admirari satis non possum vel hominis ipsius continentiam vel temporum disciplinam. 56. Curio ad focum sedenti magnum auri pondus Samnites cum attulissent, repudiati sunt. Non enim aurum habere praeclarum sibi videri dixit, sed eis, qui haberent aurum, imperare. Poteratne tantus animus efficere non iucundam senectutem? Sed venio ad agricolas, ne a me ipso recedam. In agris erant tum senatores, id est senes, si quidem aranti L. Quinctio Cincinnato nuntiatum est eum dictatorem esse factum: cuius dictatoris iussu magister equitum C. Servilius Ahala Sp. Maelium regnum adpetentem occupatum interemit. A villa in senatum arcessebatur et Curius et ceteri senes, ex quo qui eos arcessebant viatores nominati sunt. Num igitur horum senectus miserabilis fuit, qui se agri cultione oblectabant? Mea quidem sententia haud scio an nulla beatior possit esse, neque solum officio, quod hominum generi universo cultura agrorum est salutaris, sed et delectatione, quam dixi, et saturitate copiaque rerum omnium, quae ad victum hominum, ad cultum etiam deorum pertinent, ut, quoniam haec quidam desiderant, in gratiam iam cum voluptate redeamus. Semper enim boni assiduique domini referta cella vinaria, olearia, etiam penaria est villaque tota locuples est; abundat porco, haedo, agno, gallina, lacte, caseo, melle. Iam hortum ipsi agricolae succidiam alteram appellant. Conditiora facit haec supervacaneis etiam operis aucupium atque venatio. 57. Quid de pratorum viriditate aut arborum ordinibus aut vinearum olivetorumve specie plura dicam? Brevi praecidam: agro bene culto nihil potest esse nec usu uberius nec specie ornatius, ad quem fruendum non modo non retardat, verum etiam invitat atque adlectat senectus. Ubi enim potest illa aetas aut calescere vel apricatione melius vel igni aut vicissim umbris aquisve refrigerari salubrius? 58. Habeant igitur sibi arma, sibi equos, sibi hastas, sibi clavam et pilam,

---

2. *istius* B — *Curio*] *cui* S; *Curio -- imperare* scholiastes Iuvenalis XI, 78. — 3. *pondus auri* B — *obtulissent* schol. Iuven. — 4. *sed his* R — 5. *efficere non* BIPS: *non efficere* ERO — 6. *agriculas* B — 7. *tunc erant* R — *arenti* B — *quintio* vel *quincio* C — *cicinnato* S — 8. *esse dictum* R — 9. *gaius* I — *ahalam* P — *spurium* BIS — *milium* E — 10. *arcessebatur* BEIPS: *accersebatur* R, *accersebantur* 3 mei dett., *arcessebantur* O — 11. *accersebant* ER — *uictatores* P, sed *ct* punctatae — *num -- oblectabant* Nonius p. 488 — 12. *fuit* om. Nonius — *oblectabantur* E — 13. *haut* BER — *an nulla* Ernesti: *an ulla* CO — 15. *sed delect.* E et Gud. (non item P) — *quam* Oehl.: *qua* C — 17. *quidem* I — 18. *domni* S — 19. *fenaria est* B — 20. *ortum* IPR; *iam ortum -- alteram uocant* (sic) Nonius p. 470, 33 — 21. *superuacaneis* P: *superuacanei* mei rell. et O. «Vereor ut recte dicatur *supervacanei etiam operis*; nam *aucupium supervacanei operis* non intelligitur universe omne aucupium, quod semper supervacaneum opus habeat, sed id aucupium (id eius genus) quod supervacaneum opus habeat; nec id ipsum rectum est, adiungi hanc tamquam descriptionem aucupii, quum haec potius sententia sit, ceteris operibus necessariis adiungi tanquam supervacanea et tamen afferre aliquid aucupium et venationem. Rectius igitur in P, Palatino primo, optimo Graevii, scribitur ablativo casu *supervacaneis operis*, quod Lambinus quoque in suis libris reperit et probavit et, si Graevius verum dicit, C. Langius, fortasse in altera editione.» Madvig. — 23. *plura* BEIPS: om. RO — *breuiter* BS — *praecidam* ER: *praedicam* BIPS — 24. *spetie* P — *at* corr. rec. in *ad* P — *ad quem -- adlectat senectus* Nonius p. 76, 26 — 25. *non modo retardat* codd. Nonii — *non solum non* E — 26. *ubi*] *Sed ibi* E, sed ex corr. m. recent.; *ubi enim -- igni* Nonius p. 482, 16. — *aut* R et Nonius: *aeque* EP, *aeque aut* BIS — *vel* ante *apric.* om. Nonius — 27. *uicissim -- refrigerari* Charisius p. 224 K. — *refrigerare* P — 28. *habeant igitur sibi* EP: *sibi habeant igitur* BIRSO — *pila* BI.

sibi natationes atque cursus: nobis senibus ex lusionibus multis talos relinquant et tesseras: id ipsum utrum lubebit, quoniam sine iis beata esse senectus potest.

XVII. 59. Multas ad res perutiles Xenophontis libri sunt, quos legite, quaeso, studiose, ut facitis. Quam copiose ab eo agri cultura laudatur in eo libro, qui est de tuenda re familiari, qui Oeconomicus inscribitur. Atque ut intellegatis nihil ei tam regale videri quam studium agri colendi, Socrates in eo libro loquitur cum Critobulo: Cyrum minorem, Persarum regem, praestantem ingenio atque imperii gloria, cum Lysander Lacedaemonius, vir summae virtutis, venisset ad eum Sardis eique dona a sociis adtulisset, et ceteris in rebus comem erga Lysandrum atque humanum fuisse et ei quendam consaeptum agrum diligenter consitum ostendisse. Cum autem admiraretur Lysander et proceritates arborum et directos in quincuncem ordines et humum subactam atque puram et suavitatem odorum, qui adflarentur ex floribus, tum eum dixisse mirari se non modo diligentiam, sed etiam sollertiam eius, a quo essent illa dimensa atque discripta, et Cyrum respondisse: «Atqui ego ista sum omnia dimensus; mei sunt ordines, mea discriptio, multae etiam istarum arborum mea manu sunt satae.» Tum Lysandrum intuentem purpuram eius et nitorem corporis ornatumque Persicum multo auro multisque gemmis dixisse: «Recte vero te, Cyre, beatum ferunt, quoniam virtuti tuae fortuna coniuncta est.» 60. Hac igitur fortuna frui licet senibus, nec aetas impedit quo minus et ceterarum rerum et in primis agri colendi studia teneamus usque ad ultimum tempus senectutis. M. quidem Valerium Corvum accepimus ad centesimum annum perduxisse, cum esset acta iam aetate in agris eosque coleret: cuius inter primum et sextum consulatum sex et quadraginta anni interfuerunt. Ita quantum spatium aetatis maiores nostri ad senectutis initium esse voluerunt, tantus illi cursus bonorum fuit: atque

---

1. *nationes* P, sed *ta* ead. m. superscr. — *ex multis lusionibus* I post *tesseras* habet — *tales* P[1] — 2. *relinquant* ° ° *tesseras* P — *utrum* BERS: *unum* IP; *utcumque* W. Nauck — *iis* PS: *eis* E, *his* BIRO — 5. *facitis uel scialis* E — 6. *qui est*] *quem* E — *familiari re* I — 7. *scribitur* E — *atque etiam ut* BPS, *atque ut etiam* I — *quamquam* P[1] — 8. post *libro* add. *quo* in P manu 2. — *critobolo* BEP[2] — *circum memorem* R — 9. *regem persarum* RO — 11. *adtulisset* om. E — *comem* dett. pauci: *communem* CO; Madvig (ad Cic. de finn. II, § 80, ubi est: *quis illum negat et bonum virum et comem et humanum fuisse*?) «Vereor ne etiam in Catone § 59, ubi nunc editur ex optumis sane codd. *communem erga Lysandrum et humanum*, librarii, quod plenum esset (*comem*), pro conpendio frequentioris vocis acceperint. Nam alia est *communitas*, quae in Laelio § 65 postulatur, tum quae apud Suetonium in inperantibus, quom se ceteris aequant, laudatur.» — 12. *lisandrum* P[1] — *atque humanum* om. S — *conseptrum* P — 13. *cum autem* -- *atque puram* Nonius p. 400, 32 — *miraretur* B[1] — *Lysander proceritatem* Nonius — 14. *derectos* idem, recte, ut videtur — *quinquuncem* EI — 15. *ex* nos: *et* P, *e* BEIRSO — 16. *eum* om. S — *sed eam solertiam* P — 17. *discripta* B: *descripta* EIPRSO — *et* BIPS: *ei* ER, *et ei* O — 18. *ista sum omnia* BEIPR: *ista omnia sum* S, *omnia ista sum* O — *discriptio* P: *descriptio* BEIRSO — 19. *distarum* P[1] — 20. *eius* P corr. m. 2 ex *metus* — 21. *recte* BEIRS: *rite* PO — *uero* om. S — 22. *conuincta* P[1] — 23. *frui fortuna* R — *inpedit* I — 24. *studio teneamur* R — 25. *coruinum* EIPRS, *coruinium* B — *accipimus* B — 26. *perduxisse*] v. Osann. ad Cic. de re publ. p. 363 — *iam acta aet.* E, *iam exacta aet.* Oehl. — 27. *.XXX.* E — 28. *interfuerunt* EP: *interfuere* R, *interfuerant* BIS — *nostri* om. P et Oehl. — 29. *initia* E — 29. *illi* S: *ille* BEIPR.

huius extrema aetas hoc beatior quam media, quod auctoritatis habebat plus, laboris minus; apex est autem senectutis auctoritas. 61. Quanta fuit in L. Caecilio Metello! quanta in Atilio Calatino! in quem illud elogium: Hunc unum plurimae consentiunt gentes populi primarium fuisse virum. Notum est carmen incisum in sepulcro. Iure igitur gravis, cuius de laudibus omnium esset fama consentiens. Quem virum nuper P. Crassum, pontificem maximum, quem postea M. Lepidum, eodem sacerdotio praeditum, vidimus! Quid de Paulo aut Africano loquar aut, ut iam ante, de Maximo? quorum non in sententia solum, sed etiam in nutu residebat auctoritas. Habet senectus honorata praesertim tantam auctoritatem, ut ea pluris sit quam omnes adulescentiae voluptates.

XVIII. 62. Sed in omni oratione mementote eam me senectutem laudare, quae fundamentis adulescentiae constituta sit. Ex quo efficitur id, quod ego magno quondam cum assensu omnium dixi: miseram esse senectutem, quae se oratione defenderet. Non cani nec rugae repente auctoritatem arripere possunt, sed honeste acta superior aetas fructus capit auctoritatis extremos. 63. Haec enim ipsa sunt honorabilia, quae videntur levia atque communia, salutari, adpeti, decedi, adsurgi, deduci, reduci, consuli: quae et apud nos et in aliis civitatibus, ut quaeque optime morata est, ita diligentissime observantur. Lysandrum Lacedaemonium, cuius modo feci mentionem, dicere aiunt solitum Lacedaemonem esse honestissimum domicilium senectutis: nusquam enim tantum tribuitur aetati, nusquam est senectus honoratior. Quin etiam memoriae proditum est, cum Athenis ludis quidam in theatrum grandis natu venisset, magno consessu locum nusquam ei datum a suis civibus: cum autem ad Lacedaemonios accessisset, qui legati cum essent, certo in loco consederant, consurrexisse omnes illi dicuntur et senem sessum recepisse. 64. Quibus cum a cuncto consessu plausus esset multiplex datus, dixisse ex iis quendam: Athenienses scire quae recta essent, sed facere nolle. Multa in nostro collegio praeclara, sed hoc, de quo agimus, in primis, quod, ut quisque aetate antecedit, ita sententiae prin-

---

1. *huius* C: *eius* O — *habeat* BS, *habet* E — 2. *autem* om. R — 3. *in* (post *fuit*) om. B — *attilio* I, *acilio* E — 4. *eulogium* BI — *hunc unum* Madvig in adnot. ad Cic. de finn. p. 337, item Bergk Comic. p. 23: *unum hunc* Orelli in adnot., *unicum* C; cf. supra ad p. 129, 32 — 5. *uirium* P — *notum est totum carmen* EP, *notum totum est c.* BRS, *notum totum c. est* I — *sepulcro* IP^2 — 7. *M.* om. P — 8. *eodem* E corr. ex *in eo* — 9. *ut* I: om. EPRS; *ut iam* om. B — *in tentia* P^1 — 10. *Habet habet* R — *honerata* P^1 — 13. *senectutem me* R — 14. *id efficitur* B — 15. *ego* sup. lin. R — 16. *quae se* P corr. ex *quaeso* — *nec* C: *non* O — 18. *auctor. capit* E — *supremos* I, sed corr. ead. m. *extremos* — *ipsa* P in marg habet, sed pr. m. — 19. *decedi appeti* R — 20. *quae apud* B — 21. *optume* BS, *optimae* P, om. E — *est* BIRS: *sunt* EP (ex *moratast*), *est* om. O — *ita* in P m. 2 del. — *seruantur* R — 22. *modi* P^1 — *mentionem feci* O — *decere* P^1 — *lacedaemonum* P, syllaba *um* in *em* m. 2 corr.: *lacaedemonium* B, *Lacedaemone* EIRS — 23. *tribuitur tantum* B; *tantum* om. I — 25. *productum* E — *ludos* P^1, *in ludis* R, *laudis* E — 26. *magno* C: *in magno* O — *consensu* P^1 — *nusquam ei* EIP: *ei nusquam* BRS — 27. *uenisset* R — *cum legati* R — *certe* P^1 — 28. *considerant* P corr. in *consederant* m. rec. — *illi omnes* R; *illi dicuntur* om. O contra omnes meos — *senem* C: *senem illum* O — 29. *consensu* P — *multiplex plausus datus esset* I — 30. *ex his* C, *quendam ex his* R — 31. *in nostro* BS: *in ūro* EIPR — 32. *uti* S — *sententia* I.

cipatum tenet, neque solum honore antecedentibus, sed iis etiam, qui cum imperio sunt, maiores natu augures anteponuntur. Quae sunt igitur voluptates corporis cum auctoritatis praemiis comparandae? quibus qui splendide usi sunt, ii mihi videntur fabulam aetatis peregisse nec tamquam inexercitati histriones in extremo actu corruisse.

65. At sunt morosi et anxii et iracundi et difficiles senes: si quaerimus, etiam avari. Sed haec morum vitia sunt, non senectutis. Ac morositas tamen et ea vitia, quae dixi, habent aliquid excusationis, non illius quidem iustae, sed quae probari posse videatur: contemni se putant, despici, inludi; praeterea in fragili corpore odiosa omnis offensio est. Quae tamen omnia dulciora fiunt et moribus bonis et artibus, idque cum in vita tum in scaena intellegi potest ex iis fratribus, qui in Adelphis sunt. Quanta in altero diritas, in altero comitas! Sic se res habet: ut enim non omne vinum, sic non omnis natura vetustate coacescit. Severitatem in senectute probo, sed eam, sicut alia, modicam; acerbitatem nullo modo. 66. Avaritia vero senilis quid sibi velit, non intellego. Potest enim quicquam esse absurdius quam, quo viae minus restet, eo plus viatici quaerere?

XIX. Quarta restat causa, quae maxime angere atque sollicitam habere nostram aetatem videtur, adpropinquatio mortis, quae certe a senectute non potest longe abesse. O miserum senem, qui mortem contemnendam esse in tam longa aetate non viderit! quae aut plane neglegenda est, si omnino extinguit animum, aut etiam optanda, si aliquo eum deducit, ubi sit futurus aeternus. Atqui tertium certe nihil inveniri potest. 67. Quid igitur timeam, si aut non miser post mortem aut beatus etiam futurus sum? Quamquam quis est tam stultus, quamvis sit adulescens, cui sit exploratum se ad vesperum esse victurum? Quin etiam aetas illa multo plures quam nostra casus mortis habet: facilius in morbos incidunt adulescentes, gravius aegrotant, tristius curantur. Itaque pauci veniunt ad senectutem: quod ni ita accideret, melius et prudentius viveretur. Mens enim et ratio et consilium in senibus est: qui si nulli fuissent, nullae omnino civitates fuissent. Sed redeo ad mortem inpendentem. Quod est istud crimen senectutis, cum id ei videatis

---

1. *his* C — 3. *corporum* BS — 4. *hi* BIRS — 5. *inexerciti* S, *in exercitu* B — 6. *dificiles* P^1; *At -- diff. senes* Nonius p. 433, 32 — 7. *haec*] *horum* E — *morum*] *morbi* P — *ac* BEPR: *at* S, *hec* I — 10. *dispici* P^1 — 12. *cum* C: *tum* O et dett. multi — *intellegi tum in schena* I — *scena* CO — *intellegi -- comitas* Nonius p. 30, 19 (idem affert 100, 27 vv. *in altero diritas*) — *potest*] *ualet* S — *iis* EPS: *his* BIR — *qui in*] *quae* E — 13. *quanto* P^1 — *diritas* BEP^2S et Nonius: *duritias* P^1; *duritas* IRO — 14. *et enim* E; *enim* mallem abesset — *uicium* B^1 — *natura* BIS: *aetas naturae* EP, *aetas* RO; cf. Madvigii Opusc. II, 276 — 15. *sed* P: *et* BEIRS — *aliam* BP, om. E — 17. *esse quicquam absurdius esse* R, sed posterius *esse* del. — *uiae minus* (*munus* P^1) BEIPS: *minus uiae* RO — 18. *restet* BPS: *restat* EIRO — 19. *maxume* BS — *atque sitam* I^1 — 20. *uideatur* B — 21. *potest esse longe* P — 24. malim *est futurus* — *atque certe tercium* R — *inuenire* P^1 — 26. *quanquam* P — *quis est -- uicturum* Nonius p. 294, 24 — *est tam* ER et Nonius: *etiam* P, *est etiam tam* BIS — *sit* post *quamvis* om. Nonius — 28. *aetas illo* P^1, *illa aetas* R — *pluris* E — *casus mortis* BIPS: *mortis casus* ERO — *facilius -- curantur* Nonius p. 315, 3 et p. 409, 29 — 29. *in* om. S — *adulescentis* P^1 — 30. *perpauci* R — *Quid ni* E — *ita* om. BS — *et melius* P — 31. *et* ante *ratio* om. EP — *est in senibus* I — 32. *ciuitates essent* B^1O — 33. *inpedientem* R — *Quid est* E — *est istud* Wesenberg (obss. critt. ad Sestianam p. 9): *est istus* BI^1PS, *est illud* EI^2R, *illud est* O — *id ei* P: *id* BEIRS, *illud* O.

cum adulescentia esse commune? 68. Sensi ego in optimo filio, tu in expectatis ad amplissimam dignitatem fratribus, Scipio, mortem omni aetati esse communem. At sperat adulescens diu se victurum, quod sperare idem senex non potest. Insipienter sperat. Quid enim stultius quam incerta pro certis habere, falsa pro veris? At senex ne quod speret quidem habet. At est eo meliore condicione quam adulescens, cum id, quod ille sperat, hic consecutus est. Ille vult diu vivere, hic diu vixit. 69. Quamquam, o di boni! quid est in hominis vita diu? Da enim supremum tempus, expectemus Tartessiorum regis aetatem; fuit enim, ut scriptum video, Arganthonius quidam Gadibus, qui octoginta regnaverat annos, centum viginti vixerat. Sed mihi ne diuturnum quidem quicquam videtur, in quo est aliquid extremum. Cum enim id advenit, tum illud, quod praeteriit, effluxit; tantum remanet, quod virtute et recte factis consecutus sis. Horae quidem cedunt et dies et menses et anni, nec praeteritum tempus umquam revertitur nec quid sequatur sciri potest. Quod cuique temporis ad vivendum datur, eo debet esse contentus. 70. Neque enim histrioni, ut placeat, peragenda fabula est, modo in quocumque fuerit actu probetur, neque sapienti usque ad «plaudite» veniendum est. Breve enim tempus aetatis satis longum est ad bene honesteque vivendum: sin processerit longius, non magis dolendum est quam agricolae dolent, praeterita verni temporis suavitate aestatem autumnumque venisse. Ver enim tamquam adulescentiam significat ostenditque fructus futuros, reliqua autem tempora demetendis fructibus et percipiendis accommodata sunt. 71. Fructus autem senectutis est, ut saepe dixi, ante partorum bonorum memoria et copia. Omnia autem, quae secundum naturam fiunt, sunt habenda in bonis. Quid est autem tam secundum naturam quam senibus emori? quod idem contingit adulescentibus adversante et repugnante natura. Itaque adulescentes mihi mori sic videntur, ut cum aquae multitudine flammae vis opprimitur, senes autem sic, ut cum sua sponte nulla adhibita vi consumptus ignis extinguitur: et quasi poma ex arboribus, cruda

---

1. *ego* BIPRS: *ego cum* E(?), *ego tum* O — *optumo* P²S — *filio, tu in* Madvig: *filio tum* P¹, *filio tum in* BEIP²RS (*in* in P m. 2 add.), *filio meo, tum in* O — 2. *ad* om. P — *fratribus* C: *fratribus tuis* O — 3. *aetate* BI¹R — *adulescens* om. I — 4. *sperat adolescens. Quid* I — *quid est enim* ER — 5. *At* BIPS: om. ERO — *nec quod* R (*ne quidem quod speret* I) — 7. *id* om. I — *hic* C (sed E *hoc*): *hic [iam]* O — 8. *dii* CO — *vita*] *natura* P solus ex notis — 9. *tarcessiorum* I, *tarsiorum* R — 10. *enim* om. E — *argathanius* P, *argantaonius* E, *archatonius* IS, *archantonius* R, *archatomius* B; cf. Herod. 1, 163. Luc. Macrob. 10. Val. Max. VIII, 13 ext. 4. — 11. *regnauerat* EIP: *regnauerit* BS, *regnauit* RO — *et viginti* O — *uixerat* P: *uixerit* BEIRS, *uixit* Duisb. et O — 13. *tum* C: *tunc* O — *praeterit* P — *tantum enim remanet* EP — 15. *et anni et menses* BS — *quod* R — 16. *cuique* P corr. ex *cumque* — 18. *fabula est* EP et Duisb.: *est fabula* BIRS — *probo is* P — *neque* EP: *nec* BIRSO — *sapientibus* EP — 19. *ad* om. R — *ueniundum* BI, *uenieundum* S — *est* om. R — 20. *longum est* C (sed *est* in P add. m. rec.): *est longum* O — *processerit* P, item Gud. et Duisb. ex meis: *processeris* BEIRSO — 21. *praeterea* P¹ — 23. *ostendit* R — *futuros fructos* E — *autem* BEIPS: om. RO; *ceterum et tempora metendis frugibus et percipiendis accommodata sunt* Nonius p. 244, 21. — 24. *metendis* E — *accomodata* P — 25. *dixi peractorum b.* P — 26. *autem* EP: *uero* BIRSO — 28. *contigit* R — 29. *mihi mori sic* C: *mori sic mihi* O — 30. *vis flammae* O — *sic ut cum sua* P: *sicut sua* BEIRSO — 31. *poma* om. R.

si sunt, vix evelluntur, si matura et cocta, decidunt, sic vitam adulescentibus vis aufert, senibus maturitas; quae quidem mihi tam iucunda est, ut, quo propius ad mortem accedam, quasi terram videre videar aliquandoque in portum ex longa navigatione esse venturus. XX. 72. Senectutis autem nullus est certus terminus, recteque in ea vivitur, quoad munus officii exequi et tueri possis [mortemque contemnere]: ex quo fit ut animosior etiam senectus sit quam adulescentia et fortior. Hoc illud est, quod Pisistrato tyranno a Solone responsum est, cum illi quaerenti, qua tandem re fretus sibi tam audaciter obsisteret, respondisse dicitur: senectute. Sed vivendi est finis optimus, cum integra mente certisque sensibus opus ipsa suum eadem quae coagmentavit natura dissolvit. Ut navem, ut aedificium idem destruit facillime qui construxit, sic hominem eadem optime quae conglutinavit natura dissolvit. Iam omnis conglutinatio recens aegre, inveterata facile divellitur. Ita fit ut illud breve vitae reliquum nec avide adpetendum senibus. nec sine causa deserendum sit: 73. vetatque Pythagoras iniussu imperatoris, id est dei, de praesidio et statione vitae decedere. Solonis quidem sapientis elogium est, quo se negat velle suam mortem dolore amicorum et lamentis vacare. Volt, credo, se esse carum suis, sed haud scio an melius Ennius:

Nemo me lacrumis decoret, neque funera fletu
Faxit.

Non censet lugendam esse mortem, quam inmortalitas consequatur. 74. Iam sensus moriendi aliquis esse potest isque ad exiguum tempus, praesertim seni: post mortem quidem sensus aut optandus aut nullus est. Sed hoc meditatum ab adulescentia debet esse, mortem ut neglegamus, sine qua meditatione tranquillo animo esse nemo potest. Moriendum enim certe est, et id incertum an hoc ipso die. Mortem igitur

---

1. *sunt* BIRS: *sint* EPO — *vix euelluntur* P: *ui auelluntur* BIRS, *ui euellentur* E, *vix avell.* O — 2. *tam* om. E — *iucunda sunt* BS — 3. *propius* P corr. ex *prius* — *uidear uidere* R — 4. *aliquando* E — 5. *senectutis autem* C: *Omnium aetatum certus est terminus; senectutis autem* O et Oehl. solus ex meis; cf. Madvigii Opusc. II, 277 — *certus est* O — 6. *minus* P^1 — *possit* P, haud scio an recte — *mortemque contemnere* P: *et tamen mortem non timere* E, *et tamen mortem contemnere* BIRSO; hoc colon Schuetzius Ursinum secutus interpolatione adiectum dixit, adstipulante Madvigio in Opusc. II, 278 — 7. *senectus* om. E — 8. *est* om. ER — *pysistrato* P — *salone* IS, *sidone* P, sed in marg. *solone* — 9. *re* P $B^1I^1S^2$: *spe* $B^2EI^2RS^1O$ — *audaciter* $EIPSB^2$: *audacter* B^1R — *resisteret* EI^1 — *respondit senectute* ER — 10. *uiuendi est -- dissoluit* Nonius p. 42, 22 — *optumus* B P^2S et codd. Nonii — 11. *certisque* C et Nonius: *ceterisque* O — *suum ipsa* E — *coacmentauit* R, *coaugmentauit* ES — 12. *nauim* BS, *nauim idem* E — *idem* om. E — *destruxit* B — 13. *optume* BS — 14. *Nam* E^1 — *recens conglut.* R — *dissoluitur facile* E — *Itaque* E — 15. *reliquum uitae* BIS — *senibus appet.* E — 16. *deserundum* $BISP^2$ — *pytagoras* P — *inperatoris* R — 17. *dei* P corr. ex *fidei* — 18. *eulogium* BI; *elegium* Fr. Aug. Wolf (v. *Hanhart's Erinnerungen an F. A. Wolf* p. 87), *elegia* Cobet coll. Tusc. I, 49, 117 — *est* add. in P m. 2, quod haud scio an post *sapientis* interciderit — *quod* E — *se* om. BS — *mortem suam* E — 19. *credere* P — *carum se esse* BIS — *haut* BE — *scio an melius*] *hemilius* P, sed in marg *uel haud*••• — 21. *lacrumis* I: *lacrimis* BEPRS — *fletum* Scaliger, *lessum* Bentley; v. Vahlen p. 162 (*fletu* habet etiam P) — 23. *Num censes* E — *censet* S in ras. (fuerat *sensit*, ut videtur) — *mortem esse* E — *consequitur* E — 24. *moriundi* BIS, *morienti* R — *aliqui* R^1 — *usque ad* P, *is qui ad* E — 26. *adulescentiam debent* P^1 — *neglegent* I — 27. *animo esse* EIPR: *esse animo* BSO — *potest nemo* P, sed add. signis transpositionis — *moriundum* BIS — 28. *enim* om. EI — *est certe* E — *et*] malim *set incertum* — *id* om. P — *hoc* P: *eo* BEIRSO.

omnibus horis inpendentem timens qui poterit animo consistere? 75. De qua non ita longa disputatione opus esse videtur, cum recorder non L. Brutum, qui in liberanda patria est interfectus, non duos Decios, qui ad voluntariam mortem cursum equorum incitaverunt, non M. Atilium, qui ad supplicium est profectus, ut fidem hosti datam conservaret, non duos Scipiones, qui iter Poenis vel corporibus suis obstruere voluerunt, non avum tuum L. Paulum, qui morte luit collegae in Cannensi ignominia temeritatem, non M. Marcellum, cuius interitum ne crudelissimus quidem hostis honore sepulturae carere passus est, sed legiones nostras, quod scripsi in Originibus, in eum locum saepe esse profectas alacri animo et erecto, unde se redituras numquam arbitrarentur. Quod igitur adulescentes et ii quidem non solum indocti, sed etiam rustici contemnunt, id docti senes extimescent? 76. Omnino, ut mihi quidem videtur, rerum omnium satietas vitae facit satietatem. Sunt pueritiae studia certa: num igitur ea desiderant adulescentes? sunt ineuntis adulescentiae: num ea constans iam requirit aetas, quae media dicitur? sunt etiam eius aetatis: ne ea quidem quaeruntur in senectute: sunt extrema quaedam studia senectutis. Ergo, ut superiorum aetatum studia occidunt, sic occidunt etiam senectutis: quod cum evenit, satietas vitae tempus maturum mortis adfert.

XXI. 77. Non enim video cur quid ipse sentiam de morte non audeam vobis dicere, quod eo cernere mihi melius videor, quo ab ea propius absum. Ego vestros patres, P. Scipio, tuque, C. Laeli, viros clarissimos mihique amicissimos, vivere arbitror et eam quidem vitam, quae est sola vita nominanda. Nam, dum sumus inclusi in his compagibus corporis, munere quodam necessitatis et gravi opere perfungimur: est enim animus caelestis ex altissimo domicilio depressus et quasi demersus in terram, locum divinae naturae aeternitatique contrarium. Sed credo deos inmortales sparsisse animos in corpora humana, ut essent qui terras tuerentur quique caelestium ordinem contemplantes imitarentur eum vitae modo atque constantia. Nec me solum ratio ac disputatio

---

1. *qui* P[1]: *quis* BEIRSP[2] — *anima* P[1] — 2. *recordor* S et E, sed hic *cum modo non recordor l. brutum* — *non tantum L.* R — 3. *interemptus est* E — *duo* O — 4. *M.*] *modo* E — *acilium* IR — 5. *est perfectus* P[1], *profectus est* E — 6. *duo* O — *coluerunt* P[1] — 7. *canesi* P corr. in *canensi* — 8. *nec crud.* BEIRS — 10. *locum saepe esse* BS: *locum saepe* R, *locum esse* IP (om. *saepe*), *saepe locum* O (*locum profectas saepe* E) — 11. *recto* P — *se* E post *numquam* — *numquam redituras* RO — 12. *et hi* IRS, *ut hi* B — 13. *extimescunt* B[1]E, *extimescentur* S ante rasuram — *ut mihi quidem* P, sed *ut* sup. lin. m. rec.: *ut* om. E, *ut quidem mihi* S, *quidem ut mihi* BIR; an intercidit *ut* ante *uidetur?* — *videtur* om. E — 14. *rerum* EI[2]R: *studiorum* I[1]PSO, *studiorum rerum* B; cf. Madvigii Opusc. II, 278 — *sacietatem facit* S — *Sed sunt* E — *studia certa* BIPS: *certa studia* ERO — 15. *sunt et ineuntis* BIRS, *sunt etiam in.* E — 16. *queaemedia* P — 17. *eius* C: *huius* O — *requiruntur* B[1] — *in* PR: *a* BEISO — 18. *studia quaedam* ER — 19. *sic etiam occidunt* R — *senectutis etiam* E — 20. *mortis maturum* BEIS — 21. *non enim* P: *equidem non* BEIRSO — *cur* sup. lin. R — 22. *cernere mihi melius* BIPS: *mihi melius cernere* E, *melius cernere mihi* R, *melius mihi cernere* O — *quod* E — *ad eam* P[1] — 23. *adsum* P[1] — *ergo* BP — *patres tu scipio tuque laeli* P — *publi scipio* I — *gaie laeli* I; *C.* om. R — *lelii* E — 24. *ea quidem uita* BEIRS — 25. *sola est* E — *numeranda* var. lect. in R — *inclusi in iis* P, *conclusi in his* B, *in his inclusi* O — *conpagibus* I, *compaginibus* B — 26. *quandam* P[1] — 27. *quasi* om. B — *dimersus* I — 28. *ad terram* B — *in locum* BIS, *id est locum* R — 30. *ordinem* in E sup. lin.

impulit ut ita crederem, sed nobilitas etiam summorum philosophorum et auctoritas. 78. Audiebam Pythagoram Pythagoreosque, incolas paene nostros, qui essent Italici philosophi quondam nominati, numquam dubitasse quin ex universa mente divina delibatos animos haberemus: demonstrabantur mihi praeterea quae Socrates supremo vitae die de inmortalitate animorum disseruisset, is qui esset omnium sapientissimus Apollinis oraculo iudicatus. Quid multa? sic mihi persuasi, sic sentio, cum tanta celeritas animorum sit, tanta memoria praeteritorum futurorumque prudentia, tot artes tantae scientiae, tot inventa, non posse eam naturam, quae res eas contineat, esse mortalem; cumque semper agitetur animus nec principium motus habeat, quia se ipse moveat, ne finem quidem habiturum esse motus, quia numquam se ipse sit relicturus; et cum simplex animi natura esset neque haberet in se quicquam admixtum dispar sui atque dissimile, non posse eum dividi, quod si non possit, non posse interire, magnoque esse argumento homines scire pleraque ante quam nati sint, quod iam pueri, cum artes difficiles discant, ita celeriter res innumerabiles arripiant, ut eas non tum primum accipere videantur, sed reminisci et recordari. Haec Platonis fere.

XXII. 79. Apud Xenophontem autem moriens Cyrus maior haec dicit: «Nolite arbitrari, o mei carissimi filii, me, cum a vobis discessero, nusquam aut nullum fore. Nec enim, dum eram vobiscum, animum meum videbatis, sed eum esse in hoc corpore ex iis rebus, quas gerebam, intellegebatis. Eundem igitur esse creditote, etiam si nullum videbitis. 80. Nec vero clarorum virorum post mortem honores permanerent, si nihil eorum ipsorum animi efficerent, quo diutius memoriam sui teneremus. Mihi quidem persuaderi numquam potuit animos, dum in corporibus essent mortalibus, vivere, cum excessissent ex eis, emori; nec vero tum animum esse insipientem, cum ex insipienti corpore evasisset, sed cum omni admixtione corporis liberatus purus et integer esse coepisset, tum esse sapientem. Atque etiam, cum hominis natura morte dissolvitur, ceterarum rerum perspicuum est quo quaeque discedat; abeunt enim illuc omnia, unde orta sunt: animus autem solus nec cum adest nec cum discedit apparet. Iam vero videtis nihil esse

---

1. *inpulit* I — *etiam nobil.* E, *etiam* om. B — 2. *Pythagoram* P in marg., sed pr. m. — *pitagoram pitagoreasque* R — *pene* P — *nostros pene qui cum essent* E — 4. *quin ex*] hic desinit P — 5. *die uitae* BIS — 6. *erat* E — 7. *apoll. oraculo* ER (sed in R *apoll.* in marg. add. m. 2): *orac. apoll.* BISO — *Quid multa -- prudentia* Nonius p. 44, 33 — *persuasi mihi* BIS — 8. *sit celer. animorum* E — *futurorum prudentia et artes* E — 9. *tantae*] *tot* R[1] — *conscientiae* E — 10. *continet* ER — 11. *animus agitetur* ER — *se ipse* BIS: *ipse se* R, *ipsum* E — *nec finem* BI[2]S — 13. *esset natura* BIS — 14. *non* om. E — 15. *possit* dett. mei: *posset* BEIRS — *diuidi non posse magnoque* B — *argumento esse* E — 16. *sint* BS et I corr. 1 m.: *sunt* EI[1]R — *difficiles* om. S — 18. *reminisci et* om. E — *Platonis fere* ER: *Plato uester* BIS; *Plato noster* Lamb. — 19. *maior* om. E — 20. *o mei* E: *o mi* S, *o mihi* BIR — *karissimi* B — 21. *neque enim* E — 22. *ex his* BIRS — 24. *clarorum* om. R — 25. *quo iustius* BIS — 26. *retineremus* Oehl. — *quidem* om. E — *persuaderi numquam* EI[1]: *numquam persuaderi* BI[2]RSO — 27. *mortalibus essent* R — *excessissent* BIS: *exissent* ER, dett. mei, O; cf. Lael. § 13, or. p. Sest. § 47 extr. — *ex his* mei — 28. *mori* Duisb. — *tunc* BIS — 29. *corporis* om. BS — 31. *morte* om. E — *perspicuum*] hic incipit N — 32. *discedat* I: *discedant* BENRSO — *enim* om. E — *omnia illuc* E solus ex meis — *animus uero* E — 33. *discesserit* BS.

morti tam simile quam somnum. 81. Atqui dormientium animi maxime declarant divinitatem suam; multa enim, cum remissi et liberi sunt, futura prospiciunt. Ex quo intellegitur quales futuri sint, cum se plane corporis vinculis relaxaverint. Quare, si haec ita sunt, sic me colitote, inquit, ut deum: sin una est interiturus animus cum corpore, vos tamen, deos verentes, qui hanc omnem pulchritudinem tuentur et regunt, memoriam nostri pie inviolateque servabitis.»

XXIII. 82. Cyrus quidem haec moriens: nos, si placet, nostra videamus. Nemo umquam mihi, Scipio, persuadebit aut patrem tuum Paulum aut duos avos, Paulum et Africanum, aut Africani patrem aut patruum aut multos praestantes viros, quos enumerare non est necesse, tanta esse conatos, quae ad posteritatis memoriam pertinerent, nisi animo cernerent posteritatem ad se pertinere. An censes, ut de me ipso aliquid more senum glorier, me tantos labores diurnos nocturnosque domi militiaeque suscepturum fuisse, si isdem finibus gloriam meam quibus vitam essem terminaturus? Nonne melius multo fuisset otiosam aetatem et quietam sine ullo labore et contentione traducere? Sed nescio quo modo animus erigens se posteritatem ita semper prospiciebat, quasi, cum excessisset e vita, tum denique victurus esset. Quod quidem ni ita se haberet ut animi inmortales essent, haud optimi cuiusque animus maxime ad inmortalitatis gloriam niteretur. 83. Quid? quod sapientissimus quisque aequissimo animo moritur, stultissimus iniquissimo, nonne vobis videtur is animus, qui plus cernat et longius, videre se ad meliora proficisci, ille autem, cui obtusior sit acies, non videre? Equidem efferor studio patres vestros, quos colui et dilexi, videndi, neque vero eos solum convenire aveo, quos ipse cognovi, sed illos etiam, de quibus audivi et legi et ipse conscripsi. Quo quidem me proficiscentem haud sane quis facile retraxerit nec tamquam Peliam recoxerit; et si quis deus mihi largiatur ut ex hac aetate repuerascam et in cunis vagiam, valde recusem nec vero velim quasi decurso spatio

---

1. *tam simile morti* E — *atque* N — *maxume* S, om. E — 2. *liberi et remissi* E — 3. *prospiciunt futura* N — *futuri sunt* BINS — *plene* BIS — 4. *corporum* BIS — *relaxauerint corp. uinclis* E — *uinclis* NR — *relaxauerat* N — *colite* E — 5. *inquit* om. O — *interitus* B — 6. *pulcrit.* BI — 8. *haec quidem* E — *michi moriens* N — *placeat* N — 9. *michi umquam* E et Duisb. — 10 *et affricani* ENR — 11. *multum* E — *necesse non est* E — 13. *ad se posse pertinere* BINS — 14. *ipse* BIS — 15. *hisdem* BNRS — 16. *esse* R — *transacturus* BINS soli ex meis — *multo melius* E solus — 17. *et quietam aetatem* N — *ullo aut labore* ER, sed *aut* in R sup. lin. — *et cont.* IN: om. BS, *aut cont.* R, *aut contradictu* E — 18. *se erigens* E solus — *semper ita* R, sed *ita* sup. lin. — 19. *cum iam exc.* E — *tum semper denique* B; *tum demum* Bake ad Cic. de legg. p. 479 — 20. *nisi* E — *haut* N — 21. *ad inmortalitatis gloriam* BIS: *ad immortalitatem* E, *ad immortalem gloriam* N, Gud. Oehl., *ad mortalem gloriam* R, *ad immortalitatem gloriae* O nulla certa auctoritate — 23. *is animus* BINRS: *id sanius* E, *animus is* O — *cernit* E — 24. *cui* BEINS: *cuius* R, 4 dett. mei et O — *obtusa* E — *acies sit* I — 25. *nostros* ER — 26. *vero* om. E; *neque uero - - conscripsi* Nonius p. 270, 32, item p. 276, 1, ubi est in codd. lacuna — *eos solos* BEINS; *solum* firmat Nonius — *habeo* BEINRS — 27. *etiam illos* E — *et audivi* Nonius loco posteriore — 28. *facile quis* E solus ex meis — *neque* O — *pelam* (sed *i* add. m. rec.) *recoxerit* I, *pilam recoxerit* BS, *recoxerit pilam* R, *retorserit pilam* E — 29. *et si* mei: *Quod si* O; *et si quis - - uagiam* Nonius p. 165, 29. — *mihi deus* EN — *ex hac aetate* BIS, Nonius: *ex aetate* E, *ex hac uitae aetate* NR — *repuerascam* Nonius: *repuerescam* N et Hild., ut est in codd. optimis de Orat. II, § 22, *repueriscam* mei reliqui — 30. *in cunabulis* Nonius — *in cunas ueniam* N.

ad carceres a calce revocari. 84. Quid enim habet vita commodi? quid non potius laboris? Sed habeat sane, habet certe tamen aut satietatem aut modum. Non lubet enim mihi deplorare vitam, quod multi et ii docti saepe fecerunt, neque me vixisse paenitet, quoniam ita vixi, ut non frustra me natum existumem, et ex vita ita discedo tamquam ex hospitio, non tamquam e domo. Commorandi enim natura diversorium nobis, non habitandi dedit. O praeclarum diem, cum ad illud divinum animorum concilium coetumque proficiscar cumque ex hac turba et conluvione discedam! Proficiscar enim non ad eos solum viros, de quibus ante dixi, verum etiam ad Catonem meum, quo nemo vir melior natus est, nemo pietate praestantior: cuius a me corpus est crematum — quod contra decuit ab illo meum —, animus vero non me deserens, sed respectans in ea profecto loca discessit, quo mihi ipsi cernebat esse veniendum. Quem ego meum casum fortiter ferre visus sum, non quo aequo animo ferrem, sed me ipse consolabar existumans non longinquum inter nos digressum et discessum fore. 85. His mihi rebus, Scipio, — id enim te cum Laelio admirari solere dixisti — levis est senectus, nec solum non molesta, sed etiam iucunda. Quod si in hoc erro, qui animos hominum inmortales esse credam, libenter erro nec mihi hunc errorem, quo delector, dum vivo, extorqueri volo: sin mortuus, ut quidam minuti philosophi censent, nihil sentiam, non vereor ne hunc errorem meum philosophi mortui irrideant. Quod si non sumus inmortales futuri, tamen extingui homini suo tempore optabile est. Nam habet natura ut aliarum rerum omnium, sic vivendi modum. Senectus autem aetatis est peractio tamquam fabulae, cuius defetigationem fugere debemus, praesertim adiuncta satietate.

Haec habui de senectute quae dicerem; ad quam utinam perveniatis, ut ea, quae ex me audistis, re experti probare possitis.

---

1. *a calce ad carceres* cod. Haerelius Klotzii, *ad carceres* om. E — *enim habet uita* BNR: *habet enim uita* IS, *enim uita habet* E solus — 2. *habet sane* BEINS — *habuit certe* N — 3. *non enim iubet* N, *enim* om. E — *me* I — *etĩdocti* N: *indocti* BS, *et indocti* IR, *et docti* E — 4. *fecerunt saepe* E, *saepe* om. R — *uixisse me* N — *penitet me uixisse* I — 5. *ita* sup. lin. I — 6. *e domo* INRS: *e* om. E, *ex domo* BO — *diuersorium* C: *deuersorium* O — 7. *dedit non habitandi* (om. *nobis*) E solus — *habitandi locum dedit* 2 codd. Manutii — *cum in illum* (sic) -- *discedam* Nonius p. 524, 31, idem p. 82, 10 *cumque ex hac* -- *discedam* — *ad illud* BINS: *ad illum* E, *in illud* Duisb. et Hild., *in illum* R et Gud. — *diuinorum* BS — 8. *animorum*] *amorem* E — *caetumque* BRS — *cum ex hac turbae colluuione* N — 9. *solum ad eos* E — 10. *etiam* om. E — *quo uiro uir nemo* E — 11. *nemo*] *neque* R, om. E — *pietate* om. B — *est corpus a me concrematum* E — *corpus crematum est* O et Duisb. solus ex meis — *quo contra* E — 13. *loca profecto* E — *ipse* BINRS, om. E — *esse* om. E — 14. *ueniundum* I — *quo* om. N — 15. *aequo* om. E — *consolabor* N, *consolobor* B — 17. *cum laelio te* BS — *senectus non solum molesta* E — 18. *qui* C: *quod* O — 19. *hominum* om. BN, *immortales hominum* E — *credo* BS — 21. *nil* I — 22. *mecum* BS — *philosophi mortui* EINR: *mortui philosophi* BSO — *sum immortalis futurus* E — 24. *rerum omnium* EN: *omn. rerum* BIRSO — 25. *est aetatis peractio* BS, *est peractio aetatis* E — *defetigationem* IRS: *defectionem* E solus ex meis, *defatigationem* BNO, item E sup. lin. — 28. *M. TVLLII CICERONIS CATO MAIOR EXPLICIT*. S, *Explicit t. senectutis*. B, *Explicit*. I, *Explicit tullius de senectute*. R, *Marci Tullii Ciceronis de Senectute ad Acticum liber explicit*. Duisb., *M. tullii ciceronis de senectute liber explicit* Gud. 2, *Marci Tullii Ciceronis Oratoris excellentissimi de Senectute liber explicit feliciter. deo gracias. Amen*. Oehl.

M. TULLII CICERONIS

L A E L I U S

DE AMICITIA

EX RECOGNITIONE CAROLI HALM.

NOTARUM INDEX.

B = codex lat. Monacensis 4611, olim Benedictoburanus, saec. XII, collatus ab A. Fleckeiseno.

D = codex Vindobonensis $\frac{3115}{U.658}$ (apud Endlicherum num. LIII), saec. XV, cuius lectiones ab Andr. Dan. Michnay exscriptas Klotzius a. 1833 publicavit.

E = codex Erfurtensis, collatus ab Ed. Wundero.

G = codex Gudianus 335, nunc Wolfenbuttelanus, saec. X, collatus ab A. Fleckeiseno.

S = codex lat. Monacensis 15964, olim monasterii Salisburgensis ad S. Petrum, saec. XI, collatus ab eodem.

V = codex Vindobonensis $\frac{275}{\varphi.326}$ (apud Endlicherum num. CDI), in nostrum usum a Batavo G. N. du Rieu collatus.

C = omnes libri superiores.

O = editio Orelliana.

Praeterea ad manus erat codex Augusteus 51, 12, olim Hildesiensis, a Fleckeiseno collatus, et lectiones codicum Lassbergensis et Escheriani, quorum uterque est saec. XV, ab Orellio exscriptae.

I. 1. Quintus Mucius augur multa narrare de C. Laelio socero suo memoriter et iucunde solebat nec dubitare illum in omni sermone appellare sapientem. Ego autem a patre ita eram deductus ad Scaevolam sumpta virili toga, ut, quoad possem et liceret, a senis latere numquam discederem. Itaque multa ab eo prudenter disputata, multa etiam

---

INSCRIPTIO LIBRI. *LELIVS M. TVLLII .C. DE AMICICIA LIBER INCIPIT* G, *INCIPIT TULLIUS DE AMICICIA* B, *M. TVLLII CICĔR. LELIVS DE AMICICIA* S, *M. T. C. liber de amicicia Incipit* E, *M. TULLII CICERONIS. LELIVS. DE AMITITIA INCIPIT.* V.

1. *QVINTVS MVTIVS* BGSV; *Quintus -- solebat* affert Charisius pp. 114, 205 et 234 ed. Keil. — *augur sceuola* E, in S *sceuola* m. rec. add. — *C.*] *gagio* V, ex *Gaio*, ut habet Charisius p. 114 — 2. *ac* V — *iocunde* GS — *dubitabat* D — *illum* om. G, sed in marg. add., *eum* suprascr. alt. m. — 3. *deductus eram* G — *ad sceuulam* B, ut fere semper — 5. *discessissem* S — *ab eo multa* BSV — *disp. prud.* V — *etiam* C: [*etiam*] O.

breviter et commode dicta memoriae mandabam fierique studebam eius prudentia doctior. Quo mortuo me ad pontificem Scaevolam contuli, quem unum nostrae civitatis et ingenio et iustitia praestantissimum audeo dicere. Sed de hoc alias, nunc redeo ad augurem. 2. Cum saepe multa, tum memini domi in hemicyclio sedentem, ut solebat, cum ego essem una et pauci admodum familiares, in eum sermonem illum incidere, qui tum fere multis erat in ore. Meministi enim profecto, Attice, et eo magis, quod P. Sulpicio utebare multum, cum is tribunus pl. capitali odio a Q. Pompeio, qui tum erat consul, dissideret, quocum coniunctissime et amantissime vixerat, quanta esset hominum vel admiratio vel querela. 3. Itaque tum Scaevola, cum in eam ipsam mentionem incidisset, exposuit nobis sermonem Laelii de amicitia habitum ab illo secum et cum altero genero, C. Fannio, Marci filio, paucis diebus post mortem Africani. Eius disputationis sententias memoriae mandavi, quas hoc libro exposui arbitratu meo: quasi enim ipsos induxi loquentes ne «inquam» et «inquit» saepius interponeretur atque ut tamquam a praesentibus coram haberi sermo videretur. 4. Cum enim saepe mecum ageres, ut de amicitia scriberem aliquid, digna mihi res cum omnium cognitione tum nostra familiaritate visa est. Itaque feci non invitus ut prodessem multis rogatu tuo. Sed ut in Catone Maiore, qui est scriptus ad te de senectute, Catonem induxi senem disputantem, quia nulla videbatur aptior persona, quae de illa aetate loqueretur, quam eius qui et diutissime senex fuisset et in ipsa senectute praeter ceteros floruisset: sic, cum accepissemus a patribus maxime memorabilem C. Laelii et P. Scipionis familiaritatem fuisse, idonea mihi Laelii persona visa est quae de amicitia ea ipsa dissereret, quae disputata ab eo meminisset Scaevola. Genus autem hoc sermonum positum in hominum veterum auctoritate et eorum illustrium plus nescio quo pacto videtur habere gravitatis. Itaque ipse mea legens sic adficior interdum, ut Catonem, non me loqui existimem. 5. Sed ut tum ad senem senex de senectute, sic hoc libro ad amicum amicissimus scripsi de amicitia. Tum est Cato locutus, quo erat nemo fere senior temporibus illis, nemo prudentior: nunc Laelius et sapiens — sic enim est habitus — et amicitiae gloria excellens de amicitia loquetur. Tu velim a me animum parumper avertas, Laelium loqui ipsum putes. C. Fannius et Q. Mucius ad socerum

---

1. *breuiter commode* BS — *commendabam* E — 3. *iusticia* G, ut saepe, *industria* V — *audio* B — 5. *multa narrauit tum* D, in S ead. m. in marg. add. *narraret* — *hemiciclyo* G, *hemiciclio* BSV (*in hemicyclio domi* D) — *cum ego* DG: *et ego* BESVO — 7. *fere multis erat* BEGS[1]V: *multis fere erat* Bern., *fere erat omnibus* D, *fere omnibus erat* S[2] et Hild., *fere [omnibus] erat* O; *omnibus* (vel *multis*) iam Vallae glossae nomine suspectum erat — *enim* om. D — 8. *utebaris* S — 11. *tum* om. V — *cum* om. G — 12. *ab illo* om. V — 13. *genero*] *socero* S — 15. *isto libro* S — *ipsos*] *eos* D — *introduxi* G[2] — 16. *atque ideo fecerim tamquam* D — 17. *sermo haberi* S — *saepe*] *o Attice* D — 18. *scriberem tibi aliquid* D — *tum omnium* B — 20. *multis prodessem* S, *multis prodesset* D — *de rogatu tuo* D — *maiore feci qui* C — *inscriptus* G[2] — 21. *senectute id est Catonem* D — 23. *senex diut.* E — 24. *maxime* om. BS — *C.*] *gai* V — 30. *loqui existumem* BV[1], *existimem loqui* S — *ad senem senex* D, ut videtur, et Hild.: *ad te o attice senem senex* G, *ad senem ego senex* BSV, *ad te senem senex* Bern., *ad senem senex attice* E — 31. *in hoc* D — *scripsi de am.* C: *de amic. scripsi* O — 32. *fere nemo* SV — 33. *habitus est* D — 34. *loquetur* BEGSV: *loquitur* D(?)O — *Tum* E — *animum a me* O.

veniunt post mortem Africani: ab his sermo oritur, respondet Laelius, cuius tota disputatio est de amicitia, quam legens te ipsum cognosces.

II. 6. *Fannius.* Sunt ista, Laeli; nec enim melior vir fuit Africano quisquam nec clarior. Sed existimare debes omnium oculos in te esse coniectos unum; te sapientem et appellant et existimant. Tribuebatur hoc modo M. Catoni, scimus L. Acilium apud patres nostros appellatum esse sapientem, sed uterque alio quodam modo: Acilius, quia prudens esse in iure civili putabatur, Cato, quia multarum rerum usum habebat: multa eius et in senatu et in foro vel provisa prudenter vel acta constanter vel responsa acute ferebantur; propterea quasi cognomen iam habebat in senectute sapientis. 7. Te autem alio quodam modo non solum natura et moribus, verum etiam studio et doctrina esse sapientem, nec sicut volgus, sed ut eruditi solent appellare sapientem, qualem in Graecia reliqua neminem — nam qui septem appellantur, eos qui ista subtilius quaerunt in numero sapientium non habent —, Athenis unum accepimus et eum etiam Apollinis oraculo sapientissimum iudicatum: hanc esse in te sapientiam existimant, ut omnia tua in te posita esse ducas humanosque casus virtute inferiores putes. Itaque ex me quaerunt, credo ex hoc item Scaevola, quonam pacto mortem Africani feras, eoque magis, quod proximis Nonis, cum in hortos D. Bruti auguris commentandi causa, ut adsolet, venissemus, tu non adfuisti, qui diligentissime semper illum diem et illud munus solitus esses obire.

8. *Scaevola.* Quaerunt quidem, C. Laeli, multi, ut est a Fannio dictum, sed ego id respondeo, quod animum adverti, te dolorem, quem acceperis cum summi viri tum amicissimi morte, ferre moderate, nec potuisse non commoveri nec fuisse id humanitatis tuae; quod autem Nonis in collegio nostro non adfuisses, valetudinem respondeo causam, non maestitiam fuisse.

Laelius. Recte tu quidem, Scaevola, et vere: nec enim ab isto officio, quod semper usurpavi, cum valerem, abduci incommodo meo debui, nec ullo casu arbitror hoc constanti homini posse contingere, ut ulla intermissio fiat officii. 9. Tu autem Fanni, quod mihi tantum tribui

---

2. *est disputatio* B — *te ipsum* BGSV: *te ipse* DE, *tu te ipsum* O — 3. *sunt ista laeli* BV: *sunt ista sicut dicis laeli* G, *sunt ista leli ut dicis* S, *sunt ista uera ut dicis laeli* D, *sunt ista quae dicis laeli* Bern., *sunt ista leli ita* (sup. lin.) *ut loqueris* E; in V post *Laeli* sup. lin. est glossa *.s. ut dicit* — 4. *existumare* V — *oculos omnium* D — *in te* C: *nunc in te* O — 5. *coniunctos* B — *coniectos; unum te* O — *te et sapientem* V — 6. *M.* om. BV — *L.*] *laelium* D — *Atilium* et v. 7 *Atilius* O — 7. *quodam alio modo* S — 8. *esse* om. S — *habebat* C: *haberet* O — 9. *multa enim eius* coni. O. Heine — *eius in* B — 10. *iam* om. BSV — 13. *nec sicut -- sapientem* om. E — 14. *in graecia reliqua* (*reliqui* BS) BGSV: *in reliqua gr.* D, *in Graecia* EO — 15. *sapientum* BDS — 16. *eum etiam* G: *eum quidem* BSV, *eum quidem* (*quidam* D) *etiam* DEO — *apollonis* B — *diiudicatum* S — *iudicatum sapientissimum* D — 17. *in te esse* DS — *posita esse* C: *posita* O — 19. *credo* om. DS — *ex hoc item scaeuola* C: *item ex hoc Scaevola* O — 20. *proximis* BEGSV: *in proximis* D, *his proximis* O — *dum* S — *in hortis* G[1], *in ortos* ES — 21. *commendandi* BGS — 22. *solitus es* BDSV — 23. *multam* G — *est* om. B — 24. *ego hoc resp.* BSV — *animum aduerti* BEGS: *animaduerti* DVO — *te* om. D — 25. *acceperas* E — *tum summi* S — 26. *id fuisse* S — *autem* om. S — 27. *nonis* BEGSV: *his* (?) *nouis* D, *his Nonis* O — *nostro collegio* O — *affuisti* B — *ualetudinem* (*ualit.* BSV) *respondeo causae* (*causam* D, om. E) C: *respondeo* om. O — 29. *scaeuola tuere* E[1] — 31. *ut illa* BSV[1] — 32. *quod* C: *qui* O.

dicis, quantum ego nec adgnosco nec postulo, facis amice, sed, ut mihi videris, non recte iudicas de Catone. Aut enim nemo, quod quidem magis credo, aut, si quisquam, ille sapiens fuit. Quo modo, ut alia omittam, mortem filii tulit! Memineram Paulum, videram Gallum, sed hi in pueris, Cato in perfecto et spectato viro. 10. Quam ob rem cave Catoni anteponas ne istum quidem ipsum, quem Apollo, ut ais, sapientissimum iudicavit: huius enim facta, illius dicta laudantur. De me autem, ut iam cum utroque vestrum loquar, sic habetote.

III. Ego si Scipionis desiderio me moveri negem, quam id recte faciam viderint sapientes, sed certe mentiar. Moveor enim tali amico orbatus, qualis, ut arbitror, nemo umquam erit, ut confirmare possum, nemo certe fuit. Sed non egeo medicina: me ipse consolor et maxime illo solacio, quod eo errore careo, quo amicorum decessu plerique angi solent. Nihil mali accidisse Scipioni puto: mihi accidit, si quid accidit; suis autem incommodis graviter angi non amicum, sed se ipsum amantis est. 11. Cum illo vero quis neget actum esse praeclare? Nisi enim, quod ille minime putabat, inmortalitatem optare vellet, quid non adeptus est, quod homini fas esset optare? qui summam spem civium, quam de eo iam puero habuerant, continuo adulescens incredibili virtute superavit; qui consulatum petivit numquam, factus [consul] est bis, primum ante tempus, iterum sibi suo tempore, rei publicae paene sero; qui duabus urbibus eversis inimicissumis huic imperio non modo praesentia, verum etiam futura bella delevit. Quid dicam de moribus facillumis, de pietate in matrem, liberalitate in sorores, bonitate in suos, iustitia in omnes? Nota sunt vobis. Quam autem civitati carus fuerit, maerore funeris indicatum est. Quid igitur hunc paucorum annorum accessio iuvare potuisset? Senectus enim quamvis non sit gravis, ut memini Catonem anno ante quam est mortuus mecum et cum Scipione disserere, tamen aufert eam viriditatem, in qua etiam nunc erat Scipio. 12. Quam ob rem vita quidem talis fuit vel fortuna vel gloria, ut nihil posset accedere, moriundi autem sensum celeritas abstulit: quo de genere mortis difficile dictu est, quid homines suspicentur videtis. Hoc vere tamen licet dicere, P. Scipioni ex multis diebus, quos in vita celeberrimos laetissimosque viderit, illum diem clarissimum fuisse, cum

---

1. *adnosco* B, *adcognosco* GS, *cognosco* D, *agnosco* EVO — *postolo* G[1] — 2. *enim* om. E — 4. *Gallum*] *gaium* C — *sed hi in pueris, Cato in* Jac. Susii liber (teste Car. Langio): *sed nec comparantur cato in* (*catoni* DE) DEG, sed in G *hi* post *sed* pr. m. sup. lin., *sed hi quidem nec catoni comparantur* BSV; in aliis aliae sunt interpolationes — 5. *caue ne catoni* D — 6. *ipsum* om. S — 8. *cum utroque iam* D — *uestrum* BEGSV: om. DO — *loquar* S in marg. habet — 10. *sapientes uiderint* S — 12. *ipsae* G, *ipsum* E — 13. *discessu* BS[1]V — *solent angi* S — 14. *nihil* DEG: *nihil enim* BSVO — *si quid accidit* G in marg. — 17. *minime put. ille* D — *minimi* B[2]ES[2] — *quid enim non* BS, *quid tamen non* V[1] — *est adeptus* O — 20. *petiit* O — *consul est* BGSV: *est consul* DEO; verum videtur quod dedit Beierus: *factus est bis*; cf. or. p. Mur. § 18 — 22. *inimicissimus* G[1] ex *inimicissumis*, ut est in BV[1] — 24. *facilluminis* G[1] — *facillimis moribus* S — *libertate* E — *sororem* BS — 25. *fuit* BDSV[1] — 26. *iudicatum est* C — *annorum* E sup. lin. — 28. *esset mortuus* D, *mortuus est* O — 29. *etiam nunc* DEG: *etiam* om. BSV, *etiamnum* O; *etiam tunc* ed. Victoriana recte, ut videtur — 31. *moriendi* DEO — *autem*] *quidem* D — 32. *quod* EG — 33. *uere tamen* C (sed G *uero*): *tamen vere* O — *in uita sua* D — 34. *cum*] *quo* E (pro *quō*).

senatu dimisso domum ad vesperum reductus est a patribus conscriptis, populo Romano, sociis et Latinis, pridie quam excessit e vita, ut ex tam alto dignitatis gradu ad superos videatur deos potius quam ad inferos pervenisse.

IV. 13. Neque enim adsentior iis, qui nuper haec disserere coeperunt, cum corporibus simul animos interire atque omnia morte deleri. Plus apud me antiquorum auctoritas valet, vel nostrorum maiorum, qui mortuis tam religiosa iura tribuerunt, quod non fecissent profecto, si nihil ad eos pertinere arbitrarentur, vel eorum, qui in hac terra fuerunt magnamque Graeciam, quae nunc quidem deleta est, tum florebat, institutis et praeceptis suis erudierunt, vel eius, qui Apollinis oraculo sapientissimus est iudicatus, qui non tum hoc, tum illud, ut in plerisque, sed idem semper, animos hominum esse divinos iisque, cum ex corpore excessissent, reditum in caelum patere optumoque et iustissimo cuique expeditissimum. 14. Quod idem Scipioni videbatur, qui quidem, quasi praesagiret, perpaucis ante mortem diebus, cum et Philus et Manilius adessent et alii plures, tuque etiam, Scaevola, mecum venisses, triduum disseruit de re publica, cuius disputationis fuit extremum fere de inmortalitate animorum, quae se in quiete per visum ex Africano audisse dicebat. Id si ita est, ut optumi cuiusque animus in morte facillime evolet tamquam e custodia vinclisque corporis, cui censemus cursum ad deos faciliorem fuisse quam Scipioni? Quocirca maerere hoc eius eventu vereor ne invidi magis quam amici sit. Sin autem illa veriora, ut idem interitus sit animorum et corporum nec ullus sensus maneat, ut nihil boni est in morte, sic certe nihil mali. Sensu enim amisso fit idem, quasi natus non esset omnino, quem tamen esse natum et nos gaudemus et haec civitas, dum erit, laetabitur. 15. Quam ob rem cum illo quidem, ut supra dixi, actum optume est, mecum incommodius, quem fuerat aequius, ut prius introieram, sic prius exire de vita. Sed tamen recordatione nostrae amicitiae sic fruor, ut beate vixisse videar, quia cum Scipione vixerim, quocum mihi coniuncta cura de publica re et de privata fuit, quocum et domus fuit et militia communis et id, in quo est omnis vis amicitiae, voluntatum, studiorum, sententiarum summa consensio. Itaque non tam ista me sapientiae, quam modo Fannius commemoravit, fama delectat, falsa praesertim,

---

1. *ad uesperum reductus* BGSV: *reductus ad vesperum* DEO — 2. *e* om. S — 5. *his* BGSV — *nuper haec* BGSV: *haec nuper* DEO — *ceperunt* GV — 6. *animas* E — *adque* G[1] — 7. *aput* G — 8. *profecto non fecissent* D — 9. *fuerint quique magnam* S (*magnam* item B) — 10. *quidem* om. E — *tunc* O — 11. *erudiuerunt* BEV — 12. *qui*] *cui* (scil. *videtur*) Putsche in Philologi XII, p. 300, quae coniectura ita videtur probanda, ut deinde *uti* (*utei*) *plerisque* scribatur. — 13. *isdem semper* B, *semper idem* D — *esse hominum* E, *hominum* om. D — *hisque* BGSV — *ex* BDGSV: *e* EO — 14. *optumoque* G: *optimo* BESV — *cuique et iustissimo* BSV — 15. *idem* C: *item* O — *quique idem* BGSV — 16. *paucis* S — *et pilus* E, *ei philus* B, *et ephilus* S — *manlius* BDGSV — 17. *adesset* E — *aliis* B — *mecum cum* S — 18. *fere extremum* DS — 21. *facillume* V — *uolet* DG[2] — *ex* B, *e* om. S — *uinculisque* DS — 22. *hoc exitu* D — 23. *autem*] *autem aut* G, *autem haut* BES — 24. *uereor* BEGSV — 25. *bonum* E — *enim*] *igitur* E — 29. *quem* om. B (sup. *fuerat* add. m. 2 *quam*) — *ut sicut prius* S — *e uita* S — 32. *puplica re* V, *re publ.* EO — *et de priuata re* G — *fuit* (post *privata*) om. B, *fuerit* E — *et* (ante *domus*) om. S — *fuit* (post *domus*) C: om. O — 33. *omnis uis est* BSV — *uoluptatum* B — 34. *confessio* corr. in *consensio* G — *sapientium* E[1] — 35. *modo*] *mihi* D.

quam quod amicitiae nostrae memoriam spero sempiternam fore, idque eo mihi magis est cordi, quod ex omnibus saeculis vix tria aut quattuor nominantur paria amicorum, quo in genere sperare videor Scipionis et Laeli amicitiam notam posteritati fore.

16. *Fannius.* Istuc quidem, Laeli, ita necesse est. Sed, quoniam amicitiae mentionem fecisti et sumus otiosi, pergratum mihi feceris — spero item Scaevolae —, si, quem ad modum soles de ceteris rebus, cum ex te quaeruntur, sic de amicitia disputaris quid sentias, qualem existumes, quae praecepta des.

Scaevola. Mihi vero, atque id ipsum cum tecum agere conarer, Fannius antevortit: quam ob rem utrique nostrum gratum admodum feceris.

V. 17. *Laelius.* Ego vero non gravarer, si mihi ipse confiderem: nam et praeclara res est et sumus, ut dixit Fannius, otiosi. Sed quis ego sum aut quae est in me facultas? Doctorum est ista consuetudo eaque Graecorum, ut iis ponatur de quo disputent quamvis subito. Magnum opus est egetque exercitatione non parva. Quam ob rem quae disputari de amicitia possunt, ab eis censeo petatis, qui ista profitentur: ego vos hortari tantum possum ut amicitiam omnibus rebus humanis anteponatis; nihil est enim tam naturae aptum, tam conveniens ad res vel secundas vel adversas. 18. Sed hoc primum sentio, nisi in bonis amicitiam esse non posse: neque id ad vivum reseco, ut illi, qui haec subtilius disserunt, fortasse vere, sed ad communem utilitatem parum: negant enim quemquam esse virum bonum nisi sapientem. Sit ita sane: sed eam sapientiam interpretantur, quam adhuc mortalis nemo est consecutus, nos autem ea, quae sunt in usu vitaque communi, non ea, quae finguntur aut optantur, spectare debemus. Numquam ego dicam C. Fabricium, M'. Curium, Ti. Coruncanium, quos sapientes nostri maiores iudicabant, ad istorum normam fuisse sapientes. Quare sibi habeant sapientiae nomen et invidiosum et obscurum, concedant ut viri boni fuerint. Ne id quidem facient: negabunt id nisi sapienti posse concedi. 19. Agamus igitur pingui, ut aiunt, Minerva. Qui ita se gerunt, ita vivunt, ut eorum probetur fides, integritas, aequitas, liberalitas, nec sit in eis ulla cupiditas, libido, audacia, sintque magna constantia, ut ii fuerunt, modo quos nominavi, hos viros bonos, ut habiti sunt, sic etiam appellandos putemus, quia sequantur, quantum homines possunt, natu-

---

1. *semp. spero fore* D — 2. *eo mihi magis* BEGSV: *eo magis mihi* D, *mihi eo magis* O — *cordi est* D — *quatuor* BGS — 3. *amicorum paria* D — 5. FANNIUS post *necesse est* G — *istud* D(?)O — 7. *si*] *si quidem* BSV, sed in S *quidem* erasum — *de ceteris rebus soles* D — 8. *cum* BGSV: *quae* DE — *disputare* B¹SV — *quid existimas* D — 10. *vero* Beier: *uero gratum* G (add. *erit* post *gratum* sup. lin.), *uero erit gratum* BSV, *erit gratum* E, *pergratum uero erit* D, *vero* [*pergratum erit*] O — *atque* bis habet G — 11. *anteuortit* BEGS: *anteuertit* DVO — 12. *ipsi* D — 14. *sum ego* S — *in me est* O — 15. *ut disponatur* BG, *ut is ponatur* S, *ut his pon.* DV — *disputant* G¹ — 17. *ab his* BSV — 18. *ego autem uos* S — *rebus omnibus* BV — 19. *aptum naturae* S — *tamque* B — *res secundas* BGSV, sed in G post *res* rasura — 21. *neque id unum resero* D — 22. *omnem* E, sed sup. lin. *communem* — 23. *virum bonum esse* O — 24. *nemo mortalis* E — 26. *sperare* E — 27. *M.* BSV — *Ti.*] *T.* BDGSV — 28. *sapientes fuisse* B — *habebant* E — 29. *uiri boni* C (sed in S post *boni* littera erasa): *hi boni viri* O — 31. *Minerva, ut aiunt* O — *se ita* E — *ita* ante *vivunt* om. G — 32. *aequalitas* C — *libertas* S¹ — 33. *nulla* V — *cupiditas vel libido vel audacia* O — *lubido* B — *sitque* C — *hi* BGSV — 35. *putamus* E — *qui assequantur* G, *qui sequantur* BS, *qui sequntur* V, *quia sequuntur* alii.

ram optumam bene vivendi ducem. Sic enim mihi perspicere videor, ita natos esse nos, ut inter omnes esset societas quaedam, maior autem, ut quisque proxime accederet. Itaque cives potiores quam peregrini, propinqui quam alieni; cum his enim amicitiam natura ipsa peperit, sed ea non satis habet firmitatis. Namque hoc praestat amicitia propinquitati, quod ex propinquitate benevolentia tolli potest, ex amicitia non potest; sublata enim benevolentia amicitiae nomen tollitur, propinquitatis manet. 20. Quanta autem vis amicitiae sit ex hoc intellegi maxime potest, quod ex infinita societate generis humani, quam conciliavit ipsa natura, ita contracta res est et adducta in angustum, ut omnis caritas aut inter duos aut inter paucos iungeretur. VI. Est enim amicitia nihil aliud nisi omnium divinarum humanarumque rerum cum benevolentia et caritate consensio: qua quidem haud scio an excepta sapientia † quicquam melius sit hominibus a dis inmortalibus datum. Divitias alii praeponunt, bonam alii valetudinem, alii potentiam, alii honores, multi etiam voluptates. Beluarum hoc quidem extremum, illa autem superiora caduca et incerta, posita non tam in consiliis nostris quam in fortunae temeritate. Qui autem in virtute summum bonum ponunt, praeclare illi quidem, sed haec ipsa virtus amicitiam et gignit et continet, nec sine virtute amicitia esse ullo pacto potest. 21. Iam virtutem ex consuetudine vitae nostrae sermonisque nostri interpretemur nec eam, ut quidam docti, verborum magnificentia metiamur virosque bonos eos, qui habentur, numeremus, Paulos, Catones, Gallos, Scipiones, Philos: his communis vita contenta est, eos autem omittamus, qui omnino nusquam reperiuntur. 22. Talis igitur inter viros amicitia tantas opportunitates habet, quantas vix queo dicere. Principio qui potest esse vita vitalis, ut ait Ennius, quae non in amici mutua benevolentia conquiescit? Quid dulcius quam habere quicum omnia audeas sic loqui ut tecum? Quis esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes qui illis aeque ac tu ipse gauderet? Adversas vero ferre difficile esset sine eo, qui illas gravius etiam quam tu ferret. Denique ceterae res, quae expetuntur, opportunae sunt singulae rebus fere singulis, divitiae, ut utare, opes, ut colare, honores, ut laudere, voluptates, ut gaudeas, valetudo, ut dolore careas et muneribus fungare corporis: amicitia res plurimas con-

---

1. *sic etiam* E[1] — 2. *nos* sup. lin. V — *omnes homines* BESV — 4. *his* sup. lin. E — 6. *quid* G[1] — *ex* post *potest* om. D — 7. *beniuolentia* BGSV, ut fere semper — 8. *maxime intellegi potest* BSV, *int. potest maxime* D — 10. *contraria res* S — *abducta* D — *karitat* BV, et sic semper — 11. *duo* O — *enim* BDEGV: *autem* SO — 13. *consensio* BEGSV: *summa consensio* D(?)O — *haut* ES — 14. *quicquam* BDGSV: *nihil* E, sed sup. lin. *quicquid*; *nihil quicquam* Ernesti; videtur *nihil* post *haud scio an* intercidisse et deinde subiectum alienum additum esse. — *sit hominibus* BGSV: *homini sit* DEO — *ab* D — *diis* CO — 15. *proponunt* E — *ualitudinem* BGSV — *multi etiam*] *alii* BS — 16. *beluarum est* D, in E *est* sup. lin., item in G, sed super *hoc quidem* — *quidem hoc* BS — *extremum* [*est*] O — 17. *cons. uestris* BSV — 18. *illi quidem praeclare* S — 20. *potest pacto* E — 21. *uitae nostrae* BEGSV: *uitae* D(?)O — *nec enim eam* BESV — 23. *Gallos* om. D, *gaios* BEGSV — 25. *repperiuntur* V — *talis* BGS: *tales* DEVO — *oportunitates* BGSV — 26. *qui* DE: *quae* BGSV (G q̄, add. sup lin. *uel quo modo uel quia*) — *uita esse* S — 27. *quae*] *qui* D — *conquiescat* DO — 28. *quis*] *qui* EV, item G sup. lin. — 29. *est* BS[1] — 30. *sine illo* (*ipso* S) *qui eas* BSV — 32. *oportunae* BGSV, et sic semper — *fere rebus* D — 33. *laudare* DES[1] — 34. *amicitia uero* D.

tinet; quoquo te verteris praesto est, nullo loco excluditur, numquam intempestiva, numquam molesta est. Itaque non aqua, non igni, ut aiunt, pluribus locis utimur quam amicitia. Neque ego nunc de vulgari aut de mediocri, quae tamen ipsa et delectat et prodest, sed de vera et perfecta loquor, qualis eorum, qui pauci nominantur, fuit. Nam et secundas res splendidiores facit amicitia et adversas partiens communicansque leviores.

VII. 23. Cumque plurimas et maximas commoditates amicitia contineat, tum illa nimirum praestat omnibus, quod bonam spem praelucet in posterum nec debilitari animos aut cadere patitur. Verum enim amicum qui intuetur, tamquam exemplar aliquod intuetur sui. Quocirca et absentes adsunt et egentes abundant et inbecilli valent et, quod difficilius dictu est, mortui vivunt: tantus eos honos, memoria, desiderium prosequitur amicorum: ex quo illorum beata mors videtur, horum vita laudabilis. Quod si exemeris ex rerum natura benevolentiae coniunctionem, nec domus ulla nec urbs stare poterit, ne agri quidem cultus permanebit. Id si minus intellegitur, quanta vis amicitiae concordiaeque sit, ex dissensionibus atque ex discordiis percipi potest. Quae enim domus tam stabilis, quae tam firma civitas est quae non odiis et discidiis funditus possit everti? ex quo quantum boni sit in amicitia iudicari potest. 24. Agrigentinum quidem doctum quendam virum carminibus Graecis vaticinatum esse ferunt, quae in rerum natura totoque mundo constarent quaeque moverentur, ea contrahere amicitiam, dissipare discordiam. Atque hoc quidem omnes mortales et intellegunt et re probant. Itaque, si quando aliquod officium extitit amici in periculis aut adeundis aut communicandis, quis est qui id non maximis efferat laudibus? Qui clamores tota cavea nuper in hospitis et amici mei M. Pacuvii nova fabula! cum ignorante rege uter Orestes esset, Pylades Orestem se esse diceret, ut pro illo necaretur, Orestes autem, ita ut erat, Orestem se esse perseveraret. Stantes plaudebant in re ficta: quid arbitramur in vera facturos fuisse? Facile indicabat ipsa natura vim suam, cum homines, quod facere ipsi non possent, id recte fieri in altero iudicarent. Hactenus mihi videor de amicitia quid sentirem,

---

ex
1. *nullo ex loco cluditur* G — 2. *igne* BDSV — *ut aiunt* om. BSV — 3. *locis pluribus* DE — *nec ego* BSV — *nunc* om. S — 4. *sed de re uera* DG — 9. *tum ipsa* S — *bonam spem* BGSV: *bona spe* DE — 10. *nec ui* E — *debilitare* S — *uerum etiam amicum* BDGSV — 12. *inbecilles* DS — 13. *desiderium* om. V, sup. lin. m. 2 BS — 14. *amicorum prosequitur* D — *uidetur mors* D — 15. *iunctionem* G, sed *con* sup. lin. add. — 16. *nec agri* BDGSV — 18. *atque ex* G: *ex* om. BDESVO — *perspici* Madvig recte, ut videtur; v. eius Opusc. II, 279 — 20. *et* C: *atque* O — *dissidiis* DEO — 21. *agrigentium* G — 22. *caminibus* G — *esse* G: om. BDESVO, sed in E sup. lin. — 25. *re* om E, *rem* V — 26. *qui id*] *quid* G — 27. *clamores*] add. in EGV sup. lin. *s. facti sunt* — *et* om. S — 28 *noui* BESV — *uter Orestes esset, Pylades Orestem* nos: *uter orestem* BE (hic sine *uter*) GSV, sed in S *uter esset orestes pilades* in marg. m. 2, in E, ut videtur, *uter eorum esset Orestes Pylades* superscr., item *an* inter *Orestes* et *Pylades*; *quis esset orestes, pilades se orestem* D; *uter esset Orestes, Pylades Orestem* O; mutavimus in vulgata *esset Orestes* verborum positionem, quia praeposito demum *Orestes* lacunae origo fit perspicua — 29. *esse se* E, om. D — *diceret - - orestem se esse* G in marg. suppleta habet — *pro eo* D — 30. *perlaudabant* E1 — 31. *quod* V per comp. — *arbitraris* S — *in re uera* D — *iudicabat* D, *iudicabit* E — 33. *uideor* bis G — *quod* E.

potuisse dicere: si qua praeterea sunt — credo autem esse multa —, ab iis, si videbitur, qui ista disputant, quaeritote.

25. *Fann.* Nos autem a te potius: quamquam etiam ab istis saepe quaesivi et audivi non invitus equidem, sed aliud quoddam filum orationis tuae.

Scaev. Tum magis id diceres, Fanni, si nuper in hortis Scipionis, cum est de re publica disputatum, adfuisses: qualis tum patronus iustitiae fuit contra accuratam orationem Phili!

Fann. Facile id quidem fuit iustitiam iustissimo viro defendere.

Scaev. Quid amicitiam? nonne facile ei, qui ob eam summa fide, constantia iustitiaque servatam maximam gloriam ceperit?

VIII. 26. *Lael.* Vim hoc quidem est adferre: quid enim refert qua me ratione cogatis? cogitis certe. Studiis enim generorum, praesertim in re bona, cum difficile est tum ne aequum quidem obsistere. Saepissime igitur mihi de amicitia cogitanti maxime illud considerandum videri solet, utrum propter inbecillitatem atque inopiam desiderata sit amicitia, ut dandis recipiendisque meritis, quod quisque minus per se ipse posset, id acciperet ab alio vicissimque redderet, an esset hoc quidem proprium amicitiae, sed antiquior et pulchrior et magis a natura ipsa profecta alia causa. Amor enim, ex quo amicitia nominata est, princeps est ad benevolentiam coniungendam. Nam utilitates quidem etiam ab iis percipiuntur saepe, qui simulatione amicitiae coluntur et observantur temporis causa: in amicitia autem nihil fictum, nihil simulatum, et, quidquid est, id est verum et voluntarium. 27. Quapropter a natura mihi videtur potius quam ab indigentia orta amicitia, adplicatione magis animi cum quodam sensu amandi quam cogitatione quantum illa res utilitatis esset habitura. Quod quidem quale sit etiam in bestiis quibusdam animadverti potest, quae ex se natos ita amant ad quoddam tempus et ab eis ita amantur, ut facile earum sensus appareat. Quod in homine multo est evidentius, primum ex ea caritate, quae est inter natos et parentes, quae dirimi nisi detestabili scelere non potest, deinde cum similis sensus extitit amoris, si aliquem nacti sumus, cuius cum moribus et natura congruamus, quod in eo quasi lumen aliquod probitatis et virtutis perspicere videamur. 28. Nihil est enim virtute amabilius, nihil quod magis alliciat ad diligendum, quippe cum propter virtutem et probitatem etiam eos, quos numquam vidimus, quodam modo diligamus. Quis est qui C. Fabricii, M'. Curii non cum caritate aliqua benevola memoriam

---

1. *si qua autem* G — 2. *ab his* BGSV — *quaeritote* om. D — 3. *autem*] *uero* E solus, prob. Madvigio Opusc. II, 279 — 4. *filum quoddam* E — *rationis* V cum spatio vacuo ante *rat.* — 6. *Scaev.*] *sed* S — *tu magis* S — *o fanni* BSV — 8. *fuit huic* D — 10. *ei defendere qui* E, *ei fuit defendere qui* S — 11. *seruata* BS — *coeperit* GV — 12. *quidem hoc* S — 14. *dum ne aequm* B — 17. *ut in dandis* O — *recipiendisque uel recuperandis* E — *quo quisque* C — 18. *ab illo* E — 20. *ex quo*] *unde* S — *nominata est* C: *nominata* O — 21. *coniungendi* G, *iungendam* BSV — *etiam* om. BSV — *ab his* BGSV — 23. *factum uel fictum* G (sine *est*), *fictum est* BESV, *est fictum* D — 24. *id est uerum* BGV: *idem est uerum* S, *id uerum est* E, *id et uerum* D(?)O — *uoluntarum* G — 27. *habitatura* G — 28. *qui ex* E — *ita ab eis* E — 29. *appereat* G — 30. *ex caritate quae inter natos est* D — 32. *existit* D — 34. *amabilius virtute* O — 36. *eos etiam* O — *quis autem est* S, *quis enim est* D — 37. *qui* S in marg. — *m. curii* BSV — *aliqua beniuola* (*beniuolam* B) C: *aliqua et benevolentia* O, *aliqua benevolentiae* Madvig.

usurpet, quos numquam viderit? Quis autem est qui Tarquinium Superbum, qui Sp. Cassium, Sp. Maelium non oderit? Cum duobus ducibus de imperio in Italia est decertatum, Pyrrho et Hannibale: ab altero propter probitatem eius non nimis alienos animos habemus, alterum propter crudelitatem semper haec civitas oderit.

IX. 29. Quod si tanta vis probitatis est, ut eam vel in eis, quos numquam vidimus, vel, quod maius est, in hoste etiam diligamus, quid mirum est, si animi hominum moveantur, cum eorum, quibuscum usu coniuncti esse possunt, virtutem et bonitatem perspicere videantur? Quamquam confirmatur amor et beneficio accepto et studio perspecto et consuetudine adiuncta, quibus rebus ad illum primum motum animi et amoris adhibitis admirabilis quaedam exardescit benevolentiae magnitudo. Quam si qui putant ab inbecillitate proficisci, ut sit per quem adsequatur quod quisque desideret, humilem sane relinquunt et minime generosum, ut ita dicam, ortum amicitiae, quam ex inopia atque indigentia natam volunt. Quod si ita esset, ut quisque minimum esse in se arbitraretur, ita ad amicitiam esset aptissimus, quod longe secus est. 30. Ut enim quisque plurimum sibi confidit et ut quisque maxime virtute et sapientia sic munitus est, ut nullo egeat suaque omnia in se ipso posita iudicet, ita in amicitiis expetendis colendisque maxime excellit. Quid enim? Africanus indigens mei? Minime hercule! ac ne ego quidem illius: sed ego admiratione quadam virtutis eius, ille vicissim opinione fortasse non nulla, quam de meis moribus habebat, me dilexit; auxit benevolentiam consuetudo. Sed quamquam utilitates multae et magnae consecutae sunt, non sunt tamen ab earum spe causae diligendi profectae. 31. Ut enim benefici liberalesque sumus, non ut exigamus gratiam — neque enim beneficium faeneramur, sed natura propensi ad liberalitatem sumus —, sic amicitiam non spe mercedis adducti, sed quod omnis eius fructus in ipso amore inest, expetendam putamus. 32. At ii, qui pecudum ritu ad voluptatem omnia referunt, longe dissentiunt, nec mirum. Nihil enim altum, nihil magnificum ac divinum suspicere possunt, qui suas omnes cogitationes abiecerunt in rem tam humilem tamque contemptam. Quam ob rem hos quidem ab hoc sermone removeamus, ipsi autem intellegamus natura gigni sensum diligendi et benevolentiae caritatem facta significatione probitatis: quam qui adpetiverunt, adplicant sese et propius admovent, ut et usu eius, quem diligere coeperunt, fruantur et moribus: suntque pares in amore et aequales propensioresque ad bene merendum quam ad reposcendum,

---

1. *quis est autem* E, *autem* om. S — 2. *qui*] .*Q*. E — *p. cassium* C — *Maelium* om. E — 3. *est decertatum* BGSV: *est dicertatum* D, *decert. est* EO — *Annibale* O — *ab altero pyrrho* (vel *pirro* vel *pyrro*) BESV, in G *pyrro* sup. lin. est — 4. *alterum* G, sed *hannibalem* sup. lin. — 8. *est* C: om. O — 11. *consuetudodine* G — 14. *quod si quisque* S — 15. *ostum* G[1] — 16. *esse in se* BGSV: *in se esse* DEO — 17. *ablissimus* G 18. *plurimum sibi* BGSV: *sibi plur.* DEO — *et ut*] *ut quod* E[1] — *maxima* B[1]ES[1]V[1] — *uirtute* S in marg. — 20. *petendis* S. — 21. *hercle* O — *at ne* D, *anne* G — 23. *habeat* D — 24. *utilitatis* BG[1] — 26. *ut enim*] *etenim* DE — *ut non* E — 28. *sic in amicitiam* D, *sic ad amic.* E[2] — 29. *amore sit non esse expet.* BS — 30. *at ii*] *ab his* C — *pecodum* S[1]V — 31. *dissentimus* BESV — *nil enim* BSV — 32. *susspicere* G — 33. *tam rem* G — 34. *sensum*] *signum* BSV — 36. *appetierunt* D — *se* DE — 37. *ceperint* E — *suntque* Beier: *sintque* CO — 38. *ad bene -- reposc. atque* B sup. lin. m. 2.

atque haec inter eos est honesta certatio. Sic et utilitates ex amicitia maximae capientur et erit eius ortus a natura quam ab inbecillitate gravior et verior. Nam si utilitas conglutinaret amicitias, eadem commutata dissolveret: sed quia natura mutari non potest, idcirco verae amicitiae sempiternae sunt. Ortum quidem amicitiae videtis, nisi quid ad haec forte vultis. *Fann.* Tu vero perge, Laeli; pro hoc enim, qui minor est natu, meo iure respondeo. 33. *Scaev.* Recte tu quidem: quam ob rem audiamus.

X. *Lael.* Audite vero, optumi viri, ea, quae saepissime inter me et Scipionem de amicitia disserebantur: quamquam ille quidem nihil difficilius esse dicebat quam amicitiam usque ad extremum diem vitae permanere; nam vel ut non idem expediret incidere saepe, vel ut de re publica non idem sentiretur: mutari etiam mores hominum saepe dicebat, alias adversis rebus, alias aetate ingravescente. Atque earum rerum exemplum ex similitudine capiebat ineuntis aetatis, quod summi puerorum amores saepe una cum praetexta toga deponerentur: 34. sin autem ad adulescentiam perduxissent, dirimi tamen interdum contentione vel uxoriae condicionis vel commodi alicuius, quod idem adipisci uterque non posset. Quod si qui longius in amicitia provecti essent, tamen saepe labefactari, si in honoris contentionem incidissent; pestem enim nullam maiorem esse amicitiis quam in plerisque pecuniae cupiditatem, in optimis quibusque honoris certamen et gloriae, ex quo inimicitias maximas saepe inter amicissimos extitisse. 35. Magna etiam discidia et plerumque iusta nasci, cum aliquid ab amicis, quod rectum non esset, postularetur, ut aut libidinis ministri aut adiutores essent ad iniuriam. Quod qui recusarent, quamvis honeste id facerent, ius tamen amicitiae deserere † arguerentur ab iis, quibus obsequi nollent; illos autem, qui quidvis ab amico auderent postulare, postulatione ipsa profiteri omnia se amici causa esse facturos. Eorum querela inveterata non modo familiaritates extingui solere, sed etiam odia gigni sempiterna. Haec ita multa quasi fata impendere amicitiis, ut omnia subterfugere non modo sapientiae, sed etiam felicitatis diceret sibi videri.

XI. 36. Quam ob rem id primum videamus, si placet, quatenus amor in amicitia progredi debeat. Numne, si Coriolanus habuit amicos,

---

1. *est* scripsi: *sit* C, *fit* O — *concertatio* BGSV, sed in G *con* sup. lin. — 2. *maxime* BSV — *ortus natura quam ob imbecillitatem* D — *grauior* C: *et gravior* O — 3. *amic. conglut.* DEO — *mutata* S — 4. *natura* om. G — *iccirco* SV — 5. *quod* V — 9. *uero* BEGSV: *ergo* DO — *quae* G sup. lin. — 10. *difficilius esse nihil* BS, *diff. nihil esse* V — 11. *diem uitae* BGSV: *uitae diem* DE, *diem* om. O — 12. *expediret utrique* aliquot codd. dett. — *incicidere dicebat saepe* S; in G supra *incidere* add. *s. dicebat* — *uelut* S in marg. — 13. *sentitur* B — 14. *ingrauescentes* BGS^{1} — 15. *eximilitudine* V — 16. *toga* C: om. O — *deponerentur* BGSV: *ponerentur* DEO — 17. *ad* om. G, *ab adolescentia* S — 18. *uxoriae* Turnebus: *luxuriae* BDEG, *luxurie* V, *luxuria* S — *uterque potuisset* B — 19. *profecti* DS — 21. *maiorem esse nullam* O — *amicitiis* C (sed D *amicis*): *in amicitiis* O — *pecuniae* om. B — 22. *et gloriae certamen* D — 23. *etiam* BGSV: *enim* DE — *dissidia* O — 24. *iusta* B sup. lin. m. 2, *iuxta* G^{1} — 25. *aut auditores* E^{1} — 26. *quid qui* G^{1}, *quod si* B — 27. *arguerentur* codd. noti omnes; v. Seyfferti commentarium p. 238 sq. — *ab his* BGSV — 28. *audirent* G^{1} — 29. *inueterata* C: *inveteratas* O; v. Madvigii Opusc. II, 280 — 30. *odia etiam* DE — *itaque* D — 32. *dicere* E — 33. *quatinus* DG, *quotenus* BSV, *quo usque* G sup. lin. — 34. *numne* C (sed S *nonne*): *num* O — *haberet* G.

ferre contra patriam arma illi cum Coriolano debuerunt? num Viscellinum amici regnum adpetentem, num Sp. Maelium debuerunt iuvare? 37. Tiberium quidem Gracchum rem publicam vexantem a Q. Tuberone aequalibusque amicis derelictum videbamus. At C. Blossius Cumanus, hospes familiae vestrae, Scaevola, cum ad me, quod aderam Laenati et Rupilio consulibus in consilio, deprecatum venisset, hanc ut sibi ignoscerem causam adferebat, quod tanti Ti. Gracchum fecisset, ut quidquid ille vellet sibi faciendum putaret. Tum ego «Etiamne» inquam, «si te in Capitolium faces ferre vellet?» «Numquam voluisset id quidem, sed, si voluisset, paruissem.» Videtis quam nefaria vox! Et hercule ita fecit, vel plus etiam quam dixit; non enim paruit ille Ti. Gracchi temeritati, sed praefuit, nec se comitem illius furoris, sed ducem praebuit. Itaque hac amentia quaestione nova perterritus in Asiam profugit, ad hostes se contulit, poenas rei publicae graves iustasque persolvit. Nulla est igitur excusatio peccati, si amici causa peccaveris: nam, cum conciliatrix amicitiae virtutis opinio fuerit, difficile est amicitiam manere, si a virtute defeceris. 38. Quod si rectum statuerimus vel concedere amicis quidquid velint vel impetrare ab eis quidquid velimus, perfecta quidem sapientia si simus, nihil habeat res vitii, sed loquimur de iis amicis, qui ante oculos sunt, quos vidimus aut de quibus memoriam accepimus, quos novit vita communis. Ex hoc numero nobis exempla sumenda sunt, et eorum quidem maxime, qui ad sapientiam proxume accedunt. 39. Videmus Papum Aemilium C. Luscino familiarem fuisse — sic a patribus accepimus —, bis una consules, collegas in censura; tum et cum iis et inter se coniunctissimos fuisse M'. Curium, Ti. Coruncanium memoriae proditum est. Igitur ne suspicari quidem possumus quemquam horum ab amico quippiam contendisse, quod contra fidem, contra ius iurandum, contra rem publicam esset. Nam hoc quidem in talibus viris quid attinet dicere, si contendisset, impetraturum non fuisse? cum illi sanctissimi viri fuerint, aeque autem nefas sit tale aliquid et facere rogatum et rogare. At vero Ti. Gracchum sequebantur C. Carbo, C. Cato, et minime tum quidem Gaius frater, nunc idem acerrimus.

---

1. *ferre* E ante *debuerunt* habet — *debuerant* S — *inbecillinum* G, *becillinum* BDESV — 2. *Sp. Maelium*] *A melium* (*mellium* corr.) G, *amellium* BSV, *amilium* E, *C. Maelium* D — 3. *graccum* BGS, ut fere semper — 4. *atque* S — *bissius* C; v. Plut. v. Ti. Gracchi c. 8 — 5. *cum aderam* mediis om. E — *quod* BDGV: *quo* S, *qui* O — *laenate* vel *lenate* C — 6. *sibi ut* D — *ignoscerent* E — 7. *t. graccum* BSV — *quicquid* GV, ut semper — 9. *ferre faces* BSV — *numquam* C (sed G *numquid*): *numquam, inquit* O — 10. *hercle* O — 11. *paruit enim* E — *t. gracci* BSV — 13. *dementia noua quaestione* D — 15. *igitur est* S — 16. *uirtutum* D — 17. *statueremus* G — 18. *amici* S — *ab his* BDGSV — 19. *si simus* Schuetz praeeunte Cantero (Nov. Lectt. 7, 15): *sumus si* BDGSV, *simus, si* EO; cf. Madvigii Opusc. II, 280 — *de his* BGSV — 20. *uidimus* E: *uidemus* BDGSV; *quos uidemus -- sumenda sunt* G in marg. habet — 21. *nobis exempla*] *exempla quidem* G (in marg.) — 23. *accedant* G, *accedent* D — *uidimus* BS — *Papum Aemilium* Manutius: *A. aemilium* G, *p. aemilium* BSV, *paulum aem.* DE — *C.* om. C — 25. *his* BGSV — *m.* BESV — *Curium* BEGS: *Curium et* DVO — *t.* BGSV — *coruncanum* G — 26. *memoria* BGS — 27. *quidpiam* O — 28. *quidem hoc* BSV — 30. *uiri* om. G — *aliquod facere* D — 31. *tiberinum* E — 32. *minumus* V m. sec. additum in spatio vacuo relicto — *tum* C: *tunc* O — *Gaius*] *carissimus* BS; *carus frater quidem* D — *frater* S sup. lin.

XII. 40. Haec igitur lex in amicitia sanciatur, ut neque rogemus res turpes nec faciamus rogati. Turpis enim excusatio est et minime accipienda cum in ceteris peccatis, tum si quis contra rem publicam se amici causa fecisse fateatur. Etenim eo loco, Fanni et Scaevola, locati sumus, ut nos longe prospicere oporteat futuros casus rei publicae. Deflexit iam aliquantulum de spatio curriculoque consuetudo maiorum. 41. Ti. Gracchus regnum occupare conatus est, vel regnavit is quidem paucos menses. Num quid simile populus Romanus audierat aut viderat? Hunc etiam post mortem secuti amici et propinqui quid in P. Scipione effecerint sine lacrimis non queo dicere. Nam Carbonem, quocumque modo potuimus, propter recentem poenam Ti. Gracchi sustinuimus. De Gai autem Gracchi tribunatu quid expectem non lubet augurari: serpit deinde res, quae proclivius ad perniciem, cum semel coepit, labitur. Videtis in tabella iam ante quanta sit facta labes, primo Gabinia lege, biennio autem post Cassia. Videre iam videor populum a senatu disiunctum, multitudinis arbitrio res maximas agi. Plures enim discent, quem ad modum haec fiant, quam quem ad modum his resistatur. 42. Quorsum haec? quia sine sociis nemo quicquam tale conatur. Praecipiendum est igitur bonis ut, si in eius modi amicitias ignari casu aliquo inciderint, ne existiment ita se adligatos, ut ab amicis in magna aliqua re peccantibus non discedant, inprobis autem poena statuenda est, nec vero minor iis, qui secuti erunt alterum, quam iis, qui ipsi fuerint impietatis duces. Quis clarior in Graecia Themistocle? quis potentior? qui cum imperator bello Persico servitute Graeciam liberavisset propterque invidiam in exilium expulsus esset, ingratae patriae iniuriam non tulit, quam ferre debuit: fecit idem quod viginti annis ante apud nos fecerat Coriolanus. His adiutor contra patriam inventus est nemo: itaque mortem sibi uterque conscivit. 43. Quare talis improborum consensio non modo excusatione amicitiae tegenda non est, sed potius supplicio omni vindicanda est, ut ne quis concessum putet amicum vel bellum patriae inferentem sequi. Quod quidem, ut res ire coepit, haud scio an aliquando futurum sit: mihi autem non minori curae est, qualis res publica post mortem meam futura sit, quam qualis hodie sit.

---

1. *amicitiae* BSV — 2. *turpes res* S — 4. *memoratur* G, sed sup. lin. *fateatur* — *locuti* D — 6. *aliquantum* B — *spacio* GV — 8. *pop. Rom.*] *post* E, *Rom.* om. D — *aut*] *uel* S — 9. *secuti sunt* BSV¹ — *in p. scipionem* DE, *in p. nasicam scipionem* BGSV — 10. *fecerint* BSV — *quocumque modo* Klotz (in ed. Teubn.): *quoque quem* (*quāe* G) *modo* C, *quoquo modo* O — 11. *posuimus* C — 12. *autem* om. D; *de c. gracchi* (*gracci* BS) *autem* BEGSV, unde scribendum videtur: *de Gai autem tribunatu* — *auguriari* G — 13. *procliuis* BDSV — *pernitiem* G — 14. *facta sit* BSVO — 15. *diiunctum* S ante corr. 19. *igitur est* BSV — *huius modi* D — 20. *se ita* BSV — *in magnā aliquā rē. p. peccantibus* C, sed deest *p.* (ante *pecc.*) in V; *in re publica pecc.* O — 22. *his* BGSV — *erant* E — *quam his* BGSV — *ipsius* G — 23. *imperatis* E — 24. *graeciam seruitute* BSV — *liberauisset* BGSV: *liberasset* DEO — 25. *expulsus esset* DEG et V sup. lin. (m. antiqua): *missus esset* B,SV¹, *isset* O — 26. *fecit*] *ferre* S¹ — 28 *mortem sibi interque* G, *mortem uterque sibi* BS, *uterque s. mort.* V, *s. mort. uterque* E — *impiorum* D — 30. *supplicio* (*subplitio* G) *omni uindicanda est* C: *omni supplicio vindicanda* O — *concessum* C (sed E *consensum*): [*sibi*] *concessum* O — *uel amicum bellum* D — 31. *patriae inf.* -- *haut* B in marg. m. 2 — *coepit ire* O — 33. *sit* post *futura* om. E, post *hodie* B —. *qua qualis* G.

XIII. 44. Haec igitur prima lex amicitiae sanciatur, ut ab amicis honesta petamus, amicorum causa honesta faciamus, ne expectemus quidem, dum rogemur, studium semper adsit, cunctatio absit, consilium vero dare audeamus libere. Plurimum in amicitia amicorum bene suadentium valeat auctoritas, eaque et adhibeatur ad monendum non modo aperte, sed etiam acriter, si res postulabit, et adhibitae pareatur. 45. Nam quibusdam, quos audio sapientes habitos in Graecia, placuisse opinor mirabilia quaedam — sed nihil est, quod illi non persequantur argutiis —: partim fugiendas esse nimias amicitias, ne necesse sit unum sollicitum esse pro pluribus: satis superque esse sibi suarum cuique rerum, alienis nimis implicari molestum esse: commodissimum esse quam laxissimas habenas habere amicitiae, quas vel adducas cum velis vel remittas; caput enim esse ad beate vivendum securitatem, qua frui non possit animus, si tamquam parturiat unus pro pluribus. 46. Alios autem dicere aiunt multo etiam inhumanius — quem locum breviter paulo ante perstrinxi — praesidii adiumentique causa, non benevolentiae neque caritatis amicitias esse expetendas. Itaque, ut quisque minimum firmitatis haberet minimumque virium, ita amicitias adpetere maxime: ex eo fieri ut mulierculae magis amicitiarum praesidia quaerant quam viri et inopes quam opulenti et calamitosi quam ii, qui putantur beati. 47. O praeclaram sapientiam! Solem enim e mundo tollere videntur ii, qui amicitiam e vita tollunt, qua nihil a dis inmortalibus melius habemus, nihil iucundius. Quae est enim ista securitas? specie quidem blanda, sed reapse multis locis repudianda. Neque enim est consentaneum ullam honestam rem actionemve, ne sollicitus sis, aut non suscipere aut susceptam deponere. Quod si curam fugimus, virtus fugienda est, quae necesse est cum aliqua cura res sibi contrarias aspernetur atque oderit, ut bonitas malitiam, temperantia libidinem, ignaviam fortitudo. Itaque videas rebus iniustis iustos maxime dolere, inbellibus fortes, flagitiosis modestos. Ergo hoc proprium est animi bene constituti, et laetari bonis rebus et dolere contrariis. 48. Quam ob rem, si cadit in sapientem animi dolor, qui profecto cadit, nisi ex eius animo extirpatam humanitatem arbitramur, quae causa est cur amicitiam funditus tollamus e vita, ne aliquas propter eam suscipiamus molestias? Quid enim interest motu animi sublato non dico inter pecudem et hominem, sed inter hominem et truncum aut saxum aut quidvis generis

---

1. *in' amicicia* G solus ex notis — 2. *nec expectemus* BG — 3. *desit* E — *consilium uerum dare gaudeamus* C (sed E *uero*, ut videtur) — 4. *in amicitia plurimum ad bene suadendum* D — 5. *et* om. GS, sed G in rasura — 6. *aperta* BV — *sed iam* S — 9. *argutiis* G: *argutius* BESV, *argumentis* D, ut est in G sup. lin., *suis argutiis* O — *ne* om. BS¹V¹ — *neccesse* G¹ — 10. *superesse* V — *sibi suarum* BDGSV: *suarum* EO — 12. *latissimas* DG¹ — *amiciciae habere* S — 15. *dicere* G, sed primum videtur fuisse *dixere*, cui voc. suprascr. *vel diduxere* — *etiam* om. BSV — *breu. paulo ante perstr.* EGSV: *paulo ante breu. perstr.* B, *breu. perstr. p. a.* DO — 17. *karitatis* V — 18. *haberet* C: *habeat* O — *et ex eo* D — 20. *hi* BGSV — *putentur* D; *calamitosi quam beati* Car. Lange — 21. *hi qui* BGSV, *qui* DEO — 22. *e* om. G — *quia* DS — *melius puto habemus* D — *habemus melius et iocundius* S — 23. *enim* om. G — 24. *reapse* E: *re ab se* D, *re ipsa* BGSV — *multis modis* D — *neque est* V², *namque est* BSV¹(?) — 25. *rem honestam* D — *actionemque* S — *ne*] *nisi* BS — 26. *fugimus curam* D — 28. *ut bonitas* G, sed sup. lin. *sic* — *lubidinem* BV — 29. *maxime* om. D — *imbecillibus* D; *inb. fortes* om. E — 30. *flagitiosisque* S — 35. *hominem et pecudem* O — 36. *et saxum aut truncum* O.

eiusdem? Neque enim sunt isti audiendi, qui virtutem duram et quasi ferream esse quandam volunt: quae quidem est cum multis in rebus tum in amicitia tenera atque tractabilis, ut et bonis amici quasi diffundatur et incommodis contrahatur. Quam ob rem angor iste, qui pro amico saepe capiendus est, non tantum valet, ut tollat e vita amicitiam, non plus quam ut virtutes, quia non nullas curas et molestias adferunt, repudientur.

XIV. Cum autem contrahat amicitiam, ut supra dixi, si qua significatio virtutis eluceat, ad quam se similis animus adplicet et adiungat, id cum contingit, amor exoriatur necesse est. 49. Quid enim tam absurdum quam delectari multis inanibus rebus, ut honore, ut gloria, ut aedificio, ut vestitu cultuque corporis, animo autem virtute praedito, eo qui vel amare vel, ut ita dicam, redamare possit, non admodum delectari? Nihil est enim remuneratione benevolentiae, nihil vicissitudine studiorum officiorumque iucundius. 50. Quid? si illud etiam addimus, quod recte addi potest, nihil esse quod ad se rem ullam tam illiciat et attrahat quam ad amicitiam similitudo, concedetur profecto verum esse, ut bonos boni diligant adsciscantque sibi quasi propinquitate coniunctos atque natura. Nihil est enim adpetentius similium sui nec rapacius quam natura. Quam ob rem hoc quidem, Fanni et Scaevola, constet, ut opinor, bonis inter bonos quasi necessariam benevolentiam, qui est amicitiae fons a natura constitutus. Sed eadem bonitas etiam ad multitudinem pertinet. Non enim est inhumana virtus neque inmunis neque superba, quae etiam populos universos tueri eisque optume consulere soleat, quod non faceret profecto, si a caritate vulgi abhorreret. 51. Atque etiam mihi quidem videntur, qui utilitatis causa fingunt amicitias, amabilissimum nodum amicitiae tollere. Non enim tam utilitas parta per amicum quam amici amor ipse delectat, tumque illud fit, quod ab amico est profectum, iucundum, si cum studio est profectum, tantumque abest ut amicitiae propter indigentiam colantur, ut ii, qui opibus et copiis maximeque virtute, in qua plurimum est praesidii, minime alterius indigeant, liberalissimi sint et beneficentissimi. Atque haud sciam an ne opus sit quidem nihil umquam omnino deesse amicis. Ubi enim studia nostra viguissent, si numquam consilio, num-

---

1. *enim* om. BSV — 2. *esse quandam* DEG: *quandam esse* BS, *quandam* VO — *in multis* D — 3. *diffundantur et inc. contrahantur* C, cum librarii *amici* pro numero plurali haberent; *bonis amici animi quasi diffundantur* etc. coni. Seyffert — 5. *ut* om. G — 6. *non ullas* G — 8. *contrahat*] *contra ad* G — *sic quasi signif.* BGS, *si qua quasi sign.* D — 10. *contingit* DE: *contigit* BGSV — 12. *aediffìcio* G — *uestito* D — *animi autem* E, *animante* D — *praedicto* G, *praedita* E — 13. *reclamare* BS, *readamare* D — 14. *enim est* BSV — 15. *quid si illud etiam* C: *quod si etiam illud* O — 17. *illiciat* C (sed G *illiceat*): *alliciat* O — *et attrahat* scripsi: *et tam trahat* C, *et tam attrahat* O. Intellegitur quam facile ETATTRAHAT in ETTĀTRAHAT corrumpi potuerit; offendit autem in lectione librorum potius repetitum *tam* quam verbi simplicis «*trahere*» usus, qui optime locum habere poterat. — *similitudo* E, add. sup. lin. m. rec. *morum* — *concedatur* BDSV — 19. *similium sibi* S — 20. *nec* C: *nihil* O — *et hoc* E — 21. *constet* BDEGS: *constat* V(?)O — 22. *quae est* D — *ea bonitas* D — 23. *enim est* C: *est enim* O — 24. *immanis* pauci dett. — 25. *obtume* G — 26. *utilitatum* E — 29. *sit* G — *ab amico quod* D — *profectum est* BSV — *studio et amore* D — 30. *tantum* BS[1] — 31. *hi* BGSV — *virtute praediti* O — *praesidii est* S, sed *est* sup. lin. m. 2 — 32. *beneficientissimi* BS — 33. *sciam* DEG: *scio* BSVO — *quidem si nichil* B — *deest* B.

quam opera nostra nec domi nec militiae Scipio eguisset? Non igitur utilitatem amicitia, sed utilitas amicitiam consecuta est.

XV. 52. Non ergo erunt homines deliciis diffluentes audiendi, si quando de amicitia, quam nec usu nec ratione habent cognitam, disputabunt. Nam quis est, proh deorum fidem atque hominem, qui velit, ut neque diligat quemquam nec ipse ab ullo diligatur, circumfluere omnibus copiis atque in omnium rerum abundantia vivere? Haec enim est tyrannorum vita, in qua nulla fides, nulla caritas, nulla stabilis benevolentiae potest esse fiducia, omnia semper suspecta atque sollicita, nullus locus amicitiae. 53. Quis enim aut eum diligat, quem metuat, aut eum, a quo se metui putet? Coluntur tamen simulatione dum taxat ad tempus. Quod si forte, ut fit plerumque, ceciderunt, tum intellegitur quam fuerint inopes amicorum. Quod Tarquinium dixisse ferunt, tum exulantem se intellexisse, quos fidos amicos habuisset, quos infidos, cum iam neutris gratiam referre posset. 54. Quamquam miror illa superbia et inportunitate si quemquam amicum habere potuit. Atque ut huius, quem dixi, mores veros amicos parare non potuerunt, sic multorum opes praepotentium excludunt amicitias fideles. Non enim solum ipsa Fortuna caeca est, sed eos etiam plerumque efficit caecos, quos conplexa est. Itaque efferuntur fere fastidio et contumacia, neque quicquam insipiente fortunato intolerabilius fieri potest. Atque hic quidem videre licet eos, qui antea commodis fuerint moribus, imperio, potestate, prosperis rebus inmutari, sperni ab iis veteres amicitias, indulgeri novis. 55. Quid autem stultius quam cum plurimum copiis, facultatibus, opibus possint, cetera parare, quae parantur pecunia, equos, famulos, vestem egregiam, vasa pretiosa, amicos non parare, optumam et pulcherrimam vitae, ut ita dicam, suppellectilem? Etenim cetera cum parantur, cui parentur nesciunt nec cuius causa laborent; eius enim est istorum quidque, qui vincit viribus: amicitiarum sua cuique permanet stabilis et certa possessio, ut, etiam si illa maneant, quae sunt quasi dona Fortunae, tamen vita inculta et deserta ab amicis non possit esse iucunda. Sed haec hactenus.

---

2. *consecutata* G, *secuta* DE — 3. *erint* G¹, *erunt* BSV ante *audiendi* habent — *affluentes* D — 4. *de* om. E — 5. *proh* G: om. E, *pro* BDSVO — *deum* D(?)O — *atque fidem* S — 6. *ab* G sup. lin. — 7. *in omnibus* D — *uiuere abundantia* E — *enim est* DGSV: *est enim* BEO — 8. *nimirum in qua* C (sed habet E haec tria vocabula post *caritas*); *in qua nimirum* O; om. *nimirum* Beda — *kar.* V — 12. *ut sit* G¹ — *ceciderunt* G ante ras.: *ciciderint* DEG²S²O, *ceciderit* BS¹V; cf. Madvigii Opusc. II, 281 — 13. *fuerunt* BSV — *ferunt uerum tum* E, *tum* om. V in ras., *exulantem* glossa videbatur Hottingero in Cic. ecl. p. 175; *ferunt exulantem, tum* Madvig; v. eius Opusc. II, 283 — 15. *cum etiam* BS — *neutris* S: *neutri* BDEGV — *refferre* B — 16. *inoportunitate* G — *amicum* C: om. O — 17. *parere* DG — 18. *multorum*] sup. lin. in G varia lectio *malorum* — *praepotentum* S — 19. *sola* D — *set* B, ut saepe — *eos* om. D — 20. *fastigio* S², *studio* D — *nec quicquam* BDSV — 21. *insipienti* E — *hic* G: *hoc* BDESVO — 22. *uideri* C, sed in G pr. m. corr. *uidere* — *fuerint* DEG: *fuerant* BSV, *fuerunt* O — *inperio* S — 23. *spernique* Madvig — *ab his* BGSV — 25. *possunt* S ante corr. — 26. *ueste egregia uasa praeciosa* G — *et amicos* D — 27. *ut itam* G — *subpellectilem* BS, *supell.* O — 28. *quum parant, cui parent* O — *laborant* C — 29. *enim est* C: *est enim* O — *uincit* EG¹: *uicit* BDG²SV (G *ui*cit*) — *suarum* S — 30. *pertinet* G — 32. *actenus* E, *acteus* G¹.

XVI. 56. Constituendi sunt autem, qui sint in amicitia fines et quasi termini diligendi, de quibus tres video sententias ferri, quarum nullam probo: unam, ut eodem modo erga amicum adfecti simus quo erga nosmet ipsos, alteram, ut nostra in amicos benevolentia illorum erga nos benevolentiae pariter aequaliterque respondeat, tertiam, ut, quanti quisque se ipse facit, tanti fiat ab amicis. 57. Harum trium sententiarum nulli prorsus adsentior. Nec enim illa prima vera est, ut quem ad modum in se quisque sit, sic in amicum sit animatus. Quam multa enim, quae nostri causa numquam faceremus, facimus causa amicorum! precari ab indigno, supplicare, tum acerbius in aliquem invehi insectarique vehementius, quae in nostris rebus non satis honeste, in amicorum fiunt honestissime; multaeque res sunt, in quibus de suis commodis viri boni multa detrahunt detrahique patiuntur, ut iis amici potius quam ipsi fruantur. 58. Altera sententia est, quae definit amicitiam paribus officiis ac voluntatibus. Hoc quidem est nimis exigue et exiliter ad calculos vocare amicitiam, ut par sit ratio acceptorum et datorum. Divitior mihi et adfluentior videtur esse amicitia vera nec observare stricte ne plus reddat quam acceperit: neque enim verendum est ne quid excidat aut ne quid in terram defluat aut ne plus aequo quid in amicitiam congeratur. 59. Tertius vero ille finis deterrumus, ut, quanti quisque se ipse faciat, tanti fiat ab amicis. Saepe enim in quibusdam aut animus abiectior est aut spes amplificandae fortunae fractior. Non est igitur amici talem esse in eum, qualis ille in se est, sed potius eniti et efficere, ut amici iacentem animum excitet inducatque in spem cogitationemque meliorem. Alius igitur finis verae amicitiae constituendus est, si prius, quid maxime reprehendere Scipio solitus sit, edixero. Negabat ullam vocem inimiciorem amicitiae potuisse reperiri quam eius, qui dixisset ita amare oportere, ut si aliquando esset osurus; nec vero se adduci posse, ut hoc, quem ad modum putaretur, a Biante dictum esse crederet, qui sapiens habitus esset unus e septem: inpuri cuiusdam aut ambitiosi aut omnia ad suam potentiam revocantis esse sententiam. Quonam enim modo quisquam amicus esse poterit eius, cui se putabit inimicum esse posse? Quin etiam necesse erit cupere et optare ut quam saepissime peccet amicus, quo plures det sibi tamquam ansas ad reprehendendum: rursus autem recte factis commodisque amicorum necesse erit angi, dolere, invidere. 60. Quare hoc quidem

---

1. *sunt autem* BSV: *sunt aut* G, *autem sunt* D, *autem sint* E — 2. *delegendi* GV, *deligendi* S^1, *diliendi* B — *referri* G — 3. *amicum* C: *amicos* O — *sumus* G — 5. *nos* om. B — *tertium* G^1 — 6. *ipse* om. V in ras. — malim *faciat* — 7. *neque enim* BSV — 8. *quisque sit sic* C: *quisque, sic* O — 9. *nostri* C: *nostra* O — *facimus amicorum* Beier — 10. *suplicare* G — 11. *insectari* D — *nostris in rebus* D — 12. *sunt* sup. lin. G — 13. *detrahi* S — *his* BDGSV — 14. *diffinit* BSV — 15. *et* E — *uoluptatibus* G — 16. *datorum et acceptorum* S — 17. *diuicior* G, *diuinior* E — *amicitia uera* BGSV: *uera amic.* DEO — 18. *stricte* G: *restricte* BDESVO — *querendum* G, sed *q* m. 2 addita est — 19. *quid decidat* D — *aequo quid* C: *aequo* O — 23. *qualis ipse* D — 24. *excidet* V — 25. *in* om. BEGSV, de D dubitatur — 26. *quod* EV — 27. *inimiciciorem* BGS — *amicitia* BSV — *repperiri* SV^2, *repperire* V^1 — 28. *esses* Cobet — 29. *ne vero* D — *se* om. E — *hoc* om. BSV — 30. *abiacente* G (sup. lin. est *uel abuante*) — *dictum esse* G: *esse dictum* BDSVO, *esse* om. E — 33. *eius* C: om. O — *putabat* BSV^1 — 34. *pluris det sibi t. causas* D — 35. *reprehendum* G, *reprchendundum* S^1 — *rursus* G: *rursum* BDESVO — 36. [*necesse erit*] O, om. 1 cod. Oxon.

praeceptum, cuiuscumque est, ad tollendam amicitiam valet: illud potius praecipiundum fuit, ut eam diligentiam adhiberemus in amicitiis comparandis, ut ne quando amare inciperemus eum, quem aliquando odisse possemus. Quin etiam si minus felices in diligendo fuissemus, ferendum id Scipio potius quam inimicitiarum tempus cogitandum putabat.

XVII. 61. His igitur finibus utendum arbitror, ut, cum emendati mores amicorum sint, tum sit inter eos omnium rerum, consiliorum, voluntatum sine ulla exceptione communitas, ut etiam, si qua fortuna acciderit ut minus iustae amicorum voluntates adiuvandae sint, in quibus eorum aut caput agatur aut fama, declinandum de via sit, modo ne summa turpitudo sequatur: est enim quatenus amicitiae dari venia possit. Nec vero neglegenda est fama, nec mediocre telum ad res gerendas existimare oportet benevolentiam civium, quam blanditiis et adsentando colligere turpe est: virtus, quam sequitur caritas, minime repudianda est. 62. Sed — saepe enim redeo ad Scipionem, cuius omnis sermo erat de amicitia — querebatur, quod omnibus in rebus homines diligentiores essent: capras et oves quot quisque haberet dicere posse, amicos quot haberet non posse dicere; et in illis quidem parandis adhibere curam, in amicis diligendis neglegentes esse nec habere quasi signa quaedam et notas, quibus eos, qui ad amicitiam essent idonei, iudicarent. Sunt igitur firmi et stabiles et constantes eligendi, cuius generis est magna penuria; et iudicare difficile est sane nisi expertum, experiundum autem est in ipsa amicitia: ita praecurrit amicitia iudicium tollitque experiundi potestatem. 63. Est igitur prudentis sustinere ut cursum, sic impetum benevolentiae, quo utamur quasi equis temptatis sic amicitiis, aliqua parte periclitatis moribus amicorum. Quidam saepe in parva pecunia perspiciuntur quam sint leves, quidam autem, quos parva movere non potuit, cognoscuntur in magna. Sin vero erunt aliqui reperti qui pecuniam praeferre amicitiae sordidum existiment, ubi eos inveniemus, qui honores, magistratus, imperia, potestates, opes amicitiae non anteponant, ut, cum ex altera parte proposita haec sint, ex altera ius amicitiae, non multo illa malint? Inbecilla enim est natura ad contemnendam potentiam: quam etiam si neglecta amicitia consecuti sint, obscuratum iri arbitrantur, quia non sine magna causa sit neglecta

---

2. *adhiberemus* om. B — 4. *diligendo* C: *deligendo* O; Cicero *dilegendo* videtur scripsisse, item supra 628, 2 — 5. *potius scipio* BSV — *quam in inim.* D — *cogit. putabat*] *cogitabat* E — 6. *emundati* B¹ — 10. *capud* G, om. E, *de capite* BSV, item varia lectio in G — *de uia sit* BS²V: *de uia est* DEGS¹, *sit de via* O — 11. *sequatur* S in marg. — *quotenus* BSV — *uenia dari* S — 12. *nec uel* (per comp.) *mediocre* G — 13. *gerendas res* S — 15. *saepe enim* DEG: *saepe* BSV; *Sed saepe* — *etenim* O — 16. *in rebus omnibus* E — 18. *posset* bis BDGSV — 19. *diligendis* BGSV: *eligendis* DEO; v. supra ad v. 4. — *neglientes* B — 20. *quaedam signa* D — *amicitias* D — 21. *digendi* G, ut hoc quoque loco *dilegendi* scribendum videatur — 22. *maxima* E — *nisi expertum sane difficile est* E, *sane* om. S — 23. *autem est* BSV: *est autem* DEO; G sic habet: *experiundum autem In*, loco vacuo ante *In* relicto — 25. *cursum* BGSV: *currum* DEO — *tempestatis* G, *temperatis* BDESV, *tentatis* O — 26. *amicitiis* D, ut videtur: *amicitias* BGS, sed in S *s* erasa (*amiticias* G), *amicitia* EV; *quo utamur quasi equis temptatis, sic amicitia aliqua parte* etc. distinxit Klotz — 27. *quamuis* S, sed corr. *quam sint* — *autem* om. O — 28. *sin uero* BGSV: *sin* DEO — 29. *repertiti* G — 30. *imperia* om. E — 31. *cum altera parte* BS¹V — *posita* D — *sunt* BSV — 32. *multi* BSV — *natura est* O — 33. *contempnendam* BGSV, item 630 v. 8 *contempnunt* — 34. *sint* Madvig (Opusc. II, 284) et V²: *sunt* CO — *arbitramur* E — *causa neglecta amicitia sit* G.

amicitia. 64. Itaque verae amicitiae difficillime reperiuntur in iis, qui in honoribus reque publica versantur. Ubi enim istum invenias, qui honorem amici anteponat suo? Quid? haec ut omittam, quam graves, quam difficiles plerisque videntur calamitatum societates! ad quas non est facile inventu qui descendant. Quamquam Ennius recte:

Amicus certus in re incerta cernitur,

tamen haec duo levitatis et infirmitatis plerosque convincunt, aut si in bonis rebus contemnunt aut in malis deserunt. Qui igitur utraque in re gravem, constantem, stabilem se in amicitia praestiterit, hunc ex maxime raro genere hominum iudicare debemus et paene divino. XVIII. 65. Firmamentum autem stabilitatis constantiaeque est eius, quam in amicitia quaerimus, fides. Nihil est enim stabile, quod infidum est. Simplicem praeterea et communem et consentientem, id est, qui rebus isdem moveatur, eligi par est, quae omnia pertinent ad fidelitatem. Neque enim fidum potest esse multiplex ingenium et tortuosum, neque vero, qui non eisdem rebus movetur naturaque consentit, aut fidus aut stabilis potest esse. Addendum eodem est, ut ne criminibus aut inferendis delectetur aut credat oblatis, quae pertinent omnia ad eam, quam iam dudum tracto, constantiam. Ita fit verum illud, quod initio dixi, amicitiam nisi inter bonos esse non posse. Est enim boni viri, quem eundem sapientem licet dicere, haec duo tenere in amicitia: primum, ne quid fictum sit neve simulatum; aperte enim vel odisse magis ingenui est quam fronte occultare sententiam: deinde non solum ab aliquo adlatas criminationes repellere, sed ne ipsum quidem esse suspiciosum [semper aliquid existimantem ab amico esse violatum]. 66. Accedat huc suavitas quaedam oportet sermonum atque morum, haud quaquam mediocre condimentum amicitiae. Tristitia autem et in omni re severitas habet illa quidem gravitatem, sed amicitia remissior esse debet et liberior et dulcior et ad omnem comitatem facilitatemque proclivior.

XIX. 67. Existit autem hoc loco quaedam quaestio subdifficilis, num quando amici novi, digni amicitia, veteribus sint anteponendi, ut equis vetulis teneros anteponere solemus. Indigna homine dubitatio! Non enim debent esse amicitiarum, sicut aliarum rerum satietates: veterrima quaeque, ut ea vina, quae vetustatem ferunt, esse debet suavissima, verumque illud est, quod dicitur, multos modios salis simul

---

1. *in his* BGSV — 2. *rei publicae* D — *enim iustum* B — 3. *amici* om. B — *omitam* G — 5. *descendant* BEGSV: *descendat* D(?)O — 8. *in re utraque* D — 9. *se amicicia* S — *ex*] *et* BS[1]V, in G *ex* post *maxime* suprascr. est — 10. *hom. genere* O — *bene* V — 11. *stabilitas* G[1] — *constantiaeque eius -- fides est* O — 12. *est enim stab.* DEG: *enim est stab.* BSV, *enim stab. est* O — *infidum est* C: *est* om. O — 13. *id est* BDGS: *idem* EV, om. O — *qui in* D — 14. *isdem* G[1]V: *hisdem* BDG[2]S, *eisdem* EO — 15. *et tortuosum ingenium* BSV — 17. *eodem* om. B — 18. *pertinent omnia* BDEGV: *omnia pertinent* SO — 20. *ni* V — 21. *dicere licet* BSV — 22. *primum* om. S — 23. *ingenuum* SV, *ingenium* B — 24. *suspiciosum esse* E — 25. *semper -- esse violatum* cum Ruhnkenio et Beiero ut glossema inclusimus; v. Schneidewini Philol. V, 754 — 26. *hautquaquam* BS, om. V — 28. *illa habet quidem* S — 33. *dubitatio homine* E solus ex meis — 34. *debent esse amicitiarum* DEG: *amicitiarum debent esse* O; *debet esse amicitiarum -- satietas* BSV — 35. *uetustitatem* S — *esse debet* Madvig cum Beiero: *esse debent esse* S, *debent esse* E, *esse debent* BDGVO; v. Madvigii Opusc. II, 284 sq. — 36. *est illud* B — *simul* om. S.

edendos esse, ut amicitiae munus expletum sit. 68. Novitates autem, si spem adferunt ut tamquam in herbis non fallacibus fructus appareat, non sunt illae quidem repudiandae, vetustas tamen suo loco conservanda; maxima est enim vis vetustatis et consuetudinis. Quin etiam in ipso equo, cuius modo feci mentionem, si nulla res impediat, nemo est qui non eo, quo consuevit, libentius utatur quam intractato et novo; nec vero in hoc, quod est animal, sed in iis etiam, quae sunt inanima, consuetudo valet, cum locis ipsis delectemur, montuosis etiam et silvestribus, in quibus diutius commorati sumus.

69. Sed maximum est in amicitia parem esse inferiori; saepe enim excellentiae quaedam sunt, qualis erat Scipionis in nostro, ut ita dicam, grege. Numquam se ille Philo, numquam Rupilio, numquam Mummio anteposuit, numquam inferioris ordinis amicis. Quintum vero Maximum fratrem, egregium virum omnino, sibi nequaquam parem, quod is anteibat aetate, tamquam superiorem colebat suosque omnes per se esse ampliores volebat. 70. Quod faciendum imitandumque est omnibus, ut, si quam praestantiam virtutis, ingenii, fortunae consecuti sunt, impertiant ea suis communicentque cum proximis; ut, si parentibus nati sint humilibus, si propinquos habeant inbecilliores vel animo vel fortuna, eorum augeant opes eisque honori sint et dignitati: ut in fabulis, qui aliquamdiu propter ignorationem stirpis et generis in famulatu fuerunt, cum cogniti sunt et aut deorum aut regum filii inventi, retinent tamen caritatem in pastores, quos patres multos annos esse duxerunt. Quod est multo profecto magis in veris patribus certisque faciendum. Fructus enim ingenii et virtutis omnisque praestantiae tum maximus capitur, cum in proximum quemque confertur.

XX. 71. Ut igitur ii, qui sunt in amicitiae coniunctionisque necessitudine superiores, exaequare se cum inferioribus debent, sic inferiores non dolere se a suis aut ingenio aut fortuna aut dignitate superari. Quorum plerique aut queruntur semper aliquid aut etiam exprobrant, eoque magis, si habere se putant quod officiose et amice et cum labore aliquo suo factum queant dicere: odiosum sane genus hominum officia exprobrantium, quae meminisse debet is, in quem collata sunt, non

---

2. *in uerbis* BS — 3. *loco suo* BDSV — 4. *enim est* BSV, *enim* om. E[1] — *quin etiam in ipso* Klotz: *quin et in ipso* BEGSV (sed *quin et* E in ras.), *atqui in ipso* D, *quin ipso* O — 5. *mentionem feci* EO — *qui non eo* BSV: *qui non equo* G, *quin eo* DE — 6. *intrectato* D, *intracto* V[1] — 7. *in hoc tantum quod* DE — *in his* BGSV — *inanimata* BV[2] — 8. *cum*] *quin* BGSV (in G etiam *qum* legere possis), *qui in* E, *qui* coni. Wesenberg emend. Tuscul. II, p. 1 — *delectamur* E — 10. *parem* EG: *superiorem parem* (*partem* B) BSVO, D *superiorem* post *inferiori* habet — *inferiorem* B, sed corr. in marg. — *saepe etiam* E — 11. *qua uel erat* E — 12. *ille se* DS — *filo* G — *rupilio* S[1]: *rutilio* BDEGS[2]V — *nummio* ES, *numio* B — 13. *uero* om. E — 14. *quos is* D — 15. *per se posse esse* C — 17. *cons. sint* BS — *impertient* E — 18. *nati sunt* D, ut videtur (est hic vitium in codd. indicibus apud Klotzium in edit. 1833) — 19. *inbecilliore* G[1] — 20. *ut in fabulis* -- *inuenti* Nonius p. 206 extr. — 21. *aliquandiu* BGS, Nonius, *aliquando* E — *ignoratiorem* B, *ignorantiã* S, sed litterae *ntiã* in rasura — *fuerunt* Madvig: *fuerint* CO — 22. *sunt inuenti* E, sed *sunt* punctatum — 23. *esse* om. E — *dixerunt* BGSV — 24. *est multo* C: *est* om. O — *profecto* om. D — *faciundum* E — 25. *permaximus* BSV — 27. *hi* BGSV — 29. *aut dignitate* -- *in homine fit* § 81 p. 634, 4 desunt in V, uno folio deperdito — 31. *si*] *sic* G — *habere amicitias se putant* S — 32. *dicere queant* BS — *odium* E — 33. *sunt* om. D.

commemorare qui contulit. 72. Quam ob rem, ut ii, qui superiores sunt, submittere se debent in amicitia, sic quodam modo inferiores se extollere. Sunt enim quidam, qui molestas amicitias faciunt, cum ipsi se contemni putant: quod non fere contingit nisi iis, qui etiam contemnendos se arbitrantur, qui hac opinione non modo verbis, sed etiam opere levandi sunt. 73. 'Tantum autem cuique tribuendum, primum, quantum ipse efficere possis, deinde etiam, quantum ille, quem diligas atque adiuves, sustinere. Non enim neque tu possis, quamvis excellas, omnes tuos ad honores amplissimos perducere, ut Scipio P. Rupilium potuit consulem efficere, fratrem eius Lucium non potuit. Quod si etiam possis quidvis deferre ad alterum, videndum est tamen quid ille possit sustinere. 74. Omnino amicitiae corroboratis iam confirmatisque et ingeniis et aetatibus iudicandae sunt, nec, si qui ineunte aetate venandi aut pilae studiosi fuerunt, eos habere necessarios, quos tum eodem studio praeditos dilexerunt. Isto enim modo nutrices et paedagogi iure vetustatis plurimum benevolentiae postulabunt: qui neglegendi quidem non sunt, sed alio quodam modo * *: aliter amicitiae stabiles permanere non possunt. Dispares enim mores disparia studia secuntur, quorum dissimilitudo dissociat amicitias, nec ob aliam causam ullam boni improbis, improbi bonis amici esse non possunt nisi quod tanta est inter eos, quanta maxima potest esse, morum studiorumque distantia. 75. Recte etiam praecipi potest in amicitiis, ne intemperata quaedam benevolentia, quod persaepe fit, impediat magnas utilitates amicorum. Nec enim, ut ad fabulas redeam, Troiam Neoptolemus capere potuisset, si Lycomedem, apud quem erat educatus, multis cum lacrimis iter suum impedientem audire voluisset. Et saepe incidunt magnae res, ut discedendum sit ab amicis: quas qui impedire vult, quod desiderium non facile ferat, is et infirmus est mollisque natura et ob eam ipsam causam in amicitia parum iustus. 76. Atque in omni re considerandum est, et quid postules ab amico et quid patiare a te impetrari.

XXI. Est etiam quaedam calamitas in amicitiis dimittendis non numquam necessaria; iam enim a sapientium familiaritatibus ad vulgares amicitias oratio nostra delabitur. Erumpunt saepe vitia amicorum tum in ipsos amicos, tum in alienos, quorum tamen ad amicos redundet infamia. Tales igitur amicitiae sunt remissione usus eluendae et, ut

---

1. *hi* BDGS — 2. *inferiores se extollere* scripsi: *se* om. CO — 3. *sunt etiam qui* BS — *faciunt* om. S[1] — 4. *ferre* BS[1] — *contigit* BS — *his* BDGS — 7. *possit* G — 8. *neque tu* DG: *tu neque* E, *neque* om. BSO; cf. Madvig ad Cic. de finn. p. 805 — *quamuis* BDGS: *quantumuis* E, *quamvis licet* O, quae lectio nimium diu tolerata est — 9. *perducere ampliores* S — *rutilium* BDS — 11. *posses quiduis conferre* S — *est autem quid* D — 12 *iam* om. BS — 13. *et* om. E — 14. *fuerunt* C: *fuerint* O — 16. *beniuolentiae* BGS, ut semper — *inter se postulabunt* S — 17. *modo*] *modo est* DEGS, *modo et* B. Videtur hoc *est* ex *sunt* corruptum esse, postquam participium aliquod, velut *colendi*, cuius loco alii *amandi* vel *diligendi* maluerunt, intercidit. — 18. *quorum* DE: *eorum quorum* G, *eorum quoque* BS — 22. *in amicitias* BS[1] — *intemporata* G — *quaedam* om. BS — 23. *magnas util. am. impediat* D — 24. *noeptolemeus* S — *licomedem* G, *lycomonem* S[1] — 25. *aput* G — 26. *res magnae* E — *ab amicis sit* E — 27. *eo quod* BGS — 28. *et mollis* BDS — 29. *atqui* BS — 30. *patiere* BS — 31. *quaedam* C: *quasi quaedam* O — 32. *sapientum* BS — 33. *ratio* D — *dîlabitur* BDGS, sed B[1] *dilabatur* — 34. *redundat* E — 35. *rem. usus eluendae sunt* D.

Catonem dicere audivi, dissuendae magis quam discindendae, nisi quaedam ad modum intolerabilis iniuria exarserit, ut neque rectum neque honestum sit nec fieri possit ut non statim alienatio disiunctioque faciunda sit. 77. Sin autem aut morum aut studiorum commutatio quaedam, ut fieri solet, facta erit aut in rei publicae partibus dissensio intercesserit — loquor enim iam, ut paulo ante dixi, non de sapientium, sed de communibus amicitiis —, cavendum erit ne non solum amicitiae depositae, sed etiam inimicitiae susceptae videantur. Nihil enim est turpius quam cum eo bellum gerere, quocum familiariter vixeris. Ab amicitia Q. Pompei meo nomine se removerat, ut scitis, Scipio, propter dissensionem autem, quae erat in re publica, alienatus est a collega nostro Metello: utrumque egit graviter auctoritate et offensione animi non acerba. 78. Quam ob rem primum danda opera est ne qua amicorum discidia fiant: sin tale aliquid evenerit, ut extinctae potius amicitiae quam oppressae esse videantur. Cavendum vero ne etiam in graves inimicitias convertant se amicitiae, ex quibus iurgia, maledicta, contumeliae gignuntur. Quae tamen si tolerabiles erunt, ferundae sunt et hic honos veteri amicitiae tribuendus, ut is in culpa sit, qui faciat, non is, qui patiatur iniuriam.

Omnino omnium horum vitiorum atque incommodorum una cautio est atque una provisio, ut ne nimis cito diligere incipiant neve non dignos. 79. Digni autem sunt amicitia, quibus in ipsis inest causa cur diligantur. Rarum genus! et quidem omnia praeclara rara, nec quicquam difficilius quam reperire quod sit omni ex parte in suo genere perfectum. Sed plerique neque in rebus humanis quicquam bonum norunt nisi quod fructuosum sit, et amicos tamquam pecudes eos potissimum diligunt, ex quibus sperant se maximum fructum esse capturos. 80. Ita pulcherrima illa et maxime naturali carent amicitia per se et propter se expetita, nec ipsi sibi exemplo sunt, haec vis amicitiae et qualis et quanta sit. Ipse enim se quisque diligit, non ut aliquam a se ipso mercedem exigat caritatis suae, sed quod per se quisque sibi carus est. Quod nisi idem in amicitiam transferetur, verus amicus numquam reperietur; est enim is, qui est tamquam alter idem. 81. Quod si hoc apparet in bestiis, volucribus, nantibus, agrestibus, cicuribus, feris, primum ut se diligant

---

1. *disscindendae* G — 3. *neque fieri* BS — *facienda* DO — 4. *autem aut* C: *autem* O — *studiorum aut morum* E — 5. *in* om. E — 6. *loquar iam* E — *iam* om. S — *sapientum* S — 8. *dispositae* G — *inimicitiae etiam* O — *est* om. DO — 9. *quocum* BGS: *quicum* DEO — 10. *quinti* BGS — *Pompeii* O — 12. *auctoritate et* inclusit Madvig (Opusc. II, 287); sufficere videtur *auctoritate* obelo notare, quo vocabulo quidam illud *grauiter* voluisse videtur explicare. — 13. *quam ob rem* -- *uideantur* Nonius p. 440, 25 — *opera est* EG, Nonius: *est opera* BES — *ne quae* BS — 14. *dissidia* O — *pocius* G — *amicitiae* om. S¹ — 15. *obpressae uideantur* Nonius — *etiam ne* D — 16. *iuria* B — 17. *tollerabiles* G, *tolerabiliores* D — *ferundae* EG: *ferendae* BESO — 18. *honor* D — 20. *uitiorum horum* BGS — 21. *non dignos* DE: *indignos* BGS — 22. *quibus ipsis* E — 23. *et quidem*] *equidem* S — *rara praeclara* S, sed add. signis transpositionis — 24. *in genere suo* BS — 26. *deligunt* B (ex *dilegunt*?), *diligant* S — 28. *naturalia* S, corr. m. 2 in *naturabili* — *expetita* C: *expetenda* O — 29. *nec sibi ipsi* D, *nec ipsi nec sibi* B — *et qualis* nos: *est qualis* BGS, *qualis* DEO — 30. *a se ipso* G: *ipse a se* E, *a se ipse* BDSO — *exigat mercedem* D — 31. *quisque sibi c.* BGS: *sibi quisque c.* EO, *quisque carus sibi* D — 32. *transferretur* B — *numquam amicus* E — *reperiretur* D — 33. *qui est* C: *quidem* O — 34. *cucuribus* E — *se diligant* BGS: *ipsae se dil.* E, *se dil. ipsae* D, *se ipsae dil.* O.

— id enim pariter cum omni animante nascitur —, deinde ut requirant atque adpetant, ad quas se adplicent eiusdem generis animantis, idque faciunt cum desiderio et cum quadam similitudine amoris humani, quanto id magis in homine fit natura, qui et se ipse diligat et alterum anquirat, cuius animum ita cum suo misceat, ut efficiat paene unum ex duobus.

XXII. 82. Sed plerique perverse, ne dicam inpudenter, talem amicum habere volunt, quales ipsi esse non possunt, quaeque ipsi non tribuunt amicis, haec ab iis desiderant. Par est autem primum ipsum esse virum bonum, tum alterum similem sui quaerere. In talibus ea, quam iam dudum tractamus, stabilitas amicitiae confirmari potest, cum homines benevolentia coniuncti primum cupiditatibus iis, quibus ceteri serviunt, imperabunt, deinde aequitate iustitiaque gaudebunt omniaque alter pro altero suscipiet neque quicquam umquam nisi honestum et rectum alter ab altero postulabit, neque solum colent inter se ac diligent, sed etiam verebuntur. Nam maximum ornamentum amicitiae tollit, qui ex ea tollit verecundiam. 83. Itaque in iis perniciosus est error, qui existimant libidinum peccatorumque omnium patere in amicitia licentiam. Virtutum amicitia adiutrix a natura data est, non vitiorum comes, ut, quoniam solitaria non posset virtus ad ea, quae summa sunt, pervenire, coniuncta et consociata cum altera perveniret. Quae si quos inter societas aut est aut fuit aut futura est, eorum est habendus ad summum naturae bonum optimus beatissimusque comitatus. 84. Haec est, inquam, societas, in qua omnia insunt, quae putant homines expetenda, honestas, gloria, tranquillitas animi atque iucunditas, ut et cum haec adsint beata vita sit et sine his esse non possit. Quod cum optimum maximumque sit, si id volumus adipisci, virtuti opera danda est, sine qua nec amicitiam neque ullam rem expetendam consequi possumus: ea vero neglecta qui se amicos habere arbitrantur, tum se denique errasse sentiunt, cum eos gravis aliquis casus experiri cogit. 85. Quocirca — dicendum est enim saepius — cum iudicaveris, diligere oportet, non, cum dilexeris, iudicare. Sed cum multis in rebus neglegentia plectimur, tum maxime in amicis et diligendis et colendis; praeposteris enim utimur consiliis et acta agimus, quod vetamur vetere proverbio. Nam implicati ultro et citro vel usu diuturno vel etiam

---

1. *id pariter enim* D — *amante* G — 2. *animantes* DEO — 3. *faciunt desiderio* S — 4. *fit* E, ut videtur: *sit* DGS, *est* B, haud scio an recte — *natura*] hic rursus incipit V — *se ipsum* E — *diligat* G: *diligit* BDESVO — 5. *anquirat* G: *anquirit* ESVO, *aquirit* B, *inquirit* D — *pene* G — 7. *imprudenter* D — *talem amicum habere* BDGSV: *talem habere amicum* E, *amicum habere talem* O — 8. *ipsi non*] *iam non* BV, *iam* S — 9. *his* BGSV, *ipsis* E — *ipsum* om. BGSV, *ipsum primum* D — 11. *quam dudum* B, *quae diu* E — *tractauimus* D — 12. *his* BGS — 14. *alter ab altero* BG¹S¹V — *rectum et honestum* BSV — 15 *neque enim solum* S — 17. *ueracundiam* G — *in his* BGSV — *pernitiosus* G — 18. *libidinem* DEG — *peccatorum* E — 20. *possel esse* D — 21. *per coniuncta* G — *si inter quos* D, *si quos inter se* E — 23. *naturae* om. S — 24. *inquam* om. V — *sunt* E — 25. *iocunditas* G — 26. *assint* BEGSV — 28. *nec ullam* D — 29. *possimus* G, *possemus* S (u *superscr.*) — 30. *erasse* G — *grauius* BSV¹ — *cogit experiri* BSV — 31. *enim* om. BSV — *iudicaris* D — 33. *diligendis* C: *deligendis* O; v. ad § 60. — 34. *uetamur* G corr. ex *utamur* — *uetere* EGV: *ueteri* BDS.

officiis repente in medio cursu amicitias exorta aliqua offensione disrumpimus.

XXIII. 86. Quo etiam magis vituperanda est rei maxime necessariae tanta incuria. Una est enim amicitia in rebus humanis, de cuius utilitate omnes uno ore consentiunt: quamquam a multis virtus ipsa contemnitur et venditatio quaedam atque ostentatio esse dicitur. Multi divitias despiciunt, quos parvo contentos tenuis victus cultusque delectat; honores vero, quorum cupiditate quidam inflammantur, quam multi ita contemnunt, ut nihil inanius, nihil esse levius existiment: itemque cetera, quae quibusdam admirabilia videntur, permulti sunt qui pro nihilo putent. De amicitia omnes ad unum idem sentiunt, et ii, qui ad rem publicam se contulerunt, et ii, qui rerum cognitione doctrinaque delectantur, et ii, qui suum negotium gerunt otiosi, postremo ii, qui se totos tradiderunt voluptatibus, sine amicitia vitam esse nullam, si modo velint aliqua ex parte liberaliter vivere. 87. Serpit enim nescio quo modo per omnium vitas amicitia nec ullam aetatis degendae rationem patitur esse expertem sui. Quin etiam si quis asperitate ea est et inmanitate naturae, congressus ut hominum fugiat atque oderit, qualem fuisse Athenis Timonem nescio quem accepimus, tamen is pati non possit, ut non anquirat aliquem, apud quem evomat virus acerbitatis suae. Atque hoc maxime iudicaretur, si quid tale posset contingere, ut aliquis nos deus ex hac hominum frequentia tolleret et in solitudine uspiam collocaret atque ibi subpeditans omnium rerum, quas natura desiderat, abundantiam et copiam hominis omnino aspiciendi potestatem eriperet. Quis tam esset ferreus qui eam vitam ferre posset cuique non auferret fructum voluptatum omnium solitudo? 88. Verum ergo illud est, quod a Tarentino Archyta, ut opinor, dici solitum nostros senes commemorare audivi ab aliis senibus auditum: si quis in caelum ascendisset naturamque mundi et pulchritudinem siderum perspexisset, insuavem illam admirationem ei fore, quae iucundissima fuisset, si aliquem cui narraret habuisset. Sic natura solitarium nihil amat semperque ad aliquod tamquam adminiculum adnititur, quod in amicissimo quoque dulcissimum est.

XXIV. Sed cum tot signis eadem natura declaret quid velit, anquirat, desideret, tamen obsurdescimus nescio quo modo nec ea, quae ab ea monemur, audimus. Est enim varius et multiplex usus amicitiae multaeque causae suspicionum offensionumque dantur, quas tum evitare,

---

1. *disrumpimus* DG: *disrumpemus* S, *disrumpamus* V, *dirumpamus* B, *dirumpimus* EO — 5. *quamquam* om. Madvig (Opusc. II, 285), post *consentiunt* puncto posito — *ipsa uirtus* O — 7. *spernunt* E — 11. *putant* BSV — *ad unum diem* BS[1], *idem* om V — *ii*] *hi* quater BGSV, bis D — 12. *contulerint* SV — 13. *ociosi* G — 14. *tradiderint* D — *nullam* DE: *nullam sentiunt* BGSV, sed *nullam* S in marg. — 17. *ea asperitate* O — 20. *acquirat* E, *inquirat* D — 21. *iudicare* E — *possit* C — 27. *terentiano* G — *archita* GV — 28. *naturam* BS[1]V — 29. *pulcritudinem* BG[1] — 30. *nisi aliqui* B — *tunc cui* E — *narrare non hab.* D, *narraret ñ hab.* S, sed *ñ* in rasura m. 2; *narret hab.* G add. sup. lin. *non* — 31. *nihil amat solitarium* BSV — *semper* E — *aliquid* D — 32. *amminiculum* BSV — *quoque* om. S — 34. *natura* om. E — *declarat* DSV — *quod* DV — *acquirat* E, *inquirat* D — 35. *tamen obsurdescimus* C (sed S *obsordescimus*, B *absurdescimus*): *obsurd. tamen* O — 36. *mouemur* D — 37. *quas cum* BV.

tum elevare, tum ferre sapientis est. Una illa subeunda est offensio, ut et utilitas in amicitia et fides retineatur; nam et monendi amici sunt saepe et obiurgandi, et haec accipienda amice, cum benevole fiunt. 89. Sed nescio quo modo verum est, quod in Andria familiaris meus dicit:

Obsequium amicos, veritas odium parit.

Molesta veritas, si quidem ex ea nascitur odium, quod est venenum amicitiae, sed obsequium multo molestius, quod peccatis indulgens praecipitem amicum ferri sinit. Maxima autem culpa in eo, qui et veritatem aspernatur et in fraudem obsequio inpellitur. Omni igitur hac in re habenda ratio et diligentia est, primum ut monitio acerbitate, deinde ut obiurgatio contumelia careat. In obsequio autem, quoniam Terentiano verbo lubenter utimur, comitas adsit, adsentatio, vitiorum adiutrix, procul amoveatur, quae non modo amico, sed ne libero quidem digna est; aliter enim cum tyranno, aliter cum amico vivitur. 90. Cuius autem aures clausae veritati sunt, ut ab amico verum audire nequeat, huius salus desperanda est. Scitum est enim illud Catonis, ut multa: melius de quibusdam acerbos inimicos mereri, quam eos amicos, qui dulces videantur: illos verum saepe dicere, hos numquam. Atque illud absurdum, quod ii, qui monentur, eam molestiam, quam debent capere, non capiunt, eam capiunt, qua debent vacare. Peccasse enim se non anguntur, obiurgari moleste ferunt: quod contra oportebat, delicto dolere, correctione gaudere.

XXV. 91. Ut igitur et monere et moneri proprium est verae amicitiae et alterum libere facere, non aspere, alterum patienter accipere, non repugnanter, sic habendum est nullam in amicitiis pestem esse maiorem quam adulationem, blanditiam, adsentationem: quamvis enim multis nominibus est hoc vitium notandum levium hominum atque fallacium, ad voluntatem loquentium omnia, nihil ad veritatem. 92. Cum autem omnium rerum simulatio vitiosa est — tollit enim iudicium veri idque adulterat —, tum amicitiae repugnat maxime; delet enim veritatem, sine qua nomen amicitiae valere non potest. Nam cum amicitiae vis sit in eo, ut unus quasi animus fiat ex pluribus, qui id fieri poterit, si ne in uno quidem quoque unus animus erit idemque semper, sed varius, commutabilis, multiplex? 93. Quid enim potest esse tam

---

1. *tum eluere* V — *subeunda* Facciolati et Madvig (Opusc. II, 285): *in subleuandā* G[1], *in subleuando* BS, *tollenda* V[2] in rasura, *subleuanda* DEG[2]O — *est offensio* BEGSV: *off. est* DO — 2. *utilitas* C: *veritas* O — *amici sunt saepe* G: *sunt saepe amici* BSV, *amici saepe sunt* DEO — 3. *et saepe accipienda sunt amice* S — *beniuole* BGSV, ut fere semper — 7. *quidem*] *quale* S[1] — 9. *animum* D — *fieri sinit* BGV, *sinit fieri* S — 10. *omni* C: *omnis* O — 11. *acerbitate. et obiurgatio* S — 12. *terenciano* G — 13. *libenter* BSV — *comitas* E, sed sup. lin., *comes ueritas -- assit* BGS — 14. *moueatur* G — *ne* G sup. lin. — 15. *enim*] *autem* S — *aliter cum amico -- nequeat* om. V — 16. *veritati clausae* O — *audire uerum* D — 17. *catonis multo melius* BSV — 19. *saepe uerum* E — 20. *hi* BDGSV — *mouentur* S — 21. *non se anguntur* BGSV — 22. *quo* V — 23. *corrigatione* E — 24. *amicitiae uerae* G — 25. *pacienter accipire* G — 26. *amiciis* S — 27. *maiorem esse* BSV — *bladitiam* G, *blandicias* V — *enim* om. E — 28. *hoc officium* B — *leuium tamen* B — *fallatium* GV — 29. *ad uoluntatem* S: *ad uoluptatem* BDEGV — *ad ueritatem* G in marg. — 30. *est vitiosa* O — 31. *idque*] *atque* E — 33. *quasi amicus* G — *qui id*] *quid* GV, *qui* BS — 34. *sin in uno* V — 35. *sed*] *sit* E (ex *set*).

flexibile, tam devium quam animus eius, qui ad alterius non modo sensum ac voluntatem, sed etiam vultum atque nutum convertitur?

> Negat quis, nego: ait, aio: postremo imperavi egomet mihi
> Omnia adsentari,

ut ait idem Terentius, sed ille in Gnathonis persona, quod amici genus adhibere omnino levitatis est. 94. Multi autem Gnathonum similes cum sint loco, fortuna, fama superiores, horum est adsentatio molesta, cum ad vanitatem accessit auctoritas. 95. Secerni autem blandus amicus a vero et internosci tam potest adhibita diligentia quam omnia fucata et simulata a sinceris atque veris. Contio, quae ex imperitissumis constat, tamen iudicare solet, quid intersit inter popularem, id est adsentatorem et levem civem, et inter constantem et severum et gravem. 96. Quibus blanditiis C. Papirius nuper influebat in aures contionis, cum ferret legem de tribunis plebis reficiendis! Dissuasimus nos: sed nihil de me, de Scipione dicam libentius. Quanta illa, di inmortales, fuit gravitas, quanta in oratione maiestas! ut facile ducem populi Romani, non comitem diceres. Sed adfuistis et est in manibus oratio. Itaque lex popularis suffragiis populi repudiata est. Atque, ut ad me redeam, meministis Q. Maximo fratre Scipionis et L. Mancino consulibus, quam popularis lex de sacerdotiis C. Licini Crassi videbatur: cooptatio enim collegiorum ad populi beneficium transferebatur. Atque is primus instituit in forum versus agere cum populo: tamen illius vendibilem orationem religio deorum inmortalium nobis defendentibus facile vincebat. Atque id actum est praetore me, quinquennio ante quam consul sum factus. Ita re magis quam summa auctoritate causa illa defensa est.

XXVI. 97. Quod si in scaena, id est in contione, in qua rebus fictis et adumbratis loci plurimum est, tamen verum valet, si modo id patefactum et inlustratum est, quid in amicitia fieri oportet, quae tota veritate perpenditur? in qua nisi, ut dicitur, apertum pectus videas tuumque ostendas, nihil fidum, nihil exploratum habeas, ne amare quidem aut amari, cum id quam vere fiat ignores. Quamquam ista adsentatio, quamvis perniciosa sit, nocere tamen nemini potest nisi ei, qui eam recipit atque ea delectatur. Ita fit ut is adsentatoribus patefaciat aures suas maxime, qui ipse sibi adsentetur et se maxime ipse delectet. 98. Omnino est amans sui virtus; optume enim se ipsa novit quamque

---

6. *in* C: *sub* O — *gnatonis* BGV — 7. *gnatonum* BGSV — 8. *fama fortuna* D — 9. *acessit* G, *accesserit* S — 10. *fuc. et similata* G¹, *simulata atque fuc.* D — 11. *a ueris atque sinceris* BSV — *concio* GO, item v. 14 *concionis* — *quae in expertissimis* E — 13. *et severum* BSV: *seuerum* DEGO, *id est severum* Klotz — 14. *blandiciis* G — *paparius* B — 16. *lubentius* BS — *illa* DG: *illi* BESVO, quod si voluisset Cicero, *ei*, opinor, scripsisset — *o dii* V — 17. *romani populi* D — 20. *Q.* om. E — *mantino* G, *mantio* B — *consule* S — 21. *C.* om. EG, sed in G rasura videtur deletum — *licini* EG: *lucinii* S, *licinii* BDVO — *grassi* BSV — *iubebatur* BS, *tradita uidebatur* D — *coaptatio* C — *collegeorum* G¹ — 22. *primum* E — *foro* V — 23. *tam illius* V — *relligio* G — 25. *praet. me*] *p. r. me* G (sed *per* ante *me* sup. lin.), *per me* BDESV — *factus sum* G, sed *sum* sup. lin. — 26. *summa* C: om. O — 27. *scena* GO, *scāna* BSV, *scamna* DE — *contentione* G — 28. *umbratis* G — *plurimum* G corr. ex *primum* — 29. *quod in* D — 31. *nil fidum* BSV — 33. *quamvis* om. V — *eam qui* E — 34. *ea* C: *in ea* O; cf. Madvig ad Cic. de finn. p. 82 — 35. *assentitur* D — *ipse* om. E — 36. *omnino est enim* D — *quamquam* BE.

amabilis sit intellegit: ego autem non de virtute nunc loquor, sed de virtutis opinione. Virtute enim ipsa non tam multi praediti esse quam videri volunt. Hos delectat adsentatio, his fictus ad ipsorum voluntatem sermo cum adhibetur, orationem illam vanam testimonium esse laudum suarum putant. Nulla est igitur haec amicitia, cum alter verum audire non vult, alter ad mentiendum paratus est. Nec parasitorum in comoediis adsentatio faceta nobis videretur, nisi essent milites gloriosi.

Magnas vero agere gratias Thais mihi?

Satis erat respondere magnas: ingentes, inquit. Semper auget adsentator id, quod is, cuius ad voluntatem dicitur, vult esse magnum. 99. Quam ob rem, quamquam blanda ista vanitas apud eos valet, qui ipsi illam adlectant et invitant, tamen etiam graviores constantioresque admonendi sunt, ut animadvertant ne callida adsentatione capiantur. Aperte enim adulantem nemo non videt, nisi qui admodum est excors: callidus ille et occultus ne se insinuet studiose cavendum est. Nec enim facillime agnoscitur, quippe qui etiam adversando saepe adsentetur et litigare se simulans blandiatur atque ad extremum det manus vincique se patiatur, ut is, qui illusus sit, plus vidisse videatur. Quid autem turpius quam illudi? Quod ut ne accidat magis cavendum est:

Ut me hodie ante omnes comicos stultos senes
Versaris atque elusseris lautissime.

100. Haec enim etiam in fabulis stultissima persona est inprovidorum et credulorum senum. Sed nescio quo pacto ab amicitiis perfectorum hominum, id est sapientium — de hac dico sapientia, quae videtur in hominem cadere posse —, ad leves amicitias defluxit oratio. Quam ob rem ad illa prima redeamus eaque ipsa concludamus aliquando.

XXVII. Virtus, inquam, C. Fanni, et tu, Q. Muci, et conciliat amicitias et conservat. In ea est enim convenientia rerum, in ea stabilitas, in ea constantia: quae cum se extulit et ostendit suum lumen et idem adspexit agnovitque in alio, ad id se admovet vicissimque accipit illud, quod in altero est, ex quo exardescit sive amor sive amicitia. Utrumque enim dictum est ab amando; amare autem nihil est aliud nisi eum

---

2. *ipsa* om. D — 4. *cum sermo* BSV — 6. *parastitorum* G — *comediis* BS — 7. *faceta nobis* C (sed DG² *facta*): [*nobis*] *faceta* O — *ni essent* BS — *gloriosi erat* G, in quo *erat* ante *respondere* (v. 9) deest — 8. *agebat gratias* E, *gratias agere* D, *gratias ingentes agere* G — 9. *inquid* GV — 10. *quod cuius ad* B, *quod is ad cuius* S — *uult* S in marg. — 11. *quamquam - - ualet* C: *quamvis - - valeat* O — 13. *animaduertant* C: *animum advertant* O — 14. *excors est* G — 16. *facile* BSV — *assentatur* BSV — 17. *litigasse simulans* DG, sed in G *se* add. sup. lin.; *litigare simulans* E — 18. *illesus* G (v sup.) — malim *est* — *uicisse* BS — 19. *qua* V — *ut ne* C: *ne* O — *magis* BGESV: om. DO — 20. *ut me hodie* C: *ut in Epiclero: Hodie me* O; malim *Tu me hodie* — *coamicos* BDGSV — 21. *elusseris* scripsi: *iusseris* G, *ut iusseris* BDESV, *uixeris* var. lect. in V; *emunxeris* edd. recc. cum Bentleio ad Hor. A. P. 96. De duplici *s* in *elusseris* v. Quintil. I, 7, 20 — 22. *in fabulis etiam* G — 24. *sapientum* BS — *dico* om. D — 25. *defluxit* C: *deflexit* O, ut habet ex meis cod. Hildesh. — 27. *uirtus* DGS: *uirtus, uirtus* BEVO — *tu o Q.* V — 28. *enim* om. B — 29. *quaecumque se* E — *suum lumen* C: *lumen suum* O — 30. *asspexit* G — *et agnouit* BSV — 31. *ex quo eorum* dett. pauci — *ardescit* BGS — 32. *ductum* DE — *aliud est* O.

ipsum diligere quem ames, nulla indigentia, nulla utilitate quaesita: quae tamen ipsa ecflorescit ex amicitia, etiam si tu eam minus secutus sis. 101. Hac nos adulescentes benevolentia senes illos L. Paulum, M. Catonem, C. Gallum, P. Nasicam, Ti. Gracchum, Scipionis nostri socerum, dileximus: haec etiam magis elucet inter aequales, ut inter me et Scipionem, L. Furium, P. Rupilium, Sp. Mummium: vicissim autem senes in adulescentium caritate adquiescimus, ut in vestra, ut in Q. Tuberonis; equidem etiam admodum adulescentis P. Rutilii, A. Verginii familiaritate delector. Quoniamque ita ratio comparata est vitae naturaeque nostrae, ut alia aetas oriatur, maxime quidem optandum est ut cum aequalibus possis, quibuscum tamquam e carceribus emissus sis, cum isdem ad calcem, ut dicitur, pervenire. 102. Sed quoniam res humanae fragiles caducaeque sunt, semper aliqui anquirendi sunt quos diligamus et a quibus diligamur; caritate enim benevolentiaque sublata omnis est e vita sublata iucunditas. Mihi quidem Scipio, quamquam est subito ereptus, vivit tamen semperque vivet; virtutem enim amavi illius viri, quae extincta non est. Nec mihi soli versatur ante oculos, qui illam semper in manibus habui, sed etiam posteris erit clara et insignis. Nemo umquam animo aut spe maiora suscipiet qui sibi non illius memoriam atque imaginem proponendam putet. 103. Equidem ex omnibus rebus, quas mihi aut fortuna aut natura tribuit, nihil habeo quod cum amicitia Scipionis possim comparare. In hac mihi de re publica consensus, in hac rerum privatarum consilium, in eadem requies plena oblectationis fuit. Numquam illum ne minima quidem re offendi, quod quidem senserim, nihil audivi ex eo ipse quod nollem, una domus erat, idem victus isque communis, neque solum militia, sed etiam peregrinationes rusticationesque communes. 104. Nam quid ego de studiis dicam cognoscendi semper aliquid atque discendi, in quibus remoti ab oculis populi omne otiosum tempus contrivimus? Quarum rerum recordatio et memoria si una cum illo occidisset, desiderium coniunctissimi atque amantissimi viri ferre nullo modo possem. Sed nec illa extincta sunt alunturque potius et augentur cogitatione et memoria mea, et, si illis plane orbatus essem, magnum tamen adferret mihi aetas ipsa sola-

---

2. *exflorescit* BEGSV, *efflor.* DO — 4. *gallium* E — *Tib.* G, *titum* BES, *titum nascum* (sic) V — *graccum* BGSV — 5. *dilexerimus* BS¹V — *etiam* om. G — 6. *L.*] *uel* D — *spurcum* E — *nummium* BESV — 7. *in* (post *senes*) G sup. lin. — *ut in nostra* G (ex *uostra*), om. S — 8. *et quidem* E — *etiam* om. S — *rutili* E, *rupilii* BSV — *A.* om. BSV — *Virginii* DO — 9. *quoniam quae* E — *est* om. D — 10. *ut alia aetas oriatur* C: *ut alia aetas oriatur ex alia* O, *ut alia ex alia aetas or.* coni. Orelli; cf. Seyffert ad h. l. — *maxume* V — 12. *hisdem* G, *eisdem* O — *peruenias* G — 13. *semperque* BDS — *aliqui* S in marg. — *adquirendi* G, *acquirendi* S, *inquirendi* DE — *uere quos* BS, *fere quos* V — 14. *enim*] *autem* S — 15. *est omnis* D — *est sublata e uita* E, *e uita subl. est* S — 16. *semperque uiuit* D — 17. *nec enim mihi* S — *uersatur*] *manet* S¹ — 20. *ac imaginem* S — *praeponendam* E — *esse putet* E, *sed esse putet* G, in quo *sed* ex *scil.* ortum videtur — 24. *delectationis* E — *numquam quidem illum nec minima re* BSV — 25. *nihil enim* DE — *ab eo* S — 26. [*erat*] O — *isdemque communis neque militia solum* E — 27. *ego* om. S — 28. *semper aliquid cognoscendi* E — *aut discendi* BDS — 31. *nullo modo ferre* BSV, *ferre non* E — *potuissem* S — 32. *alunturque* C: *aluntur* O — *mea* DEG: *mei* BSV, om. O — 33. *multum tamen* S — *affert* DEG — *solamen* E.

cium; diutius enim iam in hoc desiderio esse non possum. Omnia autem brevia tolerabilia esse debent, etiam si magna sunt.

Haec habui de amicitia quae dicerem: vos autem hortor ut ita virtutem locetis, sine qua amicitia esse non potest, ut ea excepta nihil amicitia praestabilius putetis.

1. *iam enim* S — *possem* B — 2. *tollerabilia* G, *tolerabiliora* D — *sint* E — 5. *amicitia* om. B — *praestolabilius* E — *esse putetis* DE — *EXPLICIT LIB̄ MARTII. T. C. DE AMICICIA. ITEM PRO REGE DEIOTARO* G; *EXPLIC̄. DE AMICICIA* B; *FINIT* S; *M. TVLLII CICERONIS LAELIVS DE AMICITIA* V.

M. TULLII CICERONIS

DE OFFICIIS

AD

MARCUM FILIUM

LIBRI TRES.

RECOGNOVIT IO. GEORGIUS BAITERUS.

NOTARUM INDEX.

A = cod. Ambrosianus C. 29. part. inf. membranaceus saec. X. Contuli ipse I §§ 1—137 et III §§ 95—121. Ne totum excuterem prohibuit summa eius cum codice Bernensi b convenientia.

B = cod. Bambergensis M. V, 1 (apud Jaeckium n. 127.) membran. saec. X. Excussus est ab Halmio. Hic quoque codex, satis eleganter scriptus, simillimus est veteri Bernensi b, sed illo paulo emendatior.

H = cod. Herbipolitanus s. Wuerzeburgensis Mp. f. 1. saec. X. Contulit Halmius.

abc = codices Bernenses n. 514 (saec. X), n. 391 (saec. X), n. 104 (saec. XIII) a me post L. Usterium denuo, neque id frustra, collati.

p = cod. Palatinus n. 1531 (Palatinus primus Gruteri), saec. XII. Contulit I §§ 152—161 et II §§ 61—71 et III §§ 65—72 Georgius Thilo, II §§ 69—90 Leopoldus Schmidt. Quas praeterea lectiones ex hoc codice passim attuli, eas ex Gruteri editione excerpsi.

C = codices mei (ABHabc) omnes.

o = editio Orelliana.

LIBER PRIMUS.

I. 1. Quamquam te, Marce fili, annum iam audientem Cratippum idque Athenis abundare oportet praeceptis institutisque philosophiae propter summam et doctoris auctoritatem et urbis, quorum alter te scientia augere potest, altera exemplis, tamen, ut ipse ad meam utilitatem semper cum Graecis Latina coniunxi neque id in philosophia

M. Tullii Ciceronis de officiis liber primus (s. I) incipit ABHb; inscriptione carent ac; *Libros officiorum* hos libros vocat Lactantius Institut. divin. III, 13. *officiales libros* idem VI, 11 et 18. — 2. *oporteat* B — 4. *alter exemplis* b.

solum, sed etiam in dicendi exercitatione feci, idem tibi censeo faciendum, ut par sis in utriusque orationis facultate. Quam quidem ad rem nos, ut videmur, magnum attulimus adiumentum hominibus nostris, ut non modo Graecarum litterarum rudes, sed etiam docti aliquantum se arbitrentur adeptos et ad dicendum et ad iudicandum. 2. Quam ob rem disces tu quidem a principe huius aetatis philosophorum et disces quam diu voles; tam diu autem velle debebis, quoad te quantum proficias non paenitebit. Sed tamen nostra legens non multum a Peripateticis dissidentia, quoniam utrique Socratici et Platonici volumus esse, de rebus ipsis utere tuo iudicio — nihil enim impedio —, orationem autem Latinam efficies profecto legendis nostris pleniorem. Nec vero hoc arroganter dictum existimari velim; nam philosophandi scientiam concedens multis, quod est oratoris proprium, apte, distincte, ornate dicere, quoniam in eo studio aetatem consumpsi, si id mihi assumo, videor id meo iure quodam modo vindicare. 3. Quam ob rem magno opere te hortor, mi Cicero, ut non solum orationes meas, sed hos etiam de philosophia libros, qui iam illis fere se aequarunt, studiose legas; vis enim maior in illis dicendi, sed hoc quoque colendum est aequabile et temperatum orationis genus. Et id quidem nemini video Graecorum adhuc contigisse, ut idem utroque in genere elaboraret sequereturque et illud forense dicendi et hoc quietum disputandi genus, nisi forte Demetrius Phalereus in hoc numero haberi potest, disputator subtilis, orator parum vehemens, dulcis tamen, ut Theophrasti discipulum possis agnoscere. Nos autem quantum in utroque profecerimus, aliorum sit iudicium, utrumque certe secuti sumus. 4. Equidem et Platonem existumo, si genus forense dicendi tractare voluisset, gravissime et copiosissime potuisse dicere et Demosthenem, si illa, quae a Platone didicerat, tenuisset et pronuntiare voluisset, ornate splendideque facere potuisse. Eodemque modo de Aristotele et Isocrate iudico, quorum uterque suo studio delectatus contempsit alterum.

II. Sed cum statuissem scribere ad te aliquid hoc tempore, multa posthac, ab eo ordiri maxime volui, quod et aetati tuae esset aptissimum et auctoritati meae. Nam cum multa sint in philosophia et gravia et utilia accurate copioseque a philosophis disputata, latissime patere videntur ea, quae de officiis tradita ab illis et praecepta sunt. Nulla enim vitae pars neque publicis neque privatis neque forensibus neque domesticis in rebus, neque si tecum agas quid, neque si cum altero contrahas, vacare officio potest, in eoque et colendo sita vitae est honestas omnis et neglegendo turpitudo. 5. Atque haec quidem quaestio

---

1. *item* Lambinus. — 5. *arbitrentur se aliquantulum* c — *discendum* C (etiam b) — 9. *Socratici* C: *et Socratici* alii; [*et*] *Socratici* c — 11. *hoc arroganter* C (etiam b): *arroganter hoc* c — 15. *magnopere* A B H a b; om. c — 17. *illis fere se* A c (in A *se* ead. m. superscr.): *illis fere* B H a b p o; *illos fere* Lambinus. — 18. *in illis maior* c — 19. *genus orationis* c — *uideo nemini* A — *adhuc* om. B — 20. *in utroque* A — *elaboraret* Lambinus: *laboraret* C — 25. *estimo* c — 27. *quae a Platone* om. a — 29. *socrate* C — *de socrate et de aristotele* c — 30. *delectatus suo studio* c — 32. *maxime uolui* C: *uolui maxime* c — 33. *et* ante *gravia* om. c — 34. *a philosophis tractata* c — 35. *et praecepta* del. Ruhnkenius, v. Mnemos. II p. 419 sq. — 38. *in eoque et colendo* A H a b: *in eoque excolendo* B; *in eoque colendo* c — 39. *et negl.* A H a b: *et in negl.* B c o — *turpido* H.

communis est omnium philosophorum. Quis est enim qui nullis officii praeceptis tradendis philosophum se audeat dicere? Sed sunt non nullae disciplinae, quae propositis bonorum et malorum finibus officium omne pervertant. Nam qui summum bonum sic instituit, ut nihil habeat cum virtute coniunctum, idque suis commodis, non honestate metitur, hic, si sibi ipse consentiat et non interdum naturae bonitate vincatur, neque amicitiam colere possit nec iustitiam nec liberalitatem: fortis vero dolorem summum malum iudicans aut temperans voluptatem summum bonum statuens esse certe nullo modo potest. 6. Quae quamquam ita sunt in promptu, ut res disputatione non egeat, tamen sunt a nobis alio loco disputata. Hae disciplinae igitur si sibi consentaneae velint esse, de officio nihil queant dicere, neque ulla officii praecepta firma, stabilia, coniuncta naturae tradi possunt nisi aut ab iis, qui solam, aut ab iis, qui maxime honestatem propter se ducant expetendam. Ita propria est ea praeceptio Stoicorum, Academicorum, Peripateticorum, quoniam Aristonis, Pyrrhonis, Erilli iam pridem explosa sententia est, qui tamen haberent ius suum disputandi de officio, si rerum aliquem dilectum reliquissent, ut ad officii inventionem aditus esset. Sequemur igitur hoc quidem tempore et hac in quaestione potissimum Stoicos, non ut interpretes, sed, ut solemus, e fontibus eorum iudicio arbitrioque nostro quantum quoque modo videbitur hauriemus.

7. Placet igitur, quoniam omnis disputatio de officio futura est, ante definire, quid sit officium: quod a Panaetio praetermissum esse miror. Omnis enim, quae ratione suscipitur, de aliqua re institutio debet a definitione proficisci, ut intellegatur, quid sit id, de quo disputetur. * *

III. Omnis de officio duplex est quaestio. Unum genus est, quod pertinet ad finem bonorum, alterum, quod positum est in praeceptis, quibus in omnis partis usus vitae conformari possit. Superioris generis huius modi sunt exempla, omniane officia perfecta sint, num quod officium aliud alio maius sit, et quae sunt generis eiusdem. Quorum autem officiorum praecepta traduntur, ea quamquam pertinent ad finem bonorum, tamen minus id apparet, quia magis ad institutionem vitae communis spectare videntur: de quibus est nobis his libris explicandum. [8. Atque etiam alia divisio est officii. Nam et medium quoddam officium dicitur et perfectum. Perfectum officium rectum, opinor, vocemus,

---

2. *traditis* (in rasura, litteris *ditis* manu multo recentiore scriptis) B — 4. *peruertunt* p — *bonum* om. c — 6. *ipse* om. c — 9. *sint* B c (non a) — 10. *egerat* c — 13. *aut* (post *nisi*) om. c — *ab iis* A b: *ab his* B H a, *ab hijs* c, qui numquam neque *iis* neque *his* exhibet. — *ab his* C — 14. *ducant* Bake ad Cic. de legg. I § 37: *dicant* C c — *Ita* C (etiam a c): *Itaque* alii. — 16. *pyrrhonis* A B: *pyrronis* H c, *phyrronis* a, *phyrrhonis* c — *erilli* C: *Herilli* c. Vide ad p. 107, 15. — 17. *dilectum* B H a b: *delectum* A c c — 18. *Sequemur* Graevius: *Sequimur* C (etiam c) c — 19. *in hac* B — 21. *quantum quoquo modo* p — 24. *ratione* ed. Lips. a. 1513: *a ratione* C; [*a*] *ratione* O — 25. Definitionem hanc fere excidisse *Omne igitur, quod ratione actum est officium appellamus.* primus indicavit G. Fr. Unger. — 28. *in* (ante *omnis*, non ante *praeceptis*) om. b — *omnis partis* A B H b: *omnes partes* a c, *partes omnes* c — *confirmari* C (etiam b c) — 29. *sunt exempla* A B c: *exempla* H a b, in a superscr. glossa *s.* (= *scilicet*) *sunt*; *exempla* [*sunt*] c — *num quod* A B b: *non quod* a; *num quid* H c, *Nunquid* c — 30. *quae sint* a — *generis huius* c — 31. *pertineant* B — 32. *id minus* c — 33. *explicandum in hijs libris* c — 34. *Atque etiam* - - *reddi possit* del. Unger. — *est divisio* c.

quoniam Graeci κατόρθωμα, hoc autem commune officium vocant. Atque ea sic definiunt, ut, rectum quod sit, id officium perfectum esse definiant; medium autem officium id esse dicunt, quod cur factum sit, ratio probabilis reddi possit.] 9. Triplex igitur est, ut Panaetio videtur, consilii capiendi deliberatio. Nam aut honestumne factu sit an turpe dubitant id, quod in deliberationem cadit: in quo considerando saepe animi in contrarias sententias distrahuntur. Tum autem aut anquirunt aut consultant, ad vitae commoditatem iucunditatemque, ad facultates rerum atque copias, ad opes, ad potentiam, quibus et se possint iuvare et suos, conducat id necne, de quo deliberant: quae deliberatio omnis in rationem utilitatis cadit. Tertium dubitandi genus est, cum pugnare videtur cum honesto id, quod videtur esse utile. Cum enim utilitas ad se rapere, honestas contra revocare ad se videtur, fit ut distrahatur in deliberando animus adferatque ancipitem curam cogitandi. 10. *In* hac divisione, cum praeterire aliquid maxumum vitium in dividendo sit, duo praetermissa sunt. Nec enim solum utrum honestum an turpe sit deliberari solet, sed etiam duobus propositis honestis utrum honestius, itemque duobus propositis utilibus utrum utilius. Ita, quam ille triplicem putavit esse rationem, in quinque partis distribui debere reperitur. Primum igitur est de honesto, sed dupliciter, tum pari ratione de utili, post de comparatione eorum disserendum.

IV. 11. Principio generi animantium omni est a natura tributum ut se, vitam corpusque tueatur, declinet ea, quae nocitura videantur, omniaque, quae sint ad vivendum necessaria, anquirat et paret, ut pastum, ut latibula, ut alia generis eiusdem. Commune item animantium omnium est coniunctionis adpetitus procreandi causa et cura quaedam eorum, quae procreata sunt. Sed inter hominem et beluam hoc maxime interest, quod haec tantum, quantum sensu movetur, ad id solum, quod adest quodque praesens est, se accommodat, paulum admodum sentiens praeteritum aut futurum. Homo autem, quod rationis est particeps, per quam consequentia cernit, causas rerum videt earumque praegressus et quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat rebusque praesentibus adiungit atque adnectit futuras, facile totius vitae cursum videt ad eamque degendam praeparat res necessarias. 12. Eademque natura vi rationis hominem conciliat homini et ad orationis et ad vitae societatem ingeneratque in primis praecipuum quen-

1. *quoniam* C: *quod* o — *catorthoma* C — *officium uocant* C: *officium καθῆκον vocant* Pearcius; [*officium*] *καθῆκον vocant* o — 5. *aut* B H a c: om. A b o. Cf. Madvig ad Cic. de Finib. p. 807. — *sit aut turpe* c — 7. *anquirunt* A B H b: *inquirunt* a c — 10. *id*] *hic* a — 11. *est* superscr. in b — 12. *utilitatis* b — 13. *distrahatur in deliberando animus afferatque in deliberando ancipitem* c — *In hac* nos: *hac* (om. *in*) C o — *sufferatque* Ruhnkenius Philol. Schneidew. V, p. 753. — 15. *in diuidendo maximum uitium* c — 17. *etiam* om. c — *item duobus* c — 19. *partis* H[1]: *partis* corr. in *partibus* a; *partes* A B H[2] b c o — *repperitur* B H — 23. *declinet* C (etiam b c): *declinetque* o — 24. *que* om. B — *sint* A B H a b: *sunt* c o — *ad uidendum* a; *ad uivendum* superscr. manu recentissima habet p — *anquirat* A B[1] H[1] b: *inquirat* H[2] a; *acquirat* B[2] c p — 25. *item* Manutius: *autem* C o. Cf. § 17. III § 15. — 27. *procreata sunt* A(?): *procreata sint* B H a b; *procreantur* o. Cf. § 12. — 30. *quod* corr. in *quoniam* B; *qui* p — 32. *praegressus* A H a b: *progressus* B c o — 35. *ui* A B a c: *ut* H b — *conciliet* b — 36. *ingeneratque* - - *procreati sunt* spuria censuit Facciolatus.

dam amorem in eos, qui procreati sunt, impellitque ut hominum coetus et celebrationes et esse et a se obiri velit ob easque causas studeat parare ea, quae suppeditent ad cultum et ad victum, nec sibi soli, sed coniugi, liberis ceterisque, quos caros habeat tuerique debeat: quae cura exsuscitat etiam animos et maiores ad rem gerendam facit. 13. In primisque hominis est propria veri inquisitio atque investigatio. Itaque cum sumus necessariis negotiis curisque vacui, tum avemus aliquid videre, audire, addiscere, cognitionemque rerum aut occultarum aut admirabilium ad beate vivendum necessariam ducimus. Ex quo intellegitur, quod verum, simplex sincerumque sit, id esse naturae hominis aptissimum. Huic veri videndi cupiditati adiuncta est adpetitio quaedam principatus, ut nemini parere animus bene informatus a natura velit nisi [praecipienti] aut docenti aut utilitatis causa iuste et legitime imperanti: ex quo magnitudo animi existit humanarumque rerum contemptio. 14. Nec vero illa parva vis naturae est rationisque, quod unum hoc animal sentit, quid sit ordo, quid sit quod deceat in factis dictisque, qui modus. Itaque eorum ipsorum, quae aspectu sentiuntur, nullum aliud animal pulchritudinem, venustatem, convenientiam partium sentit: quam similitudinem natura ratioque ab oculis ad animum transferens multo etiam magis pulchritudinem, constantiam, ordinem in consiliis factisque conservanda putat cavetque ne quid indecore effeminateve faciat, tum in omnibus et opinionibus et factis, ne quid lubidinose aut faciat aut cogitet. Quibus ex rebus conflatur et efficitur id, quod quaerimus, honestum: quod etiam si nobilitatum non sit, tamen honestum sit, quodque vere dicimus, etiam si a nullo laudetur, natura esse laudabile.

V. 15. Formam quidem ipsam, Marce fili, et tamquam faciem honesti vides, quae si oculis cerneretur, mirabiles amores, ut ait Plato, excitaret sapientiae. Sed omne, quod est honestum, id quattuor partium oritur ex aliqua. Aut enim in perspicientia veri sollertiaque versatur aut in hominum societate tuenda tribuendoque suum cuique et rerum contractarum fide aut in animi excelsi atque invicti magnitudine ac robore aut in omnium, quae fiunt quaeque dicuntur, ordine et modo, in quo inest modestia et temperantia. Quae quattuor quamquam inter se colligata atque implicata sunt, tamen ex singulis certa officiorum genera nascuntur, velut ex ea parte, quae prima descripta est, in qua sapientiam et prudentiam ponimus, inest indagatio atque inventio veri, eiusque virtutis hoc munus est proprium. 16. Ut enim quisque maxime perspicit, quid in re quaque verissimum sit, quique acutissime et celerrime potest et videre et explicare rationem, is prudentissimus et sapien-

---

1. *cetus hominum* o — 2. *et ab se* o — 3. *ea*] *et* a — *ad cultum* C (etiam a b): *et ad cultum* o — 4. *coniugi et liberis* o — 6. *propria est* o — 7. *auemus* B a: *habemus* A H b o — 11. *ueri* corr. in *uero* a — 13. *praecipienti* del. Herm. Sauppius. «Nam Cicero, si verba *praecipere* et *docere* coniungere vellet, *aut praecipienti et docenti* scripsisset.» — 14. *consistit* o — *contentio* H a p — *ipsorumque aspectu* a — 16. *quid sit ordo* om. p — 17. *quid modus* Unger. — 21. *conseruanda* codd. aliquot recentiores: *conseruandam* C (*conseruandă* A b o); *conseruandum* o — 24. *honestum sit* C (etiam a): *honestum est* o — 27. *ipsam* om. o — 29. *sapientiae* secl. Gernhard. — *est* om. B — 34. *in quo est* B[1] — *in quo vis est modestiae et temperantiae* p — 35. *implicita* p.

tissimus rite haberi solet. Quocirca huic quasi materia, quam tractet et in qua versetur, subiecta est veritas. 17. Reliquis autem tribus virtutibus necessitates propositae sunt ad eas res parandas tuendasque, quibus actio vitae continetur, ut et societas hominum coniunctioque servetur et animi excellentia magnitudoque cum in augendis opibus utilitatibusque et sibi et suis comparandis, tum multo magis in his ipsis despiciendis eluceat. Ordo item et constantia et moderatio et ea, quae sunt his similia, versantur in eo genere, ad quod est adhibenda actio quaedam, non solum mentis agitatio. Iis enim rebus, quae tractantur in vita, modum quendam et ordinem adhibentes honestatem et decus conservabimus.

VI. 18. Ex quattuor autem locis, in quos honesti naturam vimque divisimus, primus ille, qui in veri cognitione consistit, maxime naturam attingit humanam. Omnes enim trahimur et ducimur ad cognitionis et scientiae cupiditatem, in qua excellere pulchrum putamus, labi autem, errare, nescire, decipi et malum et turpe ducimus. In hoc genere et naturali et honesto duo vitia vitanda sunt: unum, ne incognita pro cognitis habeamus iisque temere assentiamur; quod vitium effugere qui volet — omnes autem velle debent — adhibebit ad considerandas res et tempus et diligentiam. 19. Alterum est vitium, quod quidam nimis magnum studium multamque operam in res obscuras atque difficiles conferunt easdemque non necessarias. Quibus vitiis declinatis quod in rebus honestis et cognitione dignis operae curaeque ponetur, id iure laudabitur, ut in astrologia C. Sulpicium audivimus, in geometria Sex. Pompeium ipsi cognovimus, multos in dialecticis, plures in iure civili: quae omnes artes in veri investigatione versantur, cuius studio a rebus gerendis abduci contra officium est. Virtutis enim laus omnis in actione consistit, a qua tamen fit intermissio saepe multique dantur ad studia reditus; tum agitatio mentis, quae numquam adquiescit, potest nos in studiis cognitionis etiam sine opera nostra continere. Omnis autem cogitatio motusque animi aut in consiliis capiendis de rebus honestis et pertinentibus ad bene beateque vivendum aut in studiis scientiae cognitionisque versabitur. Ac de primo quidem officii fonte diximus.

VII. 20. De tribus autem reliquis latissime patet ea ratio, qua societas hominum inter ipsos et vitae quasi communitas continetur, cuius partes duae sunt: iustitia, in qua virtutis est splendor maximus, ex qua viri boni nominantur, et huic coniuncta beneficentia, quam eandem vel benignitatem vel liberalitatem appellari licet. Sed iustitiae primum munus est, ut ne cui quis noceat nisi lacessitus iniuria, deinde, ut communibus pro communibus utatur, privatis ut suis. 21. Sunt autem pri-

---

1. *rite* in rasura habet B — 5. *magnitudoque seruetur. tum* o — *cum* A¹ B¹ H a b: *tum* A² B² o — 6. *in iis* b — 7. *item* Pearce: *autem* C o. Cf. § 11. — 8. *est adhibenda* C (etiam b): *adhibenda est* o — 9. *his* A B H a b, *hijs* o; item v. 17. — *rebus* om. o — 15. *ducimus* o: *dicimus* A B H a b — 17. *assentiamus* o — 18. *debebunt* o — 20. *conferunt atque difficiles* o — 22. *opere* a b o — 23. *audiuimus* A a b o: *audimus* B H(?) o — 25. *in ueri uestigatione* A B H a b (iidem recte *in ueri inuestigatione* § 28) p; *in inuestigatione ueri* o — 26. *agendis* A b (*gerendis* in marg.) — 27. *intermissione* A H a b (in A H litt. *ne* deletae sunt); *fiunt intermissiones* Halmius. — 28. *reditus* om. o — *agitatione* (litteris *ne* expunctis) A — *quiescit* o — 29. *cognitionis* A: *cogitationis* B H a b o — 31. *cognitionisque* B H a: *cognitionis* o; *cogitationisque* A b — 35. *sunt* o: om. A B H a b; [*sunt*] o — *splendor est* B o — 36. *coniuncta est benef.* o — *beneficientia* C — 38. *iniuria* om. p.

vata nulla natura, sed aut vetere occupatione, ut qui quondam in vacua venerunt, aut victoria, ut qui bello potiti sunt, aut lege, pactione, condicione, sorte: ex quo fit ut ager Arpinas Arpinatium dicatur, Tusculanus Tusculanorum; similisque est privatarum possessionum discriptio. Ex quo, quia suum cuiusque fit, eorum, quae natura fuerant communia, quod cuique optigit, id quisque teneat: † e quo si quis sibi appetet, violabit ius humanae societatis. 22. Sed quoniam, ut praeclare scriptum est a Platone, non nobis solum nati sumus ortusque nostri partem patria vindicat, partem amici, atque ut placet Stoicis, quae in terris gignantur ad usum hominum omnia creari, homines autem hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se aliis alii prodesse possent, in hoc naturam debemus ducem sequi, communes utilitates in medium afferre mutatione officiorum, dando accipiendo, tum artibus, tum opera, tum facultatibus devincire hominum inter homines societatem. 23. Fundamentum autem est iustitiae fides, id est dictorum conventorumque constantia et veritas. Ex quo, quamquam hoc videbitur fortasse cuipiam durius, tamen audeamus imitari Stoicos, qui studiose exquirunt, unde verba sint ducta, credamusque, quia fiat, quod dictum est, appellatam fidem.

Sed iniustitiae genera duo sunt: unum eorum, qui inferunt, alterum eorum, qui ab iis, quibus infertur, si possunt, non propulsant iniuriam. Nam qui iniuste impetum in quempiam facit aut ira aut aliqua perturbatione incitatus, is quasi manus afferre videtur socio: qui autem non defendit nec obsistit, si potest, iniuriae, tam est in vitio quam si parentes aut amicos aut patriam deserat. 24. Atque illae quidem iniuriae, quae nocendi causa de industria inferuntur, saepe a metu proficiscuntur, cum is, qui nocere alteri cogitat, timet ne, nisi id fecerit, ipse aliquo afficiatur incommodo. Maximam autem partem ad iniuriam faciendam adgrediuntur, ut adipiscantur ea, quae concupiverunt: in quo vitio latissime patet avaritia.

VIII. 25. Expetuntur autem divitiae cum ad usus vitae necessarios, tum ad perfruendas voluptates. In quibus autem maior est animus, in iis pecuniae cupiditas spectat ad opes et ad gratificandi facultatem, ut nuper M. Crassus negabat ullam satis magnam pecuniam esse ei, qui in re publica princeps vellet esse, cuius fructibus exercitum alere non posset. Delectant etiam magnifici apparatus vitaeque cultus cum elegantia et copia, quibus rebus effectum est ut infinita pecuniae cupiditas esset. Nec vero rei familiaris amplificatio nemini nocens vituperanda est, sed fugienda semper iniuria est. 26. Maxume autem adducuntur

---

1. *ueteri* o — *condam* A — 2. *condicione* A — 4. *discriptio* B: *descriptio* A H a b c o — 6. *obtigit* A b o; *obtingit* c — *e quo si quis sibi* A[1] H a b c: *eo si quis sibi* B; *e quo plus si quis sibi* A[2]; *eo si qui sibi plus* o; [*e quo*] *si quis sibi plus* Goerenz. Cf. III §§ 21 et 23. — *appetat* c — 9. *partem amici* C: [*partem parentes*,] *partem amici* o — 11. *inter sese* c — 13. *accipiendoque* c — 14. *deuincere* b — 15. *est iustitiae* A B H a b: *iustitiae est* c o — 16. *cuipiam fortasse* (sed transponendi signis eadem m. additis) c — 17. *imitare* b — *inquirunt* c — 20. *ab is* (superscr. *h*) B, *ab his* A H a b, *ab hijs* c — *possint* c — 21. *facit in quempiam* A — 22. *inferre* B[2] (*afferre* B[1]) — 24. *ille* a b c — 26. *ne* om. A b — *ne si id non fecerit* p — 27. *afficiatur aliquo* c — *maxima autem parte* c — 28. *concupierunt* c — 30. *cum* A[1] B[1] H a b: *tum* A[2] B[2] c — 32. *iis* A b: *is* B, *his* H a, *hijs* c — 33. *M. grassus* A b — 34. *esse uellet* c — 35. *eligantia* A b — 36. *pecunie sit cupiditas. Nec* c — 38. *est* (post *iniuria*) om. B.

plerique, ut eos iustitiae capiat oblivio, cum in imperiorum, honorum, gloriae cupiditatem inciderunt. Quod enim est apud Ennium:

Nulla sancta societas
Nec fides regni est:

id latius patet. Nam quicquid eius modi est, in quo non possint plures excellere, in eo fit plerumque tanta contentio, ut difficillimum sit servare «sanctam societatem». Declaravit id modo temeritas C. Caesaris, qui omnia iura divina et humana pervertit propter eum, quem sibi ipse opinionis errore finxerat, principatum. Est autem in hoc genere molestum, quod in maximis animis splendidissimisque ingeniis plerumque existunt honoris, imperii, potentiae, gloriae cupiditates: quo magis cavendum est ne quid in eo genere peccetur. 27. Sed in omni iniustitia permultum interest, utrum perturbatione aliqua animi, quae plerumque brevis est et ad tempus, an consulto et cogitata fiat iniuria; leviora enim sunt ea, quae repentino aliquo motu accidunt, quam ea, quae meditata et praeparata inferuntur. Ac de inferenda quidem iniuria satis dictum est.

IX. 28. Praetermittendae autem defensionis deserendique officii plures solent esse causae; nam aut inimicitias aut laborem aut sumptus suscipere nolunt aut etiam neglegentia, pigritia, inertia aut suis studiis quibusdam occupationibusve sic impediuntur, ut eos, quos tutari debeant, desertos esse patiantur. Itaque videndum est ne non satis sit id, quod apud Platonem est in philosophos dictum, quod in veri investigatione versentur quodque ea, quae plerique vehementer expetant, de quibus inter se digladiari soleant, contemnant et pro nihilo putent, propterea iustos esse. Nam alterum iustitiae genus assequuntur, inferenda ne cui noceant iniuria, in altero delinquunt; discendi enim studio impediti quos tueri debent deserunt. Itaque eos ne ad rem publicam quidem accessuros putat nisi coactos. Aequius autem erat id voluntate fieri; nam hoc ipsum ita iustum est, quod recte fit, si est voluntarium. 29. Sunt etiam qui aut studio rei familiaris tuendae aut odio quodam hominum suum se negotium agere dicant nec facere cuiquam videantur iniuriam: qui altero genere iniustitiae vacant, in alterum incurrunt. Deserunt enim vitae societatem, quia nihil conferunt in eam studii, nihil operae, nihil facultatum.

Quoniam igitur duobus generibus iniustitiae propositis adiunximus

---

2. *inciderint* o. Conf. Madvig ad Cic. de Finib. p. 691. — 3. *societas sancta* o — 5. *possunt* o — 7. *declarat* A — *C* B: *G.* AHabc — 8. *et* C: *atque* o — *ipse* om. p — 10. *splendidisque* o — 11. *carendum* c — 14. *cogitata* ABHabp: *cogitatu* c; *cogitate* o; *cogitato* alii prob. Madvigio ad Cic. de Finib. p. 696. — 16. *Ac* corr. ex *Ad* a — 18. *deferendique* a — 19. *cause esse solent. aut enim inimicicias* c — *aut* (post *nam*) superscr. in b — 22. *est an non* c — 23. *in ueri uestigatione* p — 24. *expetant* ABab: *expectant* H, *exspectant* c; *expetunt* o — 25. *se gladiari* o — *soleant* C: *solent* o — *contempnant* ABbc — *et* om. Ab — *putant* AHb; *ducant* p — 26. *Nam cum alterum* (*cum* ead. m. superscr.) B — *alterum iustitiae genus assequuntur* C: *alterum assequuntur* Pearcius et Io. Mich Heusingerus; *alterum genus assequuntur* Beierus, o — *inferenda* Manutius (et p, si fides est Grutero): *in inferenda* C; [*in*] *inferenda* o, *ut inferenda* Halmius. — 27. *in altero delinqunt* (sic) c: *in alterum incidunt* cum ceteris o — 28. *debent* C: *debeant* o — *eos* BHac: *nos* Ab — 29. *putant* C — *nisi actos* H — 32. *se* om. H — *nec* B[1] Ha: *ne* AB[2]bco — 33. *uacant. et in* c — 36. *Quando* ABHab (in A ead. m. superscr. *Quoniam*).

causas utriusque generis easque res ante constituimus, quibus iustitia contineretur, facile quod cuiusque temporis officium sit poterimus, nisi nosmet ipsos valde amabimus, iudicare. 30. Est enim difficilis cura rerum alienarum: quamquam Terentianus ille Chremes «humani nihil a se alienum putat»: sed tamen, quia magis ea percipimus atque sentimus, quae nobis ipsis aut prospera aut adversa eveniunt, quam illa, quae ceteris, quae quasi longo intervallo interiecto videmus, aliter de illis ac de nobis iudicamus. Quocirca bene praecipiunt qui vetant quicquam agere, quod dubites aequum sit an iniquum; aequitas enim lucet ipsa per se, dubitatio cogitationem significat iniuriae.

X. 31. Sed incidunt saepe tempora, cum ea, quae maxime videntur digna esse iusto homine eoque, quem virum bonum dicimus, commutantur fiuntque contraria, ut reddere depositum, facere promissum, quaeque pertinent ad veritatem et ad fidem, ea migrare interdum et non servare fit iustum. Referri enim decet ad ea, quae posui principio, fundamenta iustitiae: primum ut ne cui noceatur, deinde ut communi utilitati serviatur. Ea cum tempore commutantur, commutatur officium et non semper est idem. 32. Potest enim accidere promissum aliquod et conventum, ut id effici sit inutile vel ei, cui promissum sit, vel ei, qui promiserit. Nam si, ut in fabulis est, Neptunus quod Theseo promiserat non fecisset, Theseus Hippolyto filio non esset orbatus. Ex tribus enim optatis, ut scribitur, hoc erat tertium, quod de Hippolyti interitu iratus optavit: quo impetrato in maximos luctus incidit. Nec promissa igitur servanda sunt ea, quae sint iis, quibus promiseris, inutilia, nec, si plus tibi ea noceant quam illi prosint, cui promiseris, contra officium est maius anteponi minori, ut, si constitueris cuipiam te advocatum in rem praesentem esse venturum atque interim graviter aegrotare filius coeperit, non sit contra officium non facere quod dixeris, magisque ille, cui promissum sit, ab officio discedat, si se destitutum queratur. Iam illis promissis standum non esse quis non videt, quae coactus quis metu, quae deceptus dolo promiserit? quae quidem pleraque iure praetorio liberantur, non nulla legibus. 33. Existunt etiam saepe iniuriae calumnia quadam et nimis callida[, sed malitiosa] iuris interpretatione. Ex quo illud «Summum ius summa iniuria» factum est iam tritum sermone proverbium. Quo in genere etiam in re publica multa peccantur, ut ille, qui, cum triginta dierum essent cum hoste indutiae factae, noctu populabatur agros, quod dierum essent pactae, non noctium indutiae. Ne noster quidem probandus, si verum est Q. Fabium

---

1. *genere* H — 3. *enim* om. A b — 9. *dubites an equm* o — 10. *sese* o — 13. *reddere depositum etiamne furioso facere promissum* A B¹ H a b p; *reddere depositum et non furioso facere promissum* o; *non reddere depositum etiam nec furioso facere promissum* B² — 14. *ea negare* c — 15. *iustum*] *uirtus* o — *referre* A — 17. *tempora* o — *officium ut non semper est idem* A b — 19. *ei* om. B¹ — 20. *thesaeo* - - *thesaeus* A H — 21. *hippolito* A H b, *hyppolito* B, *yppolito* a, *ypolito* c — 22. *ippoliti* A b, *hyppoliti* B H, *yppoliti* a, *ypoliti* o — 24. *sint iis* A b: *sint is* B¹, *sint his* B² H a; *sunt hijs* o — 25. *tibi si plus* H — *ea* C: om. o — *prosunt* o — *cui* B a: *cui quid* A o; *cui quod* H b — 26. *maius non anteponi* p — *antepone* b; *anteponere* A — 30. *quaeratur* H — 31. *quae* ante *deceptus* om. A b — 33. *calumpnia* A B — *sed etiam maliciosa* o; *et malitiosa* alii. Verba *sed malitiosa* insiticia mihi videntur. — 36. *indutiae* A H a b: *induciae* B o o — 38. *indutiae* A B H a b: *induciae* o o — *Nec* A² — *Q.* A B o: *quae* H b; om. a.

Labeonem seu quem alium — nihil enim habeo praeter auditum — arbitrum Nolanis et Neapolitanis de finibus a senatu datum, cum ad locum venisset, cum utrisque separatim locutum, ne cupide quid agerent, ne adpetenter, atque ut regredi quam progredi mallent. Id cum utrique fecissent, aliquantum agri in medio relictum est. Itaque illorum finis sic, ut ipsi dixerant, terminavit: in medio relictum quod erat populo Romano adiudicavit. Decipere hoc quidem est, non iudicare. Quocirca in omni est re fugienda talis sollertia.

XI. 34. Sunt autem quaedam officia etiam adversus eos servanda, a quibus iniuriam acceperis. Est enim ulciscendi et puniendi modus, atque haud scio an satis sit eum, qui lacessierit, iniuriae suae paenitere, ut et ipse ne quid tale posthac et ceteri sint ad iniuriam tardiores. Atque in re publica maxime conservanda sunt iura belli. Nam cum sint duo genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per vim, cumque illud proprium sit hominis, hoc beluarum, confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiore. 35. Qua re suscipienda quidem bella sunt ob eam causam, ut sine iniuria in pace vivatur, parta autem victoria conservandi ii, qui non crudeles in bello, non inmanes fuerunt, ut maiores nostri Tusculanos, Aequos, Volscos, Sabinos, Hernicos in civitatem etiam acceperunt, at Karthaginem et Numantiam funditus sustulerunt: nollem Corinthum, sed credo aliquid secutos, opportunitatem loci maxume, ne posset aliquando ad bellum faciendum locus ipse adhortari. Mea quidem sententia paci, quae nihil habitura sit insidiarum, semper est consulendum. In quo si mihi esset optemperatum, si non optumam, at aliquam rem publicam, quae nunc nulla est, haberemus. Et cum iis, quos vi deviceris, consulendum est, tum ii, qui armis positis ad imperatorum fidem confugient, quamvis murum aries percusserit, recipiendi. In quo tanto opere apud nostros iustitia culta est, ut ii, qui civitates aut nationes devictas bello in fidem recepissent, earum patroni essent more maiorum. 36. Ac belli quidem aequitas sanctissime fetiali populi Romani iure perscripta est. Ex quo intellegi potest nullum bellum esse iustum nisi quod aut rebus repetitis geratur aut denuntiatum ante sit et indictum. [Popilius imperator tenebat pro-

---

3. *ne* C : *ut ne* o — 6. *finis* B H[1] b : *fines* A H[2] a c o — 8. *in omni est re fugienda* A B H a b : *in omni re fugienda* c ; *in omni re fugienda est* o — 11. *eum* om. c — 12. *et ut ipse* p — *posthac faciat et* c. Cf. § 82. — *ad iniuriam sint* c — 18. *ii* A B[2] b : *i* B[1], *hi* a, *hii* H, *hij* c — *non inmanes* om. p — 19. *hernicos. ueios. in* c — 20. *karthaginem* B c : *carthaginem* a , *charthaginem* A b , *chartaginem* H — 21. *aliquid* corr. ex *aliquod* B ; *aliquos* A (corr. ex *aliquid*) p — *oportunitatem* C — 25. *at* B a c : *ad* b ; *aut* H ; om. (in rasura duar. litt.) A — 26. *iis* A B b : *his* H a, *hijs* c — *ii* A B b : *hii* H, *hi* a, *hij* c — 28. *tantopere* C — 29. *ii* A b : *hii* B H, *hi* a, *hij* c — *devictas bello* om. c — 31. *feciali* B c — 32. *aut in rebus* c — *petitis* H — 33. *enuntiatum* A a b — *Popilius imperator -- in bello movendo* del. Madvigius: *Popilius imperator -- pugnare non poterat* pro glossemate habet G. Fr. Unger (Philol. Schneidew. IV p. 375 sqq.); *Popilius imperator -- cum hoste pugnare* (§ 37) del. Könighoff crit. et exeg. alt. Trier 1844 p. 22 sqq. «Si usquam, certe hic vetus scholion historicum orationi Ciceronis insertum est (etsi omnes codd. hunc pannum adsutum habent), ubi ea, quae praecesserunt, quasi communi conclusione his verbis colliguntur: *Ex quo intelligi potest, nullum bellum esse iustum, nisi quod -- indictum,* addita affirmante Catonis auctoritate his: *M. quidem Catonis senis est epistola.* Sed huic exemplo particula *quidem* adnexo et expresso praecedit explicatio, qua singula, quae ad epistolae tempus et occasionem pertinent, proponuntur; tum vero inepte et satis insulse additur: *M. quidem Catonis senis est epistola*, etsi iam ante

vinciam, in cuius exercitu Catonis filius tiro militabat. Cum autem Popilio videretur unam dimittere legionem, Catonis quoque filium, qui in eadem legione militabat, dimisit. Sed cum amore pugnandi in exercitu remansisset, Cato ad Popilium scripsit, ut, si eum patitur in exercitu remanere, secundo eum obliget militiae sacramento, quia priore amisso iure cum hostibus pugnare non poterat. Adeo summa erat observatio in bello movendo.] 37. Marci quidem Catonis senis est epistola ad M. filium, in qua scribit se audisse eum missum factum esse a consule, cum in Macedonia bello Persico miles esset. Monet igitur ut caveat ne proelium ineat; negat enim ius esse qui miles non sit cum hoste pugnare. XII. Equidem etiam illud animadverto, quod, qui proprio nomine perduellis esset, is hostis vocaretur, lenitate verbi rei tristitiam mitigatam. Hostis enim apud maiores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Indicant duodecim tabulae: AVT STATVS DIES CVM HOSTE, itemque: ADVERSVS HOSTEM AETERNA AVCTORITAS. Quid ad hanc mansuetudinem addi potest, eum, quicum bellum geras, tam molli nomine appellare? Quamquam id nomen durius effecit iam vetustas; a peregrino enim recessit et proprie in eo, qui arma contra ferret, remansit. 38. Cum vero de imperio decertatur belloque quaeritur gloria, causas omnino subesse tamen oportet easdem, quas dixi paulo ante iustas causas esse bellorum. Sed ea bella, quibus imperii proposita gloria est, minus acerbe gerenda sunt. Ut enim cum civi aliter contendimus, si est inimicus, aliter, si competitor — cum altero certamen honoris et dignitatis est, cum altero capitis et famae —, sic cum Celti-

---

positum erat *Catonis filius tiro*, ubi nomen Catonis simpliciter positum usui Ciceronis, quo praenomen saltem addendum erat, repugnat. Altera vero ex parte Cicero nunquam dixisset *M. Catonis senis*, si idem vir paulo ante nominatus esset. Itaque statuendum est, Catonem hic demum a Cicerone induci. Neque is in exemplo histórico, sine particula connectente et transitum indicante, tam laxe et incerte posuisset: *Popilius imperator* (sine praenomine) *tenebat provinciam* (quam? at postea dicitur *in Macedonia Persico bello*). Quid multa? Spuria iudicanda sunt haec: *Popilius imperator -- in bello movendo.* Fuerunt quidem critici nonnulli, qui contra suprema verba suppositicia iudicarent: *M. quidem Catonis senis -- cum hoste pugnare*; at haec in omnibus partibus iustam habent formam et Ciceronianam, addita particula adnectente *quidem*, addito praenomine *M.* et *senis*, quae duo satis designant Catonem censorium, addita significatione et temporis et loci: *in Macedonia Persico bello*, quae significatio melior est quam singularis illa, quae supra posita est, quippe quae nulla sit. Stürenburgius vero ea, quae nos damnavimus, ita tueri conatur, ut verba *adeo summa -- in bello movendo* ad sequentia referat, nonnulla de bello Persico a Romanis *moto* ex historia petita narrans. Omissis, quae facile his opponi ponunt, hoc unum addamus, de bello *movendo* i. e. incipiendo h. l. minime agi. Fieri autem potest, ut Cicero ex memoria argumentum epistolae afferens erraverit in re ad Macedoniam bellumque Persicum referenda, et scholiasta rectius rem ad Popilium rettulerit, qui vix unquam munere imperatoris in Macedonico bello functus est. Atque haec ipsa causa interpolationis esse potest.» Lund. Cf. Hand Tursell. I p. 452. — *pompilius -- pompilio -- pompilium* o p.

3. *eadem quoque legione* o — 4. *patitur* A B H a b: *patiatur* o; *pateretur* o — 5. *obligaret* B — *remisso* S. H. Rinkes Mnemos. VIII p. 442. — 8. *a consule esse* o — 10. *proelium* B H b: *praelium* A a: *bellum* o — 11. *animaduerto illud* o — 13. *mitigatā* corr. m. sec. in *mitigante* A — 14. *indicant hoc XII. tabulae* p — *aut* C (etiam b): *ut* o — *statutus* o — 15. *Item aduersus* o — 16 *eum quocum* A b; *eo quocum* a — 17. *nomen* om. o — *efficit* C — 18 *enim iam recessit* o — *et proprie -- referret* in marg. m. recent. suppleta habet B — 19. *certatur* o — 21. *bellorum esse* o — 22. *est gloria* o — *cum civi aliter contendimus, si* Anemoecius: *cum ciuiliter contendimus aliter si* C.

beris, cum Cimbris bellum ut cum inimicis gerebatur, uter esset, non uter imperaret, cum Latinis, Sabinis, Samnitibus, Poenis, Pyrrho de imperio dimicabatur. Poeni foedifragi, crudelis Hannibal, reliqui iustiores. Pyrrhi quidem de captivis reddendis illa praeclara:

Nec mi aurum posco nec mi pretium dederitis:
Non cauponantes bellum, sed belligerantes,
Ferro, non auro vitam cernamus utrique.
Vosne velit an me regnare era quidve ferat Fors,
Virtute experiamur. Et hoc simul accipe dictum:
Quorum virtuti belli fortuna pepercit,
Eorundem libertati me parcere certum est:
Dono ducite doque volentibus cum magnis dis.

Regalis sane et digna Aeacidarum genere sententia.

XIII. 39. Atque etiam, si quid singuli temporibus adducti hosti promiserunt, est in eo ipso fides conservanda, ut primo Punico bello Regulus captus a Poenis, cum de captivis commutandis Romam missus esset iurassetque se rediturum, primum, ut venit, captivos reddendos in senatu non censuit, deinde, cum retineretur a propinquis et ab amicis, ad supplicium redire maluit quam fidem hosti datam fallere. [40. Secundo autem Punico bello post Cannensem pugnam quos decem Hannibal Romam astrictos misit iure iurando se redituros esse, nisi de redimendis iis, qui capti erant, impetrassent, eos omnes censores, quoad quisque eorum vixit, quia peierassent, in aerariis reliquerunt, nec minus illum, qui iuris iurandi fraude culpam invenerat. Cum enim Hannibalis permissu exisset de castris, rediit paulo post, quod se oblitum nescio quid diceret. Deinde egressus e castris iure iurando se solutum putabat, et erat verbis, re non erat. Semper autem in fide, quid senseris, non, quid dixeris, cogitandum. Maximum autem exemplum est iustitiae in hostem a maioribus nostris constitutum, cum a Pyrrho perfuga senatui est pollicitus, se venenum regi daturum et eum necaturum: senatus et C. Fabricius perfugam Pyrrho dedidit. Ita ne hostis quidem et potentis et bellum ultro inferentis interitum cum scelere approbavit.] 41. Ac de bellicis quidem officiis satis dictum est. Meminerimus autem etiam adversus infimos iustitiam esse servandam. Est autem infima condicio et fortuna servorum, quibus non male praecipiunt qui ita iubent uti ut mercennariis, operam exigendam, iusta praebenda. Cum autem duobus modis, id est aut vi aut fraude, fiat iniuria, fraus quasi vulpe-

---

1. *geratur* H — 3. *hannibal* C: *Annibal* o — 4. *praeclara sententia est. Nec* o — 5. *pretium* corr. m. sec. ex *aurum* B — 6. *Non* p, Vahlen: *Nec* C o — 8. *regnare uelit an me* o — *era* A^1 B H: *erat* b; *hera* A^2 a c o — *sors* c — 10. *quorum* A^2 B^2 c: *quorumue* A^1 B^1 H a b — *uirtuti* A B^2 o: *uirtute* B^1 H a b; *virtutei* Vahlen. — 11. *libertati me* Lachmannus (ad Lucret. VI, 456): *me libertati* C o — 12. *magna dijs* (in marg. *cum magnis*) c — 14. *singulis* A b — 15. *bello punico* A — 17. *reddendos non esse in senatu censuit* p — 18. *ab amicis et propinquis* p — 19. *datam hosti* c — 20. *Secundo - - approbavit* (v. 32) om. A B H a b p; *Secundo - - re non erat* (v. 27) om. c. Cf. III §§ 86. 107. 113. — 21. *Annibal* o — 23. *quia* S. I. Heller (Philol. Schneidew. XII p. 302 sqq): *quod* Lambinus: *qui* o — 24. *invenerat*] *leniverat* Heller; fort. *minuerat* (i. e. minuere studuerat). — *Annibalis* o — 28. *cogitandum est* c — 30. *eum* om. o — 31. *perfugam*] *eum* o — *dedit* o — 34. *seruandum* H^1 — *condicio* A b — 36. *mercennariis* A B H b c: *mercenariis* a o — *opera exigenda* (corr. ex *operam exigendam*) B — *cum aut duobus* b — 37. *uulpiculae* H.

culae, vis leonis videtur: utrumque homine alienissimum, sed fraus odio digna maiore. Totius autem iniustitiae nulla capitalior quam eorum, qui tum, cum maxime fallunt, id agunt, ut viri boni esse videantur. De iustitia satis dictum.

XIV. 42. Deinceps, ut erat propositum, de beneficentia ac de liberalitate dicatur, qua quidem nihil est naturae hominis accommodatius, sed habet multas cautiones. Videndum est enim primum, ne obsit benignitas et iis ipsis, quibus benigne videbitur fieri, et ceteris, deinde, ne maior benignitas sit quam facultates, tum, ut pro dignitate cuique tribuatur. Id enim est iustitiae fundamentum, ad quam haec referenda sunt omnia. Nam et qui gratificantur cuipiam quod obsit illi, cui prodesse velle videantur, non benefici neque liberales, sed perniciosi adsentatores iudicandi sunt, et qui aliis nocent, ut in alios liberales sint, in eadem sunt iniustitia, ut si in suam rem aliena convertant. 43. Sunt autem multi et quidem cupidi splendoris et gloriae, qui eripiunt aliis quod aliis largiantur, iique arbitrantur se beneficos in suos amicos visum iri, si locupletent eos quacumque ratione. Id autem tantum abest ab officio, ut nihil magis officio possit esse contrarium. Videndum est igitur, ut ea liberalitate utamur, quae prosit amicis, noceat nemini. Quare L. Sullae, C. Caesaris pecuniarum translatio a iustis dominis ad alienos non debet liberalis videri; nihil est enim liberale, quod non idem iustum. 44. Alter locus erat cautionis, ne benignitas maior esset quam facultates, quod qui benigniores volunt esse quam res patitur primum in eo peccant, quod iniuriosi sunt in proximos; quas enim copias bis et suppeditari aequius est et relinqui, eas transferunt ad alienos. Inest autem in tali liberalitate cupiditas plerumque rapiendi et auferendi per iniuriam, ut ad largiendum suppetant copiae. Videre etiam licet plerosque non tam natura liberales quam quadam gloria ductos, ut benefici videantur, facere multa, quae proficisci ab ostentatione magis quam a voluntate videantur. Talis autem simulatio vanitati est coniunctior quam aut liberalitati aut honestati. 45. Tertium est propositum, ut in beneficentia dilectus esset dignitatis: in quo et mores eius erunt spectandi, in quem beneficium conferetur, et animus erga nos et communitas ac societas vitae et ad nostras utilitates officia ante conlata: quae ut concurrant omnia, optabile est; si minus, plures causae maioresque ponderis plus habebunt.

---

1. *alienissimum est. Sed* o — 2. *iniustitiae capitalior quam* H[1]; *iniustitiae capitalior nulla est quam* H[2] — *eorum* om. o — 3. *tum* C (in B superscr. est): om. p o — 4. *Ac de iusticia* o — *dictum* A B[1] H a b: *dictum est* B[2] o — 5. *beneficientia* A[2] B H[2] a o p; *beneficia* A[1] H[1] b — 6. *hominis nature* o — 8. *iis* A B b: *his* H a, *hijs* o — 10. *quam* corr. in *quod* A; *quem* b — 12. *pernitiosi* A B a — 13. *et qui - - conuertant* in marg. suppleta habet B — 14. *iniusticia sunt* o — *alienā* rasura corr. in *aliena* a — 15. *multi equidem* o — 16. *iique* A B b: *hiique* H, *hijque* o, *hique* a o — *amicos fieri si* A b — 18. *ab* o: om. A B H a b o. Cf. Wesenberg Emendatt. M. T. C. epistolarum p. 62. — *ut nihil magis officio* om. a (sola coniunctione *ut* addita in marg.) — *officio* post *magis* om. o — 20. *sillae* A B H a b, *sylle* o — *C.* (*g.* A o) *Caesaris* C: *et C. Caesaris* o. Cf. II § 59. — 21. *uidere* A b — *est enim* A H a b: *enim est* B o; *enim* (om. *est*) o — 24. *copias et suppeditari eis equius* o — 25. *his* H a: *iis* A B b, *eis* o — 26. *rapiendi plerumque* o — 29. *benefice* o — 30. *a* om. H — 32. *beneficientia* C — *dilectus esset* B H a b: *delectus esset* A o; *esset delectus* o.

XV. 46. Quoniam autem vivitur non cum perfectis hominibus planeque sapientibus, sed cum iis, in quibus praeclare agitur si sunt simulacra virtutis, etiam hoc intellegendum puto, neminem omnino esse neglegendum, in quo aliqua significatio virtutis appareat, colendum autem esse ita quemque maxime, ut quisque maxime virtutibus his lenioribus erit ornatus, modestia, temperantia, hac ipsa, de qua multa iam dicta sunt, iustitia. Nam fortis animus et magnus in homine non perfecto nec sapienti ferventior plerumque est: illae virtutes bonum virum videntur potius attingere. Atque haec in moribus. 47. De benevolentia autem, quam quisque habeat erga nos, primum illud est in officio, ut ei plurimum tribuamus, a quo plurimum diligamur, sed benevolentiam non adulescentulorum more ardore quodam amoris, sed stabilitate potius et constantia iudicemus. Sin erunt merita, ut non ineunda, sed referenda sit gratia, maior quaedam cura adhibenda est; nullum enim officium referenda gratia magis necessarium est. 48. Quod si ea, quae utenda acceperis, maiore mensura, si modo possis, iubet reddere Hesiodus, quidnam beneficio provocati facere debemus? an imitari agros fertiles, qui multo plus efferunt quam acceperunt? Etenim si in eos, quos speramus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre, quales in eos esse debemus, qui iam profuerunt? Nam cum duo genera liberalitatis sint, unum dandi beneficii, alterum reddendi, demus necne in nostra potestate est, non reddere viro bono non licet, modo id facere possit sine iniuria. 49. Acceptorum autem beneficiorum sunt dilectus habendi, nec dubium quin maximo cuique plurimum debeatur. In quo tamen in primis, quo quisque animo, studio, benevolentia fecerit, ponderandum est. Multi enim faciunt multa temeritate quadam sine iudicio, vel morbo in omnes vel repentino quodam, quasi vento, impetu animi incitati: quae beneficia aeque magna non sunt habenda atque ea, quae iudicio, considerate constanterque delata sunt. Sed in collocando beneficio et in referenda gratia, si cetera paria sunt, hoc maxume officii est, ut quisque maxume opis indigeat, ita ei potissimum opitulari: quod contra fit a plerisque; a quo enim plurimum sperant, etiam si ille iis non eget, tamen ei potissimum inserviunt.

XVI. 50. Optime autem societas hominum coniunctioque servabitur, si, ut quisque erit coniunctissimus, ita in eum benignitatis plurimum conferetur. Sed, quae naturae principia sint communitatis et societatis humanae, repetendum videtur altius. Est enim primum, quod cernitur

---

1. *planeque* H a c: *pleneque* A b; utrum B habeat, cum tertia littera in rasura sit, discerni nequit. — 2. *sed et cum* p — *iis* A B b: *his* H a, *hijs* c — 5. *hijs* c — 6. *hac* rasura corr. in *ac* a; *ac* c — 8. *sapienti* Wesenberg: *sapiente* C c. Vide ad p. 275, 10. — *bonum uirum* C (etiam b p): *virum bonum* c — 9. *potius* superscr. in b — *in moribus consideranda. De* c — *beniuolentia* C (ubique) — 11. *diligamur* A a b c: *diligimur* B H(?) c — 14. *gratia sit* c — 15. *referendae gratiae* a — 17. *quid tandem beneficio* van den Es. — *debemus facere* c — *an* corr. ead. m. in *an ñ (an non)* B — 18. *afferunt* a — 20. *debemus esse* c — *sint genera liberalitatis* c — 21. *demus* corr. ex *debemus* a — 22. *licet si modo* B — 23. *dilectus* B H a b: *delectus* A c c — 24. *qui in maximo* b — 27. *vel morbo in omnes* om. c — *uel morbo* A B[1] a b: *uel modo* B[2] H p c — 28. *habenda* -- *delata sunt* in marg. habet c — 30. *sint* c — 32. *spectant* A b (*sperant* marg. A, *spernant* marg. b) — *si ille his* (*hijs* c) *non* C: *si is non* c — 36. *naturae* A B H a b: *natura* c c — 37. *enim quod primum cernitur* c.

in universi generis humani societate. Eius autem vinculum est ratio et oratio, quae docendo, discendo, communicando, disceptando, iudicando conciliat inter se homines coniungitque naturali quadam societate, neque ulla re longius absumus a natura ferarum, in quibus inesse fortitudinem saepe dicimus, ut in equis, in leonibus, iustitiam, aequitatem, bonitatem non dicimus; sunt enim rationis et orationis expertes. 51. Ac latissime quidem patens hominibus inter ipsos, omnibus inter omnes societas haec est: in qua omnium rerum, quas ad communem hominum usum natura genuit, est servanda communitas, ut, quae discripta sunt legibus et iure civili, haec ita teneantur, ut sit constitutum legibus ipsis, cetera sic observentur, ut in Graecorum proverbio est, «amicorum esse communia omnia.» Omnium autem communia hominum videntur ea, quae sunt generis eius, quod ab Ennio positum in una re transferri in permultas potest:

Homo, qui erranti comiter monstrat viam,
Quasi lumen de suo lumine accendat facit.
Nihilo minus ipsi lucet, cum illi accenderit.

Una ex re satis praecipit ut, quicquid sine detrimento commodari possit, id tribuatur vel ignoto. 52. Ex quo sunt illa communia, non prohibere aqua profluente, pati ab igne ignem capere, si qui velit, consilium fidele deliberanti dare: quae sunt iis utilia, qui accipiunt, danti non molesta. Qua re et his utendum est et semper aliquid ad communem utilitatem afferendum. Sed quoniam copiae parvae singulorum sunt, eorum autem, qui his egeant, infinita est multitudo, vulgaris liberalitas referenda est ad illum Ennii finem Nihilo minus ipsi lucet, ut facultas sit, qua in nostros simus liberales.

XVII. 53. Gradus autem plures sunt societatis hominum. Ut enim ab illa infinita discedatur, propior est eiusdem gentis, nationis, linguae, qua maxume homines coniunguntur. Interius etiam est eiusdem esse civitatis; multa enim sunt civibus inter se communia: forum, fana, porticus, viae, leges, iura, iudicia, suffragia, consuetudines praeterea et familiaritates multisque cum multis res rationesque contractae. Artior vero colligatio est societatis propinquorum; ab illa enim inmensa societate humani generis in exiguum angustumque concluditur. 54. Nam

---

6. *enim* BHc : *autem* Aab — 9. *discr.* H,b : *descr.* ABaco — *legibus ipsis* Gulielmius : *e quibus ipsis* ABHabo ; *ex quibus ipsis* c; [*e quibus ipsis*] Facciolatus. Cf. Madvig ad Cic. de Finib. p. 504. — 11. *communia esse* c — 12. *Omnium* Zumptius («*hominum communia* nihil est, satis esset *communia* simpliciter, et *omnia* redundat»): *Omnia* Co. «In proverbio hoc solum erat, *amicorum* esse communia omnia; cui sententiae hic opponitur: *omnium* autem *hominum* cet. *Omnia* si scripsisset Cicero, non primo loco posuisset, sed potius postremo (*communia autem hominum omnia*).» Lund. — *hominum*] *omnium* c — 13. *transferri in permultas potest* ABHb : *transferri in multas potest* apo ; *in multas potest transferri* c — 15. *comiter* corr. in *comiti* A ; *communiter* c — *mostrat uiam* Ab; *uiam monstrat* B — 16. *facit quod nichilominus* c — 17. *ipsi luceat* ABHbc ; *ipsi ut luceat* a. Cf. § 52. — 18. *praecipit* AHabo : *praecepit* B ; *praecipitur* o — 20. *aquam profluentem* p — *si cui uelit* o — 21. *iis* Ab : *his* BHa, *hijs* c — 22. *et iis* Ab, *et hijs* c — 24. *his* ABHab : *hijs* c, *iis* o — *liberalitatis* H — 25. *ad illum referenda est* c — *nichilominus scilicet ut* c — 28. *ab infinita illa* p ; *ab illa infinita multitudine* c — *propior* Aac (ex correctione) : *proprior* BHb — 32. *multisque* Cp : *multaeque* alii. — *arctior* c — 33. *collatio* b.

cum sit hoc natura commune animantium, ut habeant lubidinem procreandi, prima societas in ipso coniugio est, proxima in liberis, deinde una domus, communia omnia. Id autem est principium urbis et quasi seminarium rei publicae. Sequuntur fratrum coniunctiones, post consobrinorum sobrinorumque, qui cum una domo iam capi non possint, in alias domos tamquam in colonias exeunt. Sequuntur conubia et adfinitates, ex quibus etiam plures propinqui. Quae propagatio et suboles origo est rerum publicarum. Sanguinis autem coniunctio et benevolentia devincit homines et caritate. 55. Magnum est enim eadem habere monumenta maiorum, eisdem uti sacris, sepulchra habere communia. Sed omnium societatum nulla praestantior est, nulla firmior quam cum viri boni moribus similes sunt familiaritate coniuncti. Illud enim honestum, quod saepe dicimus, etiam si in alio cernimus, [tamen] nos movet atque illi, in quo id inesse videtur, amicos facit. 56. Et quamquam omnis virtus nos ad se allicit facitque ut eos diligamus, in quibus ipsa inesse videatur, tamen iustitia et liberalitas id maxime efficit. Nihil autem est amabilius nec copulatius quam morum similitudo bonorum; in quibus enim eadem studia sunt, eaedem voluntates, in iis fit ut aeque quisque altero delectetur ac se ipso, efficiturque id, quod Pythagoras vult in amicitia, ut unus fiat ex pluribus. Magna etiam illa communitas est, quae conficitur ex beneficiis ultro et citro datis acceptis, quae et mutua et grata dum sunt, inter quos ea sunt firma devinciuntur societate. 57. Sed cum omnia ratione animoque lustraris, omnium societatum nulla est gravior, nulla carior quam ea, quae cum re publica est uni cuique nostrum. Cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares, sed omnes omnium caritates patria una complexa est, pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus? Quo est detestabilior istorum inmanitas, qui lacerarunt omni scelere patriam et in ea funditus delenda occupati et sunt et fuerunt. 58. Sed si contentio quaedam et comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum sit officii, principes sint patria et parentes, quorum beneficiis maximis obligati sumus, proximi liberi totaque domus, quae spectat in nos solos neque aliud ullum potest habere perfugium, deinceps bene convenientes propinqui, quibuscum communis etiam fortuna plerumque est. Quam ob rem necessaria praesidia vitae debentur iis maxime, quos ante dixi, vita autem

---

1. *cum sit hoc commune naturae animalium* p — *hoc natura sit* o — *natura* corr. in *naturae* A — 3. *domus cui sunt communia* a; *domus et communia* p — 5. *possunt* o — 6. *tanquam* corr. ex *quasi* b — *connubia* o o — 7. *soboles* B a o. Cf. Marini Atti de' fratelli Arvali p. 828. — 8. *rerum est* o — *et* ante *benevol.* cum Iac. Gronovio om. o — *beniuolentia* C — 9. *homines et caritate* Perizonius: *homines caritate* C — 10. *sepulcra* A b o — 13. *diximus* A b; *predicimus* o — *tamen* del. Unger. — 14. *id* om. p — 15. *alliciat faciatque* p — 18. *sunt* superscr. in a — *eadem uoluntates* a — *iis* A b: *is* (post erasam litteram) a, *his* B H, *hijs* o — 19. *efficiturque id quod Pythagoras ultimum in amicitia putavit, ut unus fiat ex pluribus* Nonius (s. v. *ultimum*) p. 417. — *idque efficitur* o — 20. *amicicias* o — *unum* p — 21. *ultro et citro* A H a b o: *ultro citroque* B; *ultro citro* o — *acceptisque et* B H a o; *exceptis quae et* A b — 23. *sed cum -- lustraveris* Nonius p. 336. — *omni ratione* A b — 24. *gratior* p — 27. *quo detestabilior illorum immanitas, qui et laceraverunt omni scelere patriam* Nonius p. 323. — 28. *et in ea f. d. occupati sunt et ferunt* Nonius p. 355. — 30. *officium* (in marg. m. sec. *amoris*) o — 33. *profugium* p — *propinqui* superscr. in a — 34. *quibus communis* A b — *etiam* om. B[1] — 35. *his* A B H a b, *hijs* o.

victusque communis, consilia, sermones, cohortationes, consolationes, interdum etiam obiurgationes, in amicitiis vigent maxime, estque ea iucundissima amicitia, quam similitudo morum coniugavit.

XVIII. 59. Sed in his omnibus officiis tribuendis videndum erit, quid cuique maxime necesse sit et quid quisque vel sine nobis aut possit consequi aut non possit. Ita non idem erunt necessitudinum gradus qui temporum, suntque officia, quae aliis magis quam aliis debeantur, ut vicinum citius adiuveris in fructibus percipiendis quam aut fratrem aut familiarem, at, si lis in iudicio sit, propinquum potius et amicum quam vicinum defenderis. Haec igitur et talia circumspicienda sunt in omni officio [et consuetudo exercitatioque capienda], ut boni ratiocinatores officiorum esse possimus et addendo deducendoque videre, quae reliqui summa fiat, ex quo, quantum cuique debeatur, intellegas. 60. Sed, ut nec medici nec imperatores nec oratores, quamvis artis praecepta perceperint, quicquam magna laude dignum sine usu et exercitatione consequi possunt, sic officii conservandi praecepta traduntur illa quidem, ut facimus ipsi, sed rei magnitudo usum quoque exercitationemque desiderat. Atque ab iis rebus, quae sunt in iure societatis humanae, quem ad modum ducatur honestum, ex quo aptum est officium, satis fere diximus.

61. Intellegendum autem est, cum proposita sint genera quattuor, e quibus honestas officiumque manaret, splendidissimum videri, quod animo magno elatoque humanasque res despiciente factum sit. Itaque in probris maxime in promptu est, si quid tale dici potest:

Vos enim, iuvenes, animum geritis muliebrem, illa virgo viri,

et si quid eius modi:

Salmacida spolia sine sudore et sanguine.

Contraque in laudibus, quae magno animo et fortiter excellenterque gesta sunt, ea nescio quo modo quasi pleniore ore laudamus. Hinc rhetorum campus de Marathone, Salamine, Plataeis, Thermopylis, Leuctris, hinc noster Cocles, hinc Decii, hinc Cn. et P. Scipiones, hinc M. Marcellus, innumerabiles alii, maximeque ipse populus Romanus animi magnitudine excellit. Declaratur autem studium bellicae gloriae, quod statuas quoque videmus ornatu fere militari.

XIX. 62. Sed ea animi elatio, quae cernitur in periculis et laboribus, si iustitia vacat pugnatque non pro salute communi, sed pro suis

2. *maxime* om. p — *estque ea -- coniugavit* ab hoc loco aliena esse censuit Facciolatus. — 3. *iocundissima* B a c — 5. *quisque* om. c — 7. *sunt autem officia* c — 11. *et consuetudo exercitatioque capienda* spuria esse primus vidit Facciolatus. — *exercitaque* superscr. *tio* b — 12. *deducendoque* p: *ducendoque* A B H a b (superscr. sec. m. *demendo* in A, *discendo* in a); *demendoque* c — 13. *quantum debeatur unicuique intelligatur* c — 15. *usu et* in rasura duarum litterarum om. c — 18. *ab his* C (*hijs* c) — 21. *est autem* B c — 23. *humanasque* C: *humanas* c — 24. *inprobis* A b (superscr. *in probris* A) — 25. *enim* A B H b c: *etenim* a c — *muliebrem* versum hexametrum claudit in c — *uirgo* C (etiam c): *virago* c. Cf. Lachmann ad Lucret. p. 227. — 28. *Salmacida spolia* Ios. Scaliger (Lection. Auson. I, 28): *Salmaci, da spolia* c — 29. *animo et fortiter* A B H a b: *animo* c; *animo, fortiter* c — 31. *marthathone* B H a c, *martathone* b — *plateis* H a c, *platheis* b — *thermopilis* (priore *i* in ras.) B, *thermophylis* a, *thermophilis* b, *termophilis* c — *Leuctris, hinc noster Cocles* Petrus Balduinus: *leutris stercocles* A B H a b, *leutrister chodes* c — 33. *marcellus et innumerabiles* c — *ipse* om. c.

commodis, in vitio est; non modo enim id virtutis non est, sed est potius inmanitatis omnem humanitatem repellentis. Itaque probe definitur a Stoicis fortitudo, cum eam virtutem esse dicunt propugnantem pro aequitate. Quocirca nemo, qui fortitudinis gloriam consecutus est insidiis et malitia, laudem est adeptus; nihil enim honestum esse potest, quod iustitia vacat. 63. Praeclarum igitur illud Platonis: «Non» inquit «solum scientia, quae est remota ab iustitia, calliditas potius quam sapientia est appellanda, verum etiam animus paratus ad periculum, si sua cupiditate, non utilitate communi inpellitur, audaciae potius nomen habeat quam fortitudinis.» Itaque viros fortes et magnanimos eosdem bonos et simplices, veritatis amicos minimeque fallaces esse volumus: quae sunt ex media laude iustitiae. 64. Sed illud odiosum est, quod in hac elatione et magnitudine animi facillime pertinacia et nimia cupiditas principatus innascitur. Ut enim apud Platonem est, omnem morem Lacedaemoniorum inflammatum esse cupiditate vincendi, sic, ut quisque animi magnitudine maxume excellit, ita maxume vult princeps omnium vel potius solus esse. Difficile autem est, cum praestare omnibus concupieris, servare aequitatem, quae est iustitiae maxume propria. Ex quo fit ut neque disceptatione vinci se nec ullo publico ac legitimo iure patiantur, existuntque in re publica plerumque largitores et factiosi, ut opes quam maxumas consequantur et sint vi potius superiores quam iustitia pares. Sed quo difficilius, hoc praeclarius. Nullum enim est tempus quod iustitia vacare debeat. 65. Fortes igitur et magnanimi sunt habendi non qui faciunt, sed qui propulsant iniuriam. Vera autem et sapiens animi magnitudo honestum illud, quod maxume natura sequitur, in factis positum, non in gloria iudicat principemque se esse mavult quam videri. Etenim qui ex errore imperitae multitudinis pendet, hic in magnis viris non est habendus. Facillime autem ad res iniustas inpellitur, ut quisque altissimo animo est, gloriae cupiditate: qui locus est sane lubricus, quod vix invenitur, qui laboribus susceptis periculisque aditis non quasi mercedem rerum gestarum desideret gloriam.

XX. 66. Omnino fortis animus et magnus duabus rebus maxime cernitur, quarum una in rerum externarum despicientia ponitur, cum persuasum est nihil hominem nisi quod honestum decorumque sit aut admirari aut optare aut expetere oportere nullique neque homini neque perturbationi animi nec fortunae subcumbere. Altera est res, ut, cum ita sis affectus animo, ut supra dixi, res geras magnas illas quidem et maxume utiles, sed [ut] vehementer arduas plenasque laborum et peri-

---

2. *immanitas* **a** — *probe* superscr. in **a**; *proba* B H b — 5. *enim* **a o**: om. A B H b o — 7. *a iusticia* o — 10. *et* **a**: om. A B H b o p — 11. *simplicis* B H a c — 16. *excellet* A B H b o; cf. p. 657, 34. — *omnium. uult solus* o — 21. *ui* **a**: *ut* A B H b; *utcumque* o — 22. *enim est tempus* A H a b o: *enim tempus est* B; *est enim tempus* o — 24. *autem* om. o — 29. *altissimo animo est, gloriae cupiditate* Pearcius (cuius emendationem firmarunt codd. aliquot): *altissimo animo et gloriae cupiditate* A B H b p; *altissimo animo et gloriae cupidus est* **a**; *est altissimo animo et gloria et cupiditate* o — 30. *quod*] *quoniam* **a** — 32. *Omnis* o — 34. *persuasum est* Madvig (ad Cic. de Finib. p. 448 sq.): *persuasum sit* C o. Cf. III § 44. 89. — *honestum sit decorumque aut* o — 35. *aut expetere oportere* om. A a b — 38. *ut* A B H a b: *et* o p. Malim utramque particulam abesse; nam qui loci ad *ut* defendendum afferuntur (de orat. II § 251 et Brut. § 348) prorsus diversi sunt, cum in illis praecedat *non ut*.

culorum cum vitae, tum multarum rerum, quae ad vitam pertinent. 67. Harum rerum duarum splendor omnis, amplitudo, addo etiam utilitatem, in posteriore est, causa autem et ratio efficiens magnos viros in priore. In eo est enim illud, quod excellentes animos et humana contemnentes facit. Id autem ipsum cernitur in duobus, si et solum id, quod honestum sit, bonum iudices et ab omni animi perturbatione liber sis. Nam et ea, quae eximia plerisque et praeclara videntur, parva ducere eaque ratione stabili firmaque contemnere fortis animi magnique ducendum est, et ea, quae videntur acerba, quae multa et varia in hominum vita fortunaque versantur, ita ferre, ut nihil a statu naturae discedas, nihil a dignitate sapientis, robusti animi est magnaeque constantiae. 68. Non est autem consentaneum, qui metu non frangatur, eum frangi cupiditate, nec, qui invictum se a labore praestiterit, vinci a voluptate. Quam ob rem et haec vitanda et pecuniae fugienda cupiditas; nihil enim est tam angusti animi tamque parvi quam amare divitias, nihil honestius magnificentiusque quam pecuniam contemnere, si non habeas, si habeas, ad beneficentiam liberalitatemque conferre. Cavenda etiam est gloriae cupiditas, ut supra dixi; eripit enim libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet esse contentio. Nec vero imperia expetenda ac potius aut non accipienda interdum aut deponenda non numquam. 69. Vacandum autem omni est animi perturbatione, cum cupiditate et metu, tum etiam aegritudine et voluptate et iracundia, ut tranquillitas animi et securitas adsit, quae affert cum constantiam tum etiam dignitatem. Multi autem et sunt et fuerunt, qui eam, quam dico, tranquillitatem expetentes a negotiis publicis se removerint ad otiumque perfugerint: in his et nobilissimi philosophi longeque principes et quidam homines severi et graves nec populi nec principum mores ferre potuerunt vixeruntque non nulli in agris delectati re sua familiari. 70. His idem propositum fuit quod regibus, ut ne qua re egerent, ne cui parerent, libertate uterentur, cuius proprium est sic vivere, ut velis. XXI. Quare cum hoc commune sit potentiae cupidorum cum iis, quos dixi, otiosis, alteri se adipisci id posse arbitrantur, si opes magnas habeant, alteri, si contenti sint et suo et parvo. In quo neutrorum omnino contemnenda sententia est, sed et facilior et tutior et minus aliis gravis aut molesta vita est otiosorum, fructuosior autem hominum

---

1. *cum* ABHab: *tum* opo — *tum aliarum causa rerum* p — 2. *duarum rerum* o — *amplitudo* C: *et amplitudo* o. Cf. ad Famil. III, 7, 5. — 3. *est* in A erasum est. — 4. *enim est* o — 5. *si et*] *etsi* Aab — 8. *et magni* o — 11. *discedat. nichilque* o — *robusti*] *hoc robusti* a — *est* superscriptum est in b, erasum in A — 13. *se inuictum* o — 14. *vitanda* duo codd. Guelpherbytani: *videnda* Cpo, «quod plane ineptum est. *Videre* potest illud quidem idem esse atque *providere, curare*, sed h. l. contraria notio postulatur.» Lund. — 15. *Nil* (*l* in ras. duar. litt.) o — *est* superscr. in b — 17. *si habeas* om. A — *beneficentiam* H: *beneficientiam* ABabop — 18. *etiam est* ABab: *est etiam* Hoo — 21. *animi est* o — *cum* A[1]BHab: *tum* A[2]oo — 22. *voluptate* cod. Guelpherbytanus tertius: *uoluptate animi* AHabo; *voluptate nimia* o; *et uoluptate animi et securitas* (mediis omissis, in marg. m. recent. suppletis verbis *et iracundia ut tranquillitas animi*) B — 23. *tum* A[2]o (*cum* A[1]) — 25. *remouerint -- perfugerint* ABabo: *remouerunt -- perfugerunt* Ho — *et ad ocium* o — 26. *in his et nobilissimi philosophi longe principes* Nonius p. 339. — 28. *in agris nonnullis* A — 31. *sit commune* o — *his* C (*hijs* o) — 32. *sic opes* H — 33. *sunt* o — 34. *est sententia* o — 35. *est uita* o.

generi et ad claritatem amplitudinemque aptior eorum, qui se ad rem publicam et ad magnas res gerendas accommodaverunt. 71. Quapropter et iis forsitan concedendum sit rem publicam non capessentibus, qui excellenti ingenio doctrinae sese dediderunt, et iis, qui aut valetudinis inbecillitate aut aliqua graviore causa impediti a re publica recesserunt, cum eius administrandae potestatem aliis laudemque concederent. Quibus autem talis nulla sit causa, si despicere se dicant ea, quae plerique mirentur, imperia et magistratus, iis non modo non laudi, verum etiam vitio dandum puto. Quorum iudicium in eo, quod gloriam contemnant et pro nihilo putent, difficile factu est non probare, sed videntur labores et molestias, tum offensionum et repulsarum quasi quandam ignominiam timere et infamiam. Sunt enim qui in rebus contrariis parum sibi constent, voluptatem severissime contemnant, in dolore sint molliores, gloriam neglegant, frangantur infamia, atque ea quidem non satis constanter. 72. Sed iis, qui habent a natura adiumenta rerum gerendarum, abiecta omni cunctatione adipiscendi magistratus et gerenda res publica est; nec enim aliter aut regi civitas aut declarari animi magnitudo potest. Capessentibus autem rem publicam nihilo minus quam philosophis, haud scio an magis etiam, et magnificentia et despicientia adhibenda est rerum humanarum, quam saepe dico, et tranquillitas animi atque securitas, si quidem nec anxii futuri sunt et cum gravitate constantiaque victuri. 73. Quae faciliora sunt philosophis, quo minus multa patent in eorum vita, quae fortuna feriat, et quo minus multis rebus egent, et quia, si quid adversi eveniat, tam graviter cadere non possunt. Quocirca non sine causa maiores motus animorum concitantur maiorque cura efficiendi rem publicam gerentibus quam quietis, quo magis iis et magnitudo est animi adhibenda et vacuitas ab angoribus. Ad rem gerendam autem qui accedit caveat ne id modo consideret, quam illa res honesta sit, sed etiam ut habeat efficiendi facultatem: in quo ipso considerandum est ne aut temere desperet propter ignaviam aut nimis confidat propter cupiditatem. In omnibus autem negotiis prius quam adgrediare adhibenda est praeparatio diligens.

XXII. 74. Sed cum plerique arbitrentur res bellicas maiores esse quam urbanas, minuenda est haec opinio. Multi enim bella saepe quaesiverunt propter gloriae cupiditatem, atque id in magnis animis ingeniisque plerumque contingit eoque magis, si sunt ad rem militarem apti [et cupidi bellorum gerendorum]. Vere autem si volumus iudicare,

---

1. *qui se -- accommodaverunt* Nonius p. 244. — 3. *iis* A B b: *his* H a, *hijs* o; item v. 4 et 8. — 4. *ualitudinis* C — 7. *nulla talis* o — 8. *non* ante *laudi* om. A¹b — 11. *tum* superscr. *cum* B H; *tam* o — *offensionem* A b — *quandam* om. o — 15. *his* C (*hijs* o) — *adiumentum* H o — 16. *omni abiecta* o — 18. *nihil* C. Vide ad p. 213, 15. — 19. *ea* (pro *et*) *magnificentia* cum Madvigio Lund, quoniam diremptio *magnificentiae* et *despicientiae* duplici *et* prava sit. Cf. tamen § 66. — 20. *est* Manutius: *sit* C o — *quam saepe dico et tranquillitas* C: *et ea, quam saepe dico, tranquillitas* o — 22. *quae eo faciliora* a — 26. *maiorque cura efficiendi* a: *maioraque efficiendi* A¹B H b o; *maioraque efficienda* A²p — 27. *iis* A B b: *his* H a, *hijs* o — *animi est* o — 29. *honesta res* o — 33. *res b. m. esse arbitrentur* B — 36. *eaque* A H o — *magis usi sunt* A b — 37. *et cupidi bellorum gerendorum* del. Herm. Sauppius. «Nam quomodo tandem ii maxime bella quaesivisse dici possunt, qui sunt cupidi bellorum gerendorum? Hoc ferri non posse I. F. Heusinger cum perspexisset, *callidi* legi voluit [similiter in *cupidi* latere verbum,

multae res extiterunt urbanae maiores clarioresque quam bellicae. 75. Quamvis enim Themistocles iure laudetur et sit eius nomen quam Solonis inlustrius citeturque Salamis clarissimae testis victoriae, quae anteponatur consilio Solonis ei, quo primum constituit Areopagitas, non minus praeclarum hoc quam illud iudicandum est. Illud enim semel profuit, hoc semper proderit civitati: hoc consilio leges Atheniensium, hoc maiorum instituta servantur. Et Themistocles quidem nihil dixerit, in quo ipse Areopagum adiuverit, at ille vere a se adiutum Themistoclem; est enim bellum gestum consilio senatus eius, qui a Solone erat constitutus. 76. Licet eadem de Pausania Lysandroque dicere, quorum rebus gestis quamquam imperium *partum* Lacedaemoniis putatur, tamen ne minima quidem ex parte Lycurgi legibus et disciplinae conferendi sunt; quin etiam ob has ipsas causas et parentiores habuerunt exercitus et fortiores. Mihi quidem neque pueris nobis M. Scaurus C. Mario neque, cum versaremur in re publica, Q. Catulus Cn. Pompeio cedere videbatur; parvi enim sunt foris arma, nisi est consilium domi. Nec plus Africanus, singularis et vir et imperator, in exscindenda Numantia rei publicae profuit quam eodem tempore P. Nasica privatus, cum Ti. Gracchum interemit: quamquam haec quidem res non solum ex domestica est ratione — attingit etiam bellicam, quoniam vi manuque confecta est —, sed tamen id ipsum est gestum consilio urbano sine exercitu. 77. Illud autem optimum est, in quod invadi solere ab inprobis et invidis audio:

Cedant arma togae, concedat laurea laudi.

Ut enim alios omittam, nobis rem publicam gubernantibus nonne togae arma cesserunt? Neque enim periculum in re publica fuit gravius umquam nec maius otium: ita consiliis diligentiaque nostra celeriter de manibus audacissimorum civium delapsa arma ipsa ceciderunt. Quae res igitur gesta umquam in bello tanta? qui triumphus conferendus? 78. Licet enim mihi, Marce fili, apud te gloriari, ad quem et hereditas huius gloriae et factorum imitatio pertinet. Mihi quidem certe vir abundans bellicis laudibus, Cn. Pompeius, multis audientibus hoc tribuit,

---

quod *peritum* significet, iudicavit Ruhnkenius Philol. Schneidew. V, 753], sed cum haec vocabula commutata esse parum verisimile sit, tum parum hoc videtur ab iis differre, quae praecedunt: *ad rem militarem apti*. Satius est existimare verba *cupidi bellorum gerendorum* ab eo, qui rem memorabilem tractari monere vellet, in margine adscripta fuisse.» Cf. Bake Mnemos. IX p. 304. — *Uerum* A b.

3. *citeturque psalmis clarissimae victoriae, quae anteponatur consilio Solonis* Nonius p. 265. — 4. *ei consilio solonis* c — *ariopagitas* A b c — 5. *hoc praeclarum* c — 8. *ariopagum* c — *at ille uere se adiutum* A B H b; *at illo verum est esse adiutum* a; *at ille uere adiuuit* c p; *at ille vere ab se adiutum* o — 11. *partum* Lambinus (sed post *Lacedaemoniis*): om. C o — *lacedaemoniis putatur* A¹ B H a b: *lacedaemoniis dilatatum putatur* A²; *dilatatum lacedaemoniis putatur* c; *Lacedaemonis putatur dilatatum* o — 12. *lygurgi* H a, *ligurgi* A b c — *disciplina* B a b — 13. *Qui etiam* c — *exercitus habuerunt* A — 14. *G.* A c — 15. *Gn.* A — 17. *exscindenda* B, *excindenda* A H a b: *excidenda* c o — 18. *cum .t. gracchum* C (*graccum* c) — 20. *ratione sed attingit* a — 21. *id ipsum tamen* c — 22. *solere* om. c — *audio et invidis* c — 25. *nonne* om. A b — 27. *otium* corr. m. sec. in *odium* A — *de manibus audacissimorum civium - - rem .p. uelint* (§ 87)] Haec verba in c folium nonum continet, quod cum sexto decimo (§ 142) ab recentiore manu scriptum ceteris postea adglutinatum est. — 30. *.m. fili* A B H b, *M. filij* c — *et* om. c — 32. *Gn.* A — *hoc attribuit* c.

ut diceret frustra se triumphum tertium deportaturum fuisse, nisi meo in rem publicam beneficio ubi triumpharet esset habiturus. Sunt igitur domesticae fortitudines non inferiores militaribus: in quibus plus etiam quam in his operae studiique ponendum est.

XXIII. 79. Omnino illud honestum, quod ex animo excelso magnificoque quaerimus, animi efficitur, non corporis viribus. Exercendum tamen corpus et ita afficiendum est, ut oboedire consilio rationique possit in exsequendis negotiis et in labore tolerando. Honestum autem id, quod exquirimus, totum est positum in animi cura et cogitatione: in quo non minorem utilitatem afferunt qui togati rei publicae praesunt quam qui bellum gerunt. Itaque eorum consilio saepe aut non suscepta aut confecta bella sunt, non numquam etiam inlata, ut M. Catonis bellum tertium Punicum, in quo etiam mortui valuit auctoritas. 80. Qua re expetenda quidem magis est decernendi ratio quam decertandi fortitudo, sed cavendum ne id bellandi magis fuga quam utilitatis ratione faciamus. Bellum autem ita suscipiatur, ut nihil aliud nisi pax quaesita videatur. Fortis vero animi et constantis est non perturbari in rebus asperis nec tumultuantem de gradu deici, ut dicitur, sed praesenti animo uti et consilio nec a ratione discedere. 81. Quamquam hoc animi, illud etiam ingenii magni est, praecipere cogitatione futura et aliquanto ante constituere, quid accidere possit in utramque partem et quid agendum sit, cum quid evenerit, nec committere ut aliquando dicendum sit: «Non putaram.» Haec sunt opera magni animi et excelsi et prudentia consilioque fidentis. Temere autem in acie versari et manu cum hoste confligere immane quiddam et beluarum simile est, sed cum tempus necessitasque postulat, decertandum manu est et mors servituti turpitudinique anteponenda.

XXIV. 82. De evertendis autem diripiendisque urbibus valde considerandum est ne quid temere, ne quid crudeliter. Idque est viri magni, rebus agitatis punire sontes, multitudinem conservare, in omni fortuna recta atque honesta retinere. Ut enim sunt, quem ad modum supra dixi, qui urbanis rebus bellicas anteponant, sic reperias multos, quibus periculosa et calida consilia quietis et cogitatis splendidiora et maiora videantur. 83. Numquam omnino periculi fuga committendum est ut inbelles timidique videamur, sed fugiendum illud etiam, ne offeramus nos periculis sine causa, quo esse nihil potest stultius. Quapropter in adeundis periculis consuetudo imitanda medicorum est, qui

---

2. *in re .p.* B — 3. *etiam plus* o — 9. *exquirimus* H — 11. *saepe* om. c — 13. *quare explenda quidem magis est decernendi oratio quam decertandi fortitudo* Nonius p. 285. — 14. *magis quidem* o — *est* om. c — 17. *animi* C p: om. o. Vide ad p. 228, 21. — *non turbari* o — 18. *nec tumultuantem de gradu deiciunt* Nonius p. 317. — *tumultu de* o — 20. *percipere* A² c — *aliquando* C — 22. *nec quid committere* A — 23. *haec sunt opera magni animi et excellentis et prudentiae quae consilioque fidentis* Nonius p. 498. — *magni et excelsi animi* p — *prudentiae* B — 24. *euersari* A¹ H — 27. *anteponenda est* o — 29. *temere fiat ne* o. Cf. § 34. — *crudeliter* superscr. *s.* (scilicet) *fiat* a — *magni uiri* A a b — 32. *urbanis*] *humanis* a — *anteponunt* o — *sic repperias - - calida consilia* Nonius p. 263. — *repperias* B H; *reperies* A b c — 33. *callida* C — *consilia et quietis et cogitationis* A B H a b; *consilia et quietis cogitationibus* c p — *splendidiora* A B H a b p: *splendida* c; *et splendidiora* o — 35. *ut in bellicis timidique* c — *illud etiam* A B H a b: *istud etiam* c; *etiam illud* o — 37. *medicorum imitanda* c.

leviter aegrotantes leniter curant, gravioribus autem morbis periculosas curationes et ancipites adhibere coguntur. Quare in tranquillo tempestatem adversam optare dementis est, subvenire autem tempestati quavis ratione sapientis, eoque magis, si plus adipiscare re explicata boni quam addubitata mali. Periculosae autem rerum actiones partim iis sunt, qui eas suscipiunt, partim rei publicae. Itemque alii de vita, alii de gloria et benevolentia civium in discrimen vocantur. Promptiores igitur debemus esse ad nostra pericula quam ad communia dimicareque paratius de honore et gloria quam de ceteris commodis. 84. Inventi autem multi sunt, qui non modo pecuniam, sed etiam vitam profundere pro patria parati essent, idem gloriae iacturam ne minimam quidem façere vellent, ne re publica quidem postulante, ut Callicratidas, qui, cum Lacedaemoniorum dux fuisset Peloponnesiaco bello multaque fecisset egregie, vertit ad extremum omnia, cum consilio non paruit eorum, qui classem ab Arginusis removendam nec cum Atheniensibus dimicandum putabant. Quibus ille respondit Lacedaemonios classe illa amissa aliam parare posse, se fugere sine suo dedecore non posse. Atque haec quidem Lacedaemoniis plaga mediocris, illa pestifera, qua, cum Cleombrotus invidiam timens temere cum Epaminonda conflixisset, Lacedaemoniorum opes corruerunt. Quanto Q. Maximus melius! de quo Ennius:

Unus homo nobis cunctando restituit rem.
Noenum rumores ponebat ante salutem.
Ergo postque magisque viri nunc gloria claret.

Quod genus peccandi vitandum est etiam in rebus urbanis. Sunt enim qui quod sentiunt, etsi optimum sit, tamen invidiae metu non audent dicere.

XXV. 85. Omnino qui rei publicae praefuturi sunt duo Platonis praecepta teneant: unum, ut utilitatem civium sic tueantur, ut quaecumque agunt ad eam referant obliti commodorum suorum, alterum, ut totum corpus rei publicae curent, ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. Ut enim tutela, sic procuratio rei publicae ad eorum utilitatem, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa est, gerenda est. Qui autem parti civium consulunt, partem neglegunt, rem perniciosissimam in civitatem inducunt, seditionem atque discordiam: ex quo evenit ut alii populares, alii studiosi optimi cuiusque videantur, pauci universorum. 86. Hinc apud Atheniensis magnae discordiae, in

---

1. *gravioribus autem morbis periculo curationes et ancipitis adigere coguntur* Nonius p. 364. — 3. *aduersam* in marg. b — 4. *quam re addubitata* o — 5. *his* C — 7. *beniuolentia* C (ubique) — *in* om. o — 8. *partius* B — 10. *vitam etiam* o — 11. *iidem* o — 12. *quidem* om. o — *qui*] *qñ* (*quando*) o — 14. *uertit* C: *euertit* alii. — 15. *ab arruginusis* o — *remouenda* o — 17. *se*] *sed* A b o — *posset* o — *quidem de lacedemoniis* C — 18. *mediocris* superscr. scholio *s. fuit* a, *mediocris fuit* o — *quã* A[1]b; *per quã* A[2] — *cum de ombronis inuidiam* o — 20. *quanto* (superscr. *q.*) *maximus* B, *quantoq. maximus* a b, *quantoque maximus* A[1] H, *quantoque Q. maximus* A[2], *quanto. C. maxius* o — 21. *cunctando nobis* o — 22. *Noenum rumores ponebat* Lachmannus (ad Lucret. III, 198): *Non enim rumores ponebat* C p o; *Non ponebat enim rumores* alii. Vide ad p. 588, 1 sqq. — 23. *postque*] *postea* o — *magis quẽ* H a b; *magis magisque* o — 25. *etsi* C: *etiam si* o — *obtimum* A b — *etsi optimumst* Halmius. — *audeant* Ernestius. — 30. *curent*] *tuerentur* o — *ne* C: *nec* alii. — *tueantur* o — 32. *est* (post *commissa*) add. C: om. o — 34. *perniciosam* o — *seditionemque atque* A — 35. *cuiusque caris uideantur* o — 36. *atheniensis* A b: *athenienses* B H a c o.

nostra re publica non solum seditiones, sed etiam pestifera bella civilia: quae gravis et fortis civis et in re publica dignus principatu fugiet atque oderit tradetque se totum rei publicae neque opes aut potentiam consectabitur totamque eam sic tuebitur, ut omnibus consulat. Nec vero criminibus falsis in odium aut invidiam quemquam vocabit omninoque ita iustitiae honestatique adhaerescet, ut, dum ea conservet, quamvis graviter offendat mortemque oppetat potius quam deserat illa, quae dixi. 87. Miserrima omnino est ambitio honorumque contentio, de qua praeclare apud eundem est Platonem, «similiter facere eos, qui inter se contenderent, uter potius rem publicam administraret, ut si nautae certarent, quis eorum potissimum gubernaret.» Idemque praecipit ut «eos adversarios existimemus, qui arma contra ferant, non eos, qui suo iudicio tueri rem publicam velint,» qualis fuit inter P. Africanum et Q. Metellum sine acerbitate dissensio.

88. Nec vero audiendi qui graviter inimicis irascendum putabunt idque magnanimi et fortis viri esse censebunt; nihil enim laudabilius, nihil magno et praeclaro viro dignius placabilitate atque clementia. In liberis vero populis et in iuris aequabilitate exercenda etiam est facilitas et altitudo animi quae dicitur, ne, si irascamur aut intempestive accedentibus aut inpudenter rogantibus, in morositatem inutilem et odiosam incidamus. Et tamen ita probanda est mansuetudo atque clementia, ut adhibeatur rei publicae causa severitas, sine qua administrari civitas non potest. Omnis autem et animadversio et castigatio contumelia vacare debet neque ad eius, qui punitur aliquem aut verbis castigat, sed ad rei publicae utilitatem referri. 89. Cavendum est etiam ne maior poena quam culpa sit et ne isdem de causis alii plectantur, alii ne appellentur quidem. Prohibenda autem maxime est ira in puniendo. Numquam enim iratus qui accedet ad poenam mediocritatem illam tenebit, quae est inter nimium et parum, quae placet Peripateticis et recte placet, modo ne laudarent iracundiam et dicerent utiliter a natura datam. Illa vero omnibus in rebus repudianda est optandumque ut ii, qui praesunt rei publicae, legum similes sint, quae ad puniendum non iracundia, sed aequitate ducuntur.

---

1. *sediciones non solum* o — *pestifera etiam* o — 2. *quae gravis et fortis quis et in re publica dignus principatum fugiet atque oderit* Nonius p. 315. — 3. *re .p.* B — 5. *omnino ita* o — 6. *adhaerebit* o — *conseruet quem uis* a — 7. *mortem oppetat* p; *mortemque appetat* o — 8. *miserrima omnino ambitio est bonorumque contentio* Nonius p. 259. — 9. *platonem est* o — 10. *uter*] *ut* o — 11. *potissime* o — *praecepit* o — 12. *ferunt* o — 13. A litteris *o tueri* rursus antiqua manus incipit in c — 15. *nec vero audiendi graviter qui inimicis irascendum putant* Nonius p. 314. — *audiendi sunt qui* o — *inimicis irascendum* C (etiam a): *irascendum inimicis* o — 17. *atque*] *et* o — 18. *exercenda etiam est facilitas et altitudo animi* Nonius p. 294. — 19. *altitudo* ABHab: *lenitudo* co. «Cf. Cic. ad famil. III, 10, 10. Significatur autem non magnus animus, sed profundus, qui non facile mouetur aut ira effervescente exaestuat. Part. orat. § 73: *altitudo animi est in capiendis incommodis et maxime iniuriis.* Sallust. Jug. 95: *altitudo ingeni.* Liv. XXI, 2: *alta indoles.* Tac. Hist. IV, 86.» Lund. — 20. *imprudenter* o — 22. *causae* A — 24. *neque ad eius, qui punitur aliquem verbis fatigat, sed ad rei publicae utilitatem referri* Nonius p. 471. — *punitur* Nonius: *punit* a; *puniet* ABHbo — *castigat* C: *fatigat* o cum Nonio, coll. III § 73. — 26. *isdem* ABb: *hisdem* Ha, *ijsdem* c, *iisdem* o — 27. *ira puniendo* B¹a; *ira a puniendo* B² — 30. *utiliter* om. o — 31. *ut hi* ABab, *ut hii* H, *ut hij* o — 33. *dicuntur* H.

XXVI. 90. Atque etiam in rebus prosperis et ad voluntatem nostram fluentibus superbiam magno opere, fastidium arrogantiamque fugiamus. Nam ut adversas res, sic secundas inmoderate ferre levitatis est praeclaraque est aequabilitas in omni vita et idem semper vultus eademque frons, ut de Socrate itemque de C. Laelio accepimus. Philippum quidem Macedonum regem rebus gestis et gloria superatum a filio, facilitate et humanitate video superiorem fuisse. Itaque alter semper magnus, alter saepe turpissimus, ut recte praecipere videantur qui monent ut, quanto superiores simus, tanto nos geramus summissius. Panaetius quidem Africanum auditorem et familiarem suum solitum ait dicere, ut equos propter crebras contentiones proeliorum ferocitate exultantes domitoribus tradere soleant, ut iis facilioribus possint uti, sic homines secundis rebus ecfrenatos sibique praefidentes tamquam in gyrum rationis et doctrinae duci oportere, ut perspicerent rerum humanarum inbecillitatem varietatemque fortunae. 91. Atque etiam in secundissimis rebus maxime est utendum consilio amicorum iisque maior etiam quam ante tribuenda auctoritas. Isdemque temporibus cavendum est ne assentatoribus patefaciamus auris neve adulari nos sinamus, in quo falli facile est. Tales enim nos esse putamus, ut iure laudemur: ex quo nascuntur innumerabilia peccata, cum homines inflati opinionibus turpiter irridentur et in maximis versantur erroribus. Sed haec quidem hactenus. 92. Illud autem sic est iudicandum, maximas geri res et maximi animi ab iis, qui res publicas regant, quod earum administratio latissime pateat ad plurimosque pertineat, esse autem magni animi et fuisse multos etiam in vita otiosa, qui aut investigarent aut conarentur magna quaedam seseque suarum rerum finibus continerent aut interiecti inter philosophos et eos, qui rem publicam administrarent, delectarentur re sua familiari, non eam quidem omni ratione exaggerantes neque excludentes ab eius usu suos potiusque et amicis inpertientes et rei publicae, si quando usus esset. Quae primum bene parta sit nullo neque turpi quaestu neque odioso, deinde augeatur ratione, diligentia, parsimonia, tum quam plurimis, modo dignis, se utilem praebeat, nec lubidini potius luxuriaeque quam liberalitati et beneficentiae pareat. Haec praescripta servantem licet magnifice, graviter animoseque vivere atque etiam simpliciter, fideliter, † vere hominum amice.

---

1. *uoluptatem* A H a b — 2. *magnopere* C — 3. *praeclaraque -- et idem saepe vultus eademque frons* Nonius p. 427. — 5. *itemque* H² a: *idemque* A B H¹ b c — *G.* A — *accipimus* A B¹ H b — 7. *magnus semper* c — 9. *sumus* B a (corr. in *simus* B) — 10. *ut equos -- tradere solent* Nonius p. 304. — 11. *praeliorum* A B a c — 12. *ut his* C — *possim* H — *uti* om. c — *sic homines -- sibique supra* Nonius p. 389. — 13. *ecfrenatos* H: *etfrenatos* b, *effrenatos* A B a c c — *girum* c c — 15. *uarietatem fortunae* c — *secundis* B¹ — 16. *isque* A¹ b, *hisque* A² B H a, *hijsque* c — *maior -- isdemque* om. H — 17. *isdemque* A b: *hisdemque* B a, *iisdemque* c c — *cavendum est, ne assentatoribus patefaciamus auris ueve adulari nos sinamus* Nonius p. 47. — 18. *auris* Nonius: *aures* C c — *neue* Nonius: *nec* C c. Cf. Wesenberg ad or. p. Sestio p. 37 n. — 21. *in* om. c — 22. *res ēē* (*esse*) *maximi* a; *res maxime* c — 23. *ab his* C — 24. *multos et fuisse* c — 30. *parta* B¹: *parata* A B² H a b c — 31. *deinde -- parsimonia* huc transposui Ungero auctore: post *praebeat* leguntur in C c — 32. *tum quam*] *tamquam* c — 33. *et beneficientiae* A B H a b; *beneficientiaque* c — *pareat* C: *pateat* c — 35. *simpliciter et fideliter* a — *uere* C: *vitae* c; *generi* dubitanter Heine. — *hominum amice*] *hominibus amice vivere* c.

XXVII. 93. Sequitur ut de una reliqua parte honestatis dicendum sit, in qua verecundia et quasi quidam ornatus vitae, temperantia et modestia omnisque sedatio perturbationum animi et rerum modus cernitur. Hoc loco continetur id, quod dici Latine decorum potest; Graece enim πρέπον dicitur: huius vis ea est, ut ab honesto non queat separari. 94. Nam et quod decet honestum est et quod honestum est decet: qualis autem differentia sit honesti et decori, facilius intellegi quam explanari potest. Quicquid est enim quod deceat, id tum apparet, cum antegressa est honestas. Itaque non solum in hac parte honestatis, de qua hoc loco disserendum est, sed etiam in tribus superioribus quid deceat apparet. Nam et ratione uti atque oratione prudenter et agere quod agas considerate omnique in re, quid sit veri, videre et tueri decet, contraque falli, errare, labi, decipi tam dedecet quam delirare et mente esse captum, et iusta omnia decora sunt, iniusta contra ut turpia sic indecora. Similis est ratio fortitudinis. Quod enim viriliter animoque magno fit, id dignum viro et decorum videtur, quod contra, id ut turpe sic indecorum. 95. Quare pertinet quidem ad omnem honestatem hoc, quod dico, decorum et ita pertinet, ut non recondita quadam ratione cernatur, sed sit in promptu. Est enim quiddam — idque intellegitur in omni virtute — quod deceat: quod cogitatione magis a virtute potest quam re separari. Ut venustas et pulchritudo corporis secerni non potest a valetudine, sic hoc, de quo loquimur, decorum totum illud quidem est cum virtute confusum, sed mente et cogitatione distinguitur. 96. Est autem eius discriptio duplex; nam et generale quoddam decorum intellegimus, quod in omni honestate versatur, et aliud huic subiectum, quod pertinet ad singulas partes honestatis. Atque illud superius sic fere definiri solet, decorum id esse, quod consentaneum sit hominis excellentiae in eo, in quo natura eius a reliquis animantibus differat. Quae autem pars subiecta generi est, eam sic definiunt, ut id decorum velint esse, quod ita naturae consentaneum sit, ut in eo moderatio et temperantia appareat cum specie quadam liberali.

XXVIII. 97. Haec ita intellegi possumus existimare ex eo decoro, quod poetae sequuntur, de quo alio loco plura dici solent. Sed tum servare illud poetas, quod deceat, dicimus, cum id, quod quaque persona dignum est, et fit et dicitur, ut, si Aeacus aut Minos diceret o d e r i n t, d u m m e t u a n t, aut

n a t i s s e p u l c h r o i p s e e s t p a r e n s,

indecorum videretur, quod eos fuisse iustos accepimus: at Atreo dicente plausus excitantur; est enim digna persona oratio. Sed poetae, quid quemque deceat, ex persona iudicabunt. Nobis autem personam imposuit ipsa natura magna cum excellentia praestantiaque animantium reliquarum. 98. Quocirca poetae in magna varietate personarum etiam

---

1. *Sequitur autem ut* o — 2. *et modestia que sedatio* o — 3. *modus* om. o — 5. *prepon* B a, *praepon* A H b o — *dicitur decorum . huius* C — 13. *falli et errare* o — 15. *ratio est* c — 20. *quid deceat* o — 24. *distinctum* (non *destinctum*) o — *discriptio* b: *distinctio* c; *descriptio* A B H a o — 25. *intelligitur* c — 27. *fere sic* o — 32. *Nec* corr. ex *Hec* o — *decore* b — 33. *poetae exsecuntur* p — *sed ut tum* A B H b — 35. *eacus ut* corr. ex *ea causa ut* b (etiam A syllabam *cus* habet in rasura quattuor litterarum) — *oderunt* o — 37. *sepulcro* o — 42. *reliquarum* $A^1 B^1$ H a b: *reliquorum* $A^2 B^2$ o.

vitiosis quid conveniat et quid deceat videbunt. Nobis autem cum a natura constantiae, moderationis, temperantiae, verecundiae partes datae sint cumque eadem natura doceat non neglegere, quem ad modum nos adversus homines geramus, efficitur ut et illud, quod ad omnem honestatem pertinet, decorum quam late fusum sit appareat et hoc, quod spectatur in uno quoque genere virtutis. Ut enim pulchritudo corporis apta compositione membrorum movet oculos et delectat hoc ipso, quod inter se omnes partes cum quodam lepore consentiunt, sic hoc decorum, quod elucet in vita, movet adprobationem eorum, quibuscum vivitur, ordine et constantia et moderatione dictorum omnium atque factorum. 99. Adhibenda est igitur quaedam reverentia adversus homines et optimi cuiusque et reliquorum. Nam neglegere, quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti. Est autem quod differat in hominum ratione habenda inter iustitiam et verecundiam. Iustitiae partes sunt non violare homines, verecundiae non offendere: in quo maxume vis perspicitur decori. His igitur expositis quale sit id, quod decere dicimus, intellectum puto.

100. Officium autem, quod ab eo ducitur, hanc primum habet viam, quae deducit ad convenientiam conservationemque naturae. Quam si sequemur ducem, numquam aberrabimus sequemurque et id, quod acutum et perspicax natura est, et id, quod ad hominum consociationem accommodatum, et id, quod vehemens atque forte. Sed maxuma vis decori in hac inest parte, de qua disputamus; neque enim solum corporis, qui ad naturam apti sunt, sed multo etiam magis animi motus probandi, qui item ad naturam accommodati sunt. 101. Duplex est enim vis animorum atque natura: una pars in appetitu posita est, quae est ὁρμή Graece, quae hominem huc et illuc rapit, altera in ratione, quae docet et explanat, quid faciendum fugiendumve sit. [Ita fit, ut ratio praesit, adpetitus obtemperet. XXIX. Omnis autem actio vacare debet temeritate et neglegentia nec vero agere quicquam, cuius non possit causam probabilem reddere; haec est enim fere discriptio officii.] 102. Efficiendum autem est ut adpetitus rationi oboediant eamque neque praecurrant nec propter pigritiam aut ignaviam deserant, sintque tranquilli atque omni animi perturbatione careant: ex quo elucebit omnis constantia omnisque moderatio. Nam qui appetitus longius evagantur et tamquam exultantes sive cupiendo sive fugiendo non satis a ratione

---

1. *nobis itaque cum* (non *tum*) c — 4. *ad* om. a — 6. *ut enim -- et delectat* Nonius p. 234. — 9. *quibus conuiuitur* a; *quibus cum ui uiuitur* b — 11. *adversus homines* del. Lambinus. — 12. *obtimi* Ab — 13. *sed* [*etiam*] o. Cf. Hand Tursell. II p. 555. — 14. *hominem* H — 17. *diximus* c — 18. *uiam* C: *uim* alii. — 19. *conuersacionemque* A — 20. *numquam -- sequemurque* om. H — *sequemurque* ABabo: *consequemurque* p; *assequemurque* o — 21. *consociationem* C: *societatem* p — 22. *accommodatum est et* c — 23. *decoris* c — 24. *magis* om. c — 26. *enim uis est* c — *naturae* C — 27. *horme* C — 28. *et* (post *docet*) om. ABH — *fugiendumue* cp: *fugiendumque* ABHab — *Ita fit -- discriptio officii* Facciolato auctore seclusi. «*Ita fit -- obtemperet* est sententia margini apposita ad significandum quod est in sequenti periodo. *Omnis autem -- descriptio officii* ex officii descriptione, quae est in libro III. de Finib. c. 17, consarcinata videntur. Si tollantur, cum sensa tum verba rectius inter se congruent.» — 29. *praesit et appetitus* cp — *actio* C: *ratio* alii. — 30. *agere debes quicquam* (*debes* superscr. sec. m.) c — 31. *possis* c — *discriptio* BH: *descriptio* Aabco — *officio* H — 32. *neque*] *ne* c — 33. *praecurrant* C: *praecurrant propter temeritatem* alii.

retinentur, ii sine dubio finem et modum transeunt. Relinquunt enim et abiciunt oboedientiam nec rationi parent, cui sunt subiecti lege naturae: a quibus non modo animi perturbantur, sed etiam corpora. Licet ora ipsa cernere iratorum aut eorum, qui aut lubidine aliqua aut metu commoti sunt aut voluptate nimia gestiunt: quorum omnium voltus, voces, motus statusque mutantur. 103. Ex quibus illud intellegitur, ut ad officii formam revertamur, appetitus omnes contrahendos sedandosque esse excitandamque animadversionem et diligentiam, ut ne quid temere ac fortuito, inconsiderate neglegenterque agamus. Neque enim ita generati a natura sumus, ut ad ludum et iocum facti esse videamur: ad severitatem potius et ad quaedam studia graviora atque maiora. Ludo autem et ioco uti illo quidem licet, sed sicut somno et quietibus ceteris tum, cum gravibus seriisque rebus satis fecerimus. Ipsumque genus iocandi non profusum nec immodestum, sed ingenuum et facetum esse debet. Ut enim pueris non omnem ludendi licentiam damus, sed eam, quae ab honestatis actionibus non sit aliena, sic in ipso ioco aliquod probi ingenii lumen eluceat. 104. Duplex omnino est iocandi genus: unum inliberale, petulans, flagitiosum, obscenum, alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum. Quo genere non modo Plautus noster et Atticorum antiqua comoedia, sed etiam philosophorum Socraticorum libri referti sunt, multaque multorum facete dicta, ut ea, quae a sene Catone collecta sunt, quae vocant ἀποφθέγματα. Facilis igitur est distinctio ingenui et inliberalis ioci. Alter est, si tempore fit aut si remisso animo, *magno* homine dignus, alter ne libero quidem, si rerum turpitudini adhibetur verborum obscenitas. Ludendi etiam est quidam modus retinendus, ut ne nimis omnia profundamus elatique voluptate in aliquam turpitudinem delabamur. Suppeditant autem et campus noster et studia venandi honesta exempla ludendi.

XXX. 105. Sed pertinet ad omnem officii quaestionem semper in promptu habere, quantum natura hominis pecudibus reliquisque beluis antecedat. Illae nihil sentiunt nisi voluptatem ad eamque feruntur omni impetu, hominis autem mens discendo alitur et cogitando, semper aliquid aut anquirit aut agit videndique et audiendi delectatione ducitur.

---

1. *hi* a, *hii* H, *hij* o — 2. *et omnino abiciunt* o — 3. *conturbantur* o — 5. *gestiant* o — 6. *motus* om. p — 7. *redeamus* o — 9. *fortuitu* B[2] o. Cf. Hand Turs. II p. 743. — 10. *a natura generati* A — 11. *ad seueritatem* C: *sed ad seueritatem* alii. — 12. *illo* om. B — 13. *tunc cum* o — *rebus* sec. m. superscr. in o — 14. *neque* o — *ingenium* H — 15. *licentiam ludendi* o — 16. *ab honestis* B — 17. *est* om. o — 18. *obscenum* B H a: *obsc̨enum* A, *obscoenum* b o; *et obscenum* o — *eligans* A b — 21. *facete* superscr. *dicta s.* (i. e. *scilicet*) *sunt* a — 22. *apophtegmata* A a b, *apopthegmata* H, *apothegmata* o, *apotegmata* B — *est igitur* o — 23. *fit aut si remisso animo, magno homine dignus* Madvig: *fit. ut* (*et* o) *si remisso animo homine dignus* C; *fit, remisso homine dignus* o; *fit, ut sit remissio animo, homine dignus* Unger, cuius emendationi lacunae signa ante *homine* add. Heine; *fit, ut sit remissio animo, liberali homine dignus* C. Scheibe in Iahnii Annall. philol. vol. 81 p 373. — 24. *alter nae libero quidem -- obscenitas* Nonius p. 356. — 25. *turpitudini adhibetur uerborum* A B H a b: *turpitudo adhibetur et uerborum* o; *turpitudo adhibetur aut verborum* o — *obscoenitas* o — *est etiam* B o (sed B cum signis transpositionis) — 26. *ne nimis omnia profundamus* C: *ne mimis omnia profundamus* alii; *ne nimis ludum profundamus* Lambinus; *ne nimis profundamur* Langius. — *elatioque* A H́ b — 27. *suppeditat* o — 29. *semper* om. o — 30. *homines omnibus bestiis antecedunt* Diomedes Art. gramm. I p. 313, 11 ed. Keil. Vide ad p. 479, 7. — 33. *inquirit* a o.

Quin etiam, si quis est paulo ad voluptates propensior, modo ne sit ex pecudum genere — sunt enim quidam homines non re, sed nomine —, sed si quis est paulo erectior, quamvis voluptate capiatur, occultat et dissimulat appetitum voluptatis propter verecundiam. 106. Ex quo intellegitur corporis voluptatem non satis esse dignam hominis praestantia eamque contemni et reici oportere, sin sit quispiam, qui aliquid tribuat voluptati, diligenter ei tenendum esse eius fruendae modum. Itaque victus cultusque corporis ad valetudinem referatur et ad vires, non ad voluptatem. Atque etiam, si considerare volemus, quae sit in natura excellentia et dignitas, intellegemus, quam sit turpe diffluere luxuria et delicate ac molliter vivere, quamque honestum parce, continenter, severe, sobrie.

107. Intellegendum etiam est duabus quasi nos a natura indutos esse personis, quarum una communis est ex eo, quod omnes participes sumus rationis praestantiaeque eius, qua antecellimus bestiis, a qua omne honestum decorumque trahitur et ex qua ratio inveniendi officii exquiritur, altera autem, quae proprie singulis est tributa. Ut enim in corporibus magnae dissimilitudines sunt — alios videmus velocitate ad cursum, alios viribus ad luctandum valere, itemque in formis aliis dignitatem inesse, aliis venustatem —, sic in animis existunt maiores etiam varietates. 108. Erat in L. Crasso, in L. Philippo multus lepos, maior etiam magisque de industria in C. Caesare, L. filio: at isdem temporibus in M. Scauro et in M. Druso adulescente singularis severitas, in C. Laelio multa hilaritas, in eius familiari Scipione ambitio maior, vita tristior. De Graecis autem dulcem et facetum festivique sermonis atque in omni oratione simulatorem, quem εἴρωνα Graeci nominarunt, Socratem accepimus, contra Pythagoram et Periclem summam auctoritatem consecutos sine ulla hilaritate. Callidum Hannibalem ex Poenorum, ex nostris ducibus Q. Maximum accepimus, facile celare, tacere, dissimulare, insidiari, praeripere hostium consilia. In quo genere Graeci Themistoclem et Pheraeum Iasonem ceteris anteponunt, in primisque versutum et callidum factum Solonis, qui, quo et tutior eius vita esset et plus aliquanto rei publicae prodesset, furere se simulavit. 109. Sunt his alii multum dispares, simplices et aperti, qui nihil ex occulto, nihil de insidiis agendum putant, veritatis cultores, fraudis inimici, itemque alii, qui quidvis perpetiantur, cuivis deserviant, dum quod velint consequantur, ut Sullam et M. Crassum videbamus. Quo in genere ver-

---

1. *paulo est* c — 9. *adque* A b — *etiam* om. c — *uolemus* B²H (*e* corr. ead. m. ex *u*) a: *uolumus* A B¹ b; *uellemus* c — 10. *natura* C: *natura hominis* c (non a b c) — *intellegimus quam se turpe diffluere luxuria, delicate ac molliter vivere* Nonius p. 339. — 13. *est etiam* H — 15. *antecellimus* ex primo de officiis adfert Diomedes Art. gramm. p. 374, 20 ed. Keil. — 18. *alios enim uidemus* a — 19. *aliis* om. c — 21. *in* ante *L. Philippo* om. c; *et* a — *lepus* H a — 22. *de* om. c — *filio* C: *F.* c — *hisdem* A B H a b, *eisdem* e c — 23. *M.* (ante *Druso*) om. c — 24. *ac dein eius familiaris Scipione ambitio* Nonius p. 409 s. v. *triste*. Excidisse apud Nonium huius exempli finem et sequentis (e Terentio) initium manifestum est. — 26. *dissimulatorem* Lambinus. — *ironia graeci* A B H b; *ironian graeci* a; *greci mironian* c — *nominarunt* om. p — 27. *periclen* a c — 28. *consequutos* A b — *Annibalem* c — 29. *facile facere celare dissimulare* c — 30. *praeripere* C: *praecipere* c — *themistoclen* H c — 31. *pheraeum saionem* A b — 32. *eius uita* C: *vita eius* c — *esse et* A b; *foret et* c — 33. *se* om. p — 35. *de* C (etiam c): *ex* p — 36. *qui* A c: *si* B H a b — 37. *syllam* H a b c, *sillam* A B.

sutissimum et patientissimum Lacedaemonium Lysandrum accepimus, contraque Callicratidan, qui praefectus classis proximus post Lysandrum fuit. Itemque in sermonibus aliquem, quamvis praepotens sit, efficere ut unus de multis esse videatur: quod in Catulo, et in patre et in filio, itemque in Q. Mucio Mancia vidimus. Audivi ex maioribus natu, hoc idem fuisse in P. Scipione Nasica, contraque patrem eius, illum qui Ti. Gracchi conatus perditos vindicavit, nullam comitatem habuisse sermonis [ne Xenocratem quidem severissimum philosophorum] ob eamque rem ipsam magnum et clarum fuisse. Innumerabiles aliae dissimilitudines sunt naturae morumque, minime tamen vituperandorum.

XXXI. 110. Admodum autem tenenda sunt sua cuique, non vitiosa, sed tamen propria, quo facilius decorum illud, quod quaerimus, retineatur. Sic enim est faciendum, ut contra universam naturam nihil contendamus, ea tamen conservata propriam nostram sequamur, ut, etiam si sint alia graviora atque meliora, tamen nos studia nostra nostrae naturae regula metiamur; neque enim attinet naturae repugnare nec quicquam sequi, quod assequi non queas: ex quo magis emergit, quale sit decorum illud, ideo quia nihil decet invita Minerva, ut aiunt, id est adversante et repugnante natura. 111. Omnino si quicquam est decorum, nihil est profecto magis quam aequabilitas *cum* universae vitae, tum singularum actionum, quam conservare non possis, si aliorum naturam imitans omittas tuam. Ut enim sermone eo debemus uti, qui innatus est nobis, ne, ut quidam Graeca verba inculcantes, iure optimo rideamur, sic in actiones omnemque vitam nullam discrepantiam conferre debemus. 112. Atque haec differentia naturarum tantam habet vim, ut non numquam mortem sibi ipse consciscere alius debeat, alius [in eadem causa] non debeat. Num enim alia in causa M. Cato fuit, alia ceteri, qui se in Africa Caesari tradiderunt? Atqui ceteris forsitan vitio datum esset, si se interemissent, propterea quod lenior eorum vita et mores fuerant faciliores: Catoni cum incredibilem tribuisset natura gravitatem, eamque ipse perpetua constantia roboravisset semperque in proposito susceptoque consilio permansisset, moriendum potius quam

---

2. *callicratidan* B a: *callicrantidan* H, *callicrantidam* A, *callicratidam* b c o — *classi* o — 3. *aliquem, quamvis* Pearcius: *alium quemque quamuis* C; *quemque alium quamvis* p; *alium, quamvis* Facciolatus; *alium quem, quamvis* o — 4. *uideatur esse* c — *catullo* A b — *et in patre et in filio* AB b: *et in patre et filio* H a; *et patre et filio* o — 5. *itemque* H²: *idemque* A H¹ a b c — *in q. mucio mantia* B, *in q. mutio mancia* H c, *in q. mutio mantia* a, *inque mucio mantia* b, *inque mutio mantia* A, *in q. muntio mantia* p; *in Q. Mucio* † *Mancia* Heine, cui legendum videtur *in Q. Mucio et Marcio.* — 7. *ti.* (corr. in *t.* H) *gracchi* A H b: *ty. gracci* c; *t. gracchi* B a — 8. Verba *ne Xenocratem -- philosophorum* del. Heumannus; etiam quae sequuntur *ob eamque -- fuisse* interpolatori tribuit Orellius. — *ne xenocraten* a; *nec xenocraten* c — 9. *et clarum* C: *clarumque* o (non a b) — 12. *quod facilius* A b — 14. *nostram* C p: *naturam* o — *ut iam sit alia -- studia nostra naturae regula metimur* Nonius p. 315. — *ut eam etiam* A b — 15. *studia nostra nostrae naturae regula* Ernestius: *studia nostra nostra* (corr. ex *nostri*) *regula* A; *studia nostrae regulae* B; *studia nostrae regulā* H; *studia nostra regula* a; *studia* (corr. in *studii*) *nostri regula* b; *studia nostra naturae regula* c et Nonius. — 17. *nequicquam* c — 19. *sic quicquam* a — 20. *cum* Lambinus: om. C o — 23. *innatus* nos: *notus* C o; *natus* alii. — 24. *rideamur* C: *irrideamur* alii (non a) — 26. *alius non debeat* a: *alius in eadem causa non debeat* c p o; haec omnia om. A B H b — 27. *Non enim* c — 29. *leuior* H — 30. *incredulem* a, *incredulam* A b.

tyranni vultus aspiciendus fuit. 113. Quam multa passus est Ulixes in illo errore diuturno, cum et mulieribus, si Circe et Calypso mulieres appellandae sunt, inserviret et in omni sermone omnibus adfabilem [et iucundum] esse se vellet! Domi vero etiam contumelias servorum ancillarumque pertulit, ut ad id aliquando, quod cupiebat, veniret. At Aiax quo animo traditur milies oppetere mortem quam illa perpeti maluisset. Quae contemplantes expendere oportebit, quid quisque habeat sui, eaque moderari nec velle experiri, quam se aliena deceant: id enim maxume quemque decet, quod est cuiusque maxume. 114. Suum quisque igitur noscat ingenium acremque se et bonorum et vitiorum suorum iudicem praebeat, ne scaenici plus quam nos videantur habere prudentiae. Illi enim non optumas, sed sibi accommodatissumas fabulas eligunt: qui voce freti sunt, Epigonos Medumque, qui gestu, Melanippam, Clytaemnestram, semper Rupilius, quem ego memini, Antiopam, non saepe Aesopus Aiacem. Ergo histrio hoc videbit in scaena, non videbit sapiens vir in vita? Ad quas igitur res aptissimi erimus, in iis potissimum elaborabimus. Sin aliquando necessitas nos ad ea detruserit, quae nostri ingenii non erunt, omnis adhibenda erit cura, meditatio, diligentia, ut ea si non decore at quam minime indecore facere possimus, nec tam est enitendum ut bona, quae nobis data non sint, sequamur quam ut vitia fugiamus.

XXXII. 115. Ac duabus iis personis, quas supra dixi, tertia adiungitur, quam casus aliqui aut tempus inponit: quarta etiam, quam nobismet ipsi iudicio nostro accommodamus. Nam regna, imperia, nobilitas, honores, divitiae, opes eaque, quae sunt his contraria, in casu sita temporibus gubernantur: ipsi autem gerere quam personam velimus, a nostra voluntate proficiscitur. Itaque se alii ad philosophiam, alii ad ius civile, alii ad eloquentiam applicant, ipsarumque virtutum in alia alius mavult excellere. 116. Quorum vero patres aut maiores aliqua gloria praestiterunt, ii student plerumque eodem in genere laudis excellere, ut Q. Mucius P. f. in iure civili, Pauli filius Africanus in re militari. Quidam autem ad eas laudes, quas a patribus acceperunt, addunt aliquam suam, ut hic idem Africanus eloquentia cumulavit bellicam gloriam, quod idem fecit Timotheus, Cononis filius, qui, cum belli laude non inferior fuisset quam pater, ad eam laudem doctrinae et ingenii gloriam adiecit. Fit autem interdum ut non nulli omissa imitatione

---

2. *mulieres fuerunt inseruiret* o — 3. *et iocundum* op; om. ABHab — 4. *se esse* o — 5. *perueniret* o — 6. *milies* C: *millies* o — 8. *expediri* H — 10. *max. suum. Quisque* Cp (sed hic *suum* post *ingenium* inserit); *max. suum. Suum quisque* o — *suum quisque -- bonorum et malorum suorum iudicem praebeat* Nonius p. 241. — *ingenium ac rem et se* o — 11. *scaenici* ABab: *scenici* Hco — *nos* superscr. m. sec. in o — 13. *medeamque* cp — 14. *melanippam* Ha: *melenippam* B, *menalippam* Abo — *clytemestram* ABHab, *clitimestram* o. Cf. p. 577, 32. — *anthiopam* Hab — 15. *Nam saepe* a — *scena* Hco — 17. *in his* BHa, *in hijs* o — 19. *si non optime. at non indecore* o — 20. *tam̃* (i. e. *tamen*) ABHb — *nobis* om. p (non o) — *non sunt data* o — 21. *assequamur* opo — 22. *his* Ha, *hijs* o — *diximus* o — 23. *aliquis* Acp — 24. *ipsis* o — *nobilitas* Unger: *nobilitatem* Cp; *nobilitates* o — 25. *diuitias* Cp — *contraria ut casibus ita temporibus* o; *contraria ut sunt casu temporibus* p — 26. *quam personam gerere* o — 28. *amplificant* Ab — *in alio alia alius* b — 30. *hi* Ba, *hii* H, *hij* o — *eodem* BHop: *eorum* Aab — 31. *mutius* C — *ciuili et pauli* o — *Paulli* o; sic ubique.

maiorum suum quoddam institutum consequantur, maximeque in eo plerumque elaborant ii, qui magna sibi proponunt obscuris orti maioribus. 117. Haec igitur omnia, cum quaerimus quid deceat, complecti animo et cogitatione debemus. In primis autem constituendum est, quos nos et quales esse velimus et in quo genere vitae: quae deliberatio est omnium difficillima. Ineunte enim adulescentia, cum est maxima inbecillitas consilii, tum id sibi quisque genus aetatis degendae constituit, quod maxime adamavit. Itaque ante implicatur aliquo certo genere cursuque vivendi quam potuit, quod optimum esset, iudicare. 118. Nam quod Herculem Prodicus dicit, ut est apud Xenophontem, cum primum pubesceret, quod tempus a natura ad deligendum, quam quisque viam vivendi sit ingressurus, datum est, exisse in solitudinem atque ibi sedentem diu secum multumque dubitasse, cum duas cerneret vias, unam Voluptatis, alteram Virtutis, utram ingredi melius esset, hoc Herculi, Iovis satu edito, potuit fortasse contingere, nobis non item, qui imitamur quos cuique visum est atque ad eorum studia institutaque impellimur, plerumque autem parentium praeceptis inbuti ad eorum consuetudinem moremque deducimur. Alii multitudinis iudicio feruntur, quaeque maiori parti pulcherrima videntur, ea maxime exoptant: non nulli tamen sive felicitate quadam sive bonitate naturae sive parentium disciplina rectam vitae secuti sunt viam.

XXXIII. 119. Illud autem maxime rarum genus est eorum, qui aut excellenti ingenii magnitudine aut praeclara eruditione atque doctrina aut utraque re ornati spatium etiam deliberandi habuerunt, quem potissimum vitae cursum sequi vellent: in qua deliberatione ad suam cuiusque naturam consilium est omne revocandum. Nam cum in omnibus, quae aguntur, ex eo, quo modo quisque natus est, ut supra dictum est, quid deceat exquirimus, tum in tota vita constituenda multo est ei rei cura maior adhibenda, ut constare in perpetuitate vitae possimus nobismet ipsis nec in ullo officio claudicare. 120. Ad hanc autem rationem quoniam maximam vim natura habet, fortuna proximam, utriusque omnino habenda ratio est in deligendo genere vitae, sed naturae magis; multo enim et firmior est et constantior, ut fortuna non numquam tamquam ipsa mortalis cum inmortali natura pugnare videatur. Qui igitur

1. *sequantur* c — *maxime in eo* A — 2. *hii* AHb, *hij* c, *hi* Ba — *qui magna -- maioribus* Nonius p. 359. — 6. *cum*] *tum* c — 9. *quid optimum* a — *Nam quod* e: *Namque* ABHab — 10. *Herculem Prodicus dicit* Manutius: *herculem prodigus* (sic) *dicit* c; *herculem dicit* a; *herculem prodigum dicit* Hb; *herculem prodigum dicunt* AB; *Herculem Prodicium dicunt* o. Cf. Lund de emend. Cic. libris de offic. p. 32 et Bake Mnemos. IX p. 305. — 11. *ad eligendum* a. Cf. v. 32 et p. 673, 3. — 12. *ingressus* H — *adque* Ab — 13. *diu* om. Ab — *diu secum* corr. in *secum diu* H — 14. *herculis* a — 15. *non idem* C — 16. *quoscumque* p — 17. *plerumque dotem parentium -- moresque deducimur* Nonius p. 324. — *parentum* c — 18. *quaeque -- videantur, ea maxime optant* Nonius p. 358. — 19. *ea* om. Aab — 20. *parentium* corr. in *parentum* Bc — 21. *vitae*] *vias* Ab — 22. *rarum est* (superscr. *genus*) a — 23. *excellenti* c: *excellente* ABHab; *excellentis* po — *atque doctrina atque utraque* c — 24. *re ornati* Ac: *re ornata* b; *rei ornata* Ha; *rei ornatu* B — 26. *est* om. A — 27. *modo* om. a — 28. *est ei rei cura* Gruterus (in adnotatione): *est ei cura* (om. *rei*) a; *est rei cura* (om. *ei*) ABHb; *est eius rei cura* cp — 30. *in nullo* Aab — 31. *quoniam* corr. ex *quando* a; *quo* b (conf. p. 673, 21. 704, 11.) — 32. *diligendo* ab (sed in a priori i superscr. *e*) — *vite genere* c — 33. *firmior est et constantior est ut* c — *tamquam* C: om. o.

ad naturae suae non vitiosae genus consilium vivendi omne contulerit, is constantiam teneat — id enim maxime decet —, nisi forte se intellexerit errasse in deligendo genere vitae. Quod si acciderit — potest autem accidere —, facienda morum institutorumque mutatio est. Eam mutationem si tempora adiuvabunt, facilius commodiusque faciemus: sin minus, sensim erit pedetemptimque facienda, ut amicitias, quae minus delectent et minus probentur, magis decere censent sapientes sensim diluere quam repente praecidere. 121. Commutato autem genere vitae omni ratione curandum est ut id bono consilio fecisse videamur. Sed, quoniam paulo ante dictum est imitandos esse maiores, primum illud exceptum sit, ne vitia sint imitanda, deinde, si natura non feret, ut quaedam imitari possit, ut superioris filius Africani, qui hunc Paulo natum adoptavit, propter infirmitatem valetudinis non tam potuit patris similis esse, quam ille fuerat sui: si igitur non poterit sive causas defensitare sive populum contionibus tenere sive bella gerere, illa tamen praestare debebit, quae erunt in ipsius potestate, iustitiam, fidem, liberalitatem, modestiam, temperantiam, quo minus ab eo id, quod desit, requiratur. Optuma autem hereditas a patribus traditur liberis omnique patrimonio praestantior gloria virtutis rerumque gestarum, cui dedecori esse nefas et impium iudicandum est.

XXXIV. 122. Et quoniam officia non eadem disparibus aetatibus tribuuntur aliaque sunt iuvenum, alia seniorum, aliquid etiam de hac distinctione dicendum est. Est igitur adulescentis maiores natu vereri exque iis deligere optimos et probatissimos, quorum consilio atque auctoritate nitatur; ineuntis enim aetatis inscitia senum constituenda et regenda prudentia est. Maxume autem haec aetas a libidinibus arcenda est exercendaque in labore patientiaque et animi et corporis, ut eorum et in bellicis et in civilibus officiis vigeat industria. Atque etiam cum relaxare animos et dare se iucunditati volent caveant intemperantiam, meminerint verecundiae: quod erit facilius, si *ne* in eius modi quidem rebus maiores natu nolent interesse. 123. Senibus autem labores corporis minuendi, exercitationes animi etiam augendae videntur, danda vero opera, ut et amicos et iuventutem et maxime rem publicam consilio et prudentia quam plurimum adiuvent. Nihil autem magis cavendum est senectuti quam ne languori se desidiaeque dedat; luxuria vero cum omni aetati turpis, tum senectuti foedissima est. Sin autem etiam

---

1. *suae* om. a — *non uitiosae* superscr. m. sec. in b — 2. *enim*] *eum* c — 3. *diligendo* B H[1] — 6. *sin minus, sensim erit pedetemptimque faciendum* Nonius p. 29. — *erit* om. c — *pedetentimque* c o — *faciendam* B[1] H — 7. *censeant* corr. in *censent* A; *censant* corr. in *conseant* b — 8. *diluere* C: *dissuere* p o. Cf. Lael. § 76. — *Commutatio* H — 11. *ferret* A[1] B[1] H b — 12. *possit* I. M. Heusinger: *possint* C (etiam a) — 13. *patri* B — 14. *defensare* c — 16. *erunt* om. c — *ipsius in* c — 20. *et* in ras. A, *sed* b — *impium* p: *uitium* A B H a b, *uicium* c — 21. *quoniam*] *quo* b (cf. p. 672, 31); *quae* corr. in *quia* A — 22. *alia quae sunt* a — 23. *Igitur adolescentis est* c — 24. *his* H a, *hijs* c — *diligere* A b — 25. *ineuntis* -- *constituenda exercenda est prudentia* Nonius p. 261. — 26. *est prudentia* c — 27. *et* (ante *animi*) om. c — 28. *et in bellicis* A H[2] b c: *et imbellicis* a; *et inbecillis* H[1]; *et in bellis* B — *officiis*] *rebus* c — 29. *se* om. c p — *iocunditati* B a c — *uolent* corr. ex *uellent* a — 30. *si ne in* -- *nolent* Stürenburg: *si in* -- *nolint* A B H a b; *si in* -- *uolent* c o — 33. *et* (ante *maxime*) om. c — 34. *nihil autem* -- *dedat* Nonius p. 338. — 35. *langori* A a b c — *luxuria vero* -- *turpis, tunc senectuti foedissima est* Nonius p. 435. — 36. *tum etiam senectuti* c.

libidinum intemperantia accessit, duplex malum est, quod et ipsa senectus dedecus concipit et facit adulescentium inpudentiorem intemperantiam. 124. Ac ne illud quidem alienum est, de magistratuum, de privatorum, [de civium,] de peregrinorum officiis dicere. Est igitur proprium munus magistratus intellegere se gerere personam civitatis debereque eius dignitatem et decus sustinere, servare leges, iura discribere, ea fidei suae commissa meminisse. Privatum autem oportet aequo et pari cum civibus iure vivere, neque summissum et abiectum neque se ecferentem, tum in re publica ea velle, quae tranquilla et honesta sint; talem enim solemus et sentire bonum civem et dicere. 125. Peregrini autem atque incolae officium est nihil praeter suum negotium agere, nihil de alio anquirere minimeque esse in aliena re publica curiosum. Ita fere officia reperientur, cum quaeretur, quid deceat et quid aptum sit personis, temporibus, aetatibus. Nihil est autem quod tam deceat quam in omni re gerenda consilioque capiendo servare constantiam.

XXXV. 126. Sed quoniam decorum illud in omnibus factis, dictis, in corporis denique motu et statu cernitur, idque positum est in tribus rebus, formositate, ordine, ornatu ad actionem apto, difficilibus ad eloquendum, sed satis erit intellegi, in his autem tribus continetur cura etiam illa, ut probemur iis, quibuscum apud quosque vivamus, his quoque de rebus pauca dicantur. Principio corporis nostri magnam natura ipsa videtur habuisse rationem, quae formam nostram reliquamque figuram, in qua esset species honesta, eam posuit in promptu, quae partes autem corporis ad naturae necessitatem datae aspectum essent deformem habiturae atque turpem, eas contexit atque abdidit. 127. Hanc naturae tam diligentem fabricam imitata est hominum verecundia. Quae enim natura occultavit, eadem omnes qui sana mente sunt removent ab oculis ipsique necessitati dant operam ut quam occultissime pareant, quarumque partium corporis usus sunt necessarii, eas neque partes neque earum usus suis nominibus appellant, quodque facere turpe non est, modo occulte, id dicere obscenum est. Itaque nec actio rerum illarum aperta petulantia vacat nec orationis obscenitas. 128. Nec vero audiendi sunt Cynici aut si qui fuerunt Stoici paene cynici, qui reprehendunt et inrident, quod ea, quae turpia non sint, nominibus ac verbis flagi-

---

1. *accessit* C: *accesserit* o. Cf. Madvig Opusc. acad. alt. p. 282. — 2. *adolescentulorum* c — 4. *de civium* del. Hieron. Wolfius; alii scribunt *de privatorum civium*; cf. v. 7 sqq. — 6. *servareque* c — *discribere* nos: *describere* C o. Cf. § 21. 51. II § 15. — 7. *fidei sua* H — 8. *neque summissum aetate et neque se ecferentem* Nonius p. 389. — *ecferentem* B H: *efferentem* A a b c o — 10. *ciuem bonum* c — 11. *atque*] *et* c — 12. *inquirere* a c — 15. *re generanda* b; *re agenda* c — 16. *illud decorum* c — 17. *in corporis* -- *cernitur* Nonius p. 226. — 18. *difficilius* A B (ex correctione) o — 19. *sed erit facilius intelligi* c — 20. *his* H a, *hijs* c — 21. *principio* -- *in promptu* Nonius p. 435. — *nostri* om. c — 22. *uideatur* A B H a b (corr. in *uidetur* A B) — 23. *prumptu* H — 25. *turpem* c: *formam* A B H a b; *foedum* Klotzius. — 29. *easque partes* A b; *neque eas partes* c — 30. *turpe non est* a: *turpe non turpe est* A B H b (in A B prius *turpe* expunctum est); *facere non turpe modo id fiat occulte. id dicere* c — 31. *obscoenum* A b o — *illarum rerum aperta* H; *aperta rerum illarum* a — 32. *nec oratio obscenitate* Manutius. — *obscaenitas* A, *obscoenitas* o (et sic ubique) — *deaudiendi* H — 34. *quae turpia* -- *illa autem* om. H — *quae re turpia* c o — *non sint* C: *non sunt* o — *nominibus* (non *moribus*) *ac* c p: om. A B H a b. Cf. de rep. II, 22, 40.

tiosa dicamus, illa autem, quae turpia sint, nominibus appellemus suis. Latrocinari, fraudare, adulterare re turpe est, sed dicitur non obscene; liberis dare operam re honestum est, nomine obscenum: pluraque in eam sententiam ab eisdem contra verecundiam disputantur. Nos autem naturam sequamur et ab omni, quod abhorret ab oculorum auriumque approbatione, fugiamus: status incessus, sessio accubitio, vultus oculi, manuum motus teneant illud decorum. 129. Quibus in rebus duo maxime sunt fugienda: ne quid effeminatum aut molle et ne quid durum aut rusticum sit. Nec vero histrionibus oratoribusque concedendum est ut iis haec apta sint, nobis dissoluta. Scaenicorum quidem mos tantam habet vetere disciplina verecundiam, ut in scaenam sine subligaculo prodeat nemo; verentur enim ne, si quo casu evenerit ut corporis partes quaedam aperiantur, aspiciantur non decore. Nostro quidem more cum parentibus puberes filii, cum soceris generi non lavantur. Retinenda igitur est huius generis verecundia, praesertim natura ipsa magistra et duce. XXXVI. 130. Cum autem pulchritudinis duo genera sint, quorum in altero venustas sit, in altero dignitas, venustatem muliebrem ducere debemus, dignitatem virilem. Ergo et a forma removeatur omnis viro non dignus ornatus, et huic simile vitium in gestu motuque caveatur. Nam et palaestrici motus sunt saepe odiosiores et histrionum non nulli gestus ineptiis non vacant, et in utroque genere quae sunt recta et simplicia laudantur. Formae autem dignitas coloris bonitate tuenda est, color exercitationibus corporis. Adhibenda praeterea munditia est non odiosa neque exquisita nimis, tantum quae fugiat agrestem et inhumanam neglegentiam. Eadem ratio est habenda vestitus, in quo, sicut in plerisque rebus, mediocritas optima est. 131. Cavendum autem est ne aut tarditatibus utamur in ingressu mollioribus, ut pomparum ferculis similes esse videamur, aut in festinationibus suscipiamus nimias celeritates, quae cum fiunt, anhelitus moventur, vultus mutantur, ora torquentur: ex quibus magna significatio fit non adesse constantiam. Sed multo etiam magis elaborandum est ne animi motus a natura recedant: quod assequemur, si cavebimus ne in perturbationes atque exanimationes incidamus et si attentos animos ad decoris conservationem tenebimus. 132. Motus autem animorum duplices sunt: alteri cogitationis, alteri appetitus. Cogitatio in vero exquirendo maxume versatur, appetitus inpellit ad agendum. Curandum est igitur ut co-

---

1. *dicamus* ABab: *ducamus* opo — *que re turpia* o — *sunt* BHaoo; om. Ab — 2. *re* om. Abop — 3. *pluraque ab eisdem in eandem sententiam* o — 5. *et omne quod* o — *ab* (post *abhorret*) om. p — 6. *accubatio* Aabo. Cf. p. 394, 10. 598, 30. — 7. *teneat* C — *maxime duo* (sed signis transpositionis additis) o — 9. *oratoribusue* o — 10. *his* C (*hijs* o) — *scaenicorum* - - *subligaclo prodeat nemo* Nonius p. 29. — *scenicorum* Boo — *mos statum habet ut disciplina uerecundia* b — *tantum* BH — 11. *habet ex* (superscr. *uetere*) *disciplina* A (*ex uetere* m. sec.) — *ueteri* o — *scenam* ABHbco — 17. *sit*] *est* Halmius. — *venustatem* - - *virilem* Nonius p. 435. — 18. *debemus ducere* o — 20. *sepe sunt* o — 21. *gestus non nulli* o — *inepti non uacant offensione et* op — *in* superscr. b — 23. *munditia praeterea* o — 24. *est* om. o — *nec* o — *tantumque fugiat* C — 25. *eadem ratio est habenda* - - *optima est* Nonius p. 29. — *est habenda* ABHab: *habenda est* o; [*est*] *habenda* o — 26. *est* om. o — 27. *est autem* o — *in* om. C — *mollitioribus* o; om. p — 29. *mouetur* op — 31. *etiam* om. o — *nec animi* a — 32. *assequimur* o — 33. *atque exanimationes* in B suppleta sunt m. recentiore. — *examinationes* Hb.

gitatione ad res quam optumas utamur, appetitum rationi oboedientem praebeamus.

XXXVII. Et quoniam magna vis orationis est eaque duplex, altera contentionis, altera sermonis, contentio disceptationibus tribuatur iudiciorum, contionum, senatus, sermo in circulis, disputationibus, congressionibus familiarium versetur, sequatur etiam convivia. Contentionis praecepta rhetorum sunt, nulla sermonis: quamquam haud scio an possint haec quoque esse. Sed discentium studiis inveniuntur magistri, huic autem qui studeant sunt nulli, rhetorum turba referta omnia: quamquam quae verborum sententiarumque praecepta sunt, eadem ad sermonem pertinebunt. 133. Sed cum orationis indicem vocem habeamus, in voce autem duo sequamur, ut clara sit, ut suavis, utrumque omnino a natura petundum est, verum alterum exercitatio augebit, alterum imitatio presse loquentium et leniter. Nihil fuit in Catulis, ut eos exquisito iudicio putares uti litterarum: quamquam erant litterati, sed et alii; ii autem optime uti lingua Latina putabantur. Sonus erat dulcis, litterae neque expressae neque oppressae, ne aut obscurum esset aut putidum, sine contentione vox nec languens nec canora. Uberior oratio L. Crassi nec minus faceta, sed bene loquendi de Catulis opinio non minor. Sale vero et facetiis Caesar, Catuli patris frater, vicit omnes, ut in illo ipso forensi genere dicendi contentiones aliorum sermone vinceret. In omnibus igitur his elaborandum est, si in omni re quid deceat exquirimus. 134. Sit ergo hic sermo, in quo Socratici maxime excellunt, lenis minimeque pertinax, insit in eo lepos. Nec vero, tamquam in possessionem suam venerit, excludat alios, sed cum reliquis in rebus tum in sermone communi vicissitudinem non iniquam putet. Ac videat in primis, quibus de rebus loquatur: si seriis, severitatem adhibeat, si iocosis, leporem. In primisque provideat ne sermo vitium aliquod indicet inesse in moribus: quod maxume tum solet evenire, cum studiose de absentibus detrahendi causa aut per ridiculum aut severe, maledice contumelioseque dicitur. 135. Habentur autem plerumque sermones aut de domesticis negotiis aut de re publica aut de artium studiis atque doctrina. Danda igitur opera est ut, etiam si aberrare ad alia coeperit, ad haec revocetur oratio, sed utcumque aderunt; neque enim omnes isdem dę rebus nec omni tempore nec similiter delectamur. Animadvertendum est etiam, quatenus sermo delectationem habeat, et, ut incipiendi ratio fuerit, ita sit desinendi modus. XXXVIII. 136. Sed quo modo in omni vita rectissime praecipitur ut perturbationes fugia-

---

1. *res quas* o — *obedientem rationi* o — *rationis* H — *oboedientem* A B H b: *obaedientem* a, *obedientem* c o — 6. *sequantur* a; *persequatur* o — 7. *haut* B a — 9. *sunt* om. c — *ñ nulli* a — *referta sunt omnia* c — 10. *quae* A² o: *quoniam* (per compendia) A¹ B H a b — 12. *duo genera sequamur* o — 13. *petendum* A a c o — 14. *Nichil aliud fuit* o p; *quod fuit* a — 16. *hii* A B H b, *hij* c, *hi* a o — 21. *in illo ipso* B H a c: *in illo ipse* A b; *in ipso illo* o — 25. *uenerint* c — *cum reliqui sint robusti in sermone* a — 26. *tum etiam in* c — 29. *inesse minoribus* c; *inesse moribus* B — 32. *aut domesticis* (om. *de*) o — 33. *igitur*] *uero* B¹ — *ut si etiam aberrare* c — 35. *omnes* c: om. A B H a b — *isdem* A a b: *hisdem* B H; *eisdem* c o — *delectantur* Car. Scheibe in Iahnii Annall. philol. vol. 81 p. 374. — *de* in multis codd. (non in meis) omissum alii secluserunt. — 36. *est* superscr. in b — *quatinus* A B — 37. *modus desinendi* c — *destinendi* a; *destinandi* A b — 38. *quo modo* A B H b: *quoniam* (per compendium) a; *quem ad modum* c.

mus, id est motus animi nimios rationi non optemperantes, sic eius modi motibus sermo debet vacare, ne aut ira existat aut cupiditas aliqua aut pigritia aut ignavia aut tale aliquid appareat, maximeque curandum est ut eos, quibuscum sermonem conferemus, et vereri et diligere videamur. Obiurgationes etiam non numquam incidunt necessariae, in quibus utendum est fortasse et vocis contentione maiore et verborum gravitate acriore; id agendum etiam, ut ea facere videamur irati. Sed ut ad urendum et secandum, sic ad hoc genus castigandi raro invitique veniemus, nec umquam nisi necessario, si nulla reperietur alia medicina: sed tamen ira procul absit, cum qua nihil recte fieri, nihil considerate potest. 137. Magnam autem partem clementi castigatione licet uti, gravitate tamen adiuncta, ut severitas adhibeatur et contumelia repellatur, atque etiam illud ipsum, quod acerbitatis habet obiurgatio, significandum est ipsius [id] causa, qui obiurgetur, esse susceptum. Rectum est autem etiam in illis contentionibus, quae cum inimicissimis fiunt, etiam si nobis indigna audiamus, tamen gravitatem retinere, iracundiam pellere: quae enim cum aliqua perturbatione fiunt, ea nec constanter fieri possunt neque iis, qui adsunt, probari. Deforme etiam est de se ipsum praedicare, falsa praesertim, et cum inrisione audientium imitari militem gloriosum.

XXXIX. 138. Et quoniam omnia persequimur, volumus quidem certe, dicendum est etiam, qualem hominis honorati et principis domum placeat esse, cuius finis est usus, ad quem accommodanda est aedificandi descriptio et tamen adhibenda commoditatis dignitatisque diligentia. Cn. Octavio, qui primus ex illa familia consul factus est, honori fuisse accepimus, quod praeclaram aedificasset in Palatio et plenam dignitatis domum: quae cum vulgo viseretur, suffragata domino, novo homini, ad consulatum putabatur: hanc Scaurus demolitus accessionem adiunxit aedibus. Itaque ille in suam domum consulatum primus attulit: hic, summi et clarissimi viri filius, in domum multiplicatam non repulsam solum rettulit, sed ignominiam etiam et calamitatem. 139. Ornanda enim est dignitas domo, non ex domo tota quaerenda, nec domo dominus, sed domino domus honestanda est, et, ut in ceteris habenda ratio non sua solum, sed etiam aliorum, sic in domo clari hominis, in quam et hospites multi recipiendi et admittenda hominum cuiusque generis multitudo, adhibenda cura est laxitatis. Aliter ampla domus dedecori saepe domino fit, si est in ea solitudo, et maxime, si aliquando

---

4. *sermone* A — 6. *utendum est fortasse vocis -- acriore* Nonius p. 241. — 7. *ut ne ea* c — 8. *sit ad hoc -- veniamus* Nonius p. 379. — *sic et ad* c — 9. *repperietur* ABH — *alia* om. H — 11. *Magnam autem partem* Lambinus: *Magna autem parte* C. Cf. § 24. — 12. *ut et seueritas* c p o — 14. *id* in aliquot codd. omissum seclusi. — 15. *in hijs* c — *inimicis* c — 16. *indigna esse audiamus* ABHb (in B *esse* expunctum est) — 18. *neque his* ABHab, *nec hijs* c; *nec ab iis* p — 19. *ipsum* superscr. *ipso* a, *ipsum* corr. in *ipso* b; *ipso* Ac — 23. *finis et usus* BHab — 24. *adhibenda est comm.* c — *commoditatisque* (om. *dignitatis*) B[1] — 26. *aedificasse* b — *in palatino* a; *in latio* c — 28. *ad consulandum* Hab — *putabantur* b — *hanc serus demolitus -- aedibus* Nonius p. 346. — *accensionem* BHab — 30. *viri* om. b — 31. *et* ac: om. BHb — 32. *enim est dignitas domo* BHab: *enim domo est dignitas* c; *est enim dignitas domo* o — *tota ex domo* c — 34. *in qua* c — 35. *et admittenda -- laxitatis* Nonius p. 132 et 340. — *ammittenda* BH[1]a — 36. *generis* a: *modi* c p o et Nonius; om. BHb — *est cura* c — 37. *saepe domino* C (etiam ab): *domino saepe* o — *fit, si -- alio domino* om. c — *fit*] *sit* BHab — *est* corr. ex *sit* b.

alio domino solita est frequentari. Odiosum est enim, cum a praetereuntibus dicitur:

— — o domus antiqua, heu quam dispari
Dominare domino!

quod quidem his temporibus in multis licet dicere. **140.** Cavendum autem est, praesertim si ipse aedifices, ne extra modum sumptu et magnificentia prodeas: quo in genere multum mali etiam in exemplo est. Studiose enim plerique praesertim in hanc partem facta principum imitantur, ut L. Luculli, summi viri, virtutem quis? at quam multi villarum magnificentiam [imitati]! quarum quidem certe est adhibendus modus ad mediocritatem revocandus. Eademque mediocritas ad omnem usum cultumque vitae transferenda est. Sed haec hactenus.

141. In omni autem actione suscipienda tria sunt tenenda: primum ut appetitus rationi pareat, quo nihil est ad officia conservanda accommodatius, deinde ut animadvertatur, quanta illa res sit, quam efficere velimus, ut neve maior neve minor cura et opera suscipiatur quam causa postulet. Tertium est ut caveamus ut ea, quae pertinent ad liberalem speciem et dignitatem, moderata sint. Modus autem est optimus decus ipsum tenere, de quo ante diximus, nec progredi longius. Horum tamen trium praestantissimum est appetitum optemperare rationi.

XL. **142.** Deinceps de ordine rerum et de opportunitate temporum dicendum est. Haec autem scientia continentur ea, quam Graeci εὐταξίαν nominant, non hanc, quam interpretamur modestiam, quo in verbo modus inest, sed illa est εὐταξία, in qua intellegitur ordinis conservatio. Itaque, ut eandem nos modestiam appellemus, sic definitur a Stoicis, ut modestia sit scientia rerum earum, quae agentur aut dicentur, loco suo collocandarum. Ita videtur eadem vis ordinis et collocationis fore; nam et ordinem sic definiunt, compositionem rerum aptis et accommodatis locis. Locum autem actionis opportunitatem temporis esse dicunt; tempus autem actionis opportunum Graece εὐκαιρία, Latine appellatur occasio. Sic fit ut modestia haec, quam ita interpretamur, ut dixi, scientia sit opportunitatis idoneorum ad agendum temporum. **143.** Sed potest eadem esse prudentiae definitio, de qua principio diximus: hoc autem loco de moderatione et temperantia et harum similibus virtutibus quaerimus. Itaque quae erant prudentiae propria suo loco dicta sunt: quae autem harum virtutum, de quibus iam diu loquimur, quae pertinent ad verecundiam et ad eorum approbationem, quibuscum vivimus,

---

3. *heu*] *et* C — 4. *donare* H — 7. *etiam mali* c — 8. *principum facta* c — 9. *L.* om. c — 10. *imitati* superscr. scholio *s. sunt* a; *sunt imitati* c. (*imitati* grammatici supplementum videtur, quod seclusi.) — 11. *referendus* c — 12. *referenda* c — 13. *sunt tuenda* c — 14. *pareant* c — 16. *ut* corr. ex *sit* b — *neue minor cura neue maior* (verbis *minor* et *maior* transpositionis signa superscr. sunt) c — 17. *ut caueatur* c — *ad liberalitatem specie et dignitate* c p — 18. *moderanda* B H a b — 19. *ipsum optinere* c — 21. *de* ante *opp.* om. c (est etiam in a b c) — *oportunitate* H a b c — 22. *hac* a — *eutaxian* B H a b, *eutaxiam* c — 23. *nant non* - - *doctrina rerum honestarum* (§ 151) in c continentur folio sexto decimo, de quo vide § 77. — *non hanc* - - *modus inest* Nonius p. 30. — *non hac* c — 24. *eutaxia* C — 25. *modestiam nos* c — 28. *et commoditatis* B[1] — 30. *euceria* B H a b, *eucheria* c — *latineque* c — 31. *interpretatur* c — 33. *potest haec eadem* p — *diffinitio prudentie de qua in principio* c — 34. *et harum* H a b c: *et arum* B, *et earum* c — 35. *suo dicta sunt loco* c — 36. *loquitur* a — 37. *approbationem* a b.

nunc dicenda sunt. **144.** Talis est igitur ordo actionum adhibendus, ut, quem ad modum in oratione constanti, sic in vita omnia sint apta inter se et convenientia; turpe enim valdeque vitiosum in re severa convivio digna aut delicatum aliquem inferre sermonem. Bene Pericles, cum haberet collegam in praetura Sophoclem poetam iique de communi officio convenissent et casu formosus puer praeteriret dixissetque Sophocles «O puerum pulchrum, Pericle!» «At enim praetorem, Sophocle, decet non solum manus sed etiam oculos abstinentes habere.» Atque hoc idem Sophocles si in athletarum probatione dixisset, iusta reprehensione caruisset. Tanta vis est et loci et temporis. Ut si qui, cum causam sit acturus, in itinere aut in ambulatione secum ipse meditetur aut si quid aliud attentius cogitet, non reprehendatur, at hoc idem si in convivio faciat, inhumanus videatur inscitia temporis. **145.** Sed ea, quae multum ab humanitate discrepant, ut si qui in foro cantet aut si qua est alia magna perversitas, facile apparent nec magno opere admonitionem et praecepta desiderant: quae autem parva videntur esse delicta neque a multis intellegi possunt, ab iis est diligentius declinandum. Ut in fidibus aut tibiis, quamvis paulum discrepent, tamen id a sciente animadverti solet, sic videndum est in vita ne forte quid discrepet, vel multo etiam magis, quo maior et melior actionum quam sonorum concentus est. XLI. **146.** Itaque, ut in fidibus musicorum aures vel minima sentiunt, sic nos, si acres ac diligentes esse volumus * animadversoresque vitiorum, magna saepe intellegemus ex parvis. Ex oculorum optutu, superciliorum aut remissione aut contractione, ex maestitia, ex hilaritate, ex risu, ex locutione, ex reticentia, ex contentione vocis, ex summissione, ex ceteris similibus facile iudicabimus, quid eorum apte fiat, quid ab officio naturaque discrepet. Quo in genere non est incommodum, quale quidque eorum sit, ex aliis iudicare, ut, si quid dedeceat in illis, vitemus ipsi. Fit enim nescio quo modo ut magis in aliis cernamus quam in nobismet ipsis, si quid delinquitur. Itaque facillume corriguntur in discendo, quorum vitia imitantur emendandi causa magistri. **147.** Nec vero alienum est ad ea eligenda, quae dubitationem

---

1. *igitur est* o — 2. *constancia sic* o — *apta sint et inter se conueniencia* o — 3. *turpe* C (etiam a): *turpe est* o — 4. *conuiuio digna* BHab: *conuiuio dignum* o; *convivii dicta* po — 5. *sophoclen* Ha — *poetam* C: om. o — *hique* H²a, *hijque* o — *de*] *cum de* o — 7. *enim* om. o — 9. *sophocles hoc idem* o — 10. *uis est loci ac temporis* o — *si quis* o 12. *attentius*] *actenus* o — *hoc quidem* a; *hoc qui idem* o — 13. *inscitia* C: *inscientia* alii. Cf. Madvig ad Cic. de Finib. p. 95. — *Sed sunt ea* o — 14. *si quis* o — 15. *apparet -- desiderat* C — *magno opere* o: *magnopere* BHab — *ammonitione et praecepto* o — 16. *praua* b — 17. *ab his* C — *declamandum* o — 18. *aut* om. p — *paululum* o — *a sciente cum animaduerti* a — 19. *uidendum* o: *uiuendum* BHab — 22. *animaduersoresque* C: *animadversores* o; *spectatores animadversoresque* Klotzius in Prooemio; *iudices* ante *esse* inserunt alii. — 23. *saepe intellegimus* B; *intelligemus sepe* o — 24. *superciliorum aut remissione* BHab: *ex eleuatione aut remissione superciliorum* o; *ex superciliorum aut remissione* po — *aut contractione* om. o — 25. *ex reticentia* post *summissione* habet o — *ex contentione vocis et summissione et ceteris similibus facile iudicabimus* Nonius p. 258. — *ex summissione* C: *et submissione* o — 26. *sed facile iudicabimus, quid eorum aliter ab officio naturaque discrepet* Nonius p. 234. — *iudicabimus* corr. ex *iudicamus* o — 28. *dedeceat* ao: *deceat* Hb; *non deceat* B — 29. *in illis* a: *in illos* BHbo; *alios* p — 30. *delinquimus* p — 31. *corriguntur uitia in discendo quorum imitantur* o — *imitentur* B — 32. *ad ea dirigenda* p.

afferunt, adhibere doctos homines vel etiam usu peritos et, quid iis de quoque officii genere placeat, exquirere. Maior enim pars eo fere deferri solet, quo a natura ipsa deducitur. In quibus videndum est non modo quid quisque loquatur, sed etiam quid quisque sentiat atque etiam de qua causa quisque sentiat. Ut enim pictores et ii, qui signa fabricantur, et vero etiam poetae suum quisque opus a vulgo considerari vult, ut, si quid reprehensum sit a pluribus, id corrigatur, iique et secum et ab aliis, quid in eo peccatum sit, exquirunt, sic aliorum iudicio permulta nobis et facienda et non facienda et mutanda et corrigenda sunt. 148. Quae vero more agentur institutisque civilibus, de iis nihil est praecipiendum; illa enim ipsa praecepta sunt, nec quemquam hoc errore duci oportet, ut, si quid Socrates aut Aristippus contra morem consuetudinemque civilem fecerint locutive sint, idem sibi arbitretur licere: magnis illi et divinis bonis hanc licentiam assequebantur. Cynicorum vero ratio tota est eicienda; est enim inimica verecundiae, sine qua nihil rectum esse potest, nihil honestum. 149. Eos autem, quorum vita perspecta in rebus honestis atque magnis est, bene de re publica sentientes ac bene meritos aut merentes sic, ut aliquo honore aut imperio affectos, observare et colere debemus, tribuere etiam multum senectuti, cedere iis, qui magistratum habebunt, habere dilectum civis et peregrini in ipsoque peregrino, privatimne an publice venerit. Ad summam, ne agam de singulis, communem totius generis hominum conciliationem et consociationem colere, tueri, servare debemus.

XLII. 150. Iam de artificiis et quaestibus, qui liberales habendi, qui sordidi sint, haec fere accepimus. Primum improbantur ii quaestus, qui in odia hominum incurrunt, ut portitorum, ut faeneratorum. Inliberales autem et sordidi quaestus mercennariorum omnium, quorum operae, non quorum artes emuntur; est enim in illis ipsa merces auctoramentum servitutis. Sordidi etiam putandi, qui mercantur a mercatoribus, quod statim vendant; nihil enim proficiant, nisi admodum mentiantur, nec vero est quicquam turpius vanitate. Opificesque omnes in sordida arte versantur; nec enim quicquam ingenuum habere potest officina. Minimeque artes eae probandae, quae ministrae sunt voluptatum,

---

1. *homines*] *uiros* c — *his* a, *eis* c — 4. *sentiat at etiam quid quisque qua de causa sentiat* c — *atque etiam -- quisque sentiat* om. B¹ — 5. *de qua* BHab: *qua de* co — *ut enim pictoris et hi, qui signa fabricantur* Nonius p. 471. — *ii* Bb: *hii* H, *hi* a, *hij* c — *fabricant* c — 6. *ueri* p — *etiam* om. c — 7. *hique* a, *hijque* c — 8. *et ab aliis* a: *et aliis* BHb; *et cum aliis* co; *et ex aliis* Unger. — 9. *et non facienda* om. c — 10. *aguntur institutisque consiliis ciuilibus* c — *de his* BHab, *de hijs* c — 11. *ipsa* om. c — 13. *arbitrentur* (litt. *n* expuncta) a; *arbitrantur* c — 15. *est adhibenda abicienda* c — 17. *perfecta* c — 18. *sic, ut aliquo -- colere debemus* Nonius p. 359; *si quos aliquo -- colere debemus* idem p. 519 sq. — *sic ut* p et Nonius: om. C (etiam a) — 19. *senectuti multum* c — 20. *his* Hac — *magistratus* c — *delectum* bco — 21. *et*] *ac* c — *ipso quoque* B — *priuatene uel publice* c — *puplice* B — 22. *generis totius hominum societatem et consolationem et conciliationem* c — 23. *et consociationem* om. B¹ — 25. *sunt* c — *primum improbantur -- feneratorum* Nonius p. 24. — *ii* BHb: *hi* a, *hij* c — 26. *feneratorum* Co. Cf. II § 89. — 27. *autem* om. c — *mercenariorum* co — *omnium* om. p (non a) — 28. *opera* bc — *in* superscr. b — 29. *putandi sunt qui* c — *mercatoribus id quod* c — 30. *nihil enim -- turpius vanitate* Nonius p. 416. — *proficiunt* c — *ammodum* BH, item p. 681, 8. — 31. *uanitate opificum qui omnes* p — 32. *enim* om. a — 33. *eae* BHb: *hęę* a, *hee* c — *probandae sunt quae* c.

cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores,

ut ait Terentius. Adde huc, si placet, unguentarios, saltatores totumque ludum talarium. 151. Quibus autem artibus aut prudentia maior inest aut non mediocris utilitas quaeritur, ut medicina, ut architectura, ut doctrina rerum honestarum, eae sunt iis, quorum ordini conveniunt, honestae. Mercatura autem, si tenuis est, sordida putanda est: sin magna et copiosa, multa undique apportans multisque sine vanitate inpertiens, non est admodum vituperanda, atque etiam, si satiata quaestu vel contenta potius, ut saepe ex alto in portum, ex ipso portu se in agros possessionesque contulit, videtur iure optimo posse laudari. Omnium autem rerum, ex quibus aliquid adquiritur, nihil est agri cultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius: de qua quoniam in Catone maiore satis multa diximus, illim assumes quae ad hunc locum pertinebunt.

XLIII. 152. Sed ab iis partibus, quae sunt honestatis, quem ad modum officia ducerentur, satis expositum videtur. Eorum autem ipsorum, quae honesta sunt, potest incidere saepe contentio et comparatio de duobus honestis utrum honestius, qui locus a Panaetio est praetermissus. Nam cum omnis honestas manet a partibus quattuor, quarum una sit cognitionis, altera communitatis, tertia magnanimitatis, quarta moderationis, haec in deligendo officio saepe inter se comparentur necesse est. 153. Placet igitur aptiora esse naturae ea officia, quae ex communitate, quam ea, quae ex cognitione ducantur, idque hoc argumento confirmari potest, quod, si contigerit ea vita sapienti, ut omnium rerum affluentibus copiis omnia, quae cognitione digna sint, summo otio secum ipse consideret et contempletur, tamen si solitudo tanta sit, ut hominem videre non possit, excedat e vita. Princepsque omnium virtutum illa sapientia, quam σοφίαν Graeci vocant — prudentiam enim, quam Graeci φρόνησιν, aliam quandam intellegimus, quae est rerum expetendarum fugiendarumque scientia: illa autem sapientia, quam principem dixi, rerum est divinarum et humanarum scientia, in qua continetur [deorum et] hominum communitas et societas inter ipsos: ea si maxima est, ut est, certe necesse est, quod a communitate ducatur officium, id esse maximum. Etenim cognitio contemplatioqde rerum

---

1. *cetari* (s. *cetari*) B[1]H[1]b — *quoqui* b — 2. *totum ludum tabularium* p — 3. *In quibus* Lund. «*in* addi h. l. iubet constans Ciceronis usus.» Fort. *Quibus autem in artibus.* — *inest maior* c — 4. *medicina aut architectura aut doctrina* c — 5. A verbis *doctrina rerum honestarum* (in folio XVII.) rursus incipit antiqua manus c. — *hee* c — *his* a, *hijs* c — 6. *est putanda* o — 8. *est* superscr. ead. m. in a — 9. *portum sic ex ipso se portu* c — 10. *optime* B[1] — *omnium autem - - agri cultura melius* Nonius p. 498. — 12. *nihil* (s. *nichil*) *homine nihil* (s. *nichil*) *libero dignius* Habc; *nihil libero dignius* alii. — 13. *multa satis* c — *illim* B[1]: *illum* H; *illa* B[2]p; *illinc* abco. Cf. Wesenberg Emendatt. M. T. C. Epistolarum p. 124 sq. — 15. *ab his* BHabp, *ab hijs* c — 21. *haec* Cp: *eae* o — 22. *nature esse* c — 24. *potest: Quod si* o — *ut in omnium* cpo — 25. *omnia* Lambinus: *quamvis omnia* Cpo — *sint* BHabp: *sunt* co — 26. *si solitudo* Cp: *solitudo si* o — 27. *Princepsque* cet.] De orationis forma vide Madvigium ad Cic. de Finib. III, 35 p. 408. — *virtutum omnium* p — 28. *illa est sapientia* p — *sophiam* BHab; *philosophiam* cp — 29. *phronesim* BH, *fronesim* c, *fronesin* p; *phronesim dicunt* ab — 31. *et* C: *atque* po — *continetur et deorum* p — 32. *deorum et* ab hoc loco aliena esse vidit Gernhard. Cf. § 20. — 33. *maxime est* H — 34. *rerum naturae - - nulla actio* Car. Scheibe (Annal. philoll. vol. 81 p. 374): *naturae - - nulla actio rerum* Cpo. Cf. p. 682, 5 sq.

naturae manca quodam modo atque inchoata sit, si nulla actio consequatur. Ea autem actio in hominum commodis tuendis maxime cernitur; pertinet igitur ad societatem generis humani: ergo haec cognitio anteponenda est. 154. Atque id optimus quisque re ipsa ostendit et iudicat. Quis enim est tam cupidus in perspicienda cognoscendaque rerum natura, ut, si ei tractanti contemplantique res cognitione dignissimas subito sit allatum periculum discrimenque patriae, cui subvenire opitularique possit, non illa omnia relinquat atque abiciat, etiam si dinumerare se stellas aut metiri mundi magnitudinem posse arbitretur? Atque hoc idem in parentis, in amici re aut periculo fecerit. 155. Quibus rebus intellegitur studiis officiisque scientiae praeponenda esse officia iustitiae, quae pertinent ad hominum caritatem, qua nihil homini esse debet antiquius. XLIV. Atque illi, quorum studia vitaque omnis in rerum cognitione versata est, tamen ab augendis hominum utilitatibus et commodis non recesserunt. Nam et erudiverunt multos, quo meliores cives utilioresque rebus suis publicis essent, ut Thebanum Epaminondam Lysis Pythagoreus, Syracosium Dionem Plato multique multos, nosque ipsi, quicquid ad rem publicam attulimus, si modo aliquid attulimus, a doctoribus atque doctrina instructi ad eam et ornati accessimus. 156. Neque solum vivi atque praesentes studiosos discendi erudiunt atque docent, sed hoc idem etiam post mortem monumentis litterarum assequuntur. Nec enim locus ullus est praetermissus ab iis, qui ad leges, qui ad mores, qui ad disciplinam rei publicae pertineret, ut otium suum ad nostrum negotium contulisse videantur. Ita illi ipsi doctrinae studiis et sapientiae dediti ad hominum utilitatem suam prudentiam intellegentiamque potissimum conferunt, ob eamque etiam causam eloqui copiose, modo prudenter, melius est quam vel acutissime sine eloquentia cogitare, quod cogitatio in se ipsa vertitur, eloquentia complectitur eos, quibuscum communitate iuncti sumus. 157. Atque ut apium examina non fingendorum favorum causa congregantur, sed, cum congregabilia natura sint, fingunt favos, sic homines ac multo etiam magis natura congregati adhibent agendi cogitandique sollertiam. Itaque nisi ea virtus, quae constat ex hominibus tuendis, id est ex societate generis humani, attingat cognitionem rerum, solivaga cognitio et ieiuna videatur, itemque magnitudo animi remota *a* communitate coniunctioneque humana feritas sit quaedam et immanitas. Ita fit ut vincat cognitionis studium consociatio hominum atque communitas. 158. Nec verum est,

---

4. *re ipsa* B H a b: *re ab se* c; *ab ipsa re* p; *reapse* o — 6. *contemplatique* B — 7. *oblatum* c p — *cui*] *cum* c — 8. *denumerare* p — 10. *in* (ante *parentis*) om. p — *parentis aut amici re uel periculo* c — 12. *caritatem* c p: *utilitatem* B H a b. Cf. de Finib. V § 65. — *quia nichil h. debet esse* c — 13. *illi ipsi quorum* c p — 15. *erudierunt* B c p — 17. *epaminundam* p — *lysis* c: *lisis* p; *lysias* B H a b — *syracosium* b: *siracosium* B p, *syracoseum* H, *syracusium* a c o — *dionem et plato* p — 18. *ipsi qui quicquid* H a (in a *qui* additum est ab alia m.) — 21. *atque* B H a b: *ac* c, *et* p — *monimentis* c — 22. *neque* c p — *praetermissus est* p — *ab his* a, *ab hiis* H, *ab hijs* c; *ab ipsis* p — 25. *intelligentiam prudentiamque* c p — 26. *etiam* om. c p o — 27. *modo et prudenter* p — *quam* om. B[1] — 29. *uincti* p — 30. *apium* C p (in a tamen *i* expuncta est): *apum* o — 32. *congregati* om. c — *cogitandique* c p: *congregandique* B H a b — 34. *humani generis* p — 35. *videtur* p — *itemque* -- *et immanitas* seclusit Pearcius. — *a* Anemoecius: om. C p — *communitate* p (per compendium): *comitate* C.

quod dicitur a quibusdam, propter necessitatem vitae, quod ea, quae natura desideraret, consequi sine aliis atque efficere non possemus, idcirco initam esse cum hominibus communitatem et societatem, quod, si omnia nobis, quae ad victum cultumque pertinent, quasi virgula divina, ut aiunt, suppeditarentur, tum optimo quisque ingenio negotiis omnibus omissis totum se in cognitione et scientia collocaret. Non est ita. Nam et solitudinem fugeret et socium studii quaereret, tum docere, tum discere vellet, tum audire, tum dicere. Ergo omne officium, quod ad coniunctionem hominum et ad societatem tuendam valet, anteponendum est illi officio, quod cognitione et scientia continetur. XLV. 159. Illud forsitan quaerendum sit, num haec communitas, quae maxime est apta naturae, sit etiam moderationi modestiaeque semper anteponenda. Non placet; sunt enim quaedam partim ita foeda, partim ita flagitiosa, ut ea ne conservandae quidem patriae causa sapiens facturus sit. Ea Posidonius collegit permulta, sed ita taetra quaedam, ita obscena, ut dictu quoque videantur turpia. Haec igitur non suscipiet rei publicae causa; ne res publica quidem pro se suscipi volet. Sed hoc commodius se res habet, quod non potest accidere tempus, ut intersit rei publicae quicquam illorum facere sapientem. 160. Qua re hoc quidem effectum sit, in officiis deligendis id genus officiorum excellere, quod teneatur hominum societate. Etenim cognitionem prudentiamque sequetur considerata actio: ita fit ut agere considerate pluris sit quam cogitare prudenter. Atque haec quidem hactenus. Patefactus enim locus est ipse, ut non difficile sit in exquirendo officio quid cuique sit praeponendum videre. In ipsa autem communitate sunt gradus officiorum, ex quibus quid cuique praestet intellegi possit, ut prima dis inmortalibus, secunda patriae, tertia parentibus, deinceps gradatim reliquis debeantur. 161. Quibus ex rebus breviter disputatis intellegi potest non solum id homines solere dubitare, honestumne an turpe sit, sed etiam, duobus propositis honestis utrum honestius sit. Hic locus a Panaetio est, ut supra dixi, praetermissus. Sed iam ad reliqua pergamus.

LIBER SECUNDUS.

I. 1. Quem ad modum officia ducerentur ab honestate, Marce fili, atque ab omni genere virtutis, satis explicatum arbitror libro superiore. Sequitur ut haec officiorum genera persequar, quae pertinent ad vitae

---

1. *quae* om. b — 3. *initam* op: *istam* BHab; *institutam* Halmius. — *societatem et communitatem* p — 10. *officio* del. Gulielmius. — 11. *num*] ñ (*non*) a — 12. *apta est* o — *naturae, ea sit* op — *etiam* om. o — 13. *partim* om. op — 15. *possidonius* Cp — *collegit multa* op — *obscoena* bo — 16. *suscipiat* b; *susciperet* o — 17. *quidem publica* op — *hoc* op: *haec* BHab — 18. *habebit* p — 20. *cffectumst* Halmius. — *id* a: *ut* b; *hoc* BHop — 21. *sequitur* op — 22. *considerata actio* aop: *considerat actio* Hb; *consideratio* B — *fit* om. o — 26. *diis* BHabo, *deis* op — 27. *reliquis* Cp: *reliqua reliquis* alii. — 29. *an* om. p — 30. *duobus* om. a — *sit* BHao: om. bpo — 31. *M. Tullii. Ciceronis. de officiis lib. I. explicit. incipit liber secvndvs* B; *M. Tull. Ciceronis. de off. lib. I. explicit* H; *M. Tvllii. Ciceronis. de. officiis. liber. primvs. explicit. incipit. scds* a; subscriptione et inscriptione carent bo (b vacuo spatio relicto).

cultum et ad earum rerum, quibus utuntur homines, facultatem, ad opes, ad copias. [In quo tum quaeri dixi quid utile, quid inutile, tum ex utilibus quid utilius aut quid maxime utile.] De quibus dicere adgrediar, si pauca prius de instituto ac de iudicio meo dixero. 2. Quamquam enim libri nostri complures non modo ad legendi, sed etiam ad scribendi studium excitaverunt, tamen interdum vereor ne quibusdam bonis viris philosophiae nomen sit invisum mirenturque in ea tantum me operae et temporis ponere. Ego autem, quam diu res publica per eos gerebatur, quibus se ipsa commiserat, omnis meas curas cogitationesque in eam conferebam. Cum autem dominatu unius omnia tenerentur neque esset usquam consilio aut auctoritati locus, socios denique tuendae rei publicae, summos viros, amisissem, nec me angoribus dedidi, quibus essem confectus, nisi iis restitissem, nec rursum indignis homine docto voluptatibus. 3. Atque utinam res publica stetisset quo coeperat statu nec in homines non tam commutandarum quam evertendarum rerum cupidos incidisset! Primum enim, ut stante re publica facere solebamus, in agendo plus quam in scribendo operae poneremus, deinde ipsis scriptis non ea, quae nunc, sed actiones nostras mandaremus, ut saepe fecimus. Cum autem res publica, in qua omnis mea cura, cogitatio, opera poni solebat, nulla esset omnino, illae scilicet litterae conticuerunt forenses et senatoriae. 4. Nihil agere autem cum animus non posset, in his studiis ab initio versatus aetatis existimavi honestissime molestias posse deponi, si me ad philosophiam rettulissem. Cui cum multum adulescens discendi causa temporis tribuissem, postea quam honoribus inservire coepi meque totum rei publicae tradidi, tantum erat philosophiae loci, quantum superfuerat amicorum et rei publicae temporibus. Id autem omne consumebatur in legendo, scribendi otium non erat. II. 5. Maximis igitur in malis hoc tamen boni assecuti videmur, ut ea litteris mandaremus, quae nec erant satis nota nostris et erant cognitione dignissima. Quid enim est, per deos, optabilius sapientia, quid praestantius, quid homini melius, quid homine dignius? Hanc igitur qui expetunt philosophi nominantur, nec quicquam aliud est philosophia, si interpretari velis, praeter studium sapientiae. Sapientia autem

---

1. *homines ad facultatem* c — 2. *In quo -- maxime utile* del. S. R. Heumannnus et Facciolatus. «In margine videntur adscripta verbis *libro superiore*. An putas *In quo* ad *vitae cultum* referendum esse et *De quibus* ad *officiorum genera* transverso quidem ordine pertinere?» GERNH. — *dixi queri* c — *tum ex -- maxime utile* **cp**: om. **BHab** — 4. *instituto et iudicio* c — 5. *nostri libri* c — 7. *uiris bonis* c — *mirentur in ea me tantum operae et temporis ponere* Nonius p. 368. — *me in ea tantum* c — 8. *quamdiu -- commiserat* Nonius p. 249. — 9. *se ipsā* **a**; *ipsa se* c — *omnis meas -- conferebam* Nonius p. 268. — *omnes* Co — *meas* om. c — 11. *aut auctoritatibus* c — 12. *nec me angoribus dedidi, quibus eram confectus* Nonius p. 268. — 13. *his* **BHab**, *hijs* c — 16. *rerum* om. **p** — 17. *deinde tertius ipsis scriptis -- ut saepe fecimus* Nonius p. 348. — 18. *ut saepe fecimus* om. **b**, sed omissionis signo addito. — 21. *autem agere* **b** — 22. *existimavi honestissimas molestias posse deponi, nisi me ad philosophiam retulissent* Nonius p. 279. — 23. *molestias* **cp** et Nonius: om. **BHab** — *cui quondam multum* c — 26. *temporibus* Victorius: *temporis* **BHab**; *tempori* c — 27. *scribendo* **b** — 28. *hoc tantum boni* c — 30. *quid enim est, per deos immortalis, optabilius sapientia? quid praestabilius?* Nonius p. 371. — *est enim* o — 31. *homine* om. c — 32. *expetunt* **cp**: *expetant* H; *expectant* **Bab** — 33. *Sapienti autem* **b** — *sapientia est divinarum et humanarum rerum scientia* Lactantius Epit. c. 31.

est, ut a veteribus philosophis definitum est, rerum divinarum et humanarum causarumque, quibus eae res continentur, scientia, cuius studium qui vituperat haud sane intellego quidnam sit quod laudandum putet. 6. Nam sive oblectatio quaeritur animi requiesque curarum, quae conferri cum eorum studiis potest, qui semper aliquid anquirunt, quod spectet et valeat ad bene beateque vivendum? sive ratio constantiae virtutisque ducitur, aut haec ars est aut nulla omnino, per quam eas assequamur. Nullam dicere maxumarum rerum artem esse, cum minimarum sine arte nulla sit, hominum est parum considerate loquentium atque in maxumis rebus errantium. Si autem est aliqua disciplina virtutis, ubi ea quaeretur, cum ab hoc discendi genere discesseris? Sed haec, cum ad philosophiam cohortamur, accuratius disputari solent, quod alio quodam libro fecimus. Hoc autem tempore tantum nobis declarandum fuit, cur orbati rei publicae muneribus ad hoc nos studium potissimum contulissemus. 7. Occurritur autem nobis, et quidem a doctis et eruditis quaerentibus, satisne constanter facere videamur, qui, cum percipi nihil posse dicamus, tamen et aliis de rebus disserere soleamus et hoc ipso tempore praecepta officii persequamur. Quibus vellem satis cognita esset nostra sententia. Non enim sumus ii, quorum vagetur animus errore nec habeat umquam quid sequatur. Quae enim esset ista mens vel quae vita potius, non modo disputandi, sed etiam vivendi ratione sublata? Nos autem, ut ceteri alia certa, alia incerta esse dicunt, sic ab his dissentientes alia probabilia, contra alia dicimus. 8. Quid est igitur quod me impediat ea, quae probabilia mihi videantur, sequi, quae contra, inprobare atque adfirmandi arrogantiam vitantem fugere temeritatem, quae a sapientia dissidet plurimum? Contra autem omnia disputatur a nostris, quod hoc ipsum probabile elucere non posset, nisi ex utraque parte causarum esset facta contentio. Sed haec explanata sunt in Academicis nostris satis, ut arbitror, diligenter. Tibi autem, mi Cicero, quamquam in antiquissima nobilissimaque philosophia Cratippo auctore versaris, iis simillimo, qui ista praeclara pepererunt, tamen haec nostra, finituma vestris, ignota esse nolui. Sed iam ad instituta pergamus.

III. 9. Quinque igitur rationibus propositis officii persequendi, quarum duae ad decus honestatemque pertinerent, duae ad commoda vitae copias, opes, facultates, quinta ad eligendi iudicium, si quando ea, quae dixi, pugnare inter se viderentur, honestatis pars confecta est, quam

---

1. *et* om. b — 2. *hee* c — *cuius studium -- putet. Nam si oblectatio -- beateque vivendum? si vero ratio -- ab isto discendi genere discesseris?* Lactantius Instit. divin. III, 13. — 3. *haut* Ba — 4. *requies curarum* a — 5. *quae conferri -- potest?* Nonius p. 268. — *inquirunt* ac — 6. *ad beate et bene uiuendum* c — *constantiae*] *uiuendi* p — 8. *eas sequamur* b — *dicere* om. b — 10. *adque* B — 12. *coortamur* c — 13. *tantum* om. c — 14. *ad hoc -- contulissemus* Nonius p. 268. — 15. *nobis equidem* c — 16. *et eruditis* om. B¹ — 17. *precipi* c — 20. *hi* a, *hii* H, *hij* c — *umquam*] *inquam* c — 21. *non solum disp.* c — 23. *his* Ba: *hiis* H, *iis* b, *eis* c — *alia probabilia alia improbabilia dicimus* c; *alia probabilia contra alia non probabilia dicimus* p. Cf. de Finib. III § 50. — 24. *quae* om. H¹ — 27. *disputantur* C — *a nobis* a — 28. *posset* ac: *possit* BHbc — 31. *his* a, *hijs* c — 32. *sed etiam ad* H — 35. *pertinent* H — 36. *facultates, quinta ad eligendi iudicium* om. a — *que supra dixi* c — 37. *honestatis pars confecta est, quam tibi cupio esse notissimam* Nonius p. 269. — *honestatis autem pars* c.

quidem tibi cupio esse notissimam. Hoc autem, de quo nunc agimus, id ipsum est, quod utile appellatur. In quo [verbo] lapsa consuetudo deflexit de via sensimque eo deducta est, ut honestatem ab utilitate secernens constitueret esse honestum aliquid, quod utile non esset, et utile, quod non honestum, qua nulla pernicies maior hominum vitae potuit afferri. 10. Summa quidem auctoritate philosophi severe sane atque honeste haec tria genere confusa cogitatione distinguunt: quicquid enim iustum sit, id etiam utile esse censent, itemque quod honestum, idem iustum: ex quo efficitur ut, quicquid honestum sit, idem sit utile. Quod qui parum perspiciunt, ii saepe, versutos homines et callidos admirantes, malitiam sapientiam iudicant. Quorum error eripiendus est opinioque omnis ad eam spem traducenda, ut honestis consiliis iustisque factis, non fraude et malitia se intellegant ea, quae velint, consequi posse. 11. Quae ergo ad vitam hominum tuendam pertinent, partim sunt inanima, ut aurum, argentum, ut ea, quae gignuntur e terra, ut alia generis eiusdem, partim animalia, quae habent suos impetus et rerum appetitus. Eorum autem alia rationis expertia sunt, alia ratione utentia. Expertes rationis equi, boves, reliquae pecudes, [apes,] quarum opera efficitur aliquid ad usum hominum atque vitam. Ratione autem utentium duo genera ponunt, deorum unum, alterum hominum. Deos placatos pietas efficiet et sanctitas; proxime autem et secundum deos homines hominibus maxume utiles esse possunt. 12. Earumque item rerum, quae noceant et obsint, eadem divisio est. Sed quia deos nocere non putant, iis exceptis homines hominibus obesse plurimum arbitrantur. Ea enim ipsa, quae inanima diximus, pleraque sunt hominum operis effecta, quae nec haberemus, nisi manus et ars accessisset, nec iis sine hominum administratione uteremur. Neque enim valetudinis curatio neque navigatio neque agri cultura neque frugum fructuumque reliquorum perceptio et conservatio sine hominum opera ulla esse potuisset. 13. Iam vero et earum rerum, quibus abundaremus, exportatio et earum, quibus egeremus, invectio certe nulla esset, nisi his muneribus homines fungerentur. Eademque ratione nec lapides ex terra

---

2. *verbo* om. p, ego cum aliis seclusi, cum hic non de falso vocabuli usu, sed de falsa notionum distinctione agatur. — 3. *eo* om. c — 5. *pernities* B H a — *hominum maior* (sed additis transponendi signis) b — 7. *haec tria genere conf.* c: *haec tria genera conf.* B H a b; *haec tria genera, re conf.* I. F. Heusinger; *haec [tria] genera conf.* Heine. — *distingunt* a b c — *quicquid enim -- idem sit utile* del. Unger. — 8. *id etiam -- quod honestum* om. H — 10. *hi* a, *hii* H, *hij* c — 11. *ammirantes* B H — 12. *traducenda aut* H¹b — 14. *quae ergo -- argentum* Nonius p. 127 sq. — 15. *inanima* B H a (hic superscr. scholio i. *inanimata*) b: *inanimata* c. Cf. v. 25. — *argentum et ea* c — 16. *animata* c — 17. *alia* ante *rationis* om. B H¹b; *partim* c — 18. *apes* iam Facciolato suspectum ego quoque seclusi. «Ut omittam duritiam compositionis *bovum - pecudum - apum*, ea quoque, cur eiiciendum videatur, accedit causa, quod *quarum* sine dubio referri debet ad notionem generalem *reliquae pecudes*, eamque vocem postremam a Cicerone positam esse, satis docet additum adiectivum *reliquae*.» Lund. — 19. *opera* a: *opere* B H b c o — *aliquid ad usum efficitur hominum atque ad uitam* c — 20. *autem*] *aut* b — 23. *item* H a c: *iterum* B b, sed in B litterae *ru* expunctae sunt. — *diuisione . sed* c — 24. *iis* B H b: *his* a, *hijs* c — 25. *inanimata* c. Cf. v. 15. — 26. *neque* c — *accessissent* b — 27. *eis* c, *his* a, *hiis* H — *amministratione* B H a c — *ualitudinis* H a c — 28. *nec - nec - nec* c — 30. *habundaremus* H b c — 31. *nisi iis* B b, *nisi hijs* c — 32. *ex* C: *e* c.

excideruntur ad usum nostrum necessarii, nec «ferrum, aes, aurum, argentum» effoderetur «penitus abditum» sine hominum labore et manu. IV. Tecta vero, quibus et frigorum vis pelleretur et calorum molestiae sedarentur, unde aut initio generi humano dari potuissent aut postea subvenire, si aut vi tempestatis aut terrae motu aut vetustate cecidissent, nisi communis vita ab hominibus harum rerum auxilia petere didicisset? 11. Adde ductus aquarum, derivationes fluminum, agrorum inrigationes, moles oppositas fluctibus, portus manu factos: quae unde sine hominum opera habere possemus? Ex quibus multisque aliis perspicuum est, qui fructus quaeque utilitates ex rebus iis, quae sint inanimae, percipiantur, eas nos nullo modo sine hominum manu atque opera capere potuisse. Qui denique ex bestiis fructus aut quae commoditas, nisi homines adiuvarent, percipi posset? Nam et qui principes inveniendi fuerunt, quem ex quaque belua usum habere possemus, homines certe fuerunt, nec hoc tempore sine hominum opera aut pascere eas aut domare aut tueri aut tempestivos fructus ex iis capere possemus, ab eisdemque et eae, quae nocent, interficiuntur et quae usui possunt esse capiuntur. 15. Quid enumerem artium multitudinem, sine quibus vita omnino nulla esse potuisset? Qui enim aegris subveniretur, quae esset oblectatio valentium, qui victus aut cultus, nisi tam multae nobis artes ministrarent? quibus rebus exculta hominum vita tantum destitit a victu et cultu bestiarum. Urbes vero sine hominum coetu non potuissent nec aedificari nec frequentari, ex quo leges moresque constituti, tum iuris aequa discriptio certaque vivendi disciplina: quas res et mansuetudo animorum consecuta et verecundia est effectumque ut esset vita munitior atque ut dando et accipiendo mutandisque facultatibus et commodis nulla re egeremus.

V. 16. Longiores hoc loco sumus quam necesse est. Quis est enim cui non perspicua sint illa, quae pluribus verbis a Panaetio commemorantur, neminem neque ducem belli nec principem domi magnas res et salutares sine hominum studiis gerere potuisse? Commemoratur ab eo Themistocles, Pericles, Cyrus, Agesilaus, Alexander, quos negat sine adiumentis hominum tantas res efficere potuisse. Utitur in re non dubia testibus non necessariis. Atque ut magnas utilitates adipiscimur conspiratione hominum atque consensu, sic nulla tam detestabilis pestis est, quae non homini ab homine nascatur. Est Dicaearchi liber de

---

1. *necessarium* B — *aurum. argentum* BHbc: *argentum. aurum* a (sed signis transpositionis ead. m. additis) c — 4. *humano generi* c — 5. *subuenire* BHab: *subueniri* cc — *vi* om. c — 6. *harum* corr. ex *earum* b — 7. *at deductus* bp — 9. *opera* Ascensius: *opere* Cpo. Cf. v. 12. 15. p. 686, 29. — 10. *utilitates* corr. ex *utilitas* b — *his* a, *hijs* c — *sint* C: *sunt* c — *inanimae* a: *inanima* BHb; *inanimata* c — 11. *ea* (sed *s* ead. m. superscr.) B — 12. *potuissemus* a — *Quid denique* a — *fructus atque commoditas* c — 16. *eos* b — *ex his* a, *ex hijs* c — 17. *ab hisdemque quae nocent interficiuntur* Nonius p. 330. — *et* (ante *eae*) om. c — *ea* c — 18. *possint* c — 19. *Qui -- subveniretur* Gernhard: *Qui -- subueniret* BH; *Quis -- subueniret* c; *Quid -- subueniret* abc — 20. *multa* op — 21. *rebus* om. c — 22. *destitit* BHab: *distat* cpo — *a bestiarum victu et cultu* c — *et cultu* del. Unger. — 24. *discriptio* Hb: *descriptio* Baco. Conf. pag. 674, 6. — 26. *atque ut dando et accipiendo -- nulla re egeremus* Nonius p. 275. — *mutandisque facultatibus et commodis* C: *mutuandisque facultatibus et commodandis* Nonius, c. Cf. I § 22. — 28. *enim est* c — 30. *belli* cp: *bello* BHab; *in bello* Manutius. Cf. § 85. — 32. *hagesilaus* BH.

interitu hominum, Peripatetici magni et copiosi, qui collectis ceteris causis eluvionis, pestilentiae, vastitatis, beluarum etiam repentinae multitudinis, quarum impetu docet quaedam hominum genera esse consumpta, deinde comparat, quanto plures deleti sint homines hominum impetu, id est bellis aut seditionibus, quam omni reliqua calamitate. 17. Cum igitur hic locus nihil habeat dubitationis, quin homines plurimum hominibus et prosint et obsint, proprium hoc statuo esse virtutis, conciliare animos hominum et ad usus suos adiungere. Itaque, quae in rebus inanimis quaeque in [usu et] tractatione beluarum fiunt utiliter ad hominum vitam, artibus ea tribuuntur operosis, hominum autem studia ad amplificationem nostrarum rerum prompta ac parata virorum praestantium sapientia et virtute excitantur. 18. Etenim virtus omnis tribus in rebus fere vertitur, quarum una est in perspiciendo, quid in quaque re verum sincerumque sit, quid consentaneum cuique, quid consequens, ex quo quaeque gignantur, quae cuiusque rei causa sit, alterum cohibere motus animi turbatos, quos Graeci πάθη nominant, appetitionesque, quas illi ὁρμάς, oboedientes efficere rationi, tertium iis, quibuscum congregemur, uti moderate et scienter, quorum studiis ea, quae natura desiderat, expleta cumulataque habemus, per eosdemque, si quid importetur nobis incommodi, propulsemus ulciscamurque eos, qui nocere nobis conati sint, tantaque poena adficiamus, quantam aequitas humanitasque patitur. VI. 19. Quibus autem rationibus hanc facultatem assequi possimus, ut hominum studia complectamur eaque teneamus, dicemus, neque ita multo post, sed pauca ante dicenda sunt. Magnam vim esse in fortuna in utramque partem, vel secundas ad res vel adversas, quis ignorat? Nam et cum prospero flatu eius utimur, ad exitus pervehimur optatos et cum reflavit affligimur. Haec igitur ipsa fortuna ceteros casus rariores habet, primum ab inanimis procellas, tempestates, naufragia, ruinas, incendia, deinde a bestiis ictus, morsus, impetus. Haec ergo, ut dixi, rariora. 20. At vero interitus exercituum, ut proxime trium, saepe multorum, clades imperatorum, ut nuper summi et singularis viri, invidiae praeterea multitudinis atque ob eas bene meritorum saepe civium expulsiones, calamitates, fugae, rursusque secundae res, honores, imperia, victoriae, quamquam fortuita sunt, tamen sine hominum opibus et studiis neutram in partem effici possunt. Hoc

---

1. *qui collectis -- vastitatis* Nonius p. 105; *qui collegitis -- vastitatis* idem p. 185. — *collatis* c — 3. *genera hominum* B — *consumta* B^1 — 4. *sint* corr. ead. m. ex *sunt* B a — 5. *aut*] *et* B^1 — 7. *proprium hoc* B H a b: *primum hoc* p; *primum et hoc* c — *uirtutis esse* c — 9. *usu et* c p: om. B H a b — *tractione* B — 10. *tribuantur* c — 11. *uirorum praestantia sapientia* a b; *morum praestantia* [*sapientia*] Madvig. (*uirorum sapientium et uirtute praestantium excitantur* p) — 12. *Etenim virtus -- humanitasque patitur* Facciolato aliisque insiticia videntur. — 15. *quidque gignatur* c p — 16. *alterum est cohibere* p — *pathe* c; *pathos* B H, *phatos* a b — 17. *hormas* c, *ormas* B H a b — *oboedientes* B H b: *obędientes* a, *obedientes* c o — 18. *his* a, *eis* c — *quibuscum*] *quibus* B^1 (in a *cum* ead. m. superscr. est) — *congregemur* C: *congregamur* o — *et*] *ac* c — 21. *sint* B H a: *sunt* b c o — *quantam* C: *quanta* alii. — 22. *patiatur* c — 23. *eāque* a, *eaquae* b — 24. *neque ista* b — 25. *magnam esse fortunae vim in utramque partem quis nesciat? Nam et -- ad exitus pervenimus optatos et cum reflaverit, affligimur* Lactantius Instit. divin. III, 29. — 27. *peruehimus* H; *prouehimur* p — *cum res flauit* H — 28. *inanimis* corr. in *inanimatis* c — 30. *at* corr. ex *ad* B, *aut* H — *uero interitus exercituum interitus ut* c — 32. *eas res bene* c — 34. *fortuita*] *fortune* c.

igitur cognito dicendum est, quonam modo hominum studia ad utilitates nostras allicere atque excitare possimus. Quae si longior fuerit oratio cum magnitudine utilitatis comparetur: ita fortasse etiam brevior videbitur.

21. Quaecumque igitur homines homini tribuunt ad eum augendum atque honestandum, aut benevolentiae gratia faciunt, cum aliqua de causa quempiam diligunt, aut honoris, si cuius virtutem suspiciunt quemque dignum fortuna quam amplissima putant, aut cui fidem habent et bene rebus suis consulere arbitrantur, aut cuius opes metuunt, aut contra, a quibus aliquid exspectant, ut cum reges popularesve homines largitiones aliquas proponunt, aut postremo pretio ac mercede ducuntur, quae sordidissima est illa quidem ratio et inquinatissima et iis, qui ea tenentur, et illis, qui ad eam confugere conantur. 22. Male enim se res habet, cum, quod virtute effici debet, id temptatur pecunia. Sed quoniam non numquam hoc subsidium necessarium est, quem ad modum sit utendum eo dicemus, si prius iis de rebus, quae virtuti propiores sunt, dixerimus. Atque etiam subiciunt se homines imperio alterius et potestati de causis pluribus. Ducuntur enim aut benevolentia et beneficiorum magnitudine aut dignitatis praestantia aut spe sibi id utile futurum aut metu ne vi parere cogantur aut spe largitionis promissisque capti aut postremo, ut saepe in nostra re publica videmus, mercede conducti. VII. 23. Omnium autem rerum nec aptius est quicquam ad opes tuendas ac tenendas quam diligi nec alienius quam timeri. Praeclare enim Ennius:

Quem metuunt oderunt: quem quisque odit periisse expetit.

Multorum autem odiis nullas opes posse obsistere, si antea fuit ignotum, nuper est cognitum. Nec vero huius tyranni solum, quem armis oppressa pertulit civitas paretque cum maxime mortuo, interitus declarat, quantum odium hominum valeat ad pestem, sed reliquorum similes exitus tyrannorum, quorum haud fere quisquam talem interitum effugit. Malus enim est custos diuturnitatis metus contraque benevolentia fidelis vel ad perpetuitatem. 24. Sed iis, qui vi oppressos imperio coercent, sit sane adhibenda saevitia, ut eris in famulos, si aliter teneri non possunt: qui vero in libera civitate ita se instruunt, ut metuantur, iis nihil potest esse dementius. Quamvis enim sint demersae leges alicuius

---

1. *quo modo* B[1] — 4. *uidetur* o — 6. *beniuolentiae* C (sic ubique) — 7. *suscipiunt* B[1]Hab — 11. *postremo pretio aut mercede ducuntur* Nonius p. 283. — 12. *quae*] *sed* e — *et his* a, *et hijs* o — 13. *eam* o: *ea* BHab — 16. *his* BHab, *hijs* o — *propriores* Hab; *priores* e — 18. *Ducuntur autem aut* c — *et* Pearce: *aut* Co — 20. *promissisque* c: *promissionisque* BHab; *promissionibusque* alii. — 21. *ut saepe -- conducti* Nonius p. 274. — 23. *tuendas ac tenentes* b; *tenendas ac tuendas* H — 25. *oderunt* C: *odere* o — *perisse* C — 26. *expetit*] *cupit* c — 27. *posse* om. o — 28. *solum interitu quem* (*interitu* superscr.) b — 29. *paretque cum maxime mortuo* c (in quo tamen haec verba m. sec. deleta sunt): *apparet. cuius maxume mortui* b; *apparet. cuius maxime portui* BHa; *ac paret cum m. mortuo* Halmius. — 30. *ualeat* e: *ualet* BHabo — *similes* om. p — 31. *haut* a, *aut* B[1] — *talem interitum* C: *interitum* (om. *talem*) p; *interitum* [*talem*] o — 32. *contraquae benivolentia -- perpetuitatem* Nonius p. 527. — 33. *hiis* H, *his* a, *hijs* o — *cohercent* abe — 34. *ut eris* nos: *ut eriis* B, *utere iis* b, *utere hiis* H, *utere his* a, *utantur eis* o, *ut heris* o — 35. *his* BHa, *hiis* b, *hijs* o.

opibus, quamvis timefacta libertas, emergunt tamen haec aliquando aut iudiciis tacitis aut occultis de honore suffragiis. Acriores autem morsus sunt intermissae libertatis quam retentae. Quod igitur latissume patet neque ad incolumitatem solum, sed etiam ad opes et potentiam valet plurimum, id amplectamur, ut metus absit, caritas retineatur. Ita facillime quae volemus et privatis in rebus et in re publica consequemur. Etenim qui se metui volent, a quibus metuentur, eosdem metuant ipsi necesse est. 25. Quid enim censemus superiorem illum Dionysium quo cruciatu timoris angi solitum, qui cultros metuens tonsorios candente carbone sibi adurebat capillum? quid Alexandrum Pheraeum quo animo vixisse arbitramur? qui, ut scriptum legimus, cum uxorem Theben admodum diligeret, tamen ad eam ex epulis in cubiculum veniens barbarum et eum quidem, ut scriptum est, conpunctum notis Thraeciis destricto gladio iubebat anteire praemittebatque de stipatoribus suis qui scrutarentur arculas muliebres et, ne quod in vestimentis telum occultaretur, exquirerent. O miserum, qui fideliorem et barbarum et stigmatiam putaret quam coniugem! Nec eum fefellit; ab ea est enim ipsa propter pelicatus suspitionem interfectus. Nec vero ulla vis imperii tanta est, quae premente metu possit esse diuturna. 26. Testis est Phalaris, cuius est praeter ceteros nobilitata crudelitas, qui non ex insidiis interiit, ut is, quem modo dixi, Alexander, non a paucis, ut hic noster, sed in quem universa Agrigentinorum multitudo impetum fecit. Quid? Macedones nonne Demetrium reliquerunt universique se ad Pyrrhum contulerunt? Quid? Lacedaemonios iniuste imperantes nonne repente omnes fere socii deseruerunt spectatoresque se otiosos praebuerunt Leuctricae calamitatis? VIII. Externa libentius in tali re quam domestica recordor. Verum tamen quam diu imperium populi Romani beneficiis tenebatur, non iniuriis, bella aut pro sociis aut de imperio gerebantur, exitus erant bellorum aut mites aut necessarii, regum, populorum, nationum portus erat et refugium senatus, nostri autem magistratus imperatoresque ex hac una re maximam laudem capere studebant, si provincias, si socios aequitate et fide defendissent. 27. Itaque illud patrocinium orbis terrae verius quam imperium poterat nominari. Sensim hanc consuetudinem et disciplinam iam antea minuebamus, post vero Sullae victoriam penitus amisimus; desitum est enim videri quicquam in socios iniquum, cum exstitisset in cives tanta crudelitas. Ergo in illo secuta est honestam causam non honesta victoria. Est enim ausus dicere hasta posita, cum bona in foro venderet et bonorum virorum et locupletium et certe civium, praedam se suam vendere. Secutus

---

1. *timefacta* B H b c p: *temefacta* a; *tremefacta* alii. — *hec tamen* c — 3. *liberatis* corr. in *liberalitatis* b — 4. *incolomitatem* H — 5. *karitas* c — 8. *dyonisium* B H — 9 *candente carbone adurebat capillum* Nonius p. 266. — *candenti* c — 10. *adulebat* B[1] — *phaereum* a, *phereum* b — 11. *thebem* c — *ammodum* B H — 12. *diligere* H — 13. *thraeciis* B H b: *trachiis* c, *thraciis* a c — *districto* a b — 15. *scrutaretur* - - *exquireret* Unger. — *ne quid in vestimentis occultaretur* p — 16. *o miserum* - - *sticmatium putaret* Nonius p. 44. — *stigmatiam* B[2] H: *stimantiam* B[1], *stigmatum* a, *stigmatium* b c — 17. *enim est* c — *ipse* a b c — 18. *pellicatus* c — *suspicionem* H c c — 19. *testis est falaris* - - *nobilitas ac crudelitas* Nonius p. 351. — 20. *phaleris* c — 21. *periit* c — 22. *argentinorum* c — 23. *phyrrum* B H — 25. *se* om. p — 30. *perfugium* c — 32. *prouintias* B a b — 35. *syllae* C — 37. *honesta causa* b — 39. *locupletum* c.

est qui in causa impia, victoria etiam foediore non singulorum civium bona publicaret, sed universas provincias regionesque uno calamitatis iure comprehenderet. 28. Itaque vexatis ac perditis exteris nationibus ad exemplum amissi imperii portari in triumpho Massiliam vidimus et ex ea urbe triumphari, sine qua numquam nostri imperatores ex transalpinis bellis triumpharunt. Multa praeterea commemorarem nefaria in socios, si hoc uno quicquam sol vidisset indignius. Iure igitur plectimur. Nisi enim multorum inpunita scelera tulissemus, numquam ad unum tanta pervenisset licentia: a quo quidem rei familiaris ad paucos, cupiditatum ad multos inprobos venit hereditas. 29. Nec vero umquam bellorum civilium semen et causa deerit, dum homines perditi hastam illam cruentam et meminerint et sperabunt, quam P. Sulla cum vibrasset dictatore propinquo suo, idem sexto tricensimo anno post a sceleratiore hasta non recessit, alter autem, qui in illa dictatura scriba fuerat, in hac fuit quaestor urbanus. Ex quo debet intellegi talibus praemiis propositis numquam defutura bella civilia. Itaque parietes modo urbis stant et manent, iique ipsi iam extrema scelera metuentes, rem vero publicam penitus amisimus. Atque in has clades incidimus — redeundum est enim ad propositum —, dum metui quam cari esse et diligi maluimus. Quae si populo Romano iniuste imperanti accidere potuerunt, quid debent putare singuli? Quod cum perspicuum sit benevolentiae vim esse magnam, metus inbecillam, sequitur ut disseramus, quibus rebus facillime possimus eam, quam volumus, adipisci cum honore et fide caritatem. 30. Sed ea non pariter omnes egemus; nam ad cuiusque vitam institutam accommodandum est, a multisne opus sit an satis sit a paucis diligi. Certum igitur hoc sit, idque et primum et maxume necessarium, familiaritates habere fidas amantium nos amicorum et nostra mirantium: haec enim una res prorsus, ut non multum differat inter summos et mediocris viros, aeque utrisque est prope modum comparanda. 31. Honore et gloria et benevolentia civium fortasse non aeque omnes egent, sed tamen, si cui haec suppetunt, adiuvant aliquantum cum ad cetera, tum ad amicitias comparandas.

---

2. *prouintias* H — 7. *sol quicquam* c — 8. *nisi enim multorum impunitates scelera tulissem* Nonius p. 407. — 10. *multos ad* c — 11. *civilium* om. c — *semen nec causa* c — *dum homines cruenti hastam illam cruentam meminerint et sperabunt* Nonius p. 499. — 12. *P.* c: *L.* BHab — *sylla* C — 13. *idem*] *id. ē.* a — *sexto tric.* C: *sexto et tric.* alii. Cf. ad Famil. X, 30, 1: *quintam tricesimam* (legionem). XII, 25, 1: *altero vicesimo* (die). XV, 4, 10: *septimo quinquagesimo* (die). ad Att. V, 19, 1: *septimo quadragesimo* (die). Cat. mai. § 13: *quarto nonagesimo* (anno). — *tricensimo* Hb: *tricesimo* Baco — *post a*] *posita* c — 17. *hique* a, *hiique* H, *hijque* c — 20. *maluimus* ac (in a tamen litt. *i* expuncta est): *malumus* BHbo — *p. r. iuste* a — *accidere imperanti* p — 21. *quid debetur putare singulis* p — 24. *karitatem* c — *egemus omnes* c — 25. *institutum* c — 28. *nostra ammirantium* Bake de emend. Cic. Oratore p. 37. — 28. *enim una* nos: *enim est una* Co — 29. *aeque utrisque* (deleto *est* ante *propemodum*; ego alterum *est* ante *una* delere malui) Lund: *eaque utrisque* Co; *eaque aeque utrisque* Bezzenberger (Delect. p. 21) et Stuerenburg. «Probante Madvigio lenissima medicina usus locum sanatum esse spero. Sensus erit hic: *haec una res prorsus comparanda est et propemodum aeque utrisque.* Positio verborum *aeque utrisque propemodum* pro hac: *propemodum aeque utrisque*, neminem magno opere offendere potest.» — 30. *comparanda prope modum* c — 32. *tum ad cetera* c.

IX. Sed de amicitia alio libro dictum est [qui inscribitur Laelius]: nunc dicamus de gloria, quamquam ea quoque de re duo sunt nostri libri, sed attingamus, quando quidem ea in rebus maioribus administrandis adiuvat plurimum. Summa igitur et perfecta gloria constat ex tribus his: si diligit multitudo, si fidem habet, si cum admiratione quadam honore dignos putat. Haec autem, si est simpliciter breviterque dicendum, quibus rebus pariuntur a singulis, eisdem fere a multitudine. Sed est alius quoque quidam aditus ad multitudinem, ut in universorum animos tamquam influere possimus. 32. Ac primum de illis tribus, quae ante dixi, benevolentiae praecepta videamus: quae quidem capitur beneficiis maxime; secundo autem loco [voluntate benefica benevolentia movetur], etiam si res forte non suppetit, vehementer amor multitudinis commovetur ipsa fama et opinione liberalitatis, beneficentiae, iustitiae, fidei omniumque earum virtutum, quae pertinent ad mansuetudinem morum ac facilitatem. Etenim illud ipsum, quod honestum decorumque dicimus, quia per se nobis placet animosque omnium natura et specie sua commovet maximeque quasi perlucet ex iis, quas commemoravi, virtutibus, idcirco illos, in quibus eas virtutes esse remur, a natura ipsa diligere cogimur. Atque hae quidem causae diligendi gravissimae; possunt enim praeterea non nullae esse leviores. 33. Fides autem ut habeatur duabus rebus effici potest: si existimabimur adepti coniunctam

---

1. *qui inscribitur Laelius* spuria esse vidit Gulielmius. Si Cicero ea verba addidisset, non scripsisset *alio libro*, sed *eo libro*. Cf. p. 523, 5. 685, 13. — 2. *nostri sunt* c — 3. *in maioribus rebus* c — *amministrandis - - ammiratione* BH — 6. *putet* c — 7. *parantur* p — 8. *in animos uniuersorum* c — 10. *diximus* c — *capiuntur beneficis* c — 11. *secundo autem loco, etiam si res forte non suppetit, vehementer amor* Herm. Sauppius: *secundo autem loco voluntate benefica benevolentia movetur, etiam si res forte non suppetit. Vehementer autem amor* C (nisi quod *autem* om. a) c. «Cicero exponit, quomodo gloria pariatur, ac primum quidem esse, ut diligat multitudo. Hanc benevolentiam autem multitudinis maxime beneficiis capi. Quae ut in populum conferri possint, cum opibus magnis opus sit, addit, qua ratione benevolentiam et amorem multitudinis conciliare sibi possit etiam qui beneficiis non possit. Dicit igitur: *ac primum - - ac facilitatem*. Beneficia igitur in se collata multitudo ipsa experta novit, sed quomodo voluntatem beneficam cognoscere possit non video nisi fama eorum, quae quis in vita privata egerit, quo animo fuerit erga amicos eosque omnes, quibuscum vivat. Quae igitur deinde de fama et opinione liberalitatis et beneficentiae explicantur, non videntur a voluntate benefica, quae antea commemoratur, diversa esse. Accedit quod *voluntas benefica*, etiamsi cum exemplis iis, quibus F. Handius de arte lat. scrib. p. 250, C. Naegelsbachius praec. lat. scribendi p. 189, M. Seyffert ad Cic. Lael. § 28 p. 191 *consilium prudens, excusationem sapientem, consilia amantissima* dici posse ostenderunt, aliquo modo comparari potest, tamen suspicionem habet. Deinde parum apte dicitur: *benevolentiae*, quae *capitur* maxime, secundo autem loco — *benevolentia movetur* — amor *commovetur*. Quare cum v. *autem*, quod est ante v. *amor*, in codd. a d f non exstet, in ea sum sententia, ut Ciceronem scripsisse coniiciam: *secundo autem loco, etiam si r. f. non suppetit, vehementer amor multitudinis commovetur* —, verba autem *voluntate benefica benevolentia movetur* in margine posita fuisse. Quam saepe vero particulae, quibus verba copulantur, eo ipso, quod in codicibus optimis non exstant, indicium faciant verbis scriptoris aliquid primum errore additum, deinde particula addita errorem ad speciem correctum, re auctum esse, artis criticae periti omnes norunt.» Sauppii ratione improbata pro *voluntate benefica* scribendum censet *voluntate bene faciendi* Bake Mnemos. IX p. 306. — 13. *beneficientiae* C — 15. *Est enim illud* c — 17. *iis* Bb: *his* Ha, *hijs* c, *eis* o — 19. *hee* c — *diligendae grauissime* b — 20. *possunt - - leviores* om. p — *praeterea non nullae* b: *praeter eas non nullae* B; *praeterea nonnulla* Ha; *non nulle preterea* c — 21. *coniuncta* b.

cum iustitia prudentiam. Nam et iis fidem habemus, quos plus intellegere quam nos arbitramur quosque et futura prospicere credimus et, cum res agatur in discrimenque ventum sit, expedire rem et consilium ex tempore capere posse: hanc enim utilem homines existimant veramque prudentiam. Iustis autem [et fidis] hominibus, id est bonis viris, ita fides habetur, ut nulla sit in iis fraudis iniuriaeque suspitio. Itaque his salutem nostram, his fortunas, his liberos rectissime committi arbitramur. 34. Harum igitur duarum ad fidem faciendam iustitia plus pollet, quippe cum ea sine prudentia satis habeat auctoritatis; prudentia sine iustitia nihil valet ad faciendam fidem. Quo enim quis versutior et callidior, hoc invisior et suspectior detracta opinione probitatis. Quam ob rem intellegentiae iustitia coniuncta quantum volet habebit ad faciendam fidem virium: iustitia sine prudentia multum poterit, sine iustitia nihil valebit prudentia. X. 35. Sed ne quis sit admiratus cur, cum inter omnes philosophos constet a meque ipso saepe disputatum sit, qui unam haberet, omnes habere virtutes, nunc ita seiungam, quasi possit quisquam, qui non idem prudens sit, iustus esse, alia est illa, cum veritas ipsa limatur in disputatione, subtilitas, alia, cum ad opinionem communem omnis accommodatur oratio. Quam ob rem, ut volgus, ita nos hoc loco loquimur, ut alios fortes, alios viros bonos, alios prudentes esse dicamus. Popularibus enim verbis est agendum et usitatis, cum loquimur de opinione populari, idque eodem modo fecit Panaetius. Sed ad propositum revertamur. 36. Erat igitur ex iis tribus, quae ad gloriam pertinerent, hoc tertium, ut cum admiratione hominum honore ab iis digni iudicaremur. Admirantur igitur communiter illi quidem omnia, quae magna et praeter opinionem suam animadverterunt, separatim autem in singulis, si perspiciunt nec opinata quaedam bona. Itaque eos viros suspiciunt maxumisque ecferunt laudibus, in quibus existumant se excellentes quasdam et singulares perspicere virtutes, despiciunt autem eos et contemnunt, in quibus nihil virtutis, nihil animi, nihil nervorum putant. Non enim omnes eos contemnunt, de quibus male existumant. Nam quos improbos, maledicos, fraudulentos putant et ad faciendam iniuriam instructos, eos contemnunt

---

1. *hiis* H, *his* a, *hijs* c — 3. *agatur si in discrimen ventum sit* c — 5. *autem*] *enim* c — *et fidis* del. Facciolatus et Pearce, ego seclusi. — 6. *ita*] *nota* c — *ut*] *si* c — *sit* om. a — *in his* Hab, *in hijs* c — *suspitio* a: *suspicio* BHbcc — 7. *comitti* (litt. *tti* sec. m.) H; *committere* b — 10. *ualeat* cc — 11. *suspectior est. Detracta* b — 12. *intelligentia iusticie* c — *coiuncta* B — *uoles* c — 13. *uirum* c — *iustitia sine prudentia -- valebit prudentia* adiecticia et futilia censuit Pearcius; vide tamen ne satis sit verba *iustitia sine prudentia multum poterit* delere, quae sane ad *quam ob rem* minime apta sunt. — *iustitia enim sine* (*enim* superscr.) b — 14. *ammiratus* BH — 18. *subtinlitas* corr. in *sublimitas* H; *subtili* c — 19. *aratio* H[1] — *ut* om. H — 20. *loquemur* c — 22. *loquamur* Hab; *loquemur* c — *eo modo* c — 23. *ex his tribus* BH, *ex hijs tribus* c; *ex tribus* abc — 24. *pertinerent* C: *pertinent* alii. (Erravit Orellius.) — *ammiratione -- ammirantur* BH, quod non amplius notabo. — 25. *ab his* BHab, *ab hijs* c — 26. *suam cum animaduerterunt* a; *suam animaduertunt* c — 28. *Itaque -- laudibus* Nonius p. 298. — *ecferunt laudibus* Nonius: *efferunt laudibus* BHab; *laudibus efferunt* c — 30. *despiciunt autem eos et condemnant, in quibus -- putant* Nonius p. 288. — *eos contempnuntque in* c — 31. *neruorum esse putant* c — 32. *maledicos* C: *maleficos* alii. — 33. *fraudulentes* B — *eos contemnunt quidem neutiquam, sed* BHap: *eos haud contemnunt quidem, sed* b; *eos contempnunt quidem nequaquam, sed* c; *eos non contemnunt quidem, sed* Madvig.

quidem neutiquam, sed de iis male existumant. Quam ob rem, ut ante dixi, contemnuntur ii, qui «nec sibi nec alteri», ut dicitur, in quibus nullus labor, nulla industria, nulla cura est. 37. Admiratione autem adficiunt ii, qui anteire ceteris virtute putantur et cum omni carere dedecore, tum vero iis vitiis, quibus alii non facile possunt obsistere. Nam et voluptates, blandissumae dominae, maioris partis animos a virtute detorquent et, dolorum cum admoventur faces, praeter modum plerique exterrentur: vita, mors, divitiae, paupertas omnes homines vehementissime permovent. Quae qui in utramque partem excelso animo magnoque despiciunt, cumque aliqua iis ampla et honesta res obiecta totos ad se convertit et rapit, tum quis non admiretur splendorem pulchritudinemque virtutis? XI. 38. Ergo et haec animi despicientia admirabilitatem magnam facit et maxume iustitia, ex qua una virtute viri boni appellantur, mirifica quaedam multitudini videtur, nec iniuria. Nemo enim iustus esse potest, qui mortem, qui dolorem, qui exilium, qui egestatem timet aut qui ea, quae sunt his contraria, aequitati anteponit. Maximeque admirantur eum, qui pecunia non movetur: quod in quo viro perspectum sit, hunc igni spectatum arbitrantur. Itaque illa tria, quae proposita sunt ad gloriam, omnia iustitia conficit, et benevolentiam, quod prodesse vult plurimis, et ob eandem causam fidem et admirationem, quod eas res spernit et neglegit, ad quas plerique inflammati aviditate rapiuntur.

39. Ac mea quidem sententia omnis ratio atque institutio vitae adiumenta hominum desiderat, in primisque, ut habeat quibuscum possit familiares conferre sermones: quod est difficile, nisi speciem prae te boni viri feras. Ergo etiam solitario homini atque in agro vitam agenti opinio iustitiae necessaria est, eoque etiam magis, quod, eam si non habebunt, [iniusti habebuntur] nullis praesidiis saepti multis afficientur iniuriis. 40. Atque iis etiam, qui vendunt emunt, conducunt locant contrahendisque negotiis implicantur, iustitia ad rem gerendam necessaria est, cuius tanta vis est, ut ne illi quidem, qui maleficio et scelere pascuntur, possint sine ulla particula iustitiae vivere. Nam qui eorum cuipiam, qui una latrocinantur, furatur aliquid aut eripit, is sibi ne in latrocinio quidem relinquit locum, ille autem, qui archipirata dicitur, nisi aequabiliter praedam dispertiat, aut interficiatur a sociis aut relinquatur. Quin etiam leges latronum esse dicuntur, quibus pareant, quas observent. Itaque propter aequabilem praedae partitionem

---

1. iis B: *his* H a b, *hijs* c — 2. ii B b: *hii* H, *hi* a, *hij* c; item v. 4 et 5. — *alteri prosunt ut* c — 3. *autem* om. p — 4. *adficiunt* Lambinus: *adficiuntur* C o — *et tum* c — 6. *maioris partis animos* c et Chapmannus: *maiores partis animi* B, *maiores partes animi* H a b. Cf. I § 147. — 8. *omnes* om. c — 10. *cumque* C: *cum* alii. — *his* H a, *hijs* c — *obiecta* c: *obiecta est* B H a b o — 12. *ergo et haec despicientia - - facit* Nonius p. 203; *ergo et haec animi dispicientia - - facit* idem p. 490. — 13. *boni uiri* c — 15. *Nemo iustus potest esse, qui - - egestatem timet* Lactantius Instit. divin. VI, 17. — *enim* om. b — 17. *admirentur* b, *ammirentur* H, *amirentur* B — 18. *ignis spectatum* H; *igni probatum* c — 19. *beniuolentiam* c: *beniuolentia* B H a b — 23. *quidem* om. a — 24. *adiumenta hominis* c — 26. *homini* om. c — 28. *habebunt, nullis* Facciolatus: *habebunt iniusti habebuntur nullis* B H b; *habebunt iniusti habebuntur et nullis* a o; *habebunt iniustique habebuntur nullis* c — 29. *his* B H a b; om. c — 30. *rem regendam* B[1] b — 31. *necessariest* b — 32. *possent* c — 34. *reliquit* b — 35. *ni* a — *equaliter* c — *interficiatur aut a sociis relinquatur* c.

et Bardulis Illyrius [latro], de quo est apud Theopompum, magnas opes habuit et multo maiores Viriathus Lusitanus, cui quidem etiam exercitus nostri imperatoresque cesserunt, quem C. Laelius, is qui Sapiens usurpatur, praetor fregit et comminuit ferocitatemque eius ita repressit, ut facile bellum reliquis traderet. Cum igitur tanta vis iustitiae sit, ut ea etiam latronum opes firmet atque augeat, quantam eius vim inter leges et iudicia et in constituta re publica fore putamus? XII. 41. Mihi quidem non apud Medos solum, ut ait Herodotus, sed etiam apud maiores nostros iustitiae fruendae causa videntur olim bene morati reges constituti. Nam cum premeretur inops multitudo ab iis, qui maiores opes habebant, ad unum aliquem confugiebant virtute praestantem, qui cum prohiberet iniuria tenuiores, aequitate constituenda summos cum infimis pari iure retinebat. Eademque constituendarum legum fuit causa quae regum. 42. Ius enim semper est quaesitum aequabile; neque enim aliter esset ius. Id si ab uno iusto et bono viro consequebantur, erant eo contenti: cum id minus contingeret, leges sunt inventae, quae cum omnibus semper una atque eadem voce loquerentur. Ergo hoc quidem perspicuum est, eos ad imperandum deligi solitos, quorum de iustitia magna esset opinio multitudinis. Adiuncto vero ut idem etiam prudentes haberentur nihil erat quod homines iis auctoribus non posse consequi se arbitrarentur. Omni igitur ratione colenda et retinenda iustitia est, cum ipsa per sese — nam aliter iustitia non esset — tum propter amplificationem honoris et gloriae. Sed ut pecuniae non quaerendae solum ratio est, verum etiam collocandae, quae perpetuos sumptus suppeditet, nec solum necessarios, sed etiam liberales, sic gloria et quaerenda et collocanda ratione est. 43. Quamquam praeclare Socrates hanc viam ad gloriam proximam et quasi compendiariam dicebat esse, si quis id ageret, ut, qualis haberi vellet, talis esset. Quod si qui simulatione et inani ostentatione et ficto non modo sermone sed etiam voltu stabilem se gloriam consequi posse rentur, vehementer errant. Vera gloria radices agit atque etiam propagatur: ficta omnia celeriter tamquam flosculi decidunt, nec simulatum potest quicquam esse diuturnum. Testes sunt permulti in utramque partem, sed brevitatis causa familia contenti erimus una. Tiberius enim Gracchus, P. f., tam diu laudabitur, dum memoria rerum Romanarum manebit, at eius filii nec vivi probabantur bonis et mortui numerum optinent iure caesorum. Qui igitur adipisci veram gloriam volet, iustitiae fungatur officiis: ea quae essent, dictum est in libro superiore.

---

1. *bargulis* BHab; *bargilius* c; *Bardylis* c cum Gronovio. — *illyricus* a; *illirius* bc — *latro* ego seclusi. — 2. *multi* b — *cui quidem exercitus n. imperatoresque cesserunt* Nonius p. 250. — 6. *confirmet* c — *eius*] *enim* B¹ — 10. *inops* codd. dett.: *in otio* BHabp; *inicio* c, *initio* c — *his* BHa, *hijs* c — 12. *iniuria tenuiores* ac: *iniuria tenuioris* BHb; *iniuriam tenuioris* p — *constituta* c — 13. *infimis* c: *infirmis* BHab — *retinebat* c: *pertinebat* BHap; *pertinebant* b; *continebat* alii. — *fuit legum constituendarum* c — 14. *equabile quaesitum* (additis transponendi signis) c — 19. *uero eo ut* c — *iidem* c — 20. *his* Ha, *hijs* c — 22. *Tum ipsa* c — *non est. tum* c — 24. *solum* om. c — 28. *si quis* H¹bc — 29. *simulatione inani et ost.* c — 31. *vera gloria -- propagatur* Nonius p. 246 — *omnia*] *autem* c — 32. *quicquam potest* c — 33. *in brevitatis causa -- una* Nonius p. 264. — 34. *tiberius* C: *Ti.* c — *graccus* bc — *P. f.* om. c — 36. *a bonis* ac — *numerum* c: *nume* BHb (ante lacunam H); *nomen* ap — 37. *ueram iustitiae gloriam* C — *uolent iust. fungantur* c.

XIII. 44. Sed ut facillime, quales simus, tales esse videamur, etsi in eo ipso vis maxima est, ut simus ii, qui haberi velimus, tamen quaedam praecepta danda sunt. Nam si quis ab ineunte aetate habet causam celebritatis et nominis aut a patre acceptam, quod tibi, mi Cicero, arbitror contigisse, aut aliquo casu atque fortuna, in hunc oculi omnium coniciuntur atque in eum, quid agat, quem ad modum vivat, inquiritur et, tamquam in clarissima luce versetur, ita nullum obscurum potest nec dictum eius esse nec factum. 45. Quarum autem prima aetas propter humilitatem et obscuritatem in hominum ignoratione versatur, ii, simul ac iuvenes esse coeperunt, magna spectare et ad ea rectis studiis debent contendere: quod eo firmiore animo facient, quia non modo non invidetur illi aetati, verum etiam favetur. Prima est igitur adulescenti commendatio ad gloriam, si qua ex bellicis rebus comparari potest, in qua multi apud maiores nostros exstiterunt; semper enim fere bella gerebantur. Tua autem aetas incidit in id bellum, cuius altera pars sceleris nimium habuit, altera felicitatis parum. Quo tamen in bello cum te Pompeius alae [alteri] praefecisset, magnam laudem et a summo viro et ab exercitu consequebare equitando, iaculando, omni militari labore tolerando. Atque ea quidem tua laus pariter cum re publica cecidit. Mihi autem haec oratio suscepta non de te est, sed de genere toto: quam ob rem pergamus ad ea, quae restant. 46. Ut igitur in reliquis rebus multo maiora opera sunt animi quam corporis, sic eae res, quas ingenio ac ratione persequimur, gratiores sunt quam illae, quas viribus. Prima igitur commendatio proficiscitur a modestia cum pietate in parentes, in suos benevolentia. Facillume autem et in optimam partem cognoscuntur adulescentes, qui se ad claros et sapientes viros bene consulentes rei publicae contulerunt, quibuscum si frequentes sunt, opinionem adferunt populo eorum fore se similes, quos sibi ipsi delegerint ad imitandum. 47. P. Rutilii adulescentiam ad opinionem et innocentiae et iuris scientiae P. Mucii commendavit domus. Nam L. quidem Crassus, cum esset admodum adulescens, non aliunde mutuatus est, sed sibi ipse peperit maxumam laudem ex illa accusatione nobili

---

1. *sumus* c — *uideamur esse* c — 2. *ii* Bb: *hi* Ha, *hij* c — 6. *adque* b — 9. *qui, simul ac iuvenis esse coeperunt, magna spectare atque ad ea -- contendere* Nonius p. 402. — *hi simul* H, *Hij simul* c; *iis simul* b, *his simul* a — 10. *et* BHab: *atque* c — 11. *contendere debent* c — *faciant* c — *non uidetur* bp — 12. *igitur est* b — 13. *commendatio adolescenti* c — *si que ex* c — 17. *alteri* del. Graevius. «Cum Graevio omisi *alteri* probante Madvigio. Nam cum priores interpretes frustra artem suam, ut sententiam eruerent, adhibuissent, Zumptius novissime eam amplexus est falsam rationem, ut diceret Ciceronem filium, puerum sedecim annorum, dimidiae parti equitatus Pompeiani praefuisse. Facile apparet, neminem in tam inepta interpretatione acquiescere posse, ut taceam, dimidium equitatum numquam significari appellatione, quae est *ala altera*. Constat vero *alam* significare partem aliquam sive certum numerum equitum; ergo Cicero filius sine dubio praefuit alae alicui equitum, quae dignitas inter centuriatum et praefecturam militum apud Romanos habita satis conveniebat puero nobili prima rudimenta castrorum facienti tamquam auspicatio militiae. Cf. Sueton. Claud. 25 et Madvig. Opusc. Acad. I p. 38 sq.» Lund. — *a* om. B[1] — 18. *ab* om H — *omnia* c — 21. *Uti igitur* H — *in rebus reliquis* c — 22. *hee* c — 23. *ac oratione* c — *gratiores* C: *grauiores* alii. — 24. *cum* Victorius: *tum* C — 28. *opinionem afferunt populo, eorum sit similes fore, quos sibi delegerint ad imitandum* Nonius p. 356. — 29. *delegerunt* c — *publij rutili* c — 30. *mutii* Babc — 31. *admodum* om. c.

et gloriosa, et, qua aetate qui exercentur, laude adfici solent, ut de Demosthene accepimus, ea aetate L. Crassus ostendit id se in foro optume iam facere, quod etiam tum poterat domi cum laude meditari. XIV. 48. Sed cum duplex ratio sit orationis, quarum in altera sermo sit, in altera contentio, non est id quidem dubium, quin contentio orationis maiorem vim habeat ad gloriam — ea est enim, quam eloquentiam dicimus —, sed tamen difficile dictu est, quanto opere conciliet animos comitas adfabilitasque sermonis. Exstant epistolae et Philippi ad Alexandrum et Antipatri ad Cassandrum et Antigoni ad Philippum filium, trium prudentissimorum — sic enim accepimus —, quibus praecipiunt ut oratione benigna multitudinis animos ad benevolentiam alliciant militesque blande appellando deleniant. Quae autem in multitudine cum contentione habetur oratio, ea saepe universam excitat; magna est enim admiratio copiose sapienterque dicentis, quem qui audiunt intellegere etiam et sapere plus quam ceteros arbitrantur. Si vero inest in oratione mixta modestia gravitas, nihil admirabilius fieri potest, eoque magis, si ea sunt in adulescente. 49. Sed cum sint plura causarum genera, quae eloquentiam desiderent, multique in nostra re publica adulescentes et apud iudices et apud populum et apud senatum dicendo laudem assecuti sint, maxima est admiratio in iudiciis, quorum ratio duplex est. Nam ex accusatione et ex defensione constat, quarum etsi laudabilior est defensio, tamen etiam accusatio probata persaepe est. Dixi paulo ante de Crasso: idem fecit adulescens M. Antonius. Etiam P. Sulpicii eloquentiam accusatio inlustravit, cum seditiosum et inutilem civem, C. Norbanum, in iudicium vocavit. 50. Sed hoc quidem non est saepe faciendum nec umquam nisi aut rei publicae causa, ut ii, quos ante dixi, aut ulciscendi, ut duo Luculli, aut patrocinii, ut nos pro Siculis, pro Sardis in Albucio Iulius. In accusando etiam M'. Aquilio L. Fufii cognita industria est. Semel igitur aut non saepe certe: sin erit cui faciendum sit saepius, rei publicae tribuat hoc muneris, cuius inimicos ulcisci saepius non est reprehendendum, modus tamen adsit. Duri enim hominis vel potius vix hominis videtur periculum capitis inferre multis. Id cum periculosum ipsi est, tum etiam sordidum ad famam committere ut accusator nominere: quod contigit M. Bruto, summo genere nato, illius filio, qui iuris civilis in primis peritus

---

1. *et qua* Manutius: *ex qua* C — *ut de demosthene accepimus* C: *ut Demosthenem accepimus* o. Haec verba post illa *ea aetate* transposuit Ruhnkenius ad Rutil. p. 108. — 5. *id* om. a — 7. *dictū* a b — *quantopere* C — 9. *antipatris* o — *Antigoni*] *antonii* a b — 10. *prudentissimorum* C: *prudentissimorum uirorum* alii. — 11. *alliciunt* B H¹ b — 12. *blande appellando* (cum tribus libris) Gulielmius: *blande appellando sermone* a o; *blando appellando sermone* B H b — *deleniant* o: *deliniant* B H a b — 13. *excitat* Car. Lange: *excitat gloriam* C; *excitat ad gloriam* (haud apta sententia) Klotzius. — *enim est* o — 15. *plus celeris* p — 16. *modestia* B H b: *modesta* a; *modestiae* c o — *potest fieri* o — 17. *in adolescentibus. Et cum* o — 18. *re .p. in adolescentes* o — 19. *et apud populum* o: om. B H a b o — 20. *sunt* o — *admiratio que est in* o — 21. *est* om. o — *et ex def.* B H a o: *ut ex def.* b; *et def.* o — 22. *persepe probata* o — 23. *etiam* in b punctis notatur. — 25. *C.* om. o — 26. *nisi ut reip.* b — *ut ii -- ulciscendi* om. H a b — *ut hij quos antea* o — 27. *ulciscendi gratia ut* o — *patrocinio* b; *patrocinandi* o — 28. *in albucio* (corr. ex *pro in albucio*) b, *in albutio* (corr. ex *pro .M. albutio*) a: *pro malbutio* B H, *pro M. albucio* o — *etiam M'. Aquilio* Manutius: *etiam aquilio* o; *etiam manilio* B H a b — 29. *aut*] *ut* a; *et* b — 30. *sit* om. o — 33. *sordidum est ad* o.

fuit. 51. Atque etiam hoc praeceptum officii diligenter tenendum est, ne quem umquam innocentem iudicio capitis arcessas; id enim sine scelere fieri nullo pacto potest. Nam quid est tam inhumanum quam eloquentiam a natura ad salutem hominum et ad conservationem datam ad bonorum pestem perniciemque convertere? Nec tamen, ut hoc fugiendum est, item est habendum religioni nocentem aliquando, modo ne nefarium impiumque, defendere. Vult hoc multitudo, patitur consuetudo, fert etiam humanitas. Iudicis est semper in causis verum sequi, patroni non numquam veri simile, etiam si minus sit verum, defendere, quod scribere, praesertim cum de philosophia scriberem, non auderem, nisi idem placeret gravissimo Stoicorum Panaetio. Maxume autem et gloria paritur et gratia defensionibus, eoque maior, si quando accidit ut ei subveniatur, qui potentis alicuius opibus circumveniri urgerique videatur, ut nos et saepe alias et adulescentes contra L. Sullae dominantis opes pro Sex. Roscio Amerino fecimus, quae, ut scis, exstat oratio.

XV. 52. Sed expositis adulescentium officiis, quae valeant ad gloriam adipiscendam, deinceps de beneficentia ac de liberalitate dicendum est, cuius est ratio duplex. Nam aut opera benigne fit indigentibus aut pecunia. Facilior est haec posterior, locupleti praesertim, sed illa lautior ac splendidior et viro forti claroque dignior. Quamquam enim in utroque inest gratificandi liberalis voluntas, tamen altera ex arca, altera ex virtute depromitur, largitioque, quae fit ex re familiari, fontem ipsum benignitatis exhaurit. Ita benignitate benignitas tollitur, qua quo in plures usus sis, eo minus in multos uti possis. 53. At qui opera, id est virtute et industria, benefici et liberales erunt, primum, quo pluribus profuerint, eo plures ad benigne faciendum adiutores habebunt, dein consuetudine beneficentiae paratiores erunt et tamquam exercitatiores ad bene de multis promerendum. Praeclare in epistola quadam Alexandrum filium Philippus accusat, quod largitione benevolentiam Macedonum consectetur. «Quae te, malum!» inquit «ratio in istam spem induxit, ut eos tibi fideles putares fore, quos pecunia corrupisses? An tu id agis, ut Macedones non te regem suum, sed ministrum et praebitorem sperent fore?» Bene «ministrum et praebitorem», quia sordidum regi, melius etiam, quod largitionem corruptelam dixit esse. Fit enim deterior qui accipit atque ad idem semper exspectandum paratior.

---

2. *arcessat* b; *accersas* c — 3. *nullo fieri* c — *tam* om. c — 5. *pernitiemque* Ba — *nec tamen - - religione - - modo nefarium impiumque, defenderes* Nonius p. 438. — 6. *item est habendum religioni - - modo nefarium impiumque, defendere* Nonius p. 379. — *aliquando et nefarium* BHab — 8. *Iudicis*] *lucis* b — *uera sequi* H — 12. *autem ipsa et* c — 14. *syllae* Ba, *syliae* b, *sylle* c, *sillae* H — 18. *deinde de* H — *beneficientia* C (ubique) — 19. *fit in diligentibus* c — 20. *posterior* om. c — 21. *ac* om c — *et* om. c — 23. *largitio quae fit ex - - uti possis* Lactantius Inst. div. VI, 11. — 25. *eo in minus multos* c — 27. *ad benefaciendum* a — 28. *dein* C: *deinde* c — *partiores* Hab — 29. *in* om. cp — *epistula* H — 31. *Quid te malum* p — *mala* c — *inquid* B — *ratio* c: *rationis* BHab, sed syll. *nis* in Bab deleta: om. p — 33. *praebitorem sperent fore? Bene ministrum et praebitorem, quia* op: *praebitorem quia* (om. *sperent - - praebitorem*) BHb; *praebitorem putent?* (om. *sperent - - praebitorem*) *quia* a — 34. *quia sordidum* C: *quo quid sordidius* alii. — 35. *esse dixit* c (*melius etiam, largitionem corruptelam esse,* deletis *quod* et *dixit*, Bake Mnemos. IX p. 206.) — *est enim deterior qui accipit atque etiam ad id semper expectandum paratior* Nonius p. 301. — 36. *accepit* c.

54. Hoc ille filio, sed praeceptum putemus omnibus. Quam ob rem id quidem non dubium est, quin illa benignitas, quae constet ex opera et industria, et honestior sit et latius pateat et possit prodesse pluribus: non numquam tamen est largiendum nec hoc benignitatis genus omnino repudiandum est et saepe idoneis hominibus indigentibus de re familiari inpertiendum, sed diligenter atque moderate. Multi enim patrimonia effuderunt inconsulte largiendo. Quid autem est stultius quam, quod libenter facias, curare ut id diutius facere non possis? Atque etiam sequuntur largitionem rapinae. Cum enim dando egere coeperunt, alienis bonis manus afferre coguntur. Ita, cum benevolentiae comparandae causa benefici esse velint, non tanta studia assequuntur eorum, quibus dederunt, quanta odia eorum, quibus ademerunt. 55. Quam ob rem nec ita claudenda res est familiaris, ut eam benignitas aperire non possit, nec ita reseranda, ut pateat omnibus: modus adhibeatur isque referatur ad facultates. Omnino meminisse debemus id, quod a nostris hominibus saepissime usurpatum iam in proverbii consuetudinem venit, largitionem fundum non habere. Etenim quis potest modus esse, cum et idem qui consuerunt et idem illud alii desiderent? XVI. Omnino duo sunt genera largorum, quorum alteri prodigi, alteri liberales: prodigi, qui epulis et viscerationibus et gladiatorum muneribus, ludorum venationumque apparatu pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut brevem aut nullam omnino sint relicturi, liberales autem, qui suis facultatibus aut captos a praedonibus redimunt aut aes alienum suscipiunt amicorum aut in filiarum collocatione adiuvant aut opitulantur in re vel quaerenda vel augenda. 56. Itaque miror, quid in mentem venerit Theophrasto in eo libro, quem de divitiis scripsit, in quo multa praeclare, illud absurde: est enim multus in laudanda magnificentia et apparatione popularium munerum taliumque sumptuum facultatem fructum divitiarum putat.. Mihi autem ille fructus liberalitatis, cuius pauca exempla posui, multo et maior videtur et certior. Quanto Aristo Ceus gravius et verius nos reprehendit! qui has pecuniarum effusiones non admiremur, quae fiunt ad multitudinem deleniendam. At ii, qui ab hoste obsidentur, si emere aquae sextarium cogantur mina, hoc primo [auditu] incredibile nobis videri omnesque mirari, sed, cum attenderint, veniam necessitati dare, in his inmanibus iacturis infinitisque sumptibus nihil nos magno opere mirari, cum praesertim neque necessitati sub-

3. *patet* H — 4. *non numquam tamen - - hominibus egentibus - - impertiendum* Lactantius Inst. div. VI, 11. — 5. *repudiandum est et* C: *repudiandum et* o — 6. *impartiendum* o — 7. *Quid autem - - non possis?* Lactantius Inst. div. VI, 11. — 9. *largitionem* om. o — *coeperint* H, *ceperint* o; sed cf. Madvig ad Cic. de Finib. p. 691. — 10. *bonis* om. a — *affere* C: *inferre* alii. — 12. *nec ita claudenda est res familiaris - - ut pateat omnibus* Nonius p. 41. — 13. *est res* o — 14. *isque*] *his qui* o — 15. *facultatem* o — 17. *modus potest* H — 18. *consueuerunt* o — 19. *prodigi*] *prodigi dicuntur* a — 20. *gladiatoriis* op — 24. *collocationē* BHab; *collatione* o — 25. *in re uel* o: *uel in re* BHab — 28. *apparitione* Hab — Ante *fructum* desidero adiectivum, quale *maximum* vel *optimum*. Cf. v. 30. p. 702, 2. — 30. *Aristo Ceus* Beier: *aristoteles* C (corr. ex *aristotecles* a) — 31. *et grauius* o — *non demiremur* Lambinus; *non miremur* Bake de emend. Cic. Oratore p. 37. Cf. v. 34 et 36. — 32. *fiant* o — *deliniendam* ab — *at hi* a, *at hii* H, *at hij* o — *qui cum ab* o — 33. *sestarium* b — *mina argenti cogantur* p — *cogantur* op: *cogerentur* BHab; *cogentur* Halmius. — 34. *auditu* o: om. BHab — *nobis* in aliquot codd. omissum Madvigio auctore del. Lund. — *cum*] *si* o — 35. *dare. Ita in* o — 36. *magnopere* C.

veniatur nec dignitas augeatur ipsaque illa delectatio multitudinis ad breve exiguumque tempus *, eaque a levissumo quoque, in quo tamen ipso una cum satietate memoria quoque moriatur voluptatis. 57. Bene etiam colligit haec pueris et mulierculis et servis et servorum simillimis liberis esse grata, gravi vero homini et ea, quae fiunt, iudicio certo ponderanti probari posse nullo modo. Quamquam intellego in nostra civitate inveterasse iam bonis temporibus, ut splendor aedilitatum ab optimis viris postularetur. Itaque et P. Crassus, cum cognomine dives tum copiis, functus est aedilicio maximo munere et paulo post L. Crassus cum omnium hominum moderatissimo Q. Mucio magnificentissima aedilitate functus est, deinde C. Claudius App. f., multi post, Luculli, Hortensius, Silanus. Omnes autem P. Lentulus me consule vicit superiores: hunc est Scaurus imitatus. Magnificentissima vero nostri Pompei munera secundo consulatu: in quibus omnibus quid mihi placeat, vides. XVII. 58. Vitanda tamen suspitio est avaritiae. Mamerco, homini divitissimo, praetermissio aedilitatis consulatus repulsam attulit. Qua re et, si postulatur a populo, bonis viris si non desiderantibus, at tamen adprobantibus, faciundum est, modo pro facultatibus, nos ipsi ut fecimus, et, si quando aliqua res maior atque utilior populari largitione adquiritur, ut Oresti nuper prandia in semitis decumae nomine magno honori fuerunt. Ne Marco quidem Seio vitio datum est, quod in caritate asse modium populo dedit; magna enim se et inveterata invidia nec turpi iactura, quando erat aedilis, nec maxima liberavit. Sed honori summo nuper nostro Miloni fuit, qui gladiatoribus emptis rei publicae causa, quae salute nostra continebatur, omnes P. Clodii conatus furoresque compressit. Causa igitur largitionis est, si aut necesse est aut utile. 59. In his autem ipsis mediocritatis regula optima est. L. quidem Philippus Q. f., magno vir ingenio in primisque clarus, gloriari solebat se sine ullo munere adeptum esse omnia, quae haberentur amplissima. Dicebat idem Cotta, Curio: nobis quoque licet in hoc quodam modo gloriari. Nam pro amplitudine honorum, quos cunctis suffragiis adepti sumus nostro quidem anno, quod contigit eorum nemini, quos modo nominavi, sane exiguus sumptus aedilitatis fuit. 60. Atque etiam illae impensae meliores, muri, navalia, portus, aquarum ductus omniaque, quae ad usum rei publicae pertinent; quamquam enim quod praesens tamquam in manum datur iucundius est, tamen haec in posterum gratiora. Theatra, porticus, nova templa verecundius reprehendo propter Pompeium, sed doctissimi non probant, ut et hic ipse Panaetius, quem

---

1. *multitudinis ad* C: *multitudinis sit ad* o — 2. Lacunam primus indicavit Lund. Beierus suspicatur excidisse *capiatur*. — 4. *colliget* H — *ac seruis* c — 5. *certo iudicio* c; *certo* om. b — 7. *etiam bonis* cp — 8. *postularetur* cp: *postuletur* BHabo — *cum* om. b — 10. *mutio* C — *magnificentissime* b — 11. *App. f.* B²ab: *appt* B¹, *appi f.* c, *APP. filius* H, *Appii filius* o — *luculli* BHbp: *lucullus* a; *lucullij* c — 13. *pompei* BHab: *pompeii* co — 15. *suspitio* BHa: *suspicio* bco — *est* om. c — *diutissimo* b — 16. *praetermissio* om. H — *attulit repulsam* c — 21. *marco* C: *M.* o — *seio id uicio* c — *quod*] *cum* c — *caritate* Cp: *caritate annonae* o — *assium modium* c — 23. *nec*] *nunc* c — 24. *nostro* om. c — *qui*] *quid* b — 27. *in iis* Bb, *in hijs* c — 28. *uir* corr. ex *uiri* b, *uiri* H — 30. *idem* BHa: *autem* b; *item* c — *quodam modo* om. c — 33. *nominavit* b — *fuit*] *erat* c — 34. *meliores*].*mulieris* H — 35. *enim* a: om. BHbco — 36. *iocundius* ac — *tamen haec* C: *haec tamen* o — 37. *uerecundus* [illegible] — 38. *hec ipse* c.

multum in his libris secutus sum, non interpretatus, et Phalereus Demetrius, qui Periclem, principem Graeciae, vituperat, quod tantam pecuniam in praeclara illa propylaea coniecerit. Sed de hoc genere toto in iis libris, quos de re publica scripsi, diligenter est disputatum. Tota igitur ratio talium largitionum genere vitiosa est, temporibus necessaria, et tum ipsum et ad facultates accommodanda et mediocritate moderanda est. XVIII. 61. In illo autem altero genere largiendi, quod a liberalitate proficiscitur, non uno modo in disparibus causis adfecti esse debemus. Alia causa est eius, qui calamitate premitur, et eius, qui res meliores quaerit nullis suis rebus adversis. 62. Propensior benignitas esse debebit in calamitosos, nisi forte erunt digni calamitate. In iis tamen, qui se adiuvari volent, non ne adfligantur, sed ut altiorem gradum ascendant, restricti omnino esse nullo modo debemus, sed in deligendis idoneis iudicium et diligentiam adhibere. Nam praeclare Ennius:

Bene facta male locata male facta arbitror.

63. Quod autem tributum est bono viro et grato, in eo cum ex ipso fructus est, tum etiam ex ceteris. Temeritate enim remota gratissima est liberalitas, eoque eam studiosius plerique laudant, quod summi cuiusque bonitas commune perfugium est omnium. Danda igitur opera est ut iis beneficiis quam plurimos adficiamus, quorum memoria liberis posterisque prodatur, ut iis ingratis esse non liceat. Omnes enim immemorem beneficii oderunt eamque iniuriam in deterrenda liberalitate sibi etiam fieri eumque, qui faciat, communem hostem tenuiorum putant. Atque haec benignitas etiam rei publicae est utilis, redimi e servitute captos, locupletari tenuiores: quod quidem volgo solitum fieri ab ordine nostro in oratione Crassi scriptum copiose videmus. Hanc ego consuetudinem benignitatis largitioni munerum longe antepono. Haec est gravium hominum atque magnorum, illa quasi adsentatorum populi, multitudinis levitatem voluptate quasi titillantium. 64. Conveniet autem cum in dando munificum esse tum in exigendo non acerbum in omnique re contrahenda, vendundo emendo, conducendo locando, vicinitatibus et confiniis, aequum, facilem, multa multis de suo iure cedentem, a litibus vero, quantum liceat et nescio an paulo plus etiam quam liceat, abhorrentem. Est enim non modo liberale paulum non numquam de suo iure decedere, sed interdum etiam fructuosum. Habenda autem ratio est rei familiaris, quam quidem delabi sinere flagitiosum est, sed

---

1. *in* om. op — *secuti sumus non interpretati* o — 2. *periclen* ao — *gratiae* Bb — 4. *iis* B: *his* Hab, *hijs* c — *diligenter* om. c — *disputatum est* c — 5. *genera* b — *necessaria est et* c — 6. *tum ipsum* BHac: *cum ipsum* b; *tamen ipsa* o. Cf. Madvig ad Cic. de Finib. p. 256. — 7. *est* om. c — *alio* c — 8. *causis* om. c — 9. *et eius*] *et enim* p — 11. *his* Hap, *hijs* c — 12. *uolunt* b — *ne* Cp: [*ut*] *ne* o — 13. *esse nullo modo esse debemus* b — *sed intelligendis* b; *sed in diligendis* p — 15. *beneficia male* op — 16. *cum*] *tum* p — 17. *grauissima* B¹p — 20 et 21. *his* Hap, *hijs* c — 21. *probetur* p — 22. *deterenda libertate* p — 23. *tenuiorum esse putant* c — 24. *Atque haec benignitas -- tenuiores. Hanc ego -- atque magnorum* Lactantius Inst. div. VI, 12. — 26. *ergo* ab — 27. *longe* op: om. BHab — 28. *est* superscr. in b — *quasi* superscr. ead. m. in p mallem abesset. — 29. *multitudinis esse leuitatemque* p — *uoluptatem* op — 30. *cum* corr. in *tum* c, *tum* p — 31. *contrahendo* p — *uendendo* aco — *locando conducendo* p — *locando in ciuitatibus et confinibus equm* c — 33. *et nescio -- liceat* om. H, in marg. a sec. m. habet p — 34. *non numquam* superscr. sec. m. in p — 35. *iure decere* H — 36. *dilabi* co — *flagitium est. et ita* op.

ita, ut inliberalitatis avaritiaeque absit suspitio. Posse enim liberalitate uti non spoliantem se patrimonio nimirum est pecuniae fructus maximus. Recte etiam a Theophrasto est laudata hospitalitas. Est enim, ut mihi quidem videtur, valde decorum patere domus hominum inlustrium hospitibus inlustribus idque etiam rei publicae est ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in urbe nostra non egere. Est autem etiam vehementer utile iis, qui honeste posse multum volunt, per hospites apud externos populos valere opibus et gratia. Theophrastus quidem scribit, Cimonem [Athenis] etiam in suos curialis [Laciadas] hospitalem fuisse: ita enim instituisse et vilicis imperavisse, ut omnia praeberentur quicumque Laciades in villam suam devertisset.

XIX. 65. Quae autem opera, non largitione beneficia dantur, haec tum in universam rem publicam tum in singulos cives conferuntur. Nam in iure cavere, consilio iuvare atque hoc scientiae genere prodesse quam plurimis vehementer et ad opes augendas pertinet et ad gratiam. Itaque cum multa praeclara maiorum tum quod optime constituti iuris civilis summo semper in honore fuit cognitio atque interpretatio: quam quidem ante hanc confusionem temporum in possessione sua principes retinuerunt, nunc, ut honores, ut omnes dignitatis gradus, sic huius scientiae splendor deletus est, idque eo indignius, quod eo tempore hoc contigit, cum is esset, qui omnes superiores, quibus honore par esset, scientia facile vicisset. Haec igitur opera grata multis et ad beneficiis obstringendos homines accommodata. 66. Atque huic arti finituma est dicendi [gravior] facultas et gratior et ornatior. Quid enim eloquentia praestabilius vel admiratione audientium vel spe indigentium vel eorum, qui defensi sunt, gratia? Huic quoque ergo a maioribus nostris est in toga dignitatis principatus datus. Diserti igitur hominis et facile laborantis quodque in patriis est moribus multorum causas et non gravate et gratuito defendentis beneficia et patrocinia late patent. 67. Admonebat me res ut hoc quoque loco intermissionem eloquentiae, ne dicam interitum, deplorarem, ni vererer ne de me ipso aliquid viderer queri. Sed tamen videmus, quibus exstinctis oratoribus quam in paucis spes, quanto in paucioribus facultas, quam in multis sit audacia. Cum autem omnes non possint, ne multi quidem, aut iuris periti esse aut diserti, licet tamen opera prodesse multis, beneficia petentem, commendantem iudicibus, magistratibus, vigilantem pro re alterius, eos ipsos, qui aut

---

1. *inliberalitatibus* p — *suspicio* BHboo — 2. *spoliante* p — *nimirum est pecuniae* Babo: *nimirum pecuniae est* H; *nimirum is est pecuniae* po — 3. *Recte a Theophrasto* -- *patere domos hominum illustrium hospitibus illustribus* Lactantius Inst. div. VI, 12. — 4. *domos* o — 5. *illustribus hospitibus* o — 6. *nostra nos non egeri* p — 7. *etiam* om. op — *utile iis* -- *hospites apud* om. b — *his* BHap, *hijs* o — 9. *symonem* c — *Athenis* secl. Heine. — *curialis* p: *curiales* Co — *Laciadas* del. van den Es. — 10. *uillicis* aoo — *omni* b — 11. *uillam suam* C: *uillas suas* alii. — *diuertisset* op — 14. *in* om. b — *atque* om. p — 18. *confessionem* b — 21. *cum his esset* a; *cum is est* b — *qui omnes* -- *par esset* om. b — 23. *astringendos* p — 24. *dicendi* om. op — *facultas* Lambinus: *grauior facultas* Cpo — *gratior* corr. ead. m. ex *grauior* B — 26. *quoque* Cp: om. o — *ergo* om. p — *in toga dignitatis* cp: *in tota dignitatis* BHb; *in tota dignitate* a — 27. *Deserti* H — *laborantes* H — 28. *quod qui in* o — *est* om. H — *grauat* H — 30. *intermissione* b — *interm. cum eloquentia dicerem* p — 31. *ne me de ipso* H; *me de me ipso* b — *uidere quaeri* b — 34. *omnes* (*homines* H) *non possint* Cp: *non possint omnes* alii. — *nec multi* p — *deserti* H — 35. *petere* p.

consuluntur aut defendunt, rogantem: quod qui faciunt plurimum gratiae consequuntur latissimeque eorum manat industria. 68. Iam illud non sunt admonendi — est enim in promptu —, ut animum advertant, cum iuvare alios velint, ne quos offendant. Saepe enim aut eos laedunt, quos non debent, aut eos, quos non expedit: si inprudentes, neglegentiae est, si scientes, temeritatis. Utendum etiam est excusatione adversus eos, quos invitus offendas, quacumque possis, qua re id, quod feceris, necesse fuerit nec aliter facere potueris, ceterisque operis et officiis erit id, quod violatum videbitur, compensandum.

XX. 69. Sed cum in hominibus iuvandis aut mores spectari aut fortuna soleat, dictu quidem est proclive itaque volgo loquuntur, se in beneficiis collocandis mores hominum, non fortunam sequi. Honesta oratio est. Sed quis est tandem qui inopis et optimi viri causae non anteponat in opera danda gratiam fortunati et potentis? A quo enim expeditior et celerior remuneratio fore videtur, in eum fere est voluntas nostra propensior. Sed animadvertendum est diligentius, quae natura rerum sit. Nimirum enim inops ille, si bonus est vir, etiam si referre gratiam non potest, habere certe potest. Commode autem, quicumque dixit, pecuniam qui habeat, non reddidisse, qui reddiderit, non habere, gratiam autem et qui rettulerit habere et qui habeat rettulisse. At, qui se locupletes, honoratos, beatos putant, ii ne obligari quidem beneficio volunt; quin etiam beneficium se dedisse arbitrantur, cum ipsi quamvis magnum aliquod acceperint, atque etiam a se aut postulari aut exspectari aliquid suspicantur, patrocinio vero se usos aut clientes appellari mortis instar putant. 70. At vero ille tenuis, cum, quicquid factum sit, se spectatum, non fortunam putat, non modo illi, qui est meritus, sed etiam illis, a quibus exspectat — eget enim multis —, gratum se videri studet, neque vero verbis auget suum munus, si quo forte fungitur, sed etiam extenuat. Videndumque illud est, quod, si opulentum fortunatumque defenderis, in uno illo aut, si forte, in liberis eius manet gratia: sin autem inopem, probum tamen et modestum, omnes non inprobi humiles, quae magna in populo multitudo est, praesidium sibi paratum vident. 71. Quam ob rem melius apud bonos quam apud fortunatos beneficium collocari puto. Danda omnino opera est ut omni generi satis facere possimus, sed, si res in contentionem veniet, nimirum Themistocles est auctor adhibendus, qui cum consuleretur, utrum bono viro pauperi an minus probato diviti filiam collocaret, «Ego vero» inquit

---

1. *plurimas gratias* op — 2. *consecuntur* p — *Illud iam* H — 3. *animum aduertant* op: *animaduertant* BHab — 4. *ne* om. p — *saepe enim -- non debeant -- expedit* Nonius p. 296. — 5. *eos quis non* b — 7. *possis* Cp: *possit* o — 9. *id* om. b — *uidebitur* op: *est* ao; om. BHb — 10. *in omnibus iuuandis* b — 11. *locuntur* p — 12. *hominis* op — 13. *et* om. op — 14. *gratia* p — 17. *nimirum enim inops ille, etsi bonus est vir -- certe potest* Nonius p. 31. — *bonū ē* b — 18. *commode autem quicumque dixit pecuniam* Nonius p. 280. — *autem* om. p — 20. *gratiam -- habere* om. BHab — *retulerit -- retulisse* co — 21. *hi* Ha, *hij* c, om. p — 23. *etiam*] *eque* p — *aut* ante *postulari* om. opo — 24. *uero tuo se* op — 25. *factumst* Halmius. — 26. *putant* a — 27. *se gratum* c — 28. *iungitur* H — 29. *est illud* B — 30. *in illo uno* p — *si* op: om. BHab; «sed hac particula sine dubio opus est, cum aliter *forte* intelligi nequeat. Usus loquendi satis constat, v. Cic. de orat. III, 12, 47; ad Q. fr. I, 2, 7; ad Att. XIV, 13, 2; pro Milon. 104; Lucret. V, 719; cf. Garaton. ad Cic. p. Mil. p. 329 ed Or.» Lund. Cf. Madvig Emendd. Liv. p. 123. — 32. *humiles*] *homines* op — 34. *genere* a — 37. *diviti* om. p.

«malo virum, qui pecunia egeat, quam pecuniam, quae viro.» Sed corrupti mores depravatique sunt admiratione divitiarum: quarum magnitudo quid ad unum quemque nostrum pertinet? Illum fortasse adiuvat, qui habet. Ne id quidem semper. Sed fac iuvare: utentior sane sit, honestior vero quo modo? Quod si etiam bonus erit vir, ne impediant divitiae quo minus iuvetur, modo ne adiuvent, sitque omne iudicium non, quam locuples, sed qualis quisque sit! Extremum autem praeceptum in beneficiis operaque danda, ne quid contra aequitatem contendas, ne quid pro iniuria; fundamentum enim est perpetuae commendationis et famae iustitia, sine qua nihil potest esse laudabile.

XXI. 72. Sed, quoniam de eo genere beneficiorum dictum est, quae ad singulos spectant, deinceps de iis, quae ad universos quaeque ad rem publicam pertinent, disputandum est. Eorum autem ipsorum partim eius modi sunt, ut ad universos cives pertineant, partim, singulos ut attingant, quae sunt etiam gratiora. Danda opera est omnino, si possit, utrisque, nec minus, ut etiam singulis consulatur, sed ita, ut ea res aut prosit aut certe ne obsit rei publicae. C. Gracchi frumentaria magna largitio, exhauriebat igitur aerarium: modica M. Octavii et rei publicae tolerabilis et plebi necessaria, ergo et civibus et rei publicae salutaris. 73. In primis autem videndum erit ei, qui rem publicam administrabit, ut suum quisque teneat neque de bonis privatorum publice deminutio fiat. Perniciose enim Philippus in tribunatu, cum legem agrariam ferret, quam tamen antiquari facile passus est et in eo vehementer se moderatum praebuit, sed cum in agendo multa populariter, tum illud male, non esse in civitate duo milia hominum, qui rem haberent. Capitalis oratio est ad aequationem bonorum pertinens: qua peste quae potest esse maior? Hanc enim ob causam maxume, ut sua tenerentur, res publicae civitatesque constitutae sunt. Nam, etsi duce natura congregabantur homines, tamen spe custodiae rerum suarum urbium praesidia quaerebant. 74. Danda etiam opera est ne, quod apud maiores nostros saepe fiebat propter aerarii tenuitatem assiduitatemque bellorum, tributum sit conferendum, idque ne eveniat multo ante erit providendum. Sin quae necessitas huius muneris alicui rei publicae obvenerit — malo enim alii quam nostrae ominari, neque tamen de nostra, sed de omni re publica disputo —, danda erit opera ut omnes intellegant, si salvi esse velint, necessitati esse parendum. Atque etiam

---

4. *utentior* Cp: *potentior* alii; *opulentior* Lambinus. — 6. *quo*] *ne* c — *iuuentur* p — *sique* b — 7. *extremum autem -- contendas* Nonius p. 259 sq. — 9. *ne quid -- contendas* om. p — 10. *esse potest* cp — 11. *quoniam*] *quo* b — 12. *quae ad singulos spectant dictum est* p — *his* ap, *hiis* H, *hijs* c — 14. *partim* cp: *quae* (*que* H) *partim* BHab — *ut singulos* c — 15. *attingat* p — *est* om. c — 16. *utrumque* c — *singulis* om. c — 17. *G. gracci* c — 18 *aerarium* om. p — 19. *tolerabilis -- rei publicae* om. a — *ergo et ciuis et rex salutaris* c — 20. *ei* om. c — 22. *minutio* cp — *perniciose enim -- passus est, in eo -- praebuit* Nonius p. 76. — *pernitiose* ab — 25. *tunc illum male* p — 26. *oratio est ad* BHab: *oratio ad* cp; *oratio et ad* o — *aequitatem* p — *qua pestis quae maior esse potest* c; *quam pestis quae maior potest esse* p — 28. *tenerentur* BHa: *teneretur* b; *tenerent* cpo; *tuerentur* alii. — 32. *sit* om. H — *idque* om. c — *erit ante* p — 33. *Sinque necessitas* a — 34. *alii* a: *aliene* c; om. BHbpo — *nostra comirari* b; *nostre rei .p. ominari* c — *tamen* C: *tantum* o. («*tamen* verissimum est: dicit enim non opus esse ea deprecatione, quia disputatio suscepta sit non de Romana re publica, sed in universum de omni re publica.» Zumpt.) — 35. *erit*] *est* op.

omnes, qui rem publicam gubernabunt, consulere debebunt ut earum rerum copia sit, quae sunt ad victum necessariae. Quarum qualis comparatio fieri soleat et debeat, non est necesse disputare; est enim in promptu: tantum locus attingendus fuit. 75. Caput autem est in omni procuratione negotii et muneris publici, ut avaritiae pellatur etiam minima suspitio. «Utinam», inquit C. Pontius Samnis, «ad illa tempora me fortuna reservavisset et tum essem natus, quando Romani dona accipere coepissent! non essem passus diutius eos imperare.» Ne illi multa saecula exspectanda fuerunt; modo enim hoc malum in hanc rem publicam invasit. Itaque facile patior tum potius Pontium fuisse, si quidem in illo tantum fuit roboris. Nondum centum et decem anni sunt, cum de pecuniis repetundis a L. Pisone lata lex est, nulla antea cum fuisset. At vero postea tot leges et proxumae quaeque duriores, tot rei, tot damnati, tantum [Italicum] bellum propter iudiciorum metum excitatum, tanta sublatis legibus et iudiciis expilatio direptioque sociorum, ut inbecillitate aliorum, non nostra virtute valeamus. XXII. 76. Laudat Africanum Panaetius, quod fuerit abstinens. Quidni laudet? Sed in illo alia maiora. Laus abstinentiae non hominis est solum, sed etiam temporum illorum. Omni Macedonum gaza, quae fuit maxima, potitus [est] Paulus tantum in aerarium pecuniae invexit, ut unius inperatoris praeda finem attulerit tributorum: at hic nihil domum suam intulit praeter memoriam nominis sempiternam. Imitatus patrem Africanus nihilo locupletior Karthagine eversa. Quid? qui eius collega fuit in censura, L. Mummius, num quid copiosior, cum copiosissimam urbem funditus sustulisset? Italiam ornare quam domum suam maluit: quamquam Italia ornata domus ipsa mihi videtur ornatior. 77. Nullum igitur vitium taetrius est, ut eo, unde digressa est, referat se oratio, quam avaritia, praesertim in principibus et rem publicam gubernantibus. Habere enim quaestui rem publicam non modo turpe est, sed sceleratum etiam et nefarium. Itaque, quod Apollo Pythius oraculum edidit, Spartam nulla re alia nisi avaritia esse perituram, id videtur non solum Lacedaemoniis, sed etiam omnibus opulentis populis praedixisse. Nulla autem re conciliare facilius benevolentiam multitudinis possunt ii, qui rei publicae praesunt, quam abstinentia et continentia. 78. Qui vero

---

2. *ad uictum* op: om. BHbo — 3. *disputare necesse* p — 4. *Caput autem -- muneris publici* om. b — *est ut in* op — 5. *ut* om. op — 6. *suspicio* boo — 7. *quando* BHabp: *si quando* oo — *accipere dona* b — 8. *Nae* o — 9. *hanc* om. o — 11. *roboris* om. opo — *Nondum enim centum* o — 12. *repetendis* aop — *lex est* Habp: *est lex* Bo — 13. *aut vero* b — 14. *dampnati* p — *tantum iliacum bellum* B; *tanti militari cum bellum* b — *Italicum* del. Bake Schol. Hypomn. IV p. 196. — 15. *direptioque*] *iudicioque* p — 17. *affricanum* ao — 18. *in illa alia* b — *abstinentiae* op: *sapientiae* BHab — 19. *Omnia* b — 20. *potitus* I. F. Heusinger: *potitus est* Cpo — *In aerarium tantum pecuniae* a; *in aerarium pecuniae* (om. *tantum*) b; *tantam in aerarium pecuniam* op — 21. *Adhuc nichil* p — *domum suam p. m. n. sempiternam detulit* opo. Vide ne utrumque verbum, et *intulit* et *detulit*, sit grammatici alicuius supplementum. — 22. *patriam* H — 23. *nullo* op — *carthagine* C — *fuit incessura* ab; *fuit in censura fuit* o — 24. *num qui* Hab — 26. *ornatior uidetur* op — 27. *ut eo, unde digressa est, referat* Nonius p. 381. — *digressa* o et Nonius: *egressa* BHabo; *degressa* Lambinus. Cf. Brut. § 300. Verrin. IV § 35. de deor. nat. III § 60. de divinat. I § 109. — 28. *et* BHab: om. opo — 29. *questu rem p.* o; *questum in re p.* p — 30. *oraculum* aop: *oraclum* BH, *oraclu* b; *oraculo* alii. — 31. *alia* om. o — *esse* om. o — 33. *ii* Bb: *ut* H; *hi* a, *hij* o; om. p.

se populares volunt ob eamque causam aut agrariam rem temptant, ut possessores pellantur suis sedibus, aut pecunias creditas debitoribus condonandas putant, labefactant fundamenta rei publicae: concordiam primum, quae esse non potest, cum aliis adimuntur, aliis condonantur pecuniae, deinde aequitatem, quae tollitur omnis, si habere suum cuique non licet. Id enim est proprium, ut supra dixi, civitatis atque urbis, ut sit libera et non sollicita suae rei cuiusque custodia. 79. Atque in hac pernicie rei publicae ne illam quidem consequuntur, quam putant, gratiam. Nam cui res erepta est est inimicus: cui data est etiam dissimulat se accipere voluisse et maxime in pecuniis creditis occultat suum gaudium, ne videatur non fuisse solvendo. At vero ille, qui accepit iniuriam, et meminit et prae se fert dolorem suum, nec, si plures sunt ii, quibus inprobe datum est, quam illi, quibus iniuste ademptum est, idcirco plus etiam valent. Non enim numero haec iudicantur, sed ponderе. Quam autem habet aequitatem, ut agrum multis annis aut etiam saeculis ante possessum qui nullum habuit habeat, qui autem habuit amittat? XXIII. 80. Ac propter hoc iniuriae genus Lacedaemonii Lysandrum ephorum expulerunt, Agim regem, quod numquam antea apud eos acciderat, necaverunt, exque eo tempore tantae discordiae secutae sunt, ut et tyranni existerent et optumates exterminarentur et praeclarissime constituta res publica dilaberetur. Nec vero solum ipsa cecidit, sed etiam reliquam Graeciam evertit contagionibus malorum, quae a Lacedaemoniis profecta emanarunt latius. Quid? nostros Gracchos, Ti. Gracchi summi viri filios, Africani nepotes, nonne agrariae contentiones perdiderunt? 81. At vero Aratus Sicyonius iure laudatur, qui, cum eius civitas quinquaginta annos a tyrannis teneretur, profectus Argis Sicyonem clandestino introitu urbe est potitus, cumque tyrannum Nicoclem inproviso oppressisset, sescentos exsules, qui locupletissimi fuerant eius civitatis, restituit remque publicam adventu suo liberavit. Sed cum magnam animadverteret in bonis et possessionibus difficultatem, quod et eos, quos ipse restituerat, quorum bona alii possederant, egere iniquissimum esse arbitrabatur et quinquaginta annorum possessiones moveri non nimis aequum putabat, propterea quod tam longo spatio multa hereditatibus, multa emptionibus, multa dotibus tenebantur sine iniuria, iudicavit neque illis adimi nec iis non satis fieri, quorum illa fuerant, oportere. 82. Cum igitur statuisset opus esse ad eam rem constituendam pecunia, Alexandream se proficisci velle dixit remque

---

2. *pellant* c — 3. *labefactant* BHab: *hij labefactant* cp, *ii labefactant* o — *fundamenta* om. p — 5. *aequitatem* om. (in rasura) c — *cuique suum* p — 7. *suae* om. p — 8. *pernitie* a — *consecuntur* p — 9. *nam cum res* H — 11. *accepit* c: *accipit* BHabpo — 12. *prae sese* ab — 13. *ii* Bb: *hi* Ha, *hij* cp — *adeptum* abc — 14. *etiam plus* c — 15. *equitatem habet* c — 17. *At* Cp — 18. *hagim* BHab, *hagin* cp, *Agin* o — *ante* cp — 22. *maiorum* BHab — 23. *lacedemonibus* c — *profecta emanarunt* nos: *profectae manarunt* Habco; *profecto manarunt* p; *profectae manauerunt* B; *profecta manarunt* Lambinus. Cf. Flor. IV, 9, 5: *emanabat latius malum.* — *graccos. ti. grachi* c; *graccos .t. grachi* p — 25. *aut uero* b — 26. *profectis* H — 27. *sicionem suam* p — 28. *niclocem* p — *inprouiso pressisset* BHab — *sescentos* BH: *sexcentos* abco — 30. *et* om. B — 31. *restitueret* b — 32. *esse* BHap: om. bco — *arbitretur* p — 33. *mouere* BHab — 35. *iudicauit neque hijs adimi nec illis non* c — *iis* Bb: *his* Hap — 36. *Cum is igitur* cp — *esset ad* b — 37. *alexandream* Bbc (corr. ex *alexandriam* B, corr. in *alexandriam* c): *alexandriam* Hao. Cf. p. 707, 2. 721, 11. 14. — *proficisci se* a.

integram ad reditum suum iussit esse, isque celeriter ad Ptolemaeum suum hospitem venit, qui tum regnabat alter post Alexandream conditam. Cui cum exposuisset patriam se liberare velle causamque docuisset, a rege opulento vir summus facile impetravit ut grandi pecunia adiuvaretur. Quam cum Sicyonem attulisset, adhibuit sibi in consilium quindecim principes, cum quibus causas cognovit et eorum, qui aliena tenebant, et eorum, qui sua amiserant, perfecitque aestumandis possessionibus, ut persuaderet aliis, ut pecuniam accipere mallent, possessionibus cederent, aliis, ut commodius putarent numerari sibi, quod tanti esset, quam suum recuperare. Ita perfectum est ut omnes concordia constituta sine querella discederent. 83. O virum magnum dignumque, qui in re publica nostra natus esset! Sic par est agere cum civibus, non, ut bis iam vidimus, hastam in foro ponere et bona civium voci subicere praeconis. At ille Graecus, id quod fuit sapientis et praestantis viri, omnibus consulendum putavit, eaque est summa ratio et sapientia boni civis, commoda civium non divellere atque omnis aequitate eadem continere. Habitent gratis in alieno. Quid ita? ut, cum ego emerim, aedificarim, tuear, impendam, tu me invito fruare meo? Quid est aliud aliis sua eripere, aliis dare aliena? 84. Tabulae vero novae quid habent argumenti, nisi ut emas mea pecunia fundum, eum tu habeas, ego non habeam pecuniam? XXIV. Quam ob rem ne sit aes alienum, quod rei publicae noceat, providendum est, quod multis rationibus caveri potest, non, si fuerit, ut locupletes suum perdant, debitores lucrentur alienum. Nec enim ulla res vehementius rem publicam continet quam fides, quae esse nulla potest, nisi erit necessaria solutio rerum creditarum. Numquam vehementius actum est quam me consule ne solveretur. Armis et castris temptata res est ab omni genere hominum et ordine: quibus ita restiti, ut hoc totum malum de re publica tolleretur. Numquam nec maius aes alienum fuit nec melius nec facilius dissolutum est; fraudandi enim spe sublata solvendi necessitas consecuta est. At vero hic nunc victor, tum quidem victus, quae cogitarat, *cum ipsius intererat*, *tum* ea perfecit, cum eius iam nihil interesset. Tanta in eo peccandi libido fuit, ut hoc ipsum eum delectaret, [peccare,] etiam si causa non esset. 85. Ab hoc igitur genere largitionis, ut aliis detur, aliis auferatur, aberunt ii, qui rem publicam tuebuntur, in primisque operam dabunt, ut iuris et iudiciorum aequitate suum

---

1. *ptolomeum* C — 2. *suum hospitem suum uenit* c — *alexandream* BHbc (corr. ex *alexandriam* B, corr. in *alexandriam* c): *alexandriam* ao. Cf. p. 706 v. 37. — 3. *Cui*] *qui* Cp — 5. *adhibuisse sibi* cp — 6. *et eorum -- tenebant* om. H — 8. *persuaderent* cp — *acciperent malis possessionibus cedent* p — *malint* c — 9. *sibi quanti essent quam* cp — 10. *est* om. cp — 11. *quaerella* BH, *querela* abco — 14. *subiacere* BHab — 15. *et sapientia* om. p — 16. *adque* B — *omnis* BHb: *omnes* aco — *eadem equitate* c — 17. *habitant* B — *in alieno? Quid* o. Cf. Madvig in Philol. Schneidew. II p. 143 sq. — 18. *edificauerim* cp — 19. *eripere nisi aliis* p — 20. *argumentum* BH — 21. *non habeo* H — 23. *non sic fuerit* a; *nam si fuerit* cp — 24. *continet rem p.* p — 25. *rerum solutio* cp — 27. *ne non solueretur* p — 28. *ita* om. p — *restitit* B — *hoc totum malum* BHab: *totum hoc malum* c; *tum hoc malum* p; *hoc tantum malum* o — 29. *unquam* p — *fuit* om. B[1] — 30. *soluendi* BHab: *uendendi* cp — 32. *cum ipsius intererat, tum* cp: om. BHabo — 33. *peccare* auctore Bakio Mnemos. VIII p. 204 seclusi. — 35. *ii* Bb: *hi* Ha; *hij* cp — 36. *dabunt operam* c.

quisque teneat et neque tenuiores propter humilitatem circumveniantur neque locupletibus ad sua vel tenenda vel recuperanda obsit invidia, praeterea, quibuscumque rebus vel belli vel domi poterunt, rem publicam augeant imperio, agris, vectigalibus. Haec maguorum hominum sunt, haec apud maiores nostros factitata, haec genera officiorum qui persecuntur cum summa utilitate rei publicae magnam ipsi adipiscentur et gratiam et gloriam.

86. In his autem utilitatum praeceptis Antipater Tyrius, Stoicus, qui Athenis nuper est mortuus, duo praeterita censet esse a Panaetio, valetudinis curationem et pecuniae: quas res a summo philosopho praeteritas arbitror, quod essent faciles; sunt certe utiles. Sed valetudo sustentatur notitia sui corporis et observatione, quae res aut prodesse soleant aut obesse, et continentia in victu omni atque cultu corporis tuendi causa [praetermittendis voluptatibus], postremo arte eorum, quorum ad scientiam haec pertinent. 87. Res autem familiaris quaeri debet iis rebus, a quibus abest turpitudo, conservari autem diligentia et parsimonia, eisdem etiam rebus augeri. Has res commodissime Xenophon Socraticus persecutus est in eo libro, qui Oeconomicus inscribitur, quem nos, ista fere aetate cum essemus, qua es tu nunc, e Graeco in Latinum convertimus. Sed toto hoc de genere, de quaerenda, de collocanda pecunia, vellem etiam de utenda, commodius a quibusdam optumis viris ad Ianum medium sedentibus quam ab ullis philosophis ulla in schola disputatur. Sunt tamen ea cognoscenda; pertinent enim ad utilitatem, de qua hoc libro disputatum est.

XXV. 88. Sed utilitatum comparatio, quoniam hic locus erat quartus, a Panaetio praetermissus, saepe est necessaria. Nam et corporis commoda cum externis [et externa cum corporis] et ipsa inter se corporis et externa cum externis comparari solent. Cum externis corporis hoc modo comparantur, valere ut malis quam dives esse, [cum corporis externa hoc modo, dives esse potius quam maxumis corporis viribus,] ipsa inter se corporis sic, ut bona valetudo voluptati anteponatur, vires celeritati, externorum autem, ut gloria divitiis, vectigalia urbana rusticis. 89. Ex quo genere comparationis illud est Catonis senis: a quo cum quaereretur, quid maxume in re familiari expediret? respondit: «Bene pascere.» Quid secundum? «Satis bene pascere.» Quid tertium? «Male pascere.» Quid quartum? «Arare.» Et cum ille, qui quaesierat, dixis-

---

2. *locupletibus* om. c — *tenenda*] *utenda* c p — 3. *uel domi uel belli* c — *bellis* B H a b — 5. *factita* p — 6. *persecuntur* B H p: *persequuntur* a b p; *persequentur* c — *adipiscuntur* c p — 8. *Tyrius* om. p — 9. *mortuus est nuper* B — *praeterita tacens* cl. *esse* b — *esse* om. c — 12. *sustineatur* c p — 14. *tuenda* p — *causa et praetermittendis* c — *praetermittendis voluptatibus* del. Heine. — *arce* H — 16. *iis* B b: *his* H a p, *hijs* c — 17. *Isdem* c, *hisdem* p — *augere has* c — 19. *essemus quam nunc de graeco* p — 20. *Sed toto hoc de genere* - - *hoc libro disputatum est* e § 90 huc transposuit Unger. — *de* ante *genere* om. b c p — *de* ante *quaerenda* om. a — 21. *uellem* c p: om. B H a b — 22. *Ianum* c: *ianuae* B H a b p — 23. *schola* H: *scola* B a b c — 27. *et externa* - - *cum externis* om. H — *et externa cum corporis* del. Unger. — *corporis cum corpore et externa* c; *corporis cum corpore externa* p — 29. *malis quam diues esse et potius quam maximis* p — *cum corporis* - - *corporis viribus* del. Unger. — 32. *Externorum autem. Externorum ut* c — 33. *comparationis* om. p — *a quo quaerebatur* p — 35. *Quid tertium? Male pascere* c p: om. B H a b. Cf. Columella R. R. VI, praef. § 5.

set Quid faenerari? tum Cato «Quid hominem,» inquit, «occidere?» Ex quo et multis aliis intellegi debet utilitatum comparationes fieri solere recteque hoc adiunctum esse quartum exquirendorum officiorum genus. 90. Reliqua deinceps persequemur.

LIBER TERTIUS.

I. 1. P. Scipionem, Marce fili, eum, qui primus Africanus appellatus est, dicere solitum scripsit Cato, qui fuit eius fere aequalis, numquam se minus otiosum esse quam cum otiosus, nec minus solum quam cum solus esset. Magnifica vero vox et magno viro ac sapiente digna: quae declarat illum et in otio de negotiis cogitare et in solitudine secum loqui solitum, ut neque cessaret umquam et interdum conloquio alterius non egeret. Ita duae res, quae languorem adferunt ceteris, illum acuebant, otium et solitudo. Vellem nobis hoc idem vere dicere liceret, sed si minus imitatione tantam ingenii praestantiam consequi possumus, voluntate certe proxime accedimus. Nam et a re publica forensibusque negotiis armis impiis vique prohibiti otium persequimur et ob eam causam urbe relicta rura peragrantes saepe soli sumus. 2. Sed nec hoc otium cum Africani otio nec haec solitudo cum illa comparanda est. Ille enim requiescens a rei publicae pulcherrimis muneribus otium sibi sumebat aliquando et e coetu hominum frequentiaque interdum tamquam in portum se in solitudinem recipiebat: nostrum autem otium negotii inopia, non requiescendi studio constitutum est. Extincto enim senatu deletisque iudiciis quid est quod dignum nobis aut in curia aut in foro agere possimus? 3. Ita qui in maxima celebritate atque in oculis civium quondam viximus, nunc fugientes conspectum sceleratorum, quibus omnia redundant, abdimus nos quantum licet et saepe soli sumus. Sed quia sic ab hominibus doctis accepimus, non solum ex malis eligere minima oportere, sed etiam excerpere ex his ipsis, si quid inesset boni, propterea et otio fruor, non illo quidem, quo debebat is, qui quondam peperisset otium civitati, nec eam solitudinem languere patior, quam mihi adfert necessitas, non voluntas. 4. Quamquam Africanus maiorem

---

1. *faenerari* Ha: *fenerati* b, *fenerare* op; *fenerari* Bo — *Quid hominem, inquit* (s. *inquid*) *occidere* C: *quid inquit hominem occidere* p; *Quid hominem occidere* o — 2. *fieri solet* ab — 3. *officiorum genus.*] Post haec sequuntur illa *Sed toto -- disputatum est* (§ 87) in Cpo. — 4. *M. TULLII CICERONIS DE OFFICIIS LIBER II. EXPLICIT* H, *M. TULLII CICERONIS DE OFFICIIS LIBER .II. EXPLICIT FELICITER. INCIPIT LIBER TERTIUS* Ba; *subscriptione* carent bo. — 5. *Pae Scipionem, M. filium, qui primus Africanus appellatus sit, dicere -- fuit fere eius aequalis* Nonius p. 235 sq.; *Publium Scipionem, M. filium, qui primus Africanus appellatus sit* idem p. 238. — *P.* om. bo vacuo spatio ad litteram pingendam relicto. — *primus* om. B[1] — 6. *est* B: *sit* Habo. Cf. S. I. Heller Philol. Schneidew. XII p. 313 sqq. — 11. *Ita* C: *Itaque* o — *languorem* H: *langorem* Babo — 12. *dicere* om. a — 14. *accedamus* (sed posterior *a* ex recentiore correctione) H — 15. *negotiis* BHab: *causis* o — *uique* BHab: *inique* o — 16. *neque hoc* oo — 19. *e* o: *a* ao; om. BHb — 23. *Ita* C: *Ita[que]* o — 24. *nunc -- redundant* Nonius p. 384. — 26. *minima eligere* o — 27. *ex hijs ipsis* o; *ex his* (om. *ipsis*) a; *ex ipsis* (om. *his*) BHb — 28. *debebat is* o: *debeat is* BHb; *debeatis* corr. in *debeat* a — *condam* B — 29. *neque eam* o — *languere*] *ex langore* p.

laudem meo iudicio assequebatur. Nulla enim eius ingenii monumenta mandata litteris, nullum opus otii, nullum solitudinis munus exstat: ex quo intellegi debet illum mentis agitatione investigationeque earum rerum, quas cogitando consequebatur, nec otiosum nec solum umquam fuisse: nos autem, qui non tantum roboris habemus, ut cogitatione tacita a solitudine abstrahamur, ad hanc scribendi operam omne studium curamque convertimus. Itaque plura brevi tempore eversa quam multis annis stante re publica scripsimus.

II. 5. Sed cum tota philosophia, mi Cicero, frugifera et fructuosa nec ulla pars eius inculta ac deserta sit, tum nullus feracior in ea locus est nec uberior quam de officiis, a quibus constanter honesteque vivendi praecepta ducuntur. Qua re quamquam a Cratippo nostro, principe huius memoriae philosophorum, haec te assidue audire atque accipere confido, tamen conducere arbitror talibus aures tuas vocibus undique circumsonare neo eas, si fieri possit, quicquam aliud audire. 6. Quod cum omnibus est faciendum, qui vitam honestam ingredi cogitant, tum haud scio an nemini potius quam tibi. Sustines enim non parvam expectationem imitandae industriae nostrae, magnam honorum, non nullam fortasse nominis. Suscepisti onus praeterea grave et Athenarum et Cratippi: ad quos cum tamquam ad mercaturam bonarum artium sis profectus, inanem redire turpissimum est dedecorantem et urbis auctoritatem et magistri. Qua re quantum coniti animo potes, quantum labore contendere, si discendi labor est potius quam voluptas, tantum fac ut efficias neve committas ut, cum omnia suppeditata sint a nobis, tute tibi defuisse videare. Sed haec hactenus; multa enim saepe ad te cohortandi gratia scripsimus: nunc ad reliquam partem propositae divisionis revertamur.

7. Panaetius igitur, qui sine controversia de officiis accuratissime disputavit quemque nos correctione quadam adhibita potissimum secuti sumus, tribus generibus propositis, in quibus deliberare homines et consultare de officio solerent, uno cum dubitarent, honestumne id esset, de quo ageretur, an turpe, altero, utilene esset an inutile, tertio, si id, quod speciem haberet honesti, pugnaret cum eo, quod utile videretur, quo modo ea discerni oporteret, de duobus generibus primis tribus libris explicavit, de tertio autem genere deinceps se scripsit dicturum nec exsolvit id, quod promiserat. 8. Quod eo magis miror, quia scriptum a discipulo eius Posidonio est, triginta annis vixisse Panaetium postea quam illos libros edidisset. Quem locum miror a Posidonio breviter esse tactum in quibusdam commentariis, praesertim cum scribat nullum esse locum in tota philosophia tam necessarium. 9. Minime

---

1. *monimenta* B a c — 2. *ex quo intellegi debet illum mentis agitationequae earum -- fuisse* Nonius p. 270. — 4. *nec otiosum* B H a b: *negociosum* c; *neque otiosum* c — 6. *a* c: om. B H a b — 9. *frugifera nec fructuosa* c — 10. *ac*] *et* b — *tunc nullus* b — *in ea feracior* c — 11. *uberior* c: *uerior* B H a b — *de officiosa quibus* b — 14. *circumsonari* c. Cf. Hand Tursell. II p. 69. — 16. *haut* a; *aut* B¹ — 17. *existimationem* c p — 19. *preterea onus* c — 20. *ad quos cum tamquam -- sis profectus* Nonius p. 213; *quo tamquam -- turpissimum est* idem p. 431. — *ad quae cum* p — 22. *coniti* B H a: *conici* b; *conicere* c; *conniti* c — 23. *potior* c — 24. *ut* c: *ut ne* B H a b — 29. *nos* om. B¹ — 31. *de officiis* c — 33. *quod* (ante *speciem*) om. B¹ — 37. *possidonio* C, item v. 38 et p. 711 v. 9. — *annos* c.

vero assentior iis, qui negant eum locum a Panaetio praetermissum, sed consulto relictum, nec omnino scribendum fuisse, quia numquam posset utilitas cum honestate pugnare. De quo alterum potest habere dubitationem, adhibendumne fuerit hoc genus, quod in divisione Panaetii tertium est, an plane omittendum, alterum dubitari non potest, quin a Panaetio susceptum sit, sed relictum. Nam qui e divisione tripertita duas partes absolverit, huic necesse est restare tertiam; praeterea in extremo libro tertio de hac parte pollicetur se deinceps esse dicturum. 10. Accedit eodem testis locuples Posidonius, qui etiam scribit in quadam epistola, P. Rutilium Rufum dicere solere, qui Panaetium audierat, ut nemo pictor esset inventus, qui in Coa Venere eam partem, quam Apelles inchoatam reliquisset, absolveret — oris enim pulchritudo reliqui corporis imitandi spem auferebat —, sic ea, quae Panaetius praetermisisset [et non perfecisset], propter eorum, quae perfecisset, praestantiam neminem persecutum.

III. 11. Quam ob rem de iudicio Panaetii dubitari non potest: rectene autem hanc tertiam partem ad exquirendum officium adiunxerit an secus, de eo fortasse disputari potest. Nam sive honestum solum bonum est, ut Stoicis placet, sive, quod honestum est, id ita summum bonum est, quem ad modum Peripateticis vestris videtur, ut omnia ex altera parte collocata vix minimi momenti instar habeant, dubitandum non est quin numquam possit utilitas cum honestate contendere. Itaque accepimus Socratem exsecrari solitum eos, qui primum haec natura cohaerentia opinione distraxissent. Cui quidem ita sunt Stoici assensi, ut et, quicquid honestum esset, id utile esse censerent, nec utile quicquam, quod non honestum. 12. Quod si is esset Panaetius, qui virtutem propterea colendam diceret, quod ea efficiens utilitatis esset, ut ii, qui res expetendas vel voluptate vel indolentia metiuntur, liceret ei dicere utilitatem aliquando cum honestate pugnare. Sed cum sit is, qui id solum bonum iudicet, quod honestum sit, quae autem huic repugnent specie quadam utilitatis, eorum neque accessione meliorem vitam fieri nec decessione peiorem, non videtur debuisse eius modi deliberationem introducere, in qua quod utile videretur cum eo, quod honestum esset, compararetur. 13. Etenim quod summum bonum a Stoicis dicitur, convenienter naturae vivere, id habet hanc, ut opinor,

---

1. *iis* Bb: *his* Ha, *hijs* o — 3. *honeste* H¹; *honestate* corr. m. sec. in *honesto* B — 6. *tripartita* o (corr. in *tripertita*) o — 9. *accedit eo testis locuples Possidonius* Nonius p. 162. — *accedit* corr. ead. m. in *accessit* B — 10. *p. rutilum* (om. *Rufum*) o — 11. *in coa uenere* H: *in choa uenere* B o; *in choauere* a; *incho ueneris* b; *in templo coae ueneris* p; *inchoare* marg. o — 12. *appelles* H — 13. *imitando* H — 14. *et non perfecisset* del. (cum aliquot codd.) Muretus, Heumannus, alii; ego seclusi. — 15. *persecutum* C: [*esse*] *persecutum* o — 18. *disputari* BHaop: *dubitari* b (ex correctione, quid primitus habuerit, non liquet) o; [*disputari*] Unger. — 21. *collata vix minimum* o — 23. *quid primum haec -- distraxissent* Nonius p. 287; *qui primum hic -- distraxissent* idem p. 356. — 25. *ut hij quicquid* o — 27. *quod est efficiens utilitatis ut* p — *ut ii, qui rem expetendam -- metiuntur* Nonius p. 128. — *ii* Bb: *hii* H, *hi* a, *hij* o — 28. *uel indigentia* o — *ei*] *hijs* o — 29. *tum sit is, quia his bonum iudicet, quod honestum; quae autem -- utilitatis* Nonius p. 386. — *is quid solum* b; *is qui solum* a — 32. *fieri* om. H — *neque dec.* o — *debuisse eius modi* C: *eiusmodi debuisse* o — 34. *esset* o et Chapmannus: *est* BHabo — 35. *uiuere naturae* H.

sententiam, cum virtute congruere semper, cetera autem, quae secundum naturam essent, ita legere, si ea virtuti non repugnarent. Quod cum ita sit, putant quidam hanc comparationem non recte introductam nec omnino de eo genere quicquam praecipiendum fuisse. Atque illud quidem honestum, quod proprie vereque dicitur, id in sapientibus est solis neque a virtute divelli umquam potest. In iis autem, in quibus sapientia perfecta non est, ipsum illud quidem perfectum honestum nullo modo, similitudines honesti esse possunt. 14. Haec enim officia, de quibus his libris disputamus, media Stoici appellant: ea communia sunt et late patent, quae et ingenii bonitate multi assecuntur et progressione discendi. Illud autem officium, quod rectum idem appellant, perfectum atque absolutum est et, ut idem dicunt, omnes numeros habet nec praeter sapientem cadere in quemquam potest. 15. Cum autem aliquid actum est, in quo media officia compareant, id cumulate videtur esse perfectum propterea, quod volgus, quid absit a perfecto, non fere intellegit; quatenus autem intellegit, nihil putat praetermissum: quod item in poematis, in picturis usu venit in aliisque compluribus, ut delectentur imperiti laudentque ea, quae laudanda non sint, ob eam, credo, causam, quod insit in iis aliquid probi, quod capiat ignaros, qui quidem, quid in una quaque re vitii sit, nequeant iudicare. Itaque cum sunt docti a peritis, desistunt facile sententia. IV. Haec igitur officia, de quibus his libris disserimus, quasi secunda quaedam honesta esse dicunt, non sapientium modo propria, sed cum omni hominum genere communia. 16. Itaque iis omnes, in quibus est virtutis indoles, commoventur. Nec vero cum duo Decii aut duo Scipiones fortes viri commemorantur aut cum Fabricius [aut Aristides] iustus nominatur, aut ab illis fortitudinis aut ab hoc iustitiae tamquam a sapiente petitur exemplum: nemo enim horum sic sapiens, ut sapientem volumus intellegi, nec ii, qui sapientes *sunt* habiti et nominati, M. Cato et C. Laelius, sapientes fuerunt, ne illi quidem septem, sed ex meliorum officiorum frequentia similitudinem quandam gerebant speciemque sapientium. 17. Quocirca nec id, quod vere honestum est, fas est cum utilitatis repugnantia com-

---

1. *sententiam, naturam cum* o, prob. Bardilio in Hauffii Philologia III p. 50 sqq. — *cetera autem -- naturam esse, inta legere -- non repugnare* Nonius p. 332. — 2. *essentia legere* o — 4. *nec omnino quicquam de eo genere praecipiendum fuisset* Nonius p. 372. — 6. *iis* Bb: *is* corr. in *his* H, *his* a, *hijs* o — 8. *officia* C: *omnia officia* o — 9. *his*] *is* b, *hijs* o — 10. *assecuntur* H: *assequuntur* ceteri. — 11. *iidem -- iidem* o — 12. *perfectum -- numeros habet* Nonius p. 353. — *et, ut idem dicunt, ob numeros habet nec -- potest* idem p. 266. — 13. *in quemquam cadere* o — 14. *compareant* Anemoecius: *comparant* B H a b; *appareant* o; *comparent* p — 16. *quatinus* B o — *quod idem in poematis, in picturis usum venit* Nonius p. 488. — 17. *item* o: *autem* B H a b; *idem* Nonius. Vide ad p. 644, 25. — *poematibus et picturis usu euenit* o — 19. *quod insit aliquid probi, quod c. ignaros* Nonius p. 253. — *in his* B H a b, *in hijs* o — *qui quidem* codd. multi: *qui idem* B a b o, *quidem* corr. ead. m. in *qui idem* H, *qui iidem* o; *qui* (deleto *idem*) Madvig. — 20. *una* om. o — *itaque cum sint docti -- sententia* Nonius p. 428. — 21. *sint* B H a b et Nonius; *sit* o — 22. *in hijs* o — *dixerimus* b — 23. *sapientum* o — *modo* del. Heumannus. — *genere hominum* o — 24. *iis* Bb: *his* Ha; *hij* o — 25. *aut cum duo* o — 26. *aut cum Fabricius aut Aristides -- speciemque sapientium* Lactantius Inst. div. VI, 6. — *aut aristides* C: *aristidesue* p; spuria haec esse vidit Io. Mich. Heusinger. — *iusti nominantur* o — 27. *hoc* Lactantius: *his* C o — *a sapientibus* o — 29. *ii* Bb: *hij* o, *hi* H a o — *sunt* om. C p o — 30. *nec illi* B — *sed* om. o — 32. *nec* o: *ne* B H a b — *utilitatis* o: *utilis* B H a b.

parari nec id, quod communiter appellamus honestum, quod colitur ab iis, qui bonos se viros haberi volunt, cum emolumentis umquam est comparandum, tamque id honestum, quod in nostram intellegentiam cadit, tuendum conservandumque nobis est quam illud, quod proprie dicitur vereque est honestum, sapientibus; aliter enim teneri non potest, si quae ad virtutem est facta progressio. Sed haec quidem de iis, qui conservatione officiorum existimantur boni. 18. Qui autem omnia metiuntur emolumentis et commodis neque ea volunt praeponderari honestate, ii solent in deliberando honestum cum eo, quod utile putant, comparare: boni viri non solent. Itaque existimo Panaetium, cum dixerit homines solere in hac comparatione dubitare, hoc ipsum sensisse, quod dixerit «solere» modo, non etiam «oportere». Etenim non modo pluris putare quod utile videatur quam quod honestum, sed etiam haec inter se comparare et in his addubitare turpissimum est. Quid ergo est quod non numquam dubitationem adferre soleat considerandumque videatur? Credo, si quando dubitatio accidit, quale sit id, de quo consideretur. 19. Saepe enim tempore fit ut, quod turpe plerumque haberi soleat, inveniatur non esse turpe. Exempli causa ponatur aliquid quod pateat latius. Quod potest maius esse scelus quam non modo hominem, sed etiam familiarem hominem occidere? Num igitur se astrinxit scelere, si qui tyrannum occidit quamvis familiarem? Populo quidem Romano non videtur, qui ex omnibus praeclaris factis illud pulcherrimum existimat. Vicit ergo utilitas honestatem? Immo vero honestas utilitatem: honestatem utilitas secuta est.

Itaque, ut sine ullo errore diiudicare possimus, si quando cum illo, quod honestum intellegimus, pugnare id videbitur, quod appellamus utile, formula quaedam constituenda est, quam si sequemur in comparatione rerum, ab officio numquam recedemus. 20. Erit autem haec formula Stoicorum rationi disciplinaeque maxime consentanea, quam quidem his libris propterea sequimur, quod, quamquam et a veteribus Academicis et a Peripateticis vestris, qui quondam idem erant qui Academici, quae honesta sunt, anteponuntur iis, quae videntur utilia, tamen splendidius haec ab eis disserentur, quibus, quicquid honestum est, idem utile videtur nec utile quicquam, quod non honestum, quam ab iis, quibus aut honestum aliquid non utile aut utile non honestum. Nobis autem nostra Academia magnam licentiam dat, ut, quodcumque

---

2. *iis* Bb: *his* Ha, *hijs* o — 3. *id*] *illud* o — 6. *si quae* BHa: *si qua* bo — *est ad uirtutem* o — *de his* BHab, *de hijs* o — 9. *ii* Bb: *hi* Ha, *hij* o — 10. *dixerint* ab — 13. *honestum sit. Sed* o — 18. *solet* o — 19. *esse* ao: om. BHb — 20. *non igitur* a — *adstruxit* H — 21. *occiderit* o — 23. *ergo*] *igitur* o — *Immo vero honestas utilitatem: honestatem utilitas secuta est* nos: *immo uero honestas utilitatem secuta est* C; *Immo vero honestatem utilitas consecuta est* o; *Immo vero honestas utilitatem: et utilitas honestatem secuta est* Unger, coll. Ambrosio de off. cler. III, 9, 60: *Itaque et honestas utilitati praelata est et utilitas secuta honestatem est.* — 25. *sine illo* b — 26. *uidebitur id* Bo — 27. *quedam disputandi constituenda* (om. *est*) o — 29. *maximeq. consentanea* a — 30. *et* C: om. alii. — *ueteribus uestris achademicis et perypatheticis qui* o — 31. *iidem* o — *qui academici* Cp: om. o — 32. *iis* Bb: *his* Ha, *hijs* o — 33. *ab hijs* o — *disserentur* C: *disseruntur* o — 34. *ab his* C (*ab hijs* o) — 35. *aut honestum - - aut utile* o: *et honestum - - aut utile* BHab; *et honestum - - et utile* Lambinus. — 36. *Nobis autem - - maxime probabile* om. b.

maxime probabile occurrat, id nostro iure liceat defendere. Sed redeo ad formulam. V. 21. Detrahere igitur alteri aliquid et hominem hominis incommodo suum commodum augere magis est contra naturam quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cetera, quae possunt aut corpori accidere aut rebus externis. Nam principio tollit convictum humanum et societatem. Si enim sic erimus adfecti, ut propter suum quisque emolumentum spoliet aut violet alterum, disrumpi necesse est eam, quae maxime est secundum naturam, humani generis societatem. 22. Ut, si unum quodque membrum sensum hunc haberet, ut posse putaret se valere, si proximi membri valetudinem ad se traduxisset, debilitari et interire totum corpus necesse esset, sic, si unus quisque nostrum ad se rapiat commoda aliorum detrahatque quod cuique possit emolumenti sui gratia, societas hominum et communitas evertatur necesse est. Nam sibi ut quisque malit quod ad usum vitae pertineat quam alteri adquirere, concessum est non repugnante natura: illud natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates, copias, opes augeamus. 23. Neque vero hoc solum natura, id est iure gentium, sed etiam legibus populorum, quibus in singulis civitatibus res publica continetur, eodem modo constitutum est, ut non liceat sui commodi causa nocere alteri. Hoc enim spectant leges, hoc volunt, incolumem esse civium coniunctionem, quam qui dirimunt, eos morte exsilio, vinclis damno coercent. Atque hoc multo magis efficit ipsa naturae ratio, quae est lex divina et humana, cui parere qui velit — omnes autem parebunt, qui secundum naturam volent vivere — numquam committet ut alienum appetat et id, quod alteri detraxerit, sibi adsumat. 24. Etenim multo magis est secundum naturam excelsitas animi et magnitudo itemque comitas, iustitia, liberalitas quam voluptas, quam vita, quam divitiae: quae quidem contemnere et pro nihilo ducere comparantem cum utilitate communi magni animi et excelsi est. [Detrahere autem de altero sui commodi causa magis est contra naturam, quam mors, quam dolor, quam cetera generis eiusdem.] 25. Itemque magis est secundum naturam pro omnibus gentibus, si fieri possit, conservandis aut iuvandis maximos labores molestiasque suscipere imitantem Herculem illum, quem hominum fama beneficiorum memor in concilio caelestium collocavit, quam vivere in solitudine non modo sine ullis molestiis, sed etiam in maximis voluptatibus, abundantem omnibus copiis, ut excellas etiam pulchritudine et viribus. Quocirca optimo quisque et splendidissimo ingenio longe illam vitam huic anteponit. Ex quo efficitur hominem naturae oboedientem homini nocere non posse. 26. Deinde qui alterum violat, ut ipse aliquid commodi consequatur, aut nihil ex-

---

4. *quam dolor quam paupertas* c — 7. *dirumpi* B c (in B ante *r* littera erasa) — 10. *ualitudinem* BH — 11. *si* om. c — 13. *sua gratia* a — 14. *est. Ut enim sibi quisque* c — 15. *consensum est* b — 17. *natura id est iure* C: *natura et iure* c. Cf. Madvig ad Cic. de Finib. p. 145. — 21. *uinculis* c — 22. *cohercent* C — 24. *uolunt* B — *numquam committet -- sibi assumat* Nonius p. 288. — *commutet* c — 25. *etenim magis est -- et magnitudo* Nonius p. 486. — 27. *comitas* C: *communitas* alii. Cf. § 118. — 29. *Detrahere autem -- generis eiusdem* e § 21 inculcata, iam Grutero et Facciolato suspecta, ego seclusi. — 31. *maius est* b — 34. *hominem fama beneficiorum memoria in consilio* c — 36. *habundantem* B — 39. *hominem -- non posse* Lactantius Inst. div. VI, 11. — *oboedientem* BHb: *obędientem* a, *obedientem* c c — 40. *ipsi* c.

istimat se facere contra naturam aut magis fugienda censet mortem, paupertatem, dolorem, amissionem etiam liberorum, propinquorum, amicorum, quam facere cuiquam iniuriam. Si nihil existimat contra naturam fieri hominibus violandis, quid cum eo disseras, qui omnino hominem ex homine tollat? sin fugiendum id quidem censet, sed multo illa peiora, mortem, paupertatem, dolorem, errat in eo, quod ullum aut corporis aut fortunae vitium vitiis animi gravius existumat. VI. Ergo unum debet esse omnibus propositum, ut eadem sit utilitas unius cuiusque et universorum, quam si ad se quisque rapiet, dissolvetur omnis humana consortio. 27. Atque etiam, si hoc natura praescribit, ut homo homini, quicumque sit, ob eam ipsam causam, quod is homo sit, consultum velit, necesse est secundum eandem naturam omnium utilitatem esse communem. Quod si ita est, una continemur omnes et eadem lege naturae, idque ipsum si ita est, certe violare alterum naturae lege prohibemur. Verum autem primum: verum igitur extremum. 28. Nam illud quidem absurdum est, quod quidam dicunt, parenti se aut fratri nihil detracturos sui commodi causa, aliam rationem esse civium reliquorum. Hi sibi nihil iuris, nullam societatem communis utilitatis causa statuunt esse cum civibus, quae sententia omnem societatem distrahit civitatis. Qui autem civium rationem dicunt habendam, externorum negant, ii dirimunt communem humani generis societatem, qua sublata beneficentia, liberalitas, bonitas, iustitia funditus tollitur: quae qui tollunt etiam adversus deos inmortales impii iudicandi sunt. Ab iis enim constitutam inter homines societatem evertunt, cuius societatis artissimum vinculum est magis arbitrari esse contra naturam hominem homini detrahere sui commodi causa quam omnia incommoda subire vel externa vel corporis vel etiam ipsius animi, quae vacent iniustitia. Haec enim una virtus omnium est domina et regina virtutum. 29. Forsitan quispiam dixerit: Nonne igitur sapiens, si fame ipse conficiatur, abstulerit cibum alteri, homini ad nullam rem utili? [Minime vero. Non enim mihi est vita mea utilior quam animi talis adfectio, neminem ut violem commodi mei gratia.] Quid? si Phalarim, crudelem tyrannum et inmanem, vir bonus, ne ipse frigore conficiatur, vestitu spoliare possit, nonne faciat? 30. Haec ad iudicandum sunt facillima. Nam, si quid ab homine ad nullam partem utili utilitatis tuae causa detraxeris, inhumane feceris

---

1. *aut magis* om. b — *fugienda* B H a c: *fugiendam* b o — 3. *cuiquam* B H a b: *cuipiam* c, quod probat Madvig ad Cic. de Finib. p. 471. — 4. *fieri in hominibus* c — 5. *sed* c: *et* B H a b — 8. *omnibus esse* c — *utilitas* om. a — *unicuiusque* c — 9. *dissolvatur necesse est omnis humana consortio* Nonius p. 496. — 10. *adque* B — 11. *is* om. b — 16. *parenti* B H a b: *patri* o — 17. *esse rationem* c — 18. *his sibi* B; *hii sibi* H — *Is sibi -- statuit* c — 20. *qui autem civium -- negant, dirimunt hi communem -- funditus tollitur* Lactantius Inst. div. VI, 6. — 21. *hi* B a b, *hii* H, *hij* c — *qua*] *qui* H — 23. *ab iis* b: *ab his* B a, *ab hijs* c, *aliis* (om. *ab*) H — 25. *contra naturam esse* c — *hominem -- commodi causa* om. H — *hominem de homine* o — 27. *uacent iniustitia* cod. Ubaldini: *uacent iustitia* C p; *non uacent iustitia* o. «Mihi quidem longe facilius videtur *iniustitia* fieri ex *iustitia* quam addi *non*. Porro autem servarim *haec enim una virtus* (*Iustitia enim una virtus* ex Beda et Eybo receperat Heusinger), ita ut e vacatione iniustitiae cogitetur *iustitia*. Quod qui difficile putarunt, ii olim videntur mihi fecisse *iustitia* pro *iniustitia* » Zumpt. — 29. *conficiatur ipse* c — 30. *Minime vero -- mei gratia*, quae repugnant iis, quae § 30 dicuntur, cum Ungero seclusi. — 32. *gratia mei. quod si* H — 33. *conficitur* B — 35. *utili* om. b.

contraque naturae legem, sin autem is tu sis, qui multam utilitatem rei publicae atque hominum societati, si in vita remaneas, adferre possis, si quid ob eam causam alteri detraxeris, non sit reprehendendum. Sin autem id non sit eius modi, suum cuique incommodum ferendum est potius quam de alterius commodis detrahendum. Non igitur magis est contra naturam morbus aut egestas aut quid eius modi quam detractio atque appetitio alieni, sed communis utilitatis derelictio contra naturam est; est enim iniusta. 31. Itaque lex ipsa naturae, quae utilitatem hominum conservat et continet, decernet profecto ut ab homine inerti atque inutili ad sapientem, bonum, fortem virum transferantur res ad vivendum necessariae, qui si occiderit, multum de communi utilitate detraxerit, modo hoc ita faciat, ut ne ipse de se bene existimans seseque diligens hanc causam habeat ad iniuriam. Ita semper officio fungetur utilitati consulens hominum et ei, quam saepe commemoro, humanae societati. 32. Nam quod ad Phalarim attinet, perfacile iudicium est. Nulla est enim societas nobis cum tyrannis et potius summa distractio est, neque est contra naturam spoliare eum, si possis, quem est honestum necare, atque hoc omne genus pestiferum atque impium ex hominum communitate exterminandum est. Etenim, ut membra quaedam amputantur, si et ipsa sanguine et tamquam spiritu carere coeperunt et nocent reliquis partibus corporis, sic ista in figura hominis feritas et inmanitas beluae a communi tamquam humanitatis corpore segreganda est. Huius generis quaestiones sunt omnes eae, in quibus ex tempore officium exquiritur.

VII. 33. Eius modi igitur credo res Panaetium persecuturum fuisse, nisi aliqui casus aut occupatio eius consilium peremisset. Ad quas ipsas consultationes ex superioribus libris satis multa praecepta sunt, quibus perspici possit, quid sit propter turpitudinem fugiendum, quid sit quod idcirco fugiendum non sit, quod omnino turpe non sit. Sed quoniam operi inchoato, prope tamen absoluto, tamquam fastigium inponimus, ut geometrae solent non omnia docere, sed postulare ut quaedam sibi concedantur, quo facilius quae volunt explicent, sic ego a te postulo, mi Cicero, ut mihi concedas, si potes, nihil praeter id, quod honestum sit, propter se esse expetendum. Sin hoc non licet per Cratippum, at illud certe dabis, quod honestum sit, id esse maxume propter se expetendum. Mihi utrumvis satis est et tum hoc tum illud probabilius videtur nec praeterea quicquam probabile. 34. Ac primum in hoc Panaetius defendendus est, quod non utilia cum honestis pugnare aliquando posse dixerit — neque enim ei fas erat —, sed ea, quae

---

1. *contra nature* o — *multum utilitatis* o — 3. *si quid* om. o — 4. *id*] *is* p — 5. *maius est* B — 9. *decernit* o — 16. *est enim* BHab: *enim est* o; *enim* (om. *est*) o — *et potius* C: *sed potius* o. Conf. I § 68 *ac potius*. I § 92 *potiusque*. — 17. *districtio* B; *destinctio* H¹, *distinctio* H² — 18. *atque hoc* - - *exterminandum est* Nonius p. 27. — 20. *si languere et tamq. sp. c. coeperint, ne noceant* Vincentius Bellovacensis. — *ceperint* o — 22. *humanitatis corpore* Muretus (et cod. Guelferb. tertius): *humanitate corporis* C; *humanitate* [*corporis*] Fr. Sayus et Unger. Conf. Iac. Frid. Heusingeri adnotationem. — 23. *hee* o — 24. *in tempore* o — 29. *sed quoniam opere inchoato* - - *fastigium inponimus* Nonius p. 463. — *operi inchoato quasi fastigium* (mediis omissis) p — 31. *ut quaedam* - - *explicent* Nonius p. 299. — *sibi quedam* o — 32. *quod facilius* b — *uolent* o — 35. *at*] *aut* H.

viderentur utilia. Nihil vero utile, quod non idem honestum, nihil honestum, quod non idem utile sit, saepe testatur negatque ullam pestem maiorem in vitam hominum invasisse quam eorum opinionem, qui ista distraxerint. Itaque non, ut aliquando anteponeremus utilia honestis, sed ut ea sine errore diiudicaremus, si quando incidissent, induxit eam, quae videretur esse, non quae esset, repugnantiam. Hanc igitur partem relictam explebimus nullis adminiculis, sed, ut dicitur, Marte nostro. Neque enim quicquam est de hac parte post Panaetium explicatum, quod quidem mihi probaretur, de iis, quae in manus meas venerunt.

VIII. 35. Cum igitur aliqua species utilitatis obiecta est, commoveri necesse est. Sed si, cum animum attenderis, turpitudinem videas adiunctam ei rei, quae speciem utilitatis attulerit, tum non utilitas relinquenda est, sed intellegendum, ubi turpitudo sit, ibi utilitatem esse non posse. Quod si nihil est tam contra naturam quam turpitudo — recta enim et convenientia et constantia natura desiderat aspernaturque contraria — nihilque tam secundum naturam quam utilitas, certe in eadem re utilitas et turpitudo esse non potest. Itemque, si ad honestatem nati sumus eaque aut sola expetenda est, ut Zenoni visum est, aut certe omni pondere gravior habenda quam reliqua omnia, quod Aristoteli placet, necesse est, quod honestum sit, id esse aut solum aut summum bonum, quod autem bonum, id certe utile, ita, quicquid honestum, id utile. 36. Qua re error hominum non proborum, cum aliquid, quod utile visum est, arripuit, id continuo secernit ab honesto. Hinc sicae, hinc venena, hinc falsa testamenta nascuntur, hinc furta, peculatus, expilationes direptionesque sociorum et civium, hinc opum nimiarum, potentiae non ferendae, postremo etiam in liberis civitatibus regnandi exsistunt cupiditates, quibus nihil nec taetrius nec foedius excogitari potest. Emolumenta enim rerum fallacibus iudiciis vident, poenam non dico legum, quam saepe perrumpunt, sed ipsius turpitudinis, quae acerbissima est, non vident. 37. Quam ob rem hoc quidem deliberantium genus pellatur e medio — est enim totum sceleratum et impium —, qui deliberant, utrum id sequantur, quod honestum esse videant, an se scientes scelere contaminent; in ipsa enim dubitatione facinus inest, etiam si ad id non pervenerint. Ergo ea deliberanda omnino non sunt, in quibus est turpis ipsa deliberatio. Atque etiam ex omni deliberatione celandi et occultandi spes opinioque removenda est; satis enim nobis,

---

2. *negat illam pestem* b — 5. *ut eam* (repugnantiam) *sine errore diiudicaremus, si quando incidisset* Unger. — 9. *iis* Bb: *his* Ha, *hijs* o — 10. *venerunt* Manutius: *venerint* C o — 12. *et si, cum animum -- videas adunatam* Nonius p. 238. — *sed sicut animum* b — 13. *requirenda* p — 18. *re utilitas et turpitudo* o: *re utili turpitudo* BHab; *re et utilitas et turpitudo* Lambinus. — 19. *aut certe omni pondere gravior habenda est* Nonius p. 344. — 22. *id certe utile* o — 24. *secreuit* B¹ — 26. *nimiarum, potentiae* Unger: *nimiarum potentiae* o — 27. *potentieque non* o — *postremo etiam -- excogitari potest* Nonius p. 413. — 28. *nec deterius* b — *cogitari* Bake ad Cic. de Legg. p. 451. — 30. *quam* Cp: *quas* o. «Cum id, quod insequitur, *quae acerbissima est*, ad poenam sine dubio pertineat, videtur etiam in priore sententia *poena* intelligenda esse. Et cum leges perrumpuntur, perrumpitur etiam poena legibus constituta.» Zumpt. Cf. Partit. orat. § 112 *perrumpere periculum*. Verr. lib. I § 13 *quaestiones perrumpere*. — *turpidinis* b — 32. *et impurum* o — 36. *etiam* om. o — 37. *opinioque ea remouenda* o.

si modo in philosophia aliquid profecimus, persuasum esse debet, si omnes deos hominesque celare possimus, nihil tamen avare, nihil iniuste, nihil libidinose, nihil incontinenter esse faciendum. IX. 38. Hinc ille Gyges inducitur a Platone, qui cum terra discessisset magnis quibusdam imbribus, descendit in illum hiatum aeneumque equum, ut ferunt fabulae, animadvertit, cuius in lateribus fores essent: quibus apertis corpus hominis mortui vidit magnitudine invisitata anulumque aureum in digito, quem ut detraxit, ipse induit — erat autem regius pastor —, tum in concilium se pastorum recepit. Ibi cum palam eius anuli ad palmam converterat, a nullo videbatur, ipse autem omnia videbat; idem rursus videbatur, cum in locum anulum inverterat. Itaque hac opportunitate anuli usus reginae stuprum intulit eaque adiutrice regem dominum interemit, sustulit quos obstare arbitrabatur, nec in his eum facinoribus quisquam potuit videre: sic repente anuli beneficio rex exortus est Lydiae. Hunc igitur ipsum anulum si habeat sapiens, nihilo plus sibi licere putet [peccare, quam si non haberet]; honesta enim bonis viris, non occulta quaeruntur. 39. Atque hoc loco philosophi quidam, minime mali illi quidem, sed non satis acuti, fictam et commenticiam fabulam prolatam dicunt a Platone, quasi vero ille aut factum id esse aut fieri potuisse defendat. Haec est vis huius anuli et huius exempli: si nemo sciturus, nemo ne suspicaturus quidem sit, cum aliquid divitiarum potentiae, dominationis libidinis causa feceris, si id dis hominibusque futurum sit semper ignotum, sisne facturus? Negant id fieri posse. Nequaquam potest id quidem, sed quaero, quod negant posse, id si posset, quidnam facerent? Urguent rustice sane. Negant enim posse et in eo perstant, hoc verbum quid valeat non vident. Cum enim quaerimus, si celare possint, quid facturi sint, non quaerimus, possintne celare, sed tamquam tormenta quaedam adhibemus, ut, si responderint se inpunitate proposita facturos quod expediat, facinorosos se esse fateantur, si negent, omnia turpia per se ipsa fugienda esse concedant. Sed iam ad propositum revertamur.

X. 40. Incidunt multae saepe causae, quae conturbent animos utilitatis specie, non, cum hoc deliberetur, relinquendane sit honestas propter utilitatis magnitudinem — nam id quidem improbum est —, sed illud, possitne id, quod utile videatur, fieri non turpiter. Cum Collatino collegae Brutus imperium abrogabat, poterat videri facere id

---

1. *proficimus* H c — 2. *tamen nobis auare* c p — 3. *Hinc ille Gyges -- imbribus* Nonius p. 99; *Hinc ille Gyges inducitur a Platone* idem p. 330. — 4. *decessisset* b; *deiscessisset* p — 7. *uidit hominis mortui corpus* H — *inuisitata* B H¹: *inusitata* H² a b c o. Vide ad Philipp. XI § 2 (p. 1354, 11). — 8. *detraxit atque ipse* c — 9. *consilium* c — *paleam* c — 12. *oportunitate* BH — 13. *sustulit quos obtare intellegebat* Nonius p. 385. — *sustulit quos* C: *sustulitq. quos* alii. — *arbitraretur* c — 14. *quispiam* H — 15. *nichilo* c: *nihil* B H a b. Vide ad p. 213, 15. — 16. *peccare quam si non haberet* Madvigio auctore seclusi. — 18. *minime mali* om. c — *fictam -- a Platone* Nonius p. 308. — 19. *prolatam fabulam* c — 21. *ne* om. B H — 24. *Nequaquam* Manutius: *quamquam* C p o — *quaerere* H — 25. *id si possent* p — *urguent* H: *urgent* B a b c o — 26. *perstant; quod uerbum* a — *uerbum si quid* c — *ualeant* B¹ — 27. *celare* B H c: om. a b p, post *possint* habent alii. — 29. *quod expediat facturos* c — 30. *si neglegent omnia -- concedant* Nonius p. 269. — 32. *saepe multae* B — 33. *derelinquendane* c — 34. *propter utilitatis magnitudinem honestas* c — 36. *arrogabat* B.

iniuste; fuerat enim in regibus expellendis socius Bruti consiliorum et adiutor. Cum autem consilium hoc principes cepissent, cognationem Superbi nomenque Tarquiniorum et memoriam regni esse tollendam, quod erat utile, patriae consulere, id erat ita honestum, ut etiam ipsi Collatino placere deberet. Itaque utilitas valuit propter honestatem, sine qua ne utilitas quidem esse potuisset. At in eo rege, qui urbem condidit, non item. 41. Species enim utilitatis animum pepulit eius: cui cum visum esset utilius solum quam cum altero regnare, fratrem interemit. Omisit hic et pietatem et humanitatem, ut id, quod utile videbatur neque erat, assequi posset, et tamen muri causam opposuit, speciem honestatis nec probabilem nec sane idoneam. Peccavit igitur, pace vel Quirini vel Romuli dixerim. 42. Nec tamen nostrae nobis utilitates omittendae sunt aliisque tradendae, cum iis ipsi egeamus, sed suae cuique utilitati, quod sine alterius iniuria fiat, serviendum est. Scite Chrysippus, ut multa, «Qui stadium» inquit «currit, eniti et contendere debet quam maxume possit ut vincat, supplantare eum, quicum certet, aut manu depellere nullo modo debet: sic in vita sibi quemque petere quod pertineat ad usum non iniquum est, alteri deripere ius non est.» 43. Maxume autem perturbantur officia in amicitiis, quibus et non tribuere quod recte possis et tribuere quod non sit aequum contra officium est. Sed huius generis totius breve et non difficile praeceptum est. Quae enim videntur utilia, honores, divitiae, voluptates, cetera generis eiusdem, haec amicitiae numquam anteponenda sunt. At neque contra rem publicam neque contra ius iurandum ac fidem amici causa vir bonus faciet, ne si iudex quidem erit de ipso amico; ponit enim personam amici, cum induit iudicis. Tantum dabit amicitiae, ut veram amici causam esse malit, ut orandae litis tempus, quoad per leges liceat, accommodet. 44. Cum vero iurato sententia dicenda est, meminerit deum se adhibere testem, id est, ut ego arbitror, mentem suam, qua nihil homini dedit deus ipse divinius. Itaque praeclarum a maioribus accepimus morem rogandi iudicis, si eum teneremus, QVAE SALVA FIDE FACERE POSSIT. Haec rogatio ad ea pertinet, quae paulo ante dixi honeste amico a iudice posse concedi. Nam si omnia facienda sint, quae amici velint, non amicitiae tales, sed coniurationes putandae sint. 45. Loquor autem de communibus amicitiis; nam in sapientibus viris perfectisque nihil potest esse tale. Damonem et Phintiam Pytha-

2. *cum autem consilium hoc principis cepissent* Nonius p. 254. — *coepissent* H — 6. *ne* om. b — 10. *causam* c: *causa* BHab — 11. *nec prob.* C: *neque prob.* c — 13. *omittendae sunt utilitates* c — *his* BHab, *hijs* c — 14. *quoad sine* (coll. v. 27) Halmius. — 15. *ut multa. Ut qui* c — *contendere debet quam maxume possit* -- *manu pellere nullo modo debet* Nonius p. 36. — 18. *diripere* ab — 26. *tantum dabit* -- *ut orande lites tempus* -- *accommodet* Nonius p. 244. — *ut veram* -- *accommodet* idem p. 361. — 27. *quod ad per* Hb — 28. *iuratio* Hb — *dicenda est* Lund: *dicenda sit* Co, «quod hanc efficeret falsam sententiam, quae positione verborum prohibetur: *meminerit deum se, cum iurandum sit, adhibere testem.*» Cf. I § 66. III § 89. — 29. *meminerit deum se habere testem* -- *ipse divinius* Lactantius Inst. div. VI, 24. — *deum se habere* b; *se deum habere* c — *idē ut* Ba — 30. *dedit deus homini* (om. *ipse*) c — 32. *fide fidem facere* c — *possit* H: *posset* superscr. *i* B; *posset* abco — *pertinet ad ea* c — *paulo ante* om. c — 34. *sed cum ui rationes* c — 35. *sunt* c — 36. *pynthiam* Bab, *pythiam* H, *phitiam* c, *pinthiam* (in marg. *phyntiam* et *pitthyam*) p — *pythagoreus* H[1]; *pythagoreum* b.

goreos ferunt hoc animo inter se fuisse, ut, cum eorum alteri Dionysius tyrannus diem necis destinavisset et is, qui morti addictus esset, paucos dies commendandorum suorum causa postulavisset, vas factus sit alter eius sistendi, ut, si ille non revertisset, moriendum esset ipsi. Qui cum ad diem se recepisset, admiratus eorum fidem tyrannus petivit ut se ad amicitiam tertium ascriberent. 46. Cum igitur id, quod utile videtur in amicitia, cum eo, quod honestum est, comparatur, iaceat utilitatis species, valeat honestas. Cum autem in amicitia quae honesta non sunt postulabuntur, religio et fides anteponatur amicitiae: sic habebitur is, quem exquirimus, dilectus officii.

XI. Sed utilitatis specie in re publica saepissime peccatur, ut in Corinthi disturbatione nostri: durius etiam Athenienses, qui sciverunt ut Aeginetis, qui classe valebant, pollices praeciderentur. Hoc visum est utile; nimis enim imminebat propter propinquitatem Aegina Piraeo. Sed nihil quod crudele utile; est enim hominum naturae, quam sequi debemus, maxime inimica crudelitas. 47. Male etiam qui peregrinos urbibus uti prohibent eosque exterminant, ut Pennus apud patres nostros, Papius nuper. Nam esse pro cive, qui civis non sit, rectum est non licere, quam legem tulerunt sapientissimi consules Crassus et Scaevola: usu vero urbis prohibere peregrinos sane inhumanum est. Illa praeclara, in quibus publicae utilitatis species prae honestate contemnitur. Plena exemplorum est nostra res publica cum saepe, tum maxime bello Punico secundo, quae Cannensi calamitate accepta maiores animos habuit quam umquam rebus secundis: nulla timoris significatio, nulla mentio pacis. Tanta vis est honesti, ut speciem utilitatis obscuret. 48. Athenienses cum Persarum impetum nullo modo possent sustinere statuerentque ut urbe relicta, coniugibus et liberis Troezene depositis, naves conscenderent libertatemque Graeciae classe defenderent, Cyrsilum quendam suadentem, ut in urbe manerent Xerxemque reciperent, lapidibus obruerunt. Atque ille utilitatem sequi videbatur, sed ea nulla erat repugnante honestate. 49. Themistocles post victoriam eius belli, quod cum Persis fuit, dixit in contione se habere consilium rei publicae salutare, sed id sciri non opus esse: postulavit ut aliquem populus daret, quicum communicaret; datus est Aristides. Huic ille, classem Lacedaemoniorum, quae subducta esset ad Gytheum, clam incendi posse, quo facto frangi Lacedaemoniorum opes necesse esset. Quod Aristides cum audisset, in contionem magna exspectatione venit dixitque perutile

2. *et is qui -- postulavisset* Nonius p. 280. — *esse paucos dies causa commendandorum suorum sibi postulauisset* o — 3. *vas factus est -- esset ipsi* Nonius p. 484. — *sit* Manutius: *est* C, †*est* o — 5. *qui cum -- admiratum eorum fidem tyrannus* Nonius p. 384. — *ad* om. a — 6. *utile quod* o — 9. *non* om. b — *habeatur* o — 10. *delectus* c o — 12. *qui iusserunt ut* o — 13. *quia classe* o — 14. *piraeo* B H a b: *epyreo* o; *Piraeeo* o — 20. *peregrinos prohibere* o — 21. *puplicae* B b — 22. *saepe* C p: *saepe alias* o. Cf. Madvig ad Cic. de Finib. p. 39 et Opusc. acad. I p. 339. — 25. *utilitatis* om. a — 27. *statueruntque* b — 28. *Cyrsilum quendam -- maneret Xersemque reciperent, lapidibus obruerunt* Nonius p. 383 sq.; *Cirsilum quendam -- manerent* idem p 349. — 29. *xersenque* o — 30. *obruerunt* B H a b et Nonius: *cooperuerunt* o p o — *Atque* C: *atqui* alii; «sed nulla est oppositio, nulla assumptio refellendi causa, sed explicatio simpliciter continuatur. Cf. § 74.» Lund. — 32. *in contentione* b — 33. *opus non* o — 34. *huic ille: classem -- ad Cytaeum, clam incendi posse* Nonius p. 400 — 36. *necesse esse* Vincentius. — 37. *in concionem magnam venit* p.

esse consilium, quod Themistocles adferret, sed minime honestum. Itaque Athenienses, quod honestum non esset, id ne utile quidem putaverunt totamque eam rem, quam ne audierant quidem, auctore Aristide repudiaverunt. Melius hi quam nos, qui piratas inmunes, socios vectigales habemus.

XII. Maneat ergo, quod turpe sit, id numquam esse utile, ne tum quidem, cum id, quod utile esse putes, adipiscare; hoc enim ipsum, utile putare quod turpe sit, calamitosum est. 50. Sed incidunt, ut supra dixi, saepe causae, cum repugnare utilitas honestati videatur, ut animadvertendum sit, repugnetne plane an possit cum honestate coniungi. Eius generis hae sunt quaestiones: Si exempli gratia vir bonus Alexandrea Rhodum magnum frumenti numerum advexerit in Rhodiorum inopia et fame summaque annonae caritate, si idem sciat complures mercatores Alexandrea solvisse navesque in cursu frumento onustas petentes Rhodum viderit, dicturusne sit id Rhodiis an silentio suum quam plurimo venditurus? Sapientem et bonum virum fingimus: de eius deliberatione et consultatione quaerimus, qui celaturus Rhodios non sit, si id turpe iudicet, sed dubitet an turpe non sit. 51. In huius modi causis aliud Diogeni Babylonio videri solet, magno et gravi Stoico, aliud Antipatro, discipulo eius, homini acutissimo: Antipatro omnia patefacienda, ut ne quid omnino, quod venditor norit, emptor ignoret, Diogeni venditorem, quatenus iure civili constitutum sit, dicere vitia oportere, cetera sine insidiis agere et, quoniam vendat, velle quam optume vendere. «Advexi, exposui, vendo meum non pluris quam ceteri, fortasse etiam minoris, cum maior est copia: cui fit iniuria?» 52. Exoritur Antipatri ratio ex altera parte: «Quid ais? tu, cum hominibus consulere debeas et servire humanae societati eaque lege natus sis et ea habeas principia naturae, quibus parere et quae sequi debeas, ut utilitas tua communis sit utilitas vicissimque communis utilitas tua sit, celabis homines, quid iis adsit commoditatis et copiae?» Respondebit Diogenes fortasse sic: «Aliud est celare, aliud tacere, neque ego nunc te celo, si tibi non dico, quae natura deorum sit, qui sit finis bonorum, quae tibi plus prodessent cognita quam tritici vilitas. Sed non, quicquid tibi audire utile est, id mihi dicere necesse est.» 53. «Immo vero [inquiet ille] necesse est, si quidem meministi esse inter homines natura coniunctam societatem.» «Memini,» inquiet ille, «sed num ista societas

---

1. *esse* om. c — 2. *Itaque Athenienses quod honestum* om. H — *Ita quod athenienses honestum non esse* p — 4. *hii* H — 6. *esse utile* C: *utile esse* o — 7. *utile esse* C: *esse utile* o — 9. *uideatur* C: *videtur* alii (non b c) — 11. *hec* c — *si exempli -- numerum adlexerit* Nonius p. 464. — *alexandrea* C: *Alexandria* o; item v. 14. — 12. *hrodiorum* H, item v. 17. — 14. *quae cursu frumento onustas petentibus Rhodum viderit* Nonius p. 251. — 16. *virum bonum fingimus: de eius liberatione et consultatione quiprimus* Nonius p. 309. — *uirum bonum* cum Nonio c — 21. *Dyogenes* superscr. m. sec. *ait* c — 22. *qualinus* c — *oportere*] *operare* H — 25. *quo maior* c — 28. *ut* om. B — 29. *tua sit communis utilitas* H — *utilitas tua sit utilitas. celabis* c — 30. *iis* B b: *hiis* H, *his* a, *hijs* c — *Respondit* a; *Respondet* c — 31. *fortasse sic dyogenes* c — *aliud est tacere* c — *celo. sed tibi* c — 32. *quid sit finis* b; *quis sit finis* c — 33. *uilitas* a: *utilitas* B H b c — *audire tibi* b — 34. *est* (ante *id*) om. c — *idem mihi* B a b — *Immo vero -- necesse est* c p: om. B H a b — *inquiet ille* om. p — 36. *ille* om. c.

talis est, ut nihil suum cuiusque sit? Quod si ita est, ne vendendum quidem quicquam est, sed donandum.» XIII. Vides in hac tota disceptatione non illud dici «Quamvis hoc turpe sit, tamen, quoniam expedit, faciam,» sed ita expedire, ut turpe non sit, ex altera autem parte, ea re, quia turpe sit, non esse faciendum. 54. Vendat aedes vir bonus propter aliqua vitia, quae ipse norit, ceteri ignorent, pestilentes sint et habeantur salubres, ignoretur in omnibus cubiculis apparere serpentes, male materiatae *sint*, ruinosae, sed hoc praeter dominum nemo sciat: quaero, si haec emptoribus venditor non dixerit aedesque vendiderit pluris multo, quam se venditurum putarit, num id iniuste aut improbe fecerit? «Ille vero,» inquit Antipater. «Quid est enim aliud erranti viam non monstrare, quod Athenis exsecrationibus publicis sanctum est, si hoc non est, emptorem pati ruere et per errorem in maximam fraudem incurrere? Plus etiam est quam viam non monstrare; nam est scientem in errorem alterum inducere.» 55. Diogenes contra: «Num te emere coegit qui ne hortatus quidem est? Ille quod non placebat proscripsit, tu quod placebat emisti. Quod si qui proscribunt **villam bonam beneque aedificatam** non existimantur fefellisse, etiam si illa nec bona est nec aedificata ratione, multo minus qui domum non laudarunt. Ubi enim iudicium emptoris est, ibi fraus venditoris quae potest esse? Sin autem dictum non omne praestandum est, quod dictum non est, id praestandum putas? Quid vero est stultius quam venditorem eius rei, quam vendat, vitia narrare? quid autem tam absurdum quam si domini iussu ita praeco praedicet: **domum pestilentem vendo**»? 56. Sic ergo in quibusdam causis dubiis ex altera parte defenditur honestas, ex altera ita de utilitate dicitur, ut id, quod utile videatur, non modo facere honestum sit, sed etiam non facere turpe. Haec est illa, quae videtur utilium fieri cum honestis saepe dissensio: quae diiudicanda sunt; non enim, ut quaereremus, exposuimus, sed ut explicaremus. 57. Non igitur videtur nec frumentarius ille Rhodios nec hic aedium venditor celare emptores debuisse. Neque enim id est celare, quicquid reticeas, sed cum, quod tu scias, id ignorare emolumenti tui causa velis eos, quorum intersit id scire. Hoc autem celandi genus quale sit et cuius hominis, quis non videt? Certe non aperti, non simplicis, non ingenui, non iusti, non viri boni, versuti potius, obscuri, astuti, fallacis, malitiosi, callidi, veteratoris, vafri. Haec tot et alia plura nonne inutile est vitiorum subire nomina?

---

1. *cuiusque -- quidem* om. H — *cuiusque* B a b c: *cuiusquam* o — 2. *est sed donandum est* H — 4. *faciendum. sed* c — 5. *quia turpe non sit faciendum* p — *fauendum* a — 7. *ignorentur* c — 8. *sint* om. C, unde coniicias verba *ignoretur -- serpentes* vel aliunde irrepsisse vel post *nemo sciat* transponenda esse. — 10. *putaret* H — *num id iniuste* B H b c: *non id iniuste* a; *num iniuste* (om. *id*) o — 11. *inquid* B — 12. *puplicis* B — 13. *si hoc non est emptore pati ruere et per venditorem in maximam fraudem incurrere* Nonius p. 379. — *si hoc non est* om. c — 15. *Diogenes contra -- quidem est* Nonius p. 264. — 17. *proscripsit* addito scholio «i. e. uendidit, exposuit» c — *praescribunt* B — 19. *multū* a b — 20. *laudarit* c — 21. *omne -- dictum non* om. c — 22. *stultius est* c; [*est*] *stultius* o — 25. *causis* om. o — 26. *ex altera utilitas. ita* c — 28. *est* om. H — 30. *uideatur* c; om. H — *rhodios* o: *rhodius* B H a b — 33. *sciri* c — *celandi* om. c — 35. *boni uiri* c — 36. *Haec tot -- subire nomina* del. Ruhnken Mnemos. II p. 420. «Sunt magistri cuiusdam, qui offenderetur tot synonymorum coacervatione.» — *tot et tot et alia* H.

XIV. 58. Quod si vituperandi qui reticuerunt, quid de iis existimandum est, qui orationis vanitatem adhibuerunt? C. Canius eques Romanus, nec infacetus et satis litteratus, cum se Syracusas otiandi, ut ipse dicere solebat, non negotiandi causa contulisset, dictitabat se hortulos aliquos emere velle, quo invitare amicos et ubi se oblectare sine interpellatoribus posset. Quod cum percrebruisset, Pythius ei quidam, qui argentariam faceret Syracusis, venales quidem se hortos non habere, sed licere uti Canio, si vellet, ut suis, et simul ad cenam hominem in hortos invitavit in posterum diem. Cum ille promisisset, tum Pythius, qui esset ut argentarius apud omnes ordines gratiosus, piscatores ad se convocavit et ab iis petivit, ut ante suos hortulos postridie piscarentur, dixitque quid eos facere vellet. Ad cenam tempori venit Canius: opipare a Pythio adparatum convivium, cumbarum ante oculos multitudo; pro se quisque quod ceperat adferebat; ante pedes Pythii pisces abiciebantur. 59. Tum Canius «Quaeso» inquit, «quid est hoc, Pythi? tantumne piscium? tantumne cumbarum?» Et ille «Quid mirum?» inquit: «hoc loco est Syracusis quicquid est piscium, hic aquatio; hac villa isti carere non possunt.» Incensus Canius cupiditate contendit a Pythio ut venderet. Gravate ille primo. Quid multa? impetrat. Emit homo cupidus et locuples tanti, quanti Pythius voluit, et emit instructos. Nomina facit, negotium conficit. Invitat Canius postridie familiares suos, venit ipse mature, scalmum nullum videt. Quaerit ex proximo vicino, num feriae quaedam piscatorum essent, quod eos nullos videret? «Nullae, quod sciam,» inquit, «sed hic piscari nulli solent. Itaque heri mirabar quid accidisset.» 60. Stomachari Canius, sed quid faceret? nondum enim C. Aquilius collega et familiaris meus protulerat de dolo malo formulas: in quibus ipsis, cum ex eo quaereretur, quid esset dolus malus, respondebat, cum esset aliud simulatum, aliud actum. Hoc quidem sane luculente, ut ab homine perito definiendi. Ergo et Pythius et omnes aliud agentes, aliud simulantes perfidi, improbi, malitiosi. Nullum igitur eorum factum potest utile esse, cum sit tot vitiis inquinatum.

XV. 61. Quod si Aquiliana definitio vera est, ex omni vita simulatio dissimulatioque tollenda est. Ita nec ut emat melius nec ut vendat

---

1. *iis* B b: *hiis* H, *his* a, *hijs* c — 3. *romanus, homo nec* c — *siracus* (corr. in *siracusis*) *sotiandi* b — *ut ipse -- negotiandi* om. a — 4. *dictabat* B H a b — 6. *percrebruisset* H b: *percrebuisset* B a c o — 7. *quia argentariam faceret* S. I. Heller Philol. XII p. 344 sqq. — *habere dixit . sed* a. Cf. Bake Mnemos. IX p. 207. — 8. *si vellet* om. c — *cenam* B H b c: *cęnam* a, *coenam* o; item infra v. 12. — 10. *qui esset -- gratiosus* Nonius p. 448. — *ut* om. c — 11. *iis* B b: *hiis* H, *his* a, *hijs* c — *postridie* a b; *postera die* c — 12. *tempori* B H b: *tempore* a c — *canius uenit* c — 13. *cumbarum ante pedes multitudo -- coeperat, adferebat* Nonius p. 535 sq. — *cumbarum* B H et Nonius: *cymbarum* a b c o; item v. 16. — 14. *coeperat* H — *pythii pedes* c — 15. *quid est hoc* om. c — 21. *postridie* H a b — *venit ipse mature, scalmum natum videt* Nonius p. 349. — 22. *proximo sibi uicino* c — *num ferias piscatorum essent aliquae* p — 24. *sciam ille inquit* H a; *sciam inquit ille* c — 26. *enim C. Aquilius* nos: *enim ea quilius* b; *enim ea quibus* H[1]; *enim . G. aquilius* c; *enim aquilius* B H[2] a; *enim Aquillius* o. Conf. de deor. nat. III § 74. Falso *Manium* hunc Aquilium nominat Heine. — 27. *ipsis* om. b — *quaererem* C — 29. *sane luculente* B[2] H a b c: *satis luculente* B[1]; *sane et luculente* p — 31. *sit* h. l. omissum superscr. verbo *inquinatum* c — 33. *Aquilliana* o — *simulatio* om. a.

quicquam simulabit aut dissimulabit vir bonus. Atque iste dolus malus et legibus erat vindicatus, ut tutela duodecim tabulis, circumscriptio adulescentium lege Plaetoria, et sine lege iudiciis, in quibus additur EX FIDE BONA. Reliquorum autem iudiciorum haec verba maxime excellunt: in arbitrio rei uxoriae MELIVS AEQVIVS, in fiducia VT INTER BONOS BENE AGIER. Quid ergo? aut in eo, QVOD MELIVS AEQVIVS, potest ulla pars inesse fraudis? aut, cum dicitur INTER BONOS BENE AGIER, quicquam agi dolose aut malitiose potest? Dolus autem malus in simulatione, ut ait Aquilius, continetur. Tollendum est igitur ex rebus contrahendis omne mendacium. Non inlicitatorem venditor, non qui contra se liceatur emptor apponet. Uterque, si ad eloquendum venerit, non plus quam semel eloquetur. 62. Quintus quidem Scaevola, Publi filius, cum postulasset ut sibi fundus, cuius emptor erat, semel indicaretur idque venditor ita fecisset, dixit se pluris aestumare: addidit centum milia. Nemo est qui hoc viri boni fuisse neget: sapientis negant, ut si minoris quam potuisset vendidisset. Haec igitur est illa pernicies, quod alios bonos, alios sapientes existimant. Ex quo Ennius «nequiquam sapere sapientem, qui ipse sibi prodesse non quiret.» Vere id quidem, si, quid esset p r o d e s s e, mihi cum Ennio conveniret. 63. Hecatonem quidem Rhodium, discipulum Panaetii, video in iis libris, quos de officio scripsit Q. Tuberoni, dicere «sapientis esse nihil contra mores, leges, instituta facientem habere rationem rei familiaris. Neque enim solum nobis divites esse volumus, sed liberis, propinquis, amicis maxumeque rei publicae. Singulorum enim facultates et copiae divitiae sunt civitatis.» Huic Scaevolae factum, de quo paulo ante dixi, placere nullo modo potest. Etenim omnino tantum se negat facturum compendii sui causa, quod non liceat. Huic nec laus magna tribuenda nec gratia est. 64. Sed, sive et simulatio et dissimulatio dolus malus est, perpaucae res sunt, in quibus non dolus malus iste versetur, sive vir bonus est is, qui prodest quibus potest, nocet nemini, certe istum virum bonum non facile reperimus. Numquam igitur est utile peccare, quia semper est turpe, et, quia semper est honestum virum bonum esse, semper est utile.

XVI. 65. Ac de iure quidem praediorum sanctum apud nos est iure civili, ut in iis vendendis vitia dicerentur, quae nota essent venditori.

---

1. *simulabit* corr. ex *simul absit* a; *simul absit* H b — *aut*] *haud* b — *atque iste* - - *vindicatus* Nonius p. 419. — 3. *lege laetoria* H a b, *lege letoria* B; *ut lege latoria* o. Vide ad p. 471, 24. — 5. *fiducia* B — *ut* om. H — *inter*] *in* b — 7. *dicitur ut inter* o — *agi quicquam agi* o — 8. *in* om. o — 9. *Aquillius* o — 10. *non in licitatorem* o; *non licitatorem* B H a b; *non illicitatorem* p o. Cf. ad Famil. VII, 2, 1. — *contra se liceatur* B H a b p: *contra reliceatur* o; *contra liceatur* o — 11. *ad loquendum* o — 12. *Quintus* B H a o: *Q.* b o — *Scaeuola Publi filius cum* - - *semel indicaretur* Nonius p. 128. — *publi filius* H b et Nonius: *pupli filius* B, *publii filius* a, *.p. filius* o, *P. F.* o — 14. *ita* om. o — 15. *uiri hoc boni* (om. *fuisse*) o — *negant esse sapientis* o — 16. *igitur* om. H — *pernities* a — 17. *nequiquam* B H a b: *nequicquam* o, *nequidquam* o. — 18. *non curet* o — *esset*] *esse* a b — 20. *iis* B b: *his* H a, *hijs* o — *officio* C: *officiis* o. Cf. § 83. ad Att. XV, 13, 6. XVI, 11, 2. — 21. *tyberoni* o — *leges mores* o — 22. *nobis solum* o — 24. *enim* om. a b — *huic* o: *huius* B H a b — 25. *paulo* om. o — *nullo modo placere* o — 26. *Etenim, qui omnino* - - *non liceat, huic* o — 29. *dolus iste malus non uersetur* o — *bonus uir* o — 30. *certe* Lambinus: *recte* C — *istum* o p: *iustum* B H a b — *bonum uirum* o — 31. *repperimus* B H — *igitur est* C: *est igitur* o — 32. *bonum uirum* o — *bonum est semper est* b — 33. *praediorum quidem sanccitum* p — 34. *iis* B b: *his* H a, *hijs* o.

Nam, cum ex duodecim tabulis satis esset ea praestari, quae essent lingua nuncupata, quae qui infitiatus esset dupli poenam subiret, a iuris consultis etiam reticentiae poena est constituta. Quicquid enim esset in praedio vitii, id statuerunt, si venditor sciret, nisi nominatim dictum esset, praestari oportere. 66. Ut, cum in arce augurium augures acturi essent iussissentque Ti. Claudium Centumalum, qui aedes in Caelio monte habebat, demoliri ea, quorum altitudo officeret auspiciis, Claudius proscripsit insulam, emit P. Calpurnius Lanarius. Huic ab auguribus illud idem denuntiatum est. Itaque Calpurnius cum demolitus esset cognossetque Claudium aedes postea proscripsisse, quam esset ab auguribus demoliri iussus, arbitrum illum adegit, QVIDQVID SIBI DARE FACERE OPORTERET EX FIDE BONA. M. Cato sententiam dixit, huius nostri Catonis pater. Ut enim ceteri ex patribus, sic hic, qui illud lumen progenuit, ex filio est nominandus. Is igitur iudex ita pronuntiavit, cum in vendundo rem eam scisset et non pronuntiasset, emptori damnum praestari oportere. 67. Ergo ad fidem bonam statuit pertinere notum esse emptori vitium, quod nosset venditor. Quod si recte iudicavit, non recte frumentarius ille, non recte aedium pestilentium venditor tacuit. Sed huius modi reticentiae iure civili omnes conprehendi non possunt: quae autem possunt diligenter tenentur. M. Marius Gratidianus, propinquus noster, C. Sergio Oratae vendiderat aedes eas, quas ab eodem ipse paucis ante annis emerat. Eae serviebant, sed hoc in mancipio Marius non dixerat: adducta res in iudicium est. Oratam Crassus, Gratidianum defendebat Antonius. Ius Crassus urguebat, «quod vitii venditor non dixisset sciens, id oportere praestari,» aequitatem Antonius, «quoniam id vitium ignotum Sergio non fuisset, qui illas aedes vendidisset, nihil fuisse necesse dici nec eum esse deceptum, qui id, quod emerat, quo iure esset teneret.» 68. Quorsus haec? Ut illud intellegas, non placuisse maioribus nostris astutos.

XVII. Sed aliter leges, aliter philosophi tollunt astutias: leges, quatenus manu tenere possunt, philosophi, quatenus ratione et intellegentia. Ratio ergo hoc postulat, ne quid insidiose, ne quid simulate,

---

1. *nam cum ex duode lingua nuncupata* Nonius p. 371, quo auctore *tabulis* del. I. F. Heusinger; sed apud Nonium manifesto plura exciderunt. — [*tabulis*] o — 2. *qui* om. a — *poenam* c: *poena* B H a b; om. p — *iuris consultis* C p: *iureconsultis* o — 3. *etiam* om. b — *constituta est* p — *esset in praedio* p: *in predio esset* o; *est in praedio* B H a b — 6. *Ti.* Car. Langius: *titum* B H a b p, *.t.* c — *cladium* p — *centum malum* H a b — *quia hedes* p — 7. *demoliri ea -- auspiciis* Nonius p. 147 et 346. — *eas* p — *quo altitudo* o — *clodius* o, *cladius* p — 8. *proscripsit insulam* Cobet (Mnemos. II p. 420): *proscripsit insulam, uendidit* B H a b o; *proscripsit insulam et uendidit* c p. Vide ad p. 722, 17. — 9. *idem* om. p — 10. *cognoscet cladium* p — *clodium* c — *hedem* p — 11. *quid sibi* a — 12. *bona fide* p — 13. *ceteri a patribus* c p — 14. *in uenundando* p — 15. *rem hanc* c; *eam rem* p — *emptorem indemnem damno praestari oportere* Nonius p. 371. — *dampnum* p — 18. *hedium* p — 19. *omnes* om. C p; fortasse excidit post *non*. — 20. *cratidianus* B H a b — 21. *C.*] *G.* H — *eas hedes* p — 22. *hee* c p — *serviebant* I. Fr. Heusinger (coll. Cic. de orat. I § 178. de lege agr. III § 9): *sergio seruiebant* B H a b; *sergio alii seruiebant* c — 23. *est in iudicium* c p — 24. *gratidianum* corr. in *cratidianum* a; *cratidianum* B; *gratilianum* p — *antonius crassus* (om. *ius*) b — *urguebat* B H: *arguebat* b; *urgebat* a c o — *quod uicium* o — 26. *quoniam*] *quod* c — 27. *fuisset necesse* c — 28. *emeret* c — *illud* om. H — 31. *quatinus* o (ubique) — *eatenus manu* p — 32. *ne quid* ante *simulate* om. p.

ne quid fallaciter. Suntne igitur insidiae tendere plagas, etiam si excitaturus non sis nec agitaturus? ipsae enim ferae nullo insequente saepe incidunt. Sic tu aedes proscribas, tabulam tamquam plagam ponas, [domum propter vitia vendas,] in eam aliquis incurrat inprudens? 69. Hoc quamquam video propter depravationem consuetudinis neque more turpe haberi neque aut lege sanciri aut iure civili, tamen naturae lege sanctum est. Societas est enim — quod, etsi saepe dictum est, dicendum est tamen saepius — latissime quidem quae pateat, omnium inter omnes, interior eorum, qui eiusdem gentis sunt, propior eorum, qui eiusdem civitatis. Itaque maiores aliud ius gentium, aliud ius civile esse voluerunt: quod civile, non idem continuo gentium, quod autem gentium, idem civile esse debet. Sed nos veri iuris germanaeque iustitiae solidam et expressam effigiem nullam tenemus, umbra et imaginibus utimur. Eas ipsas utinam sequeremur! feruntur enim ex optimis naturae et veritatis exemplis. 70. Nam quanti verba illa VTI NE PROPTER TE FIDEMVE TVAM CAPTVS FRAVDATVSVE SIM! quam illa aurea VT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET ET SINE FRAVDATIONE! Sed, qui sint «boni» et quid sit «bene agi», magna quaestio est. Q. quidem Scaevola, pontifex maximus, summam vim esse dicebat in omnibus iis arbitriis, in quibus adderetur EX FIDE BONA, fideique bonae nomen existimabat manare latissime, idque versari in tutelis societatibus, fiduciis mandatis, rebus emptis venditis, conductis locatis, quibus vitae societas contineretur: in iis magni esse iudicis statuere, praesertim cum in plerisque essent iudicia contraria, quid quemque cuique praestare oporteret. 71. Quocirca astutiae tollendae sunt eaque malitia, quae volt illa quidem videri se esse prudentiam, sed abest ab ea distatque plurimum; prudentia est enim locata in dilectu bonorum et malorum, malitia, si omnia, quae turpia sunt, mala sunt, mala bonis ponit ante. Nec vero in praediis solum ius civile ductum a natura malitiam fraudemque vindicat, sed etiam in mancipiorum venditione venditoris fraus omnis excluditur. Qui enim scire debuit de sanitate, de fuga, de furtis, praestat edicto aedilium. Heredum alia causa est. 72. Ex quo intellegitur, quoniam iuris natura fons sit, hoc secundum naturam esse, neminem id agere, ut ex alterius praedetur inscitia. Nec ulla pernicies vitae maior inveniri potest quam in malitia simulatio intellegentiae, ex quo ista innumera-

1. *suntne igitur -- non sis* Nonius p. 369. — *excitaturus bestiam non sis* c p — 2. *nullo insidiante saepe* p — 3. *Si tu* a — *plagam* C: *plagas* alii. — 4. *domum p. v. vendas* seclusit Unger. — 6. *sancciri* p — 7. *sanccitum* p — 9. *sunt* B[1]: *sint* B[2] H a b c p o — *proprior* b — 10. *ius* (ante *civile*) om. c — 11. *continuo idem* o — 12. *Sed nos veri iuris -- utimur: easque ipsas -- feruntur enim ab optimis -- exemplis* Lactantius Inst. div. VI, 6. (*haec est vera illa et germana iustitia, cuius solidam et expressam effigiem nullam tenere vos dicis* idem ibid. VI, 11.) — 14. *utimur* om. c — 15. *Num* H — *illa uerba* c p — *ne* om. p — *te* om. H — 16. *sim* C p: *siem* Lambinus, o — 17. *et* ante *sine* om. c p — *qui sunt* B — 19. *in omnibus his* B H b; *in hijs omnibus* c; *in omnibus* (omisso pronomine) a p — 20. *nomen bone* p — *manere* a b — 22. *venditis* om. p — *iis* B a b (superscr. *h* in a): *his* H p o, *hijs* c — 23. *iudiciis* H, *iuditiis* a — *cum in plerisque praesertim* H — 25. *se* om. c — 27. *delectu* c o — *quae turpia sunt et mala bonis* p — 28. *sunt* post *turpia* om. c — *ponit ante* B H[1] a b: *ante ponit. ante* H[2]; *ante ponit* c p — 30. *uenditione fraus* (om. *venditoris*) b; *uenditione fraus uenditoris* c — 31. *de furtis* om. c — *praestat* B H a b: *is praestat* c p o — 34. *ex* om. p — *inscientia* p — *pernicies* corr. ead. m. ex *pernities* B; *pernities* a.

bilia nascuntur, ut utilia cum honestis pugnare videantur. Quotus enim quisque reperietur, qui impunitate et ignoratione omnium proposita abstinere possit iniuria?

XVIII. 73. Periclitemur, si placet, et in iis quidem exemplis, in quibus peccari volgus hominum fortasse non putet. Neque enim de sicariis, veneficis, testamentariis, furibus, peculatoribus hoc loco disserendum est, qui non verbis sunt et disputatione philosophorum, sed vinclis et carcere fatigandi, sed haec consideremus, quae faciunt ii, qui habentur boni. L. Minucii Basili locupletis hominis falsum testamentum quidam e Graecia Romam attulerunt. Quod quo facilius optinerent, scripserunt heredes secum M. Crassum et Q. Hortensium, homines eiusdem aetatis potentissimos: qui cum illud falsum esse suspicarentur, sibi autem nullius essent conscii culpae, alieni facinoris munusculum non repudiaverunt. Quid ergo? satin est hoc, ut non deliquisse videantur? Mihi quidem non videtur, quamquam alterum vivum amavi, alterum non odi mortuum. 74. Sed cum Basilus M. Satrium sororis filium nomen suum ferre voluisset eumque fecisset heredem — hunc dico patronum agri Piceni et Sabini: o turpem notam temporum nomen illorum! —, non erat aequum principes civis rem habere, ad Satrium nihil praeter nomen pervenire. Etenim si is, qui non defendit iniuriam neque propulsat, cum potest, iniuste facit, ut in primo libro disserui, qualis habendus est is, qui non modo non repellit, sed etiam adiuvat iniuriam? Mihi quidem etiam verae hereditates non honestae videntur, si sunt malitiosis blanditiis, officiorum non veritate, sed simulatione quaesitae. Atqui in talibus rebus aliud utile interdum, aliud honestum videri solet. Falso; nam eadem utilitatis quae honestatis est regula. 75. Qui hoc non perviderit, ab hoc nulla fraus aberit, nullum facinus. Sic enim cogitans, «Est istuc quidem honestum, verum hoc expedit,» res a natura copulatas audebit errore divellere, qui fons est fraudium, maleficiorum, scelerum omnium. XIX. Itaque si vir bonus habeat hanc vim, ut, si digitis concrepuerit, possit in locupletium testamenta nomen eius inrepere, hac vi non utatur, ne si exploratum quidem habeat id omnino neminem umquam suspicaturum. At dares hanc vim M. Crasso, ut digi-

---

4. *et* C: om. edd. recentiores. — *in* om. b — *iis* B b: *his* H a, *hijs* c — 5. *putat* b — *de secariis ueneficiis* b; *de sicariis de ueneficis* c — 6. *furibus* B H c: *frugibus* a b — 7. *qui non -- fatigandi* Nonius p. 340. — 8. *uinculis* c — *fatigandi* C et Nonius: *castigandi* alii. Cf. I § 88. — *haec*] *hoc* b — *ii* B b: *hi* a, *hii* H, *hij* c — 9. *minuci* B a b, *mimici* c — 11. *Q.*] *quintum* C — 12. *esse falsum* (additis transponendi signis) a — 14. *satin'* c — 15. *alterum uiuum amavi* om. H — 16. *basilius* c — *filium nomen suum ferre voluisset* Nonius p. 302. — 17. *hunc ait dico* a c — 18. *o turpem notam temporum nomen illorum* H a: *o turpe notam temporum nomen illorum* b; *o turpe notam temporum illorum* B; *o turpe nomen illorum temporum* c; *o turpem notam temporum illorum* c; *o turpem notam temporum* (om. *nomen illorum*) Victorius. — *non* C: *num* c — 19. *ciuis* B H a b: *cives* c c — *rem eius habere et ad* c — 20. *propulsat* cod. Bern. d Orellii: *propulsat a suis* C. Cf. I § 65. — 22. *est his qui* b — 24. *Atque* c — *in* om. b — 26. *nam*] *non* H — 27. *ad hoc -- facinus* Nonius p. 340. — 28. *istud* c — 29. *fraudium* C: *fraudum* alii. Cf. Pison. § 44. — 30. *Itaque si -- mihi crede saltaret* Schol. Ambros. ad or. de rege Alex. p. 349; *itaque si -- eius irrepere* Nonius p. 255. — *Itaque -- hanc vim* om. H — 31. *digitos* Schol. Ambros. — *locupletum* idem. — *testamenta* c: *testamento* B H a b — 32. *hac vi non mutatur -- suspicaturum* Nonius p. 294. — *nec si* b — *habeat* post *suspicaturum* ponit c — 33. *At dares* B H a b: *Adderes* c; *At si dares* alii.

torum percussione heres posset scriptus esse cui re vera non esset heres, in foro, mihi crede, saltaret. Homo autem iustus isque, quem sentimus virum bonum, nihil cuiquam, quod in se transferat, detrahet. Hoc qui admiratur, is se, quid sit vir bonus, nescire fateatur. 76. At vero, si qui voluerit animi sui complicatam notionem evolvere, iam se ipse doceat eum virum bonum esse, qui prosit quibus possit, noceat nemini nisi lacessitus iniuria. Quid ergo? Hic non noceat, qui quodam quasi veneno perficiat ut veros heredes moveat, in eorum locum ipse succedat? «Non igitur faciat» dixerit quis «quod utile sit, quod expediat?» Immo intellegat nihil nec expedire nec utile esse, quod sit iniustum. Hoc qui non didicerit, bonus vir esse non poterit. 77. *C.* Fimbriam consularem audiebam de patre nostro puer iudicem M. Lutatio Pinthiae fuisse, equiti Romano sane honesto, cum is sponsionem fecisset NI VIR BONVS ESSET. Itaque ei dixisse Fimbriam se illam rem numquam iudicaturum, ne aut spoliaret fama probatum hominem, si contra iudicavisset, aut statuisse videretur virum bonum esse aliquem, cum ea res innumerabilibus officiis et laudibus contineretur. Huic igitur viro bono, quem Fimbria etiam, non modo Socrates noverat, nullo modo videri potest quicquam esse utile, quod non honestum sit. Itaque talis vir non modo facere, sed ne cogitare quidem quicquam audebit, quod non audeat praedicare. Haec non turpe est dubitare philosophos, quae ne rustici quidem dubitent? a quibus natum est id, quod iam contritum est vetustate, proverbium. Cum enim fidem alicuius bonitatemque laudant, dignum esse dicunt, quicum in tenebris mices. Hoc quam habet vim nisi illam, nihil expedire quod non deceat, etiam si id possis nullo refellente optinere? 78. Videsne hoc proverbio neque Gygi illi posse veniam dari neque huic, quem paulo ante fingebam digitorum percussione hereditates omnium posse converrere? Ut enim, quod turpe est, id, quamvis occultetur, tamen honestum fieri nullo modo potest, sic, quod honestum non est, id utile ut sit effici non potest adversante et repugnante natura.

XX. 79. At enim, cum permagna praemia sunt, est causa peccandi. C. Marius, cum a spe consulatus longe abesset et iam septimum annum post praeturam iaceret neque petiturus umquam consulatum videretur, Q. Metellum, cuius legatus erat, summum virum et civem, cum ab eo, imperatore suo, Romam missus esset, apud populum Romanum criminatus est, bellum illum ducere, si se consulem fecissent, brevi tempore

---

1. *scriptũ* b — *cui* nos: *qui* C o — 2. *mihi crede* c (et Schol. Ambros.): *crede mihi* B H a b — *iustus hisque* b — 3. *bonum uirum* H o — *tranferat* B — 4. *iis se* b — *nescire quid sit bonus uir* o — *At vero si quis voluerit -- nisi lacessitus iniuria* Lactantius Inst. div. VI, 18. — *aut uero* b — 5. *complicatam animi sui* o — 6. *bonum uirum* o — 7. *at qui quodam veneno perficiat -- ipse succedat* Nonius p. 403; *at qui quodam quasi veneno -- succedat* idem p. 351. — 8. *perficiet* a — 11. *C.* ego addidi ex constanti Ciceronis usu. Etiam Valerius Maximus VII, 2, 4 praenomen addidit, sed, quod ei haud raro accidit, falsum (*L.*). — 13. *fuisse* om. o — *equiti* (om. *R.*) *sane* a b, *equitus* (ex *equiti . r.*) *sane* b — 14. *ni is uir* o — 16. *aliquem esse* b — 18. *non* om. H[1], ante *sit* superscr. H[2] — 19. *honestatum* a — 20. *quidem* om. b — 22. *iam tritum* o; *iam contrarium* p — 24. *dignum -- mices* Nonius p. 347. — 28. *posse conuertere* B H; *post se conuertere* p — 29. *fieri* om. o (superscr. *esse*) — 33. *et iam*] *etiam* C — 34. *petiturus esse umquam* o — 35. *erat* om. a — 36. *apud P. R. criminatus est balbum illum ducere* Nonius p. 284. — 37. *bellum producere* p — *illum* om. H — *fecisset* B o.

aut vivum aut mortuum Iugurtham se in potestatem populi Romani redacturum. Itaque factus est ille quidem consul, sed a fide iustitiaque discessit, qui optimum et gravissimum civem, cuius legatus et a quo missus esset, in invidiam falso crimine adduxerit. 80. Ne noster quidem Gratidianus officio viri boni functus est tum, cum praetor esset collegiumque praetorium tribuni plebi adhibuissent, ut res nummaria de communi sententia constitueretur; iactabatur enim temporibus illis nummus sic, ut nemo posset scire, quid haberet. Conscripserunt communiter edictum cum poena atque iudicio constitueruntque ut omnes simul in rostra post meridiem escenderent. Et ceteri quidem alius alio: Marius ab subselliis in rostra recta idque, quod communiter compositum fuerat, solus edixit. Et ea res, si quaeris, ei magno honori fuit: omnibus vicis statuae, ad eas tus, cerei. Quid multa? nemo umquam multitudini fuit carior. 81. Haec sunt, quae conturbent in deliberatione non numquam, cum id, in quo violatur aequitas, non ita magnum, illud autem, quod ex eo paritur, permagnum videtur, ut Mario praeripere collegis et tribunis plebi popularem gratiam non ita turpe, consulem ob eam rem fieri, quod sibi tum proposuerat, valde utile videbatur. Sed omnium una regula est, quam tibi cupio esse notissimam: aut illud, quod utile videtur, turpe ne sit, aut, si turpe est, ne videatur esse utile. Quid igitur? possumusne aut illum Marium virum bonum iudicare aut hunc? Explica atque excute intellegentiam tuam, ut videas, quae sit in ea species [forma] et notio viri boni. Cadit ergo in virum bonum mentiri emolumenti sui causa, criminari, praeripere, fallere? Nihil profecto minus. 82. Est ergo ulla res tanti aut commodum ullum tam expetendum, ut viri boni et splendorem et nomen amittas? Quid est quod adferre tantum utilitas ista, quae dicitur, possit, quantum auferre, si boni viri nomen eripuerit, fidem iustitiamque detraxerit? Quid enim interest, utrum ex homine se convertat quis in beluam, an hominis figura inmanitatem gerat beluae?

XXI. Quid? qui omnia recta et honesta neglegunt, dum modo potentiam consequantur, nonne idem faciunt quod is, qui etiam socerum habere voluit eum, cuius ipse audacia potens esset? Utile ei videbatur plurimum posse alterius invidia. Id quam iniustum in patriam et quam turpe [et quam inutile] esset, non videbat. Ipse autem socer in ore semper Graecos versus de Phoenissis habebat, quos dicam ut potero, incondite fortasse, sed tamen ut res possit intellegi:

---

4. *in* om. B[1] H[1] a — 5. *gratidianus* corr. in *cratidianus* a — *boni uiri* c — 6. *praetorium* B H a b: *praetorum* c p — *plebi* H[1] a b: *pl.* c, *pleni* B; *plebis* H[2] — 7. *iactabatur enim* -- *quid haberet* del. Lambinus. — *illis* om. H — 10. *escenderent* B[1] H[1] a: *ascenderent* B[2] b c; *descenderent* H[2] — 11. *ab* B H a: *a* b c — *atque quod communiter* -- *solus dixit* Nonius p. 257. — 12. *uitiis statue* a; *uicistatuae* b — 13. *thus* a — 14. *conturbent* B H a b: *conturbant* c — 15. *Cum inquit uiolatur* H — *ita*] *tam* H — 17. *plebi* B H[1] a b: *pl.* c, *plebis* H[2] — *rem* om. H — 19. *cupio tibi* c — 20. *nec uideatur* b — *Quid ergo* a — 21. *aut hunc* c: *atque hunc* B H a b — 22. *explica atque excute* -- *in ea species firma notio viri boni* Nonius p. 300; *explica* -- *intellegentiam tuam* idem p. 298. — *in* om. H — 23. *species . forma . et notio* a; *specie forma et notio* c p. Aut *species* aut *forma* eiiciendum esse docuerunt Krarup et Madvig (Opusc. acad. I p. 337); *forma* del. Lund, *species* secl. Klotz. — 27. *possit* om. b, ante *utilitas* ponit a — 28. *eripuit* a — 29. *hominis* C: *in hominis* c — 35. *et quam inutile* om. C, ego seclusi. — 37. *res* om. c,

Nam si violandum est ius, regnandi gratia
Violandum est: aliis rebus pietatem colas.

Capitalis Eteocles vel potius Euripides, qui id unum, quod omnium sceleratissimum fuerit, exceperit. 83. Quid igitur minuta colligimus, hereditates, mercaturas, venditiones fraudulentas? Ecce tibi, qui rex populi Romani dominusque omnium gentium esse concupiverit idque perfecerit. Hanc cupiditatem si honestam quis esse dicit, amens est; probat enim legum et libertatis interitum earumque oppressionem taetram et detestabilem gloriosam putat. Qui autem fatetur honestum non esse in ea civitate, quae libera fuerit quaeque esse debeat, regnare, sed ei, qui id facere possit, esse utile, qua hunc obiurgatione aut quo potius convitio a tanto errore coner avellere? Potest enim, di immortales! cuiquam esse utile foedissimum et taeterrimum parricidium patriae, quamvis is, qui se eo obstrinxerit, ab oppressis civibus parens nominetur? Honestate igitur dirigenda utilitas est, et quidem sic, ut haec duo verbo inter se discrepare, re unum sonare videantur. 84. Non habeo ad volgi opinionem quae maior utilitas quam regnandi esse possit, nihil contra inutilius ei, qui id iniuste consecutus sit, invenio, cum ad veritatem coepi revocare rationem. Possunt enim cuiquam esse utiles angores, sollicitudines, diurni et nocturni metus, vita insidiarum periculorumque plenissima?

Multi iniqui atque infideles regno, pauci beneuoli,

inquit Accius. At cui regno? quod a Tantalo et Pelope proditum iure optinebatur. Nam quanto pluris ei regi putas, qui exercitu populi Romani populum ipsum Romanum oppressisset civitatemque non modo liberam, sed etiam gentibus imperantem servire sibi coegisset? 85. Hunc tu quas conscientiae labes in animo censes habuisse, quae vulnera? Cuius autem vita ipsi potest utilis esse, cum eius vitae ea conditio sit, ut qui illam eripuerit in maxima et gratia futurus sit et gloria? Quod si haec utilia non sunt, quae maxime videntur, quia plena sunt dedecoris ac turpitudinis, satis persuasum esse debet nihil esse utile, quod non honestum sit.

XXII. 86. Quamquam id quidem cum saepe alias, tum Pyrrhi bello a C. Fabricio consule iterum et a senatu nostro iudicatum est. Cum enim rex Pyrrhus populo Romano bellum ultro intulisset cumque de

---

3. *etheocles* B H, *ethiocles* c — *Capitalis Euripides uel potius Eteocles* Pearcius et Gesnerus; *Capitalis Eteocles* [*vel potius Euripides*] Wyttenbachius et Porsonus; *Capitalis Eteocles vel potius ipse* (scil. qui hos versus semper in ore habebat) Unger. Mihi non solum verba *vel potius Euripides*, sed etiam quod praecedit *Eteocles* glossatori tribuenda videntur. — *qui id*] *quid* b — 5. *Ecce ille tibi* c — 6. *gentium omnium* H — *et id* c — 7. *si quis honestam esse dicit* (*esse* superscr. ead. m.) c — 8. *enim et legum* c — 10. *fuerit* (*fuerit quoque* ab ead. m. in marg. habet) c: *fuit* B H a b o — 11. *qui id* c: *quid* B H a b — 12. *conuitio* B H: *cumuitio* a, *conuiuio* b; *convicio* c o — *enim* om. b — 13. *uoterrimum* c — 14. *is* superscr. in H — *eo se* c — 15. *est. Equidem* c — *sit. ut* a — 16. *uerba* a — *re* c: om. B H a b — *non habet* a — 18. *qui id* B H b c: *quid* a; *qui* (om. *id*) alii. — 22. *pauci beneuoli* Stürenburg: *pauci boni sunt* B H a b; *pauci boniuoli sunt* c; *pauci sunt boni* o; [*pauci boni sunt*] Unger. — 23. *actius* c — *ad cui* b — 24. *pluris* B H[1] a c: *plures* H[2] b o — 25. *populum. R. ipsum* c — *ciuitatemque -- imperantem* om. c — 27. *censes in animo* c — 29. *sit* om. c — 31. *nihil* om. a — *honestum non* c — 34. *G.* H — 35. *rex* om. a — *cumque de imperio -- ac potenti* Nonius p. 418.

imperio certamen esset cum rege generoso ac potenti, perfuga ab eo venit in castra Fabricii eique est pollicitus, si praemium sibi proposuisset, se, ut clam venisset, sic [clam] in Pyrrhi castra rediturum et eum veneno necaturum. Hunc Fabricius reducendum curavit ad Pyrrhum idque eius factum laudatum a senatu est. Atqui, si speciem utilitatis opinionemque quaerimus, magnum illud bellum perfuga unus et gravem adversarium imperii sustulisset, sed magnum dedecus et flagitium, quicum laudis certamen fuisset, eum non virtute, sed scelere superatum. 87. Utrum igitur utilius vel Fabricio, qui talis in hac urbe qualis Aristides Athenis fuit, vel senatui nostro, qui numquam utilitatem a dignitate seiunxit, armis cum hoste certare an venenis? Si gloriae causa imperium expetundum est, scelus absit, in quo non potest esse gloria: sin ipsae opes expetuntur quoquo modo, non poterunt utiles esse cum infamia. Non igitur utilis illa L. Philippi Q. f. sententia: quas civitates L. Sulla pecunia accepta ex senatus consulto liberavisset, ut eae rursus vectigales essent, neque iis pecuniam, quam pro libertate dederant, redderemus. Ei senatus est assensus. Turpe imperio! piratarum enim melior fides quam senatus. «At aucta vectigalia: utile igitur.» Quousque audebunt dicere quicquam utile, quod non honestum? 88. Potest autem ulli imperio, quod gloria debet fultum esse et benevolentia sociorum, utile esse odium et infamia? Ego etiam cum Catone meo saepe dissensi. Nimis mihi praefracte videbatur aerarium vectigaliaque defendere, omnia publicanis negare, multa sociis, cum in hos benefici esse deberemus, cum illis sic agere, ut cum colonis nostris soleremus, eoque magis, quod illa ordinum coniunctio ad salutem rei publicae pertinebat. Male etiam Curio, cum causam Transpadanorum aequam esse dicebat, semper autem addebat «Vincat utilitas!» Potius doceret non esse aequam, quia non esset utilis rei publicae, quam cum non utilem diceret esse, aequam fateretur.

XXIII. 89. Plenus est sextus liber de officiis Hecatonis talium quaestionum, sitne boni viri in maxima caritate annonae familiam non alere. In utramque partem disputat, sed tamen ad extremum utilitate, ut putat, officium dirigit magis quam humanitate. Quaerit, si in mari iactura facienda sit, equine pretiosi potius iacturam faciat an servoli vilis. Hic alio res familiaris, alio ducit humanitas. «Si tabulam de

---

1. *potenti* Nonius: *potente* C o. Vide ad p. 275, 10. — 3. *clam* post *sic* del. Cobet Mnemos. II p. 420. — 5. *factum eius* o — 6. *magnum illum bellum perfuga humum et grave adversarium imperii sustulisset* Nonius p. 345. — 7. *magnum et flagicium et dedecus* o — 9. *Utrum*] *Visum* p — *vel* om. o — 13. *quo quomodo* B; *quoque modo* b — 14. *L. si illa* a, *L. sylla* o — 15. *ex* superscr. in a, om. o — *senatus consulto*] *S. C.* B H a b — *eae* om. o — 16. *iis* B b: *his* H a, *hijs* o — *dederant*] *delectent* H — 17. *Ei*] *et* o — 18. *quam senatus* C: om. o — *At*] *ad* b — 19. *quamquam* a b (in a superscr. *quicquam*) — 20. *fultum debet* o — 21. *ego etiam* - - *praefractum videbatur* - - *negare* Nonius p. 455. — *saepe* om. o — 22. *uidebantur* b — *uectigaliaquam* B¹ H b — 24. *debemus* o — *soleremus* C (litteris *re* in o deletis): *solemus* o — 25. *quod* o: *quo* B H a b — 26. *curio .s. o. causam* a; *curios cum causa* b — *dicebant* b — 27. *utilitas* B H a b: *utilitas R. P.* o, *utilitas rei publicae* o — *doceret* B H a o: *docebat* b; *diceret* o — 28. *cum non utilem diceret esse aequam* o (et Beier): *cum utilem* (*utile* b) *esse diceret non esse aequam* B H a b p; *cum utilem non esse diceret, esse aequam* Facciolatus. — 30. *hae catonis* a — 31. *uiri boni* o — 32. *alere* a o: *alter* B H b (sed *ter* in B erasum) — *utilitatē* b — 33. *ut putat* C p: om. a — 34. *seruoli* H b: *seruuli* B a o o — 35. *ducet* o.

naufragio stultus arripuerit, extorquebitne eam sapiens, si potuerit?» Negat, quia sit iniurium. «Quid dominus navis? eripietne suum?» Minime, non plus quam navigantem in alto eicere de navi velit, quia sua sit. Quoad enim perventum est eo, quo sumpta navis est, non domini est navis, sed navigantium. 90. «Quid? si una tabula sit, duo naufragi eique sapientes, sibine uterque rapiat an alter cedat alteri?» Cedat vero, sed ei, cuius magis intersit vel sua vel rei publicae causa vivere. «Quid? si haec paria in utroque?» Nullum erit certamen, sed quasi sorte aut micando victus alteri cedet alter. «Quid? si pater fana expilet, cuniculos agat ad aerarium, indicetne id magistratibus filius?» Nefas id quidem est: quin etiam defendat patrem, si arguatur. «Non igitur patria praestat omnibus officiis?» Immo vero, sed ipsi patriae conducit pios habere cives in parentes. «Quid? si tyrannidem occupare, si patriam prodere conabitur pater, silebitne filius?» Immo vero obsecrabit patrem, ne id faciat. Si nihil proficiet, accusabit, minabitur etiam; ad extremum, si ad perniciem patriae res spectabit, patriae salutem anteponet saluti patris. 91. Quaerit etiam, si sapiens adulterinos nummos acceperit inprudens pro bonis, cum id rescierit, soluturusne sit eos, si cui debeat, pro bonis. Diogenes ait, Antipater negat, cui potius assentior. «Qui vinum fugiens vendat sciens, debeatne dicere.» Non necesse putat Diogenes, Antipater viri boni existimat. Haec sunt quasi controversa iura Stoicorum. «In mancipio vendundo dicendane vitia, non ea, quae nisi dixeris, redhibeatur mancipium iure civili, sed haec, mendacem esse, aleatorem, furacem, ebriosum.» Alteri dicenda videntur, alteri non videntur. 92. «Si quis aurum vendens orichalcum se putet vendere, indicetne ei vir bonus aurum illud esse, an emat denario quod sit mille denarium.» Perspicuum est iam et quid mihi videatur et quae sit inter eos philosophos, quos nominavi, controversia.

XXIV. Pacta et promissa semperne servanda sint, QVAE NEC VI NEC DOLO MALO, ut praetores solent, FACTA SINT. Si quis medicamentum cuipiam dederit ad aquam intercutem pepigeritque, si eo medicamento

---

1. *sapiens eam* (sed additis transponendi signis) c — 2. *negant* c — 3. *quam si nauigantem* C — *quia*] *qua* H — 4. *quoad enim perventum est eo, quo sumpta vis est, non domini est navis, sed navigantium* Nonius p. 396. — *perventum est* c et Nonius: *peruentum sit* B H a b o. Cf. I § 66. III § 44. — 5. *est nauis* C et Nonius: *nauis est* o — *sit et duo* c — 6. *eique* B H a: *etque* b; *hijque* c — *sibine uterque* Victorius: *sibi neuter* C; *sibine uter* o — 9. *quas ipso quasi forte aut micando victus alteri cedet* Nonius p. 347. — *forte* B p et Nonius. — *aut medicando* a b; *aut dimicando* o p — *uictus alteri cedet alter* a: *uictus alteri cedat alter* B b; *uictus alter cedet alteri* H; *alter cedet alteri uictus* c — *qui si* B — 11. *est* C: om. o — *quin* B H: *qui* a b (in a superscr. *quin*); *cum* c — 12. *sed ipsi -- silebitne filius* om. b — 13. *cives*] *filios* c — 15. *nil* a — 16. *ad extremum, si ad perniciem patris re spectabit, patriae salutem anteponam et saluti patris* Nonius p. 402. — *pernitiem* a — 19. *si cui* o: *sicut* B H a b — 20. *assentiar?* c — *si qui vinum fugiens vendat sciens* Nonius p. 112. — *uinum* c et Nonius: *uenenum* B H a b p — *uendeat* a b — 21. *haec* H² c: *hae* B H¹ a b — 22. *controuersa* o: *controuersia* a; *controuersiae* B H b — 23. *reddi debeatur* c — 24. *aleatorem* B H a b: *amatorem* c p — *furacem* corr. sec. m. ex *furem* B; om. c — 25. *auricalcum* c — 26. *an emat denario quod sit mille denarium* Nonius p. 496. — 27. *mille denarium* B H a et Nonius: *millenarium* b; *denariorum mille* c — *perspicuum etiam est quid* c — 28. *nominant* c — 30. *dolo malo sint ut pretores solent determinare. Si* c — *malo* om. b — *facta sint* om. p — *si quis medicamentum -- intercutem* Nonius p. 37 et 345. — *Si quis* C et Nonius: *Si qui* o — 31. *si in eo* c.

sanus factus esset, ne illo medicamento umquam postea uteretur, si eo medicamento sanus factus sit et annis aliquot post inciderit in eundem morbum nec ab eo, quicum pepigerat, impetret ut iterum eo liceat uti, quid faciendum sit. Cum sit is inhumanus, qui non concedat, nec ei quicquam fiat iniuriae, vitae et saluti consulendum. 93. Quid? si qui sapiens rogatus sit ab eo, qui eum heredem faciat, cum ei testamento sestertium milies relinquatur, ut ante quam hereditatem adeat luce palam in foro saltet, idque se facturum promiserit, quod aliter heredem eum scripturus ille non esset, faciat quod promiserit necne? Promisisset nollem et id arbitror fuisse gravitatis: quoniam promisit, si saltare in foro turpe ducet, honestius mentietur, si ex hereditate nihil ceperit, quam si ceperit, nisi forte eam pecuniam in rei publicae magnum aliquod tempus contulerit, ut vel saltare, cum patriae consulturus sit, turpe non sit. XXV. 94. Ac ne illa quidem promissa servanda sunt, quae non sunt iis ipsis utilia, quibus illa promiseris. Sol Phaethonti filio, ut redeamus ad fabulas, facturum se esse dixit quicquid optasset. Optavit ut in currum patris tolleretur; sublatus est; atque is ante quam constitit ictu fulminis deflagravit. Quanto melius fuerat in hoc promissum patris non esse servatum! [Quid? quod Theseus exegit promissum a Neptuno? Cui cum tres optationes Neptunus dedisset, optavit interitum Hippolyti filii, cum is patri suspectus esset de noverca: quo optato impetrato Theseus in maxumis fuit luctibus.] 95. Quid? Agamemnon cum devovisset Dianae quod in suo regno pulcherrimum natum esset illo anno, immolavit Iphigeniam, qua nihil erat eo quidem anno natum pulchrius. Promissum potius non faciendum quam tam taetrum facinus admittendum fuit. Ergo et promissa non facienda non numquam neque semper deposita reddenda. Si gladium quis apud te sana mente deposuerit, repetat insaniens, reddere peccatum sit, officium non reddere. Quid? si is, qui apud te pecuniam deposuerit, bellum inferat patriae, reddasne depositum? Non credo; facias enim contra rem publicam, quae debet esse carissima. Sic multa, quae honesta natura

---

1. *postea*] *post illa* c — 2. *post*] *post illa* c — 3. *ut item eo* B H a b; *ut item tam* (om. *eo*) c — 4. *nec quicquam faciat* (om. *ei*) c — 5. *consulendo* a — *si quis* c — 6. *faciat*] *fiat* b — 7. *param in foro salutet* b — 8. *promiserit quod* - - *faciat quod* om. H — *heredem eum* C: *eum heredem* alii (non b c) — 9. «*Promisisse nollem et id arbitror fuisse gravitatis . sed quoniam promisit etc.*] Horum nihil exstat in Pal. pr. nisi ad oram manu recentiori.» Grut. — *promisisset* nos: *promisisse* C c. Vid. Wesenberg ad or. p. Sestio p. 2 sq. n. 2 et Halmium ad Verrin. IV § 43 (p. 339, 30). — 11. *nihil acceperit* H; *nihil coeperit* b — 12. *quam si ceperit* C (*coeperit* b): om. c — 13. *consulturus esset* c — 15. *iis*] *his* B H a b, *hijs* c — *phetonti* C — 17. *atque his* a — 18. «*Quanto melius fuerat etc.*] Totam hanc periodum videas in Pal. pr. ad oram libri, scriptura minus veteri.» Grut. — 19. *qui quod* H[1] a b — 20. Verba *Cui cum* - - *fuit luctibus* spuria esse vidit Valckenaër (ad Euripidis Hippol. v. 887), quibus deletis delenda erant etiam quae praecedunt *Quid? quod* - - *a Neptuno?* Emblema, in quo me maxime offendit locutio *tres optationes dare* pro eo quod ipse Cicero dixit (de deor. nat. III § 76) *ter optandi facultatem dare*, Ernestium id quoque, quod iudicium Ciceronis non subiiciatur ut in aliis locis, desumptum est ex I § 32. — 21. *hyppoliti* B, *hippoliti* H, *yppoliti* a, *hypoliti* b, *ypoliti* c — *esset* om. b — 22. *optatu* c — 23. *agamenon* a, *agamē nam* b — 24. *eo*] *in eo* H — 25. *promissum potius non faciundum quam taetrum facinus admittendum fuit* Nonius p. 309 et 443. — 26. *ergo et* - - *reddenda* Nonius p. 279. — 29. *is* om. c — *pecuniam apud te* c — 30. *facias* c: *facies* A B H a b — 31. *karissima* c.

videntur esse, temporibus fiunt non honesta. Facere promissa, stare conventis, reddere deposita commutata utilitate fiunt non honesta. Ac de iis quidem, quae videntur esse utilitates contra iustitiam simulatione prudentiae, satis arbitror dictum.

96. Sed quoniam a quattuor fontibus honestatis primo libro officia duximus, in eisdem versemur, cum docebimus ea, quae videantur esse utilia neque sint, quam sint virtutis inimica. [Ac de prudentia quidem, quam vult imitari malitia, itemque de iustitia, quae semper est utilis, disputatum est. Reliquae sunt duae partes honestatis, quarum altera in animi excellentis magnitudine et praestantia cernitur, altera in conformatione et moderatione continentiae et temperantiae.]

XXVI. 97. Utile videbatur Ulixi, ut quidem poetae tragici prodiderunt — nam apud Homerum optumum auctorem talis de Ulixe nulla suspitio est, sed insimulant eum tragoediae simulatione insaniae militiam subterfugere voluisse: non honestum consilium. «At utile [ut aliquis fortasse dixerit] regnare et Ithacae vivere otiose cum parentibus, cum uxore, cum filio. Ullum tu decus in cotidianis laboribus et periculis cum hac tranquillitate conferendum putas?» Ego vero istam contemnendam et abiciendam, quoniam quae honesta non sit ne utilem quidem esse arbitror. 98. Quid enim auditurum putas fuisse Ulixem, si in illa simulatione perseveravisset? qui, cum maximas res gesserit in bello, tamen haec audiat ab Aiace:

Cuius ipse princeps iuris iurandi fuit,
Quod omnes scitis, solus neglexit fidem.
Furere adsimulare, ne coiret, instititt.
Quod ni Palamedi perspicax prudentia
Istius percepset malitiosam audaciam,
Fide sacratae ius perpetuo falleret.

99. Illi vero non modo cum hostibus, verum etiam cum fluctibus, id quod fecit, dimicare melius fuit quam deserere consentientem Graeciam ad bellum barbaris inferendum. Sed omittamus et fabulas et externa: ad rem factam nostramque veniamus. M. Atilius Regulus, cum consul iterum in Africa ex insidiis captus esset duce Xanthippo Lacedaemonio, imperatore autem patre Hannibalis Hamilcare, iuratus missus est ad senatum, ut, nisi redditi essent Poenis captivi nobiles quidam, rediret ipse Karthaginem. Is cum Romam venisset, utilitatis speciem videbat,

1. *fiunt*] *sunt* c — *facere promissa, astare conventis, reddere deposita* Nonius p. 394. — 3. *iis* B b: *his* H a, *hijs* c — 5. *a quattuor -- duximus* Nonius p. 283. — *ab quatuor* c — 6. *in ijsdem* c — *versemur* C: *versabimur* c — *videantur* A B H a b: *videntur* c c — 7. *neque sint* C: *neque sunt* c — *quam sint* om. c — *virtutibus* A b; *virtuti* c — *Ac de prudentia -- et temperantiae* spuria esse docuit Unger. — 8. *utilis est* H — 9. *est* om. H — 10. *confirmatione* A c — 14. *suspitio* H a: *suspicio* A B b c c — 15. *at* corr. ex *aut* A; *aut* b — *ut aliquis fortasse dixerit* iam Heumanno et Io. M. Heusingero suspecta ego seclusi; *ut*, quod punctis notatum est in A, delendum censuit Ernestius, sed sic quoque displicet verborum ordo. — 17. *et periculis* om. H — 18. *conferendum* om. H — 20. *ulixem fuisse* c — 21. *perseuerasset* c — 23. *cui ipse* a — 24. *neglexerit* B — 25. *assimulare* c: *adsimilavit* B, *adsimulavit* H, *assimulavit* A a b — 26. *palamedi* BH: *palamedis* A a b c c — 27. *percepisset* C (in B tamen littera i erasa videtur) — *audaciam* C: *astutiam* alii. — 28. *fide* A B H c: *ei de* a b — *sacrata* A B H a b; *sacratum* c — 32. *nostramque* C: *nostraque* c — 33. *xantippo* B H — 34. *hanibalis* c, *Annibalis* c — 36. *karthaginem* c: *carthaginem* A B H a b; item p. 735, 14.

sed eam, ut res declarat, falsam iudicavit: quae erat talis: manere in patria, esse domui suae cum uxore, cum liberis, quam calamitatem accepisset in bello communem fortunae bellicae iudicantem tenere consularis dignitatis gradum. Quis haec negat esse utilia? quem censes? Magnitudo animi et fortitudo negat. XXVII. 100. Num locupletiores quaeris auctores? Harum enim est virtutum proprium nihil extimescere, omnia humana despicere, nihil quod homini accidere possit intolerandum putare. Itaque quid fecit? In senatum venit, mandata exposuit, sententiam ne diceret recusavit, «quam diu iure iurando hostium teneretur, non esse se senatorem.» Atque illud etiam — «o stultum hominem» dixerit quispiam «et repugnantem utilitati suae!» — reddi captivos negavit esse utile: illos enim adulescentes esse et bonos duces, se iam confectum senectute. Cuius cum valuisset auctoritas, captivi retenti sunt, ipse Karthaginem rediit, neque eum caritas patriae retinuit nec suorum. Neque vero tum ignorabat se ad crudelissimum hostem et ad exquisita supplicia proficisci, sed ius iurandum conservandum putabat. Itaque tum, cum vigilando necabatur, erat in meliore causa quam si domi senex captivus, periurus consularis remansisset. 101. «At stulte, qui non modo non censuerit captivos remittendos, verum etiam dissuaserit.» Quo modo stulte? etiamne, si rei publicae conducebat? potest autem, quod inutile rei publicae sit, id cuiquam civi utile esse?

XXVIII. Pervertunt homines ea, quae sunt fundamenta naturae, cum utilitatem ab honestate seiungunt. Omnes enim expetimus utilitatem ad eamque rapimur nec facere aliter ullo modo possumus. Nam quis est qui utilia fugiat? aut quis potius qui ea non studiosissime persequatur? Sed quia nusquam possumus nisi in laude, decore, honestate utilia reperire, propterea illa prima et summa habemus, utilitatis nomen non tam splendidum quam necessarium ducimus. 102. Quid est igitur, dixerit quis, in iure iurando? Num iratum timemus Iovem? At hoc quidem commune est omnium philosophorum, non eorum modo, qui deum nihil habere ipsum negotii dicunt, nihil exhibere alteri, sed eorum etiam, qui deum semper agere aliquid et moliri volunt, numquam nec irasci deum nec nocere. Quid autem iratus Iuppiter plus nocere potuisset quam nocuit sibi ipse Regulus? Nulla igitur vis fuit religionis, quae tantam utilitatem perverteret. An ne turpiter faceret? Primum «minima de malis.» Num igitur tantum mali turpitudo ista habebat, quantum ille cruciatus? Deinde illud etiam apud Accium,

— — — Fregistin fidem?
Neque dedi neque do infideli cuiquam

---

1. *sed ea ut* B — 2. *domui* ABHab: *domi* co. Vid. Otto ad Taciti Ann. p. 248. — *sue* in c expunctum est. — 4. *negat* ABHab: *neget* co — 5. *Num* Ac: *Nam* BHab — 6. *auctoris* H — *est proprium uirtutum* H; *uirtutum est proprium* c — *nichil existimescere* a — 10. *se* om. Ab — 13. *senectute*] *senio* A — 14. *patrie caritas* c — 17? *tum inquam cum* c — *iugulando* A — 20. *stulte lib. i. R. P. conducebat? potest autem quod rei publicae inutile sit, id cuiquam ibi utile esse* Nonius p. 274. — 22. *fundata natura* c — 25. *aut potius quis est qui ea non* c — 27. *repperire* BH — *prima* C: *et prima* o — 31. *dicunt* AB²Habo: *trahunt* B¹; [*dicunt*] o — 33. *iupiter* bo — 35. *perverteret* C: *praeverteret* o — 36. *Num*] *Non* C — *habebat* o: *habebit* ABHab — 37. *actium* Ba — 38. *fregistine* ABHab; *fregisti* c.

quamquam ab impio rege dicitur, luculente tamen dicitur. 103. Addunt etiam, quem ad modum nos dicamus videri quaedam utilia quae non sint, sic se dicere videri quaedam honesta quae non sint, «ut hoc ipsum videtur honestum conservandi iuris iurandi causa ad cruciatum revertisse, sed fit non honestum, quia quod per vim hostium esset actum ratum esse non debuit.» Addunt etiam, quicquid valde utile sit, id fieri honestum, etiam si antea non videretur. Haec fere contra Regulum: sed prima videamus.

XXIX. 104. «Non fuit Iuppiter metuendus ne iratus noceret, qui neque irasci solet nec nocere.» Haec quidem ratio non magis contra Reguli, quam contra omne ius iurandum valet. Sed in iure iurando non qui metus, sed quae vis sit debet intellegi. Est enim ius iurandum adfirmatio religiosa: quod autem adfirmate quasi deo teste promiseris, id tenendum est. Iam enim non ad iram deorum, quae nulla est, sed ad iustitiam et ad fidem pertinet. Nam praeclare Ennius:

O Fides alma apta pinnis et ius iurandum Iovis!

Qui ius igitur iurandum violat, is Fidem violat, quam in Capitolio vicinam Iovis optimi maximi, ut in Catonis oratione est, maiores nostri esse voluerunt. 105. «At enim ne iratus quidem Iuppiter plus Regulo nocuisset quam sibi nocuit ipse Regulus.» Certe, si nihil malum esset nisi dolere. Id autem non modo [non] summum malum, sed ne malum quidem esse maxima auctoritate philosophi adfirmant. Quorum quidem testem non mediocrem, sed haud scio an gravissimum Regulum nolite, quaeso, vituperare. Quem enim locupletiorem quaerimus quam principem populi Romani, qui retinendi officii causa cruciatum subierit voluntarium? Nam quod aiunt «minima de malis», id est ut turpiter potius quam calamitose, an est ullum maius malum turpitudine? quae si in deformitate corporis habet aliquid offensionis, quanta illa depravatio et foeditas turpificati animi debet videri? 106. Itaque nervosius qui ista disserunt solum audent malum dicere id, quod turpe sit, qui autem remissius, ii tamen non dubitant summum malum dicere. Nam illud quidem,

Neque dedi neque do infideli cuiquam,

idcirco recte a poeta, quia, cum tractaretur Atreus, personae serviendum fuit. Sed si hoc sibi sument, nullam esse fidem, quae infideli data sit, videant ne quaeratur latebra periurio. 107. Est autem ius etiam bellicum fidesque iuris iurandi saepe cum hoste servanda. Quod enim ita iuratum est, ut mens conciperet fieri oportere, id servandum est: quod

---

2. *non sint* corr. ex *non sunt* B — 3. *uidere dici* c — *dicere* om. p — *sunt* B H a — *Vt hec ipsum* a; *ut hoc ipsa* b — 5. *hostium* om. p — *actum esset* c; fort. *est actum.* — 6. *non debuit*] Post haec sextam adversariorum contra Regulum rationem (*Cur igitur ad senatum proficiscebatur, cum praesertim de captivis dissuasurus esset?*) excidisse censet Ungerus, coll. § 110. — 9. *iupiter* A b c; item v. 19. — 10. *nec irasci* c — 12. *sit* om. a — *intelligi debet* c — 13. *affirmat et quasi* c — 15. *ad* ante *fidem* om. c — 16. *pennis* B² c — 17. *igitur iusiurandum* c — *is fidem violat* om. H, in marg. habet a, post *iovi* c — 18. *iovi* (om. *optimi maximi*) c — 20. *ipse nocuit* A — 21. *dolore* B² b — *non* ante *summum* om. c p c — 23. *haut* a — 24. *queso nolite* c — 25. *subierit*] *sibi ferat* p — 26. *minima demaris* a b — 27. *in fortitudine corporis* H — 28. *habet* c: *habeat* A B H a b — 30. *dicere* om. c p — *id quod -- malum dicere* om. A — 31. *ii* B b: *hi* H a, *hij* c — 36. *ne querant latebram* c — *autem* C: om. c — 37. *ita* om. A b.

aliter, id si non fecerit, nullum est periurium. Ut, si praedonibus pactum pro capite pretium non attuleris, nulla fraus est, ne si iuratus quidem id non feceris. Nam pirata non est ex perduellium numero definitus, sed communis hostis omnium: cum hoc nec fides debet nec ius iurandum esse commune. 108. Non enim falsum iurare periurare est, sed, quod ex animi tvi sententia iuraris, sicut verbis concipitur more nostro, id non facere periurium est. Scite enim Euripides:

Iuravi lingua, mentem iniuratam gero.

Regulus vero non debuit conditiones pactionesque bellicas et hostiles perturbare periurio. Cum iusto enim et legitimo hoste res gerebatur, adversus quem et totum ius fetiale et multa sunt iura communia. Quod ni ita esset, numquam claros viros senatus vinctos hostibus dedidisset. XXX. 109. At vero T. Veturius et Sp. Postumius, cum iterum consules essent, quia, cum male pugnatum apud Caudium esset, legionibus nostris sub iugum missis pacem cum Samnitibus fecerant, dediti sunt iis: iniussu enim populi senatusque fecerant. Eodemque tempore Ti. Numicius, Q. Maelius, qui tum tribuni pl. erant, quod eorum auctoritate pax erat facta, dediti sunt, ut pax Samnitium repudiaretur. Atque huius deditionis ipse Postumius, qui dedebatur, suasor et auctor fuit. Quod idem multis annis post C. Mancinus, qui ut Numantinis, quibuscum sine senatus auctoritate foedus fecerat, dederetur, rogationem suasit eam, quam L. Furius, Sex. Atilius ex senatus consulto ferebant: qua accepta est hostibus deditus. Honestius hic quam Q. Pompeius, quo, cum in eadem causa esset, deprecante accepta lex non est. Hic ea, quae videbatur utilitas, plus valuit quam honestas, apud superiores utilitatis species falsa ab honestatis auctoritate superata est. 110. «At non debuit ratum esse, quod erat actum per vim.» Quasi vero forti viro vis possit adhiberi. «Cur igitur ad senatum proficiscebatur, cum praesertim de captivis dissuasurus esset?» Quod maximum in eo est, id reprehenditis. Non enim suo iudicio stetit, sed suscepit causam, ut esset iudicium senatus: cui nisi ipse auctor fuisset, captivi profecto Poenis redditi essent. Ita incolumis in patria Regulus restitisset. Quod quia patriae non utile putavit, idcirco sibi honestum et sentire illa et pati credidit. Nam quod aiunt, quod valde utile sit, id fieri honestum, immo vero esse, non fieri. Est enim nihil utile, quod idem non honestum, nec, quia utile, honestum, sed, quia honestum, utile. Qua re ex multis

---

1. *fecerit* C: *feceris* o — 4. [*definitus*] o cum Grutero et I. M. Heusingero. — *ne fides* a — *debet om.* A — 7. *Scite enim* A o: *Scit enim* B H a b — 8. *gero*] *tenens*, superscr. m. sec. *gerens*, o — 9. *conditiones* A B H a e, *condiciones* b: *condictiones* o — *et hostiles* om. p — 10. *periurio perturbare* o — 11. *feciale* A b o — 12. *uinctos* A o: *uictos* B H a b — *dedidisset* corr. ex *dedisset* a; *dedisset* A B — 13. *T.* o: *ti.* A H a b, *ti* (superscr. *h*) B — *Sp.*] *spurius* A B a b — 14. *quia cum* B^1 a b o: *quis acum* H; *qui secum* B^2 — *esset apud cadium* o — 15. *iis* A B b: *his* H a, *hijs* o — 16. *enim senatus fecerant* o — *tiberius minucius .Q. emilius* H, *tiberius minutius .Q. emilius* a, *ti. minutius. Q. emilius* e, *tiberius minuciusque emilius* B, *tiberius minutiusque emilius* A b. «Pal. noster non abit ab eis libris, qui praeferunt *Ti. Minucius, Q. Aemilius.*» Grut. — 19. *debebatur* H — 20. *G.* A H — 22. *L. furius* C: *P. Furius* o cum Oudendorpio. — *senatus consulto*] *s. c.* C — 23. *quamquam pompeius* o — 26. *ab honestate auctoritatis* b — 27. *vis* om. H — 28. *adhibere* b — *igitur regulus ad* c — *de captivis* om. c — 31. *cui*] *Quod* c — *fuisset* om. A^1 b; *esset* A^2 — 35. *nec quia utile honestum* om. c.

mirabilibus exemplis haud facile quis dixerit hoc exemplo aut laudabilius aut praestantius.

XXXI. 111. Sed ex tota hac laude Reguli unum illud est admiratione dignum, quod captivos retinendos censuit. Nam quod rediit nobis nunc mirabile videtur, illis quidem temporibus aliter facere non potuit. Itaque ista laus non est hominis, sed temporum. Nullum enim vinculum ad astringendam fidem iure iurando maiores artius esse voluerunt. Id indicant leges in duodecim tabulis, indicant sacratae, indicant foedera, quibus etiam cum hoste devincitur fides, indicant notiones animadversionesque censorum, qui nulla de re diligentius quam de iure iurando iudicabant. 112. L. Manlio A. f., cum dictator fuisset, M. Pomponius tribunus pl. diem dixit, quod is paucos sibi dies ad dictaturam gerendam addidisset; criminabatur etiam, quod Titum filium, qui postea est Torquatus appellatus, ab hominibus relegasset et ruri habitare iussisset. Quod cum audivisset adulescens filius negotium exhiberi patri, accurrisse Romam et cum prima luce Pomponii domum venisse dicitur. Cui cum esset nuntiatum, qui illum iratum allaturum ad se aliquid contra patrem arbitraretur, surrexit e lectulo remotisque arbitris ad se adulescentem iussit venire. At ille, ut ingressus est, confestim gladium destrinxit iuravitque se illum statim interfecturum, nisi ius iurandum sibi dedisset se patrem missum esse facturum. Iuravit hoc terrore coactus Pomponius: rem ad populum detulit, docuit cur sibi causa desistere necesse esset, Manlium missum fecit. Tantum temporibus illis ius iurandum valebat. [Atque hic T. Manlius is est, qui ad Anienem Galli, quem ab eo provocatus occiderat, torque detracto cognomen invenit, cuius tertio consulatu Latini ad Veserim fusi et fugati, magnus vir in primis et qui perindulgens in patrem, idem acerbe severus in filium.]

XXXII. 113. Sed, ut laudandus Regulus in conservando iure iurando, sic decem illi, quos post Cannensem pugnam iuratos ad senatum

---

1. *haut* B[1] a — *aut l.*] *ut l.* H — 6. *Itaque ita laus* a — 7. *stringendam* c — 8. *Id* om. c — *sacra* c — 9. *notiones* corr. ex *motiones* a; *inotiones* BH, *innotiones* A b — 11. *L. manlio. ae. cum* A b; *l. mallio cum* c — *dictator esset* c — 12. *tr. pl.* C; *tribunus plebi* c — *dies sibi* (sed transponendi signis additis) c; *sibi* om. A — *dies ad dicturam* B; *dies adicturam* b — 13. *qui - - appellatus* glossatori tribuit I. F. Heusinger. Cf. v. 24 sq. — 14. *rure* c — 15. *quod cum - - exhiberi patri* Nonius p. 405. — *audisset* c — *exhibere* p — 16. *et cum* [*prior ire luce claro non queo*] Nonius p. 240. Verba seclusa cum non sint Ciceronis, quaedam excidisse apud Nonium recte suspicatur Mercerus. — *cum prima luce* A B H a b: *cum primo lucis* c; *cum primo luci* c cum Beiero. — *l. pomponii ad domum* c — 17. *qui* C: *quod* alii. — *iuratum* H — 19. *congressus* c p — 20. *statim*] *confestim* c — 21. *sibi* om. H — *coactus terrore* c c — 22. *causa* om. A b — 23. *Manilium misum faci . tantum temporibus illis iuransdum valebat* Nonius p. 348. — *manilium* c — 24. *ualuit* c — *Atque hic T. Manlius - - in filium.*] De antiquo hoc emblemate a me secluso vere Ernestius: «Haec si abessent, nemo desideraret. Non enim pertinent ad causam, de qua hic agitur. Illud etiam de cognomine iam ante dictum est. Videntur ad marginem ab aliquo scripta in textum venisse.» Etiam verba ipsa in posteriore saltem parte Tullianum sermonem minime referunt. — *atque hic Titus Manlius - - Anienum - - cognomen invenit* Nonius p. 228. — *T.* H: *ti.* ABabc — *manilius* c — *is est*] *idem* A b — *anienam* A — *gallo torquem detraxit quem* c — 26. *ueseris* c — *fugati* superscr. schollo *s. sunt* a; *fugati sunt* c — *magnus vir - - in filium* Nonius p. 326. — 27. *et qui - - severus inquit filium* idem p. 390. — *qui perindulgens* A[1] B H a b et Nonius: *qui nuper indulgens* A[2]; *qui semper indulgens* c — 29. *anienensem* a — *iuratos ad senatum misit hannibal, se in castra* c: *iuratos* (*iuratus* b) *in castra* (mediis omissis) A[1] B H (hic cum lacuna) a b; *iuratos ad senatum missos in castra* A[2] p.

misit Hannibal, se in castra redituros ea, quorum erant potiti Poeni, nisi de redimendis captivis impetravissent, si non redierunt, vituperandi. De quibus non omnes uno modo. Nam Polybius, bonus auctor in primis, ex decem nobilissimis, qui tum erant missi, *novem revertisse dicit re a senatu non impetrata: unum ex decem, qui paulo post quam erat* egressus e castris redisset, quasi aliquid esset oblitus, Romae remansisse. Reditu enim in castra liberatum se esse iure iurando interpretabatur, non recte; fraus enim distringit, non dissolvit periurium. Fuit igitur stulta calliditas, perverse imitata prudentiam. Itaque decrevit senatus ut ille veterator et callidus vinctus ad Hannibalem duceretur. [114. Sed illud maxumum. Octo hominum milia tenebat Hannibal, non quos in acie cepisset aut qui periculo mortis diffugissent, sed qui relicti in castris fuissent a Paulo et a Varrone consulibus. Eos senatus non censuit redimendos, cum id parva pecunia fieri posset, ut esset insitum militibus nostris aut vincere aut emori. Qua quidem re audita fractum animum Hannibalis scribit idem, quod senatus populusque Romanus rebus afflictis tam excelso animo fuisset. Sic honestatis comparatione ea, quae videntur utilia, vincuntur.] 115. Acilius autem, qui Graece scripsit historiam, plures ait fuisse, qui in castra revertissent eadem fraude, ut iure iurando liberarentur, eosque a censoribus omnibus ignominiis notatos. Sit iam huius loci finis. Perspicuum est enim ea, quae timido animo, humili, demisso fractoque fiant, quale fuisset Reguli factum, si aut de captivis quod ipsi opus esse videretur, non quod rei publicae, censuisset aut domi remanere voluisset, non esse utilia, quia sint flagitiosa, foeda, turpia.

XXXIII. 116. Restat quarta pars, quae decore, moderatione, modestia, continentia, temperantia continetur. Potest igitur quicquam utile esse, quod sit huic talium virtutum chore contrarium? Atqui ab Aristippo Cyrenaici atque Annicerii philosophi nominati omne bonum in voluptate posuerunt virtutemque censuerunt ob eam rem esse conlaudandam, quod efficiens esset voluptatis. Quibus obsoletis floret Epicurus, eiusdem fere adiutor auctorque sententiae. Cum his viris equisque,

---

1. *Annibal* o — *erant potiti* om. p — *potiti* c: *titi* A B a b; om. (in lacuna) H — 4. *novem revertisse -- paulo post quam erat* c: om. A B H a b — *dicit* c: om. o — 5. *re a senatu* c: *a senatu re* o — *ex decem* c: om. alii. — 6. *rediit. sed quasi* a — *mansisse* H — 8. *distringit* A B H a b (et Unger): *astringit* c p o — *periurium* secl. Ernestius et Unger cogitatione supplentes *iusiurandum*; in A verba sic distincta sunt: *dissolvit. Periurium. Fuit* cet. — 10. *Annibalem* o — 11. *Sed illud -- vincuntur* a mala manu accessisse censuit I. M. Heusinger, «quippe quae nec verbis similia sunt iis, quae Cicero scripsit, nec cum rebus ipsis conveniunt. Totum enim exemplum, quod iam Wolfius sensit, a re proposita alienum invitoque Cicerone cum ceteris contextum est.» Accedit quod hoc exemplo contemptae prae honestate utilitatis, cui aptior locus erat inter §§ 47 et 48, Polybii et Acilii narrationes de neglecto iure iurando pessime dirimuntur. — *milia hominum* c — *Annibal* B o — 12. *periculum mortis defugissent* c o; *periculum mortis effugissent* p — 13. *et abarsone cons.* A B H a b — 14. *id* om. c — 15. *aut mori* A — 16. *Annibalis* o — *scripsit* c — 18. *Acilius* A c: *Facilius* B H a b — 20. *eosque accensoribus* B H[1] — 21. *Sit etiam h. l. finis* a; *Sed iam h. l. finis sit* c p — *perspicuum -- humili, dimisso.* [*unus accipit affert*] Nonius p. 285 sq. — 23. *ipsi*] *sibi* p — 25. *foeda et turpia* B H a b — 28. *talium* om. B[1] — 29. *annicori* c — 30. *conlaudandam* (*c̄laudandam*) nos: *claudandam* H, *claudandam* corr. in *claudendam* B; *laudandam* A a b c o — 32. *hijs* c — *viris equisque* c p: *ueris equisque* A B H b, *ueri sequisque* (superscr. *pedissequis*) a.

ut dicitur, si honestatem tueri ac retinere sententia est, decertandum est. 117. Nam si non modo utilitas, sed vita omnis beata corporis firma constitutione eiusque constitutionis spe explorata, ut a Metrodoro scriptum est, continetur, certe haec utilitas et quidem summa — sic enim censent — cum honestate pugnabit. Nam ubi primum prudentiae locus dabitur? an, ut conquirat undique suavitates? Quam miser virtutis famulatus servientis voluptati! Quod autem munus prudentiae? an legere intellegenter voluptates? Fac nihil isto esse iucundius, quid cogitari potest turpius? Iam, qui dolorem summum malum iudicat, apud eum quem habet locum fortitudo, quae est dolorum laborumque contemptio? Quamvis enim multis locis dicat Epicurus, sicuti dicit, satis fortiter de dolore, tamen non id spectandum est, quid dicat, sed, quid consentaneum sit ei dicere, qui bona voluptate terminaverit, mala dolore: ut, si illum audiam de continentia et temperantia, dicit ille quidem multa multis locis, sed aqua haeret, ut aiunt. Nam qui potest temperantiam laudare is, qui ponat summum bonum in voluptate? est enim temperantia libidinum inimica, libidines autem consectatrices voluptatis. 118. Atque in his tamen tribus generibus, quoquo modo possunt, non incallide tergiversantur. Prudentiam introducunt scientiam suppeditantem voluptates, depellentem dolores. Fortitudinem quoque aliquo modo expediunt, cum tradunt rationem neglegendae mortis, perpetiendi doloris. Etiam temperantiam inducunt non facillime illi quidem, sed tamen quoquo modo possunt. Dicunt enim voluptatis magnitudinem doloris detractione finiri. Iustitia vacillat vel iacet potius omnesque eae virtutes, quae in communitate cernuntur et in societate generis humani. Neque enim bonitas nec liberalitas nec comitas esse potest, non plus quam amicitia, si haec non per se expetantur, sed ad voluptatem utilitatemve referantur. Conferamus igitur in pauca. 119. Nam ut utilitatem nullam esse docuimus, quae honestati esset contraria, sic omnem voluptatem dicimus honestati esse contrariam. Quo magis reprehendendos Calliphontem et Dinomachum iudico, qui se dirempturos controversiam putaverunt, si cum honestate voluptatem tamquam cum homine pecudem copulavissent. Non recipit istam coniunctionem honestas, aspernatur, repellit. Nec vero finis bonorum [et malorum], qui simplex esse debet, ex dissimillimis rebus misceri et temperari potest. Sed de hoc — magna enim res est — alio loco pluribus: nunc ad propositum. 120. Quem ad modum igitur, si quando ea, quae videtur utilitas, honestati repugnat,

---

1. *retineri sentias* (superscr. *sententia est*) c — 5. *censet* c — *pugnabat* H — 6. *quam hiser uitutis famulatus et servientis voluntati* Nonius p. 109. — 7. *quo autem* b — 8. *intellegitur* H; *intelligentur* c — *iocundius* a c — 9. *malum iudicat* Lambinus: *malum dicat* C c — 10. *milia, quae est dolorum, laborum contemptio?* Nonius p. 201. — 11. *sicuti dicit* c: *sicut id dicit* A B H a b — *de* om. H — 12. *id expectandum* A b — 18. *in iis* A b, *in hijs* c — *tribus generibus, quo modo possunt, non incallide tergiversantur* Nonius p. 41. — *quo quomodo* B H — 20. *aliquo quo modo* a — 21. *dolores* B — 22. *indicunt* A b — 23. *quo quomodo* B — 24. *detractione finiri* c p: *detractionem fieri* B H; *detrectationem fieri* a; *detrectatione fieri* A b — *uaccillat* A b — *omnesq. aae* a, *omnesque hec* c — 27. *expectantur* A H b (sed in A litt. *c* expuncta est), *exspectantur* c — *sed*] *si* B a b — 28. *ut* om. A b — 30. *contrariam esse* B — 31. *calliphonem* C. Conf. p. 107, 13. 182, 11. 517, 9. — 33. *istam*] *is* A b — 34. *et malorum* del. Muretus (Var. Lect. XIV, 3). — 35. *dissimilibus* B[1] — 37. *videtur* c: *videretur* B H a b; *viderentur* A.

diiudicanda res sit, satis est supra disputatum. Sin autem speciem utilitatis etiam voluptas habere dicetur, nulla potest esse ei cum honestate coniunctio. Nam, ut tribuamus aliquid voluptati, condimenti fortasse non nihil, utilitatis certe nihil habebit.

121. Habes a patre munus, Marce fili, mea quidem sententia magnum, sed perinde erit, ut acceperis. Quamquam hi tibi tres libri inter Cratippi commentarios tamquam hospites erunt recipiendi, sed, ut, si ipse venissem Athenas, quod quidem esset factum, nisi me e medio cursu clara voce patria revocasset, aliquando me quoque audires, sic, quoniam his voluminibus ad te profecta vox est mea, tribues iis temporis quantum poteris, poteris autem quantum voles. Cum vero intellexero te hoc scientiae genere gaudere, tum et praesens tecum prope diem, ut spero, et, dum aberis, absens loquar. Vale igitur, mi Cicero, tibique persuade esse te quidem mihi carissimum, sed multo fore cariorem, si talibus monumentis praeceptisque laetabere.

---

2. *dicitur* A c — 6. *hi*] *et hij* c — 10. *tribus* A — *iis*] *his* A B H a b, *hijs* c — *temporibus* H — 11. *quantum poteris autem* A b — 15. *monumentis* A B H a b: *monimentis* c o; *monitis* Lambinus. Cf. I § 156. — *laetabare* A — *M. Tvllii Ciceronis de officiis libri tres explicivnt feliciter* a; *M. Tullii Ciceronis de officiis libri tres expliciunt* A B H b; *Marci tullij ciceronis liber de officijs explicit* c.

SUPPLEMENTA ADNOTATIONIS.

Pag. 643, 30. Pro *Quorum autem* cet. scribendum esse *Quae autem officiorum praecepta traduntur*, censet Henr. Muther in Iahnii Annall. philol. et paedag. vol. LXXXI p. 624.

» 644, 32. *progressus et quasi intercessiones* idem ibidem.

» 645, 43. Locum interpolatum esse Halmius quoque agnoscit, sed dubitat an verba *aut docenti* spuria sint.

» 646, 27. Adnotatio critica sic mutanda est: «*intermissione* ABHab (in ABH litterae *ne* deletae sunt).» Paulo ante ad v. 23. dele punctum interrogationis.

» 647, 6. Fuerunt qui legendum censerent: *quod cuique obtigit, id quisque teneat: aequo si quis sibi plus* (quod addunt codices aliquot interpolati) *appetet, violabit ius humanae societatis*. At non ea sententia est, iniustum esse eum, qui plus appetat quam habeat (vel quam aequum sit eum habere), sed eum, qui *alienum appetat et id, quod alteri detraxerit, sibi adsumat* (III § 23). Quae sententia nunc mihi ita restitui posse videtur, si pro codicum lectione *e quo*, quam ferri posse cum aliis nego, una littera addita scribas *de quo si quis sibi appetet*, ut praepositione *de* demendi et detrahendi notio significetur, pro eo, quod plene sic diceretur: *de quo* (i. e. de eo, quod alteri obtigit) *si quis detrahere et sibi adsumere volet*. Cf. Hand Tursell. II p. 188 sq.

» 648, 14. Ad verba *an consulto et cogitata fiat iniuria* conferunt § 136: *ad hoc genus castigationis raro invitique veniemus*. p. Roscio Am. § 123: *quod invitus ac necessario facio*. ad Famil. VII, 22: *bene potus seroque redieram*. Sed maxime firmant lectionem *cogitata* quae mox sequuntur: *ea, quae meditata et praeparata inferuntur*.

» 648, 27. Pro lectione codicis e *in altero delinquunt* scribendum esse *in alterum vitium incidunt* suspicatur Halmius.

» 654, 11. In contextu verborum scribe *diligimur*, in commentario: *diligamur* AB²abc.

» 665, 31. Receptum verborum ordinem commendant etiam verba, quae leguntur II § 87: *Res autem familiaris quaeri debet iis rebus, a quibus abest turpitudo, conservari autem diligentia et parsimonia, eisdem etiam rebus augeri*.

» 668, 23. Emendationem Madvigianae admodum similem nuperrime hanc protulit Maur. Seyffert (*Zeitschr. für das Gymnasialw.* XV p. 63 sqq.): *Alter est, si tempore fit et si remisso animo, maximo homine dignus, alter ne libero quidem, si rerum turpitudini adhibetur verborum obscenitas*.

» 671, 4. Pro *esse se* simpliciter *se* vel *sese* scribendum censet Halmius.

» 672, 9 sq. Aliam rationem huius loci emendandi, cui tamen equidem Manutianam et praetuli et praefero, Herm. Sauppius hanc iniit, ut Ciceronem scripsisse arbitraretur: *Nam quod Herculem est apud Xenophontem* cet. «In margine adnotaverant vel *Socrates dicit* vel *Prodicus dicit*, quae deinde verbis Ciceronis inserta ut reliquis accommodarentur et ipsa mutata sunt et particula quae est *ut* addita est.»

» 712, 26. Verba seclusa (*aut Aristides*) desumpta videntur ex iis, quae dicta sunt III § 87: *Fabricio, qui talis in hac urbe qualis Aristides Athenis fuit*.

M. TULLII CICERONIS

PARADOXA STOICORUM.

RECENSUIT

CAROLUS HALM.

NOTARUM INDEX.

V = codex Vindobonensis, v. supra p. 1. Paradoxorum librum ex hoc codice totum in nostrum usum descripsit Carolus Schenkl. Eundem Detlefsen quoque excussit; v. *Sitzungsberichte der philos.-histor. Classe der Wiener Akademie* XXI, p. 110 (1856).

A = codex Leidensis Vossianus num. 84, quem ipsi excussimus.

B = codex Leidensis Vossianus num. 86. Contulit Baiterus.

C = A B V.

O = exemplum Orellianum.

Praeter hos libros aut primum aut iterum collatos habuimus Parisinum num. 7830, Oehlerianum, qui nunc exstat in bibliotheca seminarii philologici Gissensis, Duisburgensem, qui nunc est Bonnensis, Erlangensem, Gudianos num. 2 et num. 150 bibliothecae Wolfenbuttelanae, sed meliora illa subsidia postea demum nacti facile ante comparatis supersedere potuimus. Praeterea lectiones libri Bernensis num. 702, quas C. G. Muellerus in Analectorum Bernensium particula II exscripsit, inspeximus.

---

1. Animadverti, Brute, saepe Catonem, avunculum tuum, cum in senatu sententiam diceret, locos graves ex philosophia tractare abhorrentes ab hoc usu forensi et publico, sed dicendo consequi tamen, ut illa etiam populo probabilia viderentur. 2. Quod eo maius est illi quam aut tibi aut nobis, quia nos ea philosophia plus utimur, quae peperit dicendi copiam et in qua dicuntur ea, quae non multum discrepent ab opinione populari, Cato autem, perfectus mea sententia Stoicus, et ea sentit, quae non sane probantur in vulgus, et in ea est haeresi, quae nullum sequitur florem orationis neque dilatat argumentum; minutis interrogatiunculis quasi punctis quod proposuit efficit. 3. Sed nihil est

---

Paradoxa Stoicorum C: *Paradoxa* O. Firmatur inscriptio libri a Diomede grammatico p. 383 ed. Keilii.

Editiones ante *Animadverti* habent *Prooemium*. — 1. *in* om. V — 6. *discrepent* C: *discrepant* O — *ab opinione* A^2 B: *opinione* V, *oppinione* A^1 — 8. *uolgus* B — *heresi* C — 9. *minutis* C: *sed minutis* O; in V post *argumentum* in margine *cum* adiectum est. — 10. *effecit* V^1.

tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile, nihil tam horridum, tam incultum, quod non splendescat oratione et tamquam excolatur. Quod cum ita putarem, feci etiam audacius quam ille ipse, de quo loquor. Cato enim dum taxat de magnitudine animi, de continentia, de morte, de omni laude virtutis, de dis inmortalibus, de caritate patriae stoice solet oratoriis ornamentis adhibitis dicere: ego tibi illa ipsa, quae vix in gymnasiis et in otio Stoici probant, ludens conieci in communes locos. 4. Quae quia sunt admirabilia contraque opinionem omnium — ab ipsis etiam παράδοξα appellantur —, temptare volui possentne proferri in lucem [id est in forum] et ita dici, ut probarentur, an alia quaedam esset erudita, alia popularis oratio, eoque hos locos scripsi libentius, quod mihi ista παράδοξα quae appellant maxime videntur esse Socratica longeque verissima. 5. Accipies igitur hoc parvum opusculum, lucubratum his iam contractioribus noctibus, quoniam illud maiorum vigiliarum munus in tuo nomine apparuit, et degustabis genus exercitationum earum, quibus uti consuevi, cum ea, quae dicuntur in scholis θετικῶς, ad nostrum hoc oratorium transfero dicendi genus. Hoc tamen opus in acceptum ut referas nihil postulo; non enim est tale, ut in arce poni possit, quasi Minerva illa Phidiae, sed tamen, ut ex eadem officina exisse appareat.

PARADOXON I.

Ὅτι μόνον τὸ καλὸν ἀγαθόν.

I. 6. Vereor ne cui vestrum ex otiosorum hominum disputationibus, non ex meo sensu depromta haec videatur oratio, dicam quod sentio tamen et dicam brevius quam res tanta [dici] poscet. Numquam

---

1. *quod* B in rasura habet — 4. *loquor* A^2B: *locor* A^1, *loquimur* V, sed ead. m. sup. lin. *uel loquor* — *de cont. de morte*] *de contemnenda morte* Walker et Bentley — 5. *diis* C O — 6. *ego tibi* C: *Ego vero* O — 9. *etiam* A sup. lin., sed prima manu, ut videtur. — *tentare* O — 10. *id est in forum*] haec verba, quae suspecta erant Bentleio aliisque criticis et absunt a codd. nonnullis, A in rasura m. 2. scripta habet. — 11. *hos locos* C: om. O — 12. *quo mihi* V — 16. *genus* C: *genus hoc* O — *earum* V, sed corr. in *mearum* — 17. *scolis* V^2 — *ΘΕΤΙΚΩC* V: *ΘΕΤΙΚΩC* (*ΘΗΤΙΚΩC* A) *posidua* (*possidua* corr. A) AB; *vel ΘΕΤΙΚΑ* V^2, adiecto manu posteriore *i. e. possessiua*; *θετικά* O — 18. *acceptum*] *uel apertum* V^2 — *non est enim* B O — 19. *tale* C: om. O — *arce* B V, sup. lin. uterque: *arca* V^1, *arte* B^1, *ut in arce* A in ras. habet — *illa Minerva* O — *sed* om. B — 20. *officina exisse appareat* B V^1: *officina exisse appareat . in hac eadem figura exisse appareat* A; in V deletis verbis *exisse app.* (post *officina*) in marg. ead. m. adscriptum est: *in hac eadem figura exisse appareat* — 21. *Paradoxon I.* om. in C, item reliqui tituli omnes — 22. *Ὅτι μόνον τὸ καλὸν ἀγαθόν* C (sed A B adscripto *quod honestum sit id solum bonum* [*beatum* A] *esse*): *Ὅτι μόνον ἀγαθὸν τὸ καλόν* O, apud quem versio Latina adiecta illa quidem, sed cancellis circumscripta est; eandem habet V in marg. — 23. *ex otiosorum* Markland (ad Stat. Sylv. p. 273): *exoticorum* A B^1 V^1, *ex atticorum* B^2, *ex Stoicorum* V^2 O — 24. *deprompta* B V^2 O — *dicam tamen quod sentio* O — 25. *dici* inclusimus; nam et infinitivus post *poscere* offensioni est (v. tamen Weissenborn in Iahn. Ann. 1842, 4, p. 448) neque exspectares *res tanta dicitur*, sed *de re tanta*. — *poscet* scripsi: *potest* C, *poscit* O.

hercule ego neque pecunias istorum neque tecta magnifica neque opes neque imperia neque eas, quibus maxume astricti sunt, voluptates in bonis rebus aut expetendis esse duxi, quippe cum viderem rebus his circumfluentis ea tamen desiderare maxime, quibus abundarent. Neque enim umquam expletur nec satiatur cupiditatis sitis, neque solum ea qui habent libidine augendi cruciantur, sed etiam amittendi metu. 7. In quo equidem continentissimorum hominum, maiorum nostrorum, saepe requiro prudentiam, qui haec inbecilla et commutabilia [pecuniae membra] verbo b o n a putaverunt appellanda, cum re ac factis longe aliter iudicavissent. Potestne bonum cuiquam malo esse aut potest quisquam in abundantia bonorum ipse esse non bonus? Atqui ista omnia talia videmus, ut etiam inprobi habeant et absint probis. 8. Quam ob rem licet inrideat si qui vult, plus apud me tamen vera ratio valebit quam vulgi opinio; neque ego umquam bona perdidisse dicam, si quis pecus aut supellectilem amiserit, nec non saepe laudabo sapientem illum, Biantem, ut opinor, qui numeratur in septem: cuius quom patriam Prienam cepisset hostis ceterique ita fugerent, ut multa de suis rebus asportarent, cum esset admonitus a quodam ut idem ipse faceret, «Ego vero» inquit «facio; nam omnia mecum porto mea.» 9. Ille haec ludibria fortunae ne sua quidem putavit, quae nos appellamus etiam bona. Quid est igitur, quaeret aliquis, bonum? Si quod recte fit et honeste et cum virtute, id bene fieri vere dicitur, quod rectum et honestum et cum virtute est, id solum opinor bonum. II. 10. Sed haec videri possunt odiosiora, cum lentius disputantur: vita atque factis inlustrata sunt

---

1. *hercule* A[1] V: *me hercule* A[2] O, *mercule* B — *tectam magnificam* B[1] — 3. *uiderem, homines rebus his* O — 4. *circumfluentibus* C, *circumfluentes* O — *ea*] *et* A[1] V — *habundarent* AV[1] — 5. *expletur unquam* O — *saciatur* A B V[1] — 6. *quae habent* codd. aliqui — *lubidine* V[2] — *meto* B[1] — 7. *nostrum* V[1] — 8. *quia haec* B — *pecuniae membra* glossema esse vidit Bentley; *pecuniae* [*membra*] O; cf. O. Heine in Schneidewini Philologo, X p. 117 (*pecuniae munera* Schuetz, *fortunae munera* Peerlkamp) — 9. *uera bona* V[1] — *appellandus* B[1] — 10. *esset* B[1] — *aut* B in ras. — 12. *absint* Madvig: *obsint* C O. «Qui potuit non animadverti scribendum esse: *ut et improbi habeant et a b s i n t probis*, i. e. boni non habeant? Nihil bonis haec obsunt, sed magis improbis (vel potius *nocent*), qui male utendo scelera contrahunt, sed de eo omnino non agitur. Non poterat Cicero dicere *desint*, quoniam quae omnino bonis opus non sunt, iis non desunt; *abesse alicui* dixit Cicero de Orat. I, § 12. de N. D. II, § 37 etc.» MADVIG. Putamus tamen *etiam* habere quo defendi possit. Emendationem *absint* iam Ochsnerus in Eclog. p. 362 proposuerat, item tentata est in cod. aliquo Manutii, qui habet: *absint a bonis* — 13. *si quis* V[2] — *apud me* [*tamen*] O — 14. *bonus* B[1] — *si quis* C: *si qui* O — 15. *suppellectilem* AV — *amisserit* B — *neque non* O — *laudabo*] *dabo* B in ras. — 16. *quom* V: *quam* A, *cum* B et V sup. lin. — *patrium* B[1] — 17. *Prienam* C (sed V *priennam*): *Prienen* O — *coepisset* C — *rebus secum asportarent* O — 19. *inquid* B[1] — 21. *si quod* Bentley: *si quid* C O. Lectionem *si quod* iam H. Wolfius commendaverat. — 22. *et quod rectum* codd. invitis O, toto loco sic distincto: *Si quid recte fit et honeste et cum virtute, id bene fieri, vere dicitur; et, quod rectum* etc. (*Si quid recte fit, id bene fieri vere dicitur; igitur quod rectum est* etc. O. Heine) — 24. *odiosiora* C: *obscuriora* O, ut est in V sup. lin. a m. recenti — *lentius* C: *diligentius* Ruhnkenius (v. Schneidew. Philol. V, 754), *tenuius, ieiunius, latius* alii, possis etiam *subtilius*, neque tamen videtur quidquam mutandum esse, praesertim restituta lectione librorum *odiosiora*. Ait enim Cicero: Sed haec videri possunt auribus molestiora (videtur enim *odiosiora* idem esse quod nostrum «*etwas widerwärtig, langweilig*»), cum nimis lente et parum presse, ut in philosophorum disputatione solet, disputantur. Illud tamen in incerto relinquimus verane sit lectio *odiosiora* an scribendum *otiosiora*, i. e. parum utilia. — *inlustrata* C: *illustranda* O.

summorum virorum [haec quae verbis subtilius quam satis est, disputari videntur]. Quaero enim a vobis, num ullam cogitationem habuisse videantur ii, qui hanc rem publicam tam praeclare fundatam nobis reliquerunt, aut argenti ad avaritiam aut amoenitatum ad delectationem aut supellectilis ad delicias aut epularum ad voluptates? 11. Ponite ante oculos unum quemque [regum]. Voltis a Romulo? voltis post liberam civitatem ab iis ipsis, qui liberaverunt? Quibus tandem Romulus gradibus ascendit in caelum? iisne, quae isti bona appellant, an rebus gestis atque virtutibus? Quid? a Numa Pompilio minusne gratas dis inmortalibus capudines ac fictiles urnulas fuisse quam felicatas aliorum pateras arbitramur? Omitto reliquos; sunt enim omnes pares inter se praeter Superbum. 12. Brutum si qui roget, quid egerit in patria liberanda, si quis item reliquos eiusdem consilii socios, quid spectaverint, quid secuti sint: num quis existat, cui voluptas, cui divitiae, cui denique praeter officium fortis et magni viri quicquam aliud propositum fuisse videatur? Quae res ad necem Porsennae C. Mucium inpulit sine ulla spe salutis suae? Quae vis Coclitem contra omnes hostium copias tenuit in ponte solum? quae patrem Decium, quae filium devota vita inmisit in armatas hostium copias? Quid continentia C. Fabricii, quid tenuitas victus M'. Curii sequebatur? Quid duo propugnacula belli Punici, Cn. et P. Scipiones, qui Carthaginiensium adventum corporibus suis intercludendum putaverunt? quid Africanus maior? quid inter horum aetates interiectus Cato? quid innumerabiles alii? — nam domesticis exemplis abundamus —: cogitassene quicquam in vita sibi esse expeten-

---

1. *haec -- disputari videntur* nos inclusimus ut ex glossemate adiecta; nam et otiosa sunt post illa «*sed haec videri possunt* etc.» et loco inepto collocata, ut nihil dicam de illo *quam satis est*, quod quid h. l. valeat difficile est dictu. Adnotavit iam Gruterus. «Suspicor illud *Sed haec videri possunt obscuriora, cum lentius disputantur* totum esse e glossa, aut vero subsequens istud: *haec quae verbis subtilius q. s. e. disputari videntur*. Sed prius magis membrum resecandum quam secundum.» Contra Bentleius deleri iussit verba *cum lentius disputantur* et *summorum virorum haec*. — *suptilius* V^2 — 2. *num ullam* B correctum ex *nullam*: *numillam* A V — 3. *hi qui* C, sed V^1 *ii* — *publicam* om. V; in A *p.* post *rem* superscriptum est manu antiqua, fortasse prima — 4. *aut argenti* C: *aut auri et argenti* O — *amoenitatem* B^1 — 5. *suppellectilis* AV^1 — *aut delicias* B^1, et deinde *aut uoluptates* — *delitias* A — 6. *regum* ex sententia Madvigii inclusimus, qui haec adnotavit: «Quae sequuntur: *Vultis a Romulo? vultis post liberam civitatem* etc. satis ostendunt, non de regibus hoc dici, sed de omnibus, qui proxime significati sunt (*ii qui hanc rem p. tam praecl. fundatam n. r.*) Itaque *regum* tollendum est.» — *uoltis* priore loco V, utroque B — *uultis a Romulo incipere* pauci deteriores interpolate — 7. *ab is* A, *ab his* V^2 — *liberaverunt* [*eam*] O — *gradibus Romulus* O — 8. *ascendit* VA^2: *escendit* $A^1 B^1$ O, *scendit* B^2 — *isne* B^1 — 9. *Numae Pompilii* H. Wolfius et Lamb. cum codd. aliquot dett.; *Numa Pompilius* vel *autem Numa Pompilius* codd. alii; *a Numa Pompilio? minusne* distinxit O — *diis* B O — 10. *capudines* AV^2: *cappudines* B, *cupidines* V^1 (*cupedines* teste Detlefsenio), *capedines* O — *urnulas* C: *hirnulas* O cum codd. Lambini — *felicatas* $A^1 V^2$: *filicatas* $V^1 A^2 B^2$ O, *felicitas* B^1; cf. O. Muellerum ad Festum p. 86. — *aliorum*] *istorum* Lambinus; fort. *Saliorum*. Bait. — 11. *patres* B^1 — 12. *si quis* V^2 — 13. *expectauerint* A^1 V — 14. *existat* A B: *exsistat* O; *Num quid iste* (sup. lin. *existet*) *uoluptas*. *Num quid diuitiae cui denique* etc. V — *cui* ante *uoluptas* A sup. lin. — 16. *prosennae* V^1 — 18. *deuota uita* B (sed *c* posteriori *ta* superscripta): *deuotauit* V, *deuo*^{ac}*tauit* A; *devotavit* [*atque*] O; cf. Madvigii adn. ad Cic. de fin. p. 254. — 20. *M.* C — 21. *cartaginiensium* V^1, *carthaginensium* A, *chartaginiensium* B — 22. *quid Africanus maior? quid minor? quid inter* etc. Christ admodum probabiliter — 23. *interiectos* V^1 — *alii?* nos: *alii* O — 24. *cogitassene* V^1: *cogitassentne* V^2 sup. lin., *cogitasse* A B O — *esse* om. O.

dum nisi quod laudabile esset et praeclarum videretur? III. 13. Veniant igitur isti inrisores huius orationis ac sententiae, et iam vel ipsi iudicent, utrum se horum alicuius, qui marmoreis tectis ebore et auro fulgentibus, qui signis, qui tabulis, qui caelato auro et argento, qui Corinthiis operibus abundant, an C. Fabricii, qui nihil habuit eorum, nihil habere voluit, similes malint? 14. Atque haec quidem, quae modo huc, modo illuc transferuntur, facile adduci solent ut in bonis rebus esse negent: illud arte tenent accurateque defendunt, voluptatem esse summum bonum. Quae quidem mihi vox pecudum videtur esse, non hominum. Tu, cum tibi sive deus sive mater, ut ita dicam, rerum omnium natura dederit animum, quo nihil est praestantius neque divinius, sic te ipse abicies atque prosternes, ut nihil inter te atque inter quadripedem aliquam putes interesse? Quicquam bonum est, quod non eum, qui id possidet, meliorem facit? 15. Ut enim est quisque maxime boni particeps, ita est laudabilis maxime, neque est ullum bonum, de quo non is, qui id habeat, honeste possit gloriari. Quid autem est horum in voluptate? Melioremne efficit aut laudabiliorem virum? an quisquam in potiendis voluptatibus gloriando se et praedicatione ecfert? Atqui si voluptas, quae plurimorum patrociniis defenditur, in rebus bonis habenda non est, eaque quo est maior, eo magis mentem ex sua sede et statu demovet, profecto nihil est aliud bene et beate vivere nisi honeste et recte vivere.

PARADOXON II.

Ὅτι αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν.

[In quo virtus sit, ei nihil deesse ad beate vivendum.]

16. Nec vero ego M. Regulum aerumnosum nec infelicem nec miserum umquam putavi. Non enim magnitudo animi cruciabatur eius a Poenis, non gravitas, non fides, non constantia, non ulla virtus, non denique animus ipse, qui tot virtutum praesidio tantoque comitatu, cum corpus eius caperetur, capi certe ipse non potuit. C. vero Marium vidimus, qui mihi secundis rebus unus ex fortunatis hominibus, adversis unus ex summis viris videbatur, quo beatius esse mortali nihil potest. 17. Nescis, insane, nescis, quantas vires virtus habeat; nomen tantum virtutis usurpas, quid ipsa valeat ignoras. Nemo potest non beatissimus esse, qui est totus aptus ex sese quique in se uno sua ponit

---

1. *uidetur* C, *uideretur* V² — 2. *orationes* B¹ — *etiam* C — 3. *aeborē* B¹ — 4. *celato* V — *chorinthiis* A — 5. *opibus* V² sup. lin. — *eorum habuit* O — 6. *si similes* V¹, *se similes* A B V²; *similes esse* O — 7. *facele* A¹ — *in rebus bonis* O — 8. *arte* A: *arce* V, *arcte* B O — *acriterque* coni. Moser; *curateque* nescio quis — 10. *tu cui tibi* V¹ — 11. *dederint* V — *neque* B sup. lin. — 12. *atque inter* C: *atque* O — 13. *quadripedem* AV¹: *quatripedem* B¹, *quadrupedem* B² V² O — *quicquam* C: *quidquamne* O; v. Heine in Philologo, X, 118. — 14. *qui id* A B corr. ex *quid* — *quisque est* O — 15. *ita est* B: *ita et* A V, *ita etiam* O — 16. *his* A — *quid id* A¹, *quid* B¹ — 18. *potiundis* V² O — *sese* O — *praedicando* V² — 19. *adqui* B¹ — 20. *e sua* O — 21. *dimouet* A² B² — 24. *H* ante *APETH* in A sup. lin. — 27. *eius cruciabatur* B² O — 28. *a paenis* B — 29. *praesidio munitus* aliquot codd. dett. — 31. *fortunatissimis* pauci deteriores.

omnia. Cui spes omnis et ratio et cogitatio pendet ex fortuna, huic nihil potest esse certi, nihil quod exploratum habeat permansurum sibi unum diem. Eum tu hominem terreto, si quem eris nanctus, istis mortis aut exilii minis. Mihi vero quidquid acciderit in tam ingrata civitate, ne recusanti quidem evenerit, non modo non repugnanti. Quid enim ego laboravi aut quid egi aut in quo evigilarunt curae et cogitationes meae, si quidem nihil peperi tale, nihil consecutus sum, ut eo statu essem, quem neque fortunae temeritas neque inimicorum labefactaret iniuria? 18. Mortemne mihi minitaris, ut omnino ab hominibus, an exilium, ut ab inprobis demigrandum sit? Mors *est* terribilis iis, quorum cum vita omnia exstinguuntur, non iis, quorum laus emori non potest; exilium autem illis, quibus quasi circumscriptus est habitandi locus, non iis, qui omnem orbem terrarum unam urbem esse ducunt. Te miseriae, te aerumnae premunt omnes, qui te beatum, qui florentem putas: te lubidines torquent: tu dies noctesque cruciaris, cui nec sat est quod est et id ipsum ne non diuturnum sit futurum times: te conscientiae stimulant maleficiorum tuorum, te metus exanimant iudiciorum atque legum, quocumque adspexisti, ut furiae sic tuae tibi occurrunt iniuriae, quae te suspirare non sinunt. 19. Quam ob rem ut inprobo et stulto et inerti nemini bene esse potest, sic bonus vir et sapiens et fortis miser esse nemo potest. Nec vero, quoius virtus moresque laudandi sunt, eius non laudanda vita est, neque porro fugienda vita est quae laudanda est, esset autem fugienda, si esset misera. Quam ob rem quidquid est laudabile, idem et beatum et florens et expetendum videri decet.

PARADOXON III.

Ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα καὶ τὰ κατορθώματα.

I. 20. Parva, inquit, est res. At magna culpa; nec enim peccata rerum eventis, sed vitiis hominum metienda sunt. In quo peccatur, id potest aliud alio maius esse aut minus, ipsum quidem illud peccare, quoquo verteris, unum est. Auri navem evertat gubernator an paleae, in re aliquantum, in gubernatoris inscitia nihil interest. Lapsa est lubido in muliere ignota, dolor ad pauciores pertinet, quam si petulans

---

1. post *cui* in B *uero* additum m. recentiore — 3. *nanctus* A¹ V¹: *nanctis* B¹, *nactus* C² O — 4. *quicquid* A B V² — *accederit* A¹ — 5. *repungnanti* B — 6. malim *aut quo* (sine *in*), i. e. aut ad quid — *evigilaverunt* O — 10. *est* hic addidimus: om. C, *terribilis est* O — 11. *extinguntur* AV — *non his* B — 12. *illis* C: *iis* O — 14. *omnes* C: om. O — *qui florentem* A B: *te florentem* V haud scio an recte; *qui te florentem* aliquot codd. dett. — 15. *te lubidines torquent* Baiter: *tuae lubidines* (*lib.* V) *torquentur* C, *te tuae lib. torquent* aliquot dett.; *tuae te lib. torquent* Lamb., *tuae lib. te torquent* O — 16. *sat est* C: *satis est* O — *sit diuturnum* O — 19. *suspirare* A¹ V: *suspirare libere* A² B, *respirare* O — 20. *et* ante *stulto* V sup. lin. — *et fortis et sapiens* O — 21. *nemo* C: *non* O — *cuius* B² V² O — 22. *uita est* C: *est* om. O — 23. *est* ante *esset* A sup. lin., sed pr. manu, ut videtur — 24. *quicquid* C — 25. *decet* C: *debet* O — 27. post *κατορθώματα* est in O, sed uncinis inclusum: *Aequalia esse peccata et recte facta.* — 28. *est res* A B: *est* sup. lin. V, *res est* O — 29. *euentu* V² O — 31. *quoquo te verteris* Lamb. cum edit. Cratandrina — 32. *lubido* V¹: *ipsius lubido* A B V².

fuisset in aliqua generosa ac nobili virgine: peccavit vero nihilo minus, si quidem est peccare tamquam transire lineas, quod cum feceris, culpa commissa est: quam longe progrediare, cum semel transieris, ad augendam culpam nihil pertinet. Peccare certe licet nemini. Quod autem non licet, id hoc uno tenetur, si arguitur non licere. Id si nec maius nec minus umquam fieri potest, quoniam in eo est peccatum, si non licuit, quod semper unum et idem est, quae ex eo peccata nascuntur aequalia sint oportet. 21. Quod si virtutes sunt pares inter se, paria esse etiam vitia necesse est. Atqui pares esse virtutes nec bono viro meliorem nec temperante temperantiorem nec forti fortiorem nec sapienti sapientiorem posse fieri, facillume potest perspici. An virum bonum dices, qui depositum nullo teste, cum lucrari inpune posset auri pondo decem, reddiderit, si idem in decem milibus non idem fecerit? aut temperantem, qui se in aliqua libidine continuerit, in aliqua effuderit? 22. Una virtus est consentiens cum ratione et perpetua constantia. Nihil huic addi potest, quo magis virtus sit, nihil demi, ut virtutis nomen relinquatur. Etenim si bene facta recte facta sunt et nihil recto rectius, certe ne bono quidem melius quicquam inveniri potest. Sequitur igitur ut etiam vitia sint paria, si quidem pravitates animi recte vitia dicuntur. Atqui quoniam pares virtutes sunt, recte facta, quoniam a virtutibus proficiscuntur, paria esse debent, itemque peccata, quoniam ex vitiis manant, sint aequalia necesse est. II. 23. «A philosophis» inquit «ista sumis.» Metuebam ne a lenonibus diceres. «Socrates disputabat isto modo.» Bene hercule narras; nam istum doctum et sapientem virum fuisse memoriae traditum est. Sed tamen quaero ex te, quoniam verbis inter nos contendimus, non pugnis: utrum nobis est quaerendum quid baioli atque operarii an quid homines doctissimi senserint? praesertim cum hac sententia non modo verior, sed ne utilior quidem hominum vitae reperiri ulla possit. Quae vis est enim quae magis arceat homines ab improbitate omni, quam si senserint nullum in delictis esse discrimen? aeque peccare se, si privatis ac si magistratibus manus adferant? quamcumque in domum stuprum intulerint, eandem esse labem lubidinis? 24. «Nihilne igitur interest» — nam hoc dicet aliquis — «patrem quis necet anne servum?» Nuda ista si ponas, iudicare qualia sint non facile possim. Patrem vita privare si per se scelus est, Saguntini, qui parentes suos liberos emori quam servos vivere maluerunt,

---

1. *generosa gnobili* V¹ — 4. *culpam* cod. Gudianus (num. 150): *transeundi culpam* C — 7. *nascantur* A B V¹ — 8. *pares sunt* O — 9. *adqui* B¹ — 10. *temperatiorem* V¹; *temperato temperatiorem* cod. Basil., quod requirit Wesenberg in emendatt. Tuscul. I, p. 13 not. — *sapiente* B O — 11. *potest praespici* A, *perspici potest* B — 12. *auro* A¹ — 13. *si idem - - non idem fecerit* C: posterius *idem*, quod abest ab aliquot codd. dett., inclusit O; at est prius nominativus singularis, posterius accusativus neutri — *in decem milibus* Manutius: *in decem milibus pondo auri* C; *in decem millibus pondo* O — 14. *temperantem* [*eum*] *qui* O — 15. *vel consentientis* V sup. lin. m. 2. — 16. *hic* V¹, *huc* A B V² — *demit* B corr. ex *demittitur* — 18. *inuenire* B¹ — 20. *quoniam* (post *facta*) V² et aliquot dett.: *quando* A B V¹ — *a* om. B — 24. *bene* A in marg. — 26. *nobis* Ernesti: *bonis* C, *de bonis* O — *sit quaerendum* malim — 27. *baioli* C¹: *baiuli* C² O — 30. *senserit* B — 31. *aeq̄ peccares si* B; *se* om. A — 34. *necet* C: *enecet* O — *anne* V; *an*** A, *an* O, in B quattuor litterae erasae sunt et deinde *anser* in rasura scriptum — *iudicare* Heine: *iudicari* C O — 35. *possim* V A¹: *possint* A² B, *possunt* O.

parricidae fuerunt. Ergo et parenti non numquam adimi vita sine scelere potest et servo saepe sine iniuria non potest. Causa igitur haec, non natura distinguit, quae quoniam utro accessit, id fit propensius, si utroque adiuncta est, paria fiant necesse est. 25. Illud tamen interest, quod in servo necando, si id fit iniuria, semel peccatur, in patris vita violanda multa peccantur. Violatur is qui procreavit, is qui aluit, is qui erudivit, is qui in sede ac domo atque in re publica conlocavit. Multitudine peccatorum praestat eoque poena maiore dignus est. Sed nos in vita non quae cuique peccato poena sit, sed quantum cuique liceat spectare debemus: quidquid non oportet scelus esse, quidquid non licet nefas putare debemus. Etiamne in minimis rebus? Etiam, si quidem rerum modum figere non possumus, animorum modum tenere possumus. 26. Histrio si paulum se movit extra numerum aut si versus pronuntiatus est syllaba una brevior aut longior, exsibilatur, exploditur: in vita tu, quae omni gestu moderatior, omni versu aptior esse debet, in syllaba te peccasse dices? Poetam non audio in nugis: in vitae societate audiam civem digitis peccata dimetientem sua? Visa sint breviora, leviora qui possunt? cum quidquid peccatur perturbatione peccetur rationis atque ordinis, perturbata autem semel ratione et ordine nihil possit addi, quo magis peccari posse videatur.

PARADOXON IV.

"Ὅτι πᾶς ἄφρων μαίνεται.

[Omnes stultos insanire.]

I. 27. Ego vero te non stultum, ut saepe, non inprobum, ut semper, sed dementem insanire * * *

*** * * rebus ad victum necessariis esse invictus * * potest. Sapientis**

---

3. *quoniam* C: *quando* O. Madvigius in litteris ad nos datis retractans quod de h. l. in Opusc. acad. I, 481 scripserat iam probat lectionem Victorianam a nobis ex C restitutam, quod causalis particula deesse non possit; de ordine autem verborum conferri iubet a se ad Cic. de finn. p. 638 adnotata; item Cic. de N. D. I, § 83. de imp. Pomp. § 36. Philipp. II, § 55. — 4. *coniuncta* V²; *adiunctast patris* B¹ — 5. *in patris* -- *peccantur* V in marg. habet, 1 m. ut videtur suppleta. — 6. *his qui erudiuit his qui in sede hac domo* B — 10. *quidquid non oportet scelus esse* B in margine 2 m. — 12. *figere* Lambinus: *fingere* C O — 13. *istrio* A¹ — 14. *exsybillatur* B — *et exploditur* O; conf. Diomedes ed. Keil. p. 383: *item in paradoxis Stoicorum apud eundem «exsibilatur exploditur»*. — 15. *in uitatū* AB, *in uita tua* V, *tu in vita* Lamb. — 16. *in syllaba* AV: *in syllā* B, *ut in syllaba* O — 17. *Visa sint breviora: leviora qui possunt* Madvig: *si uisa* (*uisae* A¹, ut videtur) *sint breuiora . leuiora uideantur qui* (*quo* V) *possint uideri* C; *Quae si visa sunt breviora, leviora qui possint videri?* O — 18. *quicquid peccetur* C — 20. *peccare* B — *videatur* om. A¹ — 23. *omnes stultos* AV: *omnem stultum* O; *omnes* -- *insanire* B m. 2 in marg., sed vide eius lectionem in loco proxime sequente — 25. *sed dementem* • • • • *rebus* (*m rebus* in ras.) *ad uictum necessariis esse inuictus* • • *potest* A, *sed dementem insanire rebus ad uictum necessariis esse inuictum putem* V¹, *sed dementem omnes stultos insanire* (*omnes* -- *insanire* expuncta) *rebus ad uictum necessariis esse inuictum* (*inuictus* corr.) *potest* B, *sed dementem et insanum rebus addicam necessariis* m. recens in marg. V; *sed dementem et insanum* ┼ *rebus vincam necessariis* O. Secuti sumus Madvigium recte monentem: «Manifestum est magnam esse lacunam et quae sequuntur fragmentum esse alius paradoxi, quam cuius titulus praescribitur et prima verba.» Iam Scioppius

animus magnitudine consilii, tolerantia rerum humanarum, contemptione fortunae, virtutibus denique omnibus ut moenibus saeptus vincetur et expugnabitur, qui ne civitate quidem pelli potest? Quae est enim civitas? Omnisne conventus etiam ferorum et immanium? omnisne etiam fugitivorum ac latronum congregata unum in locum multitudo? Certe negabis. Non igitur erat illa tum civitas, cum leges in ea nihil valebant, cum iudicia iacebant, cum mos patrius occiderat, cum ferro pulsis magistratibus † senatus nomen in re publica non erat. Praedonum ille concursus et te duce latrocinium in foro constitutum et reliquiae coniurationis a Catilinae furiis ad tuum scelus furoremque conversae non civitas erat. 28. Itaque pulsus ego civitate non sum, quae nulla erat: accersitus in civitatem sum, cum esset in re publica consul, qui tum nullus fuerat, esset senatus, qui tum occiderat, esset consensus populi liber, esset iuris et aequitatis, quae vincla sunt civitatis, repetita memoria. Ac vide quam ista tui latrocinii tela contempserim. Iactam et inmissam a te nefariam in me iniuriam semper duxi: pervenisse ad me numquam putavi, nisi forte, cum parietes disturbabas aut cum tectis sceleratas faces inferebas, meorum aliquid ruere aut deflagrare arbitrabare. 29. Nihil neque meum est neque quoiusquam, quod auferri, quod eripi, quod amitti potest. Si mihi eripuisses divinam animi mei constantiam, *cum* meis curis, vigiliis, consiliis staret te invitissimo res publica; si huius aeterni beneficii inmortalem memoriam delevisses, multo etiam magis, si illam mentem, unde haec consilia manarunt, mihi eripuisses, tum ego accepisse me confiterer iniuriam. Sed si haec nec fecisti nec facere potuisti, reditum mihi gloriosum iniuria tua dedit, non exilium calamitosum. Ergo ego semper civis, et tum maxime, cum meam salutem senatus exteris nationibus, *ut* civis optumi, commendabat, tu ne nunc quidem, nisi forte idem hostis esse et civis potest. An tu civem ab hoste natura ac loco, non animo factisque distinguis?

---

in Elementis philos. stoicae moralis cap. 129 p. 77 recte haec monuerat: «Paradoxo hoc quarto probaverat Cicero: *Solus sapiens sanus est; omnes autem stulti insaniunt*, sed illud hodie non extat. Tantum principium eius reliquum est huiusmodo: *Ego vero te -- rebus advincam necessariis*. Reliqua quae sequuntur nihil cum hoc Paradoxo commune habent, sed aliud probare intendunt, *solum* scilicet *sapientem esse civem: omnes autem stultos esse exules*. — Quare si quis locum illum supplere et deperditorum iacturam sarcire velit, ea, quae non longe a principio tertii Tusculanarum libri apud Ciceronem leguntur, illinc assumere atque huc transferre debet.» Nos signum lacunae post *insanire* posuimus.

1. *tollerantia* A — 2. *saeptis* B^1 — 3. *ne* AB: *nec* V — *pelli* V in marg. m. 2. — 4. *ferarum* V — 5. *ac*] *hac* B — 6. *negabitis* V — 7. *patrios* B^1 — 8. *senatus nomine in re publ., non re erat* Borgers; *senatus nomen in re p. inane erat* Peerlkamp; *senatus vel nomen in re p. non erat* Moser (debebat saltem: *senatus ne nomen quidem in re p. erat*). Vera videtur Borgersii emendatio, quidquid dissentit Heine l. cit. p. 121. Diversas hominum doctorum sententias de hoc loco congessit Moserus in VII. excursu p. 343 sqq. — 11. *nonsu* A — 12. *accersitus* C: *arcessitus* O — 14. *liber* C: *liberi* O — *vincula* O — *repetea* V — 15. *ac* A^1 V: *hac* A^2 B — *ista tui* B corr. ex *statui* — *tela* V corr. ex *tale* — 18. *reuere* V^1, in A syllaba *ru* in ras. — *deflagare* AB — 19. *cuiusquam* B O — 20. *ammitti* B^1 — 21. *cum meis curis -- staret te invitissimo res publica* scripsi: *meis curis uigiliis consiliis stare te inuitissimo rem p.* C; *meas curas, vigilias, consilia, quibus res publica te invitissimo stat* O — 24. *accipisse* B — 26. *exilium* scripsi: *exitum* C O — *ego ego* V — 27. *ut* om. C — 28. *ni forte* B — *potes ac tu ciuem* V — 29. *naturae* A^1 V^1, *natione* Bentley recte, ut videtur; *fortuna* Heine — *destinguis* A^1.

II. 30. Caedem in foro fecisti, armatis latronibus templa tenuisti, privatorum domos, aedes sacras incendisti. Cur hostis Spartacus, si tu civis? Potes autem esse tu civis, propter quem aliquando civitas non fuit? et me tuo nomine appellas, cum omnes meo discessu exulasse rem publicam putent? Numquamne, homo amentissime, te circumspicies? numquam nec quid facias considerabis nec quid loquare? Nescis exilium scelerum esse poenam? meum illud iter ob praeclarissimas res a me gestas esse susceptum? 31. Omnes scelerati atque impii, quorum tu te ducem esse profiteris, quos leges exilio adfici volunt, exules sunt, etiam si solum non mutarunt. An cum omnes te leges exulem esse iubeant, *non eris tu exul? Exul non* appelletur is, qui cum telo fuerit? Ante senatum tua sica deprehensa est. Qui hominem occiderit? Plurimos occidisti. Qui incendium fecerit? Aedis Nympharum manu tua deflagravit. Qui templa occupaverit? In foro castra posuisti. 32. Sed quid ego communes leges profero, quibus omnibus es exul? Familiarissimus tuus de te privilegium tulit, ut, si in opertum Bonae Deae accessisses, exulares. At te id fecisse etiam gloriari soles. Quo modo igitur tot legibus eiectus in exilium nomen exulis non perhorrescis? «Romae sum» inquit. Et quidem in operto fuisti. Non igitur ubi quisque erit, eius loci ius tenebit, si ibi eum legibus esse non oportebit.

PARADOXON V.

Ὅτι μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερος, καὶ πᾶς ἄφρων δοῦλος.

[Omnes sapientes liberos esse et stultos omnes servos.]

I. 33. Laudetur vero hic imperator aut etiam appelletur aut hoc nomine dignus putetur. Quo modo aut cui tandem hic libero imperabit, qui non potest cupiditatibus suis imperare? Refrenet primum libidines, spernat voluptates, iracundiam teneat, coerceat avaritiam, ceteras animi labes repellat: tum incipiat aliis imperare, cum ipse improbissimis dominis, dedecori ac turpitudini, parere desierit: dum quidem iis oboediet, non modo imperator, sed liber habendus omnino non erit. Praeclare enim est hoc usurpatum a doctissimis, quorum ego auctoritate non uterer, si mihi apud aliquos agrestes haec habenda esset oratio:

---

1. *priuatorem* A^1 — 2. *spartachus* V — 3. *tu esse* O; *potes autem esse tu ciuis* B m. 2 in marg. — *ciuitas ciuitas non fuit* V^2 — 4. *omnis* V — 5. *circum species* B — 6. *nescis* A in ras. m. 2. — 7. *ob*] *ad* C — 10. *mutarunt* C: *mutarint* O — *leges te* O — *iubeant, non eris tu exsul? Exsul non appelletur is qui cum telo fuerit?* Orelli (ut iam fere Bentley): *iubeant appellet* (*appelletur* V^2) *inimicus qui cum telo fuerit* C mance et corrupte; *iubeant, non eris tu exul? Non expelletur nisi qui cum t. fuerit* Heine (in qua sententiae conformatione ita scribere praestet: *An non expelletur nisi is* etc.). Ipse autem sic fere malim: *An cum omnes leges -- iubeant, non eris tu exul nec ita appelletur nisi is qui* etc. — 12. *deprensast* B^1, *deprensa est* $A^2 B^2$ — *plurimos* C: *Tu plurimos* O — 13. *aedis* C^1: *aedes* C^2 O — *nimpharum* V, *nimfarum* B — *manuatu adeflagrauit* B — 15. *exsul* h. l. A, reliquis omnibus *exul* C — 17. *ad te* A^1, *a te* V^1 — *quommodo* V — 18. *in exsilium eiectus* O — 19. *operto* A^2B: *porto* $A^1 V^1$, *portu* V^2 — 20. *tenebat* V^1 — 23. *Omnes -- servos* C: *Solum sapientem esse liberum, et omnem stultum servum* O — 24. *Laudetur* B in marg. m. 2. — 25. *putetur imperator quo modo* C — 29. *iis* AB: *his* VO — 30. *oboediet* C: *obediet* O.

cum vero apud prudentissimos loquar, quibus haec inaudita non sint, cur ego simulem me, si quid in his studiis operae posuerim, perdidisse? Dictum est igitur ab eruditissimis viris nisi sapientem liberum esse neminem. 34. Quid est enim libertas? Potestas vivendi, ut velis. Quis igitur vivit, ut volt, nisi qui † recta sequitur, qui gaudet officio, cui vivendi via considerata atque provisa est? qui ne legibus quidem propter metum paret, sed eas sequitur et colit, quod id salutare esse maxime iudicat; qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat denique nisi lubenter ac libere; cuius omnia consilia resque omnes, quas gerit, ab ipso proficiscuntur eodemque feruntur, nec est ulla res, quae plus apud eum polleat quam ipsius voluntas atque iudicium; cui etiam, quae vim habere maximam dicitur, Fortuna ipsa cedit, sicut sapiens poeta dixit: S u i s e a c u i q u e f i n g i t u r m o r i b u s. Soli igitur hoc contingit sapienti, ut nihil faciat invitus, nihil dolens, nihil coactus. 35. Quod etsi ita esse pluribus verbis disserendum est; illud tamen et breve et confitendum est, nisi qui ita sit adfectus, esse liberum neminem. Servi igitur omnes improbi. Nec hoc tam re est quam dictu inopinatum atque mirabile. Non enim ita dicunt eos esse servos, ut mancipia, quae sunt dominorum facta nexo aut aliquo iure civili, sed, si servitus sit, sicut est, oboedientia fracti animi et abiecti, arbitrio carentis suo, quis neget omnes leves, omnes cupidos, omnes denique improbos esse servos? II. 36. An ille mihi liber, cui mulier imperat? cui leges imponit, praescribit, iubet vetat quod videtur? qui nihil imperanti negare potest, nihil recusare audet? Poscit, dandum est: vocat, veniendum: eicit, abeundum: minatur, extimescendum. Ego vero istum non modo servum, sed nequissimum servum, etiam si in amplissima familia natus sit, appellandum puto. Atque in pari stultitia sunt, quos signa, quos tabulae,

---

1. *sint* C: *sunt* O — 2. *si* om. V — 3. *dictumst* B^1 — 5. *vult* A O — *recte* A V — *sequitur* A B: in V verbum erasum est et super lin. scriptum *uiuit*. Incerta est emendatio; exspectatur autem talis fere sententia: *nisi qui recta sua sponte sequitur*. — 6. *ne legibus quidem* C: *legibus quidem non* O — 7. *ea sequitur* A — *et* C: *atque* O — *quia id salutare maxime esse* O — 10. *feruntur* C (sed V *ferunt* teste Detlefsenio): *referuntur* pauci codd. dett. et O — 11. *cui* V: *cui quidem* A B O — 12. *si ut* $A^1 B^1$ V — 13. *fungitur* V — *contigit* V — 15. *ita esset* V^1 — *disserendumst* et deinde *confitendumst* B^1 — 16. *liberum esse* O — *serui igitur omnes improbi serui* C; *igitur omnes improbi serui* $A^2 B^2$ — 19. *nexo* C^1: *nexu* C^2 O — 20. *obedientia* O — *et* C: *atque* O — *arbitrio* V: *et arbitrio* A B O — *carenti* V^1 — 23. *praescribit* B sup. lin. m. 2. — *quod* C: *quo modo* V^2 sup. lin. — 26. *apellandum* A — 27. *Atque in pari stultitia sunt - - qui tractant ista* Madvig: *atque ut in magna familia stultorum sunt alii lautiores ut sibi uidentur serui sed tamen serui atrienses acuparii* (*actopiari* A B, *at uparii* V^2) *stultitiae suae quos signa* (*signae* V^1) - - - *delectant et sumus inquit principes ciuitatis uos uero ne* (*nec* V et B, sed hic ex corr.) *conseruorum quidem uestrorum principes estis, sed ut* (*et* V^2) *in familia qui tractant ista* C; *Atque ut in magna familia sunt alii lautiores, ut sibi vid. servi, sed tamen servi, sic ii pari stultitia sunt, quos signa - - delectant. At sumus, inquit, civitatis principes. Vos vero ne servorum quidem vestrorum principes estis. Sed ut in familia, qui tractant ista* O. «Locus mendi genere memorabilis, quem qui hactenus emendasse sibi visi sunt, primum vi grassantur, quum delent *atrienses*, quod unde ortum sit, ratio nulla reddi potest; deinde sententiam efficiunt prorsus pravam, quam Orellius suo brachylogiae artificio expedire frustra conatus est. Apparet enim priore hoc loco *Atque ut in magna familia* etc. prorsus prave inferri hanc graduum in familia comparationem, primum quia nihil prorsus, quod ei respondeat subiicitur (*sic ii pari*

quos caelatum argentum, quos Corinthia opera, quos aedificia magnifica nimio opere delectant. «At sumus» inquit «principes civitatis.» Vos vero ne conservorum quidem vestrorum principes estis. 37. Sed ut in magna familia sunt alii lautiores, ut sibi videntur, servi, sed tamen servi, ut atrienses, at qui tractant ista, qui tergent, qui ungunt, qui verrunt, qui spargunt, non honestissimum locum servitutis tenent, sic in civitate, qui se istarum rerum cupiditatibus dediderunt, ipsius servitutis locum paene infimum optinent. «Magna» inquit «bella gessi,» magnis imperiis et provinciis praefui.» Gere igitur animum laude dignum. Aëtionis tabula te stupidum detinet aut signum aliquod Polycleti. Mitto unde sustuleris, quo modo habeas: intuentem te, admirantem, clamores tollentem cum video, servum esse ineptiarum omnium iudico. 38. «Nonne igitur sunt illa festiva?» Sunt; nam nos quoque oculos eruditos habemus. Sed, obsecro te, ita venusta habeantur ista, non ut vincla virorum sint, sed ut oblectamenta puerorum. Quid enim censes? si L. Mummius aliquem istorum videret matellionem Corinthium cupidissime tractantem, cum ipse totam Corinthum contempsisset, utrum illum civem excellentem an atriensem diligentem putaret? Revivescat M'. Curius aut eorum aliquis, quorum in villa ac domo nihil splendidum, nihil ornatum fuit praeter ipsos, et videat aliquem summis populi beneficiis usum barbatulos mullos exceptantem de piscina et pertractantem et murenarum copia gloriantem, nonne hunc hominem ita servum iudicet, ut ne in familia quidem dignum maiore aliquo negotio putet? 39. An eorum servitus dubia est, qui cupiditate peculii nullam condicionem recusant durissimae servitutis? Hereditatis spes quid iniquitatis in serviendo non suscipit? quem nutum locupletis orbi senis non ob-

---

stultitia etc.), deinde quod qui commemorantur, non cum lautioribus servis, sed, ut mox apparet, cum infimis comparantur. Contra hoc discrimen servorum et gradus recte locum habet infra, ubi ostenditur homines pretiosae supellectilis et artificiorum cupidos non solum servos, sed etiam infimi generis servos esse. Emendatio nostra supra proposita sibi ipsa facile fidem faciet et mendi originem ostendet. Casu et errore librarius codicis archetypi tres aut quattuor versiculos: *ut in magna familia* -- *atrienses at* scribendo praecepit interposuitque inter *atque* (quod in fine versus fuisse consentaneum est) et *in pari* (quae initio versus scripta erant); deinde, quum ad eum locum pervenisset, ubi illa scribenda erant, aut pauca tantum verba scripsit *ut in familia*, deinde reliqua, ut iam scripta, omisit, aut, quum omnia omisisset, postea pauca illa verba *ut in familia* retracta sunt, quia sine illis nulla erat sententia. In his *SERUIUTATRIENSES* excidit *ut* post *ui*; ubi versus prave interpositi sunt, ex *at in* factum *actu*, alia. Quod *conservorum* restitui, et auctoritatem habet et ad sententiam necessarium est etiam in volgata scriptura. Hoc enim ipsum agitur ac dicitur, illos cum ceteris servire et ne inter conservos quidem suos principum locum tenere. Longe aliud est vel potius nihil *servorum suorum principem esse*; nam *servi sui* ita dicuntur, ut ad dominum ea appellatio referatur.» MADVIG. Transpositione locum emendandum esse iam I. I. Hottingerus vidit, sed cum ipse eius rei periculum faceret, res parum prospere cessit. Cf. decimum excursum in Moseri editione p. 356 sqq.

5. *tergent* C: *tergunt* O — *iungunt* B — 8. *obtinent* A B O — 10. *Aëtionis* nos: *aetionis* AB, *actionis* V, *Echionis* O; cf. Cic. Brut. § 70. Plin. N. H. XXXV, § 78. — *aut* V corr. ex *ut* — 11. *sustuleris,* [*et*] *quomodo* O — 12. *servum te esse* O — 13. *non igitur*, ut est in dett. paucis, malebat Ernesti. — *illa* C: *ista* O — *sunt* V¹: *Sint* A B V² O — 15. *uincla* C: *vincula* O — 18. *reviviscat* B² O — 19. *M*. C — 20. *ipso* V¹ — *uideant* B — 21. *bartulos* V (sup. lin. *uel barbaculos*) — *et pertractantem* AB: *et portantem* V (sup. lin. *uel pertractantem*) — 22. *muraenarum* O — 23. *alio neg.* V¹ — 24. *dubiast* B — 25. *spe* V — 26. *orbis senis* B.

servat? Loquitur ad voluntatem, quidquid denuntiatum est facit, adsectatur, adsidet, muneratur. Quid horum est liberi? quid denique servi non inertis? III. 40. Quid? iam illa cupiditas, quae videtur esse liberalior, honoris, imperii, provinciarum, quam dura est domina, quam imperiosa, quam vehemens! Cethego, homini non probatissimo, servire coegit eos, qui sibi esse amplissimi videbantur, munera mittere, noctu venire domum ad eum, precibus denique supplicare. Quae servitus est, si haec libertas existimari potest? Quid? cum cupiditatis dominatus excessit et alius est dominus exortus ex conscientia peccatorum, timor, quam est illa misera, quam dura servitus! Adulescentibus paulo loquacioribus est serviendum, omnes, qui aliquid scire videntur, tamquam domini timentur. Iudex vero quantum habet dominatum, quo timore nocentes adficit! An non est omnis metus servitus? 41. Quid valet igitur illa eloquentissimi viri, L. Crassi, copiosa magis quam sapiens oratio: «Eripite nos ex servitute»? Quae est ista servitus tam claro homini tamque nobili? Omnis animi debilitati et humilis et fracti timiditas servitus est. «Nolite sinere nos cuiquam servire.» In libertatem vindicari volt? Minime. Quid enim adiungit? «Nisi vobis universis.» Dominum mutare, non liber esse volt. «Quibus et possumus et debemus.» Nos vero, si quidem animo excelso et alto et virtutibus exaggerato sumus, nec debemus nec possumus. Tu posse te dicito, quoniam quidem potes, debere ne dixeris, quoniam nihil quisquam debet nisi quod est turpe non reddere. Sed haec hactenus. Ille videat, quo modo imperator esse possit, cum eum ne liberum quidem esse ratio et veritas ipsa convincat.

PARADOXON VI.

Ὅτι μόνος ὁ σοφὸς πλούσιος.
[Quod solus sapiens dives.]

I. 42. Quae est ista in commemoranda pecunia tua tam insolens ostentatio? Solusne tu dives? Pro di immortales! egone me audisse aliquid et didicisse non gaudeam? Solusne dives? Quid, si ne dives quidem? quid, si pauper etiam? Quem enim intellegimus divitem aut hoc verbum in quo homine ponimus? Opinor in eo, quoi tanta possessio est, ut ad liberaliter vivendum facile contentus sit, qui nihil quaerat, nihil adpetat, nihil optet amplius. 43. Animus oportet tuus

1. *quicquid* B — *est* Madvig (ad Cic. de Fin. b. et m. pag. 448): *sit* CO — 2. *muneratur* AB: *munerat* V[1] O, *numerat* V[2] — 3. *non servi inertis* O — 4. *prouintiarum* AB — 5. *chetego* B — 7. *precibus* scripsi: *praecie* V, *prece* B (sed *e* posterior in ras.), *praec*•• A, litteris post *c* prorsus evanidis; *precari, denique supplicare* editt. — 8. *cupiditatum* O — 10. *loquatioribus* B — 14. *illa eloq.* A[2] B V[2] (sed litterae *ae* in B in ras.): *ille loq.* A[1], *illa loq.* V[1] — 16. *debilitati* A[1], ut videtur: *debilitata* A[2] B, *debilitas* V — *fracta* C — 18. *uindicare* B — 21. *tu si pos*••• (*possit* sup. lin. m. 2) *edicito* V — 22. *potest* V — 23. *actenus* V[1] — 24. *liber'* B — 28. *Quod solus sapiens diues* C: [*Solum sapientem esse diuitem.*] O — 30. *audivisse* O — 32. *quod si pauper* A[1] V — *aut* V corr. ex *ait* — 33. *possessiost* B[1]; malim *possessio sit* — 35. *appetat* hic C.

se iudicet divitem, non hominum sermo, neque possessiones tuae. Nihil sibi deesse putat, nihil curat amplius, satiatus est aut contentus etiam pecunia: concedo, dives est. Sin autem propter aviditatem pecuniae nullum quaestum turpem putas, cum isti ordini ne honestus quidem possit esse ullus; si cotidie fraudas, decipis, poscis, pacisceris, aufers, eripis, si socios spolias, aerarium expilas, si testamenta amicorum ne exspectas quidem atque ipse supponis, haec utrum abundantis an egentis signa sunt? 44. Animus hominis dives, non arca appellari solet. Quamvis illa sit plena, dum te inanem videbo, divitem non putabo. Etenim ex eo, quantum cuique satis est, metiuntur homines divitiarum modum. Filiam quis habet, pecunia est opus: duas, maiore: pluris, maiore etiam. Si, ut aiunt Danaum, quinquaginta sint filiae, tot dotes magnam quaerunt pecuniam. Quantum enim cuique opus est, ad id accommodatur, ut ante dixi, divitiarum modus. Qui igitur non filias plures, sed innumerabiles cupiditates habet, quae brevi tempore maximas copias exhaurire possint, hunc quo modo ego appellabo divitem, cum ipse egere se sentiat? 45. Multi ex te audierunt cum diceres, neminem esse divitem, nisi qui exercitum alere posset suis fructibus, quod populus Romanus tantis vectigalibus iam pridem vix potest. Ergo hoc proposito numquam eris dives ante, quam tibi ex tuis possessionibus tantum reficietur, ut eo tueri sex legiones et magna equitum ac peditum auxilia possis. Iam fateris igitur non esse te divitem, cui tantum desit, ut expleas id quod exoptas. Itaque istam paupertatem vel potius egestatem ac mendicitatem tuam numquam obscure tulisti.

II. 46. Nam ut iis, qui honeste rem quaerunt mercaturis faciendis, operis dandis, publicis sumendis, intellegimus opus esse quaesito, sic, qui videt domi tuae pariter accusatorum atque indicum consociatos greges, qui nocentes et pecuniosos reos eodem te actore corruptelam iudicii molientes, qui tuas mercedum pactiones in patrociniis, † intercidas pecuniarum in coitionibus candidatorum, dimissiones libertorum ad defaenerandas diripiendasque provincias: qui expulsiones vicinorum, qui latrocinia in agris, qui cum servis, cum libertis, cum clientibus societates, qui possessiones vacuas, qui proscriptiones locupletum, qui clades municipiorum, qui illam Sullani temporis messem recordetur, qui

---

1. *se* C: *te* O — *sermone quae* A¹ V¹ — 2. *putat* A² B V²: *putant* A¹ V¹, *putet* O — *curat* C: *curet* O — *saciatus* A — 3. *est* C: *es* O — 5. *quotidie* B¹ O — *fraudes* V¹ — 6. *ne exspectas quidem* scripsi: *expectas quidem* C, sed A post *expectas* in marg. m. 2: *aut ne expetas*; *exspectas aut ne exspectas quidem* editiones. Apparet inter *m* et *e* facile *ne* intercidere potuisse; quod alii suppleverunt nec in ullo codice exstare videtur »*exspectas aut ne exspectas quidem*« mera interpolatio est. — 11. *pecuniast* B¹ — *plures* O — 12. *si* C: *Et si* O: *At si cui* Bentley — *Danaum* C (scil. habuisse): *Danao* O et codd. dett pauci, *Danai* alii. — *filia* V¹ — 14. *accomodatur* B — 16. *hunc quando ego* C — 17. *multa* V — 19. *p. r.* A, *.pr.* V, *pr* B — 20. *proposito* B corr. ex *propositum*, ut videtur — 21. *reficiatur* V² O — *legionibus* A — 23. *exoblas* V¹ — 27. *pariter*] *partem* C — *indicum* A V¹: *iudicum* B V² O — 28. *actore* C: *auctore* O — 29. *intercidas* C corrupte: *intercisas* V² m. rec., *intercessiones* O cum Langio — 30. *conditionibus* codd. aliquot dett., haud scio an recte — *defenerandas* C: *fenerandas* O; legitur insolentius verbum etiam in Schol. Bob. Cic. pag. 295 et 332 ed. Orell. — 31. *prouintias* A — *uicinorum* A corr. ex *uitiorum* — 32. *cum liberis* C — 33. *locupletum* V: *locupletium* A B O. Cf. p. 727, 31. — *clades* Ruhnkenius: *caedes* V O, *cedes* A B, sed *edes* A in ras.; alii coniecerunt *caedes municipum*.

testamenta subiecta, tot qui sublatos homines, qui denique omnia venalia, dilectum, decretum, alienam suam sententiam, forum, domum, vocem silentium: quis hunc non putet confiteri sibi quaesito opus esse? Cui quaesito autem opus sit, quis umquam hunc vere dixerit divitem? 47. Etenim divitiarum est fructus in copia, copiam autem declarat satietas rerum atque abundantia: quam tu quoniam numquam adsequere, numquam omnino es dives futurus. Meam autem quoniam pecuniam contemnis, et recte — est enim ad volgi opinionem mediocris, ad tuam nulla, ad meam modica —, de me silebo, de re loquar. 48. Si censenda nobis sit atque aestimanda res, utrum tandem pluris aestimemus pecuniam Pyrrhi, quam Fabricio dabat, an continentiam Fabricii, qui illam pecuniam repudiabat? utrum aurum Samnitium an responsum M'. Curii? hereditatem L. Pauli an liberalitem Africani, qui eius hereditatis Q. Maximo fratri partem suam concessit? Haec profecto, quae sunt summarum virtutum, pluris aestimanda sunt quam illa, quae sunt pecuniae. Quis igitur, si quidem, ut quisque quod plurimi sit possideat, ita ditissimus habendus sit, dubitet quin in virtute divitiae sint? quoniam nulla possessio, nulla vis auri et argenti pluris quam virtus aestimanda est. III. 49. O di immortales! non intellegunt homines quam magnum vectigal sit parsimonia. Venio enim iam ad sumptuosos, relinquo istum quaestuosum. Capit ille ex suis praediis sescena sestertia, ego centena ex meis: illi aurata tecta in villis et sola marmorea facienti et signa tabulas, supellectilem et vestem infinite concupiscenti non modo ad sumptum ille est fructus, sed etiam ad faenus exiguus. Ex meo tenui vectigali detractis sumptibus cupiditatis aliquid etiam redundabit. Uter igitur est divitior, cui deest an cui superat? qui eget an qui abundat? cuius possessio quo est maior, eo plus requirit ad se tuendam, an quae suis se viribus sustinet? 50. Sed quid ego de me loquor, qui morum ac temporum vitio aliquantum etiam ipse fortasse in huius saeculi errore verser? M'. Manilius patrum nostrorum memoria, ne semper Curios et Luscinos loquamur, pauper tandem fuit; habuit enim aediculas in Carinis et fundum in Labicano. Nos igitur divitiores, qui plura habemus? Utinam quidem! sed non aestimatione census, verum victu atque cultu terminatur pecuniae modus. 51. Non esse

---

1. *qui sublatos tot* O — 2. *dilectum* C: *delectum* O. «Delectus militum venalis non sic facile haberi poterat (*vacationes* venales esse poterant), nec quicquam hic attingitur, quod ad militiam pertineat, sed omnia ad iudicia et forum spectant. Itaque scribendum esse opinor: *qui edictum, decretum.* Significantur subita eius modi praetorum edicta, qualia in Verrinarum libro I, cap. 40 sqq. commemorantur (§ 106 et § 115).» MADVIG. Eandem emendationem, quae nobis quoque necessaria videtur, iam P. Manutius proposuerat. — 4. *unquam* V hoc loco — 5. *fructus in copia est* O — *sacietas* A — 7. *futurus diues* O — 8. *contempnis* A — 10. *nobis atque aest. res sit* O — *rus* V¹ — 11. *phyrri* A, *pyrrhy* B — 12. *Samnitum* O — *M.* C — 13. *Curii* om. A¹ — 16. *plurimi fit* cod. Gud. — 17. *ditissimus* V: *divitissimus* ABO — 19. *dii* hoc loco C — 21. *sexcena* Laur. Valla: *sescenta* C, *sexcenta* O: cf. Zumptium ad or. Verr. III, § 119 p. 538. — 22. *sola marmore* A¹ V², *solamur more* V¹, *sola marmora* A² B — 23. *et* ante *vestem* delevit Lambinus — 24. *non modo ad fructum ille est sumptus* C — *faenus* A: *fenus* BVO — *exiguum* V — 25. *detractatis* AB — 26. *ditior* V² — 27. *habundat* C — *cui possessio* C; *cui possessio, quae quo est* etc. Christ — *quo* V²: *quod* V¹B, *quo*•• A — 30. *M.* C — *nostrum* A B V¹ — 31. *paupertandum fuit* A — 32. *ditiores* V² — 34. *uerom* V¹, *uero* A¹.

cupidum pecuniast, non esse emacem vectigal est: contentum vero suis rebus esse maximae sunt certissimaeque divitiae. Etenim si isti callidi rerum aestimatores prata et areas quasdam magno aestimant, quod ei generi possessionum minime quasi noceri potest, quanti est aestimanda virtus, quae nec eripi nec subripi potest, neque naufragio neque incendio amittitur, nec tempestatum nec temporum perturbatione mutatur! qua praediti qui sunt, soli sunt divites. 52. Soli enim possident res et fructuosas et sempiternas solique, quod est proprium divitiarum, contenti sunt rebus suis, satis esse putant quod est, nihil adpetunt, nulla re egent, nihil sibi deesse sentiunt, nihil requirunt: inprobi autem et avari, quoniam incertas atque in casu positas possessiones habent et plus semper adpetunt nec eorum quisquam adhuc inventus est, quoi quod haberet esset satis, non modo non copiosi ac divites, sed etiam inopes ac pauperes existimandi sunt.

---

1. *pecuniast* V¹ B¹: *pecunia est* A B² V² O — *esse* ** *acem* V — *uectigal est* B corr. ex *uectigalem* — *contemptum* A — 2. *calidi* B¹ — 3. *magni* var. lect. in V — 4. *nocere* V — *est* B sup. lin. — 5. *surripi potest* [*unquam*] O — *nec incendio* O — 6. *tempestatum* C: *vi tempestatum* O et pauci dett., quae correctio minime est necessaria; quod est in libris bonis, idem fere est quod nostrum «*weder durch physische noch durch politische Revolutionen.*» — 8. *propium* V — 11. *possiones* B — 14. *M. TULLI CICERON: PARADOXA STOICORUM EXPLIC: FELICITER:* V; *MĀR. TŪLL. CICERONIS PARADOXASTOICE EXPLICATA FELICITER INCIPIT LOCULLUS.* A; *M̄. TULLI CICERONIS PARADOXA STOICUS EXPLICITA FELICITER INCIPIT LUCULLUS.* B.

M. TULLII CICERONIS

DE RE PUBLICA

SEX LIBRORUM RELIQUIÆ.

RECOGNOVIT CAR. HALM.

NOTARUM INDEX.

C = palimpsestus Vaticanus, quem post Angelum Maium iterum contulit G. N. du Rieu Batavus; v. eius Schedas Vaticanas pag. 52—126. Praeterea ad manus nobis erat ad libri II capp. 6—24 apographum codicis D' Detlefsenii diligentia factum, quod nobis Theod. Mommsen cessit. Idem vir doctus nobis petentibus alias quoque partes obscuriores ex palimpsesto descripsit, quas suo quamque loco indicavimus.

O = exemplum Orellianum.

Libri manu scripti, quibus in recognoscendo Somnio Scipionis usi sumus, hi sunt:

E = cod. Ratisbonensis Emmeranus saec. XII, nunc Monac. lat. 14619.

F = cod. Frisingensis saec. XI n. 162 sive Mon. lat. 6362.

M = cod. Mediceus bibl. Sanctae Crucis saec. XI, Plut. XXII sinistr. cod. IX. Excussit Baiterus.

P = cod. Parisinus saec. XI, cuius lectiones Lud. de Ian in editione sua Macrobii publicavit.

R = cod. Ratisbonensis Emmeranus saec. XI, nunc Monac. lat. 14436.

T = cod. Tegernseensis saec. XII n. 1471 sive Mon. lat. 19471.

C = codices nostri omnes.

Macr. = lemmata Macrobii.

Lectiones codicum E F R T ipsi exscripsimus.

FRAGMENTA VATICANA LIBRI PRIMI.

[*Desiderantur in palimpsesto paginae XXXIV.*]

Cod. p. 63.] **I. 1.** *** *im*|petu liberavissent, nec G. Duelius, Aulus Atilius, L. Metellus terrore Karthaginis, non duo Scipiones oriens incendium belli Punici secundi sanguine suo restinxissent, nec id excitatum maioribus copiis aut Quintus Maximus enervavisset aut M. Marcellus contudisset aut a portis huius urbis avolsum P. Africanus compulisset intra hostium moenia. M. vero Catoni, homini

---

1. LIBERAUISSENT C iam a pr. m., sed cum correctorem fugisset NT uno ductu scriptas esse, super hoc monogramma T adscripsit — *C. Duellius* O — 3. EBELLI C deleta priore E — 5. ī. sup. lin. C — *avorsum* Dobree Advers. II, 377.

p. 64.] ignoto et novo, quo omnes, | qui isdem rebus studemus, quasi exemplari ad industriam virtutemque ducimur, certe licuit Tusculi se in otio delectare, salubri et propinquo loco. Sed homo demens, ut isti putant, quum cogeret eum necessitas nulla, in his undis et tempestatibus ad summam senectutem maluit iactari quam in illa tranquillitate atque otio iucundissime vivere. Omitto innumerabilis viros, p. 77.] quorum singuli saluti huic civitati | fuerunt, et quia sunt *haut* procul ab aetatis huius memoria, commemorare eos desino, ne quis se aut suorum aliquem praetermissum queratur. Unum hoc definio, tantam esse necessitatem virtutis generi hominum a natura tantumque amorem ad communem salutem defendendam datum, ut ea vis omnia blandimenta voluptatis otique vicerit.

II. 2. Nec vero habere virtutem satis est quasi artem aliquam, p. 78.] nisi | utare; etsi ars quidem, cum ea non utare, scientia tamen ipsa teneri potest, virtus in usu sui tota positast, usus autem eius est maximus civitatis gubernatio et earum ipsarum rerum, quas isti in angulis personant, reapse, non oratione perfectio. Nihil enim dicitur a philosophis, quod quidem recte honesteque dicatur, quod *non* ab is partum confirmatumque sit, a quibus civitatibus iura dep. 123.] scripta sunt. Unde | enim pietas aut a quibus religio? unde ius aut gentium aut hoc ipsum civile quod dicitur? unde iustitia, fides, aequitas? unde pudor, continentia, fuga turpitudinis, adpetentia laudis et honestatis? unde in laboribus et periculis fortitudo? nempe ab is, qui haec disciplinis informata alia moribus confirmarunt, sanxerunt autem alia legibus. 3. Quin etiam Xenocraten ferunt, p. 124.] nobilem in primis philosophum, cum quae|reretur ex eo, quid adsequerentur eius discipuli, respondisse, ut id sua sponte facerent, quod cogerentur facere legibus. Ergo ille civis, qui id cogit omnis imperio legumque poena, quod vix paucis persuadere oratione philosophi possunt, etiam is, qui illa disputant, ipsis est praeferendus

---

1. QUISDEM C, *qui iisdem* O — 2. LICUITUSCULIS| E C; correxit TUSCULI SE manus 2, S voci TUSCULIS adhaerente deleta — 4. «QUUM habet codex h. l. et §§ 3, 5 [4?], 23 (*quum pater*), 35 (*quum in*) et 61. Singulos locos, ubi constanter habet *cum* (sunt autem 146) notare non lubet, contra in libro III adscribam 13 illos, ubi est *qum*.» Du Rieu — UMDI| SET] sic correxit m. 2, deletis M et S — 7. *et quia sunt* nos: ET QUI SUNT C O. «Prima manus in eo erat ut scriberet QUIA, sed ex A statim fecit S.» Du Rieu; *et quoniam sunt* Steinacker — *haut* add. Mai: om. C O; *non* add. Steinacker — 8. ABABAETATIS C[1] — 9. SUORUMMALIQĀ C — QUAERATUR C — 11. TATUM C[1] — BIS C[1] — 12. TOLUPTATIS C[1] — OTIQUE C, *otiique* O — 15. *positast* nos: POSITAET C, *posita est* O — 16. QUASIISTIN C — 18. DUCATUR C — *quod non* Mai: QUOD C; *quin* Krarup — 19 et 24. *ab is* nos: *ab his* C O — *civitatum* vel *civitatium* Dobree coll. II, 4. — malim *discripta* — 22. *turpitudinis* Heinrich: TURPIDINIS C — 23. LAUORIBUS C[1] — 25. *Xenocratem* O — 26. PHILOSOFUM C — QUE| RERETUR C — QUODADSEQUERETUR C — 28. ILLE CUIUSQUID C, *ille, cives qui id* O — *omnes* O — 29. FILOSOFI C; supra utramque F est vestigium literae alicuius — 30. IS C[1]: *his* C[2]O — *est*] ETSI C.

doctoribus. Quae est enim istorum oratio tam exquisita, quae sit anteponenda bene constitutae civitati publico iure et moribus? Equidem | quem ad modum urbes magnas atque imperio- [p. 125. sas, ut appellat Ennius, viculis et castellis praeferendas puto, sic eos, qui his urbibus consilio atque auctoritate praesunt, is, qui omnis negotii publici expertes sunt, longe duco sapientia ipsa esse anteponendos. Et quoniam maxime rapimur ad opes augendas generis humani studemusque nostris consilis et laboribus tutiorem et opulentiorem vitam hominum reddere et ad hanc | voluptatem [p. 126. ipsius naturae stimulis incitamur, teneamus eum cursum, qui semper fuit optimi cuiusque, neque ea signa audiamus, quae receptui canunt, ut eos etiam revocent, qui iam processerint.

III. 4. His rationibus tam certis tamque inlustribus opponuntur ab is, qui contra disputant, primum labores, qui sint re publica defendenda sustinendi: leve sane inpedimentum vigilanti et industrio, neque solum | in tantis rebus, set etiam in mediocribus vel [p. 91. studiis vel officiis vel vero etiam negotiis contemnendum. Adiunguntur pericula vitae turpisque ab his formido mortis fortibus viris opponitur, quibus magis id miserum videri solet, natura se consumi et senectute quam sibi dari tempus, ut possint eam vitam, quae tamen esset reddenda naturae, pro patria potissimum reddere. Illo vero se loco copiosos et disertos | putant, cum calamitates [p. 92. clarissimorum virorum iniuriasque iis ab ingratis inpositas civibus colligunt. 5. Hinc enim illa et apud Graecos exempla, Miltiadem victorem domitoremque Persarum nondum sanatis volneribus iis, quae corpore adverso in clarissima victoria accepisset, vitam ex hostium telis servatam in civium vinclis profudisse, et Themistoclem patria, quam liberavisset, pulsum atque proterri|tum non in [p. 73. Graeciae portus per se servatos, sed in barbariae sinus confugisse,

---

1. DOCTORIBUSQUE QUEETENIM C — RATIO C — *quae sit* C²: Q SI C¹ — 2. IURE C — 3. IMPERIOSAIST C deleta T — 4. CULIS C — 5. *is* nos: HIS C O — 6. Arusianus Messius p. 227 Lind. Cic. de rep.: *negotii publici expers*. — *sunt* Osann et Otto: SINT C O — DCO C — 7. ATOPES C¹ — 8. *consilis* nos: CONSUIS C, deleta U, *consiliis* O — LAUORIBUS C¹— 9. *voluntatem* O cum Mosero — 11. RUIT C — NEQUEA C — 12 PEROCESSERINT C deleta prima E — 13. TRATIONIBUS C¹ — 14. *is* nos: HIS C O — REP. C. «Sic constanter omnes casus littera P. significantur excepto genitivo plurali, et I, § 43 non sine causa, I, § 45 *rebus publicis*: non lubuit hoc notare in singulis locis.» Du Rieu (*in re publ.* Schuetz) — 16. NEQUETAISOLUM C, de qua scriptura v. M. Haupt in Philologi I, 388 — *set*] SE C. «Non cernitur D, nec vero T, quam se vidisse perhibet Maius.» Du Rieu — 17. ADIUNGITUR C — 20. SIUI C¹ — 21. ESSED C — REDDENDUM C¹ — UEROILLO C, sed punctis his litteris superpositis significari videtur haec vocabula transponenda esse — 22. SE C additis tribus lineis rectis quibus indicari videtur *sese* legendum esse, ut Moserus ex coni. maluit. — 23. UIUORUM C — *inpositas* Mai: *impositas* O tacente Du Rieu — 26. Q̆. C² (i. e. *quae*): Q. C¹ (= *que*) — 27. TELIS corr. ex TEUIS C — 29. GRAECIE C¹ — SIUNUSCONFUGISSENT C, sed deletae prima U et NT.

quam adflixerat. Nec vero levitatis Atheniensium crudelitatisque in amplissimos civis exempla deficiunt, quae nata et frequentata apud illos etiam in gravissumam civitatem nostram dicunt redundasse. 6. Nam vel exilium Camilli vel offensio commemoratur Aha- p.74.] lae, vel invidia Nasicae vel expulsio Laenatis vel Opimi | damnatio vel fuga Metelli vel acerbissima C. Mari clades [principum caedes] vel eorum multorum pestes, quae paulo post secutae sunt. Nec vero iam meo nomine abstinent, et, credo, quia nostro consilio ac periculo sese in illa vita atque otio conservatos putant, gravius etiam de nobis queruntur et amantius. Sed haud facile dixerim cur, cum ipsi discendi aut visendi causa maria tramittant * * *

[*Desiderantur paginae duae.*]

p. 259.] IV. 7. * * *|salvam esse consulatu abiens in contione, populo Romano idem iurante, iurassem, facile iniuriarum omnium compensarem curam et molestiam. Quamquam nostri casus plus honoris habuerunt quam laboris, neque tantum molestiae quantum gloriae, maioremque laetitiam ex desiderio bonorum percepimus quam ex laetitia improborum dolorem. Sed si aliter, ut dixi, accidisset, qui p. 260.] possem queri? | cum mihi nihil inproviso nec gravius quam expectavissem pro tantis meis factis evenisset. Is enim fueram, cui cum liceret aut maiores ex otio fructus capere quam ceteris propter variam suavitatem studiorum, in quibus a pueritia vixeram, aut si quid accideret acerbius universis, non praecipuam, sed parem cum ceteris fortunae condicionem subire, non dubitaverim me gravissimis p. 49.] tempestatibus | ac paene fulminibus ipsis obvium ferre conservandorum civium causa meisque propriis periculis parere commune reliquis otium. 8. Neque enim hac nos patria lege genuit aut educavit, ut nulla quasi alimenta exspectaret a nobis ac tantum modo nostris ipsa commodis serviens tutum perfugium otio nostro suppeditaret et tranquillum ad quietem locum, sed ut plurimas et

---

2. *ciuis* nos: CUIUS [. E] C, *cives* O — NATAE [T] C — 3. DICUNT C: *dicuntur* O — 4. *exsilium* O tacente Du Rieu — A:HALAE C (vestigium litterae I erasae) — 6. OELACERBISSIMAE [U] C, ultima E deleta — MARI [I] C — *principum caedes* cum Mosero inclusimus — 7. *paullo* O — 8. *nec uero iam meo nomine abstinet* (sic) affert Arusianus Messius p. 216 Lind. — *meo* Arusianus: om. C — 13. ante *salvam* quid supplendum sit, apparet ex or. in Pis. § 6 extr. — 14. IURASSEM [UI] C, *iuravissem* O — 16. LAUORIS C¹ — 18. *aliter ut*] v. Handii Turs. I, 269 — 19. QUAERI C — INROUISO C addita P sup. lin. — 20. *cui* om. C¹, addidit m. 2 in marg., *qui* sine causa malebat Fr. C. Wolff — 21. *cum*] LU [C M] C — MAIOR [ES] C — 22. STUDIO [RUM] C — 23. ACSERUIUS C¹ — 24. *condilionem* O — 25. PAENAE C — FLUMINIBUS C. «Emendationem, de qua Maius in Addendis, non potui cernere.» Du Rieu — 26. PROPIISPERCULISPARE [R I RE] C — 28. SPECTARET [EX] C — 29. CUMMODIS C, sed corr. 1. m. — 30. *et tranq.*] RETAMQU|ILLUM [R N IL] C deletis litteris R et IL — *sed ut plurimas et maximas nostri animi ingenii consili partis ipsa sibi id utilitatem suam pigneraretur* Nonius p. 477. «Eundem locum se legisse satis significat Nectarius doctus ethnicus apud Augustinum ep.

maximas nostri ani|mi, ingenii, consilii partis ipsa sibi ad uti- [p. 80. litatem suam pigneraretur tantumque nobis in nostrum privatum usum quantum ipsi superesse posset remitteret.

V. 9. Iam illa perfugia, quae sumunt sibi ad excusationem, quo facilius otio perfruantur, certe minime sunt audienda, cum ita dicunt, accedere ad rem publicam plerumque homines nulla re bona dignos, cum quibus comparari sordidum, confligere | autem, multitu- [p. 89. dine praesertim incitata, miserum et periculosum sit. Quam ob rem neque sapientis esse accipere habenas, cum insanos atque indomitos impetus volgi cohibere non possit, neque liberi cum inpuris atque inmanibus adversariis decertantem vel contumeliarum verbera subire vel expectare sapienti non ferendas iniurias, proinde quasi bonis et fortibus et magno animo praeditis | ulla sit ad rem publicam [p. 90. adeundi causa iustior quam ne pareant inprobis neve ab isdem lacerari rem publicam patiantur, cum ipsi auxilium ferre, si cupiant, non queant.

VI. 10. Illa autem exceptio cui probari tandem potest, quod negant sapientem suscepturum ullam rei publicae partem, extra quam si eum tempus et necessitas coegerit? Quasi vero maior cuiquam necessitas accidere posset, quam accidit nobis, in qua quid facere potuissem, | nisi tum consul fuissem? Consul autem esse qui [p. 83. potui, nisi eum vitae cursum tenuissem a pueritia, per quem equestri loco natus pervenirem ad honorem amplissimum? Non igitur potestas est ex tempore aut cum velis opitulandi rei publicae, quamvis ea prematur periculis, nisi eo loco sis, ut tibi id facere liceat. 11. Maximeque hoc in hominum doctorum oratione mihi mirum videri solet, quod qui tranquillo | mari gubernare se negent [p. 84. posse, quod nec didicerint nec umquam scire curaverint, iidem ad gubernacula se accessuros profiteantur excitatis maximis fluctibus. Isti enim palam dicere atque in eo multum etiam gloriari solent, se de rationibus rerum publicarum aut constituendarum aut tuendarum nihil nec didicisse umquam nec docere, earumque rerum scientiam

---

XC et CIII; immo id adfirmat Augustinus ep. XCI ad eum scribens: *intuere ipsos de re publ. libros, unde illum affectum amantissimi civis ebibisti.*» Mai. —

1. CONSILIO C; ortumne CONSILIO ex CONSILIQ. = *consilique*? — 3. REMITERET C — 8. PRESERTIM C — 10. NON in C sup. lin. — LIBERIS C, deleta s. «Non licet cernere alteram formam, quam Maius edidit; nam periit per Augustini *fletu*» Du Rieu; *liberalis* edd. cum Maio, qui sic habet in verborum contextu nulla addita adnotatione — 12. fort. *vel exceptare* — RIAS C add. sup. lin. INIU — QU:ASI C erasa littera I — 14. PAREANT in C sup. lin. — LACELARI C — 15. PATIATUR C[1] — 20. POSSET C, *possit* O — 21. *consul fuissem* in C additum m. sec. sup. lin.; cf. Du Rieu p. 33; rectius videtur *nisi tum consul essem* — 24. *ex tempore*] «manus 2. haud scio an *in tempore* Maius. Non ita, nil correxit m. 2.; sunt maculae vocabuli *mei* ex pagina praecedenti.» Du Rieu — 25. PRAEMATUR C, deleta priore A — 28. QUODIDI|CERUNT C, deletis priore I et ult. U — *iidem* C h. l. ut videtur — 29. MAXIMUM C.

p. 85.] non doctis hominibus | ac sapientibus, sed in illo genere exercitatis concedendam putant. Quare qui convenit polliceri operam suam rei publicae tum denique, si necessitate cogantur? cum, quod est multo proclivius, nulla necessitate premente rem publicam regere nesciant. Equidem, ut verum esset sua voluntate sapientem descendere ad rationes civitatis non solere, sin autem temporibus cogerep. 86.] tur, | tum id munus denique non recusare, tamen arbitrarer hanc rerum civilium minime neglegendam scientiam sapienti, propterea quod omnia essent ei praeparanda, quibus nesciret an aliquando uti necesse esset.

VII. 12. Haec pluribus a me verbis dicta sunt ob eam causam, quod his libris erat instituta et suscepta mihi de re publica disputatio, quae ne frustra haberetur, dubitationem ad rem publicam p. 79.] adeun|di in primis debui tollere. Ac tamen si qui sunt qui philosophorum auctoritate moveantur, dent operam parumper adque audiant eos, quorum summa est auctoritas apud doctissimos homines et gloria: quos ego existimo, etiam si qui ipsi rem publicam non gesserint, tamen, quoniam de re publica multa quaesierint et scripserint, functos esse aliquo rei publicae munere. Eos vero septem, p. 80.] quos Graeci sapientis nomi|naverunt, omnis paene video in media re publica esse versatos. Neque enim est ulla res, in qua propius ad deorum numen virtus accedat humana, quam civitatis aut condere novas aut conservare iam conditas.

VIII. 13. Quibus de rebus, quoniam nobis contigit ut idem et in gerenda re publica aliquid essemus memoria dignum consecuti et in explicandis rationibus rerum civilium quandam facultatem non p. 55.] mo|do usu, sed etiam studio discendi et docendi essemus * * auctores, cum superiores ali fuissent in disputationibus perpoliti, quorum res gestae nullae invenirentur, ali in gerendo probabiles, in disserendo rudes. Nec vero nostra quaedam est instituenda nova et a nobis inventa ratio, sed unius aetatis clarissimorum ac sapientissimorum nostrae civitatis virorum disputatio repetenda memoria| p. 56.] est, quae mihi tibique quondam adulescentulo est a P. Rutilio

---

3. NECESSITATA[E] C; post hoc nomen vv. *cogantur cum q. e. m. p. n. necessitate* male repetita, sed punctis deleta sunt; v. Du Rieu p. 58 — 4. RECERE C^1 — 7. IT C — ARBITRARE[R] C — 11. *pluribus* Moser: PLURIMIS C O — 16. APPUT C, altera P del. — 18. QUESIERINT C — 19. QFUNCTOS C — 20. PAENA C cum vestigio litterae E supra A posteriorem — 22. PROPRIUS C (punctum super R se vidisse negat Du Rieu) — DEUORUM C — UIRTUTIS C, deleta syllaba TI — *ciuitatis* Mai: *civitates* O tacente Du Rieu — 27. *discendi* Mai: DISCEDENDI C; an ex *disserendi*, ut Krarup coniecit? — lacunae signum post *essemus* posuimus; [*essemus auctores*] O. Hominum doctorum conatus loci mutili emendandi Osannus in edit. sua congessit; Sebastiani sic apud Heinrichium supplevit: *essemus adsecuti, recte disputandi et praecipiendi iure nostro quodam modo videmur esse auctores* etc. (*facultatem, non modo - - docendi esse possumus auctores* Fr. Buecheler Rh. Mus. XIII p. 590 sq.) — 28. EXPERPOLITI C, deleta litt. E et fort. X — 29. PROUABILES C^1 — 33. ESTQUE C^1 — *adolescentulo* O tacente Du Rieu — RUTILIORUMFO C^1.

Rufo, Zmyrnae cum simul essemus compluris dies, exposita, in qua nihil fere quod magno opere ad rationes omnium rerum pertineret praetermissum *puto*.

IX. 14. Nam cum P. Africanus hic, Pauli filius, feriis Latinis Tuditano cons. et Aquilio constituisset in hortis esse, familiarissimique eius ad eum frequenter per eos dies ventitaturos se esse dixissent, | Latinis ipsis mane ad eum primus sororis filius venit [p. 273. Q. Tubero: quem cum comiter Scipio appellavisset libenterque vidisset, Quid tu, inquit, tam mane Tubero? dabant enim hae feriae tibi opportunam sane facultatem ad explicandas tuas litteras. Tum ille: Mihi vero omne tempus ad meos libros vacuum; numquam enim sunt illi occupati; te autem permagnum est nancisci otiosum hoc praesertim motu | rei publicae. Tum Scipio: Adqui nactus [p. 274. es, sed me hercule otiosiorem opera quam animo. Et ille: Tu vero animum quoque relaxes oportet; sumus enim multi, ut constituimus, parati, si tuo commodo fieri potest, abuti tecum hoc otio. — Libente me vero, ut aliquid aliquando de doctrinae studiis admoneamur.

X. 15. Tum ille: Visne igitur, quoniam et me quodam modo invitas et tui spem das, hoc primum, Africane, | videamus, [p. 97. ante quam veniunt ali, quidnam sit de isto altero sole quod nuntiatum est in senatu? neque enim pauci neque leves sunt, qui se duo soles vidisse dicant, ut non tam fides non habenda quam ratio quaerenda sit. Hic Scipio: Quam vellem Panaetium nostrum nobiscum haberemus! qui cum cetera tum haec caelestia vel studiosissime solet quaerere. Sed ego, Tubero, — nam tecum | aperte quod [p. 33. sentio loquar — non nimis adsentior in omni isto genere nostro illi familiari, qui, quae vix coniectura qualia sint possumus suspicari, sic adfirmat, ut oculis ea cernere videatur aut tractare plane manu. Quo etiam sapientiorem Socratem soleo iudicare, qui omnem eius modi curam deposuerit eaque, quae de natura quaererentur, aut maiora, quam hominum ratio consequi possit, aut nihil om|nino [p. 37. ad vitam hominum adtinere dixerit. 16. Dein Tubero: Nescio, Africane, cur ita memoriae proditum sit, Socratem omnem istam

---

1. ZMYRNAE [s] C — 2. MAGNOPERE [n] C — 3. PUTO in C add. m. recentior; malim: *praetermissumst* — 5. CONS. C: *Cos.* O cum Nobbio; *cos.* post *Aquilio* Osann posuit, recte ut videtur — *Aquillio* O — 6. *frequentes* Moser — UENTATUROS [TI] C — 8. Q. in C sup. lin. — TUUERO C^1 — ATPELLAUISSET C — 9. INQUIDTAN C — DAUANT C^1 — FIERIE C^1 — 11. AD [EST] C, *est ad* O — LIBEROS C — 12. NAMCISCI [N] C — 14. *Tu vero* Reisig: ATUTUERO C, deletis litteris UT, *at tu vero* O cum Maio, *At tu* Heinrich — 16. PARATA [I] C — *libente* Mai: LIBENTER C — 17. DROCTRINAE C^1 — 19. AFRICANAE C, del. ultima A — 20. ALI [I] C — *sole quod* in C bis scriptum est, sed vitium expungendo correctum — 27. POSUMU [S S] C — 28. UIDEANTUR C, sed N deleta — 31. *posset* Lehner; v. tamen Weissenborn in Iahnii nov. ann. vol. 52, 157 — 33. AFRICANAE C^1.

disputationem reiecisse et tantum de vita et de moribus solitum esse quaerere. Quem enim auctorem de illo locupletiorem Platone laudare possumus? cuius in libris multis locis ita loquitur Socrates, ut etiam cum de moribus, de virtutibus, denique de re publica disputet, p. 34.] nume|ros tamen et geometriam et harmoniam studeat Pythagorae more coniungere. Tum Scipio: Sunt ista, ut dicis, set audisse te credo, Tubero, Platonem Socrate mortuo primum in Aegyptum discendi causa, post in Italiam et in Siciliam contendisse, ut Pythagorae inventa perdisceret, eumque et cum Archyta Tarentino et cum Timaeo Locro multum fuisse et Philoleo commentarios esse p. 263.] nanctum; cumque eo tempo|re in his locis Pythagorae nomen vigeret, illum se et hominibus Pythagoreis et studiis illis dedisse. Itaque cum Socratem unice dilexisset eique omnia tribuere voluisset, leporem Socraticum suptilitatemque sermonis cum obscuritate Pythagorae et cum illa plurimarum artium gravitate contexuit.

XI. 17. Haec Scipio cum dixisset, L. Furium repente venientem p. 264.] aspexit eumque, ut salutavit, amicissime | adprehendit et in lecto suo conlocavit. Et cum simul P. Rutilius venisset, qui est nobis huius sermonis auctor, eum quoque ut salutavit, propter Tuberonem iussit adsidere. Tum Furius: Quid vos agitis? num sermonem vestrum aliquem diremit noster interventus? Minime vero, Africanus; soles enim tu haec studiose investigare, quae sunt in p. 209.] hoc genere, de quo instituerat paulo ante Tubero quae|rere. Rutilius quidem noster etiam sub ipsis Numantiae moenibus solebat mecum interdum eius modi aliquid conquirere. Quae res tandem inciderat? inquit Philus. Tum ille: De solibus istis duobus, de quo studeo, Phile, ex te audire quid sentias.

XII. 18. Dixerat hoc ille, cum puer nuntiavit venire ad eum Laelium domoque iam exisse. Tum Scipio calceis et vestimentis p. 240.] sumtis e cubiculo est egressus, et cum paululum inambu|lavisset in porticu, Laelium advenientem salutavit, et eos, qui una

---

1. REIECISSET C — BITA C; correctionem litterae B se vidisse negat Du Rieu — 3. SOCRATE C — 4. DISPUTENT C; adsitne delendi signum in litt. N propter maculam incertum — 5. HERMONIAM C^1 — 6. *sed audisse -- contendisse* Nonius p. 260 — 8. *causa* Nonius: om. C, quam lectionem defendit Guil. Weissenborn in Iahnii nov. ann. vol. LII, 149 — *et in Siciliam* om. Nonius — 10. *Philoleo* C 2. manu teste Maio: PHILOTEO C teste Du Rieu, *Philolai* O; recte intellexit Mai *Φιλόλεω* esse terminationem Graecam loco Latinae *Philolai*; v. Osann. ad h. l. — 11. *nactum* O — 18. LECTŪ C distincte teste Du Rieu, quamquam magna columnae pars evanuerit — 19. *huius* Klotz: LAUTUS C, *laudatus* O cum Steinackero; *totius* C. G. Th. Franckius — 20 ADSERE C — 22. STUDIOSAE C^1 — 23. QUERERE C — 25. CONQUIRE C — RAS C — 26. INQUIDPOLUS C — 27. STUDIO C; ne quis mallet cum Orellio *aveo*, commode attulit Otto I, c. 44 extr. — PILE C^2 — 28. *Nunciatum est venire Laelium domoque iam exisse* Arus. Mess. p. 227 L. — 30. *sumtis* Mai: *sumptis* O tacente Du Rieu — 31. SALUTABIT C^1 — ET in C sup. lin.

venerant, Spurium Mummium, quem in primis diligebat, et C. Fannium et Quintum Scaevolam, generos Laeli, doctos adulescentes, iam aetate quaestorios: quos cum omnis salutavisset, convertit se in porticu et coniecit in medium Laelium; fuit enim hoc in amicitia quasi quoddam ius inter illos, ut militiae propter eximiam belli gloriam | Africanum ut deum coleret Laelius, domi vicissim [p. 197. Laelium, quod aetate antecedebat, observaret in parentis loco Scipio. Dein cum essent perpauca inter se uno aut altero spatio conlocuti Scipionique eorum adventus periucundus et pergratus fuisset, placitum est ut in aprico maxime pratuli loco, quod erat hibernum tempus anni, considerent: quod cum facere vellent, intervenit vir prudens omnibus|que illis et iucundus et carus, M. Manilius, [p. 198. qui a Scipione ceterisque amicissime consalutatus adsedit proximus Laelio.

XIII. 19. Tum Philus: Non mihi videtur, inquit, quod hi venerunt, alius nobis sermo esse quaerendus, set agendum accuratius et dicendum dignum aliquid horum auribus. Hic Laelius: Quid tandem agebatis aut cui sermoni nos intervenimus? PH. Quaesierat ex me Scipio | quidnam sentirem de hoc, quod duo soles visos esse [p. 269. constaret. L. Ain vero, Phile, iam explorata nobis sunt ea, quae ad domos nostras quaeque ad rem publicam pertinent? si quidem quid agatur in caelo quaerimus. Et ille: An tu ad domos nostras non censes pertinere scire quid agatur et quid fiat domi? quae non ea est, quam parietes nostri cingunt, sed mundus hic totus, quod domicilium quamque patriam di no|bis communem secum de- [p. 270. derunt, cum praesertim, si haec ignoremus, multa nobis et magna ignoranda sint. Ac me quidem, ut hercule etiam te ipsum, Laeli, omnisque avidos sapientiae cognitio ipsa rerum consideratioque delectat. 20. Tum Laelius: Non inpedio, praesertim quoniam feriati sumus, sed possumus audire aliquid an serius venimus? PH. Nihil est adhuc disputatum, et, | quoniam est integrum, libenter [p. 43. tibi, Laeli, ut de eo disseras equidem concessero. L. Immo vero te audiamus, nisi forte Manilius interdictum aliquod inter duos soles

---

3. QUAESORIOS C — 5. EXIMAM C[1] — 8. ESSET C cum vestigio N suprascriptae — *aut* Moser: AN C, *atque* Osann; cf. Madvig ad Cic. de finn. p. 320 — 9. SCIPIONIQUE|EORUM C, deletis litteris Eo — 12. .M. C — MANLIUS C, addita I prima, ut putat Du Rieu, manu — 13. *assedit* O tacente Du Rieu — 15. PHILUS C, sed vestigium deletae H — 16. QUERENDUS C — 18. EXME in C post *Scipio* repetitum, sed deletum est. — 20. PHILE C — EAS C — 21. ATDOMOS C — QUEQUE C — PERTINENT C — 22. QUERIMUS C — ATDOMOS C — 28. OMNISQUEAUIDAEOMNIS C — Arusianus Messius p. 224 L. Cic. de rep. *Ipsa cognitio nos delectauit.* — 29. INPENDIO C, altera N deleta — 31. ADHOC C — Anal. gramm. ed. Endlicher p. 160: *Libenter tibi, Laeli, ut cum* (*uti cum* Macrob. de diff. et soc. gr. lat. verbi) *desideras equidem concessero.* — 33. *duo* O cum Mosero, ut est §§ 15. 19.

putat esse componendum, ut ita caelum possideant, ut uterque possederit. Tum Manilius: Pergisne eam, Laeli, artem inludere, in qua primum excellis ipse, deinde sine qua scire nemo potest quid sit p. 44.] suum, quid alienum? | Sed ista mox: nunc audiamus Philum, quem video maioribus iam de rebus quam me aut quam P. Mucium consuli.

XIV. 21. Tum Philus: Nihil novi vobis adferam neque quod a me sit cogitatum aut inventum; nam memoria teneo C. Sulpicium Gallum, doctissimum, ut scitis, hominem, cum idem hoc visum diceretur et esset casu aput M. Marcellum, qui cum eo consul fuerat, p. 103.] sphaeram, quam M. Marcelli avus captis | Syracusis ex urbe locupletissima atque ornatissima sustulisset, cum aliud nihil ex tanta praeda domum suam deportavisset, iussisse proferri: cuius ego sphaerae cum persaepe propter Archimedi gloriam nomen audissem, speciem ipsam non sum tanto opere admiratus; erat enim illa venustior et nobilior in volgus, quam ab eodem Archimede factam posuerat in templo Virtutis Marcellus idem. 22. Sed postea quam| p. 104.] coepit rationem huius operis scientissime Gallus exponere, plus in illo Siculo ingenii quam videretur natura humana ferre potuisse iudicabam fuisse. Dicebat enim Gallus sphaerae illius alterius solidae atque plenae vetus esse inventum et eam a Thalete Milesio primum esse tornatam, post autem ab Eudoxo Cnidio, discipulo, ut ferebat, Platonis, eandem illam astris quae caelo inhaererent p. 65.] es|se descriptam, cuius omnem ornatum et descriptionem, sumptam ab Eudoxo, multis annis post non astrologiae scientia, sed poetica quadam facultate versibus Aratum extulisse. Hoc autem sphaerae genus, in quo solis et lunae motus inessent et earum quinque stellarum, quae errantes et quasi vagae nominarentur, in illa sphaera solida non potuisse finiri, atque in eo admirandum esse inp. 66.] ventum | Archimedi, quod excogitasset, quem ad modum in dissimillimis motibus inaequabiles et varios cursus servaret una conversio. Hanc sphaeram Gallus cum moveret, fiebat ut soli luna totidem conversionibus in aere illo quot diebus in ipso caelo succe-

1. PUTASSE [TE] C — 3. *excellis* Moser: EXCELLO C, *excelles* (ab *excelleo*) Klotz — 4. SUUM QUIQUID C, sed QUI deletum — PHILUM C deleta H — 7. PILUS C — 11. SFAERAM C — MARCELL| US [I AU] C — 12. Arusianus p. 225 L. «Cic. de Rep. II: *cum aliud nihil domum suam deportasset*. — 14. SFAERE C — 16. NOUILIOR C — 20. *iudicabam* Mai: IUDICAM [BAT] C deleta M, *iudicaui* Krarup — SFERAE C — 21. THLETA [A E] C — 22. ORNATAM [T] C — 23. *ferebant* Heinrich — *astris quae caelo inhaererent* nos: ASTELL|ISQ. [R IS] CAELO INHERERENT C teste Du Rieu, litterae ELL deletae sunt, IS post LL addidit prima (?) manus, ut videtur; *astris caelo inhaerentibus* O cum Maio; cf. Du Rieu p. 35 et 63 — 25. ASTROLOGIA C[1] — 27. SPHERAE C — UNAE [L] C — 28. QUE [A] C — UAGE [A] C — 29. *fieri* coni. Mai — *eo* Heinrich: EA C; locum ob oculos habuit Lactantius div. inst. II, 5. — 31. DIMSIMILLIMIS C — 32. SPHERAM C — 33. QUOD C.

deret, ex quo et in [caelo] sphaera solis fieret eadem illa defectio, et incideret luna tum in eam *metam*, quae esset umbra terrae, cum sol e regione * * *

[*Octo paginae hic a Maio desiderantur.*]

XV. 23. * * * | fuit, quod et ipse hominem diligebam et [p. 59. in primis patri meo Paulo probatum et carum fuisse cognoveram. Memini me admodum adulescentulo, cum pater in Macedonia consul esset et essemus in castris, perturbari exercitum nostrum religione et metu, quod serena nocte subito candens et plena luna defecisset. Tum ille, cum legatus noster esset anno fere ante, | quam [p. 60. consul est declaratus, haud dubitavit postridie palam in castris docere nullum esse prodigium, idque et tum factum esse et certis temporibus esse semper futurum, cum sol ita locatus fuisset, ut lunam suo lumine non posset attingere. Ain tandem? inquit Tubero: docere hoc poterat ille homines paene agrestes et apud imperitos audebat haec dicere? s. Ille vero et magna quidem cum * * *

24. [*Hic Maio minimum duae paginae videntur deesse.*]

neque in|solens ostentatio neque oratio abhorrens a persona [p. 71. hominis gravissimi; rem enim magnam adsecutus, quod hominibus perturbatis inanem religionem timoremque deiecerat.

XVI. 25. Adque eius modi quiddam etiam bello illo maximo, quod Athenienses et Lacedaemoni summa inter se contentione gesserunt, Pericles ille, et auctoritate et eloquentia et consilio princeps civitatis suae, cum obscurato | sole tenebrae factae essent [p. 72. repente Atheniensiumque animos summus timor occupavisset, docuisse civis suos dicitur, id quod ipse ab Anaxagora, cuius auditor fuerat, acceperat, certo illut tempore fieri et necessario, cum tota se luna sub orbem solis subiecisset: itaque etsi non omni intermenstruo, tamen id fieri non posse nisi intermenstruo tempore. Quod cum disputando ratio|nibusque docuisset, populum liberavit metu; [p. 279. erat enim tum haec nova et ignota ratio, solem lunae oppositu solere deficere, quod Thaletem Milesium primum vidisse dicunt. Id autem

---

1. *caelo* delevit Heinrich, item Dobree Advers. II, 377, hic tamen proposita hac altera emendatione: *et in caelo et in sphaera*; Wolff autem coni. *ut in caelo, ita in sphaera* — 2. METAM in C sup. lin. add. 2. m. — TERRE C[1] — 5. QUOD IPSE C — vv. *diligebam et in primis* in C bis scripta sunt — 7. CONS. C — 9. METPLENA C deleta M — 13. *esse semper* nos: ESSEMPER C deletis litt. ES, et ita edd. — 14. IN C — INQUID C — 15. ILLA C — 19. *rem enim erat m.* coni. Heinrich; immo *r. enim m. adsecutus est*, ut indicavit Mai in ed. alt. — 20. PERTUBATIS C — DEIECERET C — 21. QUID |QUID C (*dam* add. pr. m. ut videtur); an *eius modi quid*? — UELLO C — 22. LACAEDEMONI C — 23. CONSILIA C[1] — 24. SOOE C[1] — 25. REPETENTE C — 29. NISI CERTO TEMPORE C: *nisi certo intermenstruo tempore* edd. cum Maio, at v. Du Rieu p. 36. — CUMQUODCUM C — 31. TUM C: *tunc* C[2] teste Maio et O, sed negat Du Rieu eam emendationem esse in codice — *oppositu* Beier: OPPOSITUM C, testante Du Rieu litteram M deletam esse.

postea ne nostrum quidem Ennium fugit, qui ut scribit, anno quinquagesimo ccc fere post Romam conditam

Nonis Iunis soli luna obstitit et nox.

p. 280.] Adque hac in re tanta inest ratio adque sollertia, | ut ex hoc die, quem apud Ennium et in maximis annalibus consignatum videmus, superioris solis defectiones reputatae sint usque ad illam, quae Nonis Quinctilibus fuit regnante Romulo: quibus quidem Romulum tenebris etiam si natura ad humanum exitum abripuit, virtus tamen in caelum dicitur sustulisse.

XVII. 26. Tum Tubero: Videsne, Africane, quod paulo ante secus tibi videbatur, doc * * *

[*Desiderantur paginae duae.*]

p. 121.] * * * | iis, quae videant ceteri. Quid porro aut praeclarum putet in rebus humanis, qui haec deorum regna perspexerit, aut diuturnum, qui cognoverit quid sit aeternum, aut gloriosum, qui viderit quam parva sit terra, primum universa, deinde ea pars eius, quam homines incolant, quamque nos in exigua eius parte adfixi, plurimis ignotissimi gentibus, speremus tamen nostrum nomen volitare p. 122.] et vagari | latissime. 27. Agros vero et aedificia et pecudes et inmensum argenti pondus atque auri qui bona nec putare nec appellare soleat, quod earum rerum videatur ei levis fructus, exiguus usus, incertus dominatus, saepe etiam deterrimorum hominum inmensa possessio, quam est hic fortunatus putandus! cui soli vere liceat p. 139.] omnia non Quiritium, set sapientium iure pro suis vindicare, nec civili nexo, sed communi lege naturae, quae vetat ullam rem esse cuiusquam nisi eius, qui tractare et uti sciat: qui inperia consulatusque nostros in necessariis, non in expetendis rebus, muneris fungendi gratia subeundos, non praemiorum aut gloriae causa adpetendos putet: qui denique, ut Africanum avum meum scribit Cato

---

1. fort. *quum, ut scribit*, ut *quum* ad vv. Ennii referendum sit; ac videmus ad explendum hexametrum unam solam syllabam deesse; *qui sic scribit* coni. **Mommsen** — QUINQUAGESIMOFERE C: *CCC. quinquagesimo* O cum Maio, *quinquagesimo et CCC* **Osann** — *Nonis*] NON C; *nonis Iunis* tribuit Heinrich Ciceroni — *obstitit, et nox* distinxit **Vahlen**, at v. E. Hübner in *N. Jahrb. für Philol. u. Paedag.* Vol. 79, 415 sq. — 4. SOLLERTIA|AUT C — 6. SUPERIORIS C, *superiores* O — REPUTATE C¹ — 7. QUINCTILIBUS C, sed deleta c — 8. HUMEXITUM C — 10. AFRICANAE C — 15. QUIDUIDERIT C — 16. SITERRA C¹ — 17. NOXEXIGUEIUS C — ADFOIXI C — 19. *latissime: agros - - possessio? Quam est* etc. edd. «Melius interpungenda est oratio: *et vagari latissime. Agros vero - - qui bona nec putare nec appellare soleat, quod - - possessio, quam est hic fortunatus putandus! cui* etc. Et vero indicium facit convertentis se in aliam formam orationis nec haec ullo modo cum superioribus: *aut praeclarum putet qui - - aut diuturnum qui - - aut gloriosum qui - -*, coniungi possunt.» Madvig. Recte locum iam Lehner intellexerat, sed ei non sunt obsecuti editores posteriores. — 22. *deterrimorum* nos: TECERRIMORUM C, *teterrimorum* edd., sed **Nobbe** *tacet.* — INMENSAM C, sed M posterior deleta — 23. SOLUERE C — 25. *nexo*] SEXO C teste Du Rieu — GE C — 26. UT — ĪPERIA C — 28. FUGENDI C.

solitum esse dicere, possit idem de se praedicare, numquam | se [p.140. plus agere quam nihil cum ageret, numquam minus solum esse quam cum solus esset. 28. Quis enim putare vere potest plus egisse Dionysium tum, cum omnia moliendo eripuerit civibus suis libertatem, quam eius civem Archimedem, cum istam sphaeram, nihil cum agere videretur [de qua modo dicebatur], effecerit? Quis autem non ma|gis solos esse, qui in foro turbaque quicum conloqui [p.141. libeat non habeant, quam qui nullo arbitro vel secum ipsi loquantur vel quasi doctissimorum hominum in concilio adsint, cum eorum inventis scribtisque se oblectent? Quis vero divitiorem quemquam putet quam eum, cui nihil desit, quod quidem natura desideret, aut potentiorem quam illum, qui omnia quae expe|tat consequatur, [p.142. aut beatiorem quam qui sit omni perturbatione animi liberatus, aut firmiore fortuna quam qui ea possideat, quae secum, ut aiunt, vel e naufragio possit ecferre? Quod autem imperium, qui magistratus, quod regnum potest esse praestantius quam despicientem omnia humana et inferiora sapientia ducentem nihil umquam nisi sempiternum et divinum animo | volutare? cui persuasum sit appellari [p.127. ceteros homines, esse solos eos, qui essent politi propriis humanitatis artibus? 29. ut mihi Platonis illut, seu quis dixit alius, perelegans esse videatur, quem cum ex alto ignotas ad terras tempestas et in desertum litus detulisset, timentibus ceteris propter ignorationem locorum, animadvertisse dicunt in arena geometricas formas quasdam esse descriptas, | quas ut vidisset, exclamavisse ut bono [p.128. essent animo; videre enim se hominum vestigia: quae videlicet ille non ex agri consitura, quam cernebat, sed ex doctrinae indiciis interpretabatur. Quam ob rem, Tubero, semper mihi et doctrina et eruditi homines et tua ista studia placuerunt.

XVIII. 30. Tum Laelius: Non audeo quidem, inquit, ad ista, Scipio, dicere, neque tam te aut Philum aut Manilium * * *

[*Desiderantur paginae duae.*]

* * * | in ipsius paterno genere fuit noster ille amicus, [p.285. dignus huic ad imitandum,

---

2. post *ageret* in C vv. *numquam se plus agere* repetita sed punctis notata sunt — 5. SFAERAM C — 6. UIDERETUR DE QUA MODO DICEBATUR C; vv. *de qua modo dicebatur* (debebat saltem esse *dictum est*) O Steinackerum secutus post *ipsam sphaeram* collocavit, sed ea potius ex glossemate adiecta esse iam sensit Heinrich, apertius dixit Osann. — 7. CŌLOQUI C — 8. ARBITRUO C — 9. ATSINT C — 10. *scriptisque* O — OBECTENT C¹ — 12. QUANTUMILLUM C deletis litt. NTUM — EXPECTAT C — 19. SOLODEOS C. Maius D expunctam esse notavit, ex qua s facienda esset, quam emendationem Du Rieu se negat vidisse. — *sint* Bake; at v. Dietrichii quaestt. gramm. p. 40 — 21. QUAM C — 25. QUE C — 27. INTERPRAETABATUR C — *et doctrina eruditi* coni. Moser — 28. TUAS C, deleta s — 29. *equidem* mal. Moser — INQUID C — 30. *aut Ph.*] QUAMPILUM C deletis QU et priore M — 33. *imitandum*] Qui sequitur in C O versus Ennii «*Egregie cordatus homo, catus Aelius Sextus*», eum ex interpolatione hic insertum esse Dobree in Advers. II, 377 primus intellexit.

[Egregie cordatus homo, catus Aelius Sextus] qui egregie cordatus et [catus] fuit et ab Ennio dictus est, non quod ea quaerebat, quae numquam inveniret, sed quod ea respondebat, quae eos, qui quaesissent, et cura et negotio solverent: cuique p. 286.] contra Galli studia disputanti in ore semper erant illa | de Iphigenia Achillis:

Astrologorum signa in caelo quaesit, observat, Iovis
Cum capra aut nepa aut exoritur nomen aliquod beluae.
Quod est ante pedes nemo spectat, caeli scrutantur plagas.

Atque idem — multum enim illum audiebam et libenter — Zethum illum Pacuvi nimis inimicum doctrinae esse dicebat: magis eum de- p. 181.] lectabat Neoptolemus Enni, qui se ait philosophari | velle, sed paucis; nam omnino haud placere. Quod si studia Graecorum vos tanto opere delectant, sunt alia liberiora et fusa latius, quae vel ad usum vitae vel etiam ad ipsam rem publicam conferre possumus. Istae quidem artes, si modo aliquid, *id* valent, ut paulum acuant et tamquam inritent ingenia puerorum, quo facilius possint maiora discere.

p. 182.] XIX. 31. Tum Tubero: | Non dissentio a te, Laeli, sed quaero quae tu esse maiora intellegas. L. Dicam me hercule et contemnar a te fortasse, cum tu ista caelestia de Scipione quaesieris, ego autem haec, quae videntur ante oculos esse, magis putem quaerenda. Quid enim mihi L. Pauli nepos, hoc avunculo, nobilissima in familia atque in hac tam clara re publica natus, quaerit *quo modo duo soles visi sint*, *non quaerit* cur in una re publica

---

2. ESTCAUTUS C; nos Dobraeum secuti CATUS inclusimus — 3. «Indicativus *quaerebat* non recte se habet, si haec est sententia, S. Aelium non ea quaesisse, quae numquam inveniret: librarius ad sq. *ebat* aberrare potuit.» Wesenberg *emend. Tuscul.* II, p. 22. — QUEMNŪQUAM C[1] — 5. STUDIO C[1] — *erant* Mai: ERAT C — 6. IFIGENIA ACHILLES C; *Achillis* emend. Mai, *Achillei* cum Steinackero malebat Moser; *erat ille de I. Achilles* Osann — 7. *quaesit* Heinrich: QUIDSIT CO, *quaerit* Mai in ed. II. (*quaesit* iam ante Heinrichium Iac. Leopardi Effemeridi literarii di Roma T. 9. 1822 p. 333 sqq. Idem proposuit etiam *signum in caelo quod sit.*) — *obseruat Iouis* Mai: OBSERUATIONIS C — 9. *nepa*] «In cod. scribitur NLUPA. Maius. Non est ita; nam maculas in hac pagina frequentes ne formam quidem litt. LU referentes miscuit cum NEPA.» DuRieu — NOMEN C: *lumen* Heinrich — 10. *beluae* Heinrich: BELUARUM C[1], *belluarum* C[2] — 11. EST C: *'st* O; eundem versum Cicero citat de Divin. II, § 30 — 13. ZETHUM C deletis H et M — 14. PACUUI (I O supra) C altera U deleta — 15. ENNIQUI C — FILOSOFARI C — 17. *fusa* Madvig: TRANSFUSA CO. «*liberiora et transfusa latius* vitiose dicitur pro eo quod est *et fusa latius*. Fieri potest ut Cicero scripserit *et iam fusa*, sed non puto.» Madvig. — 19. ISTE C[1] — *id valent* C. F. W. Müller Coniect. Tull. p. 15 (Königsberg, 1860, 4º): UALENT CO — PAULUMACUACUANT (I supra) C prioribus ACU deletis — 23. INTELLEGAS C — ME sup. lin. in C — 24. QUAESIERIS C — 25. *ante oculos, esse magis* O, quae perversa verborum distinctio correcta est a Creuzero et a Madvigio ad Cic. de Finn. p. 233. — PUTEM add. m. 2 in C — 26. QUAERENDA C — 27. QUERIT C[1] — 28. *quo modo duo soles uisi sint non quaerit* addidit m. 2 in C.

duo senatus et duo paene iam populi sint? Nam, ut vi|detis, [p. 213. mors Tiberii Gracchi et iam ante tota illius ratio tribunatus divisit populum unum in duas partis, obtrectatores autem et invidi Scipionis, initiis factis a P. Crasso et Appio Claudio, tenent nihilo minus illis mortuis senatus alteram partem dissidentem a vobis auctore Metello et P. Mucio, neque hunc, qui unus potest, concitatis sociis et nomine Latino, foederibus violatis, triumvi|ris seditiosissi- [p. 214. mis aliquid cotidie novi molientibus, bonis viris locupletibus perturbatis, his tam periculosis rebus subvenire patiuntur. **32.** Quam ob rem, si me audietis, adulescentes, solem alterum ne metueritis: aut enim nullus esse potest, aut sit sane, ut visus est, modo ne sit molestus, aut scire istarum rerum nihil aut, etiam si maxime sciemus, nec meliores ob eam scientiam nec beatiores esse possumus: sena|tum vero et populum ut unum habeamus et fieri potest et [p. 215. permolestum est, nisi fit, et secus esse scimus et videmus, si id effectum sit, et melius nos esse victuros et beatius.

XX. **33.** Tum Mucius: Quid esse igitur censes, Laeli, discendum nobis, ut istut efficere possimus ipsum, quod postulas? L. Eas artis, quae efficiant ut usui civitati simus; id enim esse praeclarissimum sapientiae munus maximumque virtutis | vel documen- [p. 216. tum vel officium puto. Quam ob rem, ut hae feriae nobis ad utilissimos rei publicae sermones potissimum conferantur, Scipionem rogemus ut explicet, quem existimet esse optimum statum civitatis. Deinde alia quaeramus, quibus cognitis spero nos ad haec ipsa via perventuros earumque rerum rationem, quae nunc instant, explicaturos. XXI. **34.** Cum id et Philus et Manilius et Mummius admodum adprobavissent * *

[*Desiderantur paginae duae.*]

Sane dixerunt auctores adsimulato per AUD, *hoc est* ὁμοιάζει, *ut Cicero de re publica:* nullum est exemplum cui malimus adsimulare rem publicam. (Diomedes p. 365 ed. Keil.)

M. Tullius de re puplica lib. I: quare, si placet, deduc orationem tuam de caelo ad haec citeriora. (Nonius v. *cituma* p. 85 et v. *deductum* p. 289.)

---

1. *populi sint*] POPULIS C — 3. OBTECTATORES C[1] — INUIDIS SCIPIIS INITIONIS FACTIS C. «Prima s deleta; fieri potest ut ON suprascriptum sit suo loco; nam apparet aliquid supra litt. PIIS, quod verbum *aquae* Augustini abstulit.» Du Rieu. — 5. UOBIS C teste Du Rieu, ut coniecit Steinacker: *nobis* Maius et O — 6. *Q. Metello* coni. Osann — 8. *molientibus* Moser: MOUENTIBUS C O — *locupletibus* C. F. W. Müllero l. c. p. 20 ex interpretatione adiectum videtur — PERTUBATIS C[1] — 9. OBREM add. m. 2 in C — 11. *uisus*] SIUS C — 12. *sciri* (scil. potest) Dobree — AUT C[2]: AT C[1] — 15. SCI. MUS C erasa littera ante M — 16. NOSSE C — 18. QUIDPOSTULASSEASARTISQUE C — 19. SUMUS C — 21. QAM C — 24. DE ALIQUERAMUS C, *Deinde alia quaeremus* O — 25. QUE C — 26. PHILUS C, sed H deleta — 27. PROUA| C — 30. *quam alimus* (*alius*) codd., corr. Osann; *quasi alius* O — 33. *de eo loco* codd. Nonii altero loco p. 85 — *citeriora* Nonii libri utroque loco: *cituma* edd. Tullianae.

p. 203.] * * * | non solum ob eam causam fieri volui, quod erat secum de re publica potissimum principem rei publicae dicere, sed etiam quod memineram persaepe te cum Panaetio disserere solitum coram Polybio, duobus Graecis peritissimis rerum civilium, multaque colligere ac docere, optimum longe statum civitatis esse eum, quem maiores nostri nobis reliquissent. Qua in disputatione quoniam tu p. 204.] | paratior es, feceris, ut etiam pro his dicam, si de re publica quid sentias explicaris, nobis gratum omnibus.

XXII. 35. Tum ille: Non possum equidem dicere me ulla in cogitatione acrius aut diligentius solere versari quam in ista ipsa, quae mihi, Laeli, a te proponitur. Etenim quum in suo quemque opere artificem, qui quidem excellat, nihil aliut cogitare, meditari, p. 221.] curare videam nisi quo sit in illo gene|re melior, ego, cum mihi sit unum opus hoc a parentibus maioribusque meis relictum, procuratio adque administratio rei publicae, non me inertiorem esse confitear quam opificem quemquam, si minus in maxima arte, quam illi in minimis, operae consumserim? 36. Set neque his contentus sum, quae de ista consultatione scripta nobis summi ex Graecia sa- p. 222.] pientissimique homines reliquerunt, neque | ea, quae mihi videntur, anteferre illis audeo. Quam ob rem peto a vobis ut me sic audiatis, neque ut omnino expertem Graecarum rerum neque ut eas nostris in hoc praesertim genere anteponentem, set ut unum e togatis patris diligentia non inliberaliter institutum studioque discendi a pueritia incensum, usu tamen et domesticis praeceptis multo magis eruditum quam litteris.

p. 223.] XXIII. 37. Hic Philus: Non | hercule, inquit, Scipio, dubito quin tibi ingenio praestiterit nemo, usu quidem in re publica rerum maximarum facile omnis viceris; quibus autem studiis semper fueris tenemus. Quam ob rem si, ut dicis, animum quoque contulisti in istam rationem et quasi artem, habeo maximam gratiam Laelio; spero enim multo uberiora fore, quae a te dicentur, quam illa, quae p. 224.] a Graecis † nobis scripta sunt omnia. | Tum ille: Permagnam tu quidem expectationem, quod onus est ei, qui magnis de rebus dicturus est, gravissimum, inponis orationi meae. Et Philus: Quam-

---

3. PERSEPETAE C^1 — 4. *Graecis* Heinrich: UELGRAECIS (non *uel Graecis uel*) C nullo vestigio, ut adfirmat Du Rieu, vocis UEL expunctae (cf. eius adnot. p. 37); *Graecis uel* O cum Maio — 7. PARATIONES (a superscr.) C — 13. *melior*] Quod ait Maius sec. manu I super additam, ut sit MELIORI, negat eam litteram se vidisse Du Rieu, sed adesse maculam, quae tamen ne formam quidem eius litterae praebeat. — 14. SITINUNUM C — 15. PROCURATO (B superscr.) C^1 — INRITIORER C deleta I altera — 17. CONSUMSERINT C, em. iam Maius — 19. HOMINIS (E superscr.) C — 22. ANTEPONENTEM|TEMSET C — 26. PHILUS C litt. H deleta, et sic item v. 34 — cum a voc. *hercule* in C nova pagina incipiat, Du Rieu *me* intercidisse suspicatur — 32. NOBIS C: *nobilissimis* coni. Creuzer, *hominibus* coni. Orelli; *nobis relicta sunt* Osann; videtur *nobis* delendum esse.

vis sit magna, tamen eam vinces, ut soles; neque enim est periculum ne te de re publica disserentem deficiat oratio.

XXIV. 38. Hic Scipio: Faciam quod vultis, ut potero, et iam ingrediar in disputationem ea lege, qua credo omnibus in rebus disserendis utendum esse, si erro|rem velis tollere, ut eius rei, [p. 195. de qua quaeritur, si nomen quod sit conveniat, explicetur quid declaretur eo nomine: quod si convenerit, [tum demum] decebit ingredi in sermonem; numquam enim quale sit illut, de quo disputabitur, intellegi poterit, nisi quid sit fuerit intellectum prius. Qua re, quoniam de re publica quaerimus, hoc primum videamus, quid sit id ipsum, quod quaerimus. | Cum adprobavisset Laelius, Nec [p. 196. vero, inquit Africanus, ita disseram de re tam inlustri tamque nota, ut ad illa elementa revolvar, quibus uti docti homines his in rebus solent, ut a prima congressione maris et feminae, deinde a progenie et cognatione ordiar, verbisque quid sit et quot modis quidque dicatur definiam saepius; aput prudentes enim homines et in maxima re publica sum|ma cum gloria belli domique versatos cum [p. 61. loquar, non committam ut sit inlustrior illa ipsa res, de qua disputem, quam oratio mea: nec enim hoc suscepi, ut tamquam magister persequerer omnia, neque hoc polliceor me effecturum, ut ne qua particula in hoc sermone praetermissa sit. Tum Laelius: Ego vero istut ipsum genus orationis, quod polliceris, expecto.

XXV. 39. Est igitur, inquit Africanus, res publica | res [p. 62. populi, populus autem non omnis hominum coetus quoquo modo congregatus, sed coetus multitudinis iuris consensu et utilitatis communione sociatus. Eius autem prima causa coeundi est non tam inbecillitas quam naturalis quaedam hominum quasi congregatio; non est enim singulare nec solivagum genus hoc, set ita generatum, ut ne in omnium quidem rerum affluentia * * *

[*Desiderantur paginae duae.*]

[*Quid est res publica nisi res populi? Res ergo communis, res utique civitatis. Quid est autem civitas nisi multitudo hominum in quoddam vinculum redacta concordiae? Apud eos enim ita legitur:* Brevi multitudo dispersa atque vaga concordia civitas facta erat.] (Augustini epist. 138, 10.)

---

1. *neque*] Q, C — 2. NEDEDE C — 3. *et iam ingrediar in disp.* scripsi: ETIAMGREDIARIDISPUTATIONEM C, *et ingrediar in d.* edd. — 6. DE QUAERITUR C; *quaeretur* nonnulli editores praetulerunt — 7. TUMDEMUM C m. 2 sup. lin.: ET m. pr. — 8. UNUMQUAM C — 9. *quid* Heinrich: QUOD C; conf. de offic. I, § 7 — 11. ADPROBAUISSENT C deleta N — 13. *ut - - reuoluar* pro versiculi fragm. habet Nobbe — 14. PROGENIAE C — 15. *quot modis* Mai: COMMODIS C — 16. IN sup. lin. in C — 22. EXPECTO C²: EXCEPTO C¹ — 29. *affluentia* Mai. «Veri simile est sic scripsisse M. Tullium. Sed quis praestare quae sunt eius modi potest? Potest enim olim etiam sic scriptum fuisse: *ut ne in omnium quidem rerum adfluentibus copiis* etc., conf. de offic. I, § 153: *Quod si contigerit ea vita sapienti, ut in omnium rerum adfluentibus copiis* etc.» Klotz. — 31. Hunc locum ad Ciceronis de re publ. referendum esse admodum incertum est; v. C. L. Roth in N. mus. rhen. IX, 631 sqq. — 33. *apud eos*] scil. *auctores Romanos*, ut ex superioribus repetendum est.

[*Urbis condendae originem atque causam non unam intulerunt, sed alii eos homines, qui sint ex terra primitus nati, cum per silvas et campos erraticam degerent vitam nec ullo inter se sermonis aut iuris vinculo cohaererent, sed frondes et herbam pro cubilibus, speluncas et antra pro domibus haberent, bestiis et fortioribus animalibus praedae fuisse commemorant. Tum eos, qui aut laniati effugerant aut laniari proximos viderant, admonitos periculi sui, ad alios homines decurrisse, praesidium implorasse et primo nutibus voluntatem suam significasse; deinde sermonis initia temptasse ac singulis quibusque rebus nomina imprimendo, paulatim loquendi perfecisse rationem. Cum autem nec multitudinem ipsam viderent contra bestias esse tutam, oppida etiam coepisse munire, vel ut quietem noctis tutam sibi facerent vel ut incursiones atque impetus bestiarum non pugnando, sed obiectis aggeribus arcerent. — — Haec aliis delira visa sunt, ut fuerunt, dixeruntque non ferarum laniatus causam fuisse coeundi, sed ipsam potius humanitatem, itaque inter se congregatos, quod natura hominum solitudinis fugiens et communionis ac societatis adpetens esset.*] (Lactantius *Instit. div.* VI, 10.)

p. 211.] XXVI. 41. * * * *quae*|dam quasi semina, neque reliquarum virtutum nec ipsius rei publicae reperiatur ulla institutio. Hi coetus igitur hac, de qua exposui, causa instituti sedem primum certo loco domiciliorum causa constituerunt, quam cum locis manuque saepsissent, eius modi coniunctionem tectorum oppidum vel urbem appellaverunt, delubris distinctam spatiisque communibus. Omnis p. 212.] ergo populus, qui est talis coetus multitudinis, qualem | exposui, omnis civitas, quae est constitutio populi, omnis res publica, quae, ut dixi, populi res est, consilio quodam regenda est, ut diuturna sit. Id autem consilium primum semper ad eam causam referendum est, quae causa genuit civitatem. 42. Deinde aut uni tribuendum est aut delectis quibusdam aut suscipiendum est multitudini atque omnibus. Cum penes unum est omnium summa rerum, regem p. 95.] illum | unum vocamus et regnum eius rei publicae statum. Cum autem est penes delectos, tum illa civitas optimatium arbitrio regi dicitur. Illa autem est civitas popularis — sic enim appellant —, in qua in populo sunt omnia. Atque horum trium generum quod-

1. «Hunc Lactantii locum de Maii monitu hic inculcavit Nobbe egoque toleravi, ne quid desideraretur. Sed sententiae ipsae, certe usque ad verba *Haec aliis delira*, petitae sunt potius e Lucretio V, 929—1159.» Orelli. — 6. *aut laniatum* coni. Orelli. — 7. *decucurrisse* vel *cucurrisse* (sic cod. Monac.) codd. aliquot — 9. *imprimendo* codd. fere omnes (ut optimi apud Lenglet Dufresnoy in ed. Paris. a. 1748): *imponendo* edd. et O — 10. *nec* om. 12 codd. in ed. Paris. — 13. *deliramenta* cod. Monac. — 18. REPPERIATUR C — INSTITUTIO C teste Du Rieu et Mai in ed. II: *instituta* Mai in ed. I et O — 20. CERTE C — *quam cum locis - - constitutio populi* Nonius p. 429. — 21. *oppidum vel urbem*] de his verbis ab interpolatione suspectis v. C. F. W. Müller l. c. pag. 8 — 22. DELUBRI C¹ — OMNIS C² et Nonius: om. C¹ — 24. CIUITATIS C — *qua est* libri Nonii — 26. REFERENDAM C — 27. QUE C — UNI add. m. 1 in C — 28. *aut delectis* Mai: ADIECTIS C, *aut dilectis* Otto — 29. *Quare quum* O, sed QUARE add. m. 2 in C — PES C — 31. ARBITRO C.

vis, si teneat illut vinclum, quod primum homines inter se rei publicae societate devinxit, non perfectum illut quidem neque mea sententia optimumst, tolerabile | tamen, set aliut ut alio possit [p. 96. esse praestantius. Nam vel rex aecus ac sapiens, vel delecti ac principes cives, vel ipse populus, quamquam id est minime probandum, tamen nullis interiectis iniquitatibus aut cupiditatibus posse videtur aliquo esse non incerto statu.

XXVII. 43. Set et in regnis nimis expertes sunt ceteri communis iuris et consilii, et in optimatium dominatu vix particeps libertatis potest esse | multitudo, cum omni consilio communi [p. 105. ac potestate careat, et cum omnia per populum geruntur, quamvis iustum atque moderatum, tamen ipsa aequabilitas est iniqua, cum habet nullos gradus dignitatis. Itaque si Cyrus ille Perses iustissimus fuit sapientissimusque rex, tamen mihi populi res — ea enim est, ut dixi antea, publica — non maxime expetenda fuisse illa videtur, cum regeretur unius nutu. Ac | modo si Massilienses, [p. 106. nostri clientes, per delectos et principes cives summa iustitia reguntur, inest tamen in ea condicione populi similitudo quaedam servitutis. Si Athenienses quibusdam temporibus sublato Areopago nihil nisi populi scitis ac decretis agebant, quoniam distinctos dignitatis gradus non habebant, non tenebat ornatum suum civitas. XXVIII. 44. Atque hoc loquor de tribus his generibus rerum publicarum non turbatis atque permix|tis, sed suum statum tenentibus. Quae [p. 225. genera primum sunt in iis singula vitiis, quae ante dixi, deinde habent perniciosa alia vitia; nullum est enim genus illarum rerum publicarum, quod non habeat iter ad finitimum quoddam malum praeceps ac lubricum. Nam illi regi, ut eum potissimum nominem, tolerabili aut, si voltis, etiam amabili, Cyro, subest ad inmutandi animi licentiam crudelissimus il|le Phalaris, cuius in similitudinem [p. 226. dominatus unius proclivi cursu et facile delabitur. Illi autem Massiliensium paucorum et principum administrationi civitatis finitimus est qui fuit quodam tempore apud Athenienses triginta *virorum* consensus et factio. Iam Atheniensium populi potestatem omnium

---

1. $\overset{v}{\text{U}}$INCLUM C — 3. *optimumst, tolerabile tamen, set aliut ut alio* nos duce Hauptio in Philologi I, 388 (ille: *optimum est, tolerab. tamen, sed ut aliud alio*): OPTIMUMSEDTOLERABILE TAMENETALIUTALIO C, *opt. sed tolerab. tamen; ut aliud alio* O — 4. D$\overset{i}{\text{E}}$LECTI C — 7. *non inornato statu* coni. Orelli coll. § 43 *tenebat ornatum* etc. — 13. *habeat* Heinrich et O; ipse malim *quoniam habet*, ut est infra v. 20 sq. — 16. U$\overset{i}{\text{N}}$US C — *nutu ac modo. Si Mass.* distinxit O — 18. POPULIS C — *servitutis si Athenienses quibusdam* in C addita inter versus — 19. AREOPOGO C — 21. *habebat* Heinrich — 22. HOC C: *hoc loco* vel *hic* coni. Moser — 23. Q$\overset{a}{\text{U}}$E C — 25. $\overset{i}{\text{U}}$TIA C — 27. N$\overset{o}{\text{E}}$MINEM C — 28. *ad invitandam animi licentiam* G. Hermann coni. admodum probabiliter, *ad immutandam animi sententiam* Dobree — 30. CURSUM C — FACILE C: *facili* Heinrich et O — D$\overset{e}{\text{I}}$LABITURILL$\overset{i}{\text{E}}$ C — 32. *virorum* Mai: om. C; cf. infra III, c. 32.

rerum ipsi, ne alios requiramus, ad furorem multitudinis licentiamque conversam pesti * * *

[*Desiderantur paginae duae.*]

p. 75.] XXIX. 45. * * * | deterrimus et ex hac vel optimatium vel factiosa tyrannica illa vel regia vel etiam persaepe popularis, itemque ex ea genus aliquod ecflorescere ex illis, quae ante dixi, solet, mirique sunt orbes et quasi circumitus in rebus publicis commutationum et vicissitudinum; quos cum cognosse sapientis est, tum vero prospicere inpendentis in gubernanda re publica, moderantem p. 76.] cursum atque in | sua potestate retinentem, magni cuiusdam civis et divini paene est viri. Itaque quartum quoddam genus rei publicae maxime probandum esse sentio, quod est ex his, quae prima dixi, moderatum et permixtum tribus.

XXX. 46. Hic Laelius: Scio tibi ita placere, Africane; saepe enim ex te audivi; set tamen, nisi molestum est, ex tribus istis modis rerum publicarum velim scire quod optimum iudices. Nam vel profuerit aliquid ad cog * * *

[*Desiderantur paginae duae.*]

p. 51.] XXXI. 47. * * * | et talis est quaeque res publica, qualis eius aut natura aut voluntas, qui illam regit. Itaque nulla alia in civitate, nisi in qua populi potestas summa est, ullum domicilium libertas habet: qua quidem certe nihil potest esse dulcius et quae, si aequa non est, ne libertas quidem est. Qui autem aequa potest esse, omitto dicere in regno, ubi ne obscura quidem est aut dubia p. 52.] servitus, sed in istis civitatibus, in quibus verbo sunt liberi omnes? ferunt enim suffragia, mandant inperia magistratus, ambiuntur rogantur, set ea dant [magis], quae, etiam si nolint, danda sint, et quae ipsi non habent, unde ali petunt; sunt enim expertes imperii, consilii publici, iudicii delectorum iudicum, quae familiarum vetustatibus aut pecunis ponderantur. In libero autem populo, ut Rhodi, ut Athenis, nemo est civium qui * * *

[*Desiderantur paginae duae.*]

p. 175.] XXXII. 48. * * * *po*|pulo aliquis unus pluresve divitiores

---

2. *pestilentem rei publicae habuerunt* supplet Heinrich — 4. *deterrimus* Krarup: TETERRIMUS C O — 5. *tyrannis* coni. Mai — 7. CIRCUMITUS C, *circuitus* O — 9. *inpendentis* Mai: INPENDENTES C teste Du Rieu — REMP. C — 10. CURSU C — RETINENTES C — 11. CUIUS C — 12. SENTIO C: *censeo* Heinrich et O — QUE C — 14. AFRICANAE C[1] — 16. *quem* coni. Orelli — 24. ESE C[1] — 25. INIQUIBUS C — 26. FERUENT C deleta altera E — 27. *magis* Madvigio ad Cic. de finn. pag. 302 delendum videtur; conf. Weissenborn in Iahnii n. ann. vol. 52 p. 151 — QUE - - QUE C[1] — *danda sunt* Osann — *danda sint; et quae* O; sententia est, ut Madvig l. c. recte docuit: *ea dant quae - - danda sint et quae ipsi illi non habent, a quibus alii petunt.* — 29. Q. FAMILIARIUM C — 30. *ut Rhodi, ut Athenis* C corr.: UTRHODIIUTRHODIIATHENIENSES C[1]; fort. *ut Rhodii sunt et Athenienses* — 33. *cum in populo* supplevit Heinrich.

opulentioresque extitissent, tum ex eorum fastidio et superbia nata esse commemorant, cedentibus ignavis et inbecillis et adrogantiae divitum succumbentibus. Si vero ius suum populi teneant, negant quicquam esse praestantius, liberius, beatius, quippe qui domini sint legum, iudiciorum, belli, pacis, foederum, capitis unius cuiusque, p. 176.] pecuniae. Hanc unam | rite rem publicam, id est rem populi, appellari putant. Itaque et a regum et a patrum dominatione solere in libertatem rem populi vindicari, non ex liberis populis reges requiri aut potestatem atque opes optimatium. **49.** Et vero negant oportere indomiti populi vitio genus hoc totum liberi populi repudiari: concordi populo et omnia referente ad incolumitatem et ad p. 169.] libertatem suam nihil | esse inmutabilius, nihil firmius; facillimam autem in ea re publica esse concordiam, in qua idem conducat omnibus: ex utilitatis varietatibus, cum aliis aliut expediat, nasci discordias. Itaque cum patres rerum potirentur, numquam constitisse civitatis statum. Multo iam id in regnis minus, quorum, ut ait Ennius, n u l l a [regni] s a n c t a s o c i e t a s n e c f i d e s e s t. Qua re cum lex sit civilis societatis vinculum, ius autem legis [p. 170. aequale, quo iure societas civium teneri potest, cum par non sit condicio civium? Si enim pecunias aequari non placet, si ingenia omnium paria esse non possunt, iura certe paria debent esse eorum inter se, qui sunt cives in eadem re publica. Quid est enim civitas nisi iuris societas? * * *

[*Desiderantur paginae duae.*]

XXXIII. **50.** | Ceteras vero res publicas ne appellandas [p. 53. quidem putant is nominibus, quibus illae sese appellari velint. Cur enim regem appellem, Iovis optimi nomine, hominem dominandi cupidum aut imperii singularis, populo oppresso dominantem, non tyrannum potius? tam enim esse clemens tyrannus quam [rex] inportunus potest, ut hoc populorum intersit, utrum comi domino an aspero serviant; quin serviant | quidem fieri non potest. Quo [p. 54.

---

1. EXTITISSET C — *fastidio superbiam natam esse* Heinrich — *nata esse regna* Moser — 2. INUECILLIS C[1] — 4. DOMINIo|INTEGUM C — 5. UELLI C — 6. *rite rem p. id est*] IDESTRITERĒP. C transpositionis signis additis — 11. *referente* Heinrich: REFERENTI C O — 12. *facillimam autem in ea re p. esse posse concordiam, in qua idem conducat omnibus* Nonius p. 274 — 16. *multo etiam* coni. Moser — MINUS C corr. ex MUNUS — *quorum*] «vel *quoniam* scribendum videtur, vel in sequenti versu omittenda vox *regni.*» M a i. — FIDESTEST C — 18. SITCIUILISSIT C — 23. *societas*] «Sequuntur in C repetita superiora (v. 19): *ciuium teneri -- si inge*, quibus singulis litteris suprascripta sunt puncta.» D u R i e u — 26. IS C — 27. *dominandi cupidum aut populo* (vel *in populo*) *oppresso dominantem* coni. Heinrich — 29. TAMENINESSE C — «Sententia clamat scribendum esse: *tam enim esse clemens tyrannus quam inportunus potest.* Regis nomen dis solis tribui vult (itaque *inportunus rex* esse nequit), homines, qui suis civibus imperent, omnes, etiamsi mites sint, tyrannos appellari; nam tyranni nomen etiam in clementem cadere.» M a d v i g. — 31. *quin serviant, id quidem* O ex perversa Heinrichii coniectura.

autem modo adsequi poterat Lacedaemo illa tum, cum praestare putabatur disciplina rei publicae, ut bonis uteretur iustisque regibus, cum esset habendus rex quicumque genere regio natus esset? Nam optimatis quidem quis ferat, qui non populi concessu, sed suis comitiis hoc sibi nomen adrogaverunt? Qui enim iudicatur iste optimus? doctrina, artibus, studiis * *

[*Desiderantur paginae quattuor.*]

p. 179.| XXXIV. 51. * * * | si fortuito id faciet, tam cito evertetur quam navis, si e vectoribus sorte ductus ad gubernacula accesserit. Quod si liber populus deliget quibus se committat, deligetque, si modo salvus esse vult, optimum quemque, certe in optimorum consiliis posita est civitatium salus, praesertim cum hoc natura tulerit, non solum ut summi virtute et animo praeessent inbecillioribus, sed ut hi etiam parere summis vellent. Verum hunc p. 180.| optimum statum pravis hominum opinionibus eversum esse dicunt, qui ignoratione virtutis, quae cum in paucis est, tum a paucis iudicatur et cernitur, opulentos homines et copiosos et genere nobili natos esse optimos putant. Hoc errore vulgi cum rem publicam opes paucorum, non virtutes tenere coeperunt, nomen illi principes optimatium mordicus tenent, re autem carent. Nam divitiae, p. 177.| nomen, opes vacuae consilio et vivendi atque aliis imperandi modo dedecoris plenae sunt et insolentis superbiae, nec ulla deformior species est civitatis quam illa, in qua opulentissimi optimi putantur. 52. Virtute vero gubernante rem publicam quid potest esse praeclarius? cum is, qui imperat aliis, servit ipse nulli cupiditati, cum quas ad res cives instituit et vocat, eas omnis complexus

1. [illegible] C teste Du Rieu. *Lacedaemon* O cum Maio — [illegible] C — 3. [illegible] C — 4. [illegible] C deleta ultima s — 5. [illegible] C deleta [illegible], ut est apud Nonium p. 339. qui locum sic habet [illegible] M. Tullius de re publ. lib. I. [illegible] — [illegible] optimus doctrina, artibus, studiis? [illegible] C — 8. si C — [illegible] C — 11. [illegible] C — 13. [illegible] in C sup. lin. — [illegible] Bake. [illegible] — 14. vellent Creuzer — 16. [illegible] C — [illegible] C [illegible] «Vitium aliquod esse Orellius animadvertit, sed in eius coniectura [illegible] vitium manet: [illegible] — [illegible] scribendum [illegible] in paucis est, tum a paucis iudicatur et cernitur. Et rara est virtus et paucos habet sui intellegentes: [illegible] prava opinio nascitur.» Maius. — 17. [illegible] C — [illegible] C — 19. [illegible] C — 20. [illegible] C — [illegible] Maius. [illegible] C [illegible] «[illegible], qui nomen [illegible] et carere. [illegible] separata est a nomine. Cicero scripsit: «nomen illi principes optimatium mordicus tenent, re autem carent.» Apparet vel hoc exemplo, quam antiqua sint in Ciceronis codicibus additamenta ex pravo sententiae intellectu orta aut etiam certum intellectum declarantia. Cap. 52. [illegible] Maius. Conf. nunc etiam Mai[illegible] emendat. [illegible] p. 336. not. 1. — 21. [illegible] C. [illegible] — 23. [illegible] C. [illegible] deleta — 24. [illegible] C — 25. [illegible] C

est | ipse, nec leges inponit populo, quibus ipse non pareat, [p. 118. set suam vitam ut legem praefert suis civibus. Qui si unus satis omnia consequi posset, nihil opus esset pluribus; si universi videre optimum et in eo consentire possent, nemo delectos principes quaereret. Difficultas ineundi consilii rem a rege ad plures, error et temeritas populorum a multitudine ad paucos transtulit. Sic inter infirmitatem uni|us temeritatemque multorum medium optima- [p. 233. tes possederunt locum, quo nihil potest esse moderatius: quibus rem publicam tuentibus beatissimos esse populos necesse est vacuos omni cura et cogitatione alis permisso otio suo, quibus id tuendum est neque committendum ut sua commoda populus neglegi a principibus putet. 53. Nam aequabilitas quidem iuris, quam amplexantur liberi populi, neque servari potest — ipsi enim | populi, quamvis [p. 234. soluti ecfrenatique sint, praecipue multis multa tribuunt et est in ipsis magnus dilectus hominum et dignitatum — eaque quae appellatur aequabilitas iniquissimast. Cum enim par habetur honos summis et infimis, qui sint in omni populo necesse est, ipsa aequitas iniquissimast: quod in iis civitatibus, quae ab optimis reguntur, accidere non potest. Haec fere, Laeli, et quaedam eius|dem [p. 235. generis ab iis, qui eam formam rei publicae maxime laudant, disputari solent.

XXXV. 54. Tum Laelius: Quid tu, inquit, Scipio, e tribus istis quod maxime probas? s. Recte quaeris, quod maxime e tribus, quoniam eorum nullum ipsum per se separatum probo anteponoque singulis illut, quod conflatum fuerit ex omnibus. Set si unum ac simplex *pro*bandum *sit*, regium *pro*bem .... pri .... in ....

---

1. *est*] ESTINULLACUPIDITATI C teste Du Rieu, expunctis litteris UL, sed Maius ait vv. *in ulla cupiditate* ita in codice esse ut postea deleta esse videantur; manifestum est librarium ab *ipse* quod sequitur ad superius (p. 780, 25) aberrasse, sed ipsum statim errorem suum correxisse, ut recte iam statuit M. Haupt in Philologi I, 388. — 3. UIDERET C, sed T deleta — 7. *infirmitatem* Mai: FIRMITATEM C — 14. TRIUUNT C — 15. AEQUEQUE-APPELLABITUR C deletis prima A et BI — 16. INIQUISSIMAST C — 18. *iniquissimast* Leopardi et Madvig (ad Cic. de finn. p. 448): INIQUISSIMASIT C, *iniq. fit* O et Schuetz — 19. *dem generis*] Hunc locum usque ad litteras *in uno et eam* (p. 782 v. 6), qui in codice quattuor columnas p. 235 sq. explet, in usum nostrum Detlefsen descripsit. — 20. MAXIMA C — 22. *Scipio? e tribus* O — 23. *quod maxime* nos: QUIDMAXIME CO — QUAERISQUOD C — 24. IPSUMPERSE C in extremo versu. «Litterae ERSE alio atramento et, ut videtur, ab alia manu scriptae sunt.» Detlefsen. — SEPARATUM C deleta U — 26. SINPLEX C[1] — *probandum*] «Exin pagellae angulus lacer est, ita ut in obliquo vulnere sex fere verba perierint, quae ego supputatis litterarum spatiis restituere conatus sum, neque tamen mea pro tullianis haberi volo.» Mai. Octo extremi versus in altera columna p. 235 et qui iis respondent in pagella aversa sic se habent in codice :

p. 235.	p. 236.
SETSIUNUM	CIUIB.UTEOSCŌ
ACSINPLEX -	- ERUANTISSTu
BANDUM - - -	- - - IUSQUĀ
REGIUM - - - -	- - - - ENTIS
UEM - - - - - -	- - - - - - TEM
PRI - - - - - -	- - - - - - IS
IN - - - - - - -	- - - - - - - TIB.
I - - - - - - -	- - - - - - - U

— *probem*] - - - UEM C, sed BEM correctum. —

p. 236.] .... | hoc loco appellatur, occurrit nomen quasi patrium regis, ut ex se natis, ita consulentis civibus et eos conservantis studiosius quam redigentis .... tem .... is .... tibus .... u|os sustentari unius optimi et summi viri diligentia.

55. Adsunt optimates, qui se melius hoc idem facere profiteantur p. 131.] plusque fore dicant in pluribus consilii quam in uno et eandem tamen aequitatem et fidem. Ecce autem maxima voce clamat populus neque se uni neque paucis velle parere; libertate ne feris quidem quicquam esse dulcius; hac omnes carere, sive regi sive optimatibus serviant. Ita caritate nos capiunt reges, consilio optimates, libertate populi, ut in comparando difficile ad eligendum sit quid maxime p. 132.] velis. L. Credo, inquit, sed expediri | quae restant vix poterunt, si hoc incohatum reliqueris.

XXXVI. 56. S. Imitabor ergo Aratum, qui magnis de rebus dicere exordiens a Iove incipiendum putat. L. Quo Iove? aut quid habet illius carminis simile haec oratio? S. Tantum, inquit, ut rite ab eo dicendi principium capiamus, quem unum omnium deorum et hominum regem esse omnes docti indoctique pariter consentiunt. p. 165.] Quid? inquit Laelius. Et ille: Quid censes nisi quod est | ante oculos? Sive haec ad utilitatem vitae constituta sunt a principibus rerum publicarum, ut rex putaretur unus esse in caelo, qui nutu, ut

---

atque in primis laudem O, ut supplevit Mai, sed vv. *in primis laudem* nescio quo pacto mihi quidem displicent; vide ne veri similius sit hoc supplementum: *regium probem [maxime et] pri[mum ponam]*; conf. II, § 43. — *In [primo au]t[em genere quod] hoc loco appellatur* O ex Mali supplemento; ipse malim sic supplere: *In hoc igitur, quod primum hoc loco appellatur* etc. (Beier: *et in illo quidem quod regium hoc l. app.*). Quod autem Maius in exemplo suo verbum *autem* sic expressit «*au tem*», cum vestigium litterae T in codice crevisse sibi visus esset, iam Du Rieu monuit ductum qui in codice appareret aliud quoque significare posse.

2. *et eos*] UTEOS C littera U linea transversa deleta, sed correctio in E non iam apparet. — 3. *redigentis in servitutem* O cum Maio, contra Creuzerus *in paucitatem* supplevit; ipse malim *redigentis in egestatem*, cum ex spatio vacuo substantivum paulo brevius requiri videatur. — 4. ----U|OSUSTENTARI C; Du Rieu ante primam U litteram G sibi detexisse visus est, quae coniectura levi ductus vestigio, quod est in apographo Detlefsenii, non firmatur. Mai in verborum contextu habet: «*exi*guuos» adnotans in hac voce vix levem apicem esse literae *g*. Idem totum locum sic supplevit: *[in servitu]tem: [ut sane utili]us [sit faculta]tibus [et mente exi]guos sustentari*; alii maluerunt *vacuos*, cum *exiguos* non possit sic dici, Lachmannus ad Lucret. p. 305 *reliquuos*; Otto denique *facultatibus et copiis*, sed apparet haec omnia incerta esse. — 5. OPTIMATEM C — 6. EAM|DEM C — 8. PACIS C — PA|RARARE C — 9. CHARETAERE C deleta H — 14. IMITABOR C — RATUM C — 15. *Qui Iove* coni. Creuzer, *Qui a Iove* vel *Quid a Iove* Moser — 17. *principium capiamus* scripsi: PRINCIPIAMUS C, secunda I correcta in A, *principia cap.* O — 18. *docti indoctique pariter*: DOCTIQUEEXPOLIRI C, *docti indocti* [+ *que expoliri*] O; *doctrina expoliti uno ore* Niebuhr. Bene monuit Mai locum Tullianum ante oculos fuisse Lactantio Inst. 1, 11: *Regnare in caelo Iovem vulgus existimat: id et doctis pariter et indoctis persuasum est*; eundem Augustino in Epist. 44 in mente fuisse indicavit Otto apud Osannum. — 19. *Quid tum?* (*quid ita?*) Dobree, *quid ad haec* Bake — INQUID in C sup. lin. — 20. *sunt* Moser: SINT C — A sup. lin. in C.

ait, totum Olympum converteret idemque et rex et pater haberetur omnium, magna auctoritas est multique testes, si quidem omnis multos appellari placet, ita consensisse gentes, decretis videlicet principum, nihil esse rege melius, quo|niam deos omnis censent [p. 166. unius regi numine: sive haec in errore inperitorum posita esse et fabularum similia didicimus, audiamus communis quasi doctores eruditorum hominum, qui tamquam oculis illa viderunt, quae nos vix audiendo cognoscimus. Quinam, inquit Laelius, isti sunt? Et ille: Qui natura omnium rerum pervestiganda senserunt omnem hunc mundum mente * * *

[*Desiderantur paginae quattuor.*]

[57. *Plato monarchiam adserit, unum deum dicens, a quo sit mundus instructus et mirabili ratione perfectus. Aristoteles, auditor eius, unam esse mentem, quae mundo praesideat, confitetur. Antisthenes unum esse dicit naturalem deum, totius summae gubernatorem. Longum est recensere, quae de summo deo vel Thales vel Pythagoras et Anaximenes antea vel postmodum Stoici, Cleanthes et Chrysippus et Zenon, vel nostrorum Seneca Stoicos secutus et ipse Tullius praedicaverint, cum hi omnes et quid sit deus definire tentaverint et ab eo solo regi mundum adfirmaverint, nec ulli subiectum esse naturae, cum ab ipso sit omnis natura generata. Hermes, qui ob virtutem multarumque artium scientiam Trismegistus meruit nominari, qui et doctrinae vetustate philosophos antecessit quique apud Aegyptios ut deus colitur, maiestatem dei singularis infinitis adserens laudibus dominum et patrem nuncupat* etc.] (Lactantius Epit. c. 4.)

XXXVII. 58. * * * | Set si vis, Laeli, dabo tibi testes [p. 99. nec nimis antiquos nec ullo modo barbaros. L. Istos, inquit, volo. S. Videsne igitur minus quadringentorum annorum esse hanc urbem, ut sine regibus sit? L. Vero minus. S. Quid ergo? haec quadringentorum annorum aetas ut urbis et civitatis num valde longa est? L. Ea vero, inquit, adulta vix. S. Ergo his annis quadringentis Romae rex erat? L. Et superbus quidem. | S. Quid supra? [p. 100. L. Iustissimus, et deinceps retro usque ad Romulum, qui ab hoc tempore anno sescentesimo rex erat. S. Ergo ne iste quidem pervetus? L. Minime, ac prope senescente iam Graecia. S. Cedo num barbarorum Romulus rex fuit? L. Si, ut Graeci dicunt omnis aut Graios esse aut barbaros, vereor ne barbarorum rex fuerit; sin

---

1. *ut ait t. Ol.* Bake: UTAIT TOTUM OLYMPHUM HOMERUS HOMERUS C, sed posterius *Homerus* deletum, *ut ait Homerus tot. Ol.* O cum Heinrichio, *ut ait ille, t. O.* Orelli in adnot. et Dobree — 7. NOX C — 9. PERUESTIGANDOS C — OMNES C — 10. *mente*] EXILE C deletis E et IL — 12. Hunc locum, quo Maius lacunam explere conatus est, ex libris de re publ. adumbratum esse parum videtur probabile. — 15. *ulius* cod. Taurin., fort. *et huius* — 17. *Zeno* O — 26. ANTIQUO C^1 — ISTOS C sup. lin. — INQUID C, item v. 30 et p. 784 v. 15 et 22 — 27. UIDENE C; in marg. manus recentior addidit: EXCLUSOTARQUINIO — 28. SIT C: *fuit* Schuetz — 30. EA C^1: ISTA C corr. et O — 33. SESCENTISIMO C — 34. *num*] *num Scipio* O, ut est in C m. 2., *Scipio num* Wolff — 35. *Sicut* Heinrich — 36. GRAECOS C deletis EC.

id nomen moribus dandum est, non linguis, non Graecos minus p. 153.] | barbaros quam Romanos puto. Et Scipio: Atqui ad hoc, de quo agitur, non quaerimus gentem, ingenia quaerimus. Si enim et prudentes homines et non veteres reges habere voluerunt, utor neque perantiquis neque inhumanis ac feris testibus.

XXXVIII. 59. Tum Laelius: Video te, Scipio, testimoniis satis instructum, set aput me ut aput bonum iudicem argumenta plus p. 154.] quam testes valent. | Tum Scipio: Utere igitur argumento, Laeli, tute ipse sensus tui. Cuius, inquit ille, sensus? s. Si quando [si forte] tibi visus es irasci alicui. L. Ego vero saepius quam vellem. s. Quid? tum, cum tu es iratus, permittis illi iracundiae dominatum animi tui? L. Non, me hercule, inquit, sed imitor Archytam illum Tarentinum, qui cum ad villam venisset et omnia aliter offen- p. 265.] disset ac iusserat, «A te infelicem» in|quit vilico, «quem necassem iam verberibus, nisi iratus essem.» 60. Optime, inquit Scipio. Ergo Archytas iracundiam videlicet dissidentem a ratione seditionem quandam ab animo *removendam* ducebat. Adde avaritiam, adde imperii, adde gloriae cupiditatem, adde libidines, et illud vides, si in animis hominum regale imperium sit, unius fore domina- p. 266.] tum, consilii scilicet — ea est enim animi pars op|tima —, consilio autem dominante nullum esse libidinibus, nullum irae, nullum temeritati locum. L. Sic, inquit, est. s. Probas igitur animum ita adfectum? L. Nihil vero, inquit, magis. s. Ergo non probares, si consilio pulso libidines, quae sunt innumerabiles, iracundiaeve tenerent omnia. L. Ego vero nihil isto animo, nihil ita animato homine p. 267.] | miserius ducerem. s. Sub regno igitur tibi esse placet omnis animi partes et eas regi consilio? L. Mihi vero sic placet. s. Cur igitur dubitas quid de re publica sentias? in qua, si in

---

2. ROMANO C[1] — 3. vv. *gentem ingenio quaerimus* in C bis scripta sunt, sed altero loco punctis superpositis. — 10. *si forte* delendum esse Steinacker vidit. — 11. *Quid tum -- animi tui* Nonius p. 203. — *tu* om. Nonius — *dominatus* codd. Nonii — 12. *sed imitor -- iusserat* Nonius p. 359. — 13. OFFENDISSE C[1] — 14. ATE C[1]: *te te* C corr. et O, *o te* Lehner, *ah te* alii, *tete* Heinrich et Moser — 17. *ab animo removendam ducebat* Weissenborn: ABANIMORE|DUCEBAT C (correxit igitur 2 manus: *animi movere ducebat*), *animi vere duc.* Reisig, *animi duc.* Heinrich, *animi esse duc.* Klotz — post *ducebat* est in editt. *eam consilio sedari uolebat*, quae verba, ut nobis Detlefsen significavit, inter primam et secundam lineam alterius columnae p. 265 manu secunda adiecta sunt, quod colon insulsum expunximus. — 18. LIUIDINES C[1] — 19. *vides si in* nos: UIDESIIN C teste Du Rieu (*uidestin* Mai legerat); *vides, in* O — REGALES C, *regale si* O, ut Mai in cod. esse testatur. — 20. PARS C corr. ex PRAS — 21. LIUIDINIBUS C[1] — 22. IGITUR C[2]: INQUIT C[1] — 23. ADFECTUM C, deleta D — MAGISERGONONPROFECTUMNIHILUEROINQUIT MAGISERGONONPROBARES C; apparent lineolarum vestigia, quibus deleatur prius illud MAGISERGO — *Ergo -- tenerent omnia* Nonius p. 233 — *non probares* Osann, ut est apud Nonium et corr. in C: *non profecto probares* edd. — 24. LIUIDINESQUESUNTNUMERABILES C — *lubidines* Nonius — *iracundiae quae* codd. Nonii — TENERENT C[2]: TERENT C[1] — 25. *animo*] ANIMONIHILITAO ANIMOA C, sed deletae litterae omnes post prius ANIMO — 27. MEO C.

plures translata res sit, intellegi iam licet nullum fore quod praesit inperium, quod quidem, nisi unum sit, esse nullum potest.

XXXIX. 61. Tum Laelius: Quid, quaeso, interest inter unum et plures, si iustitia est in pluribus? Et Scipio: | Quoniam [p. 268. testibus meis intellexi, Laeli, te non valde moveri, non desinam te uti teste, ut hoc, quod dico, probem. Me, inquit ille, quonam modo? s. Quia animum adverti nuper, cum essemus in Formiano, te familiae valde interdicere ut uni dicto audiens esset. l. Quippe vilico. s. Quid domi? pluresne praesunt negotiis tuis? l. Immo vero unus [inquit]. s. Quid? totam domum num quis alter praeter te regit? l. Minime vero. s. Quin tu igitur con|cedis item in re [p. 159. publica singulorum dominatus, si modo iusti sint, esse optimos? l. Adducor, inquit, ut prope modum adsentiar.

XL. 62. Et Scipio: Tum magis adsentiare, Laeli, si, ut omittam similitudines, uni gubernatori, uni medico, si digni modo sint iis artibus, rectius esse alteri navem committere, aegrum alteri quam multis, ad maiora pervenero. l. Quaenam ista sunt? s. Quid? tu non vides unius in|portunitate et superbia Tarquinii nomen [p. 160. huic populo in odium venisse regium? l. Video vero, inquit. s. Ergo etiam illut vides, de quo progrediente oratione plura me dicturum puto, Tarquinio exacto mira quadam exultasse populum insolentia libertatis: tum exacti in exilium innocentes, tum bona direpta multorum, tum annui consules, tum demissi populo fasces, tum provocationes omni|um rerum, tum secessiones plebei, tum prorsus [p. 101. ita acta pleraque, ut in populo essent omnia. l. Est, inquit, ut dicis. 63. Est vero, inquit Scipio, in pace et otio; licet enim lascivire, dum nihil metuas, ut in navi ac saepe etiam in morbo levi. Set ut ille, qui navigat, cum subito mare coepit horrescere, et ille

---

1. INTELLEGI C — 3. *quaeso* Mai: QUASI C — 4. *est*] ESTOMNIUM C — 6. LLEQUONIAM C — 7. FORMANOTAE C — 8. UILIT C: *Quippe; villico* interpunxit O — 9. *Quid domi pluresne praesunt negotiis tuis* add. m. 2 in C, sed litterae SUNT NEGOTIIS TUIS propter Augustini verba super scripta fere omnes teste Du Rieu evanuerunt. — 10. *inquit* cum Christio inclusimus — ALTERA C — 11. *item* Heinrich: IDEM CO — 13. *inquit* Heinrich, ut iam Maius voluerat: *igitur* CO; cf. p. 784, 22 et 791, 28. — *ut -- adsentiar* Wolff: ET -- ADSENTIAR C; *propemodum ut adsentiar* Heinrich, *et pr. adsentior* O cum Maio, qui etiam *adsentiere* proposuit — 15. SIMILITUDINIS C — SIINIT C teste Du Rieu; vide ne *sunt* verum sit — 17. QUENAM C[1] — 19. INQUIDERO C — 20. *plura* Creuzer: UITA C «cui quidnam suprascriptum fuerit, latet; nam praeter lineas, quibus IT deleantur, nonnisi litteras --*tura* licuit in lucem revocare.» Du Rieu; *multa* O cum Beiero — 21. QUIDAM C[1] — 22. *eiecti* Heinrich, cum modo *exacto* antecesserit; contra Mai malebat *Tarquinio excluso* — 23. *tum annui cons. tum dimissi* (sic) *populo fasces* Nonius p. 286. — 24. SECESSIONEMPLEBIE ultima E deleta C: *secessio plebis* O. «Favet Moseri coniecturae *secessiones* legentis, quod equidem solam litteram M expunctam viderim in *secessionem*, cui forte S suprascriptam Augustinus abscondit, quemadmodum sub *Eva* illius latet, sitne prima scriptura *plebie* pro deleta ultima *e* emendata in *plebis*.» Du Rieu. — 25. UIQUIT C deleta priore U — 28. SE C; *sed ut -- horrescere* Nonius p. 423.

aeger ingravescente morbo unius opem inplorat, sic noster populus p. 102.] in pace et domi imperat et ipsis magistratibus | minatur, recusat, appellat, provocat: in bello sic paret ut regi; valet enim salus plus quam libido. Gravioribus vero bellis etiam sine collega omne imperium nostri penes singulos esse voluerunt, quorum ipsum nomen vim suae potestatis indicat. Nam dictator quidem ab eo appellatur, quia dicitur, sed in nostris libris vides eum, Laeli, magistrum populi appellari. L. Video, inquit. Et Scipio: sapienter igitur illi veteres * * *

[*Desiderantur paginae duae.*]

p. 149.] XLI. 64. * * * | iusto quidem rege cum est populus orbatus, pectora diu tenet desiderium, sicut ait Ennius, post optimi regis obitum;

simul inter
Sese sic memorant: o Romule, Romule die,
Qualem te patriae custodem di genuerunt!
O pater, o genitor, o sanguen dis oriundum!

Non eros nec dominos appellabant eos, quibus iuste paruerunt, denique ne reges quidem, set patriae custodes, set patres et deos. p. 150.] Nec sine causa; quid | enim adiungunt?

Tu produxisti nos intra luminis oras.

Vitam, honorem, decus sibi datum esse iustitia regis existimant. Mansisset eadem voluntas in eorum posteris, si regum similitudo permansisset, sed vides unius iniustitia concidisse genus illut totum rei publicae. L. Video vero, inquit, et studeo cursus istos mutatio- p. 147.] num | non magis in nostra quam in omni re publica noscere.

XLII. 65. Et Scipio: Est omnino, cum de illo genere rei publicae, quod maxime probo, quae sentio dixero, accuratius mihi dicendum de commutationibus rerum publicarum, etsi minime facile eas in ea re publica futuras puto. Sed huius regiae prima et certissima est illa mutatio. Cum rex iniustus esse coepit, perit illut p. 148.] ilico genus, et est idem ille tyrannus, deterrimum | genus et finitimum optimo: quem si optimates oppresserunt, quod ferme eve-

1. AGER C — 2. DOMO C, *domui* Osann — *imperat ipsis magistratibus, minatur* Nägelsbach *Lat. Stilistik* p. 484 ed. III. — *et ipsis magistratibus, minatur* contra latinitatem nonnulli distinxerunt. — 6. *suae*] *summae* Bake — *indicat nam dictator* C[2]: INDICATOR C[1] — 7. LIBRIS add. m. 2 in C — 8. INQUID C — 12. DIU C, *dura* O cum Steinackero, *fida* Krarup — OENNIUS C; *Q. Ennius* Mai — 14. ITER C — 15. DII C; expunctam alteram I se vidisse negat Du Rieu — 18. *heros* O — 22. EXISTIMANT C, *existimabant* O — 23. UOLUMTAS C — POTERIS C; VV. *eadem -- permansisset* in C bis scripta, sed semel deleta sunt — 24. UNIUSINTUSINIUSTITIA C — 26. NEN C — MAGIS C: *modo* Schuetz — 28. MAXIMA C — TIBI C — 29. RESRUM C — *faciles eas* Heinrich — 31. *coepit* Moser: COEPERIT C — 32. *illico* O — 33. OPTIMUMQUAM C — *quod*] QUAM C.

nit, habet statum res publica de tribus secundarium, est enim quasi regium, id est patrium consilium populo bene consulentium principum. Sin per se populus interfecit aut eiecit tyrannum, est moderatior, quoad sentit et sapit, et sua re gesta laetatur tuerique vult per se constitutam rem publicam. Si quando aut regi iusto vim populus | attulit regnove eum spoliavit, aut etiam, id quod [p. 243. evenit saepius, optimatium sanguinem gustavit ac totam rem publicam substravit libidini suae — cave putes autem mare ullum aut flammam esse tantam, quam non facilius sit sedare quam effrenatam insolentia multitudinem —: tum fit illut, quod aput Platonem est luculente dictum, si modo id exprimere latine potuero; difficile factu|st, set conabor tamen. XLIII. 66. Cum enim, inquit, [p. 244. inexplebiles populi fauces exaruerunt libertatis siti malisque usus ille ministris non modice temperatam, sed nimis meracam libertatem sitiens hausit, tum magistratus et principes, nisi valde lenes et remissi sint et large sibi libertatem ministrent, insequitur, insimulat, arguit; praepotentes, reges, tyrannos vocat. Puto enim tibi haec esse nota. L. Vero mihi, in|quit ille, notissima. 67. S. Ergo [p. 151. illa secuntur: eos, qui pareant principibus, agitari ab eo populo et servos voluntarios appellari; eos autem, qui in magistratu privatorum similes esse velint, eosque privatos, qui efficiant ne quid inter privatum et magistratum differat, ferunt laudibus et mactant honoribus, ut necesse sit in eius modi re publica plena libertatis esse omnia, ut et privata domus omnis vacet domina|tione et hoc [p. 152. malum usque ad bestias perveniat, denique ut pater filium metuat, filius patrem neclegat, absit omnis pudor, ut plane liberi sint, nihil intersit civis sit an peregrinus; magister ut discipulos metuat et is blandiatur spernantque discipuli magistros, adulescentes ut senum sibi pondus adsumant, senes autem ad ludum adulescentium descendant, ne sint iis odiosi et graves: ex quo fit ut etiam servi se liberius | gerant, uxores eodem iure sint quo viri inque tanta [p. 161.

---

2. REGUM C — 3. *et moderatior* exemplum Stuttgardiense editionis primae operarum errore — 4. *vult per se* add. m. 2 in C — 6. *attulit* Moser et Nobbe: ATTULERIT C — 7. OPTIMATUM C — GUSTABIT C¹ — *ac -- substravit* bis habet C, sed semel punctata — 8. LIUIDINI C¹ — CAUAE C¹ — AUTEMTMARE C, *putes, aut mare* O cum Heinrichio, puncto post *multitudinem* posito — 9. FLAMAM C — *tantam*] TAMQUAM C — NON sup.lin. in C — 10. INSOLEMETIA C — PLATIONEM C — 11. POTUERUNT C «de more contractae NT [in unum ductum], quibus lineola deletis o suprascripta est, etiamsi praecedens U iam mutata erat in o. Vocabulum *nam*, quod habet Maius, deest.» Du Rieu. — *nam difficile* O cum Maio — *factust set conabor* nos: FACTU|RUSESTCONABOR C, *factu est; sed* O — 13. *excarserunt* Osann — 15. *hausit* Eichstädt: HAUSERIT CO — LENET C — 18. *Mihi vero* Reisig — 19. ET C corr. ex UT — 22. PRIBATUM C — DIFFERANT C — *ecferunt* coni. Klotz — 23. REIP. C — 26. UBERI C — 27. *et is*] EIIS C — 31. *inque* Doederlein: IN C, *quin* Mai.

libertate canes etiam et equi, aselli denique liberi sic incurrant, ut is de via decedendum sit. Ergo ex hac infinita, inquit, licentia haec summa cogitur, ut ita fastidiosae mollesque mentes evadant civium, ut, si minima vis adhibeatur imperi, irascantur et perferre nequeant: ex quo leges quoque incipiunt neclegere, ut plane sine ullo domino sint.

p. 462.] XLIV. 68. Tum Laelius: | Prorsus, inquit, expressa sunt a te quae dicta sunt ab illo. Atque, ut iam ad sermonis mei morem revertar, ex hac nimia licentia, quam illi solam libertatem putant, ait ille ut ex stirpe quadam existere et quasi nasci tyrannum. Nam ut ex nimia potentia principum oritur interitus principum, sic hunc nimis liberum populum libertas ipsa servitute adficit. Sic p. 257.] omnia nimia, cum vel in tempesta|te vel in agris vel in corporibus laetiora fuerunt, in contraria fere convertuntur, maximeque *id* in rebus publicis evenit, nimiaque illa libertas et populis et privatis in nimiam servitutem cadit. Itaque ex hac maxima libertate tyrannus gignitur et illa iniustissima et durissima servitus. Ex hoc enim populo indomito vel potius immani deligitur aliqui plerumque p. 258.] dux contra illos principes ad|flictos iam et depulsos loco, audax, inpurus, consectans proterve bene saepe de re publica meritos, populo gratificans et aliena et sua: cui quia privato sunt opposti timores, dantur imperia et ea continuantur, praesidis etiam, ut Athenis Pisistratus, saepiuntur, postremo, a quibus producti sunt, existunt eorum ipsorum tyranni: quos si boni oppresserunt, ut saepe p. 133.] fit, recreatur civitas, sin audaces, fit il|la factio, genus aliud tyrannorum, eademque oritur etiam ex illo saepe optimatium praeclaro statu, cum ipsos principes aliqua pravitas de via deflexit. Sic tanquam pilam rapiunt inter se rei publicae statum tyranni ab regibus, ab iis autem principes aut populi, a quibus aut factiones aut tyranni, nec diutius unquam tenetur idem rei publicae modus.

XLV. 69. Quod ita cum sit, *ex* tribus primis generibus longe p. 434.] praestat mea sententia regium, | regio autem ipsi praestabit

---

1. *liberi sic* (vel *sic* sine *liberi*) Madvig: LIBERISINTSIC CO; cf. ad I, § 51. (*quin tanta libertate canes etiam sint, equi denique et aselli liberi sic incurrant* Eichstädt) — INCURRUNT C^1 — *ut hic* (sic) *de uia decedendum sit* Arusianus p. 224 L. — 3. *ut* sup. lin. in C — $\overset{I}{\text{EUADENT}}$ C^1 — 4. $\overset{I}{\text{IMPERI}}$ C — 5. $\overset{UT}{\text{NECLEGERENT}}$ C — 7. INQUID C — 8. $\overset{A}{\text{UTQUE}}$ C — *sermonis mei tenorem* coni. Heinrich, *s. m. auctorem* Zell, recte, ut videtur; nam quem locum adfert Osann Cic. de legg. II, § 9, ibi *mos sermonis* longe alia sententia dictus est. — 10. *putarent* C^2 teste Maio, cuius lectionis nullam mentionem facit Du Rieu — *ex*] «Fortasse prima [?] manus eraserat x, quae postea invito scriptore in lucem rediit.» Du Rieu. — 12. $\overset{M}{\text{NITIS}}$ C — 13. *uel in agris* in C bis scripta, sed semel punctata sunt — 15. *id* addidit Moser: contra Heinrichio *evenit* delendum videbatur — 16. *cedit* coni. Mai — 20. BAENE C^1 — 21. *populo -- sua* affert Arusianus p. 232 L. — $\overset{APRI}{\text{QUIUATO}}$ C — 22. $\overset{I}{\text{PRAESIDIS}}$ C — 23. $\overset{.\ I}{\text{IPSISTRATUS}}$ C — 25. $\overset{FO}{\text{IL|LAATIO}}$ C — 26. ILLA C — 28. REPIUNT C^1 — 29. $\overset{EM}{\text{IISAUT}}$ C, *iis aut* O — 30. $\overset{U}{\text{INQUAM}}$ C — 31. *ex* Heinrich: om. C; an intercidit *de*?

id, quod erit aequatum et temperatum ex tribus optimis rerum publicarum modis. Placet enim esse quiddam in re publica praestans et regale, esse aliut auctoritati principum inpartitum ac tributum, esse quasdam res servatas iudicio voluntatique multitudinis. Haec constitutio primum habet aequabilitatem quandam magnam, qua carere diutius vix possunt libe|ri, deinde firmitudinem: quod et [p. 163. illa prima facile in contraria vitia convertuntur, ut existat ex rege dominus, ex optimatibus factio, ex populo turba et confusio, quodque ipsa genera generibus saepe conmutantur novis, hoc in hac iuncta moderateque permixta conformatione rei publicae non ferme sine magnis principum vitiis evenit. Non est enim causa conversionis, ubi in suo | quisque est gradu firmiter collocatus et non [p. 164. subest quo praecipitet ac decidat.

XLVI. 70. Sed vereor, Laeli vosque homines amicissimi ac prudentissimi, ne, si diutius in hoc genere verser, quasi praecipientis cuiusdam et docentis et non vobiscum simul considerantis esse videatur oratio mea. Quam ob rem ingrediar in ea, quae nota sunt omnibus, quaesita autem a nobis iam diu. Sic enim decerno, sic |sentio, sic adfirmo, nullam omnium rerum publicarum aut [p. 177. constitutione aut discriptione aut disciplina conferendam esse cum ea, quam patres nostri nobis acceptam iam inde a maioribus reliquerunt. Quam, si placet, quoniam ea, quae tenebatis ipsi, etiam ex me audire voluistis, simul et qualis sit et optimam esse ostendam, expositaque ad exemplum nostra re publica, accommo|dabo [p. 178. ad eam, si potero, omnem illam orationem, quae est mihi habenda de optimo civitatis statu. Quod si tenere et consequi potuero, cumulate munus hoc, cui me Laelius praeposuit, ut opinio mea fert, effecero.

XLVII. 71. Tum Laelius: Tuum vero, inquit, Scipio, ac debitum quidem munus. Quis enim te potius aut de maiorum dixerit institutis, cum sis clarissimis ipse maioribus, aut de optimo statu civitatis, quem | si habeamus, etsi ne nunc quidem, tunc [p. 155.

1. *optimis*] *primis* Zachariae, nisi potius *optimis* delendum est — REBRUM C[1] — 2. *esse aliquid* coni. Heinrich — 3. *auctoritati principum inpartitum* Doederlein et Heinrich: AUCTORITATEPRINCIPUMPARTIUM C; *auctoritati pr. partitum* O ex sua coni. — 5. *habet* -- *firmitudinem* Nonius p. 109. — QUANDAM in C sup. lin. m. 2. — *magnam* om. Nonius — 8. QUODQUODQUE C — 9. CONMUTATAMTURNOBIS C — 10. MODERATEPERMIXTA C — *conformatione* Mai: CONMUTATIONE C — 11. UITIS C — 16. CUIUS C — SIMUL in C add. 2 m. — 19. NULLIUS C — 20. DISCRIPTIONEM C, *descriptione* O — DISCIPLINAM C[1] — 24. *expositamque* (sic) -- *civitatis statu* Nonius p. 244. — *nostra re publica* Niebuhr: NOSTRAE REIP. C et Nonius; cf. II, 39. — *accommodabo* -- *orationem* Arusianus Messius p. 212 L. — 25. *potero* Nonius et Arusianus: POTUERO C O — HABENDUM C[1] — 26. CUMULATAEMINUS C[1] — 28. EFFECECERO C — 29. *debitum* scripsi: TUUM C O, *totum* Reisig — 30. AUDEMAIOREM C — 31. CUMSIS in C add. m. 2. — AUDE C — 32. *habeamus* Madvig: HABEMUS C O. «Vix fieri potest ut Cicero non scripserit: *quem si habeamus* (*etsi ne nunc quidem*),

vero quis te possit esse florentior? aut de consiliis in posterum providendis, cum tu duobus huius urbis terroribus depulsis in omne tempus prospexeris?

Fragmenta reliqua libri I. de re publica.

1. *Praeterea est quaedam publica etiam eruditorum reiectio; utitur illa et M. Tullius, extra omnem ingeni aleam positus, et, quod miremur, per advocatum defenditur:*

nec doctissimis:
Manium Persium haec legere nolo, Iunium Congum volo.

Quod si hoc Lucilius, qui primus condidit stili nasum, dicendum sibi putavit, si Cicero mutuandum, praesertim cum de re publica scriberet, quanto nos causatius ab aliquo iudice detendimus? (Plinius *nat. hist.* Praef. § 7 sq.)

2. *Cicero de re publ. I:* Sic, quoniam plura beneficia continet patria et est antiquior parens quam is qui creavit, maior ei profecto quam parenti debetur gratia. (Nonius v. *antiquus* p. 426.)

3. *Cicero de re publ. lib. I:* nec tantum Karthago habuisset opum sescentos fere annos sine consiliis et disciplina. (Nonius lib. XII, pag. 526.)

4. *M. Tullius de re publ. lib. I:* cognoscere me hercule, inquit, consuetudinem istam et studium sermonemque -- (Nonius v. *cognoscere* pag. 276.)

5. *Non ergo utilitatem ex philosophia, sed oblectationem petunt, quod quidem Cicero testatus est.* Profecto, *inquit*, omnis istorum disputatio, quamquam uberrimos fontes virtutis et scientiae contineat, tamen collata cum eorum actis perfectisque rebus vereor ne non tantum videatur attulisse negotii hominibus quantam oblectationem. (Lactantius *Instit. div.* III, 16.)

6. «*Avocat ab illa re.*» *Cic. de re publ. lib. I:* a qua isti avocabant. (Arusianus Messius p. 216 Lind.)

---

tum vero quis te possit esse florentior? Apertissime significatur nunc quidem illum statum non esse.» Madvig. — TUNC C¹: TUM C²O.

3. TEMPUSESSE C; *tempus et* O cum Steinackero.

4. Abest hoc fragmentum ab editt. Tullianis; addendum esse monuit C. L. Roth in N. mus. rhen. VIII, 643. — 8. *Manium*] *mannium, omum, iunium* lectt. variae apud Silligium; *Manium non curo legere, Iunium Congum volo* coni. Roth; --- *nec doctissimum omnium:* || *Persium non curo legere haec, Iunium Congum volo* I. Becker in *Zeitschr. f. die Alterthumswiss.*» 1854, p. 128. — 13. *sic* codd.: *sed* edd. Cic. — *plura* Mercerus: *plurima* codd. — 14. *is qui creavit* Iunius ex cod. suo: *si qui creauerit* codd. rell., *quem [si] qui creav[er]it* O — 20. *sermonis* codd. Vaticani — 22. Alii haud scio an rectius locum ex Ciceronis Hortensio petitum statuunt, Nobbe ad lib. III de re publ. refert ante c. 4 collocans — 24. *continet* cod. Emmeranus (nunc Monac. Lat. 14619): *contineat* edd. (Codex noster, qui non habet nisi librum tertium, est saec. XI et optimae notae. In eo est haec subscriptio: *L. caelii* FIRMIANI DE FALSA *philosophia Liber .III. explicit.*) — 25. *eorum* Emm.: *horum* edd. — 26. *attulisse -- oblectationem* Emm.: *attulisse negotiis hominum utilitatis quantum oblectationem quandam otii* edd. ex codd. interpolatis. — 28. libri nota *I* accessit e cod. Gudiano. — *avocabant* Gud.: *avocant* codd. rell.

LIBER SECUNDUS.

I. 1. *Cum omnes flagrarent cupidi*|tate audiendi, [p. 275. ingressus est sic loqui Scipio. Catonis hoc senis est, quem, ut scitis, unice dilexi maximeque sum admiratus, cuique vel patris utriusque iudicio vel etiam meo studio me totum ab adulescentia dedidi; cuius me numquam satiare potuit oratio: tantus erat in homine usus rei publicae, quam et domi et militiae cum optime tum etiam |diutissime gesserat, et modus in dicendo, et gravitate mi- [p. 276. xtus lepos, et summum vel discendi studium vel docendi et orationi vita admodum congruens. 2. Is dicere solebat ob hanc causam praestare nostrae civitatis statum ceteris civitatibus, quod in illis singuli fuissent fere, qui suam quisque rem publicam constituissent legibus atque institutis | suis, ut Cretum Minos, Lacedae- [p. 277. moniorum Lycurgus, Atheniensium, quae persaepe commutata esset, tum Theseus, tum Draco, tum Solo, tum Clisthenes, tum multi alii, postremo exsanguem iam et iacentem doctus vir Phalereus sustentasset Demetrius: nostra autem res publica non unius esset ingenio, sed multorum, nec una hominis vita, sed aliquot constituta saeculis et aetatibus. Nam | neque ullum ingenium tantum extitisse [p. 278. dicebat, ut, quem res nulla fugeret, quisquam aliquando fuisset, neque cuncta ingenia conlata in unum tantum posse uno tempore providere, ut omnia complecterentur sine rerum usu ac vetustate. 3. Quam ob rem, ut ille solebat, ita nunc mea repetet oratio populi Romani originem; libenter enim etiam verbo utor Catonis. Facilius autem quod est propositum | consequar, si nostram rem [p. 287. publicam vobis et nascentem et crescentem et adultam et iam firmam atque robustam ostendero, quam si mihi aliquam, ut aput Platonem Socrates, ipse finxero.

II. 4. Hoc cum omnes adprobavissent: Quod habemus, inquit, institutae rei publicae tam clarum ac tam omnibus notum exordium

1. «Tituli alternis rubris nigrisque litteris exarati hae tantum renatae sunt nigrae in pag. 156: DE RE. PVBLICA INC LIB. II.» Du Rieu; subduntur deinde litterae EIIE, sed spatiis interiectis, quas Maius recte sic supplevit FELICITER. — *Cum -- cupidi* supplevit Heinrich (addito *hic* ante *cum*); [*Ut omnes igitur vidit incensos cupidi*]*tate* O cum Maio — 3. MATRIS (P superscr.) C — 4. ADULESCENTIAM C, sed M del. — 8. *discendi* Mai (coll. I c. 8 et 10): DICENDI C — ORATIONE C¹ — 9. CONGRAUES (N superscr.) C — 11. SINGULIS C¹ — QURŨSUA (O M O superscr.) C, litteris RŨ ita erasis ut restet I teste Du Rieu, qui loci scripturam accuratius p. 42 describit — 12. vv. *legibus atque institutis* in C repetita leguntur initio pag. 277 — LACAEDEMONIORUM C — 13. *quae*] Q. C — 14. TESEUS C¹ — 17. ALIQUOD C — 19. QUISQUAM::: IQUANDO C «Dubius haereo sintne punctis notatae AM an vero maculis, sitne emendatum ALIQUANDO, quod pr. m. saltem non dedit, an vero maculae non litterae ALI [?].» Du Rieu. — post *fuisset* sunt in C vestigia duarum litterarum, quae erasae sunt — 21. USUACUETUSACUETUSTATE C — 22. *populi R. originem* Du Rieu: POPULIRIRIGINEM C, priore R erasa et ex sequenti I facta O; *populi orig.* O — 24. *autem* om. C¹ — 26. *robustam*] ROBTAM C — *ut aput*] MULTA (PUT superscr.) C, litteris M et L deletis — 28. *inquit* scripsi: IGITUR C, *igitur, inquit* O cum Mosero; cf. ad p. 786, 18.

quam huius urbis condendae principium profectum a Romulo? qui p. 288.] patre Marte natus — conce|damus enim famae hominum, praesertim non inveteratae solum, sed etiam sapienter a maioribus proditae, bene meriti de rebus communibus ut genere etiam putarentur, non solum ingenio esse divino — is igitur, ut natus sit, cum Remo fratre dicitur ab Amulio rege Albano ob labefactandi regni timorem ad Tiberim exponi iussus esse: quo in loco cum esset p. 289.] silvestris beluae | sustentatus uberibus pastoresque eum sustulissent et in agresti cultu laboreque aluissent, perhibetur, ut adoleverit, et corporis viribus et animi ferocitate tantum ceteris praestitisse, ut omnes, qui tum eos agros, ubi hodie est haec urbs, incolebant, aequo animo illi libenterque parerent. Quorum copiis cum se ducem praebuisset, ut iam a fabulis ad facta veniamus, op- p. 290.] pressisse Longam Albam, validam urbem et potentem | temporibus illis, Amuliumque regem interemisse fertur.

III. 5. Qua gloria parta urbem auspicato condere et firmare dicitur primum cogitavisse rem publicam. Urbi autem locum, quod est ei, qui diuturnam rem publicam serere conatur, diligentissime providendum, incredibili opportunitate delegit. Neque enim ad mare admovit, quod ei fuit illa manu copiisque facillimum ut in agrum p. 157.] Rutulorum Aboriginum|que procederet, aut in ostio Tiberino, quem in locum multis post annis rex Ancus coloniam deduxit, urbem ipse conderet, sed hoc vir excellenti providentia sensit ac vidit, non esse opportunissimos situs maritimos urbibus eis, quae ad spem diuturnitatis conderentur adque imperii, primum quod essent urbes p. 158.] maritimae non solum multis periculis oppositae, sed etiam | caecis. 6. Nam terra continens adventus hostium non modo expectatos, sed etiam repentinos multis indicis et quasi fragore quodam et sonitu ipso ante denuntiat. Neque vero quisquam potest hostis advolare terra, quin eum non modo esse, set etiam quis et unde sit scire possimus. Maritimus vero ille et navalis hostis ante adesse potest, quam quisquam venturum esse suspicari queat. Nec vero, cum venit, p. 167.] prae se | fert aut quis sit aut unde veniat aut etiam quid velit, denique ne nota quidem ulla pacatus an hostis sit discerni ac iudicari potest.

---

4. UTRERE C[1], sed UT punct. — 5. *ingenio esse* Dobree et Schuetz: ESSE INGENIO C O — 6. AMU:LO C «pr. m. *Amulo* Maius. Non ita; male dissecaverat pr. m., tum erasa priore L ex I facta est L et adscripta I.» Du Rieu. — ADRANO C[1] — 11. *est*] ET C[1] — 12. INCOLEBAT add. N sup. AT C — 13. UTETIAM C; ET delendum esse iam Maius vidit; *ut* [*et*] *iam* O — 14. *et*] UEL C[1]; *vel potentem* Creuzero glossa videbatur. — 16. PARTAM C[1] — 19. *neque enim ad m. admovit quod ei fuit facillimum* habet Arusianus Messius p. 243 L. — 21. ABORIGINEMQ, C deleta E; tum repetuntur pag. 157 vv. *facillimum u. i. a. R. Aboriginumq*, punctis superadditis; *Aboriginumve* O — 23. *ipsam* malebat Orelli — PROUIDENTIAM C[1] — 26. CAECITATIS C, sed ITAT del. — 27. EXPECTATUR C[1] — 28. MULTUM C[1] — 29. *ipso* coni. Creuzer — 30. *adesse* Osann — 31. MARITIMIS C[1] — 33. QUISSIT C, altera s punctata: *qui sit* O — 34. NEME C[1] — 35. POT C.

IV. 7. Est autem maritimis urbibus etiam quaedam corruptela ac demutatio morum: admiscentur enim novis sermonibus ac disciplinis et inportantur non merces solum adventiciae, sed etiam mores, ut nihil possit in patris institutis manere in|tegrum. Iam qui [p. 168. incolunt eas urbes, non haerent in suis sedibus, sed volucri semper spe et cogitatione rapiuntur a domo longius, adque etiam cum manent corpore, animo tamen exulant et vagantur. Nec vero ulla res magis labefactatam diu et Carthaginem et Corinthum pervertit aliquando quam hic error ac dissipatio civium, quod mercandi cupiditate et navi|gandi et agrorum et armorum cultum reliquerant. [p. 227. 8. Multa etiam ad luxuriam invitamenta perniciosa civitatibus subpeditantur mari, quae vel capiuntur vel inportantur, atque habet iam amoenitas ipsa vel sumptuosas vel desidiosas inlecebras multas cupiditatum. Et quod de Corintho dixi, id haut scio an liceat de cuncta Graecia verissime dicere. Nam et ipsa Peloponnesus fere tota in mari est, | nec praeter Phliuntios ulli sunt, quorum [p. 228. agri non contingant mare, et extra Peloponnesum Aenianes et Doris et Dolopes soli absunt a mari. Quid dicam insulas Graeciae? quae fluctibus cinctae natant paene ipsae simul cum civitatium institutis et moribus. 9. Atque haec quidem, ut supra dixi, veteris sunt Graeciae. Coloniarum vero quae est deducta a Grais in Asiam, Thracam, Italiam, Siciliam, Africam praeter unam Magnesiam, quam unda non adluat? Ita barbarorum agris quasi adtexta | quaedam videtur ora esse Graeciae. Nam e barbaris quidem ipsis nulli erant antea maritumi praeter Etruscos et Poenos, alteri mercandi causa, latrocinandi alteri. Quae causa perspicua est malorum commutationumque Graeciae propter ea vitia maritimarum urbium, quae ante paulo perbreviter adtigi. Set tamen in his vitiis inest illa magna commoditas, et quod ubique gentium | est ut ad eam [p. 230.

2. DEMUTATIO C, sed syllaba DE punctata; *atque mutatio* coni. Krebs. — *morum* Dobraeo (Advers. II, 378) e seqq. ortum videtur. — 3. *adventitiae* O — 4. POSSINT C, litt. N punctata — PATRIS C: *patriis* O — 5. SAEDIBUS C[1] — 7. EXCURRANT C, i. e. *exulant* ex corr., ut recte legit Du Rieu (conf. eius sched. Vat. p. 43): *excurrunt* O, *excursant* Osann — ULLAE C, sed E punct. — 8. CARTAGINEM C — PERUERTERUNT C — 9. *hic*] MIHI|C C — 10. *culturam* Schuetz — 13. IAM C: *etiam* O cum Maio — 14. IDAUT C, *id haud* O — 15. *Graecia vetere* Christ; cf. infra v. 20 — POLEPONNESUS C[1] — 16. PHILUNTIOS C; Cicero ipse scribit ad Atticum VI, 2, 3, sibi *Phliasios* dicendum fuisse — 17. PAELOPONNESUM C[1] — ENIANES C — DORIS C: *Dores* O; v. Lachm. comment. in Lucret. p. 280 — 18. QUAE C corr. ex QUE — 19. PAENEINIPSAE C, sed IN punct. — CIUITATIS C, del. syll. IS — 20. UETERES C — 22. *Thraciam -- Magnesiam* add. m. sec. in C — *Thracam* Servius ad Aen. XII, 335: *Thraciam* O cum C[2]; est apud Servium: *Thraca*: *sic Cic. in de re publ.*: *colonia vero quae est deducta a Graecis in Asiam, Thracam, Italiam, et non dixit Thraciam.* — 25. MARITUMIPSETER C — 27. GRECIAE C — 28. PERUBREUITERADTIGISSET C, deleta priore U — HIIS C — 29. *et* Bakio tollendum videtur — *quod* in C sup. lin. — GENTIUM del. I ante UM C; *genitum est* praeferre nolim, cum praesertim eius loco

urbem, quam incolas, possit adnare, et rursus ut id, quod agri efferant sui, quascumque velint in terras portare possint ac mittere.

V. 10. Qui potuit igitur divinius et utilitates conplecti maritimas Romulus et vitia vitare, quam quod urbem perennis amnis et aequabilis et in mare late influentis posuit in ripa, quo posset urps p.231.] et accipere ex mari quo egeret et reddere quo redundaret,| eodemque [ut] flumine res ad victum cultumque maxime necessarias non solum mari †absorberet, sed etiam invectas acciperet ex terra? ut mihi iam tum divinasse ille videatur hanc urbem sedem aliquando et domum summo esse imperio praebituram: nam hanc rerum tantam potentiam non ferme facilius ulla in parte Italiae posita urps tenere potuisset.

p.232.] VI. 11. Urbis autem ipsius nativa praesidia quis | est tam neclegens, qui non habeat animo notata ac plane cognita? cuius is est tractus ductusque muri cum Romuli tum etiam reliquorum regum sapientia definitus ex omni parte arduis praeruptisque montibus, *ut* unus aditus, qui esset inter Esquilinum Quirinalemque montem, maximo aggere obiecto fossa cingeretur vastissima, atque ut ita munita p.261.] arx circumiecto arduo et qua|si circumciso saxo niteretur, ut etiam in illa tempestate horribili Gallici adventus incolumis adque intacta permanserit. Locumque delegit et fontibus abundantem et in regione pestilenti salubrem; colles enim sunt, qui cum perflantur ipsi, tum adferunt umbram vallibus.

VII. 12. Atque haec quidem perceleriter confecit: nam et urbem constituit, quam e suo nomine Romam iussit nominari, et ad firmanp.262.] |dam novam civitatem novum quoddam et subagreste consilium, sed ad muniendas opes regni ac populi sui magni hominis et iam tum longe providentis secutus est, cum Sabinas honeste ortas virgines, quae Romam ludorum gratia venissent, quos tum primum anniversarios in circo facere instituisset, [Consualibus] rapi iussit

---

potius tempus praesens exspectetur — *ut ad eam - - possit* adfert Arus. Mess. p. 212 L. — AEAM C.

2. QUASQUMQUE C — 3. DIUINITUS C — 4. *peremnis* O — ANNIS C^1 — 5. URBS C^2 — 6. EX C^1: A C^2 — REDDERET C, sed T punct. — REDUNDAREET C^1 — 7. UT in C sup. lin.; nos *ut* inclusimus — UICTUMQUE C add. CULTUM sup. lin. — 8. ABSORBERET C: *[illegible]* Niebuhr, *arcesseret* Moser, *mare absorberet* L. de Ian (*Zeitschr. für die Alterthumsw.* 1845 num. 100), *mari non absorberet* Osann — TERRAAUT C^1 — 11. ULLA C: *alia* O, ut Maio, qui ipse malebat *alia ulla*, in cod. fortasse emendatum videtur, sed nihil nisi *ulla* in eo conspici adfirmat Du Rieu — URBS C^2 — 14. *ac plane* nos: PLANE C, ut testantur Detlefsen et Du Rieu; *planeque* O cum Maio — 15. TRACTATUS C — 16. *ut* om. C — 17. ESQUIILLINUM C; Du Rieu IESQUIÏLLINUM sibi legisse visus est — 18. *ut* del. Heinrich, *ita munita arx ut* Christ — 21. FONTIB. $\overset{\text{AB}}{\text{UNDANTEM}}$ C — 22. PERFLŪĀTUR C ū deleto — 24. $\overset{\text{B}}{\text{HAC}}$ C — *confecit* Mai, ut in C correctum esse Du Rieu adfirmat (non item Detlefsen): $\overset{\text{D}}{\text{CONUENIT}}$ C — 25. ETAFFIRMANDAM C — 27. OPESEG C, del. EG — 28. $\overset{\text{E}}{\text{HONESTE}}$ $\overset{\text{LOCO}}{\text{HORTAS}}$ $\overset{\text{S}}{\text{UIRGINIS}}$ C; *honesto loco ortas* v. edd. — 30. *Consualibus* Mai: CONSULIB. C; vox Mosero aut transponenda aut eicienda videbatur.

easque in familiarum amplissimarum | matrimoniis collocavit. [p. 271. **13.** Qua ex causa cum bellum Romanis Sabini intulissent proeliique certamen varium atque anceps fuisset, cum T. Tatio rege Sabinorum foedus icit, matronis ipsis, quae raptae erant, orantibus: quo foedere et Sabinos in civitatem adscivit sacris conmunicatis et regnum suum cum illorum rege sociavit.

VIII. **14.** Post interitum autem Tatii cum ad eum potentatus omnis reccidisset,| quamquam cum Tatio in regium consilium [p. 272. delegerat principes, qui appellati sunt propter caritatem patres, populumque et suo et Tati nomine et Lucumonis, qui Romuli socius in Sabino proelio occiderat, in tribus tris curiasque triginta descripserat, quas curias earum nominibus nuncupavit, quae ex Sabinis virgines raptae postea fuerant oratrices pacis et foederis: set quamquam ea Tatio sic erant | descripta vivo, tamen eo interfecto [p. 237. multo etiam magis Romulus patrum auctoritate consilioque regnavit.

IX. **15.** Quo facto primum vidit iudicavitque idem, quod Spartae Lycurgus paulo ante viderat, singulari imperio et potestate regia tum melius gubernari et regi civitates, si esset optimi cuiusque ad illam vim dominationis adiuncta auctoritas. Itaque hoc consilio et senatu quasi fultus | et munitus et bella cum finitimis felicis- [p. 238. sime multa gessit et, cum ipse nihil ex praeda domum suam reportaret, locupletare civis non destitit. **16.** Tunc, id quod retinemus hodie magna cum salute rei publicae, auspiciis plurimum obsecutus est Romulus. Nam et ipse, quod principium rei publicae fuit, urbem condidit auspicato et omnibus publicis rebus instituendis, qui sibi essent in auspiciis, ex singulis tribubus singu|los cooptavit [p. 239. augures; et habuit plebem in clientelas principum descriptam, quod quantae fuerit utilitati, post videro, multaeque dictione ovium et bovum — quod tum erat res in pecore et locorum possessionibus, ex quo pecuniosi et locupletes vocabantur —, non vi et supplicis coercebat.

---

1. MATRIMONIS COLLOCABIT C — 3. REGI C[1] — 4. CITMATRONIS| ISIPSIS C — 5. ADSCIBIT C[1] — 7. *potentatus* C[1]: *dominatus* C[2] — 8. *recid.* O — 9. DELEGERANT C, sed N punct. — 10. TANTINOMET| C — 11. INSABI| QUENO C — *discripserat* Buecheler — 12. QUASCU|RAS C — 13. FUERUNT C — *pacis* in C sup. lin. — 14. *ea* C[2]: *et* C[1] — 15. CONSILIOQUEQUAE| C — 18. OPTIMICIUIS|IUSQUE C — 20. *senatu quasi* F. C. Wolff et Dobree: QUASISENATU (i. e. *saenatu* C[2]) C O — 22. TUNC C: *tum* Steinacker — 23. post PLURIMUM est in C sup. lin. *accedo* manu tertia. — 24. *quod* in C sup. lin. — PRINCIPUM C — 25. CONDIDIDIT C — *sibi adessent* perperam coni. Maius — 26. TRIBUBUS C — 28. QUANTE C[1] — UTILI|TATE POSTUIDE|ROM C, M deleta — MULTAQ. C; *multaeque* -- *vocabantur* afferunt Nonius p. 42 et Isidorus Origg. X, § 155 — 29. BOUUM C deleta priore U; *bouum* est etiam in duobus vetustis codd. Monacensibus Isidori; *boum* O — *tunc* codd. Nonii et Isidori — *et in locorum* Isidorus — 30. NOUI C.

X. 17. Ac Romulus cum septem et triginta regnavisset annos p. 240.] et haec egregia duo firmamenta rei publicae peperisset, auspicia et senatum, tantum est consecutus, ut, cum subito sole obscurato non conparuisset, deorum in numero conlocatus putaretur: quam opinionem nemo umquam mortalis adsequi potuit sine eximia virtutis gloria. 18. Atque hoc eo magis est in Romulo admirandum, quod ceteri, qui dii ex hominibus facti esse dicuntur, minus eruditis homi- p. 241.] num saeculis fuerunt, ut fin|gendi proclivis esset ratio, cum imperiti facile ad credendum inpellerentur. Romuli autem aetatem minus his sescentis annis, iam inveteratis litteris atque doctrinis omnique illo antiquo ex inculta hominum vita errore sublato, fuisse cernimus. Nam si, id quod Graecorum investigatur annalibus, Roma conditast secundo anno olympiadis septumae, in id saeculum Romuli p. 242.] cecidit aetas, cum | iam plena Graecia poetarum et musicorum esset minorque fabulis nisi de veteribus rebus haberetur fides. Nam centum et octo annis postquam Lycurgus leges scribere instituit, prima posita est olympias, quam quidam nominis errore ab eodem Lycurgo constitutam putant: Homerum autem, qui minimum dicunt, Lycurgi aetati triginta annis anteponunt fere. 19. Ex quo intel- p. 301.] legi potest permultis annis an|te Homerum fuisse quam Romulum, ut iam doctis hominibus ac temporibus ipsis eruditis ad fingendum vix quicquam esset loci. Antiquitas enim recepit fabulas fictas etiam non numquam incondite; haec aetas autem tam exculta praesertim et prudens omne, quod fieri non potest, respuit.

p. 302.] 20. | * * * us *nepos eius*, ut di*xerunt* quidam *ex* filia.

---

1. SEPTE C — 3. SENATUM C; v. ad § 15. — *tantum est - - virtutis gloria* affert Augustinus de civit. dei III, 15 — 6. *magis est - - fuisse cernimus* habet Augustinus de civit. dei XXII, 6 — 8. UT C corr. ex ET — *procliuis* etiam codd. Augustini, non *proclivior*, ut est in editt. plerisque — ESSE C add. T sup. lin. — 11. *omniumque* codd. Augustini — ERRORES C, litt. s erasa — 13. *condita est* C² O — OLYMPIA|DES C¹ — 14. C˙ECIDIT C, *incidit* coni. Moser — MUSCORUM C, add. I sup. lin. teste Du Rieu — 17. ERRORE C del. priore E teste Du Rieu (?) — 18. QUI C — 19. AAETATI C¹ — *Ex quo intellegi - - respicit* servavit Augustinus l. c. XXII, 6. — 20. *annis* C sup. lin. — *Homerum - - respuit*] Haec ex Augustino suppleta sunt; nam folium hic in cod. dilaceratum est, nec exstat in pag. 301 nisi dimidia pars columnae prioris et pag. 302 posterioris columnae pars item dimidia: partes autem reliquae secundum Detlefsenii apographum sic se habent:

p. 301 (§ 19 v. 20):	p. 302 (§ 20):
TEHOI - - -	- - - USNE
FUISSE - - -	- - - USUTDI
ROMU - - -	- - - UTQUID
UTIAM - - -	- - - XFILIQUO
HOMI - - -	- - - ILLEMOR
ACTEM - - -	- - - ODEM
IPSISER - - -	- - - NONA
ADFIN - - -	- - - MONI
EXCUI (UI sup.) - - -	- - - YMPIA
ESSETL - - -	- - - XTAETqui
ANTIQU - - -	- - - ESIMA
NIMR - - -	- - - ACILIUS
FABULA - - -	- - - LEGIPOS
ETIAMN - - -	- - - MDERO
NUMQU - - -	- - - LIAMMOR (IM sup.)

22. *quicquam esset loci* Augustinus: *cuiquam esset locus* Mai secundum vestigia palimpsesti — 23. *tam exculta praesertim et prudens* Madvig: *iam exculta, praesertim eludens* Augustinus et O — 24. *respuit*] «Desiderantur in C litterae fere 230.» Mai. — 25. Lacunam sic explevit Mommsenius in mus. rhen. XV, p. 167: [*Hesiodum deinde, quamquam multis saeculis post Homerum fuit, tamen et ipsum constat vixisse*

Quo *autem* ille mor*tuus*, eodem *est anno* na*tus Simonides olympiade sexta* et quin*quage*sima, *ut f*acilius *intellegi possit tum* de Ro*muli* inmor|talitate creditum, cum iam inveterata vita [p. 67. hominum ac tractata esset et cognita. Sed profecto tanta fuit in eo vis ingenii atque virtutis, ut id de Romulo Proculo Iulio homini agresti crederetur, quod multis iam ante saeculis nullo alio de mortali homines credidissent: qui inpulsu patrum, quo illi a se invidiam interitus Romuli pellerent, in contione dixisse fertur a se visum esse in eo colle | Romulum, qui nunc Quirinalis voca- [p. 68. tur: eum sibi mandasse ut populum rogaret ut sibi eo in colle delubrum fieret: se deum esse et Quirinum vocari.

XI. 21. Videtisne igitur unius viri consilio non solum ortum novum populum neque ut in cunabulis vagientem relictum, set adultum iam et paene puberem? Tum Laelius: Nos vero videmus, et te quidem ingressum ratione ad disputandum nova, quae| nusquam [p. 81. est in Graecorum libris. Nam princeps ille, quo nemo in scribendo praestantior fuit, aream sibi sumsit, in qua civitatem exstrueret arbitratu suo, praeclaram ille quidem fortasse, set a vita hominum abhorrentem et a moribus. 22. Reliqui disseruerunt sine ullo certo exemplari formaque rei publicae de generibus et de rationibus civitatum. Tu mihi videris utrumque facturus; es | enim ita in- [p. 82. gressus, ut quae ipse reperias tribuere aliis malis quam, ut facit aput Platonem Socrates, ipse fingere, et illa de urbis situ revoces ad rationem, quae a Romulo casu aut necessitate facta sunt, et disputes non vaganti oratione, set defixa in una re publica. Quare perge, ut instituisti: prospicere enim iam videor te reliquos reges persequente quasi perfectam rem publicam.

XII. 23. Ergo, inquit Scipio, cum ille | Romuli senatus, [p. 281. qui constabat ex optimatibus, quibus ipse rex tantum tribuisset, ut eos patres vellet nominari patriciosque eorum liberos, tentaret post

---

ante Romulum. Non multos annos (immo *multis annis*) *post conditam urbem natus est Stesichor*]*us* — *nepos* - - *ex filia*] supplementa sunt Niebuhrii.

1. *quo* [*vero*] *ille mor*[*tuus e*]*odem* [*est an*]*no na*[*tus* Mommsen; *quoniam ille mortuus eodem est anno; natus* supplevit Niebuhr; nos *quo autem ille* scribere maluimus, cum praesertim ex apographo Detlefsenii litterae M ante ILLE vestigium superesse videatur. — *Simonides* - - *Romuli*] haec supplevit Niebuhrius — 2. *ut facilius* Mommsen: *quo facilius* Niebuhr — 6. CEDERETUR (R sup.) C — 7. DEMORTALITA|TE HOMINES (····) C — ILLASE (I sup.) C — 8. PERTUR|RASE C — 13. INCONABULIS C teste Detlefsenio — RELICTUMET|ADUITUMIĀ C — 15. RATIO C add. NE sup. lin. — NOUAQ.|NUSQUAM C¹ — 17. EX|TRUET C add. RE sup. lin. — 19. ETAMAIORIB. (· ··) C, del. A et AI: *et moribus* O — 21. INGESSUS (R sup.) C — 22. QUE (A sup.) C — IPSETPEARIAS (REP sup.) C, del. T et priore A — FACITAUTAPUT (P sup.) C, deleto APUT — 23. UERBIS C, punctata E, ut adfirmat Du Rieu — 25. *vagante* Heinrich — ORA|TIODEFIXA (NE S DDE sup.) C del. D — 26. INSTITUIS (TI sup.) C — REQGES (· sup.) C — 27. *persequente* Moser: PERSEQUENTE C — 28. *saenatus* C² — 30. TEMTARET C, *temptaret* Steinacker.

Romuli excessum, ut ipse gereret sine rege rem publicam, populus id non tulit, desiderioque Romuli postea regem flagitare non destitit: cum prudenter illi principes novam et inauditam ceteris gentibus p. 282.] interregni ineundi rationem excogi|taverunt, ut, quoad certus rex declaratus esset, nec sine rege civitas nec diuturno rege esset uno nec committeretur ut quisquam inveterata potestate aut ad deponendum imperium tardior esset aut ad optinendum munitior. 24. Quo quidem tempore novus ille populus vidit tamen id, quod fugit Lacedaemonium Lycurgum, qui regem non deligendum duxit, p. 283.] si modo hoc in Lycurgi potestate | potuit esse, sed habendum, qualiscumque is foret, qui modo esset Herculis stirpe generatus. Nostri illi etiam tum agrestes viderunt virtutem et sapientiam regalem, non progeniem quaeri oportere.

XIII. 25. Quibus cum esse praestantem Numam Pompilium fama ferret, praetermissis suis civibus regem alienigenam patribus aucto- p. 284.] ribus sibi ipse populus adscivit eumque ad regnandum | Sabinum hominem Romam Curibus accivit. Qui ut huc venit, quamquam populus curiatis eum comitis regem esse iusserat, tamen ipse de suo imperio curiatam legem tulit, hominesque Romanos instituto Romuli bellicis studiis ut vidit incensos, existimavit eos paulum ab illa consuetudine esse revocandos.

XIV. 26. Ac primum agros, quos bello Romulus ceperat, divi- p. 87.] sit viritim civibus | docuitque sine depopulatione atque praeda posse eos colendis agris abundare commodis omnibus, amoremque eis otii et pacis iniecit, in quibus facillime iustitia et fides convalescit et quorum patrocinio maxime cultus agrorum perceptioque frugum defenditur. Idemque Pompilius et auspiciis maioribus inventis ad pristinum numerum duo augures addidit et sacris e principum p. 88.] numero pontifices quin|que praefecit et animos propositis legibus [his], quas in monumentis habemus, ardentis consuetudine et cupiditate bellandi religionum caerimoniis mitigavit adiunxitque praeterea flamines, Salios virginesque Vestales omnisque partis religionis

---

4. GE|RERET C, deleta media E; *regeret* O, cum Lehnero. «*Regere* de rege, de isto senatu, de Sulla (p. Sex. Rosc. § 131) unice rectum, *gerere* de singulis, qui postquam rem publ. capessiverunt, una cum aliis eam administrant.» Orelli. At v. II, c. 43 et 44. — 7. ESSEDAUT C — 8. *Quo*] QUOD C — 9. LACAEDEMONIUM C — QUINÕREDIGENDUM C deletis RE; ipse malim: *qui non regem dilegendum* — 10. HAEC C; Du Rieu dicit AE punctatas et o superscriptam esse, de qua re tacet Detlefsen — 11. vv. *qualiscumque is foret* in C repetita, sed punctis notata sunt — QUO C — 12. AGESTES C — 14. FUMATIFERET C, del. U et T — 16. ADSCIBIT C — 19. LE|CEM C — 22. *Ac primus* (sic) - - *civibus* affert Nonius s. v. *viritim* p. 43 — COEPERAT C del. O — 24. COLENDI C — ABUNDARI C — 25. *eis otii*] EOISTII C — INQUIBUS C; *quibus* O — 26. PATRICINIO C[1], ut videtur — CULTUS C — 30. HIS in C m. sec. extra versum adiectum — 31. CUPI|DITATEETBELLANDI C deleta T tertia.

statuit sanctissime. 27. Sacrorum autem ipsorum diligentiam difficilem, apparatum perfacilem esse voluit: nam quae perdiscenda quaeque observanda es|sent multa constituit, sed ea sine in- [p. 69. pensa. Sic religionibus colendis operam addidit, sumtum removit, idemque mercatus, ludos omnesque conveniundi causas et celebritates invenit. Quibus rebus institutis ad humanitatem adque mansuetudinem revocavit animos hominum studiis bellandi iam immanis ac feros. Sic ille cum undequadraginta annos sum|ma in pace [p. 70. concordiaque regnavisset — sequamur enim potissimum Polybium nostrum, quo nemo fuit in exquirendis temporibus diligentior —, excessit e vita duabus praeclarissimis ad diuturnitatem rei publicae rebus confirmatis, religione atque clementia.

XV. 28. Quae cum Scipio dixisset: Verene, inquit Manilius, hoc memoriae proditumst, Africane, regem istum Numam Pythagorae ipsius discipulum aut certe Pythagoreum fuisse? | saepe enim [p. 295. hoc de maioribus natu audivimus et ita intellegimus vulgo existimari, neque vero satis id annalium publicorum auctoritate declaratum videmus. Tum Scipio, Falsum est, Manili, inquit, id totum, neque solum fictum, sed etiam imperite absurdeque fictum: ea sunt enim demum non ferenda in mendacio, quae non *modo non* facta, set ne fieri quidem potuisse cernimus. Nam quartum | iam [p. 296. annum regnante Lucio Tarquinio Superbo Sybarim et Crotonem et in eas Italiae partis Pythagoras venisse reperitur. Olympias enim secunda et sexagesima eadem Superbi regni initium et Pythagorae declarat adventum. 29. Ex quo intellegi regis annis dinumeratis potest anno fere centesimo et quadragesimo post mortem Numae

---

2. NAMQUE C¹ — 3. post *essent* nova pagina incipiente in C vv. *discenda q. que obs. essent* repetita, sed punctata sunt — 4. RELIGIONIB. C, B. in extremo versu m. 2 addita — REMOUITUT C — 7. AM C²: TAM C¹ — 9. CONCORDIAQUAE C — 12. CONFIRMATUS C¹ — RELIGIONE|ATQ.CLEMEN|TIAMQUI C — 14. *proditumst* Krarup: PRODITUMSIT C — AFRICANAE C — PY|THAGORAENE IP|SIUS DISCIPULUM AN CER|TE PYTHAGOREUM FUISSE sic C in extrema pagina; litterae PYTHAGORAENE sunt in 14. versu scriptae; quae minoribus litteris adiecta sequuntur, complent duos versus, cum alias singulae columnae denis quinis versibus constent. Teste Detlefsenio habet codicis pr. m. tantum litteras PYTHAGORAEN — 15. *aut* Krarup: *an* C²O — 16. NATUMAUDIBUS C, del. M et B — litterae *et ita intellegimus* in C ut delendae punctatae sunt — 17. ANNUMALIUM C — 18. ESTMANILIIN|QUITTOTUM C, *est enim M.* O — 19. FACTUM C — IMPE|RITAEABSURDE|Q.FACTUM C — 20. *quae non modo non facta* scripsi: QUAE|NON FACTA C; sic expressit codicis scripturam Detlefsen, cum Maio consentiens, nisi quod hic *solum*, quod ipse edidit, in cod. deesse non notavit; contra Du Rieu hoc sibi visus est in codice legisse: QUAE NON FACTA (*quae non solum ficta esse* m. 2), quae lectio si vere est in cod. a m. 2, tamen correctoris studio videtur adscribenda esse; *quae non solum facta esse* O — 22. REGNANTEM|LUCILIO TARQUI|NIOS C, del. M et LI teste Du Rieu — 23. PYTAGORAS C — REP|PERITUR C — 24. SUBPERBI C, sed prior B punct. (sic teste Du Rieu) — INITIUM ET PY|PYTHAGORAE C — 25. *regiis* C²O — 26. QUA|TRAGEMO C.

p. 39.] primum Italiam Pythagoram | attigisse, neque hoc inter eos, qui diligentissime persecuti sunt temporum annales, ullast umquam in dubitatione versatum. Di inmortales, inquit Manilius, quantus iste est hominum et quam inveteratus error! Ac tamen facile patior non esse nos transmarinis nec inportatis artibus eruditos, sed genuinis domesticisque virtutibus.

XVI. 30. Adqui multo id facilius cognosces, inquit Africanus, p. 40.] si | progredientem rem publicam adque in optimum statum naturali quodam itinere et cursu venientem videris; quin hoc ipso sapientiam maiorum statues esse laudandam, quod multa intelleges etiam aliunde sumta meliora aput nos [multo] esse facta, quam ibi fuissent, unde huc translata essent adque ubi primum extitissent, intellegesque non fortuito populum Romanum, sed consilio et disci- p. 217.] plina confirma|tum esse nec tamen adversante fortuna.

XVII. 31. Mortuo rege Pompilio Tullum Hostilium populus regem interrege rogante comitiis curiatis creavit, isque de imperio suo exemplo Pompili populum consuluit curiatim. Cuius excellens in re militari gloria magnaeque extiterunt res bellicae. Fecitque idem et saepsit de manibiis comitium et curiam, constituitque ius quo bella p. 218.] indicerentur, quod per se iustissime inventum sanxit | fetiali religione, ut omne bellum, quod denuntiatum indictumque non esset, id iniustum esse adque inpium iudicaretur. Et ut advertatis animum quam sapienter iam reges hoc nostri viderint, tribuenda quaedam esse populo — multa enim nobis de eo genere dicenda sunt —, ne insignibus quidem regis Tullus nisi iussu populi est ausus uti. Nam ut sibi duodecim lictores cum fascibus anteire liceret * * *

---

1. ATTINGISSE C^1 — 2. *ulla est* C^2 O — 3. UESATUM C^1 — 8. REP. C — 10. *statues esse* Steinacker: NA|TUESESSE C. «In prima editione scripsi *maiorum natu esse*; tum in scholio critico dixi legere me in codice *natu es esse*. Ecce autem mirabiliter Steinackerus correxit *maiorum statues esse*. Ego vero codicem iterum inspiciens manifeste legi in cariosa membrana *statues* pro *natu es*.» Mai. In apographo tamen Detlefseni est NATUES, nec Du Rieu ad lectionem Orellianam † *natu es* quidquam adnotavit. — QUOT C — 11. NOS ESSE C; *multo* nos inclusimus — SIBI C, sed deleta s teste Du Rieu — 13. NON in C extra versum additum est et sequenti iterum sup. lin. positum — *pop. Rom.*] PR. C — 14. ETSSE C^1 — FORT|NAMMORTUO C; *fortuna. Nam mort.* coni. Mai. — 15. POPILIO C^1 — HOCTILIUM C^1 — 16. IN|TERROGANTE|ENCOMMIT|TIS C deleta N ante *comitiis* — CRAEUIPILIPO|PULUM C^1, adiectum est m. 2 inter duos versus: [illegible] PLO POMPILI|POPULUM — 18. BELLICE C^1 — FIDEM C, sed deleta F, ut ait Du Rieu — 19. ET|TSEMPSITDE|MANIB. COMI|TIUM C, expuncta I ante *bus*; non habet ergo 1 m. *manubiis*, ut ed. Mai — 20. FETIAU C — 23. HOS C — TRIBU|ENDAMESSE C^1, quod ita correctum 2. m. TRIBU[illegible]ESSE deletis litt. ENDAM — 25. *regiis* C^2 O — POPUL C — 26. UTSITSIBI C — AN|TERE C — *liceret* [atque ut togam pictam atque praetextam et latiorem clavum ac sellam curulem ab Etruscis, quos devicerat, regibus acciperet, populum rogavit; quo concedente haec in reliqua vita ornamenta usurpavit. Cumque ad extremum procella ipse quoque aut fulmine absumtus esset,] *propterea non est creditus inter deos receptus* etc. supplevit Mai.

[*Desiderantur paginae duae.*]

32. *De Tullo quippe etiam Hostilio, qui tertius a Romulo rex fuit, qui et ipse fulmine absumptus est, dicit in eisdem libris idem Cicero,* propterea et istum non creditum in deos receptum tali morte, quia fortasse quod erat in Romulo probatum [*id est persuasum*] Romani vulgare [*id est vile facere*] noluerunt, si hoc et alteri facile tribueretur. (Augustinus de civ. dei III, 15.)

XVIII. 33. * * * *neque*|enim serpit, sed volat in optimum statum instituto tuo sermone res publica. s. Post eum Numae Pompili nepos ex filia rex a populo est Ancus Marcius constitutus, itemque de imperio suo legem curiatam tulit. Qui cum Latinos bello devicisset, adscivit eos in civitatem. Adque idem Aventinum et Caelium montem adiunxit urbi quosque agros ceperat divisit, et silvas maritimas omnis publicavit, | quas ceperat, et ad ostium Tiberis urbem condidit colonisque firmavit. Atque ita cum tres et viginti regnavisset annos, est mortuus. Et Laelius: Laudandus etiam iste rex, sed obscura est historia Romana, si quidem istius regis matrem habemus, ignoramus patrem. s. Ita est, inquit: sed temporum illorum tantum fere regum inlustrata sunt nomina. [p.171.] [p.172.]

XIX. 34. Sed hoc loco primum videtur insitiva quadam| disciplina doctior facta esse civitas. Influxit enim non tenuis quidam e Graecia rivulus in hanc urbem, sed abundantissimus amnis illarum disciplinarum et artium. Fuisse enim quendam ferunt Demaratum Corinthium et honore et auctoritate et fortunis facile civitatis suae principem, qui cum Corinthiorum tyrannum Cypselum ferre non potuisset, fugisse cum mag|na pecunia dicitur ac se contulisse Tarquinios in urbem Etruriae florentissimam. Cumque audiret dominationem Cypseli confirmatam, fugit patriam vir liber ac fortis et adscitus est civis a Tarquiniensibus atque in ea civitate domicilium et sedes collocavit. Ubi cum de matre familias Tarquiniensi duo filios procreavisset, omnibus eos artibus ad Graecorum disciplinam eru*diit* * * * [p.173.] [p.174.]

---

2. *De Tullo - - idem Cicero* om. O et deinde vv. *id est persuasum* et *id est vile facere* — 4. *in deos* codd. August.: *inter deos* ed. Bened. et O — 8. [Tum Laelius, perge, inquit, Scipio: neque] *enim* suppl. Mai in ed. II — 9. *instituta* coni. Mai in edit. I. — *res p.*] REMP. C — POSTUM C[1] — 12. DECIUIS|SET C[1] — 13. DIUISIT| C, *it* postea addito — 15. TRESEUIGINTI C — 16. *est mortuus*] SED|MORTUS C, del. priore s — ETLAE|LIUS C; *Tum Laelius* O — 17. *Romana* suspectum Mosero — 19. *fere* C corr. ex *ferre* — 20. INSITIBA C[1] — 21. DISCIPULINA C[1] — ESSECTUITAS|INFLUCXIT C, deleta c ante x — 22. QUAEDAM C del. AE — GRECIA C[1] — AN|NIS C — 23. QUE|DAM C, non QUEMDAM, ut ait Du Rieu; nam ductu illo in cod. aeque littera *n* atque *m* exprimitur, ut Du Rieu ipse notavit p. 7. — 24. CORINTIUM C[1] — 25. CHORINTHIO|RUM C — 26. FU|ISSE C — 28. CON|FIRMATAM FU|GIT C, *confirmari, defugit* O — FORIS C — 30. DEFMATRE C del. F — 32. *eru*|diit. Mortuo deinde Demarato et maiore filio universum patrimonium ad minorem natu devenit: qui spernentibus

[*Desiderantur paginae duae.*]

p. 219.] XX. 35. * * * | facile in civitatem receptus esset, propter humanitatem atque doctrinam Anco regi familiaris est factus, usque eo ut consiliorum omnium particeps et socius paene regni putaretur. Erat in eo praeterea summa comitas, summa in omnis civis opis, auxilii, defensionis, largiendi etiam benignitas. Itaque mortuo Marcio cunctis populi suffragiis rex est creatus L. Tarquinius: sic enim | p. 220.] suum nomen ex Graeco nomine inflexerat, ut in omni genere huius populi consuetudinem videretur imitatus. Isque ut de suo imperio legem tulit, principio duplicavit illum pristinum patrum numerum et antiquos patres maiorum gentium appellavit, quos priores sententiam rogabat, a se adscitos minorum. 36. Deinde equitatum p. 37.] ad hunc morem constituit, qui us|que adhuc est retentus: nec potuit Titiensium et Rhamnensium et Lucerum mutare, cum cuperet, nomina, quod auctor ei summa augur gloria Attus Navius non erat. Atque etiam Corinthios video publicis equis adsignandis et alendis orborum et viduarum tributis fuisse quondam diligentis. Sed tamen p. 38.] prioribus equitum partibus secundis additis ↀ ıↃccc fecit | equites numerumque duplicavit. Post[quam] bello subegit Aequorum magnam gentem et ferocem et rebus populi Romani imminentem. Idemque Sabinos cum a moenibus urbis reppulisset, equitatu fudit belloque devicit. Atque eundem primum ludos maximos, qui Romani dicti sunt, fecisse accepimus, aedemque in Capitolio Iovi optimo p. 34.] maximo bello Sabino in ipsa pugna vovisse facien|dam mortuumque esse, cum duo de quadraginta regnavisset annos.

XXI. 37. Tum Laelius: Nunc fit illut Catonis certius, nec temporis unius nec hominis esse constitutionem rei publicae: perspicuum est enim quanta in singulos reges rerum bonarum et utilium fiat accessio. Sed sequitur is, qui mihi videtur ex omnibus in re publica

---

Etruscis se ortum exule advena, Romam hortatu uxoris cum ingenti re bona migravit. Cumque] *facile* etc. supplevit Mai.

5. OMNIS|SCIPUISOPIS C — 8. *ex Etrusco nomine* coni. Osann, ut iam Mai partim indicaverat — 10. *principio*] PRINCI|PIOLEGEMTULIT C — 11. APPELLABIT C[1] — 14. TITIENSIUM C — RHA|MENSINUM C, *Rumnensium* O — 15. SU|MAGLORIA|AUGUR (GLORIA sup. lin.) C — TATUS C del. priore T, *Attius* O — 16. CHORINTHIOS C — EQUISEQUIS C — 18. ıↃccc C. T. Zumpt (*Abhandl. der Berl. Akad.* 1839 p. 76): ACCC. C, *ac CC* O; cf. W. Ad. Beckeri antiqu. Rom. II, 1, 244 — 19. *Post* Madvig: POSTQUAM C O, *posthac* coni. Moser. «Neque per se subacta gens Aequorum causa equitatus augendi esse potuit (sed bellum cum iis instans, ut apud Livium I, 36 et 37 belli Sabini causa auctus equitum numerus narratur) nec causam et occasionem augendi equitatus in hunc extremum locum sententiae Cicero coniecisset (rem sine causae mentione sic exorsus est: *Deinde equitatum*); nec *numerumque duplicavit* potest de altera duplicatione intelligi facta post bellum Aequorum; nam illa *numerumque duplicavit* plenius tantummodo et distinctius exprimunt quod continetur his verbis: *prioribus equitum partibus secundis additis*. De *post* = *postea* v. Cicero de nat. deor. II, §§ 6, 11, 63, I, 22 etc.» Madvig. — 21. EPPULISSET C add. R sup. lin. — 23. EADEMQ. C — 24. BOUISSE C[1].

vidisse plurimum. Itast, inquit Scipio. Nam post eum Servius Tul|lius primus iniussu populi regnavisse traditur, quem ferunt ex [p. 39. serva Tarquiniensi natum, cum esset ex quodam regis cliente conceptus. Qui cum famulorum in numero educatus ad epulas regis adsisteret, non latuit scintilla ingenii, quae iam tum elucebat in puero: sic erat in omni vel officio vel sermone sollers. Itaque Tarquinius, qui admodum parvos tum haberet liberos, sic Servium diligebat, ut is eius vulgo ha|beretur filius, atque eum summo studio om- [p. 291. nibus iis artibus, quas ipse didicerat, ad exquisitissimam consuetudinem Graecorum erudiit. 38. Sed cum Tarquinius insidiis Anci filiorum interisset Serviusque, ut ante dixi, regnare coepisset non iussu, sed voluntate adque concessu civium, quod, cum Tarquinius ex vulnere ae|ger fuisse et vivere falso diceretur, ille regio [p. 292. ornatu ius dixisset obaeratosque pecunia sua liberavisset, multaque comitate usus iussu Tarquinii se ius dicere probavisset, non commisit se patribus, sed Tarquinio sepulto populum de se ipse consuluit, iussusque regnare legem de imperio suo curiatam tulit. Et primum Etruscorum iniurias bello est ultus, ex quo cum ma * * *

[*Desiderantur paginae duae.*]

XXII. 39. * * * | duo de viginti censu maximo. Deinde [p. 107. equitum magno numero ex omni populi summa separato relicuum populum distribuit in quinque classis senioresque a iunioribus divisit, eosque ita disparavit, ut suffragia non in multitudinis, sed in locupletium potestate essent, curavitque, quod semper in re publica tenendum est, ne plurimum valeant plurimi. Quae | discriptio [p. 108. si esset ignota vobis, explicaretur a me. Nunc rationem videtis esse talem, ut equitum † certamine cum et suffragiis et prima classis addita centuria, quae ad summum usum urbis fabris tignariis est data, .VIIII. centurias — tot enim reliquae sunt — octo solae si accesserunt, confecta est vis populi universa, relicuaque multo maior

1. TULIUS C[2], ut Du Rieu vidisse sibi visus est (cf. eius Sched. Vatic. p. 45 sq.), SULPICIUS C[1]; Detlefsen nihil vidit nisi vestigium litterae T sup. S — 2. INIUSSU C[2]: INIUSTUS C[1] — EXERUATAR|QUINIENSE C — 4. *in* om. CO; addidit Moser — 5. QUE C — PUERAOS C, *os* uno ductu scriptum, ut paulo post in *liberos* — 9. MARTRUS C — 12. COIUIU C, quae scriptura Osanno ex *ceiuium* nata videtur. — 14. ORNATIUS C — 16. DEIPSE CONSULUT C, IP postea add. — 18. RUSTICORUM C — 18. Ne quid in editione nostra desideretur, hic quoque adscribimus Maii supplementa: *ex quo cum ma*[ximum agrum Caeretanis, Tarquiniensibus Veientibusque ademtum nactus esset, eum inter cives novissime adscriptos divisit. Censum deinde instituit, rem saluberrimam tanto futuro imperio: ex quo belli pacisque munia non viritim, ut ante, sed pro habitu pecuniarum fierent. Ex iis qui centum milium aeris aut maiorem censum haberent, octoginta confecit centurias, quadragenas seniorum ac iuniorum. His addidit centurias equitum] *duo de viginti censu maximo.* — 23. *easque* Francke recte, ut videtur. — 25. *plurimi*] *plurimum* C[1] (?) teste Du Rieu — QUEDISCRIPTIO C: *Quae descriptio* O — 25 sqq. Ex adverso ponimus scripturas duarum manuum:

p. 93.] multitudo sex et nonaginta centuriarum | neque excluderetur suffragiis, ne superbum esset, nec valeret nimis, ne esset periculosum. 40. In quo etiam verbis ac nominibus ipsis fuit diligens, qui, cum locupletis assiduos appellasset ab aere dando, eos, qui aut non plus mille quingentos aeris aut omnino nihil in suum censum praeter caput attulissent, proletarios nominavit, ut ex iis quasi proles, id p. 94.] est quasi progenies civitatis | expectari videretur. Illarum autem sex et nonaginta centuriarum in una centuria tum quidem

Prima manus:	Secunda manus:
NUNC RATIO	NUNC RATIO
NEMUIDETIS	NEMUIDETIS
ESSETALEMUT	ESSE TALEM UT
EQUITUMCER	EQUITUMCEN
TAMINECUM	TURIECUM
ETSUFFRAGIIS	SEXSUFFRAGIIS
ETPRIMACLAS	ET PRIMA CLAS
SISADDITACĒ	SISADDITACĒ
RURIAQ̄.ADSŪ	TURIAQ̄.ADSŪ
MUMUSUM	MUMUSUM
URBISFABRIS	URBISFABRIS
TGNARIIS EST	TIGNARIIS EST
DATA.UIIII.CĒ	DATA.LXXXUIIII.CĒ
TURIASTOTE	TURIAS HABEAT QUIB.
NIMRELIQU	E CENT. QUATTOR CENTURIIS TOT ENIMRELIQUAE
AE SUNT OCTO	SUNTOCTO
SOLAESIACCES	SOLAE SI ACCES
SERUNTCŌ	SERUNTCō
FECTAESTUI	FECTAESTUIs
SPOLI UNIUER	POPULI UNIUER
SA	SA

In versus 14 scriptura secundae manus Mai et Du Rieu legerunt HABEAT QUIB. EX, in apographo tamen Detlefsenii hoc EX non apparet, sed adiecta est E extra versum inter CENT. et ENIM. Apographum Mommsenii (v. Diar. antiq. stud. 1845 pag. 786 et Nov. mus. rhen. VIII, p. 405) in uno loco a Detlefseniano paulum distat; versum enim tertium decimum sic scriptum affert: DATA . VIIII . CEN (superscr. ALXXX HABEAT QUIB. EX). — In loco conclamato satis habuimus scripturam primae manus ut est corrupta in verborum contextu adscripsisse; O habet secundum alteram manum: *ut equitum centuriae cum sex suffragiis, et prima classis, addita centuria, quae ad summum usum urbis fabris tignariis est data, LXXXVIIII centurias habeat: quibus ex centum quattuor centuriis (tot enim reliquae sunt) octo solae si accesserunt, confecta est vis populi universa* etc. Nomina literatorum hominum, qui de hoc loco egerunt, recensita sunt in Beckeri et Marquardtii Antiquitatibus Romanis II, 1, p. 203 et II, 3, p. 10; quibus addas quae disputaverunt Ritschl, Huschke, Lange in Novo Mus. rhen. VIII, pp. 345, 405, 646, et Urlichs ibid. XIV, p. 326. Ac Ritschelius quidem scripsit: *Nunc rationem videtis esse talem, ut equitum centuriis cum sex suffragiis et primae classi, addita centuria quae ad summum usum urbis fabris tignariis est data, VIII centuriae solae si accesserunt, confecta esset vis populi universa, reliquaque multo maior multitudo VI et LXXXX centuriarum (tot enim reliquae sunt) neque excluderetur suffragiis* etc. Urlichs autem proposuit: *Nunc r. videtis esse talem, ut equitum centuriis duodecim et suffragiis primae classis, addita centuria quae -- est data, IIII centuriae solae si accesserunt, confecta esset populi vis universa,* in reliquis Ritschelium secutus.

3. *in verbis* coni. Moser — 4. AD|SIDUUMOS C deleta M — *ab asse dando* Osann coll. Cic. Top. 2, 10 — 5. *mille quingentos* Madvig: MIL|LECENTUM C «Cod. I. manu *centum*; mox videtur superaddita D, id est factum *quingentum*.» Mai. Contra negat Du Rieu se vestigium illius litterae vidisse, sed paginam esse obscuriorem. In apographo Detlefsenii sunt inter LE et CENTUM hi ductus sup. lin. //// quibus numerus D addito *centum* expleri videtur. Madvigius autem ad nos scripsit: «Mira negligentia relinquitur hoc: *non plus mille quingentum aeris -- in suum censum attulissent,* quum sermonis lex apertissime postulet: *non plus mille quingentos aeris. Denos aeris* dici *denos asses* quis ignorat? Ceterum est omnino insolens illud *in suum censum -- attulissent*, vereorque ne Cicero scripserit: *aut omnino nihil suum* (suum quod esset) *in censum praeter caput attulissent.*» — OMNI|NONNIHIL C — 6. vv. *id est quasi progenies* Franckio spuria videntur, *ut -- videretur* aut delenda aut sic legendum esse *ut ex iis nil nisi proles expect.* vid. censebat Moser, Orelli saltem posterius *quasi* delere voluit. — 8. *in una ultima cent.* coni. Reisig, *in ima cent.* Goettling.

plures censebantur quam paene in prima classe tota. Ita nec prohibebatur quisquam iure suffragii et is valebat in suffragio plurimum, cuius plurimum intererat esse in optimo statu civitatem. Quin etiam accensis velatis, liticinibus, cornicinibus, proletariis * * *

[*Desiderantur paginae quattuor.*]

XXIII. 41. *M. Tullius de re publica lib. II.* Statuo esse optume constitutam rem publicam, quae ex tribus generibus illis, regali et optumati et populari confusa modice nec puniendo irritet animum inmanem ac ferum . . . (Nonius s. v. *modicum* p. 342.)

42. * * * *quinque et* | sexaginta annis antiquior, quod erat [p. 45. XXXVIII. ante primam olympiadem condita. Et antiquissimus ille Lycurgus eadem vidit fere. Itaque ista aequabilitas atque hoc triplex rerum publicarum genus videtur mihi commune nobis cum illis populis fuisse. Sed quod propriumst in nostra re publica, quo nihil possit esse praeclarius, id persequar, si potero, subtilius, quod erit eius | modi, nihil ut tale ulla in re publica reperiatur. Haec [p. 46. enim, quae adhuc exposui, ita mixta fuerunt et in hac civitate et in Lacedaemoniorum et in Karthaginiensium, ut temperata nullo fuerint modo. 43. Nam in qua re publica est unus aliquis perpetua potestate, praesertim regia, quamvis in ea sit et senatus, ut tum fuit Romae, cum erant reges, ut Spartae Lycurgi legibus, et [ut] sit aliquod etiam populi | ius, ut fuit aput nostros reges, tamen [p. 145. illut excellit regium nomen, neque potest eius modi res publica non regnum et esse et vocari. Ea autem forma civitatis mutabilis maxime est hanc ob causam, quod unius vitio praecipitata in perniciosissimam partem facillime decidit. Nam ipsum regale genus civitatis non modo non est reprehendendum, sed haut scio an reliquis |simplicibus longe anteponendum, si ullum probarem simplex [p. 146. rei publicae genus, sed ita, quoad statum suum retinet. Is est autem status, ut unius perpetua potestate et iustitia omnique sapientia regatur salus et aequabilitas et otium civium. Desunt omnino ei

---

2. ETIISUALE|BIT (A supra) C — post *suffragio* in C ETISUALEBITINSUFFRAGIO repetitum, sed punctis notatum est. — 4. ANCENSIS UE|LATIS LITICINIB.|PROLETARIIS| (O., CORN//// supra) C — 6. *lib. II.* codd. Nonii: *lib. III* scribendum videtur, si conferas extremas eius libri partes — *statuo* margo ed. Iunianae: *statu* codd. et O — *optume* codd.: *optimo* O — 8. *punienda* codd. — *inmanemque ac ferum reddat* Moser — 10. [Karthago urbe Roma quinque et] *sexaginta* Mai suppl. — SEXAGIGNTA C — XXXVIII coni. Mai — 14. *propriumst* Osann: PROPRIUMSIT CO — 16. REPPERIA|TUR C — 17. ENĪ|Q. ADHUC EX|POSITA (UAE, UI supra) C — 18. LACAEDEMONIORUM C teste Du Rieu — 20. SENA|TUS UT TUM FUIT|ET ROMAE (A supra) C, *fuit* postea additum deleto seq. ET; an ET ex *erat* ortum? — 21. LY|CURCI LEGIB.|UT ET SIT (.. UT supra) C; nos *ut* cum Steinackero inclusimus — 26. CIUITATISNA˜|MODO (O supra) C — 29. ITA'HOCAD (QUO supra) C — RETINE|TISSETAUTEM (. S supra) C — 30. OMNEQUE (I supra) C — 31. RECATUR C — AEQUA|BILITATS C.

populo multa, qui sub rege est, in primisque libertas, quae non in eo est, ut iusto utamur domino, set ut nullo * * *

[*Desiderantur paginae duae.*]

p. 15.] XXIV. 44. * * * | ferebant. Etenim illi iniusto domino atque acerbo aliquamdiu in rebus gerundis prospere fortuna comitata est. Nam et omne Latium bello devicit et Suessam Pometiam urbem opulentam refertamque cepit et maxima auri argentique praeda locupletatus votum patris Capitolii aedificatione persolvit et colonias p. 16.] deduxit et institutis eorum, a quibus ortus erat, | dona magnifica quasi libamenta praedarum Delphos ad Apollinem misit.

XXV. 45. Hic ille iam vertetur orbis, cuius naturalem motum adque circuitum a primo discite adque cognoscite. Id enim est caput civilis prudentiae, in qua omnis haec nostra versatur oratio, videre itinera flexusque rerum publicarum, ut, cum sciatis, quo quaeque p. 255.] res inclinet, retinere aut ante possitis | occurrere. Nam rex ille, de quo loquor, primum optimi regis caede maculatus, integra mente non erat et, cum metueret ipse poenam sceleris sui summam, metui se volebat. Deinde victoriis divitiisque subnixus exultabat insolentia neque suos mores regere poterat neque suorum libidines. 46. Itaque cum maior eius filius Lucretiae, Tricipitini filiae, Conla- p. 256.] tini uxori, vim attulisset mulierque pudens et nobilis ob illam iniuriam sese ipsa morte multavisset, tum vir ingenio et virtute praestans L. Brutus depulit a civibus suis iniustum illut durae servitutis iugum: qui cum privatus esset, totam rem publicam sustinuit primusque in hac civitate docuit in conservanda civium libertate esse privatum neminem. Quo auctore et principe concitata civitas p. 245.] et hac recenti que|rella Lucretiae patris ac propinquorum et recordatione superbiae Tarquinii multarumque iniuriarum et ipsius et filiorum, exulem et regem ipsum et liberos eius et gentem Tarquiniorum esse iussit.

XXVI. 47. Videtisne igitur, ut de rege dominus extiterit uniusque vitio genus rei publicae ex bono in deterrumum conversum sit? p. 246.] Hic est enim dominus populi, quem Graeci tyran|num vocant: nam regem illum volunt esse, qui consulit ut parens populo conservatque eos, quibus est praepositus, quam optima in condicione

---

1. *qui* deest in C, neque est, ut ait Mai, m. 2 additum; quod enim ille vidit *qui*, ad Augustini verba «*quia holocaustis* etc.» pertinet. — QUE C — 4. DOMI|NATOATQ. C — 5. *prospera* coni. Moser — 7. COEPIT C — 10. *misit*] hic desinit apographum Detlefsenii — 12. *discite atque cognoscite* Mai: DISCITE AD Q. COGNOSCERE C deletis litt. Q. CO; *operae pretium est discere atque cognoscere* coni. Heinrich; *discite agnoscere* O — 14. Q. QUAE C correctum in QUAEQUE — 17. vv. *ipse poenam sc. sui summam me* add. in C m. 2. — 19. NEQUEUOS C — 21. UXORIUM C — 22. SESE C corr. ex ESSE — 26. *quo auctore* -- *civitas* habet Nonius p. 429. — 32. EX C^2: IN C^1 teste Du Rieu — *deterrimum* C^2O — 33. QUAM C — 35. CONDIONE C.

vivendi. Sane bonum, ut dixi, rei publicae genus, sed tamen inclinatum et quasi pronum ad perniciosissimum statum. 48. Simul atque enim se inflexit hic rex in dominatum iniustiorem, fit continuo tyrannus, quo neque taetrius neque foedius nec dis hominibus|que invisius animal ullum cogitari potest: qui quamquam [p. 29. figura est hominis, morum tamen inmanitate vastissimas vincit beluas. Quis enim hunc hominem rite dixerit, qui sibi cum suis civibus, qui denique cum omni hominum genere nullam iuris communionem, nullam humanitatis societatem velit? Sed erit hoc de genere nobis alius aptior dicendi locus, cum res ipsa admonu|erit ut in eos [p. 30. dicamus, qui etiam liberata iam civitate dominationes adpetiverunt.

XXVII. 49. Habetis igitur primum ortum tyranni; nam hoc nomen Graeci regis iniusti esse voluerunt: nostri quidem omnes reges vocitaverunt, qui soli in populos perpetuam potestatem haberent. Itaque et Spurius Cassius et M. Manlius et Spurius Maelius regnum occupare voluisse dicti sunt, et modo *Ti. Gracchus* * * *

[*Desiderantur paginae duae.*]

XXVIII. 50. * * * *Lycurgus* γέροντας *La*|cedaemone [p. 135. appellavit, nimis is quidem paucos, XXVIII., quos penes summam consilii voluit esse, cum imperi summam rex teneret: ex quo nostri idem illut secuti atque interpretati, quos senes ille appellavit, nominaverunt senatum, utei iam Romulum patribus lectis fecisse diximus; tamen excellit atque eminet vis, potestas nomenque regium. Inperti etiam populo potestatis | aliquid, ut et Lycurgus et [p. 136. Romulus: non satiaris eum libertate, sed incenderis cupiditate libertatis, cum tantum modo potestatem gustandi feceris. Ille quidem semper inpendebit timor ne rex, quod plerumque evenit, exsistat iniustus. Est igitur fragilis ea fortuna populi, quae positast in unius, ut dixi antea, voluntate vel moribus.

XXIX. 51. Quare prima sit haec forma et species et origo ty|ranni, inventa nobis in ea re publica, quam auspicato [p. 189. Romulus condiderit, non in illa, quam, ut perscripsit Plato, sibi ipse Socrates peripatetico illo in sermone depinxerit; ut, quem ad modum

---

1. *bonum sane* vel *est sane bonum* malebat Moser — REP. C — 2. PRONUMAT C¹ — 5. ANIMA C — COGITARE C — 6. *inmanitate* Mai: INITATE C; videtur emendata lectio sec. m. sub Augustini verbis latere — 7. SINBI C — 11. *liberata iam* add. in C 2. m.; immo *libera iam* — 15. ETSPURIUS C²: ESPERIUS C¹, corr. m. 2 in *et Spurius* — MĂ|LIUS EST PURIUS MARCIUS C — 18. CAEDEMONE APPELLABIT C — 19. XXVIII C — 20. IMPERIS C — 21. INTERPRAETATI C teste Du Rieu — 22. *utei iam* M. Haupt: UTETIAM C O, *ut iam* Heinrich — 23. EMINETDUIS C — 24. INPERTIT C falso I, non T punctata — 25. LIBERTATES SED INCENDIRES C — 27. *exsistat* h. l. codex — 28. *quae* C corr. ex Q. — 29. *vel voluntate vel moribus* coni. C. F. M. Mueller in progr. Regiomontano 1860, p. 8. — 31. AUSPICATU C, sed posteriore U in O correcta — 32. PRAESCRIPSIT C — SIUE C — 33. PERIPEATETO C.

Tarquinius, non novam potestatem nactus, sed quam habebat usus iniuste totum genus hoc regiae civitatis everterit, sit huic oppositus p. 190.] alter, bonus et | sapiens et peritus utilitatis dignitatisque civilis, quasi tutor et procurator rei publicae; sic enim appelletur, quicumque erit rector et gubernator civitatis. Quem virum facite ut agnoscatis; est enim qui consilio et opera civitatem tueri potest. Quod quoniam nomen minus est adhuc tritum sermone nostro saepiusque genus eius hominis erit in reliqua nobis oratione tractandum * * *

[*Desiderantur paginae duodecim.*]

p. 187.] XXX. 52. * * * *divi*sas requisivit civitatemque, optandam magis quam sperandam, quam minimam potuit, non quae posset esse, sed in qua ratio rerum civilium perspici posset, effecit. Ego autem, si [quo] modo consequi potuero, rationibus eisdem, quas ille vidit, non in umbra et imagine civitatis, sed in amplissima re publica enitar, ut cuiusque et boni publici et mali causam tamquam virgula p. 188.] videar attingere. | Iis enim regiis quadraginta annis et ducentis paulo cum interregnis fere amplius praeteritis expulsoque Tarquinio tantum odium populum Romanum regalis nominis tenuit, quantum tenuerat post obitum vel potius excessum Romuli desiderium. Itaque ut tum carere rege, sic pulso Tarquinio nomen regis audire non poterat. Hic facultatem cum * * *

[*Desiderantur paginae sedecim.*]

XXXI. 53. *Cicero de re publ. liber II.* Itaque illa praeclara constitutio Romuli cum ducentos annos et XL fere firma mansisset * * * (Nonius *de doct. indag.* p. 526.)

Hinc est quod regalem dominationem non ferentes annua imperia binosque imperatores sibi fecerunt, qui consules appellati sunt a consulendo, non reges aut domini a regnando atque dominando. (Augustinus de civit. dei V, 12.)

---

2. EUERTERET C (T above) — post *sit* in C vv. *hoc reg. ciu. euerterit* (sic hoc loco pr. man.) repetita, sed expuncta sunt — 5. QUAMUIRUMFACITET C (R, U above) — 6. POTESTI C, sed I punctata — 7. SERMONEM C — 11. [Plato regionem sedesque civium aequis apprime partibus divi]*sas requisivit* supplevit Mai — 12. SPERNENDAM C, corr. Mai — *potuit, non quae esse* Madvig; POTUITNONQUAEPOSSITES C (S, SS above), *posuit; non quae possit esse* O. «Pravum *civitatem posuit*; prava haec coniunctio *civitatemque -- posuit; non -- effecit* (vel potius non coniunctio); prave haec variantur *possit -- posset*. Cicero scripsit: *civitatemque, optandam magis quam sperandam, quam minimam potuit, non quae esse, sed in qua ratio rerum civilium perspici posset, effecit* (*und bildete einen Staat, mehr zu wünschen als zu hoffen, nach den kleinsten möglichen Dimensionen, nicht gemacht um wirklich existiren zu können* etc.). Deinde constans Ciceronis in similibus locis consuetudo postulat: *si modo consequi potuero.*» Madvig. — 15. ET in C sup. lin. add. — AMPLISSIMŨÃR.P. C del. ũ teste Du Rieu, unde conicias: *non in umbrā et imaginē ciuitatis, sed in amplissimam rem p.* — 16. ENIPAR C — 17. HIIS C, *his* O — 18. PRATERITISEXPOPULOQUE C — 21. CANE|REREGES C erasa s; cf. Du Rieu p. 47 — 24. *ita quia praeclara* cod. Bamberg. — 25. XL Mai: XX vel *viginti* (sic Bamb.) codd. et O — 27. sqq. Probabiliter hoc fragm. Ciceroni tribuit Mai in edit. II, ab O abest.

* * * | lex illa tota sublatast. Hac mente tum nostri maiores [p.35. et Conlatinum innocentem suspicione cognationis expulerunt et reliquos Tarquinios offensione nominis. Eademque mente P. Valerius et fasces primus demitti iussit, cum dicere in contione coepisset, et aedis suas detulit sub Veliam, postea quam, quod in excelsiore loco Veliae coepisset aedificare, eo ipso, ubi rex | Tullus habita- [p. 36. verat, suspicionem populi sensit moveri. Idemque, in quo fuit publicola maxime, legem ad populum tulit eam, quae centuriatis comitiis prima lata est, ne quis magistratus civem Romanum adversus provocationem necaret neve verberaret. **54.** Provocationem autem etiam a regibus fuisse declarant pontifici libri, significant nostri etiam augurales, | itemque ab omni iudicio poenaque provo- [p. 119. cari licere indicant .xii. tabulae conpluribus legibus, et, quod proditum memoriaest, .x. viros, qui leges scripserint, sine provocatione creatos, satis ostenderit reliquos sine provocatione magistratus non fuisse: Lucique Valeri Potiti et M. Horati Barbati, hominum concordiae causa sapienter popularium, consularis lex sanxit,| ne [p. 120. qui magistratus sine provocatione crearetur. Neque vero leges Porciae, quae tres sunt trium Porciorum, ut scitis, quicquam praeter sanctionem attulerunt novi. **55.** Itaque Publicola lege illa de provocatione perlata statim securis de fascibus demi iussit postridieque sibi collegam Sp. Lucretium subrogavit suosque ad eum, quod erat maior natu, lictores transire iussit: instituitque primus ut [p. 185. singulis consulibus alternis mensibus lictores praeirent, ne plura insignia essent inperi in libero populo quam in regno fuissent. Haud mediocris hic, ut equidem intellego, vir fuit, qui modica libertate populo data facilius tenuit auctoritatem principum. Neque ego haec nunc sine causa tam vetera vobis et tam obsoleta decanto,|sed [p. 186. inlustribus in personis temporibusque exempla hominum rerumque definio, ad quae reliqua oratio deregatur mea.

XXXII. **56.** Tenuit igitur hoc in statu senatus rem publicam temporibus illis, ut in populo libero pauca per populum, pleraque senatus auctoritate et instituto ac more gererentur, atque uti con-

---

2. COGNIS [NATIO] C — 4. IN in C sup. lin. — 5. EDES [A I] C — 6. UELIOAE C — 7. *Publicola* O — 11. DECLARA [NT] PONTIFICI LIBRIS C — 13. *et* Madvig: UT C O. «Apparet male exempli afferendi formam (*ut*) interici in media enumeratione plurium argumentorum.» Cf. etiam Madvigii Opusc. alt. p. 110 not. — 14. MEMORIAEST C: *memoria est* O; *memoriae* scribendum esse iam Niebuhrius vidit — SCRIBSERINT C — 15. OSTENDERINT C, sed Maio N expuncta videbatur — MA [GISTRATUS] C — 16. L. QUEUALERI C — 17. CONLULARISLEXANXIT [S] C — 18. MAG. SINE C — 21. *perlata* Moser: SUBLATAPERTA C — 26. HOCUTEQUIDEM [I GO] C, *hic ut ego quidem* O — 30. RELIQUAM C; an ex *reliqua iam*? — DEREGATUR C teste Du Rieu: *derigatur* Mai ut ex cod., *dirigatur* O — 31. SENATUS SENATUS C.

p. 5.] sules potestatem haberent tempore dum taxat annuam, | genere ipso ac iure regiam. Quodque erat ad [optinendam] potentiam nobilium vel maximum, vehementer id retinebatur, populi comitia ne essent rata, nisi ea patrum adprobavisset auctoritas. Atque his ipsis temporibus dictator etiam est institutus decem fere annis post primos consules, T. Larcius, novumque id genus imperii visum est
p. 6.] et proximum similitudini regiae. Sed | tamen omnia summa cum auctoritate a principibus cedente populo tenebantur, magnaeque res temporibus illis a fortissimis viris summo imperio praeditis dictatoribus atque consulibus belli gerebantur.

XXXIII. 57. Sed id, quod fieri natura rerum ipsa cogebat, ut plusculum sibi iuris populus adscisceret liberatus a regibus, non
p. 7.] longo intervallo, sexto decimo fere anno, Postumo Cominio Sp. Cassio consulibus secutum est: in quo defuit fortasse ratio, sed tamen vincit ipsa rerum publicarum natura saepe rationem. Id enim tenetote, quod initio dixi, nisi aequabilis haec in civitate compensatio sit et iuris et officii et muneris, ut et potestatis satis in magistratibus et auctoritatis in principum consilio et libertatis in populo
p. 8.] sit, non posse hunc incommu|tabilem rei publicae conservari statum. 58. Nam cum esset ex aere alieno commota civitas, plebs montem sacrum prius, deinde Aventinum occupavit. Ac ne Lycurgi quidem disciplina tenuit illos in hominibus Graecis frenos: nam etiam Spartae regnante Theopompo sunt item quinque, quos illi ephoros appellant, in Creta autem decem, qui cosmoe vocantur, ut contra
p. 191.] consulare imperium tribuni pl., sic illi contra vim | regiam constituti.

XXXIV. 59. Fuerat fortasse aliqua ratio maioribus nostris in illo aere alieno medendi, quae neque Solonem Atheniensem non longis temporibus ante fugerat neque post aliquanto nostrum senatum, cum sunt propter unius libidinem omnia nexa civium liberata, nectierque postea desitum: semperque huic generi, cum plebes publica
p. 192.] calamitate inpendiis de|bilitata deficeret, salutis omnium causa aliqua sublevatio et medicina quaesitast. Quo tum consilio praeter-

---

1. ANNIANNUAM C — 2. QUODQUE C del. E; Mai dubitat sitne lectio 2 m. *qui* an *quis* — *optinendam* in C add. m. 2., nos tamen verentes ne sit glossema vocab. inclusimus — 7. *similitudine regio* coni. Moser — *summa* om. C[1] — 8. MAGNAEQE C — 9. PRODITIS C — 10. *belli domique* Moser, *belli* ∘ ∘ O — 11. *quod* om. C[1] — COGEBATUR C — 14. S. P. C — COS C — *secutum* scripsi: SECUTUTUSEGUTUS C teste Du Rieu, *consecutus* O, *consecutum* Leopardi et Heinrich — 15. SEPA C — IDEMTENETO C — 17. *in*] ET del. ET C — 22. OMINIBUS C[1] — 23. SPARTE C — 24. COSME C — 25. *consulare* - - *regiam*] CON|SULAREM C, addidit 2. man. verba omissa SULARE IMPERIUM TR. P. SICILLI CONTRAUIM — 28. *medendo* coni. Moser; *in illo consilio aeri alieno medendi* Schuetz recte, ut videtur. — SOLE C — 29. SENATUM C — 31. *huic oneri* coni. Moser — PUBLICAS C.

misso causa populo natast, duobus tribunis plebis per seditionem creatis, ut potentia senatus atque auctoritas minueretur: quae tamen gravis et magna remanebat, sapientissimis et fortissimis et armis et consilio civitatem tuentibus, quorum aucto|ritas maxime flore- [p. 129. bat, quod, cum honore longe antecellerent ceteris, voluptatibus erant inferiores nec pecuniis ferme superiores, eoque erat cuiusque gratior in re publica virtus, quod in rebus privatis diligentissime singulos cives opera, consilio, re tuebantur.

XXXV. 60. Quo in statu rei publicae Sp. Cassium de occupando regno molientem, summa aput populum gratia florentem, quaestor | accusavit eumque, ut audistis, cum pater in ea culpa [p. 130. esse conperisse se dixisset, cedente populo morte mactavit. Gratamque etiam illam rem quarto circiter et quinquagesimo anno post primos consules de multa et sacramento Sp. Tarpeius et A. Aternius consules comitiis centuriatis tulerunt. Annis post ea .xx. ex eo quod L. Papirius P. Pinarius censo|res multis dicendis vim [p. 41. armentorum a privatis in publicum averterant, levis aestumatio pecudum in multa lege C. Iuli P. Papiri consulum constitutast.

XXXVI. 61. Set aliquot ante annis, cum summa esset auctoritas in senatu, populo patiente atque parente, inita ratiost, ut et consules et tribuni pl. magistratu se abdicarent atque ut .x. viri maxima potestate sine provocatione crearentur, qui et sum- [p. 42. mum imperium haberent et leges scriberent. Qui cum .x. tabulas summa [legum] aequitate prudentiaque conscripsissent, in annum posterum decem viros alios subrogaverunt, quorum non similiter fides nec iustitia laudata. Quo tamen e collegio laus est illa eximia C. Iuli, qui hominem nobilem L. Sestium, cuius in cu|biculo [p. 137. ecfossum esse se praesente mortuum diceret, cum ipse potestatem summam haberet, quod decem virum sine provocatione esset, vades tamen poposcit, quod se legem illam praeclaram neglecturum nega-

2. SENATUS C — 5. *antecellerent*] SCELERENT C (?) teste Du Rieu — 11. ACCUSABIT C — AUDISTS C — 12. MACTABIT C — 13. REM C: *legem* coni. Mai — PRIMOCOS. C — 14. *multa et* Madvig: MULTAE CO. «Nullum fuit *multae sacramentum* nec, quid hoc sit, ita dici potest, ut sua utrique verbo et rei vis constet. Duas res cognatas lex comprehendebat eratque *de multa et sacramento*. Erroris genus frequentissimum est.» — *Sp.*] P. C, add. S sup. lin. — 15. COS. C — *post*] POSTRESMULTISDICEDIST C — 17. LAEUIS C — 18. COS. C — 19. ALIQUOD C — AMNIS C[1] — 20. SAENATU C[2] — 21. CONSULESSETTR. C — *atque ut*] «ATQUI C, non, ut Maius legit, ATQ. UT» Du Rieu. In altera tamen Maii editione est *atque* in verborum contextu (sine *ut*), nulla adiecta adnotatione, ut error operarum esse videatur — 22. MAXMA C — 23. HABERERENTETLEGE C — *decem legum tabulas summa cum aequitate* vir quidam doctus apud Moserum; nobis potius *legum* inducendum videbatur. — 25. *fides est* probabiliter Steinacker — 27. *Sextium* O — CU|BILOECFOSSUMESSE C — 28. DECERET C — 29. DECEMUIRŪ C: *decemvir* editiones, *decemvirum unus* Steinacker, at v. exempla ab Ottone in edit. Osann. collecta. — 30. POSCIT C.

ret, quae de capite civis Romani nisi comitiis centuriatis statui vetaret.

XXXVII. 62. Tertius est annus .x. viralis consecutus, cum p. 138.] idem essent nec alios subrogare voluissent. | In hoc statu rei publicae, quem dixi iam saepe non posse esse diuturnum, quod non esset in omnis ordines civitatis aequabilis, erat penes principes tota res publica, praepositis decem viris nobilissimis, non oppositis tribunis pl., nullis aliis adiunctis magistratibus, non provocatione ad populum contra necem et verbera relicta. 63. Ergo horum ex p. 183.] iniustitia subito exorta est maxima pertur|batio et totius commutatio rei publicae: qui duabus tabulis iniquarum legum additis, quibus, etiam quae diiunctis populis tribui solent conubia, | haec illi ut ne plebi et patribus essent, inhumanissima lege sanxerunt, quae postea plebei scito Canuleio abrogatast, libidinose omni imperio et acerbe et avare populo praefuerunt. Nota scilicet illa res et cele- p. 184.] brata monumen|tis plurimis litterarum, cum Decimus quidam Verginius virginem filiam propter unius ex illis .x. viris intemperiem in foro sua manu interemisset ac maerens ad exercitum, qui tum erat in Algido, confugisset, milites bellum illud, quod erat in manibus, reliquisse et primum montem sacrum, sicut erat in simili causa ante factum, deinde Aventinum ar*matos insedisse* * * *

[*Desiderantur paginae octo.*]

Dixere maritum pro designavere. Cic. de re publ. sic: dictatore L. Quinctio dicto. (Philargyrius ad Vergil. *Georg.* III, 125.)

p. 193.] * * * *maio*|res nostros et probavisse maxime et retinuisse sapientissime iudico.

XXXVIII. 64. Cum ea Scipio dixisset silentioque omnium reliqua eius expectaretur oratio, tum Tubero: Quoniam nihil ex te, Africane, hi maiores natu requirunt, ex me audies, quid in oratione tua desiderem. Sane, inquit Scipio, et libenter quidem. Tum ille: Laudavisse mihi videris nostram rem publicam, cum ex te non de| p. 194.] nostra, sed de omni re publica quaesisset Laelius. Nec tamen didici ex oratione tua, istam ipsam rem publicam, quam lau-

---

1. *quae* C corr. ex Q. — 4. *iidem* O — ESSET C — 6. CIUITAS C — 7. REP. C — XXUIRIS C, corr. Mai — 8. *tribunis*] NT.R. C teste Du Rieu — PROUACATIONE C — 12. *quibus* Zachariae delendum censet. — 13. PLEBI ET PATRIBUS C, *plebi cum patr.* O — 14. PLEBEI C — CANULEIOBROGATAST C; *a Canuleio* coni. Osann, quod commentum bene refutavit Weissenborn coll. Liv. 38, 36, 9 *ex Valerio plebiscito censi sunt* et Gell. noct. att. 14, 8 *ante Atinium plebiscitum* — LIBIDINOSE C teste Du Rieu; *libidinoseque* edd.; *que* abiciendum esse iam Moserus cogitaverat. — 15. ACERBAE C — 16. *Decimus*] de praenomine v. Osannum ad h. l. — 17. *Virginius* O — 25. PROBABISSE C — 27. SPICIO C — 28. AFRICANAE C — 29. *quid in*] QUIN C — 30. LAUDABISSE C — 32. SEDOMNIREIP. C deleta posteriore I.

das, qua disciplina, quibus moribus aut legibus constituere vel conservare possimus.

XXXIX. 65. Hic Africanus: Puto nobis mox de instituendis et conservandis civitatibus aptiorem, Tubero, fore disserundi locum. De optimo autem statu equidem arbitrabar me satis respon|disse ad id, quod quaesierat Laelius. Primum enim numero [p. 143. definieram genera civitatum tria probabilia, perniciosa autem tribus illis totidem contraria, nullumque ex eis unum esse optimum, sed id praestare singulis, quod e tribus primis esset modice temperatum. 66. Quod | autem exemplo nostrae civitatis usus sum, non [p. 144. ad definiendum optimum statum valuit — nam id fieri potuit sine exemplo —, sed ut civitate maxima reapse cerneretur, quale esset id, quod ratio oratioque describeret. Sin autem sine ullius populi exemplo genus ipsum exquiris optimi status, naturae imagine utendum est nobis, quoniam tu hanc imaginem urbis et populi ni * * *

[*Multa desiderantur.*]

XL. 67. * * * s. *quem* | iam dudum quaero et ad quem [p. 19. cupio pervenire. L. Prudentem fortasse quaeris? Tum ille: Istum ipsum. L. Est tibi ex eis ipsis, qui adsunt, bella copia, vel ut a te ipso ordiare. Tum Scipio: Atque utinam ex omni senatu pro rata parte esset! Set tamen est ille prudens, qui, ut saepe in Africa vidimus, immani et vastae insidens beluae coercet et regit beluam, quocumque volt levi admonitu, non ac|tu inflectit illam feram. [p. 20. L. Novi et, tibi cum essem legatus, saepe vidi. S. Ergo ille Indus aut Poenus unam coercet beluam et eam docilem et humanis moribus adsuetam: at vero ea, quae latet in animis hominum quaeque pars animi mens vocatur, non unam aut facilem ad subigendum frenat et domat, si quando id efficit, quod perraro potest. Namque et illa tenenda est ferox * * *

[*Desiderantur minimum quattuor paginae.*]

XLI. 68. 1. *M. Tullius de re publ. lib. II:* quae sanguine alitur, quae in omni crudelitate sic exultat, ut vix hominum acerbis funeribus satietur. (Nonius v. *exultare* p. 300.)

---

4. *et* in C sup. lin. — DISSERUNTDI C, *disserendi* O — 12. *ut civitate*] Quod ait Mai praepositionem *a* superscriptam esse, negat Du Rieu ullum vestigium praepositionis apparere — REABSE C — QUALESSET C — 15. *ni*[mis circumscriptam esse iudicas --] supplevit A. Mai — 17. IANDUDUM C — ETAT C — 18. RUDENTEM C — TUIMILLE C — 19. EIS C, E erasa teste Du Rieu; *his* O — BELLA C, sed ex A facta I — *velut* malebat Mai aut *ut vel* — ATETIPSO C; fort. *a temet ipso* — 20. SAENATU C² — 21. ET C — 22. *coercet et regit beluam* del. Steinacker, *beluam* Osann; scripturam in hac pag. ad legendum difficillimam esse notavit Du Rieu p. 48. — 23. LT C — *leni* coni. Doederlein et Moser — 24. ETIBI C — 28. EFFECIT C — 29. *ferox* [et in nobis inclusa, tamquam fera, iracundia] supplevit Mai, cum his coniungens fragmentum ex Nonio quod sequitur.

2. *M. Tullius de re publ. lib. II:* cupido autem et expetenti et lubidinoso et volutabundo in voluptatibus * * (Nonius v. *volutabundus* p. 491.)

3. *M. Tullius de re publ. lib. II:* quartaque anxitudo prona ad luctum et maerens semperque ipsa se sollicitans. (Nonius v. *anxitudo* p. 72.)

4. *M. Tullius de re publ. lib. II:* esse autem angores † si miseria adflictas aut abiectas timiditate et ignavia. (Nonius v. *timor* p. 228.)

5. *Elidere deicere. M. Tullius de re publ. lib. II:* Ut auriga indoctus e curru trahitur, opteritur, laniatur, eliditur. (Nonius v. *elidere* p. 292.)

6. *Hercules, qui ob virtutem clarissimus et quasi Africanus inter deos habetur, nonne orbem terrae, quem peragrasse ac purgasse narratur, stupris, libidinibus, adulteriis inquinavit? Nec mirum, cum esset adulterio genitus Alcmenae ... Quid enim tam magnificum, si leonem aprumque superavit? si aves deiecit sagittis? si regium stabulum egessit? si viraginem vicit cingulumque detraxit? si equos feroces cum domino interemit? ... Non enim fortior putandus est qui leonem quam qui violentam in se ipso inclusam feram superat iracundiam, aut qui rapacissimas volucres deicit quam qui cupiditates avidissimas coercet, aut qui Amazonem bellatricem quam qui libidinem vincit, pudoris ac famae debellatricem, aut qui fimum de stabulo quam qui vitia de corde suo egerit, quae magis sunt perniciosa, quia domestica et propria mala sunt, quam illa, quae et vitari poterant et caveri. Ex quo fit ut ille solus vir fortis debeat iudicari, qui temperans et moderatus est et iustus.* (Lactantius *Inst. div.* I, 9.)

7. *Homo, qui habet imperium ac potestatem, late nocet per iram, sanguinem fundit, urbes subvertit, populos delet, provincias ad solitudinem redigit.* (Lactantius *de ira dei* c. 5.)

8. *Tres sunt adfectus, qui homines in omnia facinora praecipites agunt, ira, cupiditas, libido; propterea poetae tres furias esse dixerunt, quae mentes hominum exagitent. Ira ultionem desiderat, cupiditas opes, libido voluptates.* (Lactantius *instit. div.* VI, 19.)

9. *Concitationes animorum iuncto currui similes sunt, in quo recte moderando summum rectoris officium est, ut viam noverit: quam si tenebit, quamlibet concitate ierit, non offendat; si autem aberraverit, licet placide ac leniter eat, aut per confragosa vexabitur aut per praecipitia labetur aut certe quo non est opus deferetur.* (Lactantius *instit. div.* VI, 17.)

---

1. *expendet lusidinoso* cod. Bamberg. — 2. *uoluptatibus* Bamb.: *volutatibus* plerique libri reliqui. — 7. *angore et miseria* Lambinus; *angores, esse miserias, esse adflictas atque abiectas timiditates et ignavias* Otto apud Osannum — 8. *adfictas* codd. — *atque abiectas* aliquot libri. — 10. *opteritur* Bindandus et Ruhnkenius (v. Mnemos. II, 419): *operitur* codd. et O — 12. Quattuor locos Lactantii Mai addidit, ei verba Ciceronis ob oculos versata esse ratus; sed facile est intellectu, quam incerta sit haec tota opinio. Fragm. 6 et 7, quae Mai demum in edit. II. adiecit, non habet O — 29. Mai in ed. II. etiam hunc locum adiecit ex Lactantii Epit. 61: *Tres adfectus sunt vel, ut ita dicam, tres furiae sunt, quae in animis hominum tantas perturbationes cient et interdum cogunt ita delinquere, ut nec famae nec periculi sui respectum habere permittant: ira, quae vindictam cupit, avaritia, quae desiderat opes, libido, quae adpetit voluptates. His vitiis ante omnia resistendum est, ut virtutes inseri possint. Hos adfectus Stoici amputandos, Peripatetici temperandos putant.*

XLII. 69. * * * | dici possit. Tum Laelius: Video iam [p. 25. illum, quem expectabam, virum, cui praeficias officio et muneri. Huic scilicet, Africanus, uni paene: nam in hoc fere uno sunt cetera, ut numquam a se ipso instituendo contemplandoque discedat, ut ad imitationem sui vocet alios, ut sese splendore animi et vitae suae sicut speculum praebeat civibus. Ut enim in fidibus aut | tibiis [p. 26. atque ut in cantu ipso ac vocibus concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, quem inmutatum aut discrepantem aures eruditae ferre non possunt, isque concentus ex dissimillimarum vocum moderatione concors tamen efficitur et congruens, sic ex summis et infimis et mediis et interiectis ordinibus, ut sonis, moderata ratione civitas con|sensu dissimillimorum concinit: et quae harmonia a musicis dicitur in cantu, ea est in civitate concordia, artissimum atque optimum omni in re publica vinculum incolumitatis, eaque sine iustitia nullo pacto esse potest.

XLIII. *Ac deinde cum aliquanto latius et uberius disseruisset (Scipio), quantum prodesset iustitia civitati quantumque obesset, si abfuisset, suscepit deinde Philus, unus eorum, qui disputationi aderant, et poposcit ut haec ipsa quaestio diligentius tractaretur ac de iustitia plura dicerentur, propter illud, quod iam vulgo ferebatur, rem publicam geri sine iniuria non posse.* (Augustinus *de civit. dei* II, 21.)

XLIV. 70. * * * | plenam esse iustitiae. Tum Scipio: [p. 9. Adsentior vero renuntioque vobis nihil esse, quod adhuc de re publica dictum putemus aut quo possimus longius progredi, nisi erit confirmatum non modo falsum illud esse, sine iniuria non posse, set hoc verissimum esse, sine summa iustitia rem publicam geri nullo modo posse. Set, si placet, | in hunc diem hactenus. Reliqua — [p. 10. satis enim multa restant — differamus in crastinum. Cum ita placuisset, finis disputandi in eum diem factus est.

---

1. UIDEOUIDEO sic C teste Du Rieu; *Video, video* O — 4. DISCENDANT C, expuncta priore N, ut affirmat Du Rieu — 6. *Ut enim -- nullo pacto esse potest* servavit Augustinus de civit. dei II, 21. — *ac tibiis* codd. deteriores Aug. — 7. *atque cantu* August. — 8. INMUTANTEM C, sed U ex E facta; contra ait Mai in C esse *inmutantum* et posteriorem N expunctam. — 9. *isteque* cod. Corbeiensis Augustini pr. m. — 10. INFIM|ET MEDIIS C teste Du Rieu, cui IS ante *mediis* erasum videtur, ut a pr. m. male dissectum, conf. Du Rieu p. 49; *et mediis* habet Augustinus — 11. *et interiectis* C teste Maio (de qua scriptura tacet Du Rieu): *interiectis* O cum codd. August. — 12. *civitatem -- concinere* August. — CIUITASCON hic desinit C — 13. *eam esse -- concordiam* August. — 14. *in omni* O contra codd. — *eamque -- posse* August.; *quae -- potest* Heinrich — 18. *pilus* codd. — 20. *geri* hic codd. Augustini, sed infra v. 26 optimi *regi* — 23. ADSENSIOR C — *nihil esse -- posse* (v. 27) habet Augustinus, sic superiorem orationem (cap. 43) continuans: *Hanc proinde quaestionem discutiendam et enodandam esse adsensus est Scipio responditque nihil esse* etc. — *re publ.*] R. P. C — 24. *et quo* August. — 25. *illud* add. in C 2. m., *esse illud* Aug. — POSSETHOC C — *sine ini. -- veriss. esse*] haec in C repetita, sed punctis notata sunt. — 26. *regi non posse* codd. opt. August. — 29. *diem*] DIS|PUTANDI C teste Du Rieu — Post *est* sequitur in C haec subscriptio: M. TULLI CICER.| DE REP. LIBER II. | EXP. INC. LIB. III.

LIBER TERTIUS.

Argumentum Augustini. (*De civit. dei* II, 21.)

Cuius quaestionis explicatio cum in diem consequentem dilata esset, in tertio libro magna conflictione res acta est. Suscepit enim Philus ipse disputationem eorum, qui sentirent sine iniustitia geri non posse rem publicam, purgans praecipue, ne hoc ipse sentire crederetur: egitque sedulo pro iniustitia contra iustitiam, ut hanc esse utilem rei publicae, illam vero inutilem veri similibus rationibus et exemplis velut conaretur ostendere. Tum Laelius rogantibus omnibus iustitiam defendere adgressus est adseruitque quantum potuit, nihil tam inimicum quam iniustitiam civitati nec omnino nisi magna iustitia geri aut stare posse rem publicam. Qua quaestione quantum satis visum est pertractata Scipio ad intermissa revertitur recolitque suam atque commendat brevem rei publicae definitionem, qua dixerat eam esse rem populi, populum autem non omnem coetum multitudinis, sed coetum iuris consensu et utilitatis communione sociatum esse determinat. Docet deinde quanta sit in disputando definitionis utilitas, atque ex illis suis definitionibus colligit tunc esse rem publicam, id est rem populi, cum bene ac iuste geritur sive ab uno rege sive a paucis optimatibus sive ab universo populo. Cum vero iniustus est rex, quem tyrannum more Graeco appellavit, aut iniusti optimates, quorum consensum dixit esse factionem, aut iniustus ipse populus, cui nomen usitatum non reperit nisi ut etiam ipsum tyrannum vocaret, non iam vitiosam, sicut pridie fuerat disputatum, sed, sicut ratio ex illis definitionibus conexa docuisset, omnino nullam esse rem publicam, quoniam non esset res populi, cum tyrannus eam factiove capesseret, nec ipse populus iam populus esset, si esset iniustus, quoniam non esset multitudo iuris consensu et utilitatis communione sociata, sicut populus fuerat definitus.

---

* * *

I. 1. *In libro tertio de re publica Tullius hominem dicit non ut a matre, sed ut a noverca natura editum in vitam, corpore nudo, fragili et infirmo, animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines, in quo tamen inesset tamquam obrutus quidam divinus ignis ingenii et mentis.* (Augustinus *contra Iulianum Pelag.* IV, 12.)

2. *Homo cum fragilis imbecillisque nascatur, tamen et a mutis omnibus tutus est, et ea omnia, quae firmiora nascuntur, etiam si vim caeli fortiter*

---

2. *conflictione* cod. Corbeiensis et plerique reliqui: *conflictatione* Paris. 2050 et O — 3. *geri* Corb. et alii: *regi* O — 4. *purgans se* Paris. 2050 (sed *se* erasum) ed. Bened. O — 20. *pridem* Corb. — 26. *natura* Osanno glossa videtur. Huc Lactantii quoque locus *de opificio dei* c. 3 videtur pertinere: *Queruntur hominem nimis* (*magis?*) *imbecillum et fragilem nasci quam cetera animalia nascuntur; quae ut sunt edita ex utero, protinus in pedes suos erigi et gestire discursibus statimque aëri tolerando idonea esse, quod in lucem naturalibus indumentis munita processerint: hominem contra nudum et inermem tamquam ex naufragio in huius vitae miserias proici et expelli, qui neque movere se loco, ubi effusus est, possit nec alimentum lactis adpetere nec iniuriam temporis ferre. Itaque naturam non matrem esse humani generis, sed novercam quae cum mutis tam liberaliter gesserit* (*egerit?*), *hominem vero sic effuderit, ut inops et infirmus et omni auxilio indigens nihil aliud possit quam fragilitatis suae condicionem ploratu ac fletibus ominari, scilicet, «Cui tantum in vita restet transire malorum.»* (Lucret. V, 227.)

patiuntur, ab homine tamen tuta esse non possunt. Ita fit ut plus homini conferat ratio quam natura mutis, quoniam in illis nec magnitudo virium neque firmitas corporis efficere potest quo minus aut opprimantur a nobis aut nostrae subiecta sint potestati . . . Plato, ut hos credo ingratos refelleret, naturae gratias egit quod homo natus esset cet. (Lactant. *de opificio dei* c. 3.)

[*Desiderantur hic minimum quattuor paginae.*]

II. 3. * * * | et vehiculis tarditati; eademque cum accepisset [p. 3. homines inconditis vocibus incohatum quiddam et confusum sonantes, incidit has et distinxit in partis, et ut signa quaedam, sic verba rebus inpressit hominesque antea dissociatos iucundissimo inter se sermonis vinclo conligavit. A simili etiam mente vocis qui videbantur infiniti soni paucis notis inventis | sunt omnes signati et [p. 4. expressi, quibus et conloquia cum absentibus et indicia voluntatum et monumenta rerum praeteritarum tenerentur. Accessit eo numerus, res cum ad vitam necessaria, tum una inmutabilis et aeterna: quae prima inpulit etiam ut suspiceremus in caelum nec frustra siderum motus intueremur dinumerationibusque noctium ac die*rum* * * *

[*Desiderantur octo fere paginae.*]

III. 4. * * * | quorum animi altius se extulerunt et aliquid [p. 207. dignum dono, ut ante dixi, deorum aut efficere aut excogitare potuerunt. Quare sint nobis isti, qui de ratione vivendi disserunt, magni homines, ut sunt, sint eruditi, sint veritatis et virtutis magistri, dum modo sit haec quaedam sive a viris in rerum publicarum varietate versatis inventa, sive etiam in istorum otio ac litteris tractata res, sicut est, minime | quidem contemnenda, ratio civilis et dis- [p. 208. ciplina populorum, quae perficit in bonis ingeniis, id quod iam persaepe perfecit, ut incredibilis quaedam et divina virtus exsisteret. 5. Quod si quis ad ea instrumenta animi, quae natura quaeque civilibus institutis habuit, adiungendam sibi etiam doctrinam et uberiorem rerum cognitionem putavit, ut ii ipsi, qui in horum librorum disputatione versantur, nemo est quin eos | anteferre omnibus [p. 201. debeat. Quid enim potest esse praeclarius quam cum rerum magnarum tractatio atque usus cum illarum artium studiis et cognitione coniungitur? aut quid P. Scipione, quid C. Laelio, quid L. Philo perfectius cogitari potest? qui, ne quid praetermitterent, quod ad sum-

---

8. [ET] |UEHICULIS C; [quadrupedum vi mens seu ratio consuluit hominum debilitati] *et vehiculis tarditati* supplevit Mai — EADEMQUAE C — 9. *incohatum*] sic scripturam INCHOATUM in C m. 2 signis appositis emendatam videri ait Mai, Du Rieu tamen ea conspici negat. — 10. INCIDID [T] C — PARTISEUT [D] C — 11. INPRASSIT [E] C — 12. *vinculo* C[2] O — 14. UOLUMTATUM [N] C — 15. RERU [M] C — TERNERENTUR [.] C — 16. NEESSARIA TUM INMULTABILIS [C, UNA] C — *quae* C corr. ex Q. — 25. vide ne rectius verba sic distinguantur: *tractata — res, sicut est, minime quidem contemnenda — ratio civilis* etc. — 28. EXSISTETERET C — 33. *cum*] QUM C — 35. PILO C.

mam laudem clarorum virorum pertineret, ad domesticum maiorumque
p. 202.] morem etiam hanc a Socrate adventiciam doc|trinam adhibuerunt. 6. Quare qui utrumque voluit et potuit, id est, ut cum maiorum institutis tum doctrina se instrueret, ad laudem hunc omnia consecutum puto. Sin alterast utra via prudentiae deligenda, tamen, etiam si cui videbitur illa in optimis studiis et artibus quieta vitae ratio beatior, haec civilis laudabilior est certe et inlustrior: ex qua vita sic summi viri ornantur, ut vel M'. Curius,

Quem nemo ferro potuit superare nec auro,

vel * * *

[*Desiderari videntur sex paginae.*]

p. 23.] IV. 7. * * *|fuisse sapientiam, tamen hoc in ratione utriusque generis interfuit, quod illi verbis et artibus aluerunt naturae principia, hi autem institutis et legibus. Pluris vero haec tulit una civitas, si minus sapientis, quoniam id nomen illi tam restricte tenent, at certe summa laude dignos, quoniam sapientium praecepta et inventa coluerunt. Atque etiam, quod et sunt laudandae civitates et
p. 24.] fuerunt, quo|niam id est in rerum natura longe maximi consilii, constituere eam rem publicam, quae possit esse diuturna, si singulos numeremus in singulas, quanta iam reperiatur virorum excellentium multitudo! Quod si aut Italiae Latium aut eiusdem Sabinam aut Volscam gentem, si Samnium, si Etruriam, si magnam illam Graeciam conlustrare animo voluerimus, si deinde Assurios, si Persas, si Poenos, si haec * * *

[*Desiderantur duodecim paginae.*]

p. 21.] V. 8. * * * *advo*|cati. Et Philus: Praeclaram vero causam ad me defertis, cum me improbitatis patrocinium suscipere voltis. Adqui id tibi, inquit Laelius, verendum *non* est, si ea dixeris, quae contra iustitiam dici solent, ne sic etiam sentire videare, cum et ipse sis quasi unicum exemplum antiquae probitatis et fidei, neque sit ignota consuetudo tua contrarias in partis disserendi, quod ita facillume verum inveniri putes. Et Philus, Heia vero, inquit, geram
p. 22.] |morem vobis et me oblinam sciens; quod quoniam qui aurum quaerunt non putant sibi recusandum, nos, cum iustitiam quaeramus, rem multo omni auro cariorem, nullam profecto molestiam fugere debemus. Atque utinam, quem ad modum oratione sum usurus aliena,

---

1. *domesticum* Heinrich et Moser: DOMESTICORUM C — 2. *hanc* add. 2 m. in C — 3. QUAE C — *cum*] QUAM C — 5. *alterast utra* Madvig (ad Cic. de finn. 448): ALITERSIT UTRA C, *alterutra sit* O — 8. *M.'*] .M. C — 13. ARIDUS C — 15. RESTRICTAE C — 21. *quod* add. in C 2. m. — AUTEDEM C — 22. BOLSCAM C — 23. UETUERIMUS C — 26. [rogamus ut in causa iniustitiae fungaris munere advo]*cati* supplet Mai — PILUSPRAECLARUM C — 27 et 34. *cum*] QUAM C — 28. ADQUI C — *non* Leopardi, Lehner, Dobree: om. CO — 29. QUM C — 32. PILUS C — 33. *quod*] Q C.

sic mihi ore uti liceret alieno! Nunc ea dicenda sunt L. Furio Philo, quae Carneades, Graecus homo et consuetus quod commodum esset verbis * * *

[*Desiderari videntur quattuor paginae.*]

9. *M. Tullius de re publ. lib. II.*: [Neque hanc tamquam meam orationem vos volo accipere, sed] ut Carneadis respondentis, qui saepe optimas causas ingenii calumnia ludificari solet. (Nonius v. *calumnia* p. 263.)

VI. *Carneades, academicae sectae philosophus, cuius in disserendo quae vis fuerit, quae eloquentia, quod acumen, qui nescit, ipsum ex praedicatione Ciceronis intelleget aut Lucilii, apud quem disserens Neptunus de re difficillima ostendit non posse id explicari, nec si Carneadem ipsum Orcus remittat. Is cum legatus ab Atheniensibus Romam missus esset, disputavit de iustitia copiose audiente Galba et Catone censorio, maximis tunc oratoribus. Sed idem disputationem suam postridie contraria disputatione subvertit et iustitiam, quam pridie laudaverat, sustulit, non quidem philosophi gravitate, cuius firma et stabilis debet esse sententia, sed quasi oratorio exercitii genere in utramque partem disserendi. Quod ille facere solebat, ut alios quidlibet adserentes posset refutare. Eam disputationem, qua iustitia evertitur, apud Ciceronem L. Furius recordatur, credo, quoniam de re publica disserebat, ut defensionem laudationemque eius induceret, sine qua putabat regi non posse rem publicam. Carneades autem, ut Aristotelem refelleret ac Platonem, iustitiae patronos, prima illa disputatione collegit ea omnia, quae pro iustitia dicebantur, ut posset illa, sicut fecit, evertere.* (Lactantius *Inst. div.* V, 14.)

VII. 10. *Plurimi quidem philosophorum, sed maxime Plato et Aristoteles, de iustitia multa dixerunt, adserentes et extollentes eam summa laude virtutem, quod suum cuique tribuat, quod aequitatem in omnibus servet, et cum ceterae virtutes quasi tacitae sint et intus inclusae, solam esse iustitiam, quae nec sibi tantum conciliata sit nec occulta, sed foras tota promineat et ad bene faciendum prona sit, ut quam plurimis prosit: quasi vero in iudicibus solis atque in potestate aliqua constitutis iustitia esse debeat, et non in omnibus.* 11. *Atquin nullus est hominum ne infimorum quidem ac mendicorum, in quem iustitia cadere non possit. Sed quia ignorabant, quid esset, unde proflueret, quid operis haberet, summam illam virtutem, id est commune omnium bonum, paucis tribuerunt eamque nullas utilitates proprias aucupari, sed alienis tantum commodis studere dixerunt. Nec immerito extitit Carneades, homo summo ingenio et acumine, qui refelleret istorum orationem et iustitiam, quae fundamentum stabile non habebat, everteret, non quia vituperandam esse iustitiam sentiebat, sed ut illos defensores eius ostenderet nihil certi, nihil firmi de iustitia disputare.* (Lactantius *Epitom.* c. 55.)

---

1. PILO C — 5. *lib. II.*] sic codd. Nonii. — *Neque* - - *sed* Buecheler supplevit in mus. rhen. XIII, 595: [*Neque ego hercle ex mea animi sententia loquar, sed*] *ut Carneadi respondeatis* O cum Maio — 6. *Carneadis respondentis* 4 codd. Vaticani: *Carneadi respondeatis* codd. alii. — 9. *nescit ipsum* libri meliores: *nescit, is* O — 11. *Carneaden* Dobree — *orcus* O — 16. *cuius* codd. vett.: *cuius prudentia* codd. recentt., ut adfirmat Lenglet Dufresnoy in edit. Paris. 1748 — 19. *subvertitur* codd. dett. — 25. *Primuli* cod. Taurinensis — 32. *atquin* Taur.: *atqui* O — 34. *profueret* Heumann: *profluerent* Taur. — *communem* Taur.

M. Tullius de re publ. lib. II.: Iustitia foras spectat et proiecta tota est atque eminet. (Nonius v. *proiectum* p. 373.)

M. Tullius de re publ. lib. II.: quae virtus praeter ceteras tota se ad alienas porrigit utilitates atque explicat. (Nonius v. *explicare* p. 299.)

p. 205.] VIII. 12. * * * | et reperiret et tueretur, alter autem de ipsa iustitia quattuor implevit sane grandis libros. Nam ab Chrysippo nihil magnum nec magnificum desideravi, qui suo quodam more loquitur, ut omnia verborum momentis, non rerum ponderibus examinet. Illorum fuit heroum eam virtutem, quae est una, si modost, maxime munifica et liberalis et quae omnis magis quam sepse diligit, p. 206.] aliis nata potius | quam sibi, excitare iacentem et in illo divino solio non longe a sapientia conlocare. 13. Nec vero illis aut voluntas defuit — quae enim iis scribendi alia causa aut quod omnino consilium fuit? — aut ingenium, quo omnibus praestiterunt, sed eorum et voluntatem et copiam causa vicit. Ius enim, de quo quaerimus, civile est aliquod, naturale nullum: nam si esset, ut calida p. 17.] et frigida, ut amara et dulcia, sic essent iusta et iniusta eadem omnibus.

IX. 14. Nunc autem, si quis illo Paculano invehens alitum anguium curru multas et varias gentis et urbes despicere et oculis conlustrare possit, videat primum in illa incorrupta maxime gente Aegyptiorum, quae plurimorum saeculorum et eventorum memoriam litteris continet, bovem quendam putari deum, quem Apim [Aegyptii] nominant, multaque alia portenta apud eosdem et cuiusp. 18.] que generis | beluas numero consecratas deorum: deinde Graeciae, sicut aput nos, delubra magnifica humanis consecrata simulacris, quae Persae nefaria putaverunt: eamque unam ob causam Xerses inflammari Atheniensium fana iussisse dicitur, quod deos, quorum domus esset omnis hic mundus, inclusos parietibus contineri nefas esse duceret. 15. Post autem cum Persis et Philippus, qui cogitap. 27.] vit, et Alexander, qui gessit, hanc bellandi causam infe|rebat, quod vellet Graeciae fana poenire: quae ne reficienda quidem Graii putaverunt, ut esset posteris ante os documentum Persarum sceleris sempiternum. Quam multi, ut Tauri in Axino, ut rex Aegypti Busiris, ut Galli, ut Poeni, homines immolare et pium et diis immortalibus gratissumum esse duxerunt! Vitae vero instituta sic distant,

---

1. immo *lib. III.* — *expectat* codd. — 3. immo *lib. III.* — *totam* codd. — 4. *utilitatis* codd. — 7. MAGNIEICUM C — 10. SEPSE C; cf. Senec. epist. XVIII, 5 (=108), § 32. — 16. Q.RIMUS C — 17. *ut* Zell: ET CO — CAMARA C — 19. PACUIANO C, sed teste Maio C[1] PACULANO; *Pacuviano* O — 20. ANGULUM C — 24. *nominant* Haupt: NOMINENT CO; *Aegyptii* autem Osanno auctore inclusimus; Weissenborn tamen veretur ne totum enuntiatum relativum ex glossemate adiectum sit. — 27. PERSE C[1] — *Xerxes* O — 28. FAMA C — 32. BELLET C — 33. OS C: *oculos* O cum Mosero — 34. BIRIS C — 36. *iustitia sic distant* malebat Dobree Advers. II, 378.

ut Cretes et Aetoli latrocinari honestum putent, Lacedaemonii suos omnes agros esse dictitarint, | quos spiculo possent attingere. [p. 28. Athenienses iurare etiam publice solebant omnem suam esse terram, quae oleam frugesve ferret. Galli turpe esse ducunt frumentum manu quaerere, itaque armati alienos agros demetunt. **16.** Nos vero iustissimi homines, qui Transalpinas gentis oleam et vitem serere non sinimus, quo pluris sint nostra oliveta nostraeque vineae: quod cum faciamus, prudenter facere dicimur, iuste non dicimur, [p. 203. ut intellegatis discrepare ab aequitate sapientiam. Lycurgus autem, ille legum optumarum et aequissumi iuris inventor, agros locupletium plebi ut servitio colendos dedit.

X. **17.** Genera vero si velim iuris, institutorum, morum consuetudinumque describere, non modo in tot gentibus varia, sed in una urbe, vel in hac ipsa, milliens mutata demonstrem, ut hic iuris noster interpres alia nunc Manilius iura dicat esse de mu|lie- [p. 204. rum legatis et hereditatibus, alia solitus sit adulescens dicere, nondum Voconia lege lata: quae quidem ipsa lex utilitatis virorum gratia rogata in mulieres plenast iniuriae. Cur enim pecuniam non habeat mulier? cur virgini Vestali sit heres, non sit matri suae? Cur autem, si pecuniae modus statuendus fuit feminis, P. Crassi filia posset habere, si unica patri esset, aeris milliens salva lege, mea triciens non posset * * *

[*Desiderari videntur paginae duae.*]

XI. **18.** * * * | sanxisset iura nobis, et omnes isdem et [p. 13. idem non alias aliis uterentur. Quaero autem, si iusti hominis et si bonist viri parere legibus, quibus? an quaecumque erunt? At nec inconstantiam virtus recipit nec varietatem natura patitur, legesque poena, non iustitia nostra comprobantur. Nihil habet igitur naturale ius, ex quo illud efficitur, ne iustos quidem esse natura. An vero in legibus varietatem esse dicunt, natura autem viros bonos eam iustitiam | sequi, quae sit, non eam, quae putetur? esse enim [p. 14. hoc boni viri et iusti, tribuere id cuique, quod sit quoque dignum. **19.** Ecquid ergo primum mutis tribuemus beluis? non enim mediocres viri, sed maxumi et docti, Pythagoras et Empedocles, unam omnium animantium condicionem iuris esse denuntiant clamantque inexpiabilis poenas impendere iis, a quibus violatum sit animal. Scelus est igitur nocere bestiae, quod scelus qui velit * * *

[*Multa desiderantur.*]

---

1. LACAEDEMONIINOS C — 4. FLUGESVE C — 7. QUODQUM C — 8. *facimus* malebat Osann — 14. MILLIENS C — 24. [Si naturalis iustitia esset, uniformia] *sanxisset iura nobis* suppl. Mai, melius Creuzer: *Quod si natura sanxisset* etc. — IDEMETIDEM C — 26. *boni est* C² O — ERANT C, *erunt* m. 2 correctum esse non notavit Du Rieu — 29. *At vero* Heinrich — 32. CUIQUE C, sed ex c facta Q, teste Du Rieu; Mai autem habet *quoique* — 33. TRIBUEMUELBIS C — 34. PHYTAGORAS C.

XII. 20. [XIII. 22.] *Vel si iustitiam sequi volet dei, divini tamen iuris ignarus gentis suae leges tamquam verum ius amplectitur, quas non utique iustitia, sed utilitas repperit. Cur enim per omnes populos diversa et varia iura sunt condita, nisi quod una quaeque gens id sibi sanxit, quod putavit rebus suis utile? Quantum autem a iustitia recedat utilitas, populus ipse Romanus docet, qui per fetiales bella indicendo et legitime iniurias faciendo semperque aliena cupiendo atque rapiendo possessionem sibi totius orbis comparavit.* (Lactantius *Inst. div.* VI, 9.)

Ni fallor enim, omne regnum vel imperium bellis quaeritur et victoriis propagatur. Porro bella et victoriae captis et eversis plurimum urbibus constant. Id negotium sine deorum iniuria non est: eaedem strages moenium et templorum, pares caedes civium et sacerdotum nec dissimiles rapinae sacrarum divitiarum et profanarum. Tot igitur sacrilegia Romanorum quot tropaea, tot de dis quot de gentibus triumphi, tot manubiae quot manent adhuc simulacra captorum deorum etc. (Tertullianus *Apolog.* 25.)

21. [XV. 24.] *Carneades, quoniam erant infirma, quae a philosophis adserebantur, sumsit audaciam refellendi, quia refelli posse intellexit. Eius disputationis summa haec fuit: Iura sibi homines pro utilitate sanxisse, scilicet varia pro moribus et apud eosdem pro temporibus saepe mutata, ius autem naturale esse nullum: omnes et homines et alias animantes ad utilitates suas natura ducente ferri: proinde aut nullam esse iustitiam aut, si sit aliqua, summam esse stultitiam, quoniam sibi noceret alienis commodis consulens. Et inferebat haec argumenta: Omnibus populis, qui florerent imperio, et Romanis quoque ipsis, qui totius orbis potirentur, si iusti velint esse, hoc est, si aliena restituant, ad casas esse redeundum et in egestate ac miseriis iacendum.* (Lactantius *Inst. div.* V, 16)

Sublata hominum concordia virtus nulla est omnino. Quae sunt enim patriae commoda nisi alterius civitatis aut gentis incommoda? id est fines propagare aliis violenter ereptos, augere imperium, vectigalia facere meliora . . . Haec itaque, ut ipsi appellant, bona quisquis patriae adquisierit, hoc est, eversis civitatibus gentibusque deletis aerarium pecunia referserit, agros ceperit, cives suos locupletiores fecerit, hic laudibus fertur in caelum, in hoc putatur summa et perfecta esse virtus: qui error non modo populi et imperitorum, sed etiam philosophorum est, qui praecepta quoque dant ad iniustitiam, ne stultitiae ac malitiae disciplinae auctoritas desit. (Lactantius *Inst. div.* VI, 6.)

p. 57.] XIII. [XIV.] 23. * * * | Sunt enim omnes, qui in populum vitae necisque potestatem habent, tyranni, sed se Iovis optimi nomine malunt reges vocari. Cum autem certi propter divitias aut genus aut aliquas opes rem publicam tenent, est factio, sed vocantur illi

---

4. Haec et sequentia O eo ordine habet, qui numeris inclusis significatus est. — 6. *iniurias inferendo* lect. var. — 7. *capiendo* aliquot dett., item Monacensis — *totius orbis sibi* Monac. — 9. Hoc fragm. Mai in edit. alt. sibi addendum putavit, deest in O — 20. *naturale esse omnino sed homines* cod. Monac., unde scribendum videtur: *naturale esse nullum omnino, sed homines* etc., in seqq. tamen scriptura in eo codice valde turbata est — 25. *in necessitate* codd. aliquot dett., at v. Lact. Epit. c. 56. — 35. *disciplina et auctoritas* libri dett. — 38. IO$\overset{\text{v}}{\text{B}}$IS C — 39 (item p. 823, 2. 6.) QUM C — 40. *tenent* Moser: TENEANT C.

optimates. Si vero populus plurimum potest omniaque eius arbitrio reguntur, dicitur illa libertas, est vero licentia. Sed cum alius alium timet, et homo hominem et ordo ordinem, tum, quia sibi nemo confidit, quasi pactio fit | inter populum et potentis: ex quo existit [p. 58. id quod Scipio laudabat coniunctum civitatis genus. Etenim iustitiae non natura nec voluntas, sed inbecillitas mater est. Nam cum de tribus unum esset optandum, aut facere iniuriam nec accipere, aut et facere et accipere, aut neutrum, optimum est facere, impune si possis, secundum nec facere nec pati, miserrimum digladiari semper tum faciendis tum accipiendis iniuriis. Ita qui primum illud adsequi * * *

[*Aliquot paginae desunt.*]

XIV. 24. [XII. 20.] *M. Tullius de re publ. lib. III:* Nam cum quaereretur ex eo, quo scelere inpulsus mare haberet infestum uno myoparone, Eodem, inquit, quo tu orbem terrae. (Nonius v. *Infestum mare haberet* p. 125. v. *habere* p. 318. v. *myoparo* p. 534.)

XV. [XII. 21.] * * * | omni .... tote. Sapientia iubet aug*ere* [p. 47. opes, amplificare diuitias, proferre finis — unde enim esset illa la*us* in summo*rum* imperat*o*r*um* inci*sa* mo*ni*me*ntis*: FINIS IMPERII PROPAGAUIT, nisi aliquid de alieno accessisset? — imperare quam plurimis, frui voluptatibus, pollere, regnare, dominari. Iustitia autem praecipit parcere omnibus, consulere generi hominum, suum cuique reddere, *sa*cra, publica, alie*na* non tangere. | Quid igitur effi- [p. 48. citur, si sapientiae pareas? divitiae, potestates, opes, honores, imperia, regna vel privatis vel populis. Sed quoniam de re publica loquimur, sunt inlustriora quae publice fiunt, quoniamque eadem est ratio iuris in utroque, de populi sapientia dicendum puto. Et iam omittam alios: noster hic populus, quem Africanus hesterno sermone

---

5. IUSTITIAE C punctata A teste Du Rieu — 9. POSSES C — 10. *adsequi* [nequiverit, in secundo ei consistendum est, videlicet ut neque faciat iniuriam neque patiatur] suppl. Mai — 14. *conpulsus* codd. primo loco, *impulsum* altero — 17. *omnibus quaeritote* O secundum Mai supplementum; at *quaeritote* pro spatio vacuo longius est vocabulum. Detlefsen codice primum inspecto hoc sibi visus erat detexisse: OMNIB////S////|TOTE (*omnibus sumitote*?), sed eo iterum inspecto hoc potius sibi visus est legere: OMNIMO////¦TOTE cum vestigio litterae N post MO, ut scribendum esse videatur: *omni monetote* — Nonius s. v. *proferre* p. 374: *Sapientia iubet proferre opes, amplificare diuitias.* Cum in C sit vitium AMPLIFICARI, monendum est ex spatio vacuo apparere non AUGERI, sed AUGERE scriptum fuisse, itemque potius PROFERRE quam PROFERRI ex vestigiis litterarum evanidarum eliciendum esse scripsit Detlefsen. — 18. *unde enim esset illa laus* -- PROPAGAUIT Detlefsen: *unde enim* ...... *set* [*Alexander*] *summus* ... *imperator* .... *in* .... [*armis*] *fines imperii propagavit* edd. cum Maio. Cum ex litteris, quas Detlefsen prima lectione certas sibi dispexisse visus erat, conici posset in codice vocabula *illa laus* -- *summorum imperatorum* -- *incisa* fuisse, his vestigiis ingressus praeclara emendatione, litterarum vestigiis in codice confirmata, locum in integrum restituit. — 20. *accessisset* -- *non tangere*] Apographo quod dedit Detlefsen alterius columnae, firmantur lectiones a Maio erutae — *imperare quam plurimis, frui* distinxit Lehner: *imperare, quam plur. frui* O cum Maio — 23. *efficitur, si s. pareas? Divitiae* distinxit Heinrich: *efficitur? Si sap. pareas, divitiae* O — 27. ET C: *Ut* O cum Heinrichio.

a stirpe repetivit, cuius imperio iam orbis terrae tenetur, iustitia an sapientia est e minimo omnium *maximus factus*?

[*Desiderantur minimum quattuor paginae.*]

p. 1.] **25.** * * * | praeter Arcadas et Atheniensis, qui, credo, timentes hoc interdictum iustitiae ne quando existeret, commenti sunt se de terra tamquam hos ex arvis musculos extitisse.

XVI. 26. Ad haec illa dici solent primum ab iis, qui minime sunt in disserendo mali, qui in ea causa eo plus auctoritatis habent, quia, cum de viro bono quaeritur, quem apertum et simplicem volumus esse, non sunt in disputando vafri, non veteratores, non mali- p. 2.] tiosi. Negant enim sapientem id|circo virum bonum esse, quod eum sua sponte ac per se bonitas et iustitia delectet, sed quod vacua metu, cura, sollicitudine, periculo vita bonorum virorum sit, contra autem improbis semper aliqui scrupus in animis haereat, semper iis ante oculos iudicia et supplicia versentur. Nullum autem emolumentum esse, nullum iniustitia partum praemium tantum, semper ut timeas, semper ut adesse, semper ut impendere aliquam poenam putes, damna * * *

[*Desiderantur in cod. Vat. minimum quattuor paginae, quarum aliqua pars suppletur loco a Lactantio exscripto.*]

XVII. 27. (**Lactantius** *Inst. div.* V, 12.) *Est apud Ciceronem non abhorrens a vero locus in ea disputatione, quae habetur a Furio contra iustitiam.* Quaero, *inquit*, si duo sint, quorum alter optimus vir, aequissimus, summa iustitia, singulari fide, alter insigni scelere et audacia, et si in eo sit errore civitas, ut bonum illum virum sceleratum, facinorosum, nefarium putet, contra autem qui sit improbissimus, existimet esse summa probitate ac fide, proque hac opinione omnium civium bonus ille vir vexetur, rapiatur, manus ei denique adferantur, effodiantur p. 11.] oculi, damnetur, vinciatur, uratur, extermi|netur, egeat, postremo iure etiam optimo omnibus miserrimus esse videatur, contra autem ille improbus laudetur, colatur, ab omnibus diligatur, omnes ad eum honores, omnia imperia, omnes opes, omnes undique copiae conferantur, vir denique optimus omnium existimatione et dignissimus omni fortuna optima iudicetur: quis tandem erit tam demens qui dubitet, utrum se esse malit?

---

2. *maximus factus* supplevit Mai, om. O — 8. INEA (O supra) C deleta E, *in hac* O — 10. *non sunt -- malitiosi* Nonius p. 19 — *disputando* Nonius et C teste Du Rieu: *disserendo* nescio quo errore in codice esse Mai adnotavit, qua de re v. Du Rieu pag. 50. — *vafri* Nonius: UERI (AF supra) C — 16. PREMIUM C[1] — 24. *insignis scelere* libri multi Lactantii et O — 26. *eum existimet esse* Moser, *existimet eum* cod. Monac. saec. XIII — 28. *auferantur* (*auff.*) codd. Lactantii — 29. *extermi*|NETUR] hic rursus incipit C — 30. IURETIAMOPTIMO (B supra) OPTIMO (punctis notatum) C — 32. *omnes denique copiae* codd. Lactantii — 34. *optima* om. Lactantius — 35. *malit*] hic finit fragm. Lactantii.

XVIII. 28. Quod in singulis, idemst in populis: nulla est tam stulta civitas, | quae non iniuste imperare malit quam servire [p. 12. iuste. Nec vero longius abibo. Consul ego quaesivi, quom vos mihi essetis in consilio, de Numantino foedere. Quis ignorabat Q. Pompeium fecisse foedus, eadem in causa esse Mancinum? Alter, vir optimus, etiam suasit rogationem me ex senatus consulto ferente, alter acerrime se defendit. Si pudor quaeritur, si probitas, si fides, Mancinus haec attulit; si ratio, consilium, prudentia, Pompeius antistat. Utrum * * *

[*Aliquot desunt paginae.*]

XIX. 29. *Tum omissis communibus ad propria veniebat (Carneades). Bonus vir, inquit, si habeat servum fugitivum vel domum insalubrem ac pestilentem, quae vitia solus sciat, et ideo proscribat ut vendat, utrumne profitebitur fugitivum servum vel pestilentem domum se vendere an celabit emptorem? Si profitebitur, bonus quidem, quia non fallet, sed tamen stultus iudicabitur, quia vel parvo vendet vel omnino non vendet. Si celaverit, erit quidem sapiens, quia rei consulet, sed idem malus, quia fallet. Rursus, si reperiat aliquem, qui aurichalcum se putet vendere, cum sit illud aurum, aut plumbum, cum sit argentum, tacebitne, ut id parvo emat, an indicabit, ut magno? Stultum plane videtur malle magno. Unde intellegi volebat et eum, qui sit iustus ac bonus, stultum esse et eum, qui sapiens, malum: et tamen sine pernicie fieri posse ut sint homines paupertate contenti.* — XX. 30. *Transcendebat ergo ad maiora, in quibus nemo posset sine periculo vitae iustus esse. Dicebat enim: Nempe iustitia est hominem non occidere, alienum prorsus non attingere. Quid ergo iustus faciet, si forte naufragium fecerit et aliquis imbecillior viribus tabulam ceperit? nonne illum tabula deturbabit, ut ipse conscendat eaque nixus evadat, maxime cum sit nullus medio mari testis? Si sapiens est, faciet; ipsi enim pereundum est, nisi fecerit: si autem mori maluerit quam manus inferre alteri, iam vero iustus ille, sed stultus est, qui vitae suae non parcat, dum parcit alienae. Item, si acie suorum fusa hostes insequi coeperint et iustus ille nactus fuerit aliquem saucium equo insidentem, eine parcet, ut ipse occidatur, an deiciet ex equo, ut ipse possit hostem effugere? quod si fecerit, sapiens, sed idem malus, si non fecerit, iustus, sed idem stultus sit necesse est.* 31. *Ita ergo iustitiam cum in duas partes divisisset, alteram civilem esse dicens, alteram naturalem, utramque subvertit, quod illa civilis sapientia sit quidem, sed iustitia non sit, naturalis autem illa iustitia sit quidem, sed non sit sapientia. Arguta haec plane ac venenata sunt et quae M. Tullius non potuerit refellere. Nam cum faciat Laelium Furio respondentem pro iustitiaque dicentem, inrefutata haec tamquam foveam praetergressus est, ut videatur idem Laelius non naturalem, quae in crimen stultitiae venerat, sed illam civilem defendisse iustitiam, quam Furius sapientiam quidem esse concesserat, sed iniustam.* (Lactantius *Instit. div.* V, 16.)

---

1. *idemst* Moser: IDEST CO — 3. IUSTAE C — QUOM C — 6. EXS.C. C — 14. *ac pestilentem* lect. var. — 22. *potest* aliquot codd. et Buenemann — 26. *a tabula* alii — 27. *in medio mari* Otto — 29. *iam non sapiens ille* libri dett., item Monac., *iam iustus ille* alii — 38. *potuerit* codd. fere omnes (item Monac.): *potuit* O.

XXI. 32. *In libro quoque de re publica secundo id ipsum verbum (superesse) Cicero ponit non temere transeundum. Verba ex eo libro haec sunt:* Non gravarer, Laeli, nisi et hos velle putarem et ipse cuperem te quoque aliquam partem huius nostri sermonis attingere, praesertim cum heri ipse dixeris te nobis etiam superfuturum. Verum id quidem fieri non potest; ne desis omnes te rogamus. (Gellius *noct. Att.* I, 22, § 8.)

M. Tullius de re publ. lib. III: sed iuventuti nostrae minime audiendus: quippe si ita sensit, ut loquitur, est homo impurus; sin aliter, quod malo, oratio est tamen immanis. (Nonius v. *impurus* p. 324. v. *immane* p. 323.)

XXII. 33. *Suscipienda igitur dei lex est, quam M. Tullius in libro de re publ. tertio paene divina voce depinxit, cuius ego, ne plura dicerem, verba subieci:* Est quidem vera lex recta ratio, naturae congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quae vocet ad officium iubendo, vetando a fraude deterreat, quae tamen neque probos frustra iubet aut vetat nec improbos iubendo aut vetando movet. Huic legi nec obrogari fas est neque derogari ex hac aliquid licet neque tota abrogari potest, nec vero aut per senatum aut per populum solvi hac lege possumus, neque est quaerendus explanator aut interpres eius alius, nec erit alia lex Romae, alia Athenis, alia nunc, alia posthac, sed et omnes gentes et omni tempore una lex et sempiterna et immutabilis continebit unusque erit communis quasi magister et imperator omnium deus; ille legis huius inventor, disceptator, lator, cui qui non parebit, ipse se fugiet ac naturam hominis aspernatus hoc ipso luet maximas poenas, etiam si cetera supplicia quae putantur effugerit. (Lactantius *Inst. div.* VI, 8.)

XXIII. 34. *Scio in libro Ciceronis tertio, nisi fallor, de re publica disputari:* nullum bellum suscipi a civitate optima nisi aut pro fide aut pro salute. *Quid autem dicat pro salute vel intellegi quam salutem velit, alio loco demonstrans:* Sed his poenis, *inquit,* quas etiam stultissimi sentiunt, egestate, exilio, vinculis, verberibus, elabuntur saepe privati oblata mortis celeritate, civitatibus autem mors ipsa poena est, quae videtur a poena singulos vindicare. Debet enim constituta sic esse civitas, ut aeterna sit. Itaque nullus interitus est rei publicae naturalis ut hominis, in quo mors non modo necessaria est, verum etiam optanda persaepe. Civitas autem cum tollitur, deletur, exstinguitur, simile est quodam modo, ut parva magnis conferamus, ac si omnis hic mundus intereat et concidat. (Augustinus *de civit. dei* XXII, 6.)

35. *Quattuor autem sunt genera bellorum, id est iustum, iniustum, civile et plus quam civile. Iustum bellum est quod ex praedicto ingeritur de rebus repetitis aut propulsandorum hostium causa. Iniustum bellum est, quod de furore, non de legitima ratione initur, de quo in re publica Cicero dixit:* Illa iniusta bella sunt, quae sunt sine causa suscepta; nam extra ulci-

---

1. *secundo*] immo *III.*, ut recte vidit Mai — 33. *ita* cod. Frising. (nunc Monac. 6259) saec. X — 36. *parva magnis* edit. Parisina 1838 et 3 codd. a nobis inspecti: *magnis parva* O — 38. Descripsimus locum Isidori ex duobus vetustissimis codd. Monacensibus, Frisingensi et Benedictoburano, nullam rationem editionis ab Ottone curatae habentes, qui cum codicibus malae notae uteretur, scriptorem suum potius depravasse quam emendasse iudicandus est. — 41. *lege temeratione* Fris. pr. m. — 42. *nam extra -- potest*] haec quoque verba Tullii esse recte intellexit Vulcanius; ab editionibus Tullianis absunt.

scendi aut propulsandorum hostium causam bellum geri iustum nullum potest. *Et hoc idem Tullius parvis interiectis subdidit:* Nullum bellum iustum habetur nisi denuntiatum, nisi indictum, nisi repetitis rebus. (Isidorus *Origg.* XVIII, 1, § 2 sq.)

Genetivus pro ablativo. M. Tullius de re publ. lib. III: noster autem populus sociis defendendis terrarum iam omnium potitus est. (Nonius IX, p. 498.)

XXIV. 36. *Disputatur certe acerrime atque fortissime in eisdem ipsis de re publica libris adversus iniustitiam pro iustitia. Et quoniam, cum prius ageretur pro iniustitiae partibus contra iustitiam et diceretur nisi per iniustitiam rem publicam stare augerique non posse, hoc veluti validissimum positum erat, iniustum esse ut homines hominibus dominantibus serviant, quam tamen iniustitiam nisi sequatur imperiosa civitas, cuius est magna res publica, non eam posse provinciis imperare, responsum est a parte iustitiae ideo iustum esse, quod talibus hominibus sit utilis servitus, et pro utilitate eorum fieri, cum recte fit, id est, cum inprobis aufertur iniuriarum licentia, et domiti melius se habebunt, qui indomiti deterius se habuerunt, subditumque est, ut ista ratio firmaretur, veluti a natura sumtum nobile exemplum, atque dictum est:* Cur igitur deus homini, animus imperat corpori, ratio libidini ceterisque vitiosis animi partibus? (Augustinus *de civit. dei* XIX, 21.)

XXV. 37. *Audi manifestiora quae dicat in libro de re publica tertio, cum ageret de causa imperandi.* An non, *inquit*, cernimus optimo cuique dominatum ab ipsa natura cum summa utilitate infirmorum datum? Cur igitur deus homini, animus imperat corpori, ratio libidini iracundiaeque et ceteris vitiosis eiusdem animi partibus? *Adhuc audi; paullo post enim:* Sed et imperandi et serviendi, *inquit*, sunt dissimilitudines cognoscendae. Nam ut animus corpori dicitur imperare, dicitur etiam libidini, sed corpori ut rex civibus suis aut parens liberis, libidini autem ut servis dominus, quod eam coercet et frangit, sic regum, sic imperatorum, sic magistratuum, sic patrum, sic populorum imperia civibus sociisque praesunt, ut corporibus animus, domini autem servos ita fatigant, ut optima pars animi, id est sapientia, eiusdem animi vitiosas imbecillasque partes, ut libidines, ut iracundias, ut perturbationes ceteras. (Augustinus *contra Iulianum Pelag.* IV, 12.)

Nonne Cicero in libris de re publica, cum de imperiorum differentia disputaret et huius rei similitudinem ex natura hominis adsumeret, ut filiis, *dixit* imperari corporis membris propter oboediendi facilitatem, vitiosas vero animi partes ut servos asperiore imperio coerceri. (Augustinus *de civit. dei* XIV, 23.)

M. Tullius de re publ. lib. III: est enim genus iniustae servitutis, cum ii sunt alterius, qui sui possunt esse; cum autem ii famulantur * * (Nonius v. *famulantur* p. 109.)

---

1. *causam* Fris.: *causa* Benedict. — 2. *sub[di]dit* O — 3. *nisi repetitis* Benedict.: *nisi de repet.* Frising., in Bened. *de* man. recentiore sup. lin. est; *nisi [de] repet.* O — 11. *stare gerique* cod. August. (nunc Monac.) — 14. *a patrono* coni. Moser — 17. *melius se* 2 codd. Monac. (saec. X): *se melius* O — *qui* Leopardi: *quia* edd. — *deterius hab.* (om. *se*) iidem libri — 29. *frangit. Sic* O — 35. deest hoc fragm. in O — 37. *propter oboed. facilitatem* om. Mai et editores Ciceronis, qui post eum hoc fragm. receperunt — 37. *ut servos asperiores* edd. perperam et invitis codd. mss. — 41. *ii* nos: *hi* editt. (utrobique) — *famulantur [qui sibi moderari nequeunt, nulla iniuria est]* suppl. Mai.

XXVI. 38. *Si scieris, inquit Carneades, aspidem occulte latere uspiam et velle aliquem imprudentem super eam adsidere, cuius mors tibi emolumentum futura sit, improbe feceris, nisi monueris ne adsidat, sed impunite tamen; scisse enim te quis coarguere possit? Sed nimis multa. Perspicuum est enim, nisi aequitas, fides, iustitia proficiscantur a natura, et si omnia haec ad utilitatem referantur, virum bonum non posse reperiri, deque his rebus satis multa in nostris de re publica libris sunt dicta a Laelio.* (Cicero *de fin. bon. et mal.* II, 18, § 59.)

Et si, ut nos a te admonemur, recte in illis libris diximus nihil esse bonum nisi quod honestum, nihil malum nisi quod turpe sit . . . (Cicero *ad Att.* X, 4, 4.)

XXVII. 39. *Filiola tua te delectari laetor et probari tibi* [illegible] *esse τὴν πρὸς τὰ τέκνα. Etenim, si haec non est, nulla potest homini esse ad hominem naturae adiunctio, qua sublata vitae societas tollitur. «Bene eveniat» inquit Carneades: spurce, sed tamen pudentius quam Lucius noster et Patron; qui cum omnia ad se referant, numquam quicquam alterius causa fieri putent, et cum ea re bonum virum oportere esse dicant, ne malum habeat, non quo id natura rectum sit, non intellegant se de callido homine loqui, non de bono viro. Sed haec, opinor, sunt in iis libris, quos tu laudando animos mihi addidisti.* (Cicero *ad Att.* VII, 2, § 4.)

Cicero de re publica: in quibus adsentior sollicitam et periculosam iustitiam non esse sapientis. (Priscianus VIII, 6, § 32 p. 801 P.)

XXVIII. 40. *Apud Ciceronem idem ille iustitiae defensor Laelius, Vult, inquit,* plane virtus honorem, nec est virtutis ulla alia merces. *Est plane et quidem virtute dignissima, quam tu, Laeli, numquam poteras suspicari; nihil enim divinarum noveras litterarum.* Quam tamen illa, *inquit,* accipit facile, exigit non acerbe. *Erras vehementer, si putas, ab homine praemium solvi posse virtuti, cum ipse alio loco verissime dixeris:* Huic tu viro quas divitias obicies? quae imperia? quae regna? qui ista putat humana, sua bona divina iudicat. *Quis ergo te sapientem, Laeli, putet, cum ipse tibi loquare contraria et paulo post virtuti adimas quae dedisti? Sed videlicet ignorantia veri facit incertam labantemque sententiam. Deinde quid adiungis?* Sed si aut ingrati universi aut invidi multi aut inimici potentes suis virtutem praemiis spoliant, — *O quam fragilem, quam inanem virtutem induxisti, si spoliari praemio suo potest. Quae si bona sua divina iudicat, ut aiebas, qui possunt existere tam ingrati, tam invidi, tam potentes, qui virtutem spoliare valeant iis bonis, quae fuerint in eam collata divinitus!* — ne illa se, *inquit*, multis solaciis oblectat maximeque suo decore se ipsa sustentat. (Lactantius *Inst. div.* V, 18.)

Sed videlicet homines docti atque sapientes contra vim tantae auctoritatis . . acute sibi argumentari videntur adversus corporum resurrectionem et dicere

---

2. *emolumento* Madvig — 3. *factura sit* O — *assideat* O — *impune* O — 15. *prudentius* cod. et O — *Patro* O — 16. *numquam* Orelli in edit. II epist.: *nec* O — 18. *intelligunt* O — 29. *sua bona divina iudicat*] Lactantius ibid. cap. 22: *Iustus vero ac sapiens, quia illa omnia humana, ut est a Laelio dictum, sua bona divina iudicat nec alienum quicquam concupiscit, ne quem contra ius humanitatis laedat omnino, nec ullam potentiam honoremve desiderat, ne cui faciat iniuriam; scit enim cunctos ab eodem deo et eadem condicione generatos iure fraternitatis esse coniunctos* etc. — 39. Sequitur in O fragm., quod iam supra II § 68 dedimus: *Hercules qui - - inter deos habetur.*

quod in tertio de re publ. libro a Cicerone commemoratum est. Nam cum Herculem et Romulum ex hominibus deos esse factos adseveraret, Quorum non corpora, *inquit,* sunt in caelum elata; neque enim natura pateretur ut id, quod esset e terra, nisi in terra maneret. (Augustinus *de civit. dei* XXII, 4.)

M. Tullius de re publ. lib. III: Numquam viri fortissimi fortitudinis, inpigritatis, patientiae . . (Nonius v. *inpigritas* p. 125.)

M. Tullius de re publ. lib. III: Pyrrhi videlicet largitas † acos aut Samnitium copiae Curio defuerunt. (Nonius v. *largitas* p. 132.)

M. Tullius de re publ. lib. III: Cuius etiam focum Cato ille noster, cum venerat ad se in Sabinos, ut ex ipso audiebamus, visere solebat, apud quem ille sedens Samnitium, quondam hostium, tum iam clientium suorum, dona relegaverat. (Nonius v. *apud* p. 522.)

XXIX. 41. * * * | Asia Ti. Gracchus, perseveravit in [p. 249. civibus, sociorum nominisque Latini iura neclexit ac foedera. Quae si consuetudo ac licentia manare coeperit latius imperiumque nostrum ad vim a iure traduxerit, ut, qui adhuc voluntate nobis oboediunt, terrore teneantur, etsi nobis, qui id aetatis sumus, evigilatum fere est, tamen de posteris nostris et de illa immortalitate rei publicae sollicitor, quae poterat esse perpetua, si pa|tris viveretur insti- [p. 250. tutis et moribus.

XXX. 42. Quae cum dixisset Laelius, etsi omnes, qui aderant, significabant ab eo se esse admodum delectatos, tamen praeter ceteros Scipio quasi quodam gaudio elatus, Multas tu quidem, inquit, Laeli, saepe causas ita defendisti, ut ego non modo tecum Servium Galbam collegam nostrum, quem tu, quoad vixit, omnibus anteponebas, verum ne Atticorum quidem oratorum quemquam aut sua*vitate* * * *

[*Desiderantur paginae duodecim.*]

M. Tullius de re publ. lib. III: duas sibi res, quo minus in vulgus et in foro diceret, confidentiam et vocem defuisse * * (Nonius v. *confidentia* p. 262.)

De quo (tauro) Cicero dixit: inclusorum hominum gemitu mugiebat taurus. (Scholiastes Iuvenalis *ad sat.* VI, 480.)

XXXI. 43. * * * | reportare. Ergo illam rem populi, id [p. 251. est rem publicam, quis diceret tum, cum crudelitate unius oppressi essent universi, neque esset unum vinculum iuris nec consensus ac societas coetus, quod est populus? Atque hoc idem Syracusis. Urps illa praeclara, quam ait Timaeus Graecarum maxumam, omnium autem esse pulcherrimam, arx visenda, portus usque in sinus oppidi

---

7. *patientiae* [*fructu caruerunt*] supplevit Mai — 8. *videlicet* Lambinus: *uidet* codd.; *videtur* O cum Maio, qui sic supplevit: *Nisi forte stulte Pyrrhi videtur largitas* — *acos* codd.: *consulibus* Lambinus, *a consule* O cum Maio; *Fabricio* coni. Christ — 9. *copia* codd. — 16. NOSTRAM C — 20. *patriis* O — 22. Q.QUM C — 27. *aut sua*[vitate aut elegantia comparare soleam] supplevit Mai — 31. *dicere* codd. — 37. UNIUIUERSI C teste Du Rieu, sed Maio UNIUIERSI — 40. *oppidi* Leopardi et Schuetz: *oppidis* CO.

p. 252.] et ad urbis crepidines infusi, viae latae, porticus, | templa, muri nihilo magis efficiebant Dionysio tenente, ut esset illa res publica: nihil enim populi et unius erat populus ipse. Ergo ubi tyrannus est, ibi non vitiosam, ut heri dicebam, sed, ut nunc ratio cogit, dicendum est plane nullam esse rem publicam.

XXXII. 44. Praeclare quidem dicis, Laelius; etenim video iam quo pergat oratio. s. Vides igitur ne illam quidem, quae tota sit in factionis potestate, posse vere dici rem publicam. L. Sic plane p. 109.] iudico. s. Et | rectissime quidem iudicas: quae enim fuit tum Atheniensium res, cum post magnum illud Peloponnesiacum bellum triginta viri illi urbi iniustissime praefuerunt? num aut vetus gloria civitatis aut species praeclara oppidi aut theatrum, gymnasia, porticus aut propylaea nobilia aut arx aut admiranda opera Phidiae aut Piraeus ille magnificus rem publicam efficiebat? Minime vero, Lae- p. 110.] lius, quoniam quidem populi | res non erat. s. Quid? cum decemviri Romae sine provocatione fuerunt, tertio illo anno, cum vindicias amisisset ipsa libertas? L. Populi nulla res erat; immo vero id populus egit, ut rem suam recuperaret.

XXXIII. 45. s. Venio nunc ad tertium genus illud, in quo esse videbuntur fortasse angustiae. Cum per populum agi dicuntur et esse in populi potestate omnia, cum, de quocumque velit, supplicium p. 299.] sumit multitudo, cum | agunt, rapiunt, tenent, dissipant quae volunt, potesne tum, Laeli, negare rem *esse* illam publicam, cum populi sint omnia, quoniam quidem populi esse rem volumus rem publicam? Tum Laelius: Ac nullam quidem citius negaverim esse rem publicam, quam istam quae to|ta .... p. | pu .... | ni.. s .... | mo ..... obis non placu*it* Syracusis fuisse rem publicam neq*ue* Agrigenti neq*ue* Athenis, cum es*se*nt tyranni, nec hic, cum p. 300.] decemviri: ne*c* | video, qui magis in multitudinis dominatu rei publicae nomen appareat, quia primum mihi populus non est, ut tu optime definisti, Scipio, nisi qui consensu iuris contine*tur*, sed est tam tyrannus iste conventus, quam si esset unus, hoc etiam taetrior, quia nihil ista, quae populi speciem et nomen imitatur, immanius

---

3. ERAT POPULIUS C, sed I punctata — 10. 15. 20. QUM C — 12. AUTESPECIES C — 13. *arx* Mai: ARA C — 14. *Piraeeus* O — MINIMERO C — 19. *esse*] EASE C — 21. OMNIA ˜NIAQUM C, *omnia omnino* coni. Osann — 22. *agunt - - eorum iam*] paginas 299 et 300 codicis, quae difficillimae sunt lectu, nobis descripsit Detlefsen — 23 et 28. QUM C — 24. REMP.|TUM C — 26. REMPQUAMI|STAM QUAETO|TAO//////P//|PU////////////|NI/S/LS///////|MOI.//////OBIS|NONPLACV///|SYRACUSISFUIS|SE REMP. NEQ////| C teste Detlefsenio, fort. *quam istam quae tota mutabili populi libidini sit subiecta, modo ut nobis non placuit* etc. in quo supplemento *mutabili* est inventum Guil. Christii, qui recte animadvertit illam o post TA videri priorem partem litterae M, de cuius forma in palimpsesto v. specimen codicis apud Maium. O habet cum Maio: «rem publicam, *quam quae* tota *sit in multitudinis potestate, plane ut* nobis non placebat» — 27. PLACU/// C, ut legit Detlefsen; *placebat* O cum Maio — 28. TYRAN|NINEHIQUM| C, unde scribendum videtur: *tyranni, ne hic quidem cum* — 29. REIP.NOMĒ| C — 32. CONUENTUSQ|SI addita *a* (ā?) extra versum C —

beluast. Nec vero convenit, cum furiosorum bona legibus in adgnatorum potestate sint, quod eorum iam * * *

[*Desiderantur octo paginae.*]

XXXIV. 46. * * * | dici possint, cur illa sit res publica [p. 297. resque populi, quae sunt dicta de regno. Et multo etiam magis, inquit Mummius: nam in regem potius cadit domini similitudo, quod est unus, plures vero boni in qua re publica rerum potientur, nihil poterit esse illa beatius. Sed tamen vel regnum malo quam liberum populum; id enim tibi restat genus vitiosissumae rei publicae tertium.

XXXV. 47. Hic Scipio, Adgnosco, inquit, tuum morem istum, Spuri, aver|sum a ratione populi. Set quamquam potest id [p. 298. lenius ferri, quam tu soles ferre, tamen adsentior nullum esse de tribus his generibus, quod sit probandum minus. Illud tamen non adsentior tibi, praestare regi optimates: si enim sapientia est, quae gubernet rem publicam, quid tandem interest haec in unone sit an in pluribus? Sed errore quodam fallimur ita disputando: cum enim optumatis appellantur, nihil potest vi|deri praestabilius. Quid [p. 115. enim optumo melius cogitari potest? Cum autem regis est facta mentio, occurrit animis rex etiam iniustus: nos autem de iniusto rege nihil loquimur nunc, cum de ipsa regali re publica quaerimus. Quare cogitato Romulum aut Pompilium aut Tullium regem fore, iam non tam illius te rei publicae paenitebit. 48. M. Quam igitur relinquis populari rei publicae laudem? Tum ille: Quid tibi tandem, Spuri, Rhodiorum, apud quos nuper fui|mus una, nullane videtur [p. 116. esse res publica? M. Mihi vero videtur, et minime quidem vituperanda. S. Recte dicis, sed, si meministi, omnes erant idem tum de plebe tum senatores, vicissitudinesque habebant, quibus mensibus populari munere fungerentur, quibus senatorio: utrobique autem conventicium accipiebant, et in theatro et in curia res capitalis et reliquas omnis iudicabant idem, tantum poterat tantique erat quanti multitudo *senatus* * * *

[*Multa desiderantur.*]

---

1. *beluast*] UELBAST C — CON|UERNITQUM C — 4. *dici*] «Huius quoque paginae scriptura tota fere deleta est nec in lucem revocata.» Du Rieu — 7. PLUR////UERO C teste Detlefsenio — 10. *hic*] HUC C — 11. AMUERSUM C testibus Detlefsenio et Du Rieu, (*amauersum* Mai,) *tam aversum* Moser — POPULIFIET C (sic etiam teste Detlefsenio); *populari*. *Sed* O cum Mosero; certa loci emendatio nondum videtur inventa esse — 13. TA|MEN NON////|SENTIO AUT BI C teste Detlefsenio; ipse malim *tamen non adsentiar tibi* — 15. HAEC|IUNONESITAN|PLURIB. INSED C teste eodem — 16. ITA C: *in* Schuetz et Moser — 17. *optimates* O — 18 et 20. QUM C — 21. *aut Tullium* Heinrich (item Mai in Add.): AUTULLUM C, *aut Tullum* O — *fore, iam non* Madvig: FORTANNON C teste Maio, sed Du Rieu non legit *fortan*, sed PORTA, ex A facta E (cf. eius sched. p. 50); *fortan non* O — 28. SAENATORIO C² — ATROBIQUE C — 32. Folium, quo hoc fragmentum continetur, signum habet quaternionis quadragesimi primi, qua de re Ang. Mai adnotavit: «Ultima haec apparet in codice nota quaternionum; reliqua enim folia tantummodo librorum notam inscriptam habent. Iam vero hic cognoscere ad amussim licet quanta pars hactenus operis de rep. in mutilo codice vaticano desideretur. Quippe quaterniones

Libri III. de re publica reliquiae incertae sedis.

M. Tullius de re publica: Est igitur quiddam turbulentum in hominibus singulis, quod vel exultat voluptate vel molestia frangitur. (Nonius v. *exultare* p. 301.)

M. Tullius de re publ. lib. III: Sed ut ipsi † seu animum periclitentur sum vident quid se putent esse facturos. (Nonius v. *periculum* pag. 364.)

M. Tullius de re publ. lib. III: Poeni primi mercaturis et mercibus suis avaritiam et magnificentiam et inexplebiles cupiditates omnium rerum inportaverunt in Graeciam. (Nonius v. *merx* p. 431.)

Sardanapallus, rex Assyriorum luxuriosus, de quo Tullius in tertio de re publica sic ait: Sardanapallus ille vitiis multo quam nomine ipso deformior. (Scholiastes Iuvenalis *ad sat.* X, 362.)

XLI ducti in paginas XVI conficiunt paginas DCLVI; habemus autem hactenus paginas CCXCII; ergo desiderantur paginae CCCLXIV; ergo hactenus caret codex parte foliorum plus dimidia. Additis tamen fragmentis cognitis libri I et II et magnis partibus tertii, tenemus huc usque dimidiam materiae fere partem.»

5. *ipsi seu animum periclitantur, seu vident* O cum Maio; fort. *ipsi ne animum periclitentur suum, vident* — 8. *Poeni* Mercerus: *pione* codd., *Phoenices* O — *sed mercibus* codd. — 10. *inportaverunt* Mercerus: *ioportauerunt*, *iopotauerunt*, *inpotauerunt* codd.; *exportaverunt* O et editt. reliquae Cic. — 11 et 12. *Sardanapalus* O — 13. «In primis observo, locum hunc Ciceronis lectum fuisse etiam abs Hieronymo prolog. ad lib. II in Abacuc, ubi ait: *Sardanapalus insultet turpior vitiis quam nomine.* Tum haud scio an locus ponendus sit in Scipionis sermone cap. 34, ubi de tyranno sermo fuit. Denique Augustinus C. D. II, 20 corruptissimae epicureae reip. formam graphice copioseque describit, cuius picturae colores magnopere suspicor desumptos esse vel e Phili vel e Laelii oratione, id est ex hoc tertio de rep. libro; praesertim quia in sequente capite rem publ. Tullii memorat auctor. Sic ergo Augustinus: *Nullo modo curant pessimam ac flagitiosissimam non esse rem publicam. Tantum stet, inquiunt, tantum floreat copiis referta, victoriis gloriosa, vel, quod est felicius, pace secura sit. Et quid ad nos? immo id ad nos magis pertinet, si divitias quisque semper augeat, quae quotidianis effusionibus suppetant, per quas sibi etiam infirmiores subdat quisque potentior. Obsequantur divitibus pauperes caussa saturitatis, atque ut eorum patrociniis quieta inertia perfruantur; divites pauperibus ad clientelas et ad ministerium sui fastus abutantur. Populi plaudant, non consultoribus utilitatum suarum, sed largitoribus voluptatum. Non iubeantur dura, non prohibeantur impura. Reges non curent quam bonis, sed quam subditis regnent. Provinciae regibus non tamquam rectoribus morum, sed tamquam rerum dominatoribus et deliciarum suarum provisoribus serviant: eosque non sinceriter honorent, sed nequiter ac serviliter timeant. Quid alienae viti potius, quam quid suae vitae quisque noceat, legibus advertatur. Nullus ducatur ad iudices, nisi qui alienae rei, domui, saluti vel cuiquam invito fuerit importunus aut noxius: ceterum de suis vel cum suis vel cum quibusque volentibus faciat quisque quodlibet. Abundent publica scorta, vel propter omnes quibus frui placuerit, vel propter eos maxime, qui privata habere non possunt. Exstruantur amplissimae atque ornatissimae domus, opipara convivia frequententur, ubi cuique libuerit et potuerit, die noctuque ludatur, bibatur, vomatur, diffluatur. Saltationes undique concrepent, theatra inhonestae laetitiae vocibus atque omni genere sive crudelissimae sive turpissimae voluptatis exaestuent. Ille sit publicus inimicus, cui haec felicitas displicet: quisquis eam mutare vel auferre temptaverit, eum libera multitudo avertat ab auribus, evertat a sedibus, auferat a viventibus. — Quis hanc rem publicam sanus, non dicam romano imperio, sed domui Sardanapalli comparaverit? qui quondam rex ita fuit voluptatibus deditus, ut in sepulchro suo scribi fecerit, ea sola se habere mortuum, quae libido eius etiam cum viveret, hauriendo consumserat. Quem regem isti si haberent sibi in talibus indulgentem nec in eis cuiquam ulla severitate adversantem, huic libentius quam Romani veteres Romulo templum et flaminem consecrarent.»* Ang. Mai.

«*Athos Athonis*» *protulit Cicero in III. de re publica:* Quid ergo illa sibi vult absurda exceptio, nisi si quis Athonem pro monumento vult funditus † efficere? Quis enim est Athos aut Olympus tantus? (Priscianus VI, 13, § 70. p. 710 P.)

Enitar suo loco, ut ostendam secundum definitiones ipsius Ciceronis, quibus quid sit res publica et quid sit populus loquente Scipione breviter posuit, attestantibus etiam multis sive ipsius sive eorum, quos loqui fecit in eadem disputatione, sententiis, numquam illam fuisse rem publicam, quia numquam in ea fuit vera iustitia. Secundum probabiliores autem definitiones pro suo modo quaedam res publica fuit et melius ab antiquioribus Romanis quam a posterioribus administrata est. (Augustinus *de civit. dei* II, 21.)

50. *Nunc est locus ut quam potero breviter ac dilucide expediam, quod in secundo huius operis libro me demonstraturum esse promisi, secundum definitiones, quibus apud Ciceronem utitur Scipio in libris de re publica, numquam rem publicam fuisse Romanam. Breviter enim* rem publicam *definit* esse rem populi. *Quae definitio si vera est, numquam fuit Romana res publica, quia numquam fuit res populi, quam definitionem voluit esse rei publicae.* Populum *enim* esse *definivit* coetum multitudinis, iuris consensu et utilitatis communione sociatum. *Quid autem dicat iuris consensum disputando explicat, per hoc ostendens* geri sine iustitia non posse rem publicam. Ubi ergo iustitia vera non est, nec ius potest esse. Quod enim iure fit, profecto iuste fit: quod autem fit iniuste, nec iure fieri potest. Non enim iura dicenda sunt vel putanda iniqua hominum constituta: cum illud etiam ipsi ius esse dicant, quod de iustitiae fonte manaverit, falsumque esse, quod a quibusdam non recte sentientibus dici solet, id esse ius, quod ei, qui plus potest, utile est. Quocirca, ubi non est vera iustitia, iuris consensu sociatus coetus hominum non potest esse, et ideo nec populus *iuxta illam Scipionis vel Ciceronis definitionem*, et si non populus, nec res populi, sed qualiscumque multitudinis, quae populi nomine digna non est. Ac per hoc, si res publica res populi est et populus non est, qui consensu non sociatus est iuris, non est autem ius, ubi nulla iustitia est, procul dubio colligitur, ubi iustitia non est, non esse rem publicam. Iustitia porro ea virtus est, quae sua cuique distribuit. (Augustinus *de civit. dei* XIX, 21.)

LIBER QUARTUS.

I. 1. *Tentabo tamen, quoniam corporis et animi facta mentio est, utriusque rationem, quantum pusillitas intellegentiae meae pervidet, explicare. Quod officium hac de causa maxime suscipiendum puto, quod M. Tullius, vir ingenii singularis, in quarto de re publica libro, cum id facere tentasset, materiam late patentem angustis finibus terminavit, leviter summa quaeque decerpens. Ac ne ulla esset excusatio, cur eum locum non fuerit exsecutus, ipse testatus est* nec voluntatem sibi defuisse nec curam. *In libro enim de legibus primo, cum hoc idem summatim stringeret, sic ait:* Hunc locum

2. *nisi quis* O — 3. *efficere* sine † O, fort. *effodere* — 10. *modo* codd.: *more* O — *quodam* codd. — 42. *primo*] cap. 9.

satis, ut mihi videtur, in iis libris, quos legistis, expressit Scipio. (Lactantius *de opificio dei* c. 1.)

M. Tullius de re publ. lib. IIII: Atque ipsa mens ea, quae futura videt, praeterita meminit. (Nonius VIIII, p. 500.)

Praeclare itaque M. Tullius: Etenim si nemo est, *inquit*, quin emori malit quam converti in aliquam figuram bestiae, quamvis hominis mentem sit habiturus, quanto est miserius in hominis figura animo esse efferato? Mihi quidem tanto videtur, quanto praestabilior est animus corpore. (Lactantius *Inst. div.* V, 11.)

Denique elegerunt (Stoici) *in pecoribus potius quam in hominibus, quod tu facis, laudare libidines. Eorum quippe opinioni convenienter ait quodam loco Tullius* se non putare idem esse arietis et Publii Africani bonum. (Augustinus *contra Iulian. Pelag.* IV, c. 12.)

M. Tullius de re publ. lib. IIII: eademque obiectu suo umbram noctemque efficiat, cum ad numerum dierum aptam tum ad laborum quietem. (Nonius v. *aptam* p. 234.)

M. Tullius de re publica lib. quarto: cumque autumno terras ad concipiendas fruges patefecerit, hieme ad conficiendas relaxarit, † afistula maturitate alia mitigaverit, alia torruerit. (Nonius v. *mitis* p. 343.)

M. Tullius de re publ. lib. IIII: cum adhibent in pecuda pastores. (Nonius v. *pecuda* p. 159.)

p. 111.] II. 2. * * * | gratiam. Quam commode ordines descripti, aetates, classes, equitatus, in quo suffragia sunt etiam senatus, nimis multis iam stulte hanc utilitatem tolli cupientibus, qui novam largitionem quaerunt aliquo plebei scito reddendorum equorum.

III. 3. Considerate nunc cetera quam sint provisa sapienter ad illam civium beate et honeste vivendi societatem; ea est enim | p. 112.] prima causa coeundi et id hominibus effici ex re publica debet partim institutis, alia legibus. Principio disciplinam puerilem ingenuis, de qua Graeci multum frustra laborarunt et in qua una Polybius noster hospes nostrorum institutorum neglegentiam accusat, nullam certam aut destinatam legibus aut publice expositam aut unam omnium esse voluerunt. Nam * * *

[*Desiderantur minimum quattuor paginae.*]

Secundum Tullium, qui dicit ad militiam euntibus dari solitos esse custodes, a quibus primo anno regantur. (Servius *ad Verg. Aen.* V, 546.)

---

3. *mens ea quae* nos: *mensa quae* codd. plerique, *mensasque* cod. Bamberg., *mens quae* O — 14. *eademque obiectum uiuo atque umbram* codd. — 18. *afistula* codd. corrupte: *aestiva* O cum Patricio, fort. *aestate ad maturitatem.* — 23. *sex suffragia* Niebuhr, at v. Madvigii Opusc. I, 74 sq. — 24. *multis -- novam*] haec non vidit Du Rieu in C; nam eius paginae scripturam ita interiisse, ut vix vestigia revocata sint. — 25. *plebei scito* Osann: PLEBISCITO C O — 26. CONSIDERATE .... CETERA .... SINT] sic Du Rieu — 27. BEATAE C, A altera deleta — *societatem -- enim*] haec non vidit Du Rieu — 30. GA^R^ECI C — 31. ^IN^STITUTORUM C — 33. *omnibus* Leopardi.

M. Tul. de re publ. lib. IIII: non modo ut Spartae, rapere ubi pueri et clepere discunt. (Nonius v. *clepere* p. 20.)

De Cretensibus accepimus, quod in amores puerorum intemperantes fuerint, quod postea in Laconas et in totam Graeciam translatum est, adeo ut Cicero dicat in libris de re publica opprobrio fuisse adulescentibus, si amatores non haberent. (Servius *ad Verg. Aen.* X, 325.)

IV. 4. * * * | nudari puberem. Ita sunt alte repetita [p. 113. quasi fundamenta quaedam verecundiae. Iuventutis vero exercitatio quam absurda in gymnasiis! quam levis epheborum illa militia! quam contrectationes et amores soluti et liberi! Mitto aput Eleos et Thebanos, aput quos in amore ingenuorum libido etiam permissam habet et solutam licentiam. Lacedaemonii ipsi cum | omnia conce- [p. 114. dunt in amore iuvenum praeter stuprum, tenui sane muro dissaepiunt id, quod excipiunt; conplexus enim concubitusque permittunt palliis interiectis. Hic Laelius, Praeclare intellego, Scipio, te in is Graeciae disciplinis, quas reprendis, cum populis nobilissimis malle quam cum tuo Platone luctari, quem ne attingis quidem, praesertim cum * * *

V. 5. *Plato ... quia deum ignoravit, in multis ita lapsus est, ut nemo deterius erraverit, in primis quod in libris civilibus omnia omnibus voluit esse communia. De patrimoniis tolerabile est, licet sit iniustum; nec enim aut obesse cuiquam debet, si sua industria plus habet, aut prodesse, si sua culpa minus. Sed, ut dixi, potest aliquo modo ferri. Etiamne coniuges, etiamne liberi communes erunt? Non erit sanguinis ulla distinctio nec genus certum nec familiae nec cognationes nec adfinitates, sed sicut in gregibus pecudum confusa et indiscreta omnia; nulla erit in viris continentia, nulla in feminis pudicitia. Quis esse in utrisque amor coniugalis potest, in quibus non est certus aut proprius adfectus? Quis erit in patrem pius, ignorans unde sit natus? Quis filium diliget, quem putabit alienum? Quin etiam feminis curiam reseravit, militiam et magistratus et imperia permisit. Quanta erit infelicitas urbis illius, in qua virorum officia mulieres occupabunt!* (Lactantius *epit.* c. 38.)

M. Tullius de re publ. lib. IIII: Et noster Plato magis etiam quam Lycurgus, omnia qui prorsus iubet esse communia, ne quis civis

---

7. *nudari*] RI (superscr. NUDARI) C, *ri, nudari* edd. — 8. UERECUNDAE C[1] — 10. CONTRECTATIONIS (superscr. S) C — 12. LACAEDEMONII C — OMNI . . . . CED . . . . . AMOREIUUE . . . PRAETER . . . . TEN . . . . DI . . . . ID] haec tantum legit Du Rieu in C — 14. *quod -- interiectis*] horum nihil iam vidit Du Rieu. — *palliis interiectis* Mai in edit. II ex Ianuario Nepotiano: *pallas inter pecus* O, ut dederat Mai in ed. I. Nec tamen Detlefsenii testimonio confirmatur quod Mai ipsa vv. *palliis interiectis* in cod. postmodum se invenisse dicit; ille enim hoc legit: PALLXSINTER|PECUS — Quae sequuntur in hac § accurate descripsit Detlefsen — 15. INIS C: *in his* O — GRAECIE C[1] — 16. *reprehendis* O — MALI (superscr. LE) C — 17. PL|ATIONE C[1] — 19. Locum Lactantii, qui deest in O, Mai in edit. II. adiecit, quem sua ex libris de re publ. hausisse non est inprobabile, sed profecto longius est progressus Mai et qui eum secuti sunt, quod haec Lactantii verba cum fragmento Vaticano ita coniunxit, ut Ciceronem sic pergentem faceret: *praesertim cum [Plato in multis ita lapsus sit, ut nemo deterius erraverit* etc. — 30. *reseravit* Heumann: *reseruauit* cod. Taurin.

propriam aut suam rem ullam queat dicere. (Nonius v. *proprium* pag. 362.)

M. Tullius de re publ. lib. IIII: Ego vero eodem, quo ille Homerum redimitum coronis et delibutum unguentis emittit ex ea urbe, quam sibi ipse fingit. (Nonius v. *fingere* p. 308.)

VI. 6. *M. Tullius de re publ. lib. IIII:* Censoris iudicium nihil fere damnato nisi ruborem adfert. Itaque, † ut omnis ea iudicatio versatur tantum modo in nomine, animadversio illa ignominia dicta est. (Nonius v. *ignominia* p. 24.)

Idem de re publ. lib. IIII: Horum enim severitatem dicitur inhorruisse primum civitas. (Nonius v. *horrendum et horridum* p. 423.)

M. Tullius de re publ. lib. IIII: Nec vero mulieribus praefectus praeponatur, qui apud Graecos creari solet, sed sit censor, qui viros doceat moderari uxoribus. (Nonius cap. VIIII, p. 499.)

M. Tullius de re publ. lib. IIII: Ita magnam habet vim disciplina verecundiae: carent temeto omnes mulieres. (Nonius v. *temulenta* p. 5.)

M. Tullius de re publ. lib. IIII: Atque etiam si qua erat famosa, ei cognati osculum non ferebant. (Nonius v. *fama* p. 306.)

M. Tullius de re publ. lib. IIII: Itaque a petendo petulantia, a procando, id est poscendo, procacitas nominata est. (Nonius v. *petulantia* p. 23, v. *procacitas* p. 24.)

VII. 7. *M. Tullius de re publ. lib. IIII:* Nolo enim eundem populum imperatorem et portitorem esse terrarum. Optimum autem et in privatis familiis et in re publica vectigal duco esse parsimoniam. (Nonius v. *portitores* p. 24.)

Fidei proprietatem exemplo manifestavit M. Tullius de re publ. lib. IIII: Fides enim nomen ipsum mihi videtur habere, cum fit quod dicitur. (Nonius v. *fidei* p. 24.)

Cicero de re publ. lib. IIII: In cive excelso atque homine nobili blanditiam, assentationem, ambitionem † meam esse levitatis. (Nonius v. *blandimentum* p. 194.)

Intuere paululum ipsos de re publica libros, unde illum adfectum amantissimi civis ebibisti, quod nullus sit patriae consulendi modus aut finis bonis. Intuere, obsecro te, et cerne quantis ibi laudibus frugalitas et continentia praedicetur et erga coniugale vinculum fides castique, honesti ac probi mores. (Augustinus *epist.* XCI, 3. Tom. II, p. 224 ed. Bened.)

VIII. 8. *«Iurgium» et «lis» hanc habent distantiam: iurgium levior res est, si quidem inter benivolos aut propinquos dissensio vel concertatio iurgium dicitur, inter inimicos dissensio lis appellatur. M. Tullius de re publ. lib. IIII:* admiror, nec rerum solum sed verborum etiam elegantiam. Si

---

3. *eodem modo* (vel *iure*), *quo* coni. Moser — 6. *ferre* codd. — 7. *offerent* vel *offerrent* codd. — *ut*] *quod* Patricius, *quia* Schütz — 10. *horum in seueritatem dicitur inaruisse* codd. — 12. *reponatur* codd. — 15. *vim* H. Iunius: *uiam* codd. — 22. *lib. III.* Io. Saresberiensis Policrat. III, 12. — 26. Cic. de off. I, § 23: *audeamus imitari Stoicos, qui studiose exquirunt unde verba sint ducta, credamusque, quia fiat quod dictum est, appellatam fidem*, unde h. l. scribendum videtur: *nomen ipsum inde mihi v. habere, quia fit quod dicitur* — 29. *nobilis* codd. — 30. *assentationem* Ruhnkenius (v. Mnemosyne II, 419): *ostentationem* codd. et edd. — *meam* codd. corrupte: *nimiam* Sigonius, *notam* O cum Iunio.

iurgant, inquit. Benevolorum concertatio, non lis inimicorum iurgium dicitur. *Et in sequenti:* iurgare igitur lex putat inter se vicinos, non litigare. (Nonius v. *iurgium* p. 430.)

M. Tullius de re publ. lib. IIII: eosdem terminos hominum curae atque vitae; sic pontificio iure sanctitudo sepulturae . . . (Nonius v. *sanctitudo* p. 174.)

M. Tullius de re publ. lib. IIII: quod insepultos reliquissent eos, quos e mari propter vim tempestatis excipere non potuissent, innocentes necaverint. (Nonius v. *excipere* p. 293.)

M. Tullius de re publ. lib. IIII: Nec in hac dissensione suscepi populi causam, sed bonorum. (Nonius cap. XII, p. 519.)

Cicero in IIII de re publica: Non enim facile valenti populo resistitur, si aut nihil iuris impertias aut parum. (Priscianus XV, 4, § 20.)

M. Tullius de re publ. lib. IIII: cui quidem utinam vere fideliter † abundiente auguraverim. (Nonius v. *auguro* p. 469.)

IX. 9. *Frustra hoc exclamante Cicerone, qui cum de poetis ageret:* Ad quos cum accessit, *inquit*, clamor et adprobatio populi quasi magni cuiusdam et sapientis magistri, quas illi obducunt tenebras! quos invehunt metus! quas inflammant cupiditates! (Augustinus *de civit. dei* II, 14.)

Negat Cicero, si duplicetur sibi aetas, habiturum se tempus quo legat lyricos. (Seneca *ep.* 49, § 5.)

X. 10. *Itemque Romani, quamvis iam superstitione noxia premerentur, ut illos deos colerent, quos videbant sibi voluisse scaenicas turpitudines consecrari, suae tamen dignitatis memores ac pudoris actores talium fabularum nequaquam honoraverunt more Graecorum, sed sicut apud Ciceronem idem Scipio loquitur:* Cum artem ludicram scaenamque totam in probro ducerent, genus id hominum non modo honore civium reliquorum carere, sed etiam tribu moveri notatione censoria voluerunt. (Augustinus *de civit. dei* II, 13.)

11. *Quid autem hinc senserint Romani veteres, Cicero testatur in libris, quos de re publica scripsit, ubi Scipio disputans ait:* Numquam comoediae, nisi consuetudo vitae pateretur, probare sua theatris flagitia potuissent. Et Graeci quidem antiquiores vitiosae suae opinionis quandam convenientiam servaverunt, apud quos fuit etiam lege concessum, ut quod vellet comoedia de quo vellet nominatim diceret. *Itaque sicut in eisdem libris loquitur Africanus:* Quem illa non attigit vel potius quem non vexavit? cui pepercit? Esto: populares homines inprobos, in re publica seditiosos, Cleonem, Cleophontem, Hyperbolum laesit. Patiamur, *inquit*, etsi eius modi cives a censore melius est quam a poeta notari: sed Periclen, cum iam suae civitati maxima auctoritate plurimos annos domi et belli praefuisset, violari versibus et exagitari in scaena non plus decuit quam si Plautus, *inquit*, noster voluisset aut Naevius Publio et Gnaeo Scipioni aut Caecilius Marco Catoni male dicere. 12. *Deinde paulo post:*

---

8. fort. *necauerunt* — 13. *impertias iuris* O — 15. *abundiente* libri corrupte: *abunde ante* O cum Iunio — 19. *motus* Ioann. Sarisber. Policr. VII, 9 — 27. *in probro* codd.: *probro* O et ed. Bened. — 38. *populares homines, improbos in rem publicam, seditiosos* Heinrich — 41. *Periclen* cod. Monac. (Augustanus) et Bamberg.: *Periclem* O — 42. *et exagitari* scripsi: *et agi* Cobet, *et axigi* Osann; *et eos agi* edd. — 44. immo *Scipionibus*.

Nostrae, *inquit*, contra duodecim tabulae, cum perpaucas res capite sanxissent, in his hanc quoque sanciendam putaverunt, si quis occentavisset sive carmen condidisset, quod infamiam faceret flagitiumve alteri. Praeclare; iudiciis enim magistratuum, disceptationibus legitimis propositam vitam, non poetarum ingeniis habere debemus nec probrum audire nisi ea lege, ut respondere liceat et iudicio defendere. ***Haec ex Ciceronis quarto de re publica libro ad verbum excerpenda arbitratus sum, non nullis propter faciliorem intellectum vel praetermissis vel paululum commutatis, multum enim ad rem pertinent, quam molior explicare, si potero. Dicit deinde alia et sic concludit hunc locum, ut ostendat*** **veteribus displicuisse Romanis vel laudari quemquam in scaena vivum hominem vel vituperari.** **(Augustinus *de civit. dei* II, 9.)**

XI. 13. Comoediam esse *Cicero ait* imitationem vitae, speculum consuetudinis, imaginem veritatis. (Donatus *de com. et trag.* p. LVII. Terent. ed. Westerh.)

Ad hanc convenientiam pertinet, quod etiam scaenicos actores earundem fabularum non parvo civitatis honore dignos existimarunt, si quidem, quod in eo quoque de re publica libro commemoratur, **et Aeschines Atheniensis, vir eloquentissimus, cum adulescens tragoedias actitavisset, rem publicam capessivit, et Aristodemum, tragicum item actorem, maximis de rebus pacis et belli legatum ad Philippum Athenienses saepe miserunt.** **(Augustinus *de civit. dei* II, 11.)**

XII. 14. *Οὔτε γὰρ ἅπασα τέρψις μεμπτὸν οὔτε τῆς μουσικῆς αὕτη τέλος, ἀλλ' ἡ μὲν ψυχαγωγία κατὰ τὸ συμβεβηκός, σκοπὸς δὲ ὁ προκείμενος ἡ πρὸς ἀρετὴν ὠφέλεια· ὅπερ πολλούς τε ἄλλους ἔλαθε καὶ τὸν ἐν τοῖς Κικέρωνος τοῦ Ῥωμαίου πολιτικοῖς τὰ κατὰ μουσικῆς διαλεχθέντα· οὐ γὰρ ἔγωγ' ἂν φαίην ἐκείνῳ τὰ τοιαῦτα εἰρῆσθαι· πῶς γὰρ ἄν τις αὐτὸν ἰσχυρίσαιτο μουσικὴν λοιδορεῖν τε καὶ ὡς φαύλην εὐθύνειν τέχνην, ἁρμονιῶν τε καὶ ῥυθμῶν ἀρετάς τε καὶ κακίας διορίζουσαν, ἄνδρα, ὃς τὸ τηνικαῦτα ῥυθμοῖς μόνοις καὶ τούτοις ἀγενέσι καὶ φαύλοις ἐπιδεικνύμενον Ῥώσκιον τὸν ὀρχηστὴν οὕτω σφόδρα ἐξεπλήττετο, ὥστε φάσκειν αὐτὸν προνοίᾳ θεῶν εἰς ἀνθρώπους παρελθεῖν. Καὶ γὰρ εἴ τις αὐτὸν φάσκοι τὰ μὲν ἐν ᾗ συγγέγραφε πολιτείᾳ λέγειν ἑκουσίως, τὰ δὲ περὶ Ῥώσκιον προκειμένης ἕνεκεν ὑποθέσεως, ἀντιστρέφειν μὲν καὶ ἡμᾶς οὐδὲν κωλύσει τὸν αὐτὸν λόγον. Ἀλλ' ὅμως καὶ οὕτως λάθοι τις ἂν ἀποδοκιμάζων μᾶλλον, ὅσον εἰς τὴν παροῦσαν σκέψιν, ἢ συνιστὰς τὸν ῥήτορα· ἀναξιόπιστος γὰρ πρὸς ἀληθείας εὕρεσιν ἢ δικαίαν κρίσιν ὁ ταῖς κατ' αὐλὴν ἢ κατὰ τὴν αὑτοῦ προαίρεσιν, ἀλλὰ μὴ ταῖς κατ' οὐσίαν δουλεύων ὑποθέσεσιν. Οἶμαι δὲ ὡς οὐδ' ἂν αὐτὴν ἔψεγε ῥητορικὴν διὰ τοὺς δεκαζομένους τῶν ῥητόρων. Οὕτω δὴ καὶ εἴ τινες τῶν*

4. *magistratuum* codd. (mei quoque duo): *ac magistratuum* O — 18. *et* (ante *Aesch.*) male O uncinis circumdedit, alii prorsus deleverunt. — 23. Adhibuimus duos codd. Monacenses, cod. Graec. 215 (= A) et 104 (= B) — 24. *τὸ* om. B — 26. *μουσικὴν* A — *διαλεχθέντα* scripsi: *ῥηθέντα* codd., *ῥηθέντα διαλεγόμενον* O cum Niebuhrio. Videtur *διαλεχθέντα* ab homine sciolo, qui post *τὰ κατὰ μουσικῆς* participium generis passivi requireret, expulsum esse. — 29. *ἀρετάς τε καὶ κακίας* Meibomius: *ἀρεταῖς τε καὶ κακίαις* codd. — 30. *τὸ* AB: *γε* edd. — *ἀγενέσι* et p. 839, 1 *ἀγεννῆ* B — 31. *ῥωΐσκον* B — 32. *εἰς* AB: *ἐς* O — 34. *ἠπροκειμένης* A, *ἢ προκειμένης* B — 35. *οὕτως* AB: *οὕτω* O — 36. *ὅσον*] *ἴσον* AB — 38. *ὁ* A: *ἢ* B — *αὐτοῦ* AB — 40. *δεκαζομένους* Niebuhr: *δικαζομένους* codd. —

τεχνιτῶν διὰ τὸ τοῖς πολλοῖς ἀρέσκειν τὰ ἀγεννῆ μελῳδοῦσιν, οὐ τῆς τέχνης τὸ αἰτίαμα. Ἀλλὰ καὶ ἡ πατρὶς αὐτοῦ τοὺς μὲν ἐπὶ Νομᾶ καὶ τοὺς ὀλίγῳ μετ᾽ αὐτόν, ἔτι τυγχάνοντας ἀγριωτέρους, μουσικῇ παιδευομένους εἶχε, καθὰ καὶ αὐτός φησιν, ἰδίᾳ τε ἐν εὐωχίαις κοινῇ τε ἐν ἁπάσαις τελεταῖς σφίσι συνοργιαζούσῃ. (Aristides Quintilianus *de musica* lib. II. pag. 69—71 ed. Meibom.)

Maiores natu in conviviis ad tibias egregia superiorum opera carmine comprehensa pangebant, quo ad ea imitanda iuventutem alacriorem redderent. (Valerius Maximus II, 1, § 10.)

Fac derivata ab eo (sc. arma). *Armarium, armamentum, armamentarium*, armillae, *quae nunc brachialia vocant; sic Cicero in quarto de re publica.* (Priscianus *partitt. XII vers. Aen.* 1, § 14 p. 462 ed. Keil.)

LIBER QUINTUS.

I. 1. *Quando ergo res publica Romana talis erat, qualem illam describit Sallustius, non iam pessima ac flagitiosissima, sicut ipse ait, sed omnino nulla erat secundum istam rationem, quam disputatio de re publica inter magnos eius tum principes habita patefecit, sicut etiam ipse Tullius non Scipionis nec cuiusquam alterius, sed suo sermone loquens in principio quinti libri commemorato prius Ennii poetae versu, quo dixerat:*

Moribus antiquis res stat Romana virisque,

quem quidem ille versum, *inquit*, vel brevitate vel veritate tamquam ex oraculo mihi quodam esse effatus videtur. Nam neque viri, nisi ita morata civitas fuisset, neque mores, nisi hi viri praefuissent, aut fundare aut tam diu tenere potuissent tantam et tam fuse lateque imperantem rem publicam. Itaque ante nostram memoriam et mos ipse patrius praestantes viros adhibebat et veterem morem ac maiorum instituta retinebant excellentes viri. 2. Nostra vero aetas, cum rem publicam sicut picturam accepisset egregiam, sed iam evanescentem vetustate, non modo eam coloribus iisdem quibus fuerat renovare neglexit, sed ne id quidem curavit, ut formam saltem eius et extrema tamquam lineamenta servaret. Quid enim manet ex antiquis moribus, quibus ille dixit rem stare Romanam? quos ita oblivione obsoletos videmus, ut non modo non colantur, sed iam ignorentur. Nam de viris quid dicam? Mores enim ipsi interierunt virorum penuria, cuius tanti mali non modo reddenda ratio nobis, sed etiam tamquam reis capitis quodam modo dicenda causa est. Nostris enim vitiis, non casu aliquo, rem publicam verbo retinemus, re ipsa vero iam pridem amisimus. *Haec Cicero fatebatur longe quidem post mortem Africani, quem in suis libris fecit de re publica disputare.* (Augustinus *de civit. dei* II, 21. *conf.* II, 25.)

---

2. *αὐτοῦ* (sc. Ciceronis) Leopardi: *αὐτῶν* ABO — *ἐπὶ νομῆς* B — 4. *εὐωχεία καὶ κοινῇ ἐν* B — 7. Addidit hoc fragm. Mai in ed. II, deest in O — 24. *fuse* scripsi: *iuste* vel *iustae* codd., *longe* Patricius; *fuse lateque* Cicero item coniunxit in Tusc. IV, § 57 et in Orat. § 113. — 27. *nostra -- vetustate* servavit etiam Nonius p. 427. — 28. *iam* Nonius: om. codd. Augustini — 33. *sed iam* codd., etiam Corbeiensis et 2 mei: *sed etiam* O.

Ius civile per multa saecula inter sacra caerimoniasque deorum immortalium abditum solisque pontificibus notum Cn. Flavius, libertino patre genitus et scriba, cum ingenti nobilitatis indignatione factus aedilis curulis vulgavit ac fastos paene toto foro exposuit. (Valerius Maximus II, 5, § 2; *cf. Cic. ad Att.* VI, 1, §§ 8 et 18.)

p. 247.] **II. 3.** * * * *Nihil esse tam* | **regale quam explanationem aequitatis, in qua iuris erat interpretatio, quod ius privati petere solebant a regibus, ob easque causas agri arvi et arbusti et pascui lati atque uberes definiebantur, qui essent regi [qui] colerenturque sine regum opera et labore, ut eos nulla privati negotii cura a populorum rebus abduceret. Nec vero quisquam privatus erat disce-**
p. 248.] **ptator aut arbiter litis, sed omnia con|ficiebantur iudiciis regiis. Et mihi quidem videtur Numa noster maxime tenuisse hunc morem veterem Graeciae regum. Nam ceteri, etsi hoc quoque munere fungebantur, magnam tamen partem bella gesserunt et eorum iura coluerunt. Illa autem diuturna pax Numae mater huic urbi iuris et religionis fuit, qui legum etiam scriptor fuisset, quas scitis extare, quod quidem huius civis proprium, de quo agimus** * * *

III. 4. *M. Tullius de re publ. lib. V:* **sed tamen ut bono patri familias colendi, aedificandi, ratiocinandi quidam usus opus est.** (Nonius cap. VIIII, p. 497.)

p. 253.] **5.** * * * | *ra***dicum seminumque cognoscere num te offendet? M. Nihil, si modo opus extabit. S. Num id studium censes esse vilici? M. Minime: quippe cum agri cultura saepissime opera deficiat. S. Ergo, ut vilicus naturam agri novit, dispensator litteras scit, uterque autem se a scientiae delectatione ad efficiendi utilitatem refert, sic noster hic rector studuerit sane iuri et legibus cogno-**
p. 254.] **scendis, fontis quidem earum utique per|spexerit, sed se responsitando et lectitando et scriptitando ne impediat, ut quasi dispensare rem publicam et in ea quodam modo vilicare possit, summi iuris peritissimus, sine quo iustus esse nemo potest, civilis non inperitus, sed ita, ut astrorum gubernator, physicorum medicus; uterque enim illis ad artem suam utitur, sed se a suo munere non impedit. Illut autem videbit hic vir** * * *

p. 199.] **IV. 6.** * * * *civi*|**tatibus, in quibus expetunt laudem optumi et decus, ignominiam fugiunt ac dedecus. Nec vero tam metu poenaque terrentur, quae est constituta legibus, quam vere-**

---

1. Fragm. add. Mai in ed. II, deest in O — 7. INTERPRATATIO C — 8. EASQUI C — 9. REGI C, *regii* O — *quique colerentur* coni. Moser; nos Orellio auctore *qui* ut male repetitum notare maluimus. Cf. Buecheler Mus. Rhen. XIII p. 589. — 14. *veterum* Creuzer — 16. *autem*] AUT C — 17. *fuisset*] immo *fuit* — 23. CESES C — 24. *culturam* O cum Steinackero et Wolffio, aegre tamen silentio Du Rieu adducor ut ita in cod. ipso scriptum esse credam — 25. ....ATOR C teste Du Rieu — 27. REFERTUR C — IURE C — 31. INPERDITUS C.

cundia, quam natura homini dedit quasi quendam vituperationis non iniustae timorem. Hanc ille rector rerum publicarum auxit opinionibus perfecitque institutis et disciplinis, ut pudor civis non minus a delictis arceret quam metus. Atque haec | quidem ad lau- [p. 200. dem pertinent, quae dici latius uberiusque potuerunt.

V. 7. Ad vitam autem usumque vivendi ea descripta ratiost iustis nuptiis, legitimis liberis, sanctis penatium deorum Larumque familiarium sedibus, ut omnes et communibus commodis et suis uterentur, nec bene vivi sine bona re publica posset nec esset quicquam civitate bene constituta beatius. Quocirca permirum mihi videri solet, quae si tanta doc * * *

VI. 8. *Consumo igitur omne tempus considerans, quanta vis sit illius viri, quem nostris libris satis diligenter, ut tibi quidem videmur, expressimus. Tenesne igitur moderatorem illum rei publicae quo referre velimus omnia? Nam sic quinto, ut opinor, in libro loquitur Scipio:* Ut enim gubernatori cursus secundus, medico salus, imperatori victoria, sic huic moderatori rei publicae beata civium vita proposita est, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit; huius enim operis maximi inter homines atque optimi illum esse perfectorem volo. (Cic. *ad Att.* VIII, 11.)

Et ubi est, quod et vestrae litterae illum laudant patriae rectorem, qui populi utilitati magis consulat quam voluntati? (Augustinus *epist. ad Nectarium* CIV, c 2, § 7 p. 291 ed. Benedict.)

VII. 9. *Tullius hinc dissimulare non potuit in eisdem libris, quos de re publica scripsit, ubi loquitur de instituendo principe civitatis, quem dicit* alendum esse gloria, *et consequenter commemorat* maiores suos multa mira atque praeclara gloriae cupiditate fecisse. (Augustinus *de civit. dei* V, 13.)

Tullius in libris de re publica scripsit, scilicet principem civitatis gloria esse alendum et tam diu stare rem publicam, quam diu ab omnibus honor principi exhiberetur. (Petrus Pictaviensis *Epist. ad calumn.* Bibl. PP. Lugd. T. XXII, pag. 824.)

M. Tullius de re publ. lib. V: tum virtute, labore, industria tueretur summi viri indolem, nisi nimis animose ferox natura illum nescio quo — (Nonius v. *anima* p. 233.)

«*Contemptus*» *generis masculini,* «*contemptio*» *feminini M. Tullius de re publ. lib. V:* quae virtus fortitudo vocatur, in qua est magnitudo animi, mortis dolorisque magna contemptio. (Nonius pag. 201.)

VIII. 10. «*Lentum*» *significat tardum. M. Tullius de re publ. lib. V:* Marcellus ut acer et pugnax, Maximus ut consideratus et lentus. (Nonius pag. 337.)

---

1. QUEMDAM C teste Du Rieu, nisi vero in cod. est QUĒDAM, ut statim *hanc* scriptum est HĀC — 4. ADILICTIS C teste Du Rieu, ADFLICTIS t. Maio — 9. *esset quicquam* coni. Mai: ECCE QUICQUAM (ST supra) C teste Du Rieu, sed Mai litteras *esse* sup. lin. sibi visus est displicere; *esse quidquam* O — 33. *tueretur* Mercerus: *quaereretur* codd. et O, hic addito signo lacunae — 35. *quo*] *impelleret* suppl. Mercerus — 40. *ut lentus* codd., emend. Canterus.

«Orbi» pro orbe Ciceronem de re publica libro V: «orbi terrarum comprehensos» ... *Plinius eodem libro VI notat.* (Charisius I. p. 112 P, p. 139 ed. Keil.)

M. Tullius de re publ. lib. V: quod molestias senectutis suae vestris familiis impertire posset. (Nonius v. *impertire* p. 37.)

IX. 11. *Postea hoc etiam addidit (Seneca) insulsissime: «Aput ipsum quoque» inquit «Ciceronem invenies etiam in prosa oratione quaedam, ex quibus intellegas illum non perdidisse operam, quod Ennium legit». Ponit deinde quae apud Ciceronem reprehendat quasi Enniana, quod ita scripserit in libris de re publica:* Ut Menelao Laconi quaedam fuit suaviloquens iucunditas, *et quod alio in loco dixerit:* breviloquentiam in dicendo colat. (A. Gellius *noct. att.* XII, 2, § 6.)

Horum obstinatione libertatem temeritas, constantiam audacia praeceps, eloquentiam inanis quaedam imitatur fluentia loquendi, quarum artium scaevitate, ut Tullius adseverat, nefas est religionem decipi iudicantis. Ait enim: Cumque nihil tam incorruptum esse debeat in re publica quam suffragium, quam sententia, non intellego cur qui ea pecunia corruperit poena dignus sit, qui eloquentia laudem etiam ferat. Mihi quidem hoc plus mali facere videtur qui oratione quam qui pretio iudicem corrumpit, quod pecunia corrumpere prudentem nemo potest, dicendo potest. (Ammianus Marcellinus l. XXX, c. 4, § 10.)

M. Tullius de re publ. lib. V: Quae cum Scipio dixisset, admodum probans Mummius; erat enim odio † quorum rhetorum inbutus . . . (Nonius v. *inbuere* p. 521.)

Cicero de re publica libro V: tum in optimam segetem praeclara essent sparsa semina. (Commentator anonymus ad Verg. *Georg. I init. apud Bandini Catal. codd. lat. bibl. Laur.* II, 348.)

LIBER SEXTUS.

I. 1. *M. Tullius de re publ. lib. VI:* Totam igitur expectas prudentiam huius rectoris, quae ipsum nomen hoc nacta est ex providendo. (Nonius v. *prudentia.* pag. 42.)

In Politia sua dicit Tullius rei publicae rectorem summum virum et doctissimum esse debere, ita ut sapiens sit et iustus et temperans et eloquens, ut possit facile currente eloquentia animi secreta ad regendam plebem exprimere. Scire etiam debet ius, Graecas nosse litteras, quod Catonis facto probatur, qui in summa senectute Graecis litteris operam dans indicavit quantum utilitatis haberent. (Commentarius ms. in Cic. de invent. apud Osannum p. 349.)

M. Tullius de re publ. lib. VI: Quam ob rem se comparet hic civis ita necessest, ut sit contra haec, quae statum civitatis permovent, semper armatus. (Nonius v. *comparare* p. 256.)

---

4. *molestis -- familias* codd. — 23. *nummius* codd., item Bamberg. — *enim nimis* O — *quorum* codd. (etiam Bamb.): *quodam* O, *Graecorum* Lion, fort. *antiquorum* — 25. Deest fragm. in editt., indicavit Th. Mommsen. — *segitem praeclarae* cod. — 26. *semita* codd. — 30. fort. *ipsa* — 32. Videtur hic commentarius Grillii esse, cuius pars exstat in cod. Bamberg. — 40. *nec est* codd. — *commovent* Moser, *pervertunt* Lamb. et alii.

Seditionis proprietas a M. Tullio manifestata est in lib. de re publica VI: eaque dissensio civium, quod seorsum eunt alii ad alios, seditio dicitur. (Nonius p. 25 et Servius *ad Aen.* I, 149, sed hic non indicato libro.)

M. Tullius de re publ. lib. VI: Et vero in dissensione civili, cum boni plus quam multi valent, expendendos civis, non numerandos puto. (Nonius XII, p. 519.)

M. Tullius de re publ. lib. VI: Graves enim dominae cogitationum lubidines infinita quaedam cogunt atque imperant, quae quia nec expleri nec satiari ullo modo possunt, ad omne facinus inpellunt eos, quos inlecebris suis incenderunt. (Nonius v. *expleri* p. 424.)

«Ferocia» pro ferocitate. M. Tullius de re publ. lib. VI: qui compescit eius vim et ecfrenatam illam ferociam. (Nonius p. 492.)

II. 2. *Cicero in libro sexto de re publica ita scripsit:* Quod quidem eo fuit maius, quia, cum causa pari collegae essent, non modo invidia pari non erant, sed etiam Claudi invidiam Gracchi caritas deprecabatur. (Gellius l. VI, 16, § 11.)

M. Tullius de re publ. lib. VI: qui numeros optimatum et principum optudit his vocibus, et gravitatis suae liquit illum tristem et plenum dignitatis sonum. (Nonius v. *triste* p. 409.)

Genetivus pro nominativo. M. Tullius de re publ. lib. VI: ut, quem ad modum scribit ille, cotidiano in forum mille hominum cum palliis conchylio tinctis descenderent. (Nonius cap. VIIII, p. 501.)

M. Tullius de re publ. lib. VI: In his, ut meministis, concursu levissimae multitudinis et aere congesto funus de subito esset ornatum. (Nonius v. *de subito* p. 517.)

M. Tullius de re publ. lib. VI: firmiter enim maiores nostri stabilita matrimonia esse voluerunt. (Nonius v. *firmiter* p. 512. et Priscianus XV, 3, § 13.)

M. Tullius de re publ. lib. VI: Oratio Laeli, quam omnes habemus in manibus, quam simpula pontificum diis immortalibus grata sint Samiaeque, uti scribit, cupedines. (Nonius v. *Samium* p. 398.)

III. 3. *Imitatione Platonis Cicero de re publica scribens locum etiam de Eris Pamphyli reditu in vitam*, qui, *ut ait*, rogo impositus revixisset multaque de inferis secreta narrasset, *non fabulosa, ut ille, assimilatione*

---

5. *cibis* codd., *cives* O — 11. Adhuc hoc fragmentum legebatur inter ea libri V cap. 8, 10; sed parendum fuit auctoritati codd., quibus usi sunt Gerlach et Roth, quibus iam accedit Bambergensis — *compescit* Sigonius: *comperit* Bamb. et O, *contuperit* codd. Gerlachii — 14. *qui cum* codd. — *in causa pari* vett. edd. Gellii — *collega* codd. — *non modo* -- *deprecabatur* habet Nonius p. 290. — 17. *numeros* -- *optudit* scripsi: *numero* -- *optulit* codd. et O — 18. *linquit* codd. — 22. *concilio tinctis discenderent* codd. — 23. *lib. V.* cod. Bamberg. — 24. *congestu* codd. — 29. Totus locus Nonii sic se habet: *Samium est testeum. Lucilius satyrarum* lib. XIII: *«et non pauperitiae Samio curtoque catino.» M. Tullius de re publica lib. III: «et non pauper uti oratio» et in lib. VI: «Laeli, quam omnes habemus in manibus* etc.». Haec verba obscurissima si consideres, unum veri simile videtur verba *et non pauper uti* meram esse repetitionem superiorum Lucilii *et non pauperitiae*, qua dittographia in contextum sermonis illata locus Tullii ex lib. III de re publ. videtur intercidisse — *oratio Laeli* scripsi: *Oratio exstat Laelii* edd.; sermo potius sic continuandus videtur: *oratio Laeli* -- *quam grati sint* -- *ostendit* vel *comprobat* — 30. *simpula* Lambinus: *simpuia* codd., *simpuvia* edd. — 31. *uti* nos: *ut hi* codd., *ut ibi* edd. — *cappudines* codd., *capedines* edd.; conf. Cic. Parad. I, § 11. — 33. *Eris*] *Regis* ed. Schotti, qui haec primus publicavit.

commentus est, sed sollertis somnii rationabili quadam imaginatione composuit, videlicet scite significans haec, quae de animae immortalitate dicerentur caeloque, non somniantium philosophorum esse commenta nec fabulas incredibiles, quas Epicurei derident, sed prudentium coniecturas. *Insinuat Scipionem illum, qui Karthagine subiugata cognomen familiae peperit Africanum, huic Scipioni, Pauli filio, futuras a propinquis insidias et fatalis metae denuntiare curriculum, quod necessitate numerorum in vitae perfectae tempora coartetur, ponitque illum aetatis suae quinquagesimo ac sexto anno, duobus in se coeuntibus numeris absolutam caelo animam, unde acceperat, redditurum, quod et immortalis esset animi mentisque substantia et bene meritis de re publ. patriaeque custodibus lactei circuli lucida ac candens habitatio deberetur.* (Favonius Eulogius *Comm. ad somn. Scip.* pag. 438. Graev.)

IV. 4. *Non nulli nostri, propter quoddam praeclarissimum loquendi genus et propter non nulla, quae veraciter sensit, amantes Platonem dicunt eum aliquid simile nobis etiam de mortuorum resurrectione sensisse. Quod quidem sic tangit in libris de re publica Tullius,* ut eum lusisse potius quam quod [id] verum esset, adfirmet dicere voluisse. *Indicit enim hominem revixisse et narrasse quaedam, quae Platonicis disputationibus congruebant.* (Augustinus *de civit. dei* XXII, 28.)

V. 5. *In hoc tamen vel maxime operis similitudinem servavit imitatio, quod cum Plato in voluminis (de re publ.) conclusione a quodam vitae reddito, quam reliquisse videbatur, indicari faciat qui sit exutarum corporibus status animarum, adiecta quadam sphaerarum vel siderum non otiosa descriptione, rerum facies non dissimilia significans a Tulliano Scipione per quietem sibi ingesta narratur.* (Macrobius *in somn. Scip.* I, 1, § 2.)

VI. 6. *Hunc ordinem Tullius non minore iudicio reservans quam ingenio repertus est. Postquam in omni rei publicae otio ac negotio palmam iustitiae disputando dedit, sacras immortalium animarum sedes et caelestium arcana regionum in ipso consummati operis fastigio locavit, indicans quo his perveniendum vel potius revertendum sit, qui rem publicam cum prudentia, iustitia, fortitudine ac moderatione tractaverint. Sed ille Platonicus secretorum relator Er quidam nomine fuit, natione Pamphylus, miles officio, qui cum vulneribus in proelio acceptis vitam effudisse visus duodecimo demum die inter ceteros una peremptos ultimo esset honorandus igne, subito seu recepta anima seu retenta, quidquid emensis inter utramque vitam diebus egerat videratve, tamquam publicum professus indicium humano generi enuntiavit. Hanc fabulam Cicero licet ab indoctis quasi ipse veri conscius doleat irrisam, exemplum tamen stolidae reprehensionis vitans excitari narraturum quam reviviscere maluit.* VII. 7. *Ac prius quam somnii verba consulamus, enodandum nobis est, a quo genere hominum Tullius memorat vel irrisam Platonis fabulam vel ne sibi idem eveniat non vereri. Nec enim his verbis vult inperitum vulgus intellegi, sed genus hominum veri ignarum sub peritiae ostentatione, quippe quos et legisse talia et ad reprehendendum animatos con-*

---

3. *non* om. cod. — 18. *quod id* ed. Par. 1836 (nulla adscripta varietate), cod. Frising. (nunc Monac.) et Bamb.: *id* (om. *quod*) cod. Augustanus, *id quod* vulgo et O; nos *id* inclusimus — *esse* codd. mei — 24. *adiecta his* codd. aliquot — 32. *tractaverunt* O — 34. *die demum* O.

staret. Dicemus igitur et quos in tantum philosophum referat quandam censurae exercuisse levitatem quisve eorum etiam scriptam reliquerit accusationem ... Epicureorum tota factio, aequo semper errore a vero devia et illa existimans ridenda quae nesciat, sacrum volumen et augustissima irrisit naturae seria. Colotes vero inter Epicuri auditores loquacitate notabilior etiam in librum retulit quae de hoc amarius cavillatus est. Sed cetera, quae iniuria notavit, si quidem ad somnium, de quo hic procedit sermo, non attinent, hoc loco nobis omittenda sunt: illam calumniam persequemur, quae nisi supplodetur, manebit Ciceroni cum Platone communis. Ait a philosopho fabulam non oportuisse confingi, quoniam nullum figmenti genus veri professoribus conveniret. Cur enim, inquit, si rerum caelestium notionem, si habitum nos animarum docere voluisti, non simplici et absoluta hoc insinuatione curatum est, sed quaesita persona casusque excogitata novitas et composita advocati scaena figmenti ipsam quaerendi veri ianuam mendacio polluerunt? Haec quoniam, dum de Platonico Ere iactantur, etiam quietem Africani nostri somniantis incusant, resistamus urgenti et frustra arguens refellatur, ut una calumnia dissoluta utriusque factum incolumem, ut fas est, retineat dignitatem. (Macrobius I, 1, § 8 — II, § 5.)

VIII. 8. *Scipionem ipsum haec occasio ad narrandum somnium provocavit, quod longo tempore se testatus est silentio condidisse. Cum enim Laelius quereretur nullas Nasicae statuas in publico in interfecti tyranni remunerationem locatas, respondit Scipio post alia in haec verba:* Sed quamquam sapientibus conscientia ipsa factorum egregiorum amplissimum virtutis est praemium, tamen illa divina virtus non statuas plumbo inhaerentes nec triumphos arescentibus laureis, sed stabiliora quaedam et viridiora praemiorum genera desiderat. Quae tandem ista sunt, inquit Laelius? Tum Scipio, Patimini me, quoniam tertium diem iam feriati sumus, *et cetera, quibus ad narrationem somnii venit, docens illa esse stabiliora et viridiora praemiorum genera, quae ipse vidisset in caelo bonis rerum publicarum servata rectoribus.* (Macrobius I, 4, § 2 sq.)

SOMNIUM SCIPIONIS.

(Numerus posterior, binis semicirculis circumscriptus, notat caput separatae olim Somnii editionis.)

IX. (I.) 9. Cum in Africam venissem M'. Manilio consuli ad quartam legionem tribunus, ut scitis, militum, nihil mihi fuit potius quam ut Masinissam convenirem regem, familiae nostrae iustis de causis amicissimum. Ad quem ut veni, conplexus me senex conlacrimavit aliquantoque post suspexit ad caelum et, Grates, inquit, tibi ago, summe Sol, vobisque, reliqui caelites, quod ante quam ex hac vita migro conspicio in meo regno et his tectis P. Cornelium Scipionem, cuius ego nomine ipso recreor, itaque numquam ex animo meo discedit illius

---

5. *auditores famosior et loquacitate notabilior* O contra codd. — 6. *cavillatus est* codd. optimi: *reprehendit* O — 8. *supplodatur* O — 15. *dum* libri meliores: *quum* O — 27. *me, inquit, quoniam* O. — 31. INCIPIT SOMNIUM SCIPIONIS FR (sed R CIPIONIS), SOMNIUM SCIPIONIS M. TULLII CICERONIS EXCERPTŪ EX LIBRO .VI. DE RE PUBLICA. M — 34. *M.' Manilio* Sigonius: ANICIO MANLIO F, *a manlio* E M P R — *consule* C — 35. *tribus asscitus* E — *potius fuit* O — 38. *ad* C: *in* O — 39. *reliqui* M[2] P: *reliquis* E F M[1] R et plerique — 41. *ipse* E F M R — *itaque* C: *ita* O.

optimi atque invictissimi viri memoria. Deinde ego illum de suo regno, ille me de nostra re publica percontatus est, multisque verbis ultro citroque habitis ille nobis est consumptus dies.

X. 10. Post autem apparatu regio accepti sermonem in multam noctem produximus, cum senex nihil nisi de Africano loqueretur omniaque eius non facta solum, sed etiam dicta meminisset. Deinde, ut cubitum discessimus, me et de via et qui ad multam noctem vigilassem, artior quam solebat somnus complexus est. Hic mihi — credo equidem ex hoc, quod eramus locuti; fit enim fere ut cogitationes sermonesque nostri pariant aliquid in somno tale, quale de Homero scribit Ennius, de quo videlicet saepissime vigilans solebat cogitare et loqui — Africanus se ostendit ea forma, quae mihi ex imagine eius quam ex ipso erat notior; quem ubi agnovi, equidem cohorrui, sed ille: Ades, inquit, animo et omitte timorem, Scipio, et quae dicam trade memoriae.

XI. (II.) 11. Videsne illam urbem, quae parere populo Romano coacta per me renovat pristina bella nec potest quiescere? — ostendebat autem Karthaginem de excelso et pleno stellarum illustri et claro quodam loco — ad quam tu oppugnandam nunc venis paene miles. Hanc hoc biennio consul evertes eritque cognomen id tibi per te partum, quod habes adhuc a nobis hereditarium. Cum autem Karthaginem deleveris, triumphum egeris censorque fueris et obieris legatus Aegyptum, Syriam, Asiam, Graeciam, delegere iterum consul absens bellumque maximum conficies, Numantiam exscindes. Sed cum eris curru in Capitolium invectus, offendes rem publicam consiliis perturbatam nepotis mei.

XII. 12. Hic tu, Africane, ostendas oportebit patriae lumen animi, ingenii consiliique tui. Sed eius temporis ancipitem video quasi fatorum viam. Nam cum aetas tua septenos octiens solis anfractus reditusque converterit, duoque ii numeri, quorum uterque plenus alter altera de causa habetur, circuitu naturali summam tibi fatalem confecerint, in te unum atque in tuum nomen se tota convertet civitas: te senatus, te omnes boni, te socii, te Latini intuebuntur: tu eris unus, in quo nitatur civitatis salus, ac, ne multa, dictator rem publicam constituas oportet, si impias propinquorum manus effugeris. Hic cum exclamasset Laelius ingemuissentque vehementius ceteri, leniter arridens Scipio: St! quaeso, inquit, ne me e sommo excitetis, et parumper audite cetera.

---

1. *clarissimi* R, sed in marg. *inuictissimi* — 2. *est* om. P — 3. *consumptus est* FO — 4. *regio apparatu* O — 5. *perduximus* P — *africo* R[1] — 7. *de uia* codd.: *et fessum de via* aut *et defessum via* edd. vett. — *ad* om. E in fine versus — 8. *arcior* R — *hic ergo mihi* M — 10. *somnio* F, sed *i* punctata — *in somno aliquid* E — 11. *saepissime* om. M — 13. *ubi* C: *ut* O — 14. *memoriae trade* R — 15. *p. r.* EPR, *publicae rei* F — 16. *ostendebat* - - *loco* affert Macrobius in comm. I, 4, 5 — 17. *Kartaginem* M, *carthaginem* E, *cartaginem* FR — 19. *nomen* P — 20. *a nobis adhuc* F — *Kart.* M, *carth.* R, *cart.* EF — *delegere* EMP: *deligere* FRO; *dilegere* Lamb. — 22. *absens consul* O — 23. *exscindes* EF: *excindes* MPR, *excides* O — *fueris* R, sed linea subducta ead. m. corr. — 24. *cons. perturb. nep. mei* EFMP: *cons. nep. mei perturb.* R, *perturb. cons. nep. mei* O — 27. *ingeniique* M — *sicut* R, sed sup. lin. *quasi* — 28. *nam cum* - - *effugeris* Macrobius I, 5, 2 — *amfractus* FO — 29. *hi* CO, sed R *hii* — 31. *te sen.*] *et senatus* E — 33. *nec multa* R[1] — 34. *oportet constituas* R — *exclamauisset* MR[2], *exclauisset* R[1] — 35. *ceteri vehementius* O — *leuiter* EM — 36. *St! quaeso* Ian (coll. ep. ad

XIII. (III.) 13. Sed quo sis, Africane, alacrior ad tutandam rem publicam, sic habeto: omnibus, qui patriam conservaverint, adiuverint, auxerint, certum esse in caelo definitum locum, ubi beati aevo sempiterno fruantur; nihil est enim illi principi deo, qui omnem mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius quam concilia coetusque hominum iure sociati, quae civitates appellantur: harum rectores et conservatores hinc profecti huc revertuntur.

XIV. 14. Hic ego, etsi eram perterritus non tam mortis metu quam insidiarum a meis, quaesivi tamen viveretne ipse et Paulus pater et alii, quos nos exstinctos esse arbitraremur. Immo vero, inquit, ii vivunt, qui e corporum vinculis tamquam e carcere evolaverunt, vestra vero quae dicitur vita mors est. Quin tu aspicis ad te venientem Paulum patrem? Quem ut vidi, equidem vim lacrimarum profudi, ille autem me complexus atque osculans flere prohibebat.

XV. 15. Atque ego, ut primum fletu represso loqui posse coepi, Quaeso, inquam, pater sanctissime atque optime, quoniam haec est vita, ut Africanum audio dicere, quid moror in terris? quin huc ad vos venire propero? Non est ita, inquit ille. Nisi enim deus is, cuius hoc templum est omne, quod conspicis, istis te corporis custodiis liberaverit, huc tibi aditus patere non potest. Homines enim sunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, quem in hoc templo medium vides, quae terra dicitur, iisque animus datus est ex illis sempiternis ignibus, quae sidera et stellas vocatis, quae globosae et rotundae, divinis animatae mentibus, circulos suos orbesque conficiunt celeritate mirabili. Quare et tibi, Publi, et piis omnibus retinendus animus est in custodia corporis nec iniussu eius, a quo ille est vobis datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus [humanum] adsignatum a deo defugisse videamini. XVI. 16. Sed sic, Scipio, ut avus hic tuus, ut ego, qui te genui, iustitiam cole et pietatem, quae cum magna in parentibus et propinquis, tum in patria maxima est: ea vita via est in caelum et in hunc coetum eorum, qui iam vixerunt et corpore laxati illum incolunt

---

Fam. 16, 24): *et quaeso* C, *quaeso* O — *e* R sup. lin. m. 1 — *et parumper* Bouhier: *et parum rebus* C O, *et parumper eius* Ian, *et parcite verbis* coni. Ochsner.

1. *Sed quo -- fruantur* Macrob. I, 4, 4, item I, 8, 1 usque ad *revertuntur* (v. 7) — *tutandum* M(?) O — 2. *conservarint* O — 3. *difinitum* R, *diffinitum* F, *ac definitum* O etiam contra codd. Macr. — 4. *mundum* codd. Macr. et C: *hunc mundum* O — 5. *quicquid* F^1, sed sup. lin. m. 2 *quod quidem* — 6. *uocantur* P — *horum* R, *earum* codd. Macr. — 8. *Hic ego -- arbitraremur* Macr. I, 10, 1 — *ergo* R ante ras. et M — *metu mortis* O — 10. *esse* C et Macr.: om. O — *arbitramur* F^1 — *Immo -- mors est* Macr. I, 10, 6 — *ii* om. E, *hi* FMR, *ubi* P — 11. *ex corp.* O — *uinclis* M — *tanquam* E — 12. *dicitur esse uita* Macr. — *aspicias* codd. — 14. *amplexus* F — *atque* in R erasum — *prohibuit* R^1 — 15. *fletu*] hic incipit T, cuius primum folium periit — 16. *Quaeso -- videamini* (v. 27.) Macr. I, 13, 3 sq. — *uita est* F — 17. *ut ait affricanus* R, sed in marg. ead. m. *uel ut affricanum audio dicere* — *propero uenire* M — 18. *nisi enim deus* MP: *nisi deus enim* R (add. s. l. *cum* post *nisi*), *nisi enim cum deus* EFT et codd. Macr. — 20. *auditus* F ante rasuram — 21. *templo hoc* Macr. — *medio* F^1MPT — 22. *hisque* CO — *ab illis* R — 24. *circulos* C: *circos* Macr. et O — 25. *o publi* R, in E *o* sup. lin. — *animus est* EMP et Macr. codd. plerique: *est animus* FRTO — 26. *nec*] *ne* R — *est nobis* P, *uobis est* M — 27. *humanum* om. Macr., nos inclusimus — *defugisse*] *detestati fuisse* F — 28. *Sed -- vides* (p. 848 v. 1) Macr. I, 4, 4 — *hic* bis habet T — 29. *magna* EFMPR et Macr.: *magna sit* T, *sit magna* O — 30. *maxuma* R — *est. Et ea uita* EF — 31. *uixere* Macr. — *et* om. R^1 in versu extremo — *relaxati* P.

locum, quem vides — erat autem is splendidissimo candore inter flammas circus elucens —, quem vos, ut a Grais accepistis, orbem lacteum nuncupatis: ex quo omnia mihi contemplanti praeclara cetera et mirabilia videbantur. Erant autem eae stellae, quas numquam ex hoc loco vidimus, et eae magnitudines omnium, quas esse numquam suspicati sumus, ex quibus erat ea minima, quae ultima a caelo, citima terris, luce lucebat aliena. Stellarum autem globi terrae magnitudinem facile vincebant. Iam ipsa terra ita mihi parva visa est, ut me imperii nostri, quo quasi punctum eius attingimus, paeniteret.

XVII. (IV.) 17. Quam cum magis intuerer: Quaeso, inquit Africanus, quousque humi defixa tua mens erit? Nonne aspicis quae in templa veneris? Novem tibi orbibus vel potius globis conexa sunt omnia, quorum unus est caelestis, extimus, qui reliquos omnes complectitur, summus ipse deus, arcens et continens ceteros, in quo sunt infixi illi, qui volvuntur, stellarum cursus sempiterni: cui subiecti sunt septem, qui versantur retro contrario motu atque caelum. Ex quibus unum globum possidet illa, quam in terris Saturniam nominant. Deinde est hominum generi prosperus et salutaris ille fulgor, qui dicitur Iovis: tum rutilus horribilisque terris, quem Martium dicitis: deinde subter mediam fere regionem Sol optinet, dux et princeps et moderator luminum reliquorum, mens mundi et temperatio, tanta magnitudine, ut cuncta sua luce lustret et compleat. Hunc ut comites consequuntur Veneris alter, alter Mercurii cursus, in infimoque orbe Luna radiis solis accensa convertitur. Infra autem iam nihil est nisi mortale et caducum praeter animos munere deorum hominum generi datos, supra Lunam sunt aeterna omnia: nam ea, quae est media et nona, Tellus, neque movetur et infima est et in eam feruntur omnia nutu suo pondera.

XVIII. (V.) 18. Quae cum intuerer stupens, ut me recepi: Quid hic? inquam, quis est qui complet aures meas tantus et tam dulcis sonus? Hic est, inquit, ille, qui intervallis disiunctus inparibus, sed tamen pro rata parte ratione distinctis inpulsu et motu ipsorum orbium efficitur et acuta cum gravibus temperans varios aequabiliter concentus

---

1. *erat -- videbantur* Macr. I, 4, 5 — 2. *circus lucens* P, *circulus elucens* codd. plerique Macr., *elucens circus* O — *grais* C: *Graiis* O — 3. *nuncupastis* R¹ — *ex quo -- vincebant* (v. 8) Macr. — *mihi omnia* Macr. — *cetera* R sup. lin. — *et* T sup. lin. — 4. et 5. *eae* FPR: *heae* M, *hae* ET — 6. *ex quibus -- aliena* Prisc. III, 4, 22 — *ea* F s. l. m. 1, *ea erat* P — *proxima terris* T — 7. *stellarum -- vincebant* om. P — 8. *uincebat* E — *iam uero ipsa terra ita mihi uisa parua est* F — *parua mihi uisa* 3 codd. Ianii — 10. *magis cum* T — 11. *mens tua* M — *nonne uides* R¹ — *quae contemplaueris* F corr. sup. lin. m. recentiore, *in quae t. u.* R — 12. *Novem -- pondera* (v. 27.) Macr. I, 17, 2 sqq. — *connexa* O — 13. *caelestis est* F, *est* om. E — *extumus* E — 14. *summus* om. P — *sunt illi inf.* R, *inf. sunt illi* O — 15. *cui*] *huic* Macr. — *sunt* sup. lin. R et F (sed hic pr. man.), om. MPT, sed firmat etiam Macr. — 16. *retro*] *raro* P — 17. *uocant* F — *deinde -- salutaris* Prisc. VI, 7, 34 — 21. *teperatio* R, *temporacio* T — 22. *consequntur* FT, *consequentur* EM, *consequentes* P — *alter ueneris* F — 23. *alter* (ante *Merc.*) T sup. lin. — *in* om. O, quod Macr. quoque codd. firmant — 24. *iam*] *eam* Macr. — *est* om. E — 26. *in ea* P — 27. *referuntur* codd. plerique Macr. — 28. *Quid -- locum* (p. 849, 9) Macr. II, 1, 2; cf. etiam II, 2, 21 et 3, §§ 12. 16. — *quid* EFMPT: *quis* RO, *Quid? Hic, inquam* Ian — 29. *quis* om. R — *cantus* T — 30. *disiunctus* Macr. et Favonius Eulogius (Schol. Cic. I, p. 412): *coniunctus* codd. Somnii et O — 31. *partium* EF et codd. aliquot Macr. (*pro rata pari ratione* ed. Iunt., *pro rata portione* ed. Ald.) — *impulsu eorum ordinum* Eulogius — 32. *conficitur* O.

efficit: nec enim silentio tanti motus incitari possunt et natura fert ut extrema ex altera parte graviter, ex altera autem acute sonent. Quam ob causam summus ille caeli stellifer cursus, cuius conversio est concitatior, acuto et excitato movetur sono, gravissimo autem hic lunaris atque infimus: nam terra nona inmobilis manens una sede semper haeret, complexa medium mundi locum. Illi autem octo cursus, in quibus eadem vis est duorum, septem efficiunt distinctos intervallis sonos, qui numerus rerum omnium fere nodus est, quod docti homines nervis imitati atque cantibus aperuerunt sibi reditum in hunc locum, sicut alii, qui praestantibus ingeniis in vita humana divina studia coluerunt. 19. Hoc sonitu oppletae aures hominum obsurduerunt: nec est ullus hebetior sensus in vobis, sicut, ubi Nilus ad illa, quae Catadupa nominantur, praecipitatur ex altissimis montibus, ea gens, quae illum locum adcolit, propter magnitudinem sonitus sensu audiendi caret. Hic vero tantus est totius mundi incitatissima conversione sonitus, ut eum aures hominum capere non possint, sicut intueri solem adversum nequitis eiusque radiis acies vestra sensusque vincitur. Haec ego admirans referebam tamen oculos ad terram identidem.

XIX. (VI.) 20. Tum Africanus: Sentio, inquit, te sedem etiam nunc hominum ac domum contemplari: quae si tibi parva, ut est, [ita] videtur, haec caelestia semper spectato, illa humana contemnito. Tu enim quam celebritatem sermonis hominum aut quam expetendam gloriam consequi potes? Vides habitari in terra raris et angustis in locis et in ipsis quasi maculis, ubi habitatur, vastas solitudines interiectas, eosque, qui incolunt terram, non modo interruptos ita esse, ut nihil inter ipsos ab aliis ad alios manare possit, sed partim obliquos, partim transversos, partim etiam adversos stare vobis, a quibus exspectare gloriam certe nullam potestis.

XX. 21. Cernis autem eandem terram quasi quibusdam redimitam et circumdatam cingulis, e quibus duos maxime inter se diversos et caeli verticibus ipsis ex utraque parte subnixos obriguisse pruina vides, medium autem illum et maximum solis ardore torreri. Duo sunt habi-

---

1. *enim* om. R^1 — 2. *extrema quaeque* T — *ex alt. p. grauiter* add. in T m. 2 in marg. — 3. *stellifer caeli* M — *cursus* om. M^1 — 4. *acuto et exc.* EF: *acute et exc.* MRPT, *acute exc.* Macr. codd. fere omnes — 5. *una* C: *ima* O et multi codd. Macr.; Lud. de Ian confert Macr. II, 4, 7: *ut causa sit terrae in una sede semper haerendi nec in quamlibet partem permittatur moveri.* — 6. *locum mundi* M — *ille* F^1 — *autem* om. P — 7. *est duorum* Macr. codd. plerique, M^2 et T sup. lin. m. 2: *est modorum* EM^1PT^1, *uis est duorum modorum* F (de hoc erravit Ian), *uis modorum est* R — 9. *aperuere* P — 11. *Hoc -- obsurduerunt* om. P — 12. *in nobis* F^1 — *ubi sicut* F, sed add. m. 2 signis transponendi — *catadupa* F^1 (satis distincte) et MP: *cataduppa* EF^2RT — 13. *praecipitatur* EFR^2: *praecipitat* MP(?)R^1TO — *locum* om. M, R habet in marg. 1 m. ante *illum* — 17. *uisusque* F^2 et R in marg., item E m. pr. sup. lin. — *ergo* R^1 — *reuerberatur* var. lect. in F sup. lin. — *tamen referebam* E — 19. *inquit sentio* F — *etiam* om. P — 20. *atque* E — 21. *semper caelestia* R, sed add. signis transpositionis — *contemnito* T corr. ex *contemplato* — *tum enim* R — 22. *quam* (post *enim*) om. E — 23. *consequi gloriam* MR — *Vides -- vides* (p. 850, 7) Macr. II, 5, 1 sqq. — *in terra* om. M — *in locis* C: *locis* O cum Macr. — *in* sup. lin. R — 24. *eosque* EP: *hosque* FMRT — 25. *incolunt* codd. Macr.: *incolant* C — 26. *manare* R, sed sup. lin. *meare* — *partim transuersos* F: om. EMPRT — 27. *expectare* EPF^2R^2: *spectare* F^1MR^1T — 32. *duo sunt* codd. (item Macr.): *duos* O —

tabiles, quorum australis ille, in quo qui insistunt adversa vobis urgent vestigia, nihil ad vestrum genus: hic autem alter subiectus aquiloni, quem incolitis, cerne quam tenui vos parte contingat. Omnis enim terra, quae colitur a vobis, angusta verticibus, lateribus latior, parva quaedam insula est, circumfusa illo mari, quod Atlanticum, quod magnum, quem Oceanum appellatis in terris, qui tamen tanto nomine quam sit parvus vides. 22. Ex his ipsis cultis notisque terris num aut tuum aut cuiusquam vestrum nomen vel Caucasum hunc, quem cernis, transcendere potuit vel illum Gangen tranatare? Quis in reliquis orientis aut obeuntis solis ultimis aut aquilonis austrive partibus tuum nomen audiet? Quibus amputatis cernis profecto quantis in angustiis vestra se gloria dilatare velit. Ipsi autem, qui de vobis locuntur, quam loquentur diu?

XXI. (VII.) 23. Quin etiam, si cupiat proles illa futurorum hominum deinceps laudes unius cuiusque nostrum a patribus acceptas posteris prodere, tamen propter eluviones exustionesque terrarum, quas accidere tempore certo necesse est, non modo non aeternam, sed ne diuturnam quidem gloriam adsequi possumus. Quid autem interest ab iis, qui postea nascentur, sermonem fore de te, cum ab iis nullus fuerit, qui ante nati sunt? qui nec pauciores et certe meliores fuerunt viri, XXII. 24. praesertim cum apud eos ipsos, a quibus audiri nomen nostrum potest, nemo unius anni memoriam consequi possit. Homines enim populariter annum tantum modo solis, id est, unius astri reditu metiuntur: cum autem ad idem, unde semel profecta sunt, cuncta astra redierint eandemque totius caeli descriptionem longis intervallis rettulerint, tum ille vere vertens annus appellari potest: in quo vix dicere audeo quam multa hominum saecula teneantur. Namque ut olim deficere sol hominibus exstinguique visus est, cum Romuli animus haec ipsa in templa penetravit, quandoque ab eadem parte sol eodemque tempore iterum defecerit, tum signis omnibus ad principium stellisque re-

---

1. *nobis* PR — *urguent* P — 2. *nostrum* R — 4. *angusta* codd. Macr. (II, 5, 3 et 9, 8): *angustata* C — 5. *est insula* Macr. codd. plerique — 6. *quod oceanum* codd. Macr. — *quanto* R[1] — 7. *nam* P — 8. *cuiusq;* F — *vestrum* ed. Suffridi Petri: *nostrum* codd. et O — 9. *Gangem* O — *tranatare* F[1]: *transnatare* EF[2]MPR, *tranare* O — *quis -- audiet?*] *uix* (in marg. m. pr. *vel quis*) -- *audiet?* E, *uix -- audietur* T, sed pro *ur* virgula, *uis -- audiat* P — 10. *abeuntis* T — 12. *se* sup. lin. R — *dilatare* T: *dilatari* EFPRO — *nobis* F[1]MPR[1]T — *locuntur* F: *loquntur* R, *loquentur* EP, *loquuntur* MTO — *quam diu loquentur* RO — 14. *Quin -- possumus* (v. 18) Macr. II, 10, 1. — 15. *acceptas a patribus* Macr. codd. plerique — 17. *certo tempore* R — *non modo non* C: *non modo* O — 18. *diurnam* E — *ab iis* PRT: *ab his* EFM — 19. *cum ab iis* PR: *cum ab his* EFMT — post *fuerit* est in T sup. lin. *sc. sermo* — 20. *ante te* P, *antea* F ante rasuram — *ti sunt* R in ras. habet — *meliores* om. T[1] — *uiri fuerunt* M — 21. *praesertim -- conversam* (851, 2) Macr. II, 11, 4 sqq. — *praesertim cum* EPRT et Macr. (sed *cum* in T sup. lin.): *cum* om. M, *cum praesertim* FO — *aput* E — *audiri* om. F[1] — *nomen urũm* F, *nostrum nomen* RT — 22. *potest* T corr. ex *est* — 23. *populariter* Macr. codd. plerique EP et FR corr. m. 2: *loquelariter* F[1]M, *loqulariter* R[1], *loquellariter* (post *annum*) T — *reditum metiuntur* EFMRT; *reditu* firmat Macr. — 24. *re ipsa autem cum ad idem* Macr. — 25. *eandem* E — 26. *uere reuertens* T, sed cum lin. sub *re* — 28. *omnibus* MR — 29. *quandoque* Macr. FMPRT: *si quando* E (item m. 2 FR), *ita quandoque* O — *ab* codd. somnii et Macr.: om. O — 30. *deficeret* M — *ad idem princ* Macr. et O — *reuocatisque stellis* M.

vocatis expletum annum habeto, cuius quidem anni nondum vicesimam partem scito esse conversam.

XXIII. 25. Quocirca si reditum in hunc locum desperaveris, in quo omnia sunt magnis et praestantibus viris, quanti tandem est ista hominum gloria, quae pertinere vix ad unius anni partem exiguam potest? Igitur alte spectare si voles atque hanc sedem et aeternam domum contueri, neque te sermonibus vulgi dederis nec in praemiis humanis spem posueris rerum tuarum: suis te oportet inlecebris ipsa virtus trahat ad verum decus, quid de te alii loquantur ipsi videant, sed loquentur tamen. Sermo autem omnis ille et angustiis cingitur iis regionum, quas vides, nec umquam de ullo perennis fuit et obruitur hominum interitu et oblivione posteritatis extinguitur.

XXIV. (VIII.) 26. Quae cum dixisset, Ego vero, inquam, Africane, si quidem bene meritis de patria quasi limes ad caeli aditum patet, quamquam a pueritia vestigiis ingressus patris et tuis decori vestro non defui, nunc tamen tanto praemio exposito enitar multo vigilantius. Et ille: Tu vero enitere et sic habeto, non esse te mortalem, sed corpus hoc: nec enim tu is es, quem forma ista declarat, sed mens cuiusque is est quisque, non ea figura, quae digito demonstrari potest. Deum te igitur scito esse, si quidem est deus, qui viget, qui sentit, qui meminit, qui providet, qui tam regit et moderatur et movet id corpus, cui praepositus est, quam hunc mundum ille princeps deus: et ut mundum ex quadam parte mortalem ipse deus aeternus, sic fragile corpus animus sempiternus movet.

XXV. 27. Nam quod semper movetur aeternum est, quod autem motum adfert alicui quodque ipsum agitatur aliunde, quando finem habet motus, vivendi finem habeat necesse est. Solum igitur quod de se movetur, quia numquam deseritur a se, numquam ne moveri quidem desinit. Quin etiam ceteris, quae moventur, hic fons, hoc principium est movendi. Principio autem nulla est origo: nam ex principio oriuntur omnia, ipsum autem nulla ex re alia nasci potest: nec enim esset id principium, quod gigneretur aliunde: quod si numquam oritur, ne occidit quidem umquam. Nam principium exstinctum nec ipsum ab alio renascetur nec ex se aliud creabit, si quidem necesse est a principio oriri omnia. Ita fit ut motus principium ex eo sit, quod ipsum

---

1. *habeo* P — *cuius* E et Macr.: *huius* FMPRTO — *quippe* F — *vigesimam* O — 4. *ista* R sup lin. — 6. *contuere* MP — 7. *dederis* EPT — 8. *te* R sup. lin. — 10. *iis* PR: *his* EFM, om. T — 11. *peremnis* O — 13. *o Africane* O — 14. *meritis bene* R sed add. signis transpos. — 15. *patriis* O — *tuis* om. R[1] — 16. *tanto*] hic deficit M — *exposito* C: *proposito* O — 17. *Tu vero -- movet* Macr. II, 12, 1 — *uere* EFP — *te* F sup. lin. post *mortalem* habet — 18. *enim* R in marg. — 19. *is* om. O — *monstrari* E — 20. *scito igitur* R — *deus est* EO — 21. *p̄uidet* F — 22. *ut mundum -- mortalem* F[1]: *ut ille mundum -- mortalem* EF[2]P et Macr., *ut ipse mundus -- mortalis* RT — 23. *ex* om. Macr. — 25. *Nam quod -- aeterna est* (p. 852, 9) Macr. II, 13, 1 sqq. — 26. *alicunde* EFRT, sed v. 32 iidem *aliunde* — 27. *mouendi finem* P — *de se mouetur* EF: *de se mouet* PR, *sese mouet* TO, *quod se ipsum mouet* Macr. — 28. *ne* om. F — 29. *principii* Macr. — 30. *ex* FT: *et* ER, *e* Macr. — 31. *potest*] *propter* T — 32. *nasceretur* F[1] — *si non oritur* Macr. — *nec occidit* codd. — 34. *nascetur* T et Macr. codd. plerique — 35. *it* in *sit* F in ras., in quo deinde sequitur *et a se aequetur*, sed in marg. m. s. *quod ipsum a se mouetur* — *quod ipse mouetur* P; *quod ipsum* om. T[1].

a se movetur: id autem nec nasci potest nec mori: vel concidat omne caelum omnisque natura consistat necesse est nec vim ullam nanciscetur, qua a primo inpulsa moveatur.

XXVI. (IX.) 28. Cum pateat igitur aeternum id esse, quod a se ipso moveatur, quis est qui hanc naturam animis esse tributam neget? Inanimum est enim omne, quod pulsu agitatur externo: quod autem est animal, id motu cietur interiore et suo; nam haec est propria natura animi atque vis. Quae si est una ex omnibus, quae sese moveat, neque nata certe est et aeterna est. 29. Hanc tu exerce optimis in rebus: sunt autem optimae curae de salute patriae, quibus agitatus et exercitatus animus velocius in hanc sedem et domum suam pervolabit. Idque ocius faciet, si iam tum, cum erit inclusus in corpore, eminebit foras et ea, quae extra erunt, contemplans quam maxime se a corpore abstrahet. Namque eorum animi, qui se corporis voluptatibus dediderunt earumque se quasi ministros praebuerunt inpulsuque libidinum voluptatibus oboedientium deorum et hominum iura violaverunt, corporibus elapsi circum terram ipsam volutantur nec hunc in locum nisi multis exagitati saeculis revertuntur. Ille discessit, ego somno solutus sum.

Librorum de re publica incertorum fragmenta.

---

1. *M. Tullius de re publica:* idque ipsa natura non invitaret solum, sed etiam cogeret. (**Nonius** v. *invitare* p. 321.)

2. *Non nulli veterum etiam activo more tempus futurum imperativo modo ex verbis quoque passivae declinationis usurpaverunt, ut Tullius in dialogis de re publica* nitito, *cum nitor sit positio verbi.* (**Diomedes** p. 330 P., 339 ed. Keil.)

3. *Excello legimus crebro apud veteres, ut Cicero de re publica* excellunt. (**Diomedes** p. 371 P., 374 K.)

---

1. *a se mouetur* (a *ex se aequetur*). *Id* R — *nec moueri* F^1 — 2. *natura et consistat* codd. et hic et apud Macrob. l. c. — 3. *pulsa* F, *inpulsu* (vel *imp.*) ERT et F corr. man. 2 (*inpulsa* libri plerique Macr.) — *mouebatur* R — 4. *id* om. T — *quod ipsum se moueat* Macr. — 5. *ipso* om. F — *animis attributam* T — *tribuendam* P — 6. *inanimam* P, *inanimo* R^1 — *autem* om. R^1 — 7. *est anima* P et per rasuram ex *animal* E, item Macr., *animal est* O — *scietur* R — *est* om. R — 8. *quae se ipsa* Macr., fort. *quae sepse* — 9. *neque sinata* F^1 — *est certe* E — *Hanc -- revertuntur* (v. 18) Macr. II, 17, 2 — 12. *erit* E post *corp.* — *emanabit* EF^2 — 13. *corpore* ****** *extrahet* (abs) R — 16. *oboedientium* FRT: *obed.* EO — *uiolarunt* P — 17. *in hunc* F — 18. fort. *multis exactis saeculis* — *seculis* F, sed sup. lin. *periculis* — 19. *sum* om. T — EXPLICIT SOMNIUM R.

20. Novissimi quoque editores ante hoc fragmentum aliud habent ex Arusiano Messio pag. 222 Lindem. «*vicem lugeo*». At quod ibi in edit. Lindemanniana legitur: «*Cic. de domo et rep. Vicem lugeo*», iam dudum Van der Hoeven in comment. de Arusiano Messio pag. 43 (Amsterd. 1845) corruptum esse docuit; exstat enim in codd. Leidens. «*Cic. de domo: et rei publicae vicem lugeo*». Cum haec verba in orat. de domo non legantur, in incertis fragmentis collocanda sunt; videtur autem aut locus, quem Arusianus ex or. de domo exscripserat, intercidisse aut grammaticus memoria lapsus esse.

4. *Haec virtus in rhetoricis a Cicerone eadem ponitur quae sapientia; alibi vero, id est in libris de re publica, ab eodem Cicerone illa virtus dicitur quae prudentia.* (Victorinus *in prooemio ad I. Rhet. Cic.* pag. 3 Schol. Cic. ed. Orell.)

5. *Mirabamur illam sententiam Tullianam, ex internis veritatis ipsius promulgatam, quae est talis:* Et quamquam optatissimum est perpetuo fortunam quam florentissimam permanere, illa tamen aequabilitas vitae non tantum habet sensum, quantum cum ex saevis et perditis rebus ad meliorem statum fortuna revocatur. (Ammianus Marcellinus XV, 5, § 23.)

6. [*Neque enim aliunde beata civitas, aliunde homo, cum aliud civitas non sit quam concors hominum multitudo.*] (Augustinus *de civit. dei* I, 16.)

7. *Cicero in dialogis nominavit* foedifragos Afros. (Interpres Cruquianus *ad Horat. carm.* IIII, 8, 17.)

8. *Rhetorice spem laudat (Vergilius) in puero, quia facta non invenit. Est autem Ciceronis in dialogo:* Fanni, causa difficilis laudare puerum; non enim res laudanda, sed spes est. (Servius ad *Verg. Aen.* VI, 877.)

9. *Apud Ennium sic loquitur Africanus:*

Si fas endo plagas caelestum ascendere cuiquam est,
Mi soli caeli maxima porta patet:

scilicet, quia magnam partem generis humani exstinxit ac perdidit. O quantis in tenebris, Africane, versatus es! vel potius o poeta, qui per caedes et sanguinem patere hominibus in caelum ascensum putaveris! Cui vanitati etiam Cicero adsensit. Est vero, *inquit*, Africane; nam et Herculi eadem ista porta patuit. (Lactantius *Inst. div.* I, 18.)

10. *Eosdem libros (de re publ.) cum grammaticus explicuit, primum verba expressa* reapse *dici a Cicerone, id est re ipsa, in commentarium refert, nec minus* sepse, *id est se ipse. Deinde transit ad ea, quae consuetudo saeculi mutavit, tamquam ait Cicero:* quoniam sumus ab ipsa calce eius interpellatione revocati. *Hanc, quam nunc in circo cretam vocamus, calcem antiqui dicebant. Deinde Ennianos colligit versus et in primis illos de Africano scriptos:*

cui nemo civis neque hostis
quivit pro factis reddere operae pretium.

(Seneca epist. 108, § 32 sq.)

11. *Σωκράτη τε καὶ τοὺς ἀμφ' αὐτόν τε καὶ ἐξ αὐτοῦ ἐρρυηκότας ποταμῶν ἐξ ὠκεανοῦ δίκην, θείους κατ' ἀρετὴν καὶ παιδείαν γεγονότας ἄνδρας, οὐ τῆς Ἑλλάδος μόνης ἀλλὰ καὶ ὅλης φωστῆρα; τῆς οἰκουμένης· ὧν Πλάτων καὶ Ξενοφῶν καὶ Ἀριστοτέλης καὶ ὁ λοιπὸς τῶν φιλοσόφων ὅμιλος· εὖ γὰρ ὀνομάζει Κικέρων Σωκράτη ἀρχηγόν, καὶ ἵνα πλέον ῥωμαΐσω καὶ αὐτός, πρίγκιπα τῆς ὅλης καὶ ἀληθοῦς φιλοσοφίας ἐπικαλῶν.* (Petrus Magister *de politica scientia* in A. Maii coll. Vatic. II, pag. 608.)

---

10. Nulla causa videtur cur hic Augustini locus inter fragmenta Tulliana referatur. — 12. Cic. de off. I, § 38: *Poeni foedifragi* — 15. *fannio* codd. — 18. Eosdem Ennii versus Seneca (v. fragm. sequens) ep. 108 ex libris de re publ. adfert — 27. *sepse*] de re publ. III, 8, 12. — 33. *opis* Vahlen, *op'rae* O — 35. Locus deest in O.

Largam addendorum copiam in extremo huius operis fasciculo publicaturi nunc satis habemus emendationes aliquot locorum Academicorum adiecisse, quas Nic. Madvigius v. cl. iam a. 1857 cum Halmio communicaverat.

Acad. lib. I, § 1. *satis eum longo intervallo.* Neque *longo intervallo reducere aliquem ad villam* de viae longitudine recte dicitur neque cur viae longitudo commemoretur quidquam est (et paullum aberant a villa), nec minus inepte de tempore dicitur, longum intervallum factum esse inter occursum et reductionem. *Eum* molestissimum est post *illum* in brevissimo et apertissimo verborum complexu. Scribendum: *atque illum complexi, ut mos amicorum est, satis tum longo intervallo, ad suam villam reduximus.* Dicit se et Atticum Varronem complexos esse satis tum longo intervallo, h. e. quum longo tempore interiecto tum primum vidissent.

I, 7, 29. Prope ad verum accessit Turnebus: scribendum est enim: *quam interdum eandem necessitatem appellant, quia nihil aliter possit atque ab ea constitutum sit evenire, quasi fatalem et immutabilem continuationem ordinis sempiterni.* Tantum *inter*, in quo latet involutum id, quod reppererat, *evenire*, male reliquit. (Sic vel *intervenire* scribendum esse nos quoque in adnotatione subiecta indicavimus.)

I, 11, 39. Prave dicitur: *quae quidque gigneret* pro eo, quod latine diceretur: *quae omnia gigneret*; prave haec coniunguntur: *quidque et mentem atque sensus* (variata etiam particula, quasi duo sint membra, primum *quidque*, dein *mentem atque sensus*); postremo, quod caput est, minime Zeno ignem omnia gignere statuerat. Scripserat Cicero: *Statuebat enim ignem esse ipsam naturam, quae quoique gigneret mentem atque sensus.* Multorum errorum fons illa dativi forma fuit.

II, 10, 30. Fortasse scribendum: *Etsi poterat disputari subtiliter,* ut referatur ad consilium hoc fere praetermittendi, paullo ante significatum.

II, 11, 34. Scribendum est, ut est in cod. ψ Oxon.: *et conantur ostendere, esse aliquid perspicui, verum illud quidem et impressum in animo atque mente, neque tamen id* etc. Coniunctio *verum* nihil hic loci habet vel propter ordinem reliquorum verborum; scribi enim debebat: *verum impressum illud quidem -- neque tamen* etc.

II, 17, 54: Fortasse scribendum: *nec sit in duobus aut pluribus nulla re differens communitas uisi* (φαντασίας, aut uidendi, τοῦ φαντάζεσθαι, conf. 31, 101 percipiendi). *Sint et ova ovorum* etc.

II, 24, 76. *Quid Cyrenaici tibi videntur, minime contempti philosophi? qui negant* etc. «*Was meinst du von den Cyrenaikern, die sagen?* cf. Horatii epist. I, 11, 1 etc.

II, 25, 79. Scribendum est: *Maneant illa omnia; laceratur ista causa; veraces nos esse sensus dicitis. Itaque semper auctorem habetis eum, qui magno suo periculo causam agat.*

II, 26, 82. Recte Davisius, cuius sententiam Orellius non commemoravit: *Sed ab hoc credulo, qui numquam sensus mentiri putat, discedamus. Quid? ne nunc quidem* (mentiri eos putas), *quum ille sol -- tamen nobis stare videatur?*

II, 32, 102. Oratio sic interpungenda est: *certe levior reprehensio est, quod dicimus esse quaedam probabilia. Non videtur hoc satis esse vobis. Ne sit; illa certe* etc.

II, 32, 104. Scribendum est: *Id quum ita sit, alterum placere -- respondere possit; quumque placeat, eum -- agere aliquid, reliquit* etc.

M. TULLII CICERONIS

DE LEGIBUS

LIBRORUM RELIQUIAE

EX RECENSIONE CAROLI HALM.

NOTARUM INDEX.

A = codex Leidensis Vossianus num. 84, quem ipsi contulimus.
B = codex Leidensis Vossianus num. 86. Contulit Baiterus.
H = codex Leidensis Heinsianus num. 118. Contulit Baiterus.
C = A B H.
O = exemplum Orellianum.

LIBER PRIMUS.

I. 1. *Atticus.* Lucus quidem ille et haec Arpinatium quercus agnoscitur saepe a me lectus in Mario. Si enim manet illa quercus, haec est profecto; etenim est sane vetus. *Quintus.* Manet vero, Attice noster, et semper manebit; sata est enim ingenio. Nullius autem agricolae cultu stirps tam diuturna quam poetae versu seminari potest. *Att.* Quo tandem modo, Quinte? aut quale est istuc, quod poetae serunt? mihi enim videris fratrem laudando suffragari tibi. 2. *Q.* Sit ita sane: verum tamen, dum Latinae loquentur litterae, quercus huic loco non deerit, quae Mariana dicetur, eaque, ut ait Scaevola de fratris mei Mario,

canescet saeclis innumerabilibus.

Nisi forte Athenae tuae sempiternam in arce oleam tenere potuerunt aut, quod Homericus Ulixes Deli se proceram et teneram palmam vidisse dixit, hodie monstrant eandem, multaque alia multis locis diutius commemoratione manent quam natura stare potuerunt. Quare glandifera illa quercus, ex qua olim evolavit

---

Inscriptio. *M. T. Ciceronis lucullus explicit Inc. liber primus de legibus* A B, sed B *Tullii*; *M. Tvlli Ciceronis. Incipit de legibus liber primus* H.

1. Nomina interlocutorum desunt in A B H — 2. *si enim* Davies: *sin* C (*marios inmanet* B^1 H^1); *si* O — 3. *est enim* Bake — *manet* A in ras. habet a m. sec. — 4. *nullus* B^1 — 5. *stips* A B — 7. *sane uerum . uerum* (*Uerum* A) *tamen* C — 8. *latinae* B: *latine* A H O — 9. *dicetur* scripsi: *dicatur* C O, sed habet A lit. *a* in ras.; cf. p. 856 v. 3. — *Ea quae* B^1 — *mariocene scet* H^1 — 10. *seclis* B^1 H O — 11. *patuerunt* H^1 — 12. *quod* C: *quam* Davies — *deli•• se* A B — 13. *dicit* Bake cum aliquot, ut ait, suis libris.

nuntia fulva Iovis, miranda visa figura,

nunc sit haec. Sed cum eam tempestas vetustasve consumserit, tamen erit his in locis quercus, quam Marianam [quercum] vocabunt. 3. *Att.* Non dubito id quidem. Sed hoc non iam ex te, Quinte, quaero, verum ex ipso poeta, tuine versus hanc quercum severint, an ita factum de Mario, ut scribis, acceperis. *Marcus.* Respondebo tibi equidem, sed non ante quam mihi tu ipse responderis, Attice, certene non longe a tuis aedibus inambulans post excessum suum Romulus Proculo Iulio dixerit se deum esse et Quirinum vocari templumque sibi dedicari in eo loco iusserit, et verene Athenis non longe item a tua illa antiqua domo Orithyiam Aquilo sustulerit; sic enim est traditum. 4. *Att.* Quorsum tandem aut cur ista quaeris? *M.* Nihil sane, nisi ne nimis diligenter inquiras in ea, quae isto modo memoriae sunt prodita. *Att.* Atqui multa quaeruntur in Mario fictane an vera sint, et a non nullis, quod et in recenti memoria et in Arpinati homine versere, veritas a te postulatur. *M.* Et me hercule ego me cupio non mendacem putari, sed tamen non nulli isti, Tite noster, faciunt imperite, qui in isto periculo non ut a poeta, sed ut a teste veritatem exigant; nec dubito quin idem et cum Egeria conlocutum Numam et ab aquila Tarquinio apicem impositum putent. 5. *Q.* Intellego te, frater, alias in historia leges observandas putare, alias in poemate. *M.* Quippe cum in illa ad veritatem cuncta referantur, in hoc ad delectationem pleraque: quamquam et apud Herodotum, patrem historiae, et apud Theopompum sunt innumerabiles fabulae.

II. *Att.* Teneo quam optabam occasionem neque omittam. *M.* Quam tandem, Tite? *Att.* Postulatur a te iam diu et flagitatur potius historia; sic enim putant, te illam tractante effici posse ut in hoc etiam genere Graeciae nihil cedamus. Atque ut audias, quid ego ipse sentiam, non solum mihi videris eorum studiis, qui in litteris delectantur, sed etiam

---

2. *consumpserit* A^{2}BHO — 3. *quercum* cum Manutio et Lambino inclusimus. — *vocabunt* Klotz: *uocant* C, *vocent* O — 4. *sed haec* C (*sedaec* A^1) — *non iam* nos: *non* om. C; *iam non* O — *uerum* H corr. ex *utrum* — 6. *non antiquam* B — 7. *certene non* unus Par.: *certen longe* AB; *certe non* HO; Moserus proposuit *certone non* — 8. *proculo* H^1 — 9. *dedicare* A^{1}B^1 — 10. *et verene Athenis* scripsi: *et uerū ne sit athenis* (*at nis* A, *at. Nis* B) C, sed A *ne sit* in ras. habet; *et Athenis* edd., in quibus *verumne sit* ut glossema expulsum est; *et verumne sit ut Ath.* Bake, quem sequi iam ob eam causam dubitavimus quod *ne sit* in A m. 2 in ras. scriptum est. — 11. *orithi•am* A, *orithiam* B, *orithilam* H — *aquila* A^1 — *quorsum* B corr. ex *ursum* — 13. *inquiris* B^1 — *sunt* H^1: *sint* ABH^{2}O — 15. *versere, veritas* M. Haupt et A. W. Zumpt: *uel seueritas* (*se ueritas* H) CO (*sed ueritas* A^{2}H^2); *nil nisi veritas* Bake — 16. *mercule* AB^1 — 17. *tamen nulli* B — *tite* C, sed in A parva lacuna ante *tite*, H *titę* cum virgula supra *te*; *Attice* 2 codd. dett. — *noster*] *n̄r* H, *nī* B, *non* A, sed *on* in ras., *noster* om. O — *facient* B^1 — *periculo* (i. e. nostrum «*Versuch*») C, cuius loco alii maluerunt *opusculo*, *versiculo*, *miraculo* — 18. *ut a poeta* H^2: *ut poeta* C — *sed ut a teste* A^{1}H: *sed ut* •• *est a te* A^2, *Et ut a teste* B — 19. *idem* C: *iidem* O — *co•egeria* A^1, *quomegeria* B^1 — 20. *inpositum* B, *imposito* A — *putentur* B^1 — *in istoria* A, *mihi storia* B^1, *in istorias* H^1 — 21. *seruandas* H^2 — *in illa* H distincte: *in* om. AB (*illae* B ex corr.) — 22. *cuncta* Camerarius: *quinte* CO; Ernesti *omnia* post *referantur* addi iussit — *resferantur* H — *in hac* C — 23. *theoponpum* AB^2, *theopāpum* B^1 — *sint* H^2 — *innumerabilis* B^1 — 25. *obtabam* B — *obmittam* A — 26. *et* AB^2: *uel* B^{1}HO — 29. *qui* A corr. ex *que* — *in litteris* A^1: *tuis litteris* B et A m. 2. sup. lin., *in* om. HO; de locutione v. Madvig ad Cic. de finn. p. 82 et Feldhügel ad Legg. II, § 17.

patriae debere hoc munus, ut ea, quae salva per te est, per te eundem sit ornata; abest enim historia litteris nostris, ut et ipse intellego et ex te persaepe audio. Potes autem tu profecto satis facere in ea, quippe cum sit opus, ut tibi quidem videri solet, unum hoc oratorium maxime. 6. Quam ob rem adgredere, quaesumus, et sume ad hanc rem tempus, quae est a nostris hominibus adhuc aut ignorata aut relicta. Nam post annales pontificum maximorum, quibus nihil potest esse iniucundius, si aut ad Fabium aut ad eum, qui tibi semper in ore est, Catonem aut ad Pisonem aut ad Fannium aut ad Vennonium venias, quamquam ex his alius alio plus habet virium, tamen quid tam exile quam isti omnes? Fannii autem aetate coniunctus Antipater paulo inflavit vehementius habuitque vires agrestis ille quidem atque horridas, sine nitore ac palaestra, sed tamen admonere reliquos potuit ut accuratius scriberent. Ecce autem successere huic Gellius, Clodius, Asellio, nihil ad Caelium sed potius ad antiquorum languorem et inscitiam. 7. Nam quid Macrum numerem? cuius loquacitas habet aliquid argutiarum, nec id tamen ex illa erudita Graecorum copia, sed ex librariolis Latinis, in orationibus autem † multas ineptus datio summam inpudentiam. Sisenna, eius amicus, omnes adhuc nostros scriptores, nisi qui forte nondum ediderunt, de quibus existimare non possumus, facile superavit. Is tamen neque orator in numero vestro umquam est habitus et in historia puerile quiddam consectatur, ut unum Clitarchum neque praeterea quemquam de Graecis legisse videatur, eum tamen velle dum taxat imitari: quem si adsequi posset, aliquantum ab optumo tamen abesset. Quare tuum est munus hoc, a te exspectatur, nisi quid Quinto videtur secus.

III. 8. *Q.* Mihi vero nihil, et saepe de isto conlocuti sumus: sed est quaedam inter nos parva dissensio. *Att.* Quae tandem? *Q.* A quibus temporibus scribendi capiatur exordium. Ego enim ab ultimis censeo, quoniam illa sic scripta sunt, ut ne legantur quidem, ipse autem aequalem aetatis suae memoriam deposcit, ut ea conplectatur, quibus

---

2. *abest*] *at ē* A (sed *t* in ras.), *adē* H, *atē* B — *a litteris* Creuzer — 3. *potes°* A — 5. *aggredere* H O — 6. *ignoratur* H^1 — 7. *annalis* B, *animales* H^1 — *maximos* coni. Moser — *iniucundius* Davies: *iucundius* C, *ieiunius* Ursinus prob. Niebuhrio hist. Rom. I, 278 ed. 3, *incomtius* altera Davisii susp. Lectionem librorum tueri conatur E. Huebner in Annal. philol. vol. 79, p. 412. — *siad* (*aut* primitus ut videtur) *fabium* H; in marg. add. *aut* — 9. *uennonium* C: *Venonium* O — 11. *fanni* B; *Fannio a. aetate* Turnebus, *Fannii a. aetati* Lamb., quorum alterutrum necessarium videtur. — *coniunctus pater* C — 12. *agrestes* H^1 O — 13. *palestra* A B — *ammonere* H — 14. *huic* H sup. lin. sed a pr. m. — *Gellius* Passeratius: *belli* C (Bake erravit), *bello* H^2; om. *Gellius* Lamb. et Nipperdey in Philol. VI, 133; *Gellii* Gulielmus et O — *glodius* C (*gladius* B^1, *clodius* H^2) — *asilio* C — 15. *langorem* A^1 H — *et* C: *atque* H in marg. et O — 16. *Macrum* Sigonius: *acrum* C — 17. *ex liberalio linguis latinis* H, sed in marg. *librariolis* — 18. *multas* (*multas et* corr.) *ineptus datio summā inpudentiā* C (*summa* A^2, *inpudentia* A^2 B^2): *multis et ineptis elatio summam impudentiam* Feldhügel, *multas ineptias ad summam impud.* Manutius et Lambinus (sed ille *imprudentiam*); *multas ineptias, elatio summam imp.* P. Victorius et O (et sic Goerenz et Schütz, sed *imprud.*), *multus et ineptus et adeo summa impudentia* A. W. Zumpt, *multus et ineptus est, clamator summa impudentia* Bake; *multis et ineptis adeo summam impudentiam* Klotz; ipse tentavi: *multa sunt inepta usque ad summam inprudentiam* — 19. *meus amicus* Corradus — 21. *in storia* B^1 — 22. *clitarcum* A, *clitharchum* B, *diterarum* H^1 — 24. *assequi* H O — *adobtumo* B — 25. *munus, hoc a te* O; distinctionem mutavit Bake — 28. *capiatur* per compendium (syll. *at* cum virgula) A B^2 H^2: *capiat* B^1 H^1 — 29. *ut neglegantur* B^1 — 30. *aetatis suae* etiam H (non *suae aet.*) — *memoria* B H^1 — *compl.* H O.

ipse interfuit. *Att.* Ego vero huic potius adsentior; sunt enim maximae res in hac memoria atque aetate nostra; tum autem hominis amicissimi Cn. Pompei laudes inlustrabit, incurret etiam in illum * * et memorabilem annum suum: quae ab isto malo praedicari quam, ut aiunt, de Remo et Romulo. *M.* Intellego equidem a me istum laborem iam diu postulari, Attice: quem non recusarem, si mihi ullum tribueretur vacuum tempus et liberum; neque enim occupata opera neque inpedito animo res tanta suscipi potest: utrumque opus est, et cura vacare et negotio. 9. *Att.* Quid? ad cetera, quae scripsisti plura quam quisquam e nostris, quod tibi tandem tempus vacuum fuit concessum? *M.* Subsiciva quaedam tempora incurrunt, quae ego perire non patior, ut, si qui dies ad rusticandum dati sint, ad eorum numerum adcommodentur quae scribimus. Historia vero nec institui potest nisi praeparato otio nec exiguo tempore absolvi; et ego animi pendere soleo, cum semel quid orsus *sum*, si traducor alio, neque tam facile interrupta contexo quam absolvo instituta. 10. *Att.* Legationem aliquam nimirum ista oratio postulat aut eius modi quampiam cessionem liberam atque otiosam. *M.* Ego vero aetatis potius vacationi confidebam, cum praesertim non recusarem quo minus more patrio sedens in solio consulentibus responderem senectutisque non inertis grato atque honesto fungerer munere. Sic enim mihi liceret et isti rei, quam desideras, et multis uberioribus atque maioribus operae quantum vellem dare.

IV. 11. *Att.* Atqui vereor ne istam causam nemo noscat tibique semper dicendum sit, et eo magis, quod te ipse mutasti et aliud dicendi instituisti genus, ut, quem ad modum Roscius, familiaris tuus, in senectute numeros in cantu remiserat ipsasque tardiores fecerat tibias, sic tu a contentionibus, quibus summis uti solebas, cotidie relaxes aliquid ut iam oratio tua non multum a philosophorum lenitate absit: quod sustinere cum vel summa senectus posse videatur, nullam tibi a causis vacationem video dari. 12. *Q.* At me hercule ego arbitrabar posse id populo nostro probari, si te ad ius respondendum dedisses. Quam ob rem, cum placebit, experiundum tibi censeo. *M.* Si quidem, Quinte, nullum esset in experiundo periculum: sed vereor ne, dum minuere velim laborem, augeam atque ad illam causarum operam, ad quam ego numquam nisi paratus et meditatus accedo, adiungatur haec iuris inter-

---

1. *assentior* H O — *maxumae* B, *maxime* A — 2. *atque* B corr. ex *at* — *Cum* H¹ — 3. *Pompeii l. illustr.* O — *illum et memor.* A B: *illum memor.* H O; videtur adiectivum post *illum* intercidisse, velut *inclutum* — 4. *quae* C: *quem* H² — *ab ipso* malebat Bake — 6. *recussarem* A¹ — 7. *et* C: *ac* O — *inp.* B H O — 9. *quid* A corr. ex *quod* — 10. *concensus* A B — 12. *adcomodentur* A — 15. *orsus sum* scripsi: *orsus* C O, sed O *orsus,* [*si*] *traducor* cum Manutio et Lamb. — 17. *cessationem* A corr. B O, item H in marg. — 19. *comminus* B — *morem* B¹ H¹ — *responderent* B¹ — 23. *Ast qui uereor* H — 25. ante *roscius* A *p.* sup. lin. habet; *p̄scius* B¹ — 26. *remiserat* Lambinus: *cecinerat* C (*cecinerant* A¹), *leniverat* God. Hermannus Opusc. I, 300, *ceciderat* O, *reciderat* alii malebant — 27. *contionibus* C (sed H *conc.*) — *sumitus* H — *cottidie* B, *quot.* O — *relaxis* B¹, *relaxas* B² — 28. *ut ° iam* A — *aratio* B — 29. *cum* A in ras. habet — *a* om. B¹ — 30. *at*] *ad* A¹ B¹ — *mercule* AB — 31. *si aut ius* B¹ — 32. *cum*] *co°* A (*u* sup. *o*) — *experiendum* A O — *id si quidem* C; *id* del. Garatoni (ad or. Milon. § 48) et Madvig; videtur ex nota personae *M.* depravatum esse; alii vocabulum hoc loco ineptum transponere maluerunt, ut Schoemannus, qui in Opusc. acad. III, 295 *exp. id tibi censeo* scribit. — 33. *experiendo* O — 35. *et* C (non *ac*).

pretatio, quae non tam mihi molesta sit propter laborem, quam quod dicendi cogitationem auferat, sine qua ad nullam maiorem umquam causam sum ausus accedere. 13. *Att.* Quin igitur ista ipsa explicas nobis his subsicivis, ut ais, temporibus et conscribis de iure civili subtilius quam ceteri? Nam a primo tempore aetatis iuri studere te memini, quom ipse etiam ad Scaevolam ventitarem, neque umquam mihi visus es ita te ad dicendum dedisse, ut ius civile contemneres. *M.* In longum sermonem me vocas, Attice, quem tamen, nisi Quintus aliud quid nos agere mavult, suscipiam et, quoniam vacui sumus, dicam. *Q.* Ego vero libenter audierim; quid enim agam potius aut in quo melius hunc consumam diem? 14. *M.* Quin igitur ad illa spatia nostra sedesque pergimus? ubi, cum satis erit ambulatum, requiescemus; nec profecto nobis delectatio deerit aliud ex alio quaerentibus. *Att.* Nos vero, et hac quidem [adire] si placet, per ripam et umbram. Sed iam ordire explicare, quaeso, de iure civili quid sentias. *M.* Egone? summos fuisse in civitate nostra viros, qui id interpretari populo et responsitare soliti sint, sed eos magna professos in parvis esse versatos. Quid enim est tantum quantum ius civitatis? quid autem tam exiguum quam est munus hoc eorum, qui consuluntur? quamquam est populo necessarium. Nec vero eos, qui ei muneri praefuerunt, universi iuris fuisse expertis existimo, sed hoc civile quod vocant eatenus exercuerunt, quoad populo praestare voluerunt; id autem ut cognitione tenue est, ita usu necessarium. Quam ob rem quo me vocas? aut quid hortaris? ut libellos conficiam de stillicidiorum ac de parietum iure? an ut stipulationum et iudiciorum formulas conponam? quae et conscripta a multis sunt diligenter et sunt humiliora quam illa, quae a nobis exspectari puto.

V. 15. *Att.* Atqui, si quaeris, ego quid exspectem, quoniam scriptum est a te de optimo rei publicae statu, consequens esse videtur ut scribas tu idem de legibus: sic enim fecisse video Platonem illum tuum, quem tu admiraris, quem omnibus anteponis, quem maxime diligis. *M.* Visne igitur, ut ille Crete cum Clinia et cum Lacedaemonio Megillo aestivo, quem ad modum describit, die in cupressetis Gnosiorum et

---

4. *ut aliis* AB, sed A in ras. a m. recent. — 5. *celeris* AB — *nam a* C (*a* in A sup. lin. a man. 1.): *nam et a* O; *nam* (sine *a*) Bake — 6. *quom* A H[2]: *cum* B H[1] — *sceuolam* AB — 7. *contemneris* B[1] — 10. *consummam* A B H[1] — 11. *spacia* A — *pergamus* AB[2] — 12. *deambulatum* H[2] O — 13. *derit* C[1] — *aliut* B — 14. *adirem* AB; *ad Lirem* Bake; *et hac quidem si placet* (om. *adire*) Lamb. et Ernesti; v. Vahlen in *Zeitschr. für die österr. Gymnasien*, 1860 p. 23 sq. — 15. *Ego memini ne* H[2] in marg. — *summus* B[1] — 16. *quid* H — 17. *professus* H[1] — *enim mihi est* B — 18. *quid* H: *quam* AB, unde Bake suspicatus est scribendum esse: *quam autem exiguum est munus hoc eorum* etc. — 19. *quamquam* Turnebus: *quam* C (sed H pr. m. *quod*) — *necessario* B[1] — 20. *expertes fuisse* O (*f. expertos* A[2] B[2]) — 21. *populo* AB et H in marg.: *populum* H[1] O; *populo probare* coni. Ernesti; *ad* (i. e. *apud*) *populum praestare* Madvig; *populo deberi viderunt* Bake — 22. *ut cogn. tenue est, ita usu* scripsi: *incogniti de tenui est in usu* C, *incognitum est minusque in usu* H corr. in marg.; *in cognitione tenue est, in usu* O cum Madvigio, sed priore *in* incluso — 23. *ortaris* B — 24. *stellicidiorum* B[1] H[1] — *iure. aut stip.* H, *iure anstip.* B, *ut* supra scripto, *iure? aut ut stip.* O — 25. *formulis* B[1] H[1] — *comp.* B O — *scripta* H[1] O — *sunt a multis* O — 26. *a nobis* C: *a vobis* O, ut iam in edd. vett. correctum est — *expectari* C, ut fere semper — 27. *adqui* B[1] — *quaeris* Rath: *quaeres* C O — 28. *est sat a te* H — *consequentes se* B[1] — 30. *ammiraris* H, ut semper — 31. *cretae* B H — *megallo* H[1], *mega lo* B, *megala* H[2], *maegala* A (extrema *a* in ras.) — 32. *onosiorum* H[1], *cnos.* H[2] O, *noscorum* B.

spatiis silvestribus, crebro insistens, interdum adquiescens, de institutis rerum publicarum ac de optimis legibus disputavit, sic nos inter has procerissimas populos in viridi opacaque ripa inambulantes, tum autem residentes, quaeramus isdem de rebus aliquid uberius quam forensis usus desiderat? 16. *Att.* Ego vero ista audire cupio. *M.* Quid sit Quintus? *Q.* Nulla de re magis. *M.* Et recte quidem. Nam sic habetote, si ullo in genere disputandi, in hoc ista patefieri, quid sit homini natura tributum, quantam vim rerum optimarum mens humana contineat, cuius muneris colendi efficiendique causa nati et in lucem editi simus, quae sit coniunctio hominum, quae naturalis societas inter ipsos: his enim explicatis fons legum et iuris inveniri potest. 17. *Att.* Non ergo a praetoris edicto, ut plerique nunc, neque a duodecim tabulis, ut superiores, sed penitus ex intima philosophia hauriendam iuris disciplinam putas. *M.* Non enim id quaerimus hoc sermone, Pomponi, quem ad modum caveamus in iure aut quid de quaque consultatione respondeamus. Sit ista res magna, sicut est, quae quondam a multis claris viris, nunc ab uno summa auctoritate et scientia sustinetur, sed nobis ita conplectenda in hac disputatione tota causa est universi iuris ac legum, ut hoc civile quod dicimus in parvum quendam et angustum locum concludatur. Natura enim iuris explicanda nobis est eaque ab hominis repetenda natura, considerandae leges, quibus civitates regi debeant; tum haec tractanda quae conposita sunt et descripta iura et iussa populorum, in quibus ne nostri quidem populi latebunt quae vocantur iura civilia.

VI. 18. *Q.* Alte vero et, ut oportet, a capite, frater, repetis quod quaerimus; et qui aliter ius civile tradunt, non tam iustitiae quam litigandi tradunt vias. *M.* Non ita est, Quinte, ac potius ignoratio iuris litigiosa est quam scientia. Sed hoc posterius: nunc iuris principia videamus.

Igitur doctissimis viris proficisci placuit a lege, haud scio an recte, si modo, ut idem definiunt, lex est ratio summa, insita [in] natura, quae iubet ea quae facienda sunt prohibetque contraria. Eadem ratio cum est in hominis mente confirmata et perfecta, lex est. 19. Itaque arbitrantur prudentiam esse legem, cuius ea vis sit, ut recte facere iubeat, vetet delinquere: eamque rem illi Graeco putant nomine a suum

---

1. *spaciis* B, *spanti* H[1] — *acqu.* O — 2. *disputavit* Klotz: *disputans* C, *disputat* O — 3. *procerrimas* H — 4. *hisdem* AB, *iisdem* O — 7. *si ullo in genere disputandi, in hoc ista* scripsi: *nullo in genere disputando honesta* C (*disputandi magis honesta* H[2]), *nullo in genere disputandi magis honeste* O; *nullo in g. disputationis sic patef.* Turnebus, *n. in g. disputandi illud honestum magis pat.*, *quod sit* Wyttenbach, *n. in g. disputandi nisi hoc* (vel *in hoc*) *p.* Bake — *natura trib.* AB: *a natura trib.* H; *trib. natura* O — 8. *obt.* B — 9. *editissimus* B, *editi sumus* H — 10. *hominumq;* A, *hominum atque* Bake — *is* corr. in *iis* B — 13. *filosophia aur.* H — 14. *putamus* H, sed non distincte — *id* habet etiam AH — 16. *qondam* H, *condam* B[1] — 17. *sed* A in ras. habet ex *et*, ut videtur — *noris ista* C — 18. *conpletenda* B, *compl.* O — 20. *natura* cod. Manutii: *naturae. natura* C — *est nobis* O — 22. *tum* H corr. ex *Cum* — *comp.* BHO — 23. *uocabuntur* H, sed *bu* punctatae — 25. *alter uero* B[1], *Altero uero* H[1] — 26. *qui* A in ras. habet — 27. *est ita* O — *at potius* A[2]B[2]H[2] — 28. *hoc* C: *haec* O — 30. *aut* A[1]B[1], *haut* B[2] — 31. *iidem* O — *in* del. Madvig — 32. *prohibet quae* AB — *eademque* Bake — 33. *conformata* Gulielmus; at v. infra I, § 27 extr. — *perfecta* Vahlen (coll. I, §§ 27. 25. 22. II, § 11): *confecta* CO — 35. *nomine* H ead. m. corr. ex *non est*; *nomine νόμον* Lambinus — *a* om. C.

cuique tribuendo appellatam, ego nostro a legendo. Nam ut illi aequitatis, sic nos delectus vim in lege ponimus, et proprium tamen utrumque legis est. Quod si ita recte dicitur, ut mihi quidem plerumque videri solet, a lege ducendum est iuris exordium; ea est enim naturae vis, ea mens ratioque prudens, ea iuris atque iniuriae regula. Sed quoniam in populari ratione omnis nostra versatur oratio, populariter interdum loqui necesse erit et appellare eam legem, quae scripta sancit quod vult aut iubendo *aut prohibendo*, ut vulgus appellat. Constituendi vero iuris ab illa summa lege capiamus exordium, quae saeclis omnibus ante nata est quam scripta lex ulla aut quam omnino civitas constituta. 20. *Q.* Commodius vero et ad rationem instituti sermonis sapientius. *M.* Visne ergo ipsius iuris ortum a fonte repetamus? quo invento non erit dubium quo sint haec referenda, quae quaerimus. *Q.* Ego vero ita esse faciendum censeo. *Att.* Me quoque adscribito fratris sententiae. *M.* Quoniam igitur eius rei publicae, quam optimam esse docuit in illis sex libris Scipio, tenendus est nobis et servandus status omnesque leges adcommodandae ad illud civitatis genus, serendi etiam mores, nec scriptis omnia sancienda, repetam stirpem iuris a natura, qua duce nobis omnis est disputatio explicanda. *Att.* Rectissime, et quidem ista duce errari nullo pacto potest.

VII. 21. *M.* Dasne igitur hoc nobis, Pomponi, — nam Quinti novi sententiam — deorum inmortalium vi, [natura] ratione, potestate, mente, numine, sive quod est aliud verbum, quo planius significem quod volo, naturam omnem regi? nam si hoc non probas, ab eo nobis causa ordienda est potissimum. *Att.* Do sane, si postulas; etenim propter hunc concentum avium strepitumque fluminum non vereor condiscipulorum ne quis exaudiat. *M.* Atqui cavendum est; solent enim, id quod virorum bonorum est, admodum irasci, nec vero ferent, si audierint te primum caput viri optimi prodidisse, in quo scripsit n i h i l c u r a r e d e u m n e c s u i n e c a l i e n i. 22. *Att.* Perge, quaeso: nam id, quod tibi concessi, quorsus pertineat exspecto. *M.* Non faciam longius; huc enim pertinet, animal hoc providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis et consilii, quem vocamus hominem, praeclara quadam conditione generatum esse a supremo deo. Solum est enim ex tot animantium generibus atque naturis particeps rationis

---

1. *aligendo* B^1H^1 — 2. *delectus* B^1, *intellectus* A in ras. a m. recenti — *vim* A sup. lin. sed 1 m. — 3. *quositita* AB — 7. *apellare* C^1: O *appellare* hic om. et infra post *vulgus* habet — *scripta* ABH^1: *scripto* H^2O; cf. Bake ad h. l. — 8. *aut prohibendo* Baiter: *aut vetando* O, om. codd. Cf. § 18. — *appellat* Lambinus: *appellarit* A (syll. *rit* in ras.), *appellaret* B, *appellare et* H, *appellare* O — *constituendo* BH^1 — 9. *saeclis* A: *seclis* BH corr. ex *sedis*, *seculis* O — *omnibus* A: *communibus* BH — 10. *ante nota* (sic) *est* A in ras. habet m. rec., *annata ē* B^1, *ante nota ē* B^2 — 11. *ab ratione* B^1 — 12. *repetam* H cum virgula, quae a 2. m. addita videtur — 13. *reuerenda* B^1 — 14. *faciendum esse* O — *adscribi* C; incertum est scripseritne Cic. *adscribe* an *adscribito*, ut iam in edd. vett. correctum est — 15. *optumam* B, *obtimam* H — 17. *accomm.* BHO — *illius* H^2 — 18. *scriptis*] *scitis* coni. Bake — 19. *omnis est nobis* O — 22. *de deorum* H^2 — *ui, natura*] *ut natura* C (sed H *naria*); *vi* (del. *natura*) em. Lambinus; scripturam *vi natura* defendit Feldhügel in comment. p. 35. — 23. *nomine* B^1 — *quod planius* H — 24. *reginam* A^1, *regi. Nam* H^1 (H^2 *diuinam*), *riginem* B^1 — *abeo* H corr. in *a deo* — 29. *caput viri* Aldus nepos: *caput li* A^1, *capulli* A^2B, *capituli* H; *caput libri* Victorius, *caput magistri* Bake — 30. *ne sui* A — 31. *quorsus* B corr. ex *cursus* — 32. *sagax et multiplex* H, sed *x et* in ras. — 34. *condicione* H — 35. *generalibus* B^1.

et cogitationis, cum cetera sint omnia expertia. Quid est autem non dicam in homine, sed in omni caelo atque terra, ratione divinius! quae cum adolevit atque perfecta est, nominatur rite sapientia. 23. Est igitur, quoniam nihil est ratione melius estque et in homine et in deo, prima homini cum deo rationis societas. Inter quos autem ratio, inter eosdem etiam recta ratio est communis. Quae cum sit lex, lege quoque consociati homines cum dis putandi sumus. Inter quos porro est communio legis, inter eos communio iuris est. Quibus autem haec sunt [inter eos] communia, ei civitatis eiusdem habendi sunt. Si vero isdem imperiis et potestatibus parent, multo iam magis. Parent autem huic caelesti discriptioni mentique divinae et praepotenti deo: *est igitur* universus hic mundus una civitas communis deorum atque hominum existimanda. Et quod in civitatibus ratione quadam, de qua dicetur idoneo loco, agnationibus familiarum distinguuntur status, id in rerum natura tanto est magnificentius tantoque praeclarius, ut homines deorum agnatione et gente teneantur.

VIII. 24. Nam cum de natura hominis quaeritur, disputari solet [nimirum ita sunt, ut disputantur], perpetuis cursibus conversionibusque caelestibus exstitisse quandam maturitatem serendi generis humani, quod sparsum in terras atque satum divino auctum sit animorum munere, quomque alia quibus cohaererent homines e mortali genere sumpserint, quae fragilia essent et caduca, animum esse ingeneratum a deo. Ex quo vere vel agnatio nobis cum caelestibus vel genus vel stirps appellari potest. Itaque ex tot generibus nullum est animal praeter homi-

---

1. *et cogitationis* om. B — *quom* B, *quor* A, sed *r* in ras. — *ceteri* A^1 — *expertia* B^1 — 3. *quom* A — 4. *estque* scripsi: *eaque* A B O, sed habet A *ea* in ras., *eque* H; *eaque est* Madvig — 5. *rationis et societas* H — *ratione* H^1 — 6. *est communis* Bake et Feldhügel: *et communis est* C, *comm. est* O — 7. *consotiati* A, *conciliati* codd. dett. et O — *dis* C (sed A habet in ras.): *diis* O — 9. *inter eos* cum Mosero incl. O, nisi potius *inter ipsos* corrigendum est. Locutionem defendere conatus est Haase ad Reisigii schol. l. Lat. not. 374. — *communi* B — *ei* Bake: *et* C, sed habet A in ras.; *ei* om. O — *ciuitatē* H — *iisdem* O — 10. *multo etiam* O cum uno Dresdensi — *autem* A (sic distincte), *aū* (i. e. *autem*) B H — 11. *descriptioni* BHO — *mentioque* B^1, *menti•que* A — *praepotenti de•••••universus* A (in lacuna man. 2, quae eadem *un* addidit, *etiam* scriptum est, sed ita ut eo vocabulo totum spatium litterarum eras. non impleatur), *praepotenti deutiam* (*unde etiam* corr.) B, *praepotenti deo ut iam* H et O, sed hic addito *sit* post *civitas*, quod Feldhügel post *universus* collocavit. Cum *sit* in omnibus codd. desideretur et ex scriptura primaria in cod. A saltem sedes vitii intellegatur, nos aliud supplementum orationis mancae tentavimus. — 13. *dicitur* $A^1 B^1$ (*dicetur* in A ead. m. corr. est). — 14. *anationibus* A^1 — *distinguntur* A — *in* H sup. lin. — 16. *contineantur* Christ — 17. *hominis* Victorius: *omni* C — *quaeruntur disputari solent . nimirum ita sunt ut disputantur* C; nos *nimirum* - - *disputantur* cum Wyttenbachio ut glossema inclusimus; eadem verba alii sic emendare conati sunt: *et nimirum ista sunt* (sic etiam O, vel *sunt ista*), *ut disputantur* (vel *disputatur*), melius Schoemannus in Opusc. III, 345: *et nimirum ita est, ut disputatur* — 18. *conversionibusque* Ernesti: *conuersionibus* C; emendatio non plane certa videtur, cum illud quoque potuerit fieri ut *cursibus* ab aliquo explicandi causa ad *conuersionibus* adderetur. Lactantius II, 11 ex memoria locum sic recitavit: *aiunt certis conversionibus caeli et astrorum motibus maturitatem quandam extitisse animalium serendorum.* — 20. *atque factum* A B H^1 — *muneri* H^1 — 21. *cumque alia quibus* Turnebus: *quamque* (*nam quod* A B sup. lin. m. 2) *aliquibus* C — *cohaerent* A^1, *coherent* B H — 22. *quae flagitia* B H — 23. *agnitio* H — *stirpis apellari* (*app.* B) C — 24. verba *ex tot generibus* - - *quasi recordetur* affert Lactantius in div. instit. III, 10, 7.

nem, quod habeat notitiam aliquam dei, ipsisque in hominibus nulla gens est neque tam mansueta neque tam fera, quae non, etiam si ignoret qualem habere deum deceat, tamen habendum sciat. 25. Ex quo efficitur illud, ut is agnoscat deum, qui, unde ortus sit, quasi recordetur [agnoscat]. Iam vero virtus eadem in homine ac deo est neque alio ullo *in* ingenio praeterea; est autem virtus nihil aliud nisi perfecta et ad summum perducta natura: est igitur homini cum deo similitudo. Quod cum ita sit, quae tandem esse potest propior certiorve cognatio? Itaque ad hominum commoditates et usus tantam rerum ubertatem natura largita est, ut ea, quae gignuntur, donata consulto nobis, non fortuito nata videantur, nec solum ea, quae frugibus atque bacis terrae fetu profunduntur, sed etiam pecudes, quarum perspicuum est partim esse ad usum hominum, partim ad fructum, partim ad vescendum procreatas. 26. Artes vero innumerabiles repertae sunt, docente natura, quam imitata ratio res ad vitam necessarias sollerter consecuta est.

IX. Ipsum autem hominem eadem natura non solum celeritate mentis ornavit, sed ei sensus tamquam satellites adtribuit ac nuntios, et rerum plurimarum obscuras nec satis * * intellegentias inchoavit quasi fundamenta quaedam scientiae figuramque corporis habilem et aptam ingenio humano dedit. Nam cum ceteras animantes abiecisset ad pastum, solum hominem erexit et ad caeli quasi cognationis domiciliique pristini conspectum excitavit, tum speciem ita formavit oris, ut in ea penitus reconditos mores effingeret. 27. Nam et oculi mimi arguti, quem ad modum animo adfecti sumus, locuntur, et is, qui appellatur

---

1. *aliquam deipsis quin hominibus* B, *aliquam de ipsis quidem* (*idem* est ex corr.) *hominibus* H, *aliquam* ∘∘∘∘∘ *qui hominibus* A (*aliquam* est in extremo versu, cui extra lineam m. 2 adscriptum est *dei*; in loco eraso vestigia sunt literarum *deipsis*, ut est in B H) — 2. *immansueta* O cum aliquot codd. Lactantii; at v. Feldhügel ad h. l. et Ern. V. Ed. Vogelii observv. ad aliquot Cic. locos (Biponti 1830) p. 22 sq. — 4. *illud* (*ut* sup.) *ex his agnoscat* A; *is* om. H — *deum* A sup. lin. — 5. *agnoscat* A B², *cognoscat* B¹ H, *ac noscat* O, *et cognoscat* Feldhügel. Difficile dictu est sitne *agnoscat* (*cogn.*) ex glossemate adiectum, quod verisimillimum videtur, cum praesertim Lactantius quoque sententiam in voc. *recordetur* finierit, an *atque agnoscat* corrigendum. — *iam* B sup. lin. — *vero* om. B — 6. *in ingenio* nos: *in* om. C O, *in genere* Davisius — *praeter eas autem* C — *aliud nisi perfecta* Bake: *aliud in se perfecto* (non *perfecta*) C, *aliud quam in se perfecta* O — 7. *perducta. Naturalis est* H — *quom deo* B¹ (post *deo* est *et* sup. lin.) — 8. *quom* (*quod* corr.) *cum ita* B — *propior* B in ras. — *cognitio* B¹ H¹ — 9. *commoditatis* A¹ B¹ — 10. *consulta* B¹ H — *nobis confortuito* H — 11. *bagis* B¹, *bacis terrae* A, sed *cis ter* in ras. — 12. *quarum p. est* Bake: *quod p. sit* C O (sed A *quod* ex corr.), *quas p. sit* Davies, *quo p. fit* Ernesti, *quum p. sit* Rath, *quod p. est* Klotz — 13. *fructuum* A B¹ — 14. *artis uero innumerabilis* B¹ — 15. *solerter* A B², *solertas* B¹ — 17. *sed ei* Bake: *sed et* C, *sed etiam* O — *attr.* B O — 18. *obscurarum necessarias intelligentias* O, sed in adn. intellexit locum sic edendum esse, ut supra fecimus — *nec satis intellegentias* C (*intellegendas* A² B²): *necessarias intelligentias* O; intercidisse post *satis* adiectivum aut participium complures intellexerunt, ut *claras*, *apertas*, *illustratas*, *enodatas*; ipse *distinctas* deesse aliquando conieci. — *inchoavit* Auratus: *enudavit* C. Aliorum coniecturas de loco impedito v. in comment. Feldhügelii p. 49. — 20. *ceteras animam* B¹, *cetera animalia* H — 21. *et ad caeli* H: *et* om. A B, *ad caelique* O — 22. *formatiori* ∘ *ut* A, *forma ultioris ut* B — *in eo* malebat Bake — 23. *mimi* Heidegger (qui erat sodalis philologici seminarii Monacensis a. 1857, quo haec scripsimus): *nimis* C; *inprimis* Feldhügel, *limis* Toup, *indices* Schuetz, *in minimis* Bake — 24. *affectis* H, *effecti* A B — *sumus* A B: *simus* H — *loquuntur* O — *et hii qui appellantur* B¹.

vultus, qui nullo in animante esse praeter hominem potest, indicat mores, cuius vim Graeci norunt, nomen omnino non habent. Omitto opportunitates habilitatesque reliqui corporis, moderationem vocis, orationis vim, quae conciliatrix est humanae maxime societatis; neque enim omnia sunt huius disputationis ac temporis et hunc locum satis, ut mihi videtur, in iis libris, quos legistis, expressit Scipio. Nunc quoniam hominem, quod principium reliquarum rerum esse voluit, generavit et ornavit deus, perspicuum sit illud, ne omnia disserantur, ipsam per se naturam longius progredi: quae etiam nullo docente profecta ab iis, quorum ex prima et inchoata intellegentia genera cognovit, confirmat ipsa per se rationem et perficit.

X. 28. *Att.* Di inmortales, quam tu longe iuris principia repetis! atque ita, ut ego non modo ad illa non properem, quae exspectabam a te de iure civili, sed facile patiar te hunc diem vel totum in isto sermone consumere: sunt enim haec maiora, quae aliorum causa fortasse conplecteris, quam ipsa illa, quorum haec causa praeparantur. *M.* Sunt haec quidem magna, quae nunc breviter attinguntur, sed omnium, quae in hominum doctorum disputatione versantur, nihil est profecto praestabilius quam plane intellegi nos ad iustitiam esse natos neque opinione, sed natura constitutum esse ius. Id iam patebit, si hominum inter ipsos societatem coniunctionemque perspexeris. 29. Nihil est enim unum uni tam simile, tam par, quam omnes inter nosmet ipsos sumus. Quod si depravatio consuetudinum, si opinionum vanitas non inbecillitatem animorum torqueret et flecteret, quocumque coepisset, sui nemo ipse tam similis esset quam omnes sunt omnium. Itaque quaecumque est hominis definitio, una in omnis valet. 30. Quod argumenti satis est nullam dissimilitudinem esse in genere: quae si esset, non una omnis definitio contineret. Etenim ratio, qua una praestamus beluis, per quam coniectura valemus, argumentamur, refellimus, disserimus, conficimus aliquid, [concludimus,] certe est communis, doctrina differens, discendi quidem facultate par. Nam et sensibus eadem omnia conprehenduntur, et ea, quae movent sensus, itidem movent omnium, quaeque in animis inprimuntur, de quibus ante dixi, inchoatae intellegentiae, similiter in omnibus inprimuntur, interpresque mentis oratio verbis

---

1. *homine* B, *hominū* A — 2. *mores* om. O cum uno Gud. 2. — *quoius* B H — *vim* H sup. lin. — *habet* B; *ent* in *habent* A in ras. — 3. *oportunitates* A H — 4. *est* om. H — *maximae* B² — *enim* om. H — 5. *cuius* B¹ — *mihi • detur* B — 6. *in his* C — 7. *volui* homo doctus nescio quis in Bibl. philol. Lips. 1779 Tom. I et Bake — *generauit et* B, sed *it et* in ras. — 9. *ab his* C — 10. *ex*] *ē* H — *incoata* A¹ B — 11. *et perficit* A sup. lin. 2 m. sed vetere, *et perfecit* B¹ — 12. *dii* C O — *immort.* O — *quamtu* H¹: *quantu* B¹, *quantum* A B² H² — 13. *spectabam* B¹ — 16. *conpl.* B H O — 18. *doctorum hominum* O — *disputationē* A B — *nil* A — 20. *opiniones et* B¹, *opinione set* A¹ — *esse* A sup. lin. — *sidiam* B¹ — 21. *homines* B — *coniunctionem* A B, unde suspicere *et coni.* — 23. *consuetudinem* A¹ B¹ — *opinionem* A¹ — 24. *imb.* B O — *quoquumque* A, *cocūq;* B¹ — *cepisset* B H — 25. *sunt* C: [*essent*] O, *sunt* del. Lamb. — 26. *omnes* O — *quid* A¹ B¹ — 27. *esse in ingenere* B — 28. *omnes* O — 29. *refellimur* B¹ — 30. *ac concludimus*, ut est in ed. Veneta, malebat Moserus suffragante Bakio; nobis potius *concludimus* glossema ad vv. *conficimus aliquid* adiectum videtur. — 31. *compr.* O — 32. *itidem* A B² (sed in A *iti* in ras.): *iidem* B¹ H — 33. *inchotae* B — 34. *interpres • • que mentis* A, *interpresseq; mentis* B, *interprẹs quẹ mentis* H¹.

discrepat, sententiis congruens. Nec est quisquam gentis ullius, qui ducem *naturam* nactus ad virtutem pervenire non possit.

XI. 31. Nec solum in rectis, sed etiam in pravitatibus insignis est humani generis similitudo. Nam et voluptate capiuntur omnes, quae etsi est inlecebra turpitudinis, tamen habet quiddam simile naturali bono; levitatis enim et suavitatis * * * delectans, sic ab errore mentis tamquam salutare aliquid adsciscitur, similique inscientia mors fugitur quasi dissolutio naturae, vita expetitur, quia nos in quo nati sumus continet, dolor in maximis malis ducitur, cum sua asperitate, tum quod naturae interitus videtur sequi: 32. propterque honestatis et gloriae similitudinem beati qui honorati sunt videntur, miseri autem qui sunt inglorii. Molestiae, laetitiae, cupiditates, timores similiter omnium mentes pervagantur, nec, si opiniones aliae sunt apud alios, idcirco qui canem et faelem ut deos colunt, non eadem superstitione qua ceterae gentes conflictantur. Quae autem natio non comitatem, non benignitatem, non gratum animum et beneficii memorem diligit? quae superbos, quae maleficos, quae crudelis, quae ingratos non aspernatur, non odit? quibus ex rebus cum omne genus hominum sociatum inter se esse intellegatur, illud extremum est, quod recte vivendi ratio meliores efficit. Quae si adprobatis, pergam ad reliqua: sin quid requiritis, id explicemus prius. *Att.* Nos vero nihil, ut pro utroque respondeam.

XII. 33. *M.* Sequitur igitur ad participandum alium alio communicandumque inter omnes ius nos natura esse factos. Atque hoc in

---

1. *discrepat* H: *decrepant* $A^1 B^1$; *interpresque est mentis oratio*, *verbis discrepans, sententiis congruens* O; vid. Bake ad hunc locum. — 2. *naturam* om. C, sed in H manus recens in margine adscripsit — *posset* A B — 4. *omnis* A — 5. *illecebra* H O — *naturali bono* H: *natura libronae* B^1, *naturalis boni* B^2 et A, sed in hoc est *lis boni* in ras. — 6. *leuitatis enim et suauitatis* • • • A (post *suau.* tria fere vocabula erasa sunt, ante *enim* est sup. lin. *est*): *leuitatis est enim et suauitatis* B (sine lacuna), *Leuitatis enim et suauitatis. est enim et suauitate* H, *lévitate enim et suavitate* O. Cum Madvigius idem lacunae indicium, quod nos ex optimo A in lucem produximus, in codice Hauniensi invenisset, vere de loci scriptura sic iudicavit: «Genitivos, qui pendent a vocabulo, quod excidit, ceteri etiam codices servarunt, lacunae indicium sustulerunt. Frustra igitur, cum pars sententiae exciderit, editores ex iis quae supersunt integri aliquid efficere conantur.» Non audivit prudenter monentem Feldhuegel, in cuius commentario vide sis infelicia criticorum conamina de loco desperato collecta. — *mentes* B^1 — 7. *adsc.* C: *asc.* O — *inscientia* Lambinus: *inscitia* C O; v. Madvig. ad Cic. de finn. p. 95. — 8. *natissumus* B — 9. *dicitur* A^1 — *cum* B H (*quom* B^1): *tum* A O — *tum* H corr. ex *cum* — 10. *uideatur* H — *propter quae* $B^1 H^1$, *propter quam* A $B^2 H^2$, sed *quã* in A est in ras. — *honestates* A B^1 — 11. *similitudine* H — *qui* A B corr. ex *que* — *honesti* B, sed *es* in ras. — *sunt* (ante *ingl.*) om. Manutius, item Feldh. et Klotz, sed hi errore operarum — 12. *inglorij* B (*j* in ras.), *ingloria* A — *Iam molestiae* Davies admodum probabiliter — 13. *ne si* B — *aput* A — † *qui canem* O, at v. Bake et Feldh. — 14. *faelem* A: *felem* B H O; cf. supra p. 352, 28. — 15. *quomitatem* B^1 — 16. *beneficia* B^1 — *diliget* $A^1 B^1$ — 17. *crudeles* B H O — 18. *quibus ex rebus cum illud intelligatur, genus hominum inter se sociatum esse, quod extremum est, recte vivendi ratio meliores efficit* Wyttenbach coni. — *sotiatum* A — 19. *uidendi* H — malim: *homines meliores eff.* — 20. *quasi* B^1 H — *approbatis* A B^2 (sed in A *is* in ras.): *adprobantes* B^1, *approbantes* H — Bake: «pro *pergam* non repudiandum esse puto *pergamus*, quod olim in A fuisse suspicor propter erasa duo elementa.» Ipse ex A hoc solum enotavi, totum verbum *pergam* cum syllaba *tis* (ex praecedente *adprobatis*) in loco eraso manu secunda scripta esse. — 22. *alium alio* A: *alium ab alio* B H O, sed *ab* in B punctatum; conf. Madvigii Opusc. II, 141 — 23. post *inter* in A *se* sup. lin. m. 2 additum est. — *ius nos* Davies: *iustos* C, *ius homines* O cum Goerenzio.

omni hac disputatione sic intelligi volo, *ius* quod dicam natura esse, tantam autem esse corruptelam malae consuetudinis, ut ab ea tamquam igniculi exstinguantur a natura dati exorianturque et confirmentur vitia contraria. Quod si, quo modo est natura, sic iudicio homines humani, ut ait poeta, nihil a se alienum putarent, coleretur ius aeque ab omnibus. Quibus enim ratio natura data est, isdem etiam recta ratio data est, ergo et lex, quae est recta ratio in iubendo et vetando: si lex, ius quoque. Et omnibus ratio; ius igitur datum est omnibus: recteque Socrates exsecrari eum solebat, qui primus utilitatem a iure seiunxisset; id enim querebatur caput esse exitiorum omnium. Unde est illa Pythagorea vox: * * * 34. Ex quo perspicitur, quom hanc benevolentiam tam late longeque diffusam vir sapiens in aliquem pari virtute praeditum contulerit, tum illud effici, quod quibusdam incredibile videatur, sit autem necessarium, ut nihilo se ipse plus quam alterum diligat. Quid enim est quod differat, cum sint cuncta paria? Quod si interesse quippiam tantulum modo potuerit in amicitia, amicitiae nomen iam occiderit, cuius est ea vis, ut, simul atque sibi aliquid alter maluerit, nulla sit. Quae praemuniuntur omnia reliquo sermoni disputationique nostrae, quo facilius ius in natura esse positum intellegi possit. De quo quom perpauca dixero, tum ad ius civile veniam, ex quo haec omnis est nata oratio.

XIII. 35. *Q.* Tu vero iam perpauca scilicet; ex his enim, quae dixisti * * Attico, videtur mihi quidem certe ex natura ortum esse ius. *Att.* An mihi aliter videri possit, cum haec iam perfecta sint, primum quasi muneribus deorum nos esse instructos et ornatos, secundo autem loco unam esse hominum inter ipsos vivendi parem *et* communem rationem, deinde omnes inter se naturali quadam indulgentia [et benevolen-

---

1. *ius* om. C, addidit Pearcius — *quo de dicam* Zumpt — *natura* Lambinus: *naturam* C O; ipse malim: *natura inesse* — 3. *agniculi* H — *ext.* A B — 4. *quo m. iubet nat.* Davies — 5. *poeta ut nihil* A[1]B — *aeaque* B — *abominibus* A — 6. *natura* A B: *a natura* H O (non item A) — *iisdem* O — 8. *et* C: *At* O ex vetere coni.; cf. Feldh. ad h. l. et M. Seyfferti Schol. Lat. I, 187 — 9. *a iure* Davies: *naturae* C, *a natura* O — 10. *seiunxisset* B H — *capud* B[1] H — *unde est* Manutius: *unde enim* C, sed habet A *unde* sup. lin. m 2; *unde etiam* O et aliquot codd. dett. Ipse malim, cum absit *unde* a cod. A[1]: *Hinc illa* — 11. *pithagoreia* B (*ia* ex corr.), *phytagoraeia* A (*aeia* in ras.), *philagorea* H — *vox*] *vox de amicitia locus* C; glossema in locum sententiae Pythagoreae se intrusit, quae verbis Graecis relata fuisse videtur; intercidisse haec putant: *τὰ τῶν φίλων κοινὰ καὶ* (Lamb. et Mos. *et*) *φιλίαν ἰσότητα* — 12. *beniu.* C, ut semper — *iam* H[1] — *longe* B H — *aliquā* B[1] — 13. *illut* A — *efficit* A B — 14. *sit*] Si H, *sic* A B — *nihilo* edd. vett.: *in illo* C — *se ipse* scripsi: *sepe* H, *sese* A B O (sed A totum voc., B duas medias litteras in ras. habet) — 15. *cuncta sint* Feldhuegel errore, ut videtur — 16. *quidpiam* O — *in amicitia, amicitiae nomen iam* Vahlen: *inamilitiae nomenta* AB, *iam amicitiae nomen* H, *am . iam nomen* aliquot dett., *amicitiae nomen* O — 18. *alter* H: *alteri* A B corr. ex *alterū*, *quam alteri* O, *alter quam alteri* Vahlen in «*Zeitschr. für die österr. Gymn.*» 1860, p. 11 sq. — *que* B[1], *qua* H, *quo* A B[2] (sed *o* A in ras.) — 20. *cum* B H — 21. *est nata* C (*nata* A in ras.): *nata est* O — 22. *perpauca sualicet* A H, *perpaucas ualet licet* B — *his* A B: *siis* H, *iis* O — 23. *attico* B[1] H: *attice* A B[2]; *adhuc* Feldhügel; *satis* Bake, *nisi quid Attico videtur* Ursinus; similem sententiam, ut «*nisi aliter Attico videtur*», requiri ex responso Attici confici videtur. — 24. *uidere* A B[1] — 25. *nos* H: *nobis* A B, sed *bi* in B punctatum (de B erravit Bake) — 26. *parem* A rasura ex *partem* — *et* Klotz: om. C O — *communem* C: *communemque* O (in B *que* m. 2 sup. versum add. est) — 27. *quidam* B[1] — *et beniuolentia* A in marg. habet a m. recentiore.

tia], tum etiam societate iuris contineri? Quae quom vera esse recte, ut arbitror, concesserimus, qui iam licet nobis a natura leges et iura seiungere? 36. *M.* Recte dicis, et res se sic habet. Verum philosophorum more, non veterum quidem illorum, sed eorum, qui quasi officinas instruxerunt sapientiae, quae fuse olim disputabantur ac libere, ea nunc articulatim † detecta dicuntur. Nec enim satis fieri censent huic loco, qui nunc est in manibus, nisi separatim hoc ipsum, natura esse ius, disputarint. *Att.* Aut scilicet tua libertas disserendi amissa est, aut tu is es, qui in disputando non tuum iudicium sequare, sed auctoritati aliorum pareas. 37. *M.* Non semper, Tite, sed iter huius sermonis quod sit vides: ad res publicas firmandas et ad stabiliendas * * iure sociandos populos omnis nostra pergit oratio. Quocirca vereor committere, ut non bene provisa et diligenter explorata principia ponantur, nec tamen ut omnibus probentur — nam id fieri non potest —, sed ut eis, qui omnia recta atque honesta per se expetenda duxerunt et aut nihil omnino in bonis numerandum, nisi quod per se ipsum laudabile esset, aut certe nullum habendum magnum bonum, nisi quod vere laudari sua sponte posset: — 38. iis omnibus, sive in Academia vetere cum Speusippo, Xenocrate, Polemone manserunt, sive Aristotelem et Theophrastum, cum illis congruentes re, genere docendi paulum differentes, secuti sunt, sive, ut Zenoni visum est, rebus non commutatis inmutaverunt vocabula, sive etiam Aristonis difficilem atque arduam, sed iam tamen fractam et convictam sectam secuti sunt, ut virtutibus exceptis atque vitiis cetera in summa aequalitate ponerent, iis omnibus haec, quae dixi, probentur. 39. Sibi autem indulgentis et corpori deservientis atque omnia, quae sequantur in vita quaeque fugiant, voluptatibus et doloribus ponderantis, etiam si vera dicunt — nihil enim opus est hoc loco litibus —, in hortulis suis iubeamus dicere, atque etiam ab omni societate rei publicae, cuius partem nec norunt ullam neque umquam nosse voluerunt, paulisper facessant rogemus. Pertur-

---

1. *cum* H^1 — *continere* AB^1 — *cum* BH — 2. sup. *qui* in B est: «.*i. quomodo*» — *legis* B^1 — 6. *detecta* A (sed est tota vox in rasura a m. rec.): *deticta* B^1, *distincta* B^2, *distincte* H, *distincteque* dett. et O; *dissecta* Madvig Opusc. II, 137; an *disiecta*? — 7. *natura esse* Lambinus: *naturae esse* CO — 8. *Aut* Lambinus: *et* CO — *aut fuisse qui* C — 9. *sequar esset* B, *sequa*$_{\circ}$*ressed* A — 10. *semper* A sup. lin. sed 1. m. — *titi* AB — 11. *quod situ id est* A, *quod si tu idē* B — *stabiliendas uires* (*iures* H^1) *sanandos* CO (sed A *sa*$_{\circ}$*nandos*); *stabiliendos iure et sanandos* Madvig, et sic Feldhuegel, sed *sanandosque*; *stabiliendas civitates sociandosque* Klotz; nos emendationem *sociandos*, iam ab Ursino prolatam, recipientes lacunae signum posuimus, quae sic fere explenda videtur: *ad stabiliendas leges* (cf. I, § 62) *et ad iure sociandos populos* etc. Aliorum coniecturas v. in Feldhuegelii comment. p 66. — 13. *exploratas* B — *n* in *ponantur* AB sup. lin. habent — 15. *eis* B^{2}H: *eos* AB^1, *iis* O — *recta* A in ras. m. 2. — *expectanda* AB — *duxerunt* C: *dixerunt* O — 17. *aut terte* A — 18. *laudare posse*$_{\circ}$ B^1 — *iis* B^{2}H: *is* AB^1, *his* O — *academica* B^1, *achademica* A — 19. *quom pseusippo* A, *quomipse usippo* B^1 — *mansu*$_{\circ}$*ris* A (*ris* in ras.), *mansuris* B corr. ex *mansurus* — 20. *cum illi* H, *dum illis* (*illos* corr.) AB — *re congruentes* O — *congruentis - - differentis* A^{1}B^1 — *re genere* A in ras. habet — 21. *Zenone* AB^1, *zenonis* H — *commutatis* H: *communitatis* B^1, *communicatis* AB^2 — 22. *immut.* BO — 23. *iam* (non *uim*) *tamen* etiam B — *convictam sectam* et 24. *cetera* A in ras. habet m. 2. — 24. *is* AB^2, *his* HO — 25. *haec* om. H, *hae* AB^1 — *probentur* Turnebus: *probantur* CO — *indulgentes - - deservientes - - ponderantes* A^{2}B^{2}HO — 28. *dicere* C: *desidere* Ciacconius — 29. *quoius* B^{1}H — *nullam* B^1, *illam* H — 30. *umquam* AB: *ullam* H — *facessant* H: *facessat ut* AB.

batricem autem harum omnium rerum Academiam, hanc ab Arcesila et Carneade recentem, exoremus ut sileat; nam si invaserit in haec, quae satis scite nobis instructa et composita videntur, miseras edet ruinas. Quam quidem ego placare cupio, submovere non audeo.

XIV. 40. * * * nam et in iis sine ullis suffimentis expiati sumus: at vero scelerum in homines atque impietatum nulla expiatio est. Itaque poenas luunt non tam iudiciis — quae quondam nusquam erant, hodie multifariam nulla sunt, ubi sunt autem, persaepe falsa sunt —, sed eos agitant insectanturque furiae, non ardentibus taedis, sicut in fabulis, sed angore conscientiae fraudisque cruciatu. Quod si homines ab iniuria poena, non natura arcere deberet, quaenam sollicitudo vexaret impios sublato suppliciorum metu? quorum tamen nemo tam audax umquam fuit, quin aut abnueret a se commissum esse facinus aut iusti sui doloris causam aliquam fingeret defensionemque facinoris a naturae iure aliquo quaereret. Quae si appellare audent impii, quo tandem studio colentur a bonis? Quod [si poena] si metus supplicii, non ipsa turpitudo deterret ab iniuriosa facinerosaque vita, nemo est iniustus atque incauti potius habendi sunt inprobi. 41. Tum autem qui non ipso honesto movemur ut boni viri simus, sed utilitate aliqua atque fructu, callidi sumus, non boni. Nam quid faciet is homo in tenebris, qui nihil timet nisi testem et iudicem? quid in deserto quo loco nactus, quem multo auro spoliare possit, inbecillum atque solum? Noster quidem hic natura iustus vir ac bonus etiam conloquetur, iuvabit, in viam deducet: is vero, qui nihil alterius causa faciet et metietur suis commodis omnia, videtis, credo, quid sit acturus. Quod si negabit se illi vitam erepturum et aurum ablaturum, numquam ob eam causam negabit, quod id natura turpe iudicet, sed quod metuat ne emanet, id est,

1. *aut harum* H — *archesila* AB — 2. *sileant* AB — *in has* H — 3. *sito* H, *scito* B^1, *cito* B^2A, sed *ci* in A in ras.; vide ne lateat *tuto* — *instructe et composite* H — *videntur* H: *viderentur* AB — *miseras edet* Davies: *misedet* B^1 (*t* in ras.), *nimias edet* AB^2O (sed in A duo verba in ras.), *rationes . dabit* H (desunt in eo vv. *nimias edet*). — 4. *placere* A^1B^1 — *summouere* AB — 5. *et in iis sine* AH: *et mussine* B, ut scripturam quoque in A interpretari possis. — *ullis* Davies: *illius* CO — 6. *at* AB corr. ex *ad* — lectio *in homines* Bakio suspecta. — *indietatum* C, sed est in A *etatum* in ras. man. 2; an ex *indignitatum*? — 7. *condam* B^1 — 8. *ubi sunt* Turnebus: *ubi fit* AB, *ubi sit* H; *ut sint* O — *autem* scripsi: *tamen* CO — 9. *sed* Bake: *ut* C; *sed ut* cum stellula O — *agitant insectanturque* H: *agitent insectanturque* AB, *agitent insectenturque* O — malis *in fabulis est* — 10. *conscientiae* A in ras. m. 2 habet — 11. *arceret* B — 12. *sublatos* B — *subpl.* A^1 — 13. *aut abnurit* A^1B^1, *aut abnuerit* AB corr., *aut ob iniuriam* H — *a* om. A^1 — 14. *fingere* B — *naturae* A^1, litt. *e* erasa: *natura* A^2BH — 15. *iura* B^1 — *appellaret* BH — *audient* H — 16. *si* ante *poena* om. H, sup. lin. habet A m. 2. — *poena*∘ A; haec et proxima superior lectio indicare videntur, *si poena* ex glossa marg. *poenae* ad *supplicii* adscripta ortum esse. — 17. *facinerosaque*∘*ita* A, *facinerosa qui ita* BH, *facinorosaque v.* O — 18. *atque* Ernesti: *aut* CO, *et* Lamb. — *potius* om. H, *totius* B^1 — 19. *adque* A^1, item v. 22. — 20. *callidissimus* C, sed in AB *callidi sumus* corr. — 21. *quo*∘∘ A, unde *quodam* videtur scribendum. — 22. *multo duro* H — *imb.* O — 23. *conloquentur* A^1B^1, *coll.* O — *iuuabit* AB corr. ex *iuuauit* — *iam* in *uiam* A in ras. habet, B *am* in ras. — 24. *faciet* HB^2: *facit* A, sed *it* in ras.; *facti* B^1 — *et mentietur* AB^1, *emetietur* H, *mentietur* B^2; [*et*] *metietur* O — 25. *facturus* Lamb., ut est initio huius § *quid faciet is homo* etc. — *ille* A^1B^1H — 26. *oblaturum* AB — 27. *id* H: *in* AB — *metu ac ne* B^1; *metuet ne* coni. Wesenberg in Emendatt. Tuscul. II, p. 22 not.

ne malum habeat. O rem dignam, in qua non modo docti, *sed* etiam agrestes erubescant!

XV. 42. Iam vero illud stultissimum, existimare omnia iusta esse, quae sancita sint in populorum institutis aut legibus. Etiamne, si quae leges sunt tyrannorum? Si triginta illi Athenis leges imponere voluissent aut si omnes Athenienses delectarentur tyrannicis legibus, num idcirco eae leges iustae haberentur? Nihilo, credo, magis illa, quam interrex noster tulit, ut dictator quem vellet civium [aut indicta causa] inpune posset occidere. Est enim unum ius, quoi devincta est hominum societas et quod lex constituit una; quae lex est recta ratio imperandi atque prohibendi: quam qui ignorat, is est iniustus, sive est illa scripta uspiam sive nusquam. Quod si iustitia est obtemperatio scriptis legibus institutisque populorum et si, ut eidem dicunt, utilitate omnia metienda sunt, negleget leges easque perrumpet, si poterit, is, qui sibi eam rem fructuosam putabit fore. Ita fit ut nulla sit omnino iustitia, si neque natura est, eaque, quae propter utilitatem constituitur, utilitate illa convellitur. 43. Atque, si natura confirmatura ius non erit, *virtutes omnes* tollentur. Ubi enim liberalitas, ubi patriae caritas, ubi pietas, ubi aut bene merendi de altero aut referendae gratiae voluntas poterit exsistere? nam haec nascuntur ex eo, quia natura propensi sumus ad diligendos homines, quod fundamentum iuris est. Neque solum in homines obsequia, sed etiam in deos caerimoniae religionesque tolluntur, quas non metu, sed ea coniunctione, quae est homini cum deo, conservandas puto.

XVI. Quod si populorum iussis, si principum decretis, si sententiis iudicum iura constituerentur, ius esset latrocinari, ius adulterare, ius testamenta falsa supponere, si haec suffragiis aut scitis multitudinis probarentur. 44. Quae si tanta potestas est stultorum sententiis atque iussis, ut eorum suffragiis rerum natura vertatur, cur non sanciunt ut,

---

1. *ob rem* H; A *o rē* in ras. habet — *non quomodo* H — *ducti* B^1 H — *sed* AB sup. lin.: om. H, *verum* O; cf. Tac. Ann. IV, 35 in. — 2. *agrestes* AB^2, sed habet A in ras.; *acrestestes* B^1, *agressi testes* H — *erubescandam uero . illud* H; *erubescant* A in ras. habet, ac sane verendum est ut ita Cic. scripserit. — 4. *sancita* Ernesti: *sita* C, *scita* ed. vett. et O, qui *in* cum Madvigio inclusit. — *etiamne si* AB^2 (sed in A *nesi* sup. lin. m. 2.): *etiam nisi* B^1 H — *quae* B corr. ex *qui* — 5. *sunt* ed. Steph.: *sent* A^1, *sint* A^2 B H O — *legis* A^1 B^1 — *inp.* B — 6. *atheniensis* B^1 — 7. *eae* C: *hae* O — *legis* A^1 B^1 H — 8. *aut indicta* (*indictae* B^2) *causa* BH: ∘∘∘ *indicta* (corr. 2 m. *vindictae*) *causa* A; *aut* om. O; *vel ind. c.* Goerenz, *aut ind. causa* glossam ad *impune* esse intellexit Feldhügel — 9. *impune* BHO — *possit* B^1, *possed* H — *quoi* nos: *quo*∘ A, *quod* B^1, *quo* B^2HO — 10. *una quae lex esset recta* A (sed *esset* m. 2 in ras.), *una quae lex q; ē recta* (*q;* expunctum est) B, *unaq; lex quae est recta* H — 12. *opt.* H — 13. *eidem* AB: *idem* H, *iidem* O — 14. *mentienda* A^1 B^1 — *neclegel* B^1 — 15. *putauit* AB — 16. *sine qua* (*a* ex corr.) *natura* A — *eaque quae* Goerenz: *ea quae* A, *aea quae* B, *eaque* H — 17. *illa* C: *alia* O cum ed. Steph. (prob. Madvigio in emendatt. p. 14), *ipsa* codd. aliquot dett., *utilitate illa sublata* coni. Lambinus; ipse cogitavi aliquando: *utilitate inlata* — *atqui* A^2 B^2 — *confirmatū ius* A^2 B^2 — 18. *virtutes omnes* codd. nonnulli dett.: om. C — *tollantur* C — *liberali ubi* A^1 B^1 — 19. *praeferendae* AB, *praeparande* H — 20. *qui* (corr. *quod*) *anatura* H, *qui natura* AB^1, *quod nat.* B^2 O — *propensi sumus* A, sed *nsi sumus* in ras. — 22. *deo* H — 23. *tollentur* Lambinus — *quas metus et ea* (om. *non*) AB — *est in homini* A — 24. *cum deo* H: *quo deo* A^1, *quod eos* B, *cum deis* AB corr. — *conseruandos* H — 27. *subp.* A — *aut sitis* H, *et scitis* malebat Bake — 28. *quod si* H — *potestas* etiam H (non *potentia*, ut ait Bake) — 29. *ut quorum* A^1 B^1.

quae mala perniciosaque sunt, habeantur pro bonis et salutaribus? aut cur ius ex iniuria lex facere possit, bonum eadem facere non possit ex malo? Atqui nos legem bonam a mala nulla alia nisi naturae norma dividere possumus; nec solum ius et iniuria natura diiudicatur, sed omnino omnia honesta et turpia. Nam † et communis intellegentia nobis notas res efficit, easque in animis nostris inchoavit, ut honesta in virtute ponantur, in vitiis turpia. 45. Ea autem in opinione existimare, non in natura posita dementis est. Nam nec arboris nec equi virtus quae dicitur, in quo abutimur nomine, in opinione sita est, sed in natura. Quod si ita est, honesta quoque et turpia natura diiudicanda sunt. Nam si opinione universa virtus, eadem eius etiam partes probarentur. Quis igitur prudentem et, ut ita dicam, catum non ex ipsius habitu, sed ex aliqua re externa iudicet? Est enim virtus perfecta ratio, quod certe in natura est: igitur omnis honestas eodem modo.

XVII. Nam ut vera et falsa, ut consequentia et contraria sua sponte, non aliena iudicantur, sic constans et perpetua ratio vitae, quae virtus est, itemque inconstantia, quod est vitium, sua natura *iudicabitur. An arboris aut equi ingenium natura* probabimus, ingenia iuvenum non item? 46. An ingenia natura, virtutes et vitia, quae existunt ab ingeniis, aliter iudicabuntur? An ea non aliter, honesta et turpia non ad naturam referri necesse erit? Quod laudabile est, bonum in se habeat quod laudetur necesse est; ipsum enim bonum non est opinionibus, sed natura. Nam, ni ita esset, beati quoque opinione essent: quo quid dici potest stultius? Quare cum et bonum et malum natura iudicetur et ea sint principia naturae, certe honesta quoque et turpia simili ratione diiudicanda et ad naturam referenda sunt. 47. Sed perturbat nos opinionum varietas hominumque dissensio, et quia non idem contingit in

---

1. *et* C: *ac* O — *aut cur* Bake: *aut cum* (*quom* AB) C, sed *autem* A; *aut cur quum* O — 3. *natura* ∘ *norma* A^1, *naturā inormā* B^1, *naturali norma* AB corr. — 4. *possimis* $A^1 B^1$ — *ius et iura* B^1 H, *ius* ∘∘∘∘∘ *a* AB^2 — *diiudicantur* H^2 O — 5. *et* (ante *turpia*) sup. lin. AB: om. C, *ac* O — *notas nobis* O — 6. *easquae* A^1, *eaquae* H^2 — *inquoauit* $A^1 B^1$ — *ut* om. C — 7. *ponuntur* C; videtur in loco altius vulnus latere, quod variis hominum eruditorum coniecturis (v. Feldhügelii comment. pag. 82) nondum sanatum est. Bake tentavit: *Nam ita communis intellegentias natura efficit easque in animis nostris inchoavit, ut honesta in virtute ponantur, in vitiis turpia.* — *ea* A^2 H: om. $A^1 B^1$, *haec* B^2 O — 8. *posita* H: *possit ea* B^1, *ponere* B^2 A, sed hic in rasura manu recenti; *esse posita* Lamb. — *arbores* $A^1 B^1$ — *ęqui luriusque dicitur* H^1 — 9. *nomine* AB: *non me* H — *in oppinionis ita est* B^1 — 10. *quod si ita est* edd. vett.: *quid sit est* C, *quod si est* Bake — *et* om. C, sed in AB sup. lin. — 11. *eadem eius etiam* A in ras. habet — post *partes* in B *eedē* sup. lin. — 12. *ut* AB sup. lin. — 14. *quae certe* Ernesti — 16. *sic* B^2: *sed* B^1 H; in A *sic con* est in ras. — *vitae quae* A in ras. habet — 17. *est virtus* O — *item* A — *sua natura iudicabitur. An arboris aut eculei ingenium natura probabimus, ingenia iuvenum non item?* Madvig: *sua natura probauit. Nos ingenia iuuenum non item* C corrupte et mance (*sua natura* ∘ *probabitur. Nos ingenia iuvenum iudicamus natura: non item virtutes et vitia, quae ex . ab ing., iudicabuntur?* O) — 18. *ingenia iuuenum non item at* (sic) desunt in A et supra scripta sunt manu multo recentiore — 19. *an* Madvig: *ad* B^1, *at* B^2 H — *uirtute sed* B^1 H; in A *es et* (in *uirtutes et*) est in ras. — *ingenis* A^1 — 20. *non* C: om. O — *aliter quam honesta* $A^2 B^2$ (*quam* sup. lin. m. 2) — 21. *quod laudabile est, bonum in se* Klotz: *quod laudabile bonum est, in se* C O; firmatur emendatio codice A, in quo *ē* post *bonum* super lin. est — *habet* H^1 — 23. *esset* A corr. ex *essent* — *quo qui* B^1, *quod qui* H — 24. *quom* A — 25. *et* (ante *ea*) AB: *ut* H — 26. *inıudicanda* B, sed *in* del. — 27. *contingint* B corr. in *contingunt*.

sensibus, hos natura certos putamus, illa, quae aliis sic, aliis secus nec isdem semper uno modo videntur, ficta esse dicimus. Quod est longe aliter. Nam sensus nostros non parens, non nutrix, non magister, non poeta, non scaena depravat, non multitudinis consensus abducit ab vero: animis omnes tenduntur insidiae vel ab iis, quos modo enumeravi, qui teneros et rudes quom acceperunt, inficiunt et flectunt, ut volunt, vel ab ea, quae penitus in omni sensu inplicata insidet, imitatrix boni, voluptas, malorum autem mater omnium: quoius blanditiis corrupti, quae natura bona sunt, quia dulcedine hac et scabie carent, non cernunt satis.

XVIII. 48. Sequitur, ut conclusa mihi iam haec sit omnis oratio, id quod ante oculos ex iis est, quae dicta sunt, et ius et omne honestum sua sponte esse expetendum. Etenim omnes viri boni ipsam aequitatem et ius ipsum amant, nec est viri boni errare et diligere quod per se non sit diligendum: per se igitur ius est expetendum et colendum. Quod si ius, etiam iustitia; si iustitia, reliquae quoque virtutes per se colendae sunt. Quid? liberalitas gratuitane est an mercennaria? Si sine praemio benignus est, gratuita; si cum mercede, conducta: nec est dubium quin is, qui liberalis benignusve dicitur, officium, non fructum sequatur. Ergo item iustitia nihil expetit praemii, nihil pretii: per se igitur expetitur. Eademque omnium virtutum causa atque sententia est. 49. Atque etiam si emolumentis, non sua sponte virtus expetitur, una erit virtus, quae malitia rectissime dicetur. Ut enim quisque maxume ad suum commodum refert quaecumque agit, ita minime est vir bonus, ut qui virtutem praemio metiuntur, nullam virtutem nisi malitiam putent. Ubi enim beneficus, si nemo alterius causa benigne facit? ubi gratus, si non eum ipsi cernunt grati, cui referunt gratiam? ubi illa sancta amicitia, si non ipse amicus per se amatur toto pectore, ut dicitur? qui etiam deserendus et abiciendus est desperatis emolumentis et fructibus: quo quid potest dici immanius? Quod

---

1. *certas* H — 2. *isdem* A² B H: *idem* A¹, *iisdem* O — *ducimus* O cum ed. Steph. — 4. *scaena* H: *scena* A O, *sena* B corr. in *schena* — *ab* nos: *a*∘ A, *ad* B¹, *at* H, *a* B² O — 5. *uel labiis* B¹ H — *enumeraui dequi* A, *enumero uidae qui* B, *enumero uide qui* H — 6. *quom*∘∘ A, *quom* B¹, *cum* B², *qm* (i. e. *quoniam*) H — *iniciunt* Ruhnken. — *et flectunt*] *efflectunt* C — *ut* A sup. lin. — 7. *insedet* A¹ — 8. *cuius* B² H O — *corrupta* A B² — 9. *haec* B¹ — *et* A sup. lin., vetus scriptura erasa est — *scabiae* A — *cernunt* Davies: *cernuntur* C; *non carent cernuntur* A² B² — 11. *is* A B, *his* H — *et* post *ius* in A sup. lin. — 15. *si* ante *ius* in A sup. lin. sed pr. m. — *si iustitia* scripsimus: *sit in ea* C; *sic* O cum Car. Steph.; *si haec* Wyttenbach; *ita* Bake; *sic iam* Feldhügel — 16. *mercenaria* H O — 17. *benigna* codd. dett. aliquot et O, v. Bake; fort. *benigni sumus*, *est gratuita* — *cum* B² H: *quom* A B¹ — 18. *benignusque* O cum Goerenzio — 19. *item* codd. dett.: *idem* A B, *eadem* H — *expetit* codd. dett.: *exprimit* C — *praemil*∘∘ *nihil praecii* A — 21. *emolumentis* A, *emunumentis* B — *sua sponte* Stephanus: *suapte* A B², *suabte* B¹, *spete* H corr. ex *suapte*; *suapte vi* Feldhügel, *suapte natura* O cum edd. vett. — 22. *expenditur* C — *una*] an *illa*? — *erit*] *esse* H — *quae* A: *que* B, *atque* H; *nulla erit virtus atque malitia* coni. Bake — *dicatur* Ernesti — 23. *quomodum* B¹ — *referet* A ante ras. — 24. *mihime* A B, unde conicias *mihi minime* — *ut qui* A corr. m. vetere ex *atque* — *uirtutum* (post *nullam*) A — 26. *ipsi* C: *ipsum* O cum aliquot dett. codd. — *quoi ref. gratiam* A sup. lin. m. 2 sed vetere; *qui res ferunt gratia* H; in loco obscuro amicus meus tentavit: *si non in eo ipso cernuntur grati, quod referunt gratiam?* — 28. *quin etiam* Davies — 29. *quo quid* A B corr. ex *quod qui*.

si amicitia per se colenda est, societas quoque hominum et aequalitas et iustitia per se *est* expetenda. Quod ni ita est, omnino iustitia nulla est; id enim iniustissimum ipsum est, iustitiae mercedem quaerere.

XIX. 50. Quid vero de modestia, quid de temperantia, quid de continentia, quid de verecundia, pudore pudicitiaque dicemus? infamiaene metu non esse petulantis an legum et iudiciorum? Innocentes ergo et verecundi sunt, ut bene audiant, et ut rumorem bonum colligant, erubescunt. Pudet iam loqui de pudicitia. Ac me istorum philosophorum pudet, qui † ullum iudicium uitare nisi uitio ipso mutatum putant. 51. Quid enim? possumus eos, qui a stupro arcentur infamiae metu, pudicos dicere, cum ipsa infamia propter rei turpitudinem consequatur? Nam quid aut laudari rite aut vituperari potest, si ab eo recesseris, quod aut laudandum aut vituperandum putes? An corporis pravitates, si erunt perinsignes, habebunt aliquid offensionis, animi deformitas non habebit? cuius turpitudo ex ipsis vitiis facillime percipi potest. Quid enim foedius avaritia, quid inmanius libidine, quid contemptius timiditate, quid abiectius tarditate et stultitia dici potest? Quid ergo? eos, qui singulis vitiis excellunt aut etiam pluribus, propter damna aut detrimenta aut cruciatus aliquos miseros esse dicimus an propter vim turpitudinemque vitiorum? quod item ad contrariam laudem in virtutem dici potest. 52. Postremo, si propter alias res virtus expetitur, melius esse aliquid quam virtutem necesse est. Pecuniamne igitur an honores an formam an valetudinem? quae et, cum adsunt, per *se* parva sunt, et, quam diu adfutura sint, certe sciri nullo modo potest: an, id quod turpissimum dictu est, voluptatem? At in ea quidem spernenda et repudianda virtus vel maxime cernitur.

Sed videtisne quanta series rerum sententiarumque sit atque ut ex alio

---

1. *per se* om. H — 2. *est* Lambinus: om. C O — 3. *iniustissimi* B^1H — 4. *molestia* AB — 5. *pudititiaque* A, *puditiaque* B — ∘∘ *dicemus* A — 7. *colligant erubescunt. Pudet iam loqui de pud.* Madvig: *colligant erubescunt pudet* (*pudi* B^1) *etiam loqui de pudicitia* AB, *colligant erubescant inpudica loqui* H; *colligant? Erubescunt pudici etiam loqui de pudicitia* O et edd. vulg. Malis secundum H: *erubescunt inpudica etiam loqui*; videtur enim illud *de pudicitia* nota marginalis. — 8. *me istorum* H: *mystorum* AB (sed in A *y* ex corr.), *ac nimis istorum* codd. aliquot dett. et O; *ac me storum* Vahlen coll. lectionibus librorum ad III, § 5 extr. et Lachmanni comment. ad Lucret. p. 197. — 9. *qui* (*que* corr. AB) *ullum* (*illum* B) *iuditium* (*iudicium* B) *uitare nisi vitio ipso mulatum* (*nutatum* B^1) AB: *qui nullum iudicium uitare nisi uitio ipso notatum* H, *qui nullum vitium* [*vitare*], *nisi iudicio ipso notatum* O; *qui ullum iudicium pertinacius vitio ipso vitandum putant* Madvig (Opusc. II, 145), *qui nullum flagitium in verbis, nisi vitium ipsum vitandum p.* Bake, *qui nullum impudicum nisi vitio ipso multatum p.* Feldhügel, *qui ullum iudicium vitari nisi vitio ipso vitato p.* Klotz. — 10. *a* om. B, in A erasum est — *argentur* A^1, *argentur* B — 11. *ipsā infamiam* H — *turpitudinem* codd. dett.: *fortitudinem* AB, *formidinem* H — *consequatur* C: an *non sequatur*? — 12. *qui id* H — *ab eo* B H: *ab eo natura* A, *ab eius natura* codd. dett. et O — 13. *recesseris* B^1: *recesserit* AB^2H, sed *t* in A ex corr. — *quod ad laud.* B — 14. *offensiones* B^1 — 15. *formitas* A^1B^1 — *ipsius* AB — *percipi* C: *perspici* codd. dett. et O — 19. *detrementa* A^1 — *cruciatibus* B — *aliquos* A^2B^2H: *aquos* B^1, *aquo* A^1 — malis *dicemus* — 20. *quod idem* Bake — *contrarium* B^1 — 21. *in uirtutem* B^1: *in uirtute*∘ A, *in uirtute* B^2H O — *postremo* H: *remo* B^1; *nam* B corr. et A, sed est *Nā* in A m. 2 in ras. — 23. *ualitudinem* A — *et quom assunt* H — 24. *per se parva* scripsi: *perparva* C O — *sunt et* A^2B^2: *sint et* A^1B^1H — *adfutura sunt* C — *certe* A^1: *certum* A^2B H O — 25. *dicto* A^1B^1 — *at* A corr. ex *ad* — 26. *repudienda* A^1 — 27. *sed* B^1H: om. A in ras. trium literarum, B^2O; cf. de legg. II, § 1 *sed visne* etc. Tusc. disp.

alia nectantur? Quin labebar longius, nisi me retinuissem. XX. *Q.* Quo tandem? libenter enim, frater, † quod istam orationem tecum prolaberer. *M.* Ad finem bonorum, quo referuntur et quoius apiscendi causa sunt facienda omnia, controversam rem et plenam dissensionis inter doctissimos, sed aliquando iam iudicandam. 53. *Att.* Qui istuc fieri potest L. Gellio mortuo? *M.* Quid tandem [id] ad rem? *Att.* Quoniam Athenis audire ex Phaedro meo memini Gellium, familiarem tuum, cum pro consule ex praetura in Graeciam *abisset* venissetque Athenas, philosophos, qui tum erant, in locum unum convocasse iisque magno opere auctorem fuisse, ut aliquando controversiarum aliquem facerent modum: quod si essent eo animo, ut nollent aetatem in litibus conterere, posse rem convenire, et simul operam suam illis esse pollicitum, si posset inter eos aliquid convenire. *M.* Ioculare istuc quidem, Pomponi, et a multis saepe derisum: sed ego plane vellem me arbitrum inter antiquam Academiam et Zenonem datum. *Att.* Quo tandem istuc modo? *M.* Quia de re una solum dissident, de ceteris mirifice congruunt. *Att.* Ain tandem? unane est solum dissensio? 54. *M.* Quae quidem ad rem pertineat, una: quippe cum antiqui omne, quod secundum naturam esset, quo iuvaremur in vita, bonum esse decreverint, hic *nihil* nisi quod honestum esset putarit bonum. *Att.* Parvam vero controversiam dicis ac non eam, quae dirimat omnia! *M.* Probe quidem sentires, si re ac non verbis dissiderent.

II, § 27 *sed videsne* etc. — *uideturne* B¹ H — *sententiarumque sit* A, sed *que sit* in ras. — *ex aliis* B²; hoc aut *ex alia alia nectatur* malebat Davisius.

2. *lubenter* B — *quod istam orationem* A¹ B¹ H: *cum ista oratione* A² B²; *ad istam orationem* aliquot dett. et O; non videtur *quoad* corrigendum esse, sed potius verbum aliquod, ut *attinet*, deesse. — *prolaber* C, sed in B *prolabor* corr., A verbum in ras. habet (de H Bake erravit) — 3. *ad finem* ∘∘∘ *bonorum* A, *ad finem tecum bonorum* B H, sed in B *tecum* expunctum — *quo* ∘∘ *ius* A, *quominus* B¹, *cuius* B² H O — *apiscendi* Manutius et Lamb.: *ascindi* B, om. A H O, sed est in A ante *causa* rasura maior — 4. *controuersiam* B¹ — *dissensiones* A¹ B¹ (*controuersiarum rem plenam et dissensionis* B corr.) — 5. *iam* A B²: *tam* B¹, *tamen* H O — malim *diiudicandam* — *qui*∘ A — 6. *l*∘∘ *gelli* A, *gelli* cum *L.* sup. lin. B, *agellio* H — *qui* C, sed in A B *quid* corr — *id* A sup. lin. habet — *quoniam* Stephanus: *quam* C, *quia me* dett. et O — 7. *me memini* coni. Feldhuegel in adnot. — *quom* C, sed in B *cum* corr. — 8. *abisset venissetque Athenas* scripsi: *uenisselque athenis* A¹ H, *uenisselque et athenis* B¹ (sine *abisset*), *uenisset et athenis* A² B², *venisset, Athenis* O — 9. *conuocasset* A² — *iisque* scripsi: *ipse isque* C, sed *iisque* B H corr., *ipse is* (et item *conuocasse*) A in ras. habet; *ipsisque* dett. et O; videtur *ipse* prava correctio scripturae *isque* — *magnopere* B — 10. ∘*ut* A — 12. *rē* A in ras. habet — *conconuenire* A — *illi* B¹ — 13. *aliquod* C — *istud* O — *pomponiae et* B¹, A *et* in ras. habet — 14. *dirisum* A¹ — *uellem* A in ras. habet; malis *velim* — 15. *istud* O — 16. *una*∘∘ A — *ain tandem ne unane est solum* H, sed prius *ne* prima m. expunctum est, ut coni. Stephanus: *aintendem ne una ne es solum* B¹, *tantumne una de re est solum* B², *Tantumne una de re est solum dissensio* A² in ras., vetere scriptura deleta; *Ain tandem? una de re est solum* O cum Lamb. — 17. *pertineatur* A B — 18. *omne quod* Bake (coll. de finn. bon. et mal. III, § 36 et I, § 37): *omnes quod* C O — *esset et quo* malim — 19. *esset* A¹ — *nihil nisi* Lambinus: *nisi* C; O *nihil* ante *putarit* habet; possis etiam: *hic nisi quod honestum esset, put. bonum nullum.* — 20. *putari* A¹ — *paruam* H: *parum* A B, *perparvam* O — 21. *sat non eam* A B, *at nos eam* H — *derimat* A B (*rimat* A in ras. m. 2) — *sentires* Dresdensis prior: *sentis* A¹ H O, *senti* B¹, *sentirent* A B corr. m. recenti — *re ac non* A in ras. habet — 22. *desiderent* A¹ B¹ (*erent* A in ras. habet). In sententia vitium esse ex vestigiis quoque scripturae in A apparet; videtur autem hoc fere requiri: *probe quidem sentis, si non re, tantum* (vel *sed*) *verbis dissident.*

XXI. *Att.* Ergo adsentiris Antiocho familiari meo — magistro enim non audeo dicere —, quocum vixi et qui me ex nostris paene convellit hortulis deduxitque in Academiam perpauculis passibus. *M.* Vir iste fuit ille quidem prudens et acutus et in suo genere perfectus mihique, ut scis, familiaris, quoi tamen ego adsentiar in omnibus necne mox videro: hoc dico, controversiam totam istam posse sedari. 55. *Att.* Qui istuc tandem vides? *M.* Quia, si, ut Chius Aristo dixit solum bonum esse quod honestum esset, malumque quod turpe, ceteras res omnis plane paris ac ne minimum quidem utrum adessent an abessent interesse, valde a Xenocrate et Aristotele et ab illa Platonis familia discreparet *et* esset inter eos de re maxima et de omni vivendi ratione dissensio: nunc vero, quom decus, quod antiqui summum bonum esse dixerant, hic solum bonum dicat, itemque dedecus illi summum malum, hic solum, divitias, valetudinem, pulchritudinem commodas res appellet, non bonas, paupertatem, debilitatem, dolorem incommodas, non malas, sentit idem quod Xenocrates, quod Aristoteles, loquitur alio modo. Ex hac autem non rerum, sed verborum discordia controversia est nata de finibus: in qua, quoniam usus capionem duodecim tabulae intra quinque pedes esse noluerunt, depasci veterem possessionem academiae ab hoc acuto homine non sinemus, nec Mamilia lege singuli, sed e XII tres arbitri finis regemus. 56. *Q.* Quamnam igitur sententiam dicimus? *M.* Requiri placere terminos, quos Socrates pegerit, iisque parere. *Q.* Praeclare, frater, iam nunc a te verba usurpantur civilis iuris et legum, quo de genere exspecto disputationem tuam; nam ista quidem magna diiudicatio est, ut ex te ipso saepe cognovi. [Sed certe ita res se habet, ut ex natura vivere summum bonum sit, id est, vita modica et apta virtute perfrui, aut naturam sequi et eius quasi lege vivere, id est, nihil, quantum in ipso sit, praetermittere quo minus ea, quae natura postulet, consequatur, quod inter haec velit virtute tamquam lege

---

2. *quoquom* A^1 — *me ex no* A in ras. habet — *conuellet* $A^1 B^1$ — 4. *fuit ille* H: *futile* AB — *quidem* edd. vett.: om. C — *acutus et prudens* H — 5. *quoi* A corr. m. pr.: *quo* $A^1 B^1$, *cui* B^2 H O — 6. *hoc video* Bake — *qui* dett. aliquot: *quin* C — 7. *istud* O — † *dixit* O, *ut Chius Aristo, diceret* Davies, *dixit, dixisset* Madvig, at v. Bake et Feldhuegel — 8. *esse quod hon.* om. H — *honestum esse* AB — 9. *pares* $A^2 B^2$ H O — *ne nimium* AB — 10. *ab illo* AB — 11. *et esset* nos: *esset* B^1 H, *esset que* A B^2 O, sed A sic in ras. — 12. *cum decus* H, *quod decus* AB ex *quōdecus* — 13. *dixerunt* aliquot dett. (*cum decus antiqui* -- *dixerint* Madvig) — *dedecus, quod illi* Lamb. et 2 codd. dett. — 14. *commoda* A^1 — 17. *nata est* O; *est nata definibus* A in ras. habet — 18. *usus capionem* B H (*m* in B punctata): *usucapionem* O; *ususcapione* ** *decim* (sup. lin. add. *duo*) A — *intra* ed. Steph.: *inter* C — 19. *noluerunt* Alciatus: *uoluerint* C — 20. *singuli sed e XII tres* Ranconetus (sed *ex XII*): *singulis sed ex is* (*his* H) *res* C; *singuli sed ex his tres* O cum Manutio; at v. Vahlen in *Zeitschr. für die österr. Gymnasien* 1860, p. 30. — 21. *finis* C: *fines* O — *dicimus* C: *dicemus* O cum 1 cod. det. — 22. *socratis* AB — *pegerit* AB: *pepigerit* H; conf. Prisc. X, 5, 32 p. 523 Hertz. — *parare* A — 24. *ista* * *quidem magna* * A — 25. *diiudicato* A^1 — verba *sed certe* -- *vivere*, pluribus nominibus suspecta, aliis praeeuntibus ut insiticia uncinis circumscripsimus. Longae litteratorum hominum de loco disputationes ex Bakii et ex Feldhuegelii editionibus cognosci possunt. — *res ita* O — 26. *se* ** (i. e. *sese*, ut apparet) A — *habet* Ernesti: *habent* C — *uiueret* B^1 — 27. *apta* edd. vett.: *aperta* C (*per* in A per comp.); *apta e virtute* A. G. Zumpt — *perfrui* A in ras. habet — *sequi** A, *sequit* B^1 — *et* (*ex* H^1) *eius quasi lege* B^2 H: *eius qu . . . qua* (*quasi* corr.) *lege* A (lacuna est novem decemve litterarum); *eius quasi ut* (*et* corr.) *quasi lege* B^1 — 29. *haec* B^2: *hoc* C.

vivere.] Quapropter hoc diiudicari nescio an numquam, sed hoc sermone certe non potest, si quidem id, quod suscepimus, perfecturi sumus.

XXII. 57. *Att.* At ego huc declinabam nec invitus. *Q.* Licebit alias: nunc id agamus, quod coepimus, quom praesertim ad id nihil pertineat haec de summo malo bonoque dissensio. *M.* Prudentissime, Quinte, dicis; nam quae a me adhuc dicta sunt, * * * *. *Q.* Nec Lycurgi leges neque Solonis neque Charondae neque Zaleuci nec nostras duodecim tabulas nec plebiscita desidero, sed te existimo cum populis tum etiam singulis hodierno sermone leges vivendi et disciplinam daturum. 58. *M.* Est huius vero disputationis, Quinte, proprium id, quod exspectas, atque utinam esset etiam facultatis meae! Sed profecto ita se res habet, ut, quoniam vitiorum emendatricem legem esse oportet commendatricemque virtutum, ab ea vivendi doctrina ducatur. Ita fit ut mater omnium bonarum rerum sapientia *sit*, *a* quoius amore Graeco verbo philosophia nomen invenit, qua nihil a dis immortalibus uberius, nihil florentius, nihil praestabilius hominum vitae datum est. Haec enim una nos cum ceteras res omnes, tum, quod est difficillimum, docuit, ut nosmet ipsos nosceremus: cuius praecepti tanta vis et tanta sententia est, ut ea non homini quoipiam, sed Delphico deo tribueretur. 59. Nam qui se ipse norit, primum aliquid se habere sentiet divinum ingeniumque in se suum sicut simulacrum aliquod dicatum putabit, tantoque munere deorum semper dignum aliquid et faciet et sentiet, et, quom se ipse perspexerit totumque temptarit, intelleget, quem ad modum a natura subornatus in vitam venerit quantaque instrumenta habeat ad obtinendam adipiscendamque sapientiam, quoniam principio rerum omnium quasi adumbratas intellegentias animo ac mente conceperit, quibus inlustratis sapientia duce bonum virum et ob eam ipsam causam cernat se beatum fore.

XXIII. 60. Nam quom animus cognitis perceptisque virtutibus ab corporis obsequio indulgentiaque discesserit voluptatemque sicut labem

---

1. *quaper hoc* AB — *diiudicare* H — *an numquam* Lambinus: *an umquam* $A^2 B^2$ H O (sed est in A, cui Bake *numquam* falso tribuit, *n* in *an* et syllaba *um* in ras. man. 2.), *numquam* B^1 (sine *an*) — 4. *ad ego* $A^1 B^1$ — *huc* B corr. ex *ut* — 5. *coepimus* * * * * A, *cepimus nunc* B^1, *coepimus non* H — *quod* C, *quum* O — 7. *dicata* A — *nec* AB corr. ex *te*; *neq;* H — *lucurgi* AB — 8. *nec Solonis* O — *Zaleuci*] *seleuci* C — *nostrae duodecim tabule* H — 9. *plebis scita* A^2 — *desidero*] *dissertur* H — 10. *legis* A — 11. *est* Klotz post *Quinte* posuit — *uere* A^1 — 12. *etiam* om. H — *si profecto* AB — 14. *cõmatricemque* AB — 15. *bonorum* A^1 — *sit* om. C, O ante *sapientia* habet — *a* H^2: *ad* H^1, om. AB — *cuius* B^2HO — 16. *diis* BO — 17. *praestabilium* H — 18. *na* in *una* A in ras. habet — *cum* H, sed corr. in *tum* — 19. *ut* A sup. lin. — *noceremus* AB corr. in *doceremus* — *tanta uis et* B corr. ex *tanti aut sed*; A *tanta uis et* in ras. habet; *tanta vis et* om. H; *tanta vis* (sine *et*) O — 20. *quopiam* $A^1 B^1$, *cuipiam* B^2HO — 21. *qui* ∘ *se ipso* A — *diuino* A^1 — 22. *geniumque* Gulielmus — *dicatum* AB: *dedicatum* HO — *putauit* B^1 — 23. *aliquod* B — *et* post *faciet* om. C; 2 m. add. est in AB — *sententiet* A — 24. *cum* BH — *se* sup. lin. A — *tantumque* A^1 — *temptaret* B^1, *tentarit* O (*tentarit totumque perspexerit* Ernesti) — 26. *principio* C: *principia* aliquot edd. vett et codd. dett. et O; v. Madvigii opusc. II, 145 not. — 28. *illustratis* Manutius: *inlustratus* AH (sed *tus* A in ras.), *inlustras* B add. *ta* sup. *as* — 29. *beatũ* * ∘ *fore* (*f* in ras.) A — 30. *quom*] *quo* B^1H, *quod* B^2, *qd* *, i. e. *quod* * A (sed *d* in ras.) — *ab corporis* nos: *ad cor coris* B^1, *a corporis* AB^2HO (in A *a corpo* est in ras.).

aliquam dedecoris obpresserit omnemque mortis dolorisque timorem effugerit societatemque caritatis coierit cum suis omnisque natura coniunctos suos duxerit cultumque deorum et puram religionem susceperit et exacuerit illam, ut oculorum, sic ingenii aciem ad bona eligenda et reicienda contraria, quae virtus ex providendo est appellata prudentia: quid eo dici aut cogitari poterit beatius? 61. Idemque cum caelum, terras, maria rerumque omnium naturam perspexerit, eaque unde generata, quo recurrant, quando, quo modo obitura, quid in his mortale et caducum, quid divinum aeternumque sit, viderit ipsumque ea moderantem et regentem paene prenderit seseque non unius circumdatum moenibus loci, set civem totius mundi quasi unius urbis agnoverit, in hac ille magnificentia rerum atque in hoc conspectu et cognitione naturae, di immortales, quam se ipse noscet, quod Apollo praecepit Pythius, quam contemnet, quam despiciet, quam pro nihilo putabit ea, quae volgo dicuntur amplissima! XXIV. 62. Atque haec omnia quasi saepimento aliquo vallabit disserendi ratione, veri et falsi iudicandi scientia et arte quadam intellegendi, quid quamque rem sequatur et quid sit quoique contrarium. Quomque se ad civilem societatem natum senserit, non solum illa subtili disputatione sibi utendum putabit, sed etiam fusa latius perpetua oratione, qua regat populos, qua stabiliat leges, qua castiget improbos, qua tueatur bonos, qua laudet claros viros, qua praecepta salutis et laudis apte ad persuadendum edat suis civibus, qua hortari ad decus, revocare ab flagitio, consolari possit adflictos factaque et consulta fortium et sapientium cum improborum ignominia sempiternis monumentis prodere. Quae quom tot res tantaeque sint, quae inesse in homine perspiciantur ab iis, qui se ipsi velint nosse, earum parens est educatrixque sapientia. *Att.* Laudata quidem *est* a te graviter et vere: sed quorsus hoc pertinet? 63. *M.* Primum ad ea, Pomponi, de quibus acturi iam sumus, quae tanta esse volumus; non

---

1. *decoris* cod. Monacensis — *oppresserit* BHO — 2. *coierit* Turnebus: *coniecerit* H, *coegerit* AB — *omnesque* Stephanus: *omnibusque* C; nos *omnisque* scripsimus. — 4. *bona* ∘ *eligenda* ∘ A, *bonas elegendas* B¹; *bona deligenda* O; at v. Bake ad h. l. — 6. *excogitari* pauci codd. dett. et O — *eidemque* AB — *quom* B¹ — 7. *rerum omniumque* AB; *omniumque rerum* aliquot dett. — *naturamque* B¹ — 8. *quom obitura* B¹ — *quit* B¹ — *in his* A: *in is* B¹H, *in iis* B²O — 10. *unius* dett. pauci: *omnis* AB, *hominis* H, *unis* codd. alii — post *moenibus* est in C glossema a Davisio expulsum: *populare* (*popularem* H) *alicuius definitio* (*diffinitio* B, *definiti* H); contra verba corrupta pro genuinis habent A. W. Zumpt et Vahlen, hic quidem scribens: *seseque non ullis circumdatum moenibus popularem alicuius definiti loci, set* etc. — 11. *loci sed* H, *locis et* AB — *unus* B¹ — *acnouerit* B — 12. *cognitionē* A — 13. *dumminortales* A — *si ipse* C, *ipse se* O — *nosset* C (sed *set* A in ras.) — *appollo praecepit philius* A — 14. *contempnet quam despitiet* A — 15. *uulgo* BHO — *dicuntur* etiam A, non *ducuntur*, ut Bake adfirmavit — 16. *rationes* C, unde *ratione et* scribendum videtur. — *ue*ₐ*ri* A — *iudicandi scientia* H: *iudicia* (*a* in *ũ* corr.) *descientia* (*de scientia* est in ras.) A, *iudiciũ* (*ũ* in ras.) *de scientia* B — 17. *sequantur* AB — 18. *quoique* A: *quoque* H, *cuique* B, sed *cui* in ras. — *quumque* O — 19. *fusa* A in ras. — 20. *quas castiget* B¹ — 21. *tuetur* B¹ — 22. *laudes* A¹B¹H — 23. *ab* nos: *ad* A¹, *a* A²BHO — 24. *et* ante *cons.* om. H — *consulata* B¹ — 25. *quo in* H, *quum* O — *sint quae* A, sed *nt quae* in ras.; *tantaeque inesse in homine perspiciantur* Davisius, haud scio an recte — 26. *ab his* C — 27. *a te* A in ras. habet; *est* om. CO, addidit Feldhügel post *vere*, nos propter rasuram in A post *quidem* addere maluimus, nisi potius scribendum est: *laudata est ea quidem* etc. — 28. *set corsus* H (*t c* ex corr.) — *haec pertinent* codd. quidam dett. et O.

enim erunt, nisi ea fuerint, unde illa manant, amplissima. Deinde facio et lubenter et, ut spero, recte, quod eam, quoius studio teneor quaeque me eum, quicumque sum, effecit, non possum silentio praeterire. *Att.* *Tu* vero facis *recte* et merito et ipse, fuitque id, ut dicis, in hoc sermone faciundum.

LIBER SECUNDUS.

I. 1. *Atticus.* Sed visne, quoniam et satis iam ambulatum est et tibi aliud dicendi initium sumendum est, locum mutemus et in insula, quae est in Fibreno — nam, opinor, *hoc* illi alteri flumini nomen est —, sermoni reliquo demus operam sedentes? *M.* Sane quidem; nam illo loco libentissime soleo uti, sive quid mecum ipse cogito sive aliquid scribo aut lego. 2. *Att.* Equidem, qui nunc potissimum huc venerim, satiari non queo, magnificasque villas et pavimenta marmorea et laqueata tecta contemno: ductus vero aquarum, quos isti nilos et euripos vocant, quis non, cum haec videat, inriserit? Itaque, ut tu paulo ante de lege et de iure disserens ad naturam referebas omnia, sic in his ipsis rebus, quae ad requietem animi delectationemque quaeruntur, natura dominatur. Quare antea mirabar — nihil enim his in locis nisi saxa et montes cogitabam, itaque ut facerem et orationibus inducebar tuis et versibus —, sed mirabar, ut dixi, te tam valde hoc loco delectari: nunc contra miror te, cum Roma absis, usquam potius esse. 3. *M.* Ego vero, cum licet pluris dies abesse, praesertim hoc tempore anni, et amoenitatem hanc et salubritatem sequor, raro autem licet. Sed nimirum me alia quoque causa delectat, quae te non attingit [ita]. *Att.* Quae tandem ista causa est? *M.* Quia, si verum dicimus, haec est

---

1. *erunt* codd. dett.: *runt* A^1, *sunt* A^2B H — 2. *lubenter* C: *libenter* O — *ut* om. H — *spero recte* A in ras. habet — *cuius* O — 3. *me eum*] *mecum* B^1H, *me* B^2, *me* ••• A — *efficit* C, unde coni. Bake *effinxit* — *non sponsum* A — 4. *Tu vero* scripsi: *re uero* AB (*uero* in utroque in *uera* corr., *re* A in ras. habet), *uero* H et O, sed hic cum signo crucis; *Recte uero* Feldhügel; apparet quam facile *tu* inter ATT. et *uero* intercidere potuerit, *re* autem illud non videtur particula esse vocis *recte*, sed prava correctio lectionis *uero* in *re uera* mutatae. — *recte et merito* scripsi: *recte* om. CO — 5. *faliundum* A, *faciendum* BH — *M̄. TVLLI CICERONIS DE LEGIBUS LĪB I EXPLIC. INCĪP. II.* A, *M. T. C. de legibus liber .I. explicit. Incipit .II. fēl.* B H.

6. *sed tuisme* B — 7. *tibi*] *ubi* B^1H — 8. *fibrino* C, sed infra § 6 iidem *fibrenus* — *opinor hoc* Lambinus: *opinor* C, sed est in A ante *illi* parva rasura; † *opinor* O, *id opinor* Manutius; *opinor Liri* Goerenz — *est* deteriores aliquot: *esse* CO, sed A sic in ras. m. 2. — 9. malim *sane equidem*, sc. volo — 10. *ille* H — *uti* A in ras. et B^2: *ut* B^1H — *cognito* H — *siue aliquid* A, sed *ali* corr. ex *aut*, ut videtur: *siue aut quid* BH, *siue quid aut* Ernesti et O, *sive quid* amicus Orellii — 11. *huc* AB corr. ex *hunc* — 12. *et laqueata* B^2: *et* •• *laqueata* A (*cata* est in ras.), *et illaqueata* B^1, *et illa queata* H, fort. ex *et illa laqueata* — 13. *contempno* A — 14. *hoc* B — 15. *et iure* dett. pauci et Lamb. — 16. *in iis* B, *in*•*is* H — 18. *saxa* A in ras. habet — *cogitare* B^1H — *itaque* C: *idque* O — *induebar* H — 19. *delectare* A — 20. *absis* A in ras. habet; malim *abes* — 21. *plures* O — *abessē* AB — 22. *et amoen. et sal. hanc* H, *et amoen. hanc et sal. hanc* AB, sed in utroque *et* ante *salubr.* sup. lin. est, ipse malim: *amoen. hanc et sal.* — 23. *quoque* in A sup. lin. m. 2. — *attingit itaque* (*Itaque* A) *tandem* AB; *attingit, Tite. Quae* Gulielmus; *attingit item. Quae* Hand in Tursell. III, 498; *ita*, Davisio et Ernestio merito suspectum, videtur ex nota ATT. ortum esse.

mea et huius fratris mei germana patria: hic enim orti stirpe antiquissima sumus; hic sacra, hic genus, hic maiorum multa vestigia. Quid plura? hanc vides villam, ut nunc quidem est, lautius aedificatam patris nostri studio, qui cum esset infirma valetudine, hic fere aetatem egit in litteris. Sed hoc ipso in loco, cum avos viveret et antiquo more parva esset villa, ut illa Curiana in Sabinis, me scito esse natum. Qua re inest nescio quid et latet in animo ac sensu meo, quo me plus hic locus fortasse delectet, si quidem etiam ille sapientissimus vir, Ithacam ut videret, immortalitatem scribitur repudiasse.

II. 4. *Att.* Ego vero tibi istam iustam causam puto *esse*, cur huc libentius venias atque hunc locum diligas. Quin ipse, vere dicam, sum illi villae amicior modo factus atque huic omni solo, in quo tu ortus et procreatus es. Movemur enim nescio quo pacto locis ipsis, in quibus eorum, quos diligimus aut admiramur, adsunt vestigia. Me quidem ipsae illae nostrae Athenae non tam operibus magnificis exquisitisque antiquorum artibus delectant quam recordatione summorum virorum, ubi quisque habitare, ubi sedere, ubi disputare sit solitus, studioseque eorum etiam sepulcra contemplor. Quare istum, ubi tu es natus, plus amabo posthac locum. *M.* Gaudeo igitur me incunabula paene mea tibi ostendisse. 5. *Att.* Equidem me cognosse admodum gaudeo. Sed illud tamen quale est, quod paulo ante dixisti, hunc locum — † idem ego te accipio dicere Arpinum —, germanam patriam esse vestram? Quid? duas vos habetis patrias, an est una illa patria communis? nisi forte sapienti illi Catoni fuit patria non Roma, sed Tusculum. *M.* Ego me hercule et illi et omnibus municipibus duas esse censeo patrias, unam naturae, alteram civitatis. Ut ille Cato, quom esset Tusculi natus, in populi Romani civitatem susceptus est, itaque, quom ortu Tusculanus esset, civitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram iuris; ut vestri Attici, prius quam Theseus eos demigrare ex agris et in astu, quod appellatur, omnis se conferre iussisset, sui erant idem et Attici:

---

1. *hic* A B[2]: *hinc* B[1] H O — *enim * orti* A — 2. *quid* AB corr. ex *quod* — 3. *lautius* C: *latius* O et aliquot dett. — *aedificata* AB — 4. *eget* A[1] — 5. *auos* A[1] B[1] H: *auus* A[2] B[2] O — 7. *inest* edd. vett.: *id est* AB, *idē* H — *quit* A[1] — 8. *delectet * * si* A; malim *delectat, si*, quod si verum est, in lacuna scriptura *delectetat si* videtur latere, pristina et mutata lectione, ut saepe factum est, in unum coniuncta. — 10. *istam tibi* O — *puto esse* scripsi: *puto * ** A; *puto* B H O — 11. *diliges qui in* B[1] — 12. *illo* A[1] — *amitior* H, *amicitior* B[2] — *amodo* H — 13. *mouemor* A[1] — 14. *menquidem* B[1] H, *me * quidem* A — 16. *recordationes* B — 17. *studiose quem* B — 18. *sepulchra* A — 19. *poene* A — 20. *ostendisse * ** A — *haequidem* B[1] — 21. *idem ego te accipio* codices, quam lectionem defendit Feldhügel et censor in «*Zeitschrift für Alterthumsw.*» 1844 p. 131; *id* (an *ita*?) *enim ego* coni. Goerenz; coniecturas reliquorum criticorum de loco admodum suspecto v. in commentario Feldhuegelii p. 124. — 23. *quid? duas vos* scripsi: *quid* (sup. lin. add. *num*) ** duas * ** A (*quid* videtur ex *qui* correctum), *quid uasis* B[1], *quicquid duas* B[2], *quid uos duas* H, *numquid duas* O — *habitis* B[1] — 26. *unam naturae, alteram civitatis* codd. dett.: *unam naturam ciuitatis* C — *esset* edd. vett.: *est* C — 27. *itaque* aliquot edd. vett. et Lambinus: *ita* C O; conf. Handii Tursell. III, 471. — *quom* A, *quum* B[1], *cum* B[2] H — *ortus* A[2] B[2] — *tusculano* AB, sed *o* habet A in ras. — 28. *ciuitatem romam* C — 29. *eos demigrare* Manutius: *eosdem migrare* C — *et ĩ* (*ĩ* in ras.) *estu* H — 30. *omnes* BO — *se conferre se* C — *iussisset* scripsi: *iussitet* C, *iussit* O; syllaba quae requiritur videtur partim in *et*, partim in alieno *se* post *conferre* latere. — *sui erant iidem et Attici* Madvig (sed hic *et sui*): *simfrantidem* (*symfrantidem* B H) *et atticis* C (litteras *simfr* A in ras. habet), item O (sed *Attici*) cum signo crucis; *suae φρατρίας erant iidem et Attici*

sic nos et eam patriam ducimus, ubi nati, *et illam, in quam recepti* sumus. Sed necesse est caritate eam praestare, qua rei publicae nomen universae civitatis est, pro qua mori et cui nos totos dedere et in qua nostra omnia ponere et quasi consecrare debemus. Dulcis autem non multo secus est ea, quae genuit, quam illa, quae excepit. Itaque ego hanc meam esse patriam prosus numquam negabo, dum sit illa maior, haec in ea contineatur.

III. 6. *Att.* Recte igitur Magnus ille noster me audiente posuit in iudicio, quom pro Ampio tecum simul diceret, rem publicam nostram iustissimas huic municipio gratias agere posse, quod ex eo duo sui conservatores exstitissent, ut iam videar adduci hanc quoque, quae te procrearit, esse patriam tuam. Sed ventum in insulam est: hac vero nihil est amoenius. Etenim hoc quasi rostro finditur Fibrenus et divisus aequaliter in duas partes latera haec adluit rapideque dilapsus cito in unum confluit et tantum conplectitur quod satis sit modicae palaestrae loci. Quo effecto, tamquam id habuerit operis ac muneris, ut hanc nobis efficeret sedem ad disputandum, statim praecipitat in Lirem et, quasi in familiam patriciam venerit, amittit nomen obscurius Liremque multo gelidiorem facit. Nec enim ullum hoc frigidius flumen attigi, cum ad multa accesserim, ut vix pede temptare id possim, quod in Phaedro Platonis facit Socrates. 7. *M.* Est vero ita, sed tamen huic amoenitati, quem ex Quinto saepe audio, Thyamis Epirotes tuus ille nihil, opinor, concesserit. *Q.* Est ita, ut dicis; cave enim putes Attici nostri Amalthio platanisque illis quicquam esse praeclarius. Sed, si videtur, considamus hic in umbra atque ad eam partem sermonis, ex qua egressi sumus, revertamur. *M.* Praeclare exigis, Quinte, — at ego effugisse arbitrabar — et tibi horum nihil deberi potest. *Q.* Ordire igitur; nam hunc tibi totum dicamus diem.

M. A Iove Musarum primordia, sicut in Aratio carmine orsi sumus. *Q.* Quorsum istuc? *M.* Quia nunc item ab eodem et a ceteris

---

Schuetz, *συμφράτορες erant iidem et A.* censor (Peter?) in «*Zeitschr. f. Alterthumsw.*» 1844, p. 133; conf. ea quoque quae disputavit Schoemannus in Opusc. I, 170 sqq.

1. *ducimus* AB: *dicimus* HO — *et illam in quam recepti* nos supplevimus: *et -- recepti* om. C; *et illam qua excepti* O, ut suppletum est in codd. dett. — 2. *caritatem* B^{1}H — *eam* om. H — *qua* (*quam* H) *R. P. nomen* C: *e qua populi Romani nomen* O; alias coniecturas de loco v. in Feldhuegelii comment. p. 126. — 3. *pro quo amori* B^{1}, *pro quo amore* H — *et cum os totos sedere* H — 4. *poneret quasi* H — 5. *secus* ** A, *setius* H sup. lin. 1 m. — 6. *prosus* $A^{1}B^{1}$: *prorsus* $A^{2}B^{2}$HO — 7. *haec*] *et* AH, *sed* B — post *contineatur* est in C glossema: *habet ciuitatis* (sic) *et unam illam* (*illum* H) *ciuitatem putat* — 9. *Ampio* nescio quis apud Lamb.: *ambio* AB, *ambiu* H; *Balbo* O — 10. *iustissimă** A, *iustissimam* BH — *sui* A: *sunt* BH, sed in B vox erasa — 11. *ut iam videar* edd. vett.: *utinam uideam* C — 12. *haec uero* B^{1}, *hac* ** *uero* A (*ac* est in ras.) — 13. *etenim* Lamb.: *ut enim* CO — 14. *dilapsum* H — 17. *efficerit* B^{1}, *effecerit* AB^{2}H — *praecipitat* ** A (syllaba *at* in ras.); videtur *se* in loco eraso deesse — *illirem* H — 19. *ullum* H: *illum* AB — *attigi cum*] *atticium* AH, *aticium* B — 20. *tentare* O — *possum* B — *in pedro* B — 22. *quem* B, ut coniecit Davies (est in B: *q̄;* i. e. *que* cum linea): *quę* A, *quam* HO — *Thyamis* Turnebus: *thebanus* C — *epyrotes* A, *ephirotes* B — 24. *Amalthio* Turnebus: *emathio* H, *emathyo* AB — 26. *sumus et reuertamur* B^{1} — *praeclare ex his* B^{1}H — *que quinte* $B^{1}H^{1}$ — 27. *effulgisse* H — 29. *M. A Iove* Turnebus: *maiore* AB^{2}, *maiorem* B^{1}H — *primordia* B^{1}H: *primordio* B^{2} et A corr. — *in Aratio* Turnebus, ut iam in A punctis nunc fere evanidis correctum est: *innarratio* C — 30. *cum* (*quorsum* sup.) H (*quorsum* est ab eadem m.) — *istud* O — *iidem* O — *et a* B sup. lin. a 2 m.

dis inmortalibus sunt nobis agendi capienda primordia. 8. *Q.* Optime vero, frater, et fieri sic decet.

IV. *M.* Videamus igitur rursus, prius quam adgrediamur ad leges singulas, vim naturamque legis, ne, quom referenda sint ad eam nobis omnia, labamur interdum errore sermonis ignoremusque vim eius, quom iura nobis definienda sunt. *Q.* Sane quidem hercule, et est ista recta docendi via. *M.* Hanc igitur video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam nec scitum aliquod esse populorum, sed aeternum quiddam, quod universum mundum regeret imperandi prohibendique sapientia. Ita principem legem illam et ultimam mentem esse dicebant omnia ratione aut cogentis aut vetantis dei: ex qua illa lex, quam di humano generi dederunt, recte est laudata; est enim ratio mensque sapientis ad iubendum et ad deterrendum idonea. 9. *Q.* Aliquotiens iam iste locus a te tactus est: sed ante quam ad populares leges venias, vim istius caelestis legis explana, si placet, ne aestus nos consuetudinis absorbeat et ad sermonis morem usitati trahat. *M.* A parvis enim, Quinte, didicimus, si in ius vocat atque eius modi leges alias nominare. Sed vero intellegi sic oportet, et hoc et alia iussa ac vetita populorum vim habere ad recte facta vocandi et a peccatis avocandi, quae vis non modo senior est quam aetas populorum et civitatium, sed aequalis illius caelum atque terras tuentis et regentis dei. 10. Neque enim esse mens divina sine ratione potest, nec ratio divina non hanc vim in rectis pravisque sanciendis habet, nec, quia nusquam erat scriptum, ut contra omnis hostium copias in ponte unus adsisteret a tergoque pontem interscindi iuberet, idcirco minus Coclitem illum rem gessisse tantam fortitudinis lege atque imperio putabimus, nec, si regnante L. Tarquinio nulla erat Romae scripta lex de stupris, idcirco non contra illam legem sempiternam Sex. Tarquinius vim Lucretiae, Tricipitini filiae, attulit.. Erat enim ratio, pro-

---

1. *agenda* H — 4. *ne cum* B^2 — 5. *ignoremusque vim eius* (legis), *quom iura nobis definienda sunt* scripsi: *ignoremusque uim sermonis eius quo* (*quo*° A, *qua* B^1) *iura nobis definienda sint* AB et sic O, sed [*sermonis*]; *eius quo iura nobis diffinienda sint* H verbis *ignoremusque vim sermonis* omissis. Iam alii in loco offenderant, v. Feldhüg. comment. p. 131. — 7. *uideo ex sapientissimorum fuisse sententia* (*sententiam* B) BH — 8. *situm* H — 9. *pop. sed*] *populorum quod* AB^2, *populorumq;* B^1H — *mundū* A corr. ex *mundus* — 10. *sapientiam* H — 11. *dicebat* C — *uaetantis* B — *dei* B, sed *ei* in ras., *die* H — 12. *ex quo* Davisius; at *ex qua* breviter dictum est eius loco quod est: *ex qua* (*principe lege*) *cum orta sit* etc. — *di* H: *dii* ABO (*dii* in A sup. lin., *ii* B in ras. habet) — 15. *legis* B^1 — *uenis* B^1H — *explena* B — 16. *obsorbeat* H — literas *itali trahat* A in ras. habet. — 17. *apparuisse nim* B^1, *apparuisse enim* H, *apertius enim* B^2 et A, sed in hoc *apertius* est in ras. manu recent. scriptum. Simile vitium in libri I de deor. nat. § 83 Klotz et Madvig correxerunt. — *dicimus* B^2 — *in ius* H corr. ex *unus* — *uocat atque at* (*ad* H) C, unde Feldhügel: *uocat ito et*; at v. Vahlen *Zeitschr. für die österr. Gymn.* 1860, p. 7. — 18. *alias leges* O; *eius modi leges alias leges nominare* coni. Heindorf, *Zeitschr. f. geschichtl. Rechtswiss.* II, 435. — *nominares* B — 19. *vim non habere* aliquot edd. vett. et O — 20. *auocandiq̃; tuis* B, *auocandi quinte tuis* H — *seniorem quam* H — 21. *ciuitatium* AH: *ciuitatum* BO — *tuendis* B^1 — 22. *enim mens diuina esse sine ratione potest nec ratio diuina* A sic in loco eraso habet a m. 2 sed antiqua — 23. *habet* C: *habere* O — 24. *omnes* O — 27. *L.* Turnebus: om. ABO, sed A in ras., *ul* (i. e. *uel*) H — *Romae*] *prome* C — 28. *tarqui*∗*nius* A — 29. *atulit* A^1 — *ratio, profecta* nos distinximus: *ratio profecta* sine commate edd. — *profecti rerum* AB (in B *a* sup. *i* add.), *profecto rerum* (*tor* in ras.) H.

fecta a rerum natura, et ad recte faciendum impellens et a delicto avocans, quae non tum denique incipit lex esse, quom scripta est, sed tum, cum orta est; orta autem est simul cum mente divina. Quam ob rem lex vera atque princeps apta ad iubendum et ad vetandum ratio est recta summi Iovis.

V. 11. *Q.* Adsentior, frater, ut, quod est rectum, verum quoque sit neque cum litteris, quibus scita describuntur, aut oriatur aut occidat. *M.* Ergo ut illa divina mens summa lex est, item, quom in homine est perfecta, in mente *est* sapientis. Quae sunt autem varie et ad tempus descriptae populis, favore magis quam re legum nomen tenent. Omnem enim legem, quae quidem recte lex appellari possit, esse laudabilem quibusdam talibus argumentis docent. Constat profecto ad salutem civium civitatumque incolumitatem vitamque hominum quietam et beatam inventas esse leges, eosque, qui primum eius modi scita sanxerint, populis ostendisse ea se scripturos atque laturos, quibus illi adscitis susceptisque honeste beateque viverent, quaeque ita conposita sanctaque essent, eas leges videlicet † nominarent. Ex quo intellegi par est eos, qui perniciosa et iniusta populis iussa descripserint, quom contra fecerint quam polliciti professique sint, quidvis potius tulisse quam leges, ut perspicuum esse possit in ipso nomine legis interpretando inesse vim et sententiam iusti et veri legendi. 12. Quaero igitur a te, Quinte, sicut illi solent: Quo si civitas careat, ob eam ipsam causam, quod eo careat, pro nihilo habenda sit, id estne numerandum in bonis? *Q.* Ac maxumis quidem. *M.* Lege autem carens civitas estne ob ipsum habenda nullo loco? *Q.* Dici aliter non potest. *M.* Necesse est igitur legem haberi in rebus optimis. *Q.* Prosus adsentior. 13. *M.* Quid? quod multa perniciose, multa pestifere sciscuntur in populis,

1. *et adflicto* B^1 H — 2. *auocans* B sup. lin., *aduocans* H^1 — *quom* A: *quam* B corr. in *cum* — 3. *est autem* O — 6. *uerumque* C, *aeternum quoque* Davies — 7. *describuntur* H^2: *adscribuntur* H^1, *·scribuntur* A, *scribuntur* B O — 8. *quom* A B^1: *quod* H, *cum* B^2 — 9. *est* om. C, quod alii alio loco interposuerunt; *quum in homine est, profecto in mente sapientis est* coni. Bake; *quum in homine est perfecta, est in mente s.* O, quam verborum distinctionem item Madvigius probavit in Emendatt. in Cic. l. de legg. etc. p. 63: «Comparatio male habet; nam ut summa lex esse dicitur mens divina, ita subiiciendum erat, in homine legem *esse* mentem sapientis, sive quod idem est, in mente sapientis, non *perfectam esse* in mente sapientis; deinde, quid intelligi debet ad verba, *cum in homine est*? Recte Rathius has difficultates removerat, restituta vera interpunctione: *item, cum in homine est perfecta, in mente sapientis est.*» — 9. *uarię* A, *uariae* B^1H — 10. *descripte* H, *descripta* B^1O — *populis* A^1, *populi* A^2 et B corr. — *faueri* B^1, *fauori* H; *ea more* coni. Krause — *rei* H — 11. *tenunt* B — *apellari* A — 12. *constant* A B — 13. *incolomitatem* A B — *vitamque omnium* Car. Stephanus — *quietiam* B^1 — 14. *inuentas* H: *intas* B^1, *conditas* B^2 et A ex corr. — 15. *sancxerint* B, *sanxerunt* H — *ea·se* A — *scripturus atque laturus* (*us* B corr. in *os*) A^1B, *scripturas a. laturas* A^2 — *illi adscitis* Lambinus: *illis adscriptis* C — 16. *honesti beatique* B H — *quae cum ita* H — 17. *nominaren* B^1, *nominarunt* Victorius et O; ipse malim *nominatas esse* vel *nominasse* — 18. *et iusta* C, sed in A sic in ras. m. 2. — *iussa* Ernestio aut delendum aut in *iura* mutandum videbatur — *scripserint* coni. Bake — 19. *sollicili* B^1H^2 — *professi·que* A, *professioque* B^1 — 21. *iusti et* A in ras. — *ueri legendi* H distincte: *curilendi* B^1, *iuris colendi* A B^2, sed in A *iuriscol* est in ras. — 22. *ad te* A^1 — *quo si* codd. dett.: *quod si* C — post *careat* A in marg. *lege*, sup. lin. H — 23. *ea* H (add. in marg. *lege*) — *nihil* A B — *id est ne* A corr. in *idemne* — *numeranda* H corr. — 24. *cadens* A^1B^1 — *estne* C: *anne* O; v. Madvigii Opusc. II, 138. — 25. *ob id ipsum* O cum Lamb. — 26. *habere* B — *prosus* A^1: *prorsus* A^2 B H O — 27. *perniciose* A^1: *perniciosae* H, *perniciosa* A^2, *pernitiosa* B — *pestifere* A^1B^1H: *pestifera* A^2B^2 — *sciscuntur in* A in ras. m. 2 habet, *sciscantur ut* H.

quae non magis legis nomen adtingunt, quam si latrones aliquas consessu suo sanxerint. Nam neque medicorum praecepta dici vere possunt, si quae inscii inperitique pro salutaribus mortifera conscripserunt, neque in populo lex, † cuicuimodi fuerit illa, etiam si perniciosum aliquid populus acceperit. Ergo est lex iustorum iniustorumque distinctio, ad illam antiquissimam et rerum omnium principem expressa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quae supplicio inprobos adficiunt, defendunt ac tuentur bonos.

VI. *Q.* Praeclare intellego, nec vero iam aliam esse ullam legem puto non modo habendam, sed ne appellandam quidem. 14. *M.* Igitur tu Titias et Apuleias leges nullas putas? *Q.* Ego vero ne Livias quidem. *M.* Et recte, quae praesertim uno versiculo senatus puncto temporis sublatae sint: lex autem illa, cuius vim explicavi, neque tolli neque abrogari potest. *Q.* Eas tu igitur leges rogabis videlicet, quae numquam abrogentur. *M.* Certe, si modo acceptae a duobus vobis erunt. Sed, ut vir doctissimus fecit Plato atque idem gravissimus philosophorum omnium, qui princeps de re publica conscripsit idemque separatim de legibus eius, idem mihi credo esse faciundum, ut, prius quam ipsam legem recitem, de eius [legis] laude dicam. Quod idem etiam Zaleucum et Charondam fecisse video, quom quidem illi non studii et delectationis, sed rei publicae causa leges civitatibus suis scripserunt. Quos imitatus Plato videlicet hoc quoque legis putavit esse, persuadere aliquid, non omnia vi ac minis cogere. 15. *Q.* Quid? quod Zaleucum istum negat ullum fuisse Timaeus? *M.* At Theophrastus, auctor haud deterior mea quidem sententia, — meliorem multi nominant —: commemorant vero ipsius cives, nostri clientes, Locri. Sed sive fuit sive non fuit, nihil ad rem: loquimur quod traditum est.

VII. Sit igitur hoc iam a principio persuasum civibus, dominos esse omnium rerum ac moderatores deos eaque, quae gerantur, eorum geri [vi] dicione ac numine, eosdemque optime de genere hominum

---

1. *leges* B² — *nomen*] *non* C — *quasi* H — *latrones* homo quidam doctus apud Turnebum et Lipsius: *latores* C — *aliquas* C: *aliqua* O (de B H Bake erravit) — *consessu* Lipsius: *concessu* (*con • cessu* A) C; ipse malim *consensu*, ut doctum quendam coniecisse Turnebus tradidit. — 2. *sancxerint* B, *sanxerunt* H — *possunt* Sturmius (in ed. I): *possint* C O — 3. *conscripserint* O — 4. *in* A sup. lin. — *cuiquimodi* A¹ B¹, *cui modi* H — *fuerint* A¹B¹H; *cui quid mali fuerit ulla est* dett. aliquot; vitium latere etiam lectione *fuerint* indicari videtur — 6. *et expressa* B¹ H — *natura* H — 7. *subplicio* A¹ — 11. *tu Titias* A. Augustinus et Manutius: *tutias* C — *apulejas* (*ej* in ras.) A, *apuletas* H — *loiuias* C — 14. *rogauis* A¹, *rogas* B, *uocabis* H — 15. *certe* A, sed *e* ultima in ras., *certis* H — *accepta ea* H — *vobis duobus* O — 16. *graui* in *grauissimus* A in ras. habet — 17. *omnium* om. H — *qui* AB corr. in *que* — 18. *idem* scripsi: *id* C: *ita* Davisius, *item* Lamb. et Ernesti; conf. de officiis I, § 1: *Ut ipse ad meam utilitatem semper -- coniunxi --, idem tibi censeo faciundum.* — *faciendum* H O — 19. *de eius lege laude* H, sed *lege* linea transversa deletum; nos *legis* inclusimus — 20. *etiam* B: *et* A O, *est* H — *charonnidam* (altera *n* punctata) A, *carronnidam* B corr. ex *carporudam* — *cum* (*quom* AB) C: *quamquam* O — *quidam* B¹ H — 21. *dilectationes* A¹ — *conscripserunt* O — 22. *legis putauit esse per* et v. 24 *fuisse thimeus* A in ras. habet m. 2. — 24. *imaeius* H — *At Theophrastus* (scil. fuisse adfirmat) C: multi locum pro corrupto habebant, v. Feldhuegelii comment. pag. 145. — *aut* C, sed in A B *haud* corr. — 26. *Locri*] *lucri* C — 27. *quo* A B — 28. *si igitur* C — *iam* om. O — 29. *gerantur* A, sed *rantur* in ras.; *generantur* B H — *deorum* Bake — 30. *geri •* A (*ri* in ras.) — *vi, dicione* Turnebus; *uidicione* A¹, *iudicione* B¹ H, *iudicio* A²B²O; *ac* inclusit Feldhuegel; nobis potius *vi* glossema videtur — *nomine* A¹, *nomen* H.

mereri et qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate colat religiones, intueri piorumque et impiorum habere rationem. 16. His enim rebus inbutae mentes haud sane abhorrebunt ab utili aut a vera sententia. Quid est enim verius quam neminem esse oportere tam stulte adrogantem, ut in se rationem et mentem putet inesse, in caelo mundoque non putet? aut ut ea, quae vix summa ingenii *ratione comprehendat*, *nulla* ratione moveri putet? Quem vero astrorum ordines, quem dierum noctiumque vicissitudines, quem mensum temperatio quemque ea, quae gignuntur nobis ad fruendum, non gratum esse cogunt, hunc hominem omnino numerari qui decet? Quomque omnia, quae rationem habent, praestent iis, quae sint rationis expertia, nefasque sit dicere ullam rem praestare naturae omnium rerum, rationem inesse in ea confitendum est. Utilis esse autem has opiniones quis neget, cum intellegat quam multa firmentur iure iurando, quantae saluti sint foederum religiones, quam multos divini supplici metus a scelere revocarit quamque sancta sit societas civium inter ipsos, dis inmortalibus interpositis tum iudicibus, tum testibus? Habes legis prooemium; sic enim hoc appellat Plato. 17. *Q.* Habeo vero, frater, et in hoc admodum delector, quod in aliis rebus aliisque sententiis versaris atque ille. Nihil enim tam dissimile quam vel ea, quae ante dixisti, vel hoc ipsum de deis exordium: unum illud mihi videris imitari, orationis genus. *M.* Velle fortasse; quis enim id potest aut umquam poterit imitari? Nam sententias interpretari perfacile est: quod quidem ego facerem, nisi plane esse vellem meus. Quid enim negotii est eadem prope verbis isdem conversa dicere? *Q.* Prorsus adsentior: verum, ut modo tute dixisti, te esse malo tuum. Sed iam exprome, si placet, istas leges de religione. 18. *M.* Expromam equidem, ut potero, et quoniam et locus et sermo familiaris est, legum leges voce

---

2. *religiones intueri* AB^2 (sed in A *religiones int* in ras.): *religione sist ueri* B^1H — *imperium* H — *haberi* A^1H — 3. *is* AB^1, *iis* H — *mentis* H — *aut* AH — *abhorrebunt ab utili aut a uera* A, sed omnia praeter literas *ab* in loco eraso scripta sunt. — 4. *abutilla aut auersa* (*s* erasa) B, *ab utili illa* (*li illa* in ras.) *aut auersa* H; *ab utili et a vera* O — 5. *abrogantem* AB — *ut in se* A in ras. habet — 6. *ut* om. B — 7. *ing. contentione* Davies, *ing. acie* (vel *intentione*) Moserus; an *ing. agitatione*? apparet verborum, quae in codd. desiderantur, supplementum admodum incertum ac dubium esse. — *ratione comprehendat nulla* om. C — 8. *uicissitudinis* A^1 — *mensum* AB: *mensium* HO; conf. C. L. Schneider *Lat. Formenlehre* p. 244. — 9. *quemque -- gratum*] haec omnia A in loco eraso habet — 10. *cogant* O — *qui* dett. aliquot: *neque* C, sed *ne* in A sup. lin. m. 1 et *que decet* in ras. m. 2; non est in BC *nequa*, unde Vahlen coniecit *nequaquam* — 11. *praesent iis* (sic H^1) vel *praesentiis* C — *sunt* Goerenz et O — *rationes* A^1 — 12. *experti** A, *experti* BH — *nefasque sit*] *ne eas quae sit* BH, *nequeas* A in ras. m. 2, maiore spatio pristino non expleto — 13. *utiles* O — *esse*aut has* H — 14. *opiniones has* O — *cum* B corr. ex *q̃m* — 15. *saluti* Lambinus: *salutis* CO — *foederũ religiones* H, item A, sed in hoc *es* in *is* corr. (sic nos quidem legimus in loco obscurius scripto): *foedera* (*foederũ* B^1) *religionis* B — *multos diu in supplicio* H — *supplicii* A^2BO — 17. *diis* CO — *tum* (ante *iud.*) H corr. ex *cum* — *tum* (ante *testibus*) om. C — *his habes* A^1, *is habes* B^1; fort. ex *hic habes* — 18. *leges* A^1B^1H — *prohemium* AB — *hoc* codd. dett.: *haec* C; pronomen tollendum videbatur Orellio — 20. *uersari* H — *adque* A^1 — 21. *de deis* scripsi: *de eis* C, *legis* edd. — *illut* A^1 — 22. *vellem* codd. dett. et O — 25. *est eadem prope* A in ras. m. 2 habet — *iisdem* A^2BO — *prorsus* A^2BHO — 26. *sed iam* H: *sed etiam* AB — *exprime* H corr. ex *exprome*, ut videtur — 27. *de*] *diere* H, *daret* AB — *exprimam* H — 28. *leges* videtur glossa — *uoce* H: *uocẽ* AB.

proponam. *Q.* Quidnam id est? *M.* Sunt certa legum verba, Quinte, neque ita prisca, ut in veteribus XII sacratisque legibus, et tamen, quo plus auctoritatis habeant, paulo antiquiora quam hic sermo est. Eum morem igitur cum brevitate, si potuero, consequar. Leges autem a me edentur non perfectae — nam esset infinitum —, sed ipsae summae rerum atque sententiae. *Q.* Ita vero necesse est; quare audiamus.

VIII. 19. *M.* Ad divos adeunto caste, pietatem adhibento, opes amovento. Qui secus faxit, deus ipse vindex erit.

Separatim nemo habessit deos neve novos neve advenas nisi publice adscitos: privatim colunto quos rite a patribus *cultos acceperint.*

In urbibus delubra habento: lucos in agris habento et larum sedes.

Ritus familiae patrumque servanto.

Divos et eos, qui caelestes semper habiti, colunto et ollos quos endo caelo merita conlocaverint, Herculem, Liberum, Aesculapium, Castorem, Pollucem, Quirinum, ast olla, propter quae datur homini adscensus in caelum, Mentem, Virtutem, Pietatem, Fidem, earumque laudum delubra sunto neve ulla vitiorum.

Sacra solemnia obeunto.

Feris iurgia ne movento easque in famulis operibus patratis habento; idque ut ita cadat in annuis anfracti-

---

1. *id est* edd. vett.: *inesset* B[1] H (*t* in H in ras.), *in eis sit sed* B[2], *in eis* *** A (sed litterae *is* in ras., ut ex vetere lectione nihil superfuit nisi *ine* *****, superscr. *sit sed*); ipse malim *quidnam istuc est?* — *quincte* B — 2. XII Lambinus et Cuiacius: *ex his* B H, *exiiſſ* A (*ſſ* ex corr. valde antiqua; sup. *i* est aliquid erasum); *senatus consultis* Schefferus, *regiis* Turnebus — *sacratisq;* A, sed *q;* insertum est et ante *sacr.* est parva rasura, ut prima man. *et sacr.* habuisse videatur — *quo* A ex corr., *quod* H — 3. *eum morem* A in ras. habet — 4. *potero* A[2] B — *legis* A[1] — 5. an *perfecte*? — *nam est* Rath — 7. *adeunto* B[2]: *aderunto* B[1], *aderunt* H, litterae *eunto caste pietatem adhiben* in A in loco eraso scriptae sunt — *castae* B[1] — *adibento* B[2], *abeunto* B[1] H — 8. *opes* A[2] B[2]: *operis* B[1] H, *ope**** A[1] — *secutus* B[1] — 9. *erit* C: *esto* Feldhuegel errore, ut videtur — 10. *hebes* (prior *e* ex corr.) * *sit deos nemo habessit ds* A, *habens sit decus* B[1], *hebes sit deus* B[1], *habens sit deos* H — *nouvs* B[2] — *neue advenas* Manutius: *sedue aduenas* B[1], *sedne aduena* (*aduena** A) A B[2], *set* (*t* ex corr.) *aduenas* H; *sive advenas* O; v. Madvigii Opusc. II, 434. — 11. *adscitus* B[2] — *colunto* A in ras. m. 2 — *quos***rite* (*e* ex corr.) ***a* A, *quos trite a* B, *quos trita ea* H — 12. *cultos acceperint* add. Madvig: om. C O; eius loco quod est *cultos* haud scio an rectius Bake *adscitos* suppleat. (*colunto . constructa a patribus delubra in urbibus habento* O) — 13. *in urbibus* om. C; hic addidit Feldhuegel, post *delubra* Turnebus et O; cf. tamen Madvigii Opusc. II, 435 not. 2 — *locos* A[1] B[1] H — 15. *patrumque* edd. vett.: *patriamque* C — 16. *semper* B sup. lin. — 17. *ollos* A B: *illos* H — *endo caelo* A[1] B[1], ut Turnebus coniecerat: *in caelum* A[2] B[2], *cum deo caelo* H — *conlocaverint* scripsi: * *uocauerint* A, *uocauerint* B H, *locaverint* Feldhuegel, *locaverunt* O cum Davisio; videtur syllaba *co* absorpta esse, in **u* autem latent ductus litterarum *nl* — 19. *ascensus* A — 20. *mentem*] *Intem* H — 21. *neve ulla* Gulielmus: * *nec ulla* (*c u* in ras.) A, *neuc* (*u* deletum) *ulla* B, *ne uncula* H; *sunto, nuncula* (i. e. *ningula, nulla*) *vitiorum* Bergk in Philologi XIV, p. 186, et similiter Vahlen (*Zeitschr. für die österr. Gymn.* 1860 p. 15) — 22. *sollemnia* H O — *obeuto* H — 23. *feceris* C, ortum ex *feris*; *feriis* O — *ne movento* Buecheler et Mommsen: *mouento* A B, *inauento* H; *amouento* O cum aliquot codicibus dett. — 24. *idque* scripsi: *itaque* C O, sed in B *a* sup. lin. est — *cadet* A H — *amfractibus* H O.

bus descriptum esto. Certasque fruges certasque bacas [sacerdotes publice] libanto certis sacrificiis ac diebus. 20. Itemque alios ad dies ubertatem lactis feturaeque servanto * * * idque ne committi possit, ad eam rem ratione cursus annuos sacerdotes finiunto. Quaeque quoique divo decorae grataeque sint hostiae providento.

Divisque ollis sacerdotes, omnibus pontifices, singulis flamines sunto. Virginesque Vestales in urbe custodiunto ignem foci publici sempiternum.

† Quoque haec privatim et publice modo rituque fiant discunto ignari a publicis sacerdotibus. Eorum autem genera sunto tria: unum quod praesit caerimoniis et sacris, alterum, quod interpretetur fatidicorum et vatium ecfata incognita, quae eorum senatus populusque adsciverit. Interpretes autem Iovis optumi maxumi, publici augures, signis et auspiciis ostenta vidento, disciplinam tenento, 21. sacerdotesque *et* vineta virgetaque et salutem populi auguranto, quique agent rem duelli quique pro populo rem, auspicium praemonento ollique obtemperanto. Divorumque iras providento iisque adparento, caelique fulgura regionibus ratis temperanto,

---

1. *celerasque fruges certasque* (*celerasque* H^2) C — *baccas* A^1, *bacquas* B^1 — 2. *sacerdote** A^1, *sacerdote* B^1, *sacerdoti* A^{2}B^2; *sacerdotes publice* cum Bakio ut glossema inclusimus, cuius notam v. p. 500. Buecheler suspicatur *publice* ex loco inferiore v. 5, ubi aptum locum ante *finiunto* habeat, huc errore illatum esse. — *libanto* dett. aliquot: *liberanto* C — *certis* Ernesti: *hoc certis* CO; ortum *hoc* ex geminatione inter *to -- certis* — 3. *ad dies* Turnebus: *addes* C (*addens* H^1) — *futuraeque* C — 4. *seruante* H — *idque* C: *id quod* Turnebus, *in quae* Davisius, *in quo* Ernesti. Signum lacunae ante *idque* Buechelero auctore posuimus. — *conmitti* A^2 — *ratione* Turnebus: *rationem* C; ipse malim: *rationem* (i. e. computationem) *cursus annui*. — 5. *quoique* BH: *cuique* A, sed *cui* sup. lin. — 6. *decore* A — *grateque* AB, *graueque* H — *prouidentiae* H — 7. *ollis* Turnebus: *aliis* C, *aliis alii* Victorius et O — 8. *flaminis* B^{1}H — *uestalis* AB^{1}H — 10. *haec* BH: *et* A, sed in loco eraso — *publicem* B^1 — *modo rituque* H: *modo rituq.*
o o
A in ras. m. 2., super *q*. est *quo* manu vetere; *quae* B, sup. *quae* scriptum est m. 2. *modo rituq;* ex qua scriptura apparet lectionis vulgatae fidem admodum incertam et lectionem *modo rituque*, ut ex AB intellegitur, meram librariorum coniecturam esse. Nobis hoc fere Cicero scripsisse videtur: *Quo quaeque modo sacra privatim et publice rite fiant, discunto* etc.; *et publice* Buechelerus pro glossemate habet, ut et ex verbis *discunto ignari a p u b l i c i s sacerdotibus* et ex II, § 30 appareat, ubi legimus: *ut sine eis, qui sacris publice praesunt, r e l i g i o n i p r i v a t a e satis facere non possint.* — 11. *earum* C — 12. *sunt* H (*t* in ras) — *tria . unum* H (sed in ras.): *triunum* B, *duo unum* A (sed *duo* in ras. m. 2.); *tria* om. O — *cerimoniis* A — 13. *faticorum* A^1, *fati quorum* B^1 — 14. *uatium* C: *vatum* O; cf. II, § 30 — *ecfata* nos: *et fata* C, *effata* O — *quae eorum* Mommsen: *quorum* CO — 15. *asciuerit* AB, *adsueuerit* H — *optimi* BH (*im* H in ras.), *oblimi* A — 16. *ostenta* scripsi: *postea* C et O cum signo crucis; *portenta* Feldhuegel — *uidente* H — 17. post *sacerdotesq;* est in A parva rasura, quam supplevimus addito *et*, ut locum iam C. O. Muellerus in libro de Etruscis II, p. 116 intellexit. Per totum enim locum *augures* subiectum sunt, quod si tenueris, etiam recte interpretere quod sequitur *praemonento*, scil. *augures auspicium iis qui rem duelli agent.* — 18. *a*gent* A — *rem duelli* A in ras. man. 2 habet — 19. *pro populo rem* A. G. Zumpt: *propopularem* A^{1}B^1, *propopulare* A^{2}B^2, *popularem* H^{1}O, *populare* H^2 — *praemoneto* H — *illiquae* B^1, *oblique* H — 20. *obtemperante* B^{1}H (sed B *opt.*) — *iisque* A in ras. man. 2, *sisq;* H, *eisque* O — *apparento* H: *aparento* B^1, *parento* B^2, ***parento* A — 21. *fulgera* AB corr. in *fulgora* — *temperato* H.

urbemque et agros templa liberata et ecfata habento. Quaeque augur iniusta nefasta vitiosa dira deixerit, inrita infectaque sunto, quique non paruerit, capital esto.

IX. Foederum, pacis belli, induciarum † oratorum fetiales iudices † non sunto: bella disceptanto.

Prodigia portenta ad Etruscos haruspices, si senatus iussit, deferunto, Etruriaque principes disciplinam doceto. Quibus divis creverint, procuranto idemque fulgura atque obstita pianto.

Nocturna mulierum sacrificia ne sunto praeter olla, quae pro populo rite fient: neve quem initianto nisi, ut adsolet, Cereri Graeco sacro.

22. Sacrum commissum, quod neque expiari poterit, impie commissum esto: quod expiari poterit, publici sacerdotes expianto.

Loedis publicis, † quod sine curriculo et sine certatione corporum fiat, popularem laetitiam [in] cantu et fidibus et tibiis moderanto eamque cum divum honore iungunto.

Ex patriis ritibus optuma colunto.

Praeter Idaeae matris famulos eosque iustis diebus ne quis stipem cogito.

Sacrum sacrove commendatum qui clepsit rapsitve parricida esto.

Periurii poena divina exitium, humana dedecus.

Incestum pontifices supremo subplicio sanciunto.

Impius ne audeto placare donis iram deorum.

---

1. *templa* Goerenz: *et templa* CO — *effata* edd. vett.: *efflat* A^1B^1H, *efflata* A^2B^2 — *habenti* A^1B^1H — 2. *imi usta* H — *adira* B^1 — *deixerit* Lipsius: *defixerit* CO, sed A^1 *difixerit* — *irrita* B^2O — 3. *infestaque* AB — *capital esto* Manutius: *caritalesto* B^1H, *caristolesto* AB^2 — 4. *indotiarum* A^1B^1H — *oratorum* C: *ratarum* Madvig recte, ut videtur; *oratores* O cum Scheffero — 5. *iudices non* C: *iudicesve* O cum Scheffero; videtur in *non* numerus (*xx*?) latere — *disceptatio* C — 6. *aruspices* Stephanus: *et aruspices* C — 7. *iusserit* Stephanus; at est *iussit* vetus futuri exacti forma; v. Madvigii Opusc. II, 65 n. 1. — *etruriaque* A^1H: *etruriaeque* A^2B — *principis* C — 8. *docet* H — *iidemque* O — *fulgora* A^2 — 11. *pro* om. H, sup. lin. habet A — *fient* C, sed A in ras. m. 2. — *neve quem* scripsi, ut est in duobus dett.: *neueque* C, *neve quoi* Feldbuegel, *neve* O — *inianto* AH, *inhianto* B (*hi* ex corr.) — *ut assolet Cereri,* alii distinguunt — 12. *greco* A in ras. — 14. *esto* Manutius: *est* C — *expirari* B — *publicis* B^1 — *sacerdotē* H — 16. *loedis* B^1: *ludis* AB^2HO, sed A *ludis* in loco eraso; de forma vetere v. Corssen, *über Aussprache, Vokalismus und Betonung der lat. Sprache* 1, 195. — *quod - - fiat*] varios de hoc loco emendationum conatus v. in Feldhueg. comment. p. 161; videtur autem *sine - - sine* ex *siue - - siue* corruptum eoque mendo admisso locus interpolatione foedatus esse. — 17. *in* cum Orellio inclusi; pertinet enim *cantu* ad *moderanto*, non ad *laetitiam* — 18. *moderato* C — 20. *oblima* B — 21. *ideae* C (*deae* H^2) — 22. *sti* in *stipem* A in ras. habet, *sit ipsae* B^1 — 23. *clepsit rapsitve* Lambinus: *cleperit rapsitque* CO (sed H *dēserit* corr. ex *cleperit*); Madvig de finn. pag. 748: «Quoniam nulla caussa excogitari potest, cur Cicero in altero verbo recentiore forma, in altero antiqua (*rapsit*, non *rapuerit*) uti voluerit, adparet rectissime Lambinum aliosque scripsisse *clepsit rapsitve* etc.» — 25. literas *periurii poena diuina exiti* A in ras. habet a m. 2, sed antiqua — 26. *inceptum* C — *subplicio* A^1, *subplitio* B — *sanciundo* A^1H — 27. *impii* A, sed *ii* in rasura — *placari* A^2, *placeri* A^1B, *placere* H — *dionis* BH.

Caute vota reddunto. Poena violati iuris esto: quocirca ne quis agrum consecrato. Auri, argenti, eboris sacrandi modus esto.

Sacra privata perpetua manento.

Deorum Manium iura sancta sunto. Sos leto datos divos habento: sumptum in ollos luctumque minuunto.

X. 23. *Att.* Conclusa quidem est a te tam magna lex sane quam brevi, set, ut mihi quidem videtur, non multum discrepat ista constitutio religionum a legibus Numae nostrisque moribus. *M.* An censes, quom in illis de re publica libris persuadere videatur Africanus, omnium rerum publicarum nostram veterem illam fuisse optumam, non necesse esse optumae rei publicae leges dare consentaneas? *Att.* Immo prosus ita censeo. *M.* Ergo adeo exspectate leges, quae genus illud optumum rei publicae contineant, et, si quae forte a me hodie rogabuntur, quae non sint in nostra re publica nec fuerint, tamen erunt fere in more maiorum, qui tum ut lex valebat. 24. *Att.* Suade igitur, si placet, istam ipsam legem, ut ego «utei tu rogas» possim dicere. *M.* Ain tandem, Attice, non es dicturus aliter? *Att.* Prosus maiorem quidem rem nullam sciscam aliter, in minoribus, si voles, remittam hoc tibi. *Q.* Atque mea quidem *eadem* sententia est. *M.* At, ne longum fiat, videte. *Att.* Utinam quidem! quid enim agere malumus?

M. Caste iubet lex adire ad deos, animo videlicet, in quo sunt omnia. Nec tollit castimoniam corporis: sed hoc oportet intellegi, quom multum animus corpori praestet observeturque, ut casta corpora adhibeantur, multo esse in animis id servandum magis. Nam illud vel adspersione aquae vel dierum numero tollitur: animi labes nec diuturnitate evanescere nec amnibus ullis elui potest. 25. Quod autem pietatem adhiberi, opes amoveri iubet, significat probitatem gratam esse deo, sumptum esse removendum. Qui enim paupertatem cum divitiis etiam inter homines esse aequalem velimus, cur eam sumptu ad sacra addito

---

1. *reddunt** H — *poenã* C — *uiolati** A, *uiolatis* B^1 — 2. *quis agrum* edd.: *quisacrum* C — *consecrati* AB, *consecrari* H — 5. *sos* vir doctus in Miscell. observv. III, 1, 67: *nos* C — *dato* C — *diuios* H, *diues* B^1 — 6. *in olles* AB^1, *molles* H — 7. *a te*** A, sup. *a* est *p* man. 2, ut sit *apte*; *alt* (*t* cum lin.) B corr. in *apte*, *alter* H corr. in *altera* — *tam* codd. dett.: om. C, sed videtur *tã* in illa rasura cod. A post *te* latere. — *brevi, sed* Gulielmus et Victorius: *breuis et* C; *brevi: et* O — 8. *relegionum* h. l. A — 9. *nummae* A — *cesses* AH — *q̃m* B^1, *cum* H — 11. *nostra* BH — *illa* B — *necesses*** B, *necesse esse* A corr. m. 2 in *censes esse*; *esse* om. H — 12. *prosus* A^1: *prorsus* A^2BHO — 13. *expectate* C — *illum* B^1 — 17. *utei* Davies: *ut et* C — *tu* C: om. O — *possem* A^1B^1H — *edicere* AB — 18. *es** A — *sciturus* Christ — *prórsus* CO — 19. *siscãm* (i. e. *si sanctam*) H — 20. *eadem* uddidit Madvig: om. CO, sed hic cum signo lacunae (*mea quoque eadem* Feldhügel) — 22. *adi"re* A, *ad id re* B^1H — *adeos* A^1H — 24. *corpore* C — *casta corpora adhibeantur* H: *casta corpora* (corr. *casto corpore*) *ad***eatur* A, *casta corpora adhibeatur* B^1, *casto corpore adeatur* B^2 — 25. *esse* B^1H: *est* B^2 et A, sed hic in ras. m. 2 — *illud* [*incestum*] *vel* O: *incestum*(sine *illud*) *vel* Stephanus, *illuvies vel* Hand — *aspersione* CO — 26. *animae labes* AB^2 (*ae* in A corr. ex *a*, ut videtur), *animal habes* B^1H — *ne* H — 27. *uanescere* C — *amanibus* C — *uili serui potest* H — *quod autem* edd. vett.: *quo* (*quod* B^2) *tamen* C — *pietate* B^1H, *pietati* A — 28. *probitatem* C: *pietatem* edd. aliquot veteres — *deis* H corr. ex *deo* — 29. *qui enim* Madvig: *quid enim* C; *quid est enim, quum* O; fort. *Quid enim? paupertatem cum* - - *velimus* — *cum* om. O — 30. *eam*] *etiam* H.

deorum aditu arceamus? praesertim cum ipsi deo nihil minus gratum futurum sit quam non omnibus patere ad se placandum et colendum viam. Quod autem non iudex, sed deus ipse vindex constituitur, praesentis poenae metu religio confirmari videtur. Suosque deos aut novos aut alienigenas coli confusionem habet religionum et ignotas caerimonias nostris sacerdotibus. 26. Iam a patribus acceptos deos ita placet coli, si huic legi paruerint ipsi [patres].

Delubra esse in urbibus censeo, nec sequor magos Persarum, quibus auctoribus Xerxes inflammasse templa Graeciae dicitur, quod parietibus includerent deos, quibus omnia deberent esse patentia ac libera quorumque hic mundus omnis templum esset et domus. XI. Melius Graeci atque nostri, qui ut augerent pietatem in deos, easdem illos urbes quas nos incolere voluerunt; adfert enim haec opinio religionem utilem civitatibus: si quidem et illud bene dictum est a Pythagora, doctissimo viro, tum maxume et pietatem et religionem versari in animis, cum rebus divinis operam daremus, et quod Thales, qui sapientissimus in septem fuit, homines existimare oportere omnia *quae* cernerent deorum esse plena; fore enim omnis castiores, veluti quom in fanis essent maxime religiosis. Est enim quaedam opinione species deorum in oculis, non solum in mentibus. 27. Eandemque rationem luci habent in agris. Neque ea, quae a maioribus prodita est cum dominis tum famulis posita in fundi villaeque conspectu religio Larum repudianda est. Iam ritus familiae patrumque servare id est, quoniam antiquitas proxume accedit ad deos, a dis quasi traditam religionem tueri. Quod autem ex hominum genere consecratos, sicut Herculem et ceteros, coli lex iubet, indicat omnium quidem animos inmortalis esse, sed fortium bonorumque divinos. 28. Bene vero, quod Mens, Pietas, Virtus, Fides consecratur † manu: quarum omnium Romae dedicata publice templa sunt: ut illa qui habeant — habent autem omnes boni — deos ipsos in animis suis conlocatos putent. Nam illud vitiosum Athenis quod, Cylonio scelere expiato, Epimenide Crete suadente fecerunt Contumeliae

---

1. *additu* B[1] H, *ad∗itu* A — *ipse* B[1] — 3. *sedens ipse* H — 4. *metu∗* A — 5. *coli*] *cęli* H — *religionem* A[1] — *ignoras* B H — 6. *nostris* Davies: *nos* C; om. O — *Iam* Mommsen: *nam* C O — *a* om. C — *coli si* A in ras. habet — 7. *lege* B[1] H — *parauerint* B — *ipsi patres* scripsi (sed videtur *patres* glossema): *ipsi patre* A[1], *ipsi patrem* B[1] H, *ipsi patrum* A[2] B[2]; *ipsi. Oportere* Feldhuegel, *ipsi.* † *Patrum* O; in voce depravata lectionem *patres* latere iam Wyttenbachius vidit. — 8. *delubram* B[1] H — 9. *actoribus* H — *xerses* A, *exerses* B H — 10. *patientia* B — *hac* H — 12. *grati atque* B[1] H[1], *gratia que* H[2] — *easdem* B corr. ex *eidem* — *illos quas nos urbes* Stephanus — 13. *uolue* A, sup. lin. est *runt* — 14. *si*] *is* H — *est* A B[2]: *et* B[1] H — 15. *tum maxumo* A, *tunc maxume* B — 17. *omnia quae cernerent* Manutius: *omnia cerneret* (*cernere et* B, *cernere* H) C; *omnia* (om. *cerneret*) *deorum esse plena* Orelli in adnot.; *omnia quae cernerentur d. e. pl.* Gebhard et Ernesti; v. Vahlen in «*Zeitschr. f. d. österr. Gymn.*» 1860 p. 24. — 18. *fere enim omnis castioris* C — *cum in fanis essent* Moser: *quo* (ortum ex *quom*) *infans esset* A B, *cum infans esset* H, *qui in fanis essent* Lamb. — 19. *religiosos* A[1] B[1] H, *religiosus* A[2] B[2] — *quadam* A[1] B[1] H — *opinione* H[2]: *opiniones* C[1], *opinionis* A[2] B[2] — 21. *tum* A in ras. habet, *cum* H — 22. *uillae quae ī* (*ī* in ras.) *conspectu* H — *relegio* A — *Larum* Turnebus: *parum* A[1] B, *patrum* A[2], *partī* (*ī* in ras. duarum litterarum) H, *Larium* O — 23. *patrum* A in ras. habet — *seruari* A H, *conseruari* B — 24. *poxume* A, *promaxime* B — *adeos* B[1] H — *diis* O — *qua* H — 26. *esse sed* A B[2] (*sed* A in ras.): *esset* B[1] H[1], *esse* H[2] — 28. *consecrantur* malebat Bake — *manu* C: *humana* Feldhuegel et Krause — 29. *illas* Davies — 31. *clyconio* C — *epimenide cretę* A, *epymeni decretę* B, *epimē di decreta* H.

fanum et Inpudentiae; virtutes enim, non vitia consecrare decet. Araque vetusta in Palatio Febris et altera Esquiliis Malae Fortunae detestanda atque omnia eius modi repudianda sunt. Quod si fingenda nomina, † Vicaepotae potius [vincendi] atque [potiundi] Statae [standi] cognominaque Statoris et Invicti Iovis rerumque expetendarum nomina, Salutis, Honoris, Opis, Victoriae. Quoniamque exspectatione rerum bonarum erigitur animus, recte etiam Spes a Calatino consecrata est. Fortunaque sit vel Huius diei — nam valet in omnes dies — vel Respiciens ad opem ferendam, vel Fors, in quo incerti casus significantur magis, vel Primigenia a gignendo, comes tum * * *

XII. 29. Feriarum festorumque dierum ratio in liberis requietem litium habet et iurgiorum, in servis operum et laborum: quas compositio anni conferre debet ad perfectionem operum rusticorum. Quod *ad* tempus ut [sacrificiorum] libamenta serventur fetusque pecorum, quae dicta in lege sunt, diligenter habenda ratio intercalandi est: quod institutum perite a Numa posteriorum pontificum neglegentia dissolutum est. Iam illud ex institutis pontificum et haruspicum non mutandum est, quibus hostiis immolandum quoique deo, cui maioribus, cui lactentibus, cui maribus, cui feminis. Plures autem deorum omnium, singuli singulorum sacerdotes et respondendi iuris et conficiendarum religionum facultatem adferunt. Cumque Vesta quasi focum urbis, ut Graeco nomine est appellata, quod nos prope idem Graecum, *non* interpretatum nomen tenemus, complexa sit, ei colendae virgines praesint, ut advigiletur facilius ad custodiam ignis et sentiant mulieres naturam feminarum omnem castitatem pati.

---

1. *uirtutes* $A^2 B^2$: *uirtute* B^1 H, *uirtutē* A^1 — *non* H (sed in ras.): *et* AB, *haut* Davies, *minime* Vahlen; possis etiam *nec* suspicari — *consecrari* codd. dett. et O — * *araquae* A, *era* (*ara* corr.) *quae* B (*Araque, quae vetustissima est in Pal.* O) — 2. *vetusta in* Madvig: *uetus** (sup. lin. *stat*) *in* A, *uetus tin* (corr. *uetus est in*) B, *uetut in* (corr. *uetus stat in*) H — *esquilis* AH — *detestanda atque* scripsi praeeunte Madvigio (qui proposuerat *detestandae atque*): *detestatque* AH, *detestaturque* B, *detestataque* O — 3. *da nomina* A in ras. habet — 4. *uicae potae* (*uice potae* add. *e* sup. *o* A, sed *uice* in ras.) *et potius* (*epotius* B) *uincendi atque potiundi statasandi cognomina quae statoris* C; verba inclusa delevit Goerenz; *Vicaepotae est potius* etc. Feldhuegel — *atque Statae rerumque expetendarum, Salutis* etc. Christ, reliquis deletis — 5. *inuicii* B, *inuito* AH — 6. *quoniamque* Turnebus: *quoniam quem* $B^1 H^1$, *quoniam quom* (*cum* B^2) AB^2, *quoniam quidem* H — 7. *bonorum* AB — 8. *Fortunaque quaest* (vel *Fortuna quaest*) Buecheler, cui *sit* falsum videtur, quod omnes illae Fortunae vere cultae sint. — *huius* A: *huiusce* BHO — *respiens* $A^1 B^1$ — 9. *opem* A, sed *em* in ras. — *incerti cas* A in ras. habet — 10. *primigeniā* AH — *a gignendo* A, sed *do* in rasura, *magignendo* B — *comestum* AH (*c* in A in ras.), *cum estū* B — 11. *quietem* H^2 — 12. *litium habet* A: *habet litium* BHO — *rū* in *operum* A in ras. habet — *conpositior* AB — 13. *ad* H: *et* AB, sed in A *re debet et per* in ras. est — *quod ad* Klotz: *quod* CO, praeiverant Feldhuegel et Halm, ille coniciens *atque ad tempus ut*, hic *utque ad tempus* etc. — 14. *sacrificiorum* ut glossema cum Vahlenio (v. N. mus. rhen. XIII, p. 303) inclusimus, qui praeterea coniecit: *ut frugum libamenta* etc. — *liberamenta* H, *libera mente* B, *libera°°mente* (extrema *e* ex corr.) A — 15. *intercalendi* A, *intercalenda* H — 16. *a numa* B corr. ex *annum a* — 17. *ex*] *et* H — *aruspicum* A in ras. — 18. *cuique* B^2 O, *quuique* H — 19. *singuli* Stephanus: *singulis* C — 20. *conficiendarum* cod. Pal. IV: *confitendarum* CO, *continendarum* Bake, *concipiendarum* Wagner, *conservandarum* Davies, *constituendarum* nescio quis, *cum fide tuendarum* Lipsius, *profitendarum* Vahlen l. cit. pag. 299; est *conficere religiones* nostrum «*die heiligen Handlungen ausrichten, vollziehen*». — 21. *cum* A in ras. habet — 22. *non* 1 cod. Lagom. ex coni.: om. CO — 23. *complexa* Turnebus: *conspexa* C — 24. *naturam* Lipsius: *in naturam* (*natura* B corr.) C.

30. Quod sequitur vero, non solum ad religionem pertinet, sed etiam ad civitatis statum, ut sine iis, qui sacris publice praesint, religioni privatae satis facere non possint. Continet enim rem publicam consilio et auctoritate optimatium semper populum indigere. Discriptioque sacerdotum nullum iustae religionis genus praetermittit. Nam sunt ad placandos deos alii constituti, qui sacris praesint sollemnibus, ad interpretanda alii praedicta vatium, neque multorum, ne esset infinitum, neque ut ea ipsa, quae suscepta publice essent, quisquam extra conlegium nosset. 31. Maximum autem et praestantissimum in re publica ius est augurum, quoniam auctoritati *est* coniunctum.* Neque vero hoc, quia sum ipse augur, ita sentio, sed quia sic existimare nos est necesse. Quid enim maius est, si de iure quaerimus, quam posse a summis imperiis et summis potestatibus comitiatus et concilia vel instituta dimittere vel habita rescindere? quid gravius quam rem susceptam dirimi, si unus augur a l i o d i e dixerit? quid magnificentius quam posse decernere, ut magistratu se abdicent consules? quid religiosius quam cum populo, cum plebe agendi ius aut dare aut non dare? quid? legem, si non iure rogata est, tollere? ut Titiam decreto conlegi, ut Livias consilio Philippi, consulis et auguris: nihil domi, nihil militiae per magistratus gestum sine eorum auctoritate posse cuiquam probari?

XIII. 32. *Att.* Age, iam ista video fateorque esse magna, set est in conlegio vestro inter Marcellum et Appium, optimos augures, magna dissensio — nam eorum ego in libros incidi —, cum alteri placeat auspicia ista ad utilitatem esse rei publicae composita, alteri disciplina vestra quasi divinari videatur posse. Hac tu de re quaero quid sentias. *M.* Egone? divinationem, quam Graeci μαντικὴν appellant, esse sentio et huius hanc ipsam partem, quae est in avibus ceterisque signis, † quod disciplinae nostrae. Si enim deos esse concedimus eorumque mente mundum regi et eorum numen hominum consulere generi et posse nobis signa rerum futurarum ostendere, non video cur esse divinationem negem. 33. Sunt autem ea, quae posui, ex quibus id quod volumus

---

2. *sineis* A, *siineis* H, *sine his* B — *publicae* AB corr. in *publicis* — *praesint* C: *praesunt* aliquot dett. — *religioni* A^{2}B^2: *religione* A^1 (ortumne ex *relegioni*?), *religionem* B^{1}H — 3. *possit* H — *continent enim* AB, *contenentem* H — $\overline{RP}$ AH — 4. *auctoritatem* B^1 — *disscriptioquae* B, *descriptioque* AHO (sed A^1 *quae*) — 5. *premittit* C — 6. *adplicandos* B^{1}H — *praesunt* BH — 7. *interpretanda* dett. pauci: *interpretandam* C, sed in A syll. *dā* in *dū* corr. — *alii praedicandam alii praedicta* C — *uatium* C: *vatum* O; cf. II, § 20 — 9. *praeparantissimum* H — 10. *est* AB^2: *et* B^{1}H — *quoniam* O in adn.: *quom* A, *cum* BH — *auctoritate* (sine *est*) C, *est auctoritati* O; *augurum cum auctoritate coniunctum* Moserus — *neque uerbo* H — 11. *existimari non est* C — 12. *posse a*] *postea* C — 15. *alio die* Turnebus: *alio* C — 16. *magistratus eadicent* C — 17. *leges non iure* C (non *legis*, ut ait Bake) — 18. *Titiam* Turnebus: *etiam* C — *conlegi* C: *collegii* O — *Livias* Turnebus: *leuias* BH, *leuies* A — 19. *consules et augures* C — *militiae* edd. vett.: *familiae* C — 20. *gestus sint eorum* C — *auctoritatē* AB^{2}H — 21. *magnas et est* AB — 22. *apium obtimos* A — 23. *cum* A corr. ex *co* — *alteris* B^1, *altori*•• A — 25. *diuinari* AB (*ri* A in ras.): *divinare* HO — *uideantur* C, sed *n* in A sup. lin. — *posse* C: *prorsus posse* O et edd. recentt. Unde molestum istud *prorsus* invectum sit, nescimus. — *ac tu de re* C, sed *hac* B sup. lin. — *quit* A^1 — 26. *manticen* C — *sentio* C: *censeo* O — 27. *signis quod* (*quo* A, sed *o* in ras.) *disciplinae* C; *signis* † *disciplinae* O; fort. *signis, convenire disciplinae* — 28. *si enim deos* Madvig: *summos* AB^2 (sed *os* in A ex corr.), *summus* B^{1}H; *quod, quum summos deos* O — *concedamus* O — *mentem* C — 29. *eorum numen* Schoemann (Opusc. acad. III, 327): *eorumdem* C; *eorundem benignitatem* O et pauci codd. dett.

efficitur et cogitur. Iam vero permultorum exemplorum et nostra est plena res publica et omnia regna omnesque populi cunctaeque gentes, augurum praedictis multa incredibiliter vera cecidisse; neque enim Polyidi neque Melampodis neque Mopsi neque Amphiarai neque Calchantis neque Heleni tantum nomen fuisset, neque tot nationes id ad hoc tempus retinuissent, Phrygum, Lycaonum, Cilicum maximeque Pisidarum, nisi vetustas ea certa esse docuisset. Nec vero Romulus noster auspicato urbem condidisset, neque Atti Navi nomen memoria floreret tam diu, nisi omnes ii multa ad veritatem admirabilia dixissent. Sed dubium non est quin haec disciplina et ars augurum evanuerit iam et vetustate et neglegentia. Ita neque illi adsentior, qui hanc scientiam negat umquam in nostro collegio fuisse, neque illi, qui esse etiam nunc putat: quae mihi videtur apud maiores fuisse duplex, ut ad rei publicae tempus non numquam, ad agendi consilium saepissime pertineret. 34. *Att.* Credo hercle ita esse istique rationi potissimum adsentior; sed redde cetera.

XIV. *M.* Reddam vero et id, si potero, brevi. Sequitur enim de iure belli: in quo et suscipiendo et gerendo et deponendo ius ut plurimum valeret et fides eorumque ut publici interpretes essent, lege sanximus. Iam de aruspicum religione, de expiationibus et procurationibus satis esse iam in ipsa lege dictum puto. *Att.* Adsentior, quoniam omnis haec in religione versatur oratio. *M.* At vero quod sequitur quo modo aut tu adsentiare aut ego reprehendam sane quaero, Tite. *Att.* Quid tandem id est? 35. *M.* De nocturnis sacrificiis mulierum. *Att.* Ego vero adsentior, excepto praesertim in ipsa lege sollemni sacrificio ac publico. *M.* Quid ergo aget Iacchus Eumolpidaeque nostri et augusta illa mysteria, si quidem sacra nocturna tollimus? Non enim populo Romano, sed omnibus bonis firmisque populis leges damus.

---

3. *ex aug. praedictis* Rath — *poliideip* A (extrema *p* punctata), *polyideip.* B, *polide ip* H — 4. *melanpodis* AB — *moipsi* B^1, *opsi* H^1 — 5. *heleni* A corr. ex *heli* — 6. ante *Phrygum* est in A *apparigum* (prima *a* ex *d* corr.), in B *ad pary cum*, in H *adparigum*; *Arabum, Phrygum* O ex coni. pridem vulgata. At probabilior videtur Mommsenii ratio quam nos secuti sumus, cui illud *apparigum* ex dittographia sive potius varia lectione (*PHRYGUM an parigum*) ortum videtur. — *lygaonum* A, *lychaonum* B — *pysidarum* A — 7. *certa esse* dett. pauci: *certe esset* C, sed in BH *esse* corr. — 8. *condisset* B — *atti naui* C: *Attii Navii* O — *florere* H — *tandiu* AH — 9. *omnes ii* nos: *omnes si* AB, *o si* H, *hi omnes* O — *admirabili* H — 11. *neglentia* A — *adsentio* C, sed paulo post iidem *adsentior* — 11. *neque illis qui -- negant, neque illis qui -- putant* Bake — 13. *duplex* C: *dupliciter* O — 14. *numquam* B (corruptum ex *ñnumquam*) — *ad agendi*] *et agendi* C, unde Vahlen probabiliter: *ut et ad r. p. t. non numquam, et ad agendi* — 17. *et id si* H^2, ut corr. Gulielmus: *et ipsi* H^1 et AB ante rasuram, *et si* A^2B^2; *et ipsa* O — 18. *ut plurimum ualeret* C: [*ut*] *plur. valet* O — 19. *et* H^1: *ut* AB et H sup lin. — *eorumque* Madvig: *forumque* C, *horumque* O — 20. *haruspicum* HO — *relegione* B — *procubationibus* B^1H — 21. *satis esse iam in* Feldbügel in adnot.: *satisse illane in* A^1B, *satis esse* (*esse* in ras.) *illa ne in* H, *satis supraque in* A^2 corr. m. recentissima, *satis superque in* O; Vahlenio *illane* glossa marginalis videtur admirantis librarii quod Cicero satis sibi dixisse videatur. — *omnis hac* C — 22. *quod*] *quoque* C — 23. *adsentire* AB, *aut sentire* H — *aut* ante *ego* om. C — *rei praehendam* H — 24. *mulierum* Christ obelo notat — 25. *excepto* coni. nescio quis: *expectato* C — *solemni* C — 26. *eumolphideque* A, *eũ olphydeq;* B — *nostri* C: *vestri* (immo, si quid mutandum, *vostri*) Car. Steph. et Manutius — 27. *angusta* B^1 — *si* H^2: *sid* H^1 et A ante rasuram, *id* A^2B — *enim. R. P. sed* H — 28. *bonis sanisque* coni. Orelli, *b. liberisque* Krause.

36. ***Att.* Excipis, credo, illa, quibus ipsi initiati sumus. *M.* Ego vero excipiam. Nam mihi cum multa eximia divinaque videntur Athenae tuae peperisse atque in vitam hominum attulisse, tum nihil melius illis mysteriis, quibus ex agresti immanique vita exculti ad humanitatem et mitigati sumus, initiaque ut appellantur, ita re vera principia vitae cognovimus; neque solum cum laetitia vivendi rationem accepimus, sed etiam cum spe meliore moriendi. Quid autem mihi displiceat in nocturnis, poetae indicant comici. Qua licentia Romae data quidnam egisset ille, qui in sacrificium cogitatam libidinem intulit, quo ne inprudentiam quidem oculorum adici fas fuit? *Att.* Tu vero istam Romae legem rogato: nobis nostras ne ademeris.**

XV. 37. *M.* Ad nostras igitur revertor: quibus profecto diligentissime sanciendum est, ut mulierum famam multorum oculis lux clara custodiat, initienturque eo ritu Cereri quo Romae initiantur. Quo in genere severitatem maiorum senatus vetus auctoritas de Bacchanalibus et consulum exercitu adhibito quaestio animadversioque declarat. Atque omnia nocturna, ne nos duriores forte videamur, in media Graecia Diagondas Thebanus lege perpetua sustulit. Novos vero deos et in his colendis nocturnas pervigilationes sic Aristophanes, facetissimus poeta veteris comoediae, vexat, ut apud eum Sabazius et quidam alii dei peregrini iudicati e civitate eiciantur. Publicus autem sacerdos inprudentiam consilio expiatam metu liberet, audaciam in admittendis religionibus foedis damnet atque impiam iudicet.

38. Iam ludi publici quoniam sunt cavea circoque divisi, ad corporum certationes cursu et pugillatione curriculisque equorum usque ad certam victoriam circus constitutus sit, cavea ad cantum voce ac fidibus et tibiis, dum modo ea moderata sint, ut lege praescribitur. Adsentior enim Platoni nihil tam facile in animos teneros atque molles influere quam varios canendi sonos, quorum dici vix potest quanta sit vis in

---

3. *in vitam* Lambinus et 3 codd. dett.: *in uita* CO — 7. *ore* in *meliore* A in ras. habet — *qui autem* C — *in nocturnis* Turnebus: *innocentes* C — 9. *illi* H — *in* A sup. lin. — *quoq; inprudentiam* H — 10. *adici fas*] *adicias* AB, *adalias* H — 11. *rogatio* C — *ade meritis* H — 12. *nostras* aliquot codd. dett.: *nostra* CO — 14. *inicienturque* A — *quo* (in ras.) *ritum* H — 15. *ueius* BH — 16. *adhibita* A — *animaduersio* C — 17. *Pagondas* Meursius lectt. Att. III, 23. — 19. *facetissumus* B — 20. *uexat* A in ras. habet, *uixat* BH — *ut apud eum* B corr. ex *uita puteum* — *sabaeius* C — *dei*] *de* C, *dii* O — 21. *peregrinis* B^2 H^2 — *iudicat se* (non *sel*) B — *e ciu. eiciantur* A in ras. habet — 22. *consilii expertem* Ruhnkenius — *in admittendis* deteriores aliquot: *inet inmitendas* A, *inet inmittendis* B, *meti mitendas* H; *in initiandis* coni. Bake (debebat saltem *in initiando*) — 23. *foedas* C — *damatque* H, *net atque* A in ras. habet — 24. *circaque* H — *ad corp. certationes -- circus constitutus sit* scripsi: *sint corp. certationes -- circo constitutis* C; *sint corp. certatione -- circo constituti* O; *sint corp. certationi -- in circo constituti* Madvig; *sit corp. certationi -- circus constitutus* Feldhuegel, in cuius commentario pag. 490 v. reliquorum criticorum tentamina — 25. [*et*] O — *pugillatione* scripsi: *pugilla ueluctatione* AB (*tio* est a sec. m., in B *ue* mutatum in *ne*), *pugilla ueluctatione* H (*l* est ab ead. m.); *pugilatione, luctatione* O; *pugilatione et luctatione* Madvig; nobis videtur lectio librorum ex hac scriptura: *pugillatione* (*uel lucta*) orta esse; glossa, ut saepius factum invenimus, verum vocabulum dissecatum est; v. exempla a Buechelero in novo mus. Rhen. XII, p. 467 allata. — 26. *cauea ad cantum* scripsi: *cauea cantu* C, *caveae cantus* O — *uice ac* AB^2, *uice ad* B^1, *uiceat* H — *fidelibus* B^1 — 27. *tybiis* (*is* sup. lin.) A — 28. *facili* (sic) A sup. lin. habet.

utramque partem. Namque et incitat languentes et languefacit excitatos et tum remittit animos, tum contrahit, civitatumque hoc multarum in Graecia interfuit, antiquom vocum conservari modum: quarum mores lapsi ad mollitias pariter sunt immutati cum cantibus, aut hac dulcedine corruptelaque depravati, ut quidam putant, aut, cum severitas eorum ob alia vitia cecidisset, tum fuit in auribus animisque mutatis etiam huic mutationi locus. 39. Quam ob rem ille quidem sapientissimus Graeciae vir longeque doctissimus valde hanc labem veretur; negat enim mutari posse musicas leges sine mutatione legum publicarum. Ego autem nec tam valde id timendum nec plane contemnendum puto. † Illa quidem, quae solebant quondam conpleri severitate iucunda Livianis et Naevianis modis, nunc ut eadem exsultant et cervices oculosque pariter cum modorum flexionibus torquent? Graviter olim ista vindicabat vetus illa Graecia, longe providens quam sensim pernicies inlapsa civium *in* animos malis studiis malisque doctrinis repente totas civitates everteret, si quidem illa severa Lacedaemo nervos iussit, quo plures quam septem haberet, in Timothei fidibus incidi.

XVI. 40. Deinceps in lege est, ut de ritibus patriis colantur optumi: de quo cum consulerent Athenienses Apollinem Pythium, quas potissimum religiones tenerent, oraclum editum est: eas quae essent in more maiorum. Quo cum iterum venissent maiorumque morem dixissent saepe esse mutatum quaesissentque, quem morem potissimum sequerentur e variis, respondit: optumum. Et profecto ita est, ut id habendum sit antiquissimum et deo proximum, quod sit optimum.

Stipem sustulimus nisi eam, quam ad paucos dies propriam Idaeae Matris excepimus; implet enim superstitione animos et exhaurit domus.

Sacrilego poena est, neque ei soli, qui sacrum abstulerit, sed etiam ei, qui sacro commendatum. 41. Quod et nunc multis fit in fanis, et Alexander in Cilicia deposuisse apud Solensis in delubro pecuniam dici-

---

2. *et cum* B^1, *et eum* H — *remit* H — 3. *antiquom* A: *anticum* H, *antiquum* BO — *uocum* A m. 2 in ras. habet — *conservari* scripsi: *conserua* A^1B^1H, *conseruare* A^2B^2O — 4. *ad mollitias* A^1, ut videtur, et B^2: *ad* (*at* H^2) *mollitis* B^1H, *ad mollitus* A^2; *ad mollitiem* O — 5. *eorum* AB^2: *quorum* B^1H^1, *quorumdam* H^2 — 6. *ab* (*ad* corr.) *alia* H — *cum* corr. in *tum* H — *animisq;* AB: *animis* HO — 9. *matari* A^1, *maturi* H — *seni* A^1H — *immutatione* O — *lex cum publicam* H — 10. *id* corr. ex *hic* B — 11. *illa quidem* codd. deteriores: *illud quidem* C, *illa quidem sedilia* Wyttenbach, *illa q. theatra* Schuetz — *quomdam* A^1 — *seueritatem* H — 12. *neuianis* A, *newians* H — *nunc ut eadem* Davies: *nunc tute adem* (*ademe* B) C (sic H quoque) — *exultant et* scripsi: *exultet* C, *exultant* O — 13. *fluxionibus* H — *torquent* Davies: *torqueant* C (sed A *torque•ant*, *e* est in ras.) — 14. *acensim* H — 15. *in* Goerenz: om. CO — 16. *lacedaemo* C: *Lacedaemon* O — *neruos* AB: *ueri ue* H — *quo* C: *quod* Davies et aliquott dett. Conf. Madvigii emendatt. pag. 74. — 17. *incidi* Manutius: *indi* C, sed A sic habet in loco eraso maius spatium complectente, *inde* H^2, *demi* dett. aliquot et O — 18. *est ut de* A in ras. habet — *ut diritibus* B^2H — *patris* A^1H — *optuma* AB^2, sed *a* A in ras.; conf. II, § 22. — 19. *cumq; consulerent* A^1BH — 20. *relegiones* A — *nt* in *tenerent* A in ras. — *oraculum* BO — *ea quae* H^2 — 23. *•e* A — *respondit* om. H — 24. *et eo* C — 25. *ad* unus cod.: *apud* C — *propriam ideae* AB^2, *propria meae* B^1H — 26. *animos et exh* A in ras. habet — *domus* AH: *domos* BO — 27. *solum* D Bakii — *sacrum commendatum* C — 28. *et* (post *fanis*) Madvig: om. CO — 29. *in* om. H — *deposuisset* C — *Solensis* nos praeeunte Gulielmo (is *Solenses* scripsit): *solesit* A^1B, *solēsit* A^2, *sole sint* (*sit* cum lin.) H, *Solos* O.

tur et Atheniensis Clisthenes Iunoni Samiae, civis egregius, cum rebus timeret suis, filiarum dotis credidisse.

Iam de periuriis, de incesto nihil sane hoc quidem loco disputandum est.

Donis impii ne placare audeant deos, Platonem audiant, qui vetat dubitare, qua sit mente futurus deus, cum vir nemo bonus ab improbo se donari velit.

De diligentia votorum satis in lege dictum est † ac voti sponsio, qua obligamur deo. Poena vero violatae religionis iustam recusationem non habet. Quid ego hic sceleratorum utar exemplis, quorum plenae sunt tragoediae? Quae ante oculos sunt, ea potius attingam. Etsi haec commemoratio vereor ne supra hominis fortunam esse videatur, tamen, quoniam sermo mihi est apud vos, nihil reticebo volamque hoc, quod loquar, dis immortalibus gratum potius videri quam grave hominibus.

XVII. 42. Cum perditorum civium scelere discessu meo religionum iura polluta sunt, vexati nostri Lares familiares, in eorum sedibus exaedificatum templum Licentiae, pulsus a delubris is, qui illa servarat, circumspicite celeriter animo — nihil enim attinet quemquam nominari — qui sint rerum exitus consecuti. Nos, qui illam custodem urbis omnibus ereptis nostris rebus ac perditis violari ab impiis passi non sumus eamque ex nostra domo in ipsius patris domum detulimus, iudicia senatus, Italiae, gentium denique omnium conservatae patriae consecuti sumus. Quo quid accidere potuit homini praeclarius? Quorum scelere religiones tum prostratae adflictaeque sunt, partim ex illis distracti ac dissipati iacent, qui vero ex iis et horum scelerum principes fuerant et praeter ceteros in omni religione inpii, non solum nullo in

1. *clistenes* A, *clitenes* B — *egregiis* B — 2. *dotis* B^1 H: *do*tis* A^1, *dotes* A^2B^2 O — *credidisse. Iam* Madvig (Opusc. II, 150): *credidit; sed iam* A, *credidit sed etiam* B^1, *credidit sed iam* B^2 H O — 3. *peiuriis* H^1, *per* A in ras. — 5. *impune placere audiant* H — *uetant* A^1B^1 H — 6. *quam sit* H — *cum uir nemo* A in ras. habet — 7. *vellet* H — 8. *de* Bake: om. C O, sed in A duae litterae erasae sunt ante *dilig.* — *diligentiam* C — *dictum* C: *dicta* O — verba corrupta *ac uoti* (*uotis* C) *sponsio qua* (*quā* B^1) *oblig. deo* Feldhueg. ex interpolatione adiecta putat; *est autem voti sponsio qua deo obl.* coni. Vahlen — 9. *uiolata* B — 10. *ergo* B — *plenae sunt* nos: *plaet* A, *placet* B H, *sunt plenae* O; an latet *scatent*? — 11. *racoediae* C, sed *trag.* in H corr. — *queae* A — *attingam* Bake: *attingant* C, sed A *adt.*; *attingantur* O — *etsi haec* om. H — 12. *commemoratio* A, *comeratio* H — *homines* A^1B^1 H — *uideantur* B^1 — 13. *sermo mihi* A B: *sermo* om. H, *mihi sermo* O — *vos* Ranconnetus: *eos* C — *uolamque* C (sed *uo* A in ras.): *velimque* O — 14. *diis* C O — *grave hominibus. Quum* Madvig (interpunctione verborum correcta): *graue omnia tum* (*tu* H corr. in *in*) C; *grave**. Omnia tum -- servarat. Circumspicite* O; *hominibus* corrigendum esse primus vidit Wyttenbach, nec tamen intellexit id in lectione *omnia* latere. — 16. *discessum eorum legionum* B H — *relegionum* A — 17. *familiaris* B^1 — 19. *circumspicite* Victorius et H^2: *circumspicit et* H^1, *circumspicite** (*t* ex corr.) A, *circumspicit ęcceleriter* B corr. in *circumspicit haec cel.* — *animis* Davies et 2 codd. dett. — 22. *eamqui* C — *detulimus* H corr. ex *detuli modo* — 23. *ita aliae* B — 24. *quo** A — *accedere* B — *quorum* C. Stephanus: *quo* A, *quos* B H, sed in H *s* expuncta — 25. *post ratae* A — *distracti ac dissipati* Stephanus: *distractae ac* (*ad* A^1H^1) *dissipatae* C — 26. *quid uero* A^1B^1 — *ex his* A B — *eiorum* A^1 — 27. *fuerant* C: *fuerunt* O et A ex corr. — *nullo in vita cruciatu* scripsi: *uita cruciati* C O; priorum coniecturas v. in Feldhueg. comment. p. 200, quibus accessit novissima Vahlenii: *non solum in vita sunt ignominia cruciati atque dedecore* etc.

vita cruciatu atque dedecore, verum etiam sepultura et iustis exsequiarum caruerunt. 43. *Q.* Equidem ista agnosco, frater, et meritas dis gratias ago, sed nimis saepe secus aliquanto videmus evadere. *M.* Non enim, Quinte, recte existimamus, quae poena divina sit, sed opinionibus vulgi rapimur in errorem nec vera cernimus. Morte aut dolore corporis aut luctu animi aut offensione iudicii hominum miserias ponderamus, quae fateor humana esse et multis bonis viris accidisse. Sceleris est poena tristis et praeter eos eventus, qui secuntur, per se ipsa maxima est. Vidimus eos, qui, nisi odissent patriam, numquam inimici nobis fuissent, ardentis tum cupiditate, tum metu, tum conscientia, quidquid agerent, modo timentis, vicissim contemnentis religiones, iudicia perrupta ab isdem [corrupta] hominum, non deorum. 44. Reprimam iam *me* et non insequar longius, eoque minus, quo plus poenarum habeo quam petivi. Tantum ponam brevi, duplicem esse poenam divinam eamque constare et ex vexandis vivorum animis et ex fama mortuorum, ut eorum exitium et iudicio vivorum et gaudio conprobetur.

XVIII. 45. Agri autem ne consecrentur, Platoni prosus adsentior, qui, si modo interpretari potuero, his fere verbis utitur: «Terra igitur, ut focus domiciliorum, sacra deorum omnium est: quocirca ne quis iterum idem consecrato. Aurum autem et argentum in urbibus et privatim et in fanis invidiosa res est. Tum ebur ex inani corpore extractum haud satis castum donum deo. Iam aes atque ferrum duelli instrumenta, non fani. Ligneum autem quodcumque voluerit uno e

---

1. *adque* H, [*atque*] O — *et* C: *ac* O — *s* in *exsequiarum* in A erasa — 2. *caruere equidem* A, sed *ere* in ras. maiore, *carū te quidem* B corr. in *caruere equidem*, *caruntem quidem* H corr. in *carent equidem* (scil. *ent* sup. litt. *untem* scriptum est) — *dis* C: *diis* O — 3. *euaderet* B H — 4. *quincte* B — *sed* Victorius ex uno suo codice: *nec* C, *et* O et dett. — *opinibus* A^1 — 5. *ueram* H — *mortē* H — 7. *accedisse* B^1 — 8. *est* in A B punctatum — *quae* H — *secuntur* C: *sequuntur* O — 9. *nisi* H corr. ex *insidi*, A *nisi* in ras. habet — 10. *ardentis tum* A^1 B (sed B *tum* corr. ex *in*): *ardent iustum* H, *ardentes tum* A^2 O — *cupiditatum metu tum* A^1, *cupidatum met citum* H (*tum cupiditatum aestu, tum conscientia* Turnebus, *tum cupiditate, tum metu conscientiae* Hand) — 11. *quidquid* Lambinus: *quid* C O — *agerentes* C, sed *es* in A punctatum — *timentes* H O — *contempnentes* C — *religionis* A^1 H — 12. *ab iisdem* O — *et corrupta* Lambinus (cf. Madvigii Opusc. II, 153); nos *corrupta* inclusimus; contra Schuetzio *perrupta* glossa videbatur. Aliorum conatus v. in Feldhueg. comment. p. 203. — 13. *me* addidit Turnebus; *iam me, non insequar* Madvig (Opusc. II, 153) — 14. *petiuit* C — *ponam breui* Lambinus: *poena* ** *erebi* (*poenā* corr.) A, *poenāmerebi* B, *pęna merui* H, *ponam* ** O; Vahlen cum Wyttenbachio lectionem *merui* pro glossemate habet ad verbum *petivi* adscripto; at lectio codicum A B valde incertum reddit ita in archetypo scriptum fuisse. — 15. *eamque constare et ex* Madvig: *quod constaret ex* C (sic etiam A), *quod constat et ex* O. «Quum *eam* haustum esset ob praecedens *divinam* ex *que* factum est *quod*, ex *constare et* natum, quod est in codd. *constaret*.» Madvig. — *et ex* Lambinus: *et ea* C O — 16. *iudiciorum* C — *et*] *ut* B — 17. *consecrantur* B^1 H; litteras *secren* A in ras. habet; ex his vestigiis conicias: *Agri autem ne consecrantor: Platoni enim prosus adsentior* etc. — *platonis* B^1 — *prosus* A H: *prorsus* B O — 18. *ferre* B — *utimur* H — 19. *domiciliorum* A^1 H: *domicilium rū* B^1, *domicilium* A^2 B^2 — *sacra* Manutius: *sacro* A^1 H, *sacru* B^1, *sacrū* A^2 B^2 — 20. *idem* A B: *quide* H — *et priuatim et in fanis inuidiosa res est* habet B (falso Bake p. 200) — 21. *tum emur* H^1, *tu memor* (corr. *mebor*) B — 22. *haud* A B corr. ex *aut*, *aū* H^1 — *duelli* ** *tumenta* A^1, *duellis tumenta* B^1, *due illi stumenta* H, *duellis tutamenta* A^2 B^2 — 23. *non in fani* B — *ligneum* edd. vett.: *lignum* C — *quodcunque* 2 codd. dett.: *quodque* C O, *quicquid* Feldhuegel, *quod qui* Turnebus, *quod quis* Lamb. Apud Platonem (Legg. XI, p. 956, A) est: *ξύλον δὲ μονόξυλον ὅ τι ἂν ἐθέλῃ τις ἀνατιθέτω, καὶ λίθον ὡσαύτως, πρὸς τὰ κοινὰ ἱερα.*

ligno dicato, itemque lapideum in delubris communibus. Textile ne operosius quam mulieris opus menstruum. Color autem albus praecipue decorus deo est cum in ceteris, tum maxime in textili: tincta vero absint nisi a bellicis insignibus. Divinissima autem dona aves et formae ab uno pictore uno absolutae die, itemque cetera huius exempli dona sunto.» Haec illi placent. Sed ego cetera non tam restricte praefinio, vel hominum vitiis vel subsidiis temporum victus: terrae cultum segniorem suspicor fore, si ad eam utendam ferroque subigendam superstitionis aliquid accesserit.

Att. Habeo ista: nunc de sacris perpetuis et de manium iure restat. *M.* O miram memoriam, Pomponi, tuam! at mihi ista exciderant. 46. *Att.* Ita credo, sed tamen hoc magis eas res et memini et exspecto, quod et ad pontificium ius et ad civile pertinent. *M.* Vero et a peritissimis sunt istis de rebus et responsa et scripta multa, et ego in hoc omni sermone nostro, quod ad cumque legis genus me disputatio nostra deduxerit, tractabo quoad potero eius ipsius generis ius civile nostrum, sed ita, locus ut ipse notus sit, ex quo ducatur quaeque pars iuris, ut non difficile sit, qui modo ingenio sit mediocri, quaecumque nova causa consultatiove acciderit, eius tenere ius, quom scias a quo sit capite repetendum. XIX. 47. Sed iuris consulti, sive erroris obiciundi causa, quo plura et difficiliora scire videantur, sive, quod similius veri est, ignoratione docendi — nam non solum scire aliquid artis est, sed quaedam ars *est* etiam docendi — saepe, quod positum est in una cognitione, id *in* infinita dispertiuntur: velut in hoc ipso genere, quam magnum illud Scaevolae faciunt, pontifices ambo et eidem iuris peritissimi! Saepe, inquit Publi filius, ex patre audivi pontificem bonum neminem esse nisi qui ius civile cognosset. Totumne? quid ita? quid

---

1. *dicato* nos: *cato* C, *dedicato* edd. vett. et O — *dilubris* A — *texulene* H — 2. *quam* A sup. lin., quod voc. haud scio an recte omittat manus prima, ut est apud Platonem: ὑφὴν δὲ μὴ πλέον ἔργον γυναικὸς μιᾶς ἔμμηνον. — *mestruum* H — *albus que praecipue* H — 3. *in ceteris* codd. dett.: *in ceterum* A^1 H, *in cetero* A^2 B haud scio an recte; apud Platonem est καὶ ἄλλοθι — 4. *aves* Victorius: *habens* C — 5. *absoluta* A (*ta* corr. ex *to*) — 6. *sunt haec illa* C — *retrictae* A^1 — 7. *insidiis temporum* Madvig (Opusc. II, 153) probabiliter — 8. *segniorem* A^2: *signiorim* A^1 H, *signiorū* B^1, *segnioru* B^2 — *utendam* dett. pauci: *tuendam* C — *subigendam* liber Manutii: *subiciendam* C O — 10. *sacri* H — 11. *exciderunt* H — 12. *sed tam* H — *et specto* C — 13. *pontificum* A^1 H — *a peritissimis* Madvig: *apertissimi* A^1 B^1 H, *apertissima* A^2 B^2 et edd. «Mira haec laus *apertorum* responsorum, nec huius generis valde propria nec huic loco apta nec conveniens ei, quod contrarium infertur, *et ego*. In cod. E Bakii [itemque ex nostra collatione in C] manifestum est indicium veritatis *apertissimi*, unde scribendum: *Vero, et a peritissimis sunt* etc.» Madvig. — 15. *legimus genus* C — 17. *pars iuris* A^1, ut coni. Ranconnetus: * *ars iuris* A^2 (prior *i* in ras.; litterae *p* erasae clarum superest vestigium), *arsiiuris* B, sed prima *i* expuncta; *ducaturq; querar siuris* H — 18. *qui modo ingenio sit mediocri* Davisius: *qui domo* (*quid homo* A^2 B^2) *ingenio possit moueri* (*ueri* H) C; *qui modo ingenio possit moveri* O — *quacumque* C — 19. *consolatione* B^1, *consultatione* H — *accederit* B^1, *accesserit* B^2 — *scias* C: *sciat* O — 20. *iurisconsultus* C; *iureconsulti* O — *obiciundi* C: *obiiciendi* O — 22. *ignoratione͂* A B^1 H — *artius sed* H — 23. *est* Lambinus: om. C O — *cognotione* A — 24. *id* om. B — *in* om. C — immo *in infinitam* — *uelunt* B — 25. *eidem* nos: *fidem* C (ut saepissime, litteris F et E confusis), *iidem* O — *peritissimi. Saepe, inquit* Turnebus: *peritissimis ae inquit* (*inquid* B) B H, *iuris peritissimi inquit* A manu 2 in rasura maiore; *peritissimi. At, inquit* O — 26. *Publii* H O — 27. *neminem bonum* Feldhuegel et Klotz contra C — *cognoscet* H.

enim ad pontificem de iure parietum aut aquarum aut ullo omnino nisi eo, quod cum religione coniunctum est? Id autem quantulum est! de sacris, credo, de votis, de feriis et de sepulchris et si quid eius modi est. Cur igitur haec tanta facimus, cum cetera perparva sint, de sacris autem, qui locus patet latius, haec sit una sententia, ut conserventur semper et deinceps familiis prodantur, et, ut in lege posui, perpetua sint [sacra]? 48. [† Haec posite haec iura pontificum auctoritate consecuta sunt, ut ne morte patris familias sacrorum memoria occideret, iis, † est ea adiuncta, ad quos eiusdem morte pecunia venerit.] Hoc uno posito, quod est ad cognitionem disciplinae satis, innumerabilia nascuntur, quibus implentur iuris consultorum libri; quaeritur enim qui adstringantur sacris. Heredum causa iustissima est; nulla est enim persona, quae ad vicem eius, qui e vita emigrarit, propius accedat. Deinde, qui morte testamentove eius tantumdem capiat quantum omnes heredes. Id quoque ordine; est enim ad id, quod positum est, adcommodatum. Tertio loco, si nemo sit heres, is, qui de bonis, quae eius fuerint, quom moritur, usu ceperit plurimum possidendo. Quarto qui, si nemo sit qui ullam rem ceperit, de creditoribus eius plurimum servet. 49. Extrema illa persona est, ut, si is, qui ei, qui mortuus sit, pecuniam debuerit, nemini eam solverit, proinde habeatur quasi eam pecuniam ceperit.

XX. Haec *quae* nos a Scaevola didicimus, non ita descripta sunt ab antiquis. Nam illi quidem his verbis docebant: tribus modis sacris adstringitur: hereditate, aut si maiorem partem pecuniae capiat, aut [si maior pars pecuniae legata est] si inde quippiam ceperit. 50. Sed pontificem sequamur. Videtis igitur omnia pendere ex uno illo, quod pontifices cum pecunia sacra coniungi volunt isdemque ferias et caeri-

1. *patriae tum* B, *paritum* A² H. *paratum* A¹ — *aut tullo* A H — *nisi eo* Madvig: *si ego* C, sed in B *si ego quod* linea subducta; *Ergo* O — 2. *relegione* B — 3. *et de sepulchris* C: *de sepulcris* O — 4. litteras *cur ig* A in ras. habet — 5. *conseruantur* B — 6. *semper et*] *semet* C — 7. *sacra* nos inclusimus — *haec posite* A H, om. B, *Hoc posito* O, *haec ponit* (scil. Cicero) *et* Vahlen; verba inclusa spuria esse intellexit Madvig Opusc. II, 154. — 8. *nemo te* B¹ H — 9. *est ea* B¹ H: *esset ea* B², *essent ea* O; *iis esset ea deiuncta* A² in rasura; interpolator *iis sunt ea adiuncta* videtur posuisse — *adiuncta* B add. sup. lin. *deuincta* vel *deiuncta* — 10. *est agnitionem* B — 11. *libris* B¹ — *quaeritur* Madvig: *querentur* A, *quaeruntur* B H O, *quaerunt* ed. Crat. «Quod editur pravam habet sententiam: *man sucht Leute, die an die Opfer gebunden werden können*; credo a Cicerone scriptum esse *quaeritur enim* etc.: *es entsteht nämlich die Frage, wer an die Opfer gebunden ist.*» Madvig. — 12. *astringantur* A¹, *astringuntur* A² B, *quia strincantur* H — 13. *ad iudicem* B¹ H — *quieuit* H — *emigraret* B¹, *emigrarii* H, *emigrarit* A, sed *rit* in ras. — *propi*us* A — 14. *qui morte*] *quo moute* (vel *morite*) A, *quo morte* H, *quo mori et* B — *testamento* A sup. lin. pr. m. — *capitat* A — 15. *positum* Davisius: *prositum* A, *propositum* B H O — 16. *si* om. B — *heredes is qui de bonisq; eius* H — 17. *cum moritur, usu* Turnebus: *quommoritur is ut* A, *cum moriturus ut* B H — *coeperit* A, *ceperit* H — 18. *qui, si* Goerenz: *si qui* C; editiones *qui* ante *plurimum* habent — *coeperit* A B, et sic plerumque deinceps — 19. *si is* (*his* H) *qui* C: *si qui* O — 20. *nemini* nos: *nemini qui* C, *neminique* editt. — *perinde* Victorius — 22. *quae* nos addidimus — *descripta sunt* A (*sunt* per compendium) et B², *descriptas* H, *descriptis* B¹; *descripta* O — 24. *adstringitur* scripsi: *adstringi** A, *adstringit* B¹ H, *adstringi* B² O — *maiorum parte* H; *partem pecuniae capiat aut si maior pars*, quae B in loco eraso om., suppleta sunt in marg. — 25. *legata sit* Bake; nos *si -- leg. est* cum Christio inclusimus — *quidpiam* O — 26. malim *pontifices,* cum lectio librorum ex *pontifice sequamur* orta videatur — 27. *pontifices cum pecunia sacra* Madvig: *pontificum pecunia* (*pecuniā* A B) *sacro* C, sed A pr. man. *sacra*; *pontifices pecuniam sacris* O — *cungungi* H — *iisdemque* O — *ferias*] *hereditates* Mommsen.

monias adscribendas putant. Atque etiam dant hoc Scaevolae [quod est partitio], ut, si in testamento deductio scripta non sit ipsique minus ceperint, quam omnibus heredibus relinquatur, sacris ne alligentur. In donatione hoc idem secus interpretantur, et quod pater familias in eius donatione, qui in ipsius potestate est, adprobavit, ratum est: quod eo insciente factum est, si id is non adprobat, ratum non est. 51. His propositis quaestiunculae multae nascuntur, quas, qui paulum intellegat, non, si ad caput referat, per se ipse facile perspiciat? Veluti, si minus quis cepisset, ne sacris alligaretur, ac post de eius heredibus aliquis exegisset pro sua parte id, quod ab eo, quoius ipse heres esset, praetermissum fuisset, eaque pecunia non minor esset facta cum superiore exactione, quam heredibus omnibus esset relicta, qui eam pecuniam exegisset, solum sine coheredibus sacris alligari. Quin etiam caveat, ut, cui plus legatum sit, quam sine religione capere liceat, is per aes et libram heredes testamenti solvat, propterea quod eo loco res est ita soluta hereditate, quasi ea pecunia legata non esset.

XXI. 52. Hoc ego loco multisque aliis quaero a vobis, Scaevolae, pontifices maximi et homines meo quidem iudicio acutissimi, quid sit quod ad ius pontificium civile appetatis; civilis enim iuris scientia pontificium quodam modo tollitis. Nam sacra cum pecunia pontificum auctoritate, nulla lege coniuncta sunt. Itaque si vos tantum modo pontifices essetis, pontificalis maneret auctoritas, sed quod idem iuris civilis estis peritissimi, hac scientia illam eluditis. Placuit P. Scaevolae et Ti. Coruncanio, pontificibus maximis, itemque ceteris, eos qui tantundem caperent, quantum omnes heredes, sacris alligari. Habeo ius pontificium. 53. Quid huc accessit ex iure civili? Partitionis caput scriptum caute, ut centum nummi deducerentur: inventa est ratio, cur pecunia sacrorum molestia liberaretur. Quod si hoc, qui testamentum faciebat,

---

1. *atque etiam addunt* Lambinus, *ad quae addunt* Bake — *quod* C: *quom* Davies; nos *quod est partitio* ut glossema ex § 53 in. illatum monente Bakio inclusimus. — 2. *deductio* Bach (ad Brissonii Formulas p. 148): *deducta* CO — 3. *reliquatur* A, *relinquantur* H — 4. *donationem* B — *idem* B: *iidem* AO; *hoc idem - - in eius don.* om. H — *et* del. Lambinus; *etenim* coni. Goerenz, aut *et* servato infra scribendum esse proponit: *et quod eo insc.* — *pater* A in ras. — 5. *quin ipsius* H — *potestate est* Christ: *potestas esset* C, *potestate esset* edd. — *adpropiauit* C — 7. *qua est uinculae* BH — *quas qui paulum intellegat* scripsi: *quas qui* (*quasque* B) *nascuntur intellegat* C; *quas qui intelligat* O; videtur verbo *nascuntur* in alienum locum iterum relato vera vox, quae ibi exstabat, detrusa esse. — 8. *si ad*] *sciat* H — *perspiciet* B — *si munus* C — 9. *allegaretur* AB — *ac*] *ut* C, ex *et*, ut videtur — 10. *quod habeo* B^1H — *quoius* nos: *quo* A^1B^1H, *cuius* A^2B^2 — *heres*** A, *heredis* B^1H — 11. *fuisse* AB^1H — *minores sed* B^1H, *esset* A in ras. — 12. *hedibus* A^1, *aedibus* H — *esse* B^1H — 13. *exigisset* A^1H — *sine* Turnebus: *nisi* C; fort. *solum eum sine* — *qui nec iam* H — *cadent* B^1 — 14. *is per aes et* A in ras. habet — 15. *heredes* C. Stephanus: *heredis* C, *heredem* O — *testamentū* A^2B^2 — 17. *ego* AH: *ergo* B — 18. *omnes in eo quidem* H — 19. *quod ius p. civili appetatis* Mommsen — *ius pontificum* C — *scientia pontificum* BH — 20. *quod ad modo* B, *quid ad modo* H — 21. *nullam* B^1 — *si uos* Turnebus: *usibus* C — 22. *pontificales* A^1BH — *iidem* O — *est speretissimi* BH, *est spernitis* A, sed *spernitis* in ras. — 23. *hac*] *ac* C — *illam eluditis* edd. vett.: *illa eluditis* A^2, *ille luditis* B et, ut videtur, A^1, *illa eludisti* H — *P.*] *post* H — *et Ti. Coruncanio* Orelli in adnot.: *et hii coruncario* B, *et toruncario* H, *et coruncario* A, sed *et corun* in ras.; *et Cor.* O. Cf. p. 399, 11. — 24. *itemque* Manutius: *idemque* C — *eos* C: om. O — *tantundem* A: *tantumdem* BO, *tantum omnes* H mediis omissis — 25. *caperent* AB: *caperet* O — *heredibus* C — * *abeo* A, *ab eo* B — 26. *paticionis capud* B — 27. *ded* in *deducerentur* A in ras. — 28. *quid si* AH, *qui si* B.

cavere noluisset, admonet iuris consultus hic quidem ipse Mucius, pontifex idem, ut minus capiat quam omnibus heredibus relinquatur. Super dicebant qui quid cepisset adstringi. Rursus sacris liberantur. Hoc vero nihil ad pontificium ius, set e medio est iure civili, ut per aes et libram heredem testamenti solvant et eodem loco res sit, quasi ea pecunia legata non esset, si is, cui legatum est, stipulatus est id ipsum, quod legatum est, ut ea pecunia ex stipulatione debeatur, sitque ea non * *

54. * * doctum hominem sane, cuius fuit Attius perfamiliaris, sed mensem, credo, extremum anni, ut veteres Februarium, sic hic Decembrem sequebatur. Hostia autem maxima parentare, pietatis esse [adiunctum] putabat.

XXII. 55. Iam tanta religio est sepulchrorum, ut extra sacra et gentem inferri fas negent esse, idque apud maiores nostros A. Torquatus in gente Popillia iudicavit. Nec vero tam denicales, quae a nece appellatae sunt, quia † residentur mortui, quam ceterorum caelestium quieti dies feriae nominarentur, nisi maiores eos, qui ex hac vita migrassent, in deorum numero esse voluissent. Eas in eos dies conferre ius, ut ipsius neque publicae feriae sint, totaque huius iuris conpositio pontificalis magnam religionem caerimoniamque declarat. Neque necesse est edisseri a nobis, quae finis funestae familiae, quod genus sacrificii Lari [verbecibus] fiat, quem ad modum os exceptum terra optegatur quaeque in porca contracta iura sint, quo tempore incipiat sepulchrum esse et religione teneatur. 56. Ac mihi quidem antiquissimum sepultu-

---

1. *iuris consulto* C — *munius* B, *munus* AH, sed A cum *i* sup. lin. — 2. *relinquat* B — *superdicebant* A — 3. *qui quid* Manutius: *quicquid* AH, *quic* B — *adstringitur* A — *sacri* C — 4. *ius set* scripsi: *ius et* ABO, *inest* H — *e medio* B corr. ex *haemedo* — *peraesit* B^1, *pere sit* H, *aes et* A in ras. habet — 5. *liberam* B^1 — *testamenta* B — *soluent* B^1 — 6. *stipulatus est* om. B — 7. *quod*] *quo* C — 8. Lacunam, quae post *non* in omnibus codd. est, Lambinus ex Plutarchi quaestt. Rom. p. 114 ed. Wytt. aut, ut ipse ait, ex margine codicis antiqui sic explevit: *sitque ea* (*eadem* ed. Lamb. 1566) *non alligata sacris. Venio nunc* (*nunc* om. Lamb. 1566) *ad manium iura, quae maiores nostri et sapientissime instituerunt et religiosissime coluerunt. Februario autem mense, qui tunc extremus anni mensis erat, mortuis parentari voluerunt: quod tamen D. Brutus, ut scriptum a Sisenna est* (*ut -- est* om. L. 1566), *Decembri facere solebat Cuius ego rei causam cum mecum quaererem, Brutum reperiebam idcirco a more maiorum discessisse (nam Sisennam video causam, cur is* (*ille* Lamb. 1566) *vetus institutum non servarit, ignorare), Brutum autem maiorum institutum temere neglexisse non fit mihi veri simile.* (*Brutum -- veri simile* om. L. 1566.) — 9. *accius* H, *actius* AB — 10. *si hic december* C — 11. *pietati* O cum Stephano; nos *adiunctum* ut glossema cum Bakio inclusimus — *esset* H — 13. *extra* C: *extera* O cum Pearcio (*extra sacra quemquam inferri* Bake) — 14. *atorquatus* BH (sed H *tos*), nota praenominis in A erasa est — 15. *Popillia* nos: *populia* A^1, *Popilia* A^2BHO — ante *nec* in A duae tresve literae erasae — *tam denicales* Ranconnetus: *tandelica lex* AH, *tam delicta* (corr. *defica*) *lex* B — *quaea nec ea appellata* A, *quae an ea appellante* B — 16. *residentur mortui* (*montui* H) C; *residentur mortuis* Salmasius et O, *residetur mortuis* Lambinus, *qua resident mortui* Davisius, *quia residunt mortui* Manutius, *quia resident mortui* Marquardt Antiq. R. IV, 256, *quia neci dentur* Christ — *qua* H — 17. *nominarent* H — 18. *cum fere* A^1, *confere* A^2; malim *conferri* — 19. *ius est* Lamb. — *ut* Mommsen: *ut ne* C, *ut neque* O et pauci dett. — 20. *pontificalis* glossam sapit — 21. *familieq; genus* H — 22. *Lari* Lambinus: *lare* CO — *ueruecibus* A^2, *uerbicibus* H; nomen iam Davisio et Wagnero suspectum inclusit Feldhuegel — *exceptum terra* Turnebus (conf. Varro de L. L. V, § 23): *reiectum terrae* C, sed est in A *reiectum* in ras.; *resectum terra* O cum Patricio — 23. *confracta* A^2B^2 — *quot praeter* (*p̄l*) *incipiat* H — 24. *ac* Manutius: *ad* AH, *at* BO — *sepulto* A^1.

rae genus illud fuisse videtur, quo apud Xenophontem Cyrus utitur: redditur enim terrae corpus et ita locatum ac situm quasi operimento matris obducitur. Eodemque ritu † in eo sepulcro quod haud procul a Fontis ara est, regem nostrum Numam conditum accepimus gentemque Corneliam usque ad memoriam nostram hac sepultura scimus esse usam. C. Mari sitas reliquias apud Anienem dissipari iussit Sulla victor, acerbiore odio incitatus, quam * * sapiens fuisset quam fuit vehemens. 57. Quod haud scio an timens ne suo corpori posset accidere, primus e patriciis Corneliis igni voluit cremari. Declarat enim Ennius de Africano: H i c e s t i l l e s i t u s. Vere; nam siti dicuntur ii, qui conditi sunt. Nec tamen eorum ante sepulchrum est, quam iusta facta et porcus caesus sit. Et quod nunc communiter in omnibus sepultis usu venit, ut humati dicantur, id erat proprium tum in iis, quos humus iniecta contexerat, eumque morem ius pontificale confirmat. Nam prius quam in os iniecta gleba est, locus ille, ubi crematum est corpus, nihil habet religionis: iniecta gleba tumulus, ubi humatus est, ex gleba vocatur, ac tum denique multa religiosa iura complectitur. Itaque in eo, qui in nave necatus, deinde in mare proiectus esset, decrevit P. Mucius familiam puram, quod os supra terram non exstaret; porcam heredi

---

1. *illut* A^1 — *aput* A — litteras *s utitur* A in ras. habet — 2. *operimentum* A H^2, *opermentum* B, *aperimentum* H^1 — 3. *ritu* A in ras. — *in eo* C corrupte: *tofino* amicus Madvigii, postquam ipse divinavit (v. Opusc. acad. II, 157) vv. *in eo* orta esse ex adiectivo, quo significata erat materia sepulcri. — *quod haud procul a Fontis ara est* A. W. Zumpt (sed is cum aliis *Fonti*): *quod procul a* (sic, non *ad*) *fontis aras* (ex *arast*) C; *quo haud procul a Fonti* (sic cum Wagnero) *ara reg. nostr. N. cond. accepimus* O — 4. *accipimus* A B — 5. *esse unam* B^1 H, *esse humatam* B^2 A, sed A *humatam* partim in ras. — 6. *marisitas* (*marus* corr.) B, *marissitas* A, *maris scitas* H — *dissiparius sit* H — *silla* A, *sylla* B — 7. *insitatus* H — *quam* C: *quam si tam* edd. contra Latinitatem; *acerbo odio incitatus, cui paruisset numquam, si tam s. f.* Lambinus. In sententia manca tale aliquid videtur requiri: *quam fovisset si tam sapiens fuisset quam fuit vehemens.* — 8. *quod aut* A^1 H — *timens ne suo corpori posset* Lambinus: *timens* (*timen* H) *suo corpore* (*corpori* A B corr.) *posset* C; *timens suo corpori posse* O — *accedere* A B^1 H — 9. *cornelj* H — *enim* C: † *etenim* O; *idem* Rath, *etiam* coni. alii — *affricano* A^1 — 10. *sititi* H, *siti*·· A fort. ex *siti ēē* (*esse*) — *hii* A, *hi* B H — 11. *porcus caesus sit* Madvig: *corpus caesus* (*caesūs* A) *est* C; *corpus ingestum est* O cum Davisio. «Codd. *corpus caesus est*. Hinc fictum *ingestum* et alia, prave etiam ad sententiam; nam corpus illatum iam significatur ipsa voce *conditi sunt*; hic aliquid dicitur post corporis condituram accedere debere, ut *sepulcri* nomen iustum sit. Scribendum: *quam iusta facta et porcus caesus sit.*» MADVIG. Postea vidimus *porcus* etiam a Luebberto in commentt. pontifical. pag. 73 recte emendatum esse. — 12. *usu uenit ut* scripsi praeeunte Mosero: *penitus* C, *ponitur ut* O cum Turnebo — 13. *in is* H, *in his* A B — *quos* A^2 B^2: *quod* C — 14. *intecta* A^1 B^1 H — *contexerat* Madvig (in epistola ad me scripta) et Feldhuegel in addendis: *conterat* A^1 B^1 H^2, *conteret* H^1, *contegerat* A^2 B^2, *contegeret* edd. — *cumquę more* H — *confirmet* A, ut videtur — 15. *in os* Turnebus: *in eos* C — *intecta* B^1 H — *gleba* A partim in ras. — 16. *tumulus, ubi humatus est, ex gleba vocatur* Madvigius: *tumulis et humatus ē et gleba uocatur* A B (sed in A litterae *tumulis* et *et gleba* fere cunctae in ras. scriptae sunt, in B *tumulis* sic exstat, ut *tu* sit correctum ex *tũ* et *mulis et* in loco eraso suppletum sit); *tum et illis humatus est et gleba vocatur* H, † *tum et illic humatus est, et gleba voc.* O; *iniecta gleba tumulus vocatur* Vahlen reliquis omissis. Reliquorum criticorum tentamina, quorum nullus ad verum adspirasse videtur, v. in Feldhuegelii commentario pag. 229; nobis non licuit in verborum contextu meram archetypi scripturam reddere, quoniam, ut ex rasuris in A et B apparet, prorsus incerta est. Ceterum, utcumque locum desperatum emendes, potius *humatum est* sc. *corpus* exspectes. — 18. *naue* C: *naui* A^2 O — *necatus* dett. aliquot: *uocatus* C — *in mari proiectus esse* C — 19. *quotos* C — *extare* C — *portam* B H.

esse contractam et habendas triduum ferias et porco femina piaculum *faciundum*; si in mari mortuus esset, eadem praeter piaculum et ferias.

XXIII. 58. *Att.* Video quae sint in pontificio iure: set quaero quidnam sit in legibus. *M.* Pauca sane, Tite, et, ut arbitror, non ignota vobis. Sed ea non tam ad religionem spectant, quam ad ius sepulcrorum. Hominem mortuum, inquit lex in XII tabulis, in urbe ne sepelito neve urito. Credo vel propter ignis periculum. Quod autem addit: neve urito, indicat, non qui uratur sepeliri, sed qui humetur. *Att.* Quid? qui post XII in urbe sepulti sunt clari viri? *M.* Credo, Tite, fuisse aut eos, quibus hoc ante hanc legem virtutis causa tributum est, ut Publicolae, ut Tuberto, quod eorum posteri iure tenuerunt, aut eos, si qui hoc, ut C. Fabricius, virtutis causa soluti legibus consecuti sunt. Sed *ut* in urbe sepeliri lex vetat, sic decretum a pontificum collegio, non esse ius in loco publico fieri sepulchrum. Nostis extra portam Collinam aedem Honoris: aram in eo loco fuisse memoriae proditum est. Ad eam cum lamina esset inventa et in ea scriptum † domina Honoris, ea causa fuit aedis huius dedicandae. Sed quom multa in eo loco sepulchra fuissent, exarata sunt; statuit enim collegium locum publicum non potuisse privata religione obligari.

59. Iam cetera in XII minuendi sumptus sunt lamentationisque funebris, translata de Solonis fere legibus. Hoc plus, inquit, ne facito: rogum ascea ne polito. Nostis quae secuntur; discebamus enim pueri XII, ut carmen necessarium, quas iam nemo discit. Extenuato igitur sumptu [tribus reciniis et † uincla purpurae et decem tibi-

---

1. *esset* C — *contractam et* Mercerius: *contracet* H, *contracen* A B, addito m. 2 *set* supra *en*, ut sit *contracenset*; *contractam* O — *piaculum faciundum* scripsi: *piandum; at* Madvig (praeeunte Davisio); *piaculum pati* C O; *et porco - - pati* Feldhuegel Rathium secutus inclusit — malim *sin in mari* — 2. *mare* A B — *edem propter* H — 3. *pontifitio* A — *iure set*] *iuris et* C — 4. *quidnam* A^1: *et quidnam* A^2 B H, *ecquidnam* Aldus Manutius — *ut* A: *uti* B^2 O, *uitu* B^1 (*nitua bitror* H) — 5. *iam* H — 6. *sepulcrorum* (sine *h*) h. l. A — *in XII tabulis* edd. aliquot vett.: *in duodecim* B H O, *in duodecim milia* A, in qua lectione *M* (i. e. *milia*) ex compendio scripturae tabulas significante ortum videtur. — 7. *ne urito* B H; in A *ne sepelito neue* est in ras. — *ignes* A^1 B^1 H — 8. *iudicat* B^1 H — *sepiliri* A — 9. *qui* om. H; *quid, quod post* etc. Madvig Opusc. II, 159. — *claros uiros* A^2 B^2 — 10. *credonte fuisse* H — 11. *populicolae* B H; in A litterae *ut pub* sunt in rasura; *Poplicolae* Lamb. — 12. *solutis* A B^2, *solitis* B^1 — 13. *consecuti* codd. deteriores: *non secuti* C — *set ut* Madvig (Opusc. II, 159): *ut* om. C O — *sidecretum* H, *sit decretum* A in ras. — 14. *esset* H — 15. *nostris* C — *haram* B^1 H, *et aram* O — 16. *lamina* B (sed *in* sup. lin.): *lamna* A H, de qua scriptura v. Lachm. comment. in Lucret. p. 205 — *esset* A in ras. habet — 17. *domina* A B^2: *mina* B^1 H; *lamina* O cum Turnebo; om. ut glossema Goerenz, *domui* Rath — *huius dedicandae* codd. dett.: *haec dedicare* C — 18. *quom multae* A — 19. *potisse* B H — *religioni* A — 20. *x̃ii* A — *minendi sumptos* B^1 — *sunt sumptus* O — *lamentationisque funebris* Davisius: *lamentationesque funeris* C, *lamentationisque funeris* O — 21. *ns* in *translata* A in ras. habet — *inquid* A^1, item infra p. 902 v. 10. — 22. *ascea* C: *ascia* O; de illa forma v. Vahlen in *Zeitschr. f. d. österr. Gymn.* 1860, pag. 20 — *apolito* H — litteras *o nostis quae* A in ras. habet — *secuntur* C: *sequuntur* O — 23. *iam* A in ras. — 24. *recinitis* A B, sed *rec* A in ras., *riciniis* H O — *uincla* A H, *uimcla* B, *vinclis* O, *clavis* Lambinus; *cum clavis* (sine *et*) Rubenius de re vestiaria I, 6. Nos verba etiam corrupta ut vetus glossema inclusimus; nam apparet illud «*extenuato sumptu, tribus reciniis - - et decem tibicinibus*» ne Latinum quidem esse et dicendum fuisse *sumptu trium reciniorum* etc. Sensit hoc Bake, qui commate, quod habent editiones post *sumptu*, sublato explicat: «*sumtus extenuatus est tribus ricinius*, i. e. ut tria tantum ricinia relinquerentur».

cinibus] tollit etiam lamentationem: Mulieres genas ne radunto neve lessum funeris ergo habento. Hoc veteres interpretes Sex. Aelius, L. Acilius non satis se intellegere dixerunt, sed suspicari vestimenti aliquod genus funebris, L. Aelius lessum quasi lugubrem eiulationem, ut vox ipsa significat: quod eo magis iudico verum esse, quia lex Solonis id ipsum vetat. Haec laudabilia et locupletibus fere cum plebe communia: quod quidem maxime e natura est, tolli fortunae discrimen morte.

XXIV. 60. Cetera item funebria, quibus luctus augetur, XII sustulerunt. Homini, inquit, mortuo ne ossa legito, quo post funus faciat. Excipit bellicam peregrinamque mortem. Haec praeterea sunt in legibus: servilis unctura tollitor omnisque circumpotatio; quae et recte tolluntur, neque tollerentur, nisi fuissent. Ne sumtuosa respersio, ne longae coronae nec acerrae praetereantur. Illa iam significatio est, laudis ornamenta ad mortuos pertinere, quod coronam virtute partam et ei, qui peperisset, et eius parenti sine fraude esse lex impositam iubet. Credoque, quod erat factitatum, ut uni plura *funera* fierent lectique plures sternerentur, id quoque ne fieret lege sanctum est. Qua in lege quom esset, neve aurum addito, quam humane excipitur altera [lege]: ut cui auro dentes iuncti esunt, ast im cum illo sepelirei ureive se fraude esto. Et simul illud videtote, aliud habitum esse sepelire et urere. 61. Duae sunt praeterea leges de sepulchris, quarum altera privatorum aedificiis, altera ipsis sepulchris cavet. Nam quod rogum bustumve novum vetat propius sexaginta pedes adici aedes alienas invito domino, incendium ut arceatur vetat. Quod autem forum, id

---

1. *cenas netradunto* H — 2. *habento* * A, *habenteo* B[1], *habent eo* H — 3. *L.*] *uel per* compendium H — *acillius* B, *acilitis* H — *uestimenta* B[1] — 4. *funeris* C — *L. Aelius*] *laelius* C — *lesus* H — *iulationem* B[1] H — 5. *uerum* B corr. ex *ueterum*, ut est in H — 6. *flere* H — 8. *mortē* AB, *in mortē* H, *in morte* edd. — 9. *funebris aquibus* C (sed A *cetera. Itē funebris* in ras.) — 10. *quos* AH, sed in A *s* punctata — *possimus* H, sed in marg. m. 2 *post funus* — 11. *pelegrinamquae* B — 12. *in legibus: servilis unctura* Davies: *in legibus de unctura, quae seruilis unctura* CO — *tollitor* Manutius: *tollitur* CO — *circumpulatio* 2 codd. dett. et Feldhuegel; *circumportatio* codd. alii — 13. *fuisset* B — *sumtuosa* A: *sumptuosa* BHO — 14. *longe* AB — *chorone* B — *nec* C: *ne* unus cod. Parisinus prob. Handio in Tursellini IV, 122. — *praeferantur* Manutius; *nec sumpt. resp. nec l. cor. -- praetereuntur* Bake — 16. *paratam* C — *ei quae* C — *peperisset et parenti* B — 17. *lex* pro glossemate habet Bake — *credoque* C: *credo* O — 18. *funera* supplevit nescio quis: om. CO, post *fierent* posuit Feldhuegel; *plura feretra* Lambinus — *plures interrentur* C — *quoque* C[2]: *quod* A[1], *quodque* B[1] H[1]. Schoemannus (Opusc. III, p. 387) verba *credo -- sanctum est* post verba *quo post funus faciat* (v. 10) transponenda et sic scribenda putat: *credo quod erat factitatum ut uni plura fierent lectique plures sternerentur; idque ne fieret lege sanctum est.* — 19. *quom* A — *essent* B[1] H — 20. *quam humane excipitur altera* [*lege*] scripsi: *quam humane excipiat altera lex* (*ex* B H[1]) *praecipit* (*praecepit* A[1]) *altera; lege* C: *excipit altera lex* O cum Manutio — *ut cui* C: *quoi* O cum Manutio (sine *ut*) — *iuncti* AH: *u ncti* (sic) B, *vincti* O — 21. *esunt* Klotz: *essent* C, *escunt* Lambinus et O — *astim* A — *sepelirei ureive se* Buecheler: *sepelleturetue se* C (sed B *uaese*, H *uese*); *sepelire urereve se* O cum Turnebo — *frande* H — *isto* C — 22. *sepelire et urere* Turnebus: *sepeliretur aere* A, *sepelliretur ere* H, *sepelietur aere* B — 24. *bustumne* B[1] — 25. *proprius* C — *pedes adici aedes adici aedes* B[1], *pedes* * * * *adici aedes* A (rasura est octo novemve litterarum) — *aedeis* O — 26. *ut arceatur vetat* scripsi: *ueretur acerbum* (*ueretura cebū* B) *uetat* ABH, sed *uetat* in AB punctatum; *veretur acerbum* O — *forum* Turnebus et Ferrarius (ad Cic. Phil. VII, § 16): *eorum* C.

est vestibulum sepulchri, **bustumve usu capi** vetat, tuetur ius sepulchrorum. Haec habemus in XII, sane secundum naturam, quae norma legis est. Reliqua sunt in more, funus ut indicatur, si quid ludorum, dominusque funeris utatur accenso atque lictoribus: 62. honoratorum virorum laudes in contione memorentur easque etiam cantus ad tibicinem prosequatur, cui nomen neniae, quo vocabulo etiam *apud* Graecos cantus lugubres nominantur.

XXV. *Q.* Gaudeo nostra iura ad naturam accommodari maiorumque sapientia admodum delector. *M.* Sed credo, Quinte, ut ceteri sumptus, sic etiam sepulchrorum modum recte requiri: quos enim ad sumptus progressa iam ista res sit, in C. Figuli sepulchro vidisse te credo. Minimam olim istius rei fuisse cupiditatem, multa exstant exempla maiorum. Nostrae quidem legis interpretes, quo capite iubentur sumptus et luctum removere a deorum manium iure, hoc intellegant in primis, sepulchrorum magnificentiam esse minuendam. 63. Nec haec a sapientissimis legum scriptoribus neglecta sunt. Nam et Athenis iam ille mos a Cecrope, ut aiunt, permansit, corpus terra humandi, quod quom proxumi fecerant obductaque terra erat, frugibus obserebatur, ut sinus et gremium quasi matris mortuo tribueretur, solum autem frugibus expiatum ut vivis redderetur. Sequebantur epulae, quas inirent propinqui coronati, apud quos de mortui laude quom, si quid veri *poterat*, erat praedicatum — nam mentiri nefas habebatur —, iusta con-

---

1. *bustumue* A in ras. habet — *usu capi*] sic disiuncte A — 2. *in* A sup. lin. — 3. *indicatur* Stephanus: *inducatur* C — 4. *dominusque* Manutius: *domusque* C — *acenso* C — *littoribus* B — 5. *uiuorum* B H — *contionem* C — *memorentur* Stephanus: *memorantur* C — *etiam* Manutius: *etiam et* C — 6. *ueniet* H, sed sup. lin. m. 2 *nenie* — *apud Graecos* Feldhügel: *gracchos* A, *graccus* B, *grecos* H, *Graecis* O cum Gebhardo; *a Graecis* Klotz — 7. *lucubres* B — 8. *accomodare* B^1 — 9. *sed recedo* C — *Quinte*] *quiro* A H, *phyro* B — *ceteri* A^1 H: *ceteris* B^1, *ceteros* A^2 B^2 — 10. *quis enim* C — 11. *processa iam esta* C — *in C.*] *hinc* B — *vidisse te credo* Madvig: *uidisse credo* C, *vides. Sed credo* O — 12. *minimam ollaem* A, *minam ollem* B, *minima mollem* H — *rei*°° (*i* in ras.) A — *exstant exempla* Madvig: *extarent ampla* C (A^1 *extare* * * *pla*). Ante Madvigium totus locus sic vulgabatur: *in C. Figuli sepulchro vides. Sed credo minimam olim istius rei fuisse cupiditatem; alioquin* (haec vox deest in C) *multa exstarent exempla m.*, de qua lectione Madvigius verissime scribit: «Inelegantissime duae continuae sententiae ab iisdem verbis incipiunt: *sed credo*; olim parcos in hoc genere Romanos fuisse, non credebat Cicero nec concludebat ex eo, quod nulla essent contraria monumenta, sed sciebat monumentis, quae permulta ubique erant, testantibus. Iam vocabuli *alioquin* nullum est in codd. fide dignis vestigium; iidem *vidisse credo* habent.» — 13. *leges* A B — *interrae praetes* B — *iubemur* O cum Manutio; at v. Madvigii Op. II, 159. — 14. *et* A in ras. — *reuouere* H^1 — *intellegant* C: *intelligunt* O et pauci dett. — 15. *ne haec* - - *sint* H — 16. *nam* sup. lin. H — *etiam Athenis* (om. *iam*) Moser — 17. *ille mos* A B^2 (sed A *emos* in ras.): *illo mores* B^1 H — *ac et rope* H — *corpus* Stephanus: *hocius* C, *ossa* Bake, *mortuum* Klotz, *corporis* Lambinus, *ac ius* Feldhuegel, *ocius* O; *illo more a C.* - - *permansit hoc ius* Turnebus. Alias emendationes de loco nondum sanato v. in Feldhuegelii commentario pag. 241. Nec verum videtur *ille mos* quo loco nunc legitur; ita enim verba *iam a Cecrope* misere divelluntur. — 18. *quod* - - *fecerant* Brutus et Davisius: *quam* - - *fecerant* C, *quam* - - *iniecerant* O cum Manutio; at v. Madvigii Op. II, 160 not. 1. — 19. *simus* H^1 — 20. *sequebatur* B^1 H^1 — *aepulae* A B — *inirent* A B^2: *inirant* B^1 H, *inibant* O — 21. *quos* Madvig (Opusc. II, 160): *quas* A B, *quaq;* H — *lacide* H — *quom, si quid veri poterat* scripsi praeeunte Madvigio: *quomni quid ueri* A, *cum omni qui dueri* B, *cumui quid ueri* H, *quum quid veri* O; alii coniecerunt aut *cum si quid veri* aut *cum quicquid veri* (sine *poterat*) — 22. *iusta confecta* Manutius: *adiusta* (*adiuxta* A^2 B) *coniecta* C, *ita iusta c.* Davies.

facta erant. 64. Postea quam, ut scribit Phalereus, sumptuosa fieri funera et lamentabilia coepissent, Solonis lege sublata sunt: quam legem eisdem prope verbis nostri decemviri in decimam tabulam coniecerunt; nam de tribus reciniis et pleraque illa Solonis sunt. De lamentis vero expressa verbis sunt: **m u l i e r e s g e n a s n e r a d u n t o n e v e l e s s u m f u n e r i s e r g o h a b e n t o.**

XXVI. De sepulchris autem nihil est apud Solonem amplius quam «ne quis ea deleat neve alienum inferat», poenaque est, «si quis bustum — nam id puto appellari *τύμβον* — aut monimentum» inquit «aut columnam violarit, deiecerit, fregerit.» Sed post aliquanto propter has amplitudines sepulchrorum, quas in Ceramico vidimus, lege sanctum est «ne quis sepulchrum faceret operosius quam quod decem homines effecerint triduo»; 65. neque id opere tectorio exornari nec hermas quos vocant licebat inponi, nec de mortui laude nisi in publicis sepulturis nec ab alio, nisi qui publice ad eam rem constitutus esset, dici licebat. Sublata etiam erat celebritas virorum ac mulierum, quo lamentatio minueretur; auget enim luctum concursus hominum. 66. Quocirca Pittacus omnino accedere quemquam vetat in funus alienorum. Sed ait rursus idem Demetrius increbruisse eam funerum sepulchrorumque magnificentiam, quae nunc fere Romae est. Quam consuetudinem lege minuit ipse; fuit enim hic vir, ut scitis, non solum eruditissimus, sed etiam civis e re publica maxime tuendaeque civitatis peritissimus. Is igitur sumtum minuit non solum poena, sed etiam tempore; ante lucem enim iussit efferri. Sepulchris autem novis finivit modum; nam super terrae tumulum noluit quidquam statui nisi columellam tribus cubitis ne altiorem aut mensam aut labellum, et huic procurationi certum magistratum praefecerat.

---

1. *poste* H — *quam* C: *quum* O cum Manutio, immo *quom*, si quid mutandum sit. — 2. *Solonis* B H: *et solonis* A, fort. *ex Solonis* (*solanis* B[1] H[1], non *et solanis* vel *et solonis*) — 3. *nostri decemviri* Turnebus: *nostris uiri* C (*iurim* H[1] sine *in* ante *decimam*) — 4. *reciniis* A: *retiniis* H; *riciniis* B O — 5. *verba* Davies, *verba verbis* Orelli — *mulieras genes* B — *ne radunt oney* (*honey* B[1]) *flessum* B[1] H; *neue* A in ras. habet — 8. *ledeat* H — *inferat ut* H — *poena* (*pena* H) *quae est* B H — 9. *tumbon aut* A, *tum bona ut* B H — *monumentum* B O — 10. *violarit deiecerit* edd. vett.: *uiolarit iacerit* A, *uocaret acerit* B, *uolaritia cerit* H, *viol. laeserit* quondam coni. Feldhuegel — *pro teras* B — 11. *quasi in geramico* C, sed A *quasiin* in ras. — *uidimus* A[1], ut coni. Ernesti: *uidemus* A[2] B H O — *leges cum est ne quis* B — 13. *opere textorio* A H, *opera et extario* B — *exornari nec hermas* Lambinus: *exornari nec hermasos* A (*nec hermasos* in ras.), *exnarine cermas os* B, *exnarine cernam hos* H; *exornari nec hermas hos* O. In lectione *hermasos* adhaesit syllaba *os* ex lectione varia ab homine adscripta, qui terminationem *hermas* sequente *quos* vitiosam putaret. — 15. *nec ab alio nisi qui* A in ras. habet — *nisi quid* H, *nisi si qui* B O — *publica ea rem* B — 16. *quod* H — 17. *munueretur* B — *auget* codex (?) Ursini: *huc* A[1], *hunc* A[2] H, *huic* B; *habet* O cum Victorio — *quodcirca* H — 18. *accidere* C, sed in A *accedere* corr. — *uetat infimus* H — *alienorum* scripsi, ut Bake in comment. praecepit: *aliorum* C O; *alienum* coni. Orelli in adnot. — 19. *eidem* C — *demetrios* H, *metrius* B — *increbruisse* A: *increbuisse* B O, *increbuisset* H — 20. *que*] *quam* B — *roma ē quā* B — *consuetudine* C — 21. *eruditissimis* H, *eruditissumus* A (*sumus* in ras.) — 22. *ciuise r. p.* H, *ciuis ser .P.* B, *sed etiam ciuis rei p. maxime* A in rasura — *maximae tuendae quae* B — *paratissimus* C (*paratisumus* B); *civitati paratissimus* coni. Davies — 23. *is* Madvig: *iste* A O, *isti* B H — *sumtum* A[1] hoc loco — *tempora* A[1] B — 24. *nobis finiuit* C — 25. *uoluit* C — *quidquam* Lambinus: *quod* C, *quid* O; cf. Madvig. ad Cic. de finn. b. et m. pag. 471. — *nisi* om. H — 26. *cupitis* B H — *ne alteriorem* B H, *ñ* (i. e. *non*) *altiorem* A, sed *ñ alti* in ras.

XXVII. 67. Haec igitur Athenienses tui. Sed videamus Platonem, qui iusta funerum reicit ad interpretes religionum: quem nos morem tenemus. De sepulchris autem dicit haec. Vetat ex agro culto eove, qui coli possit, ullam partem sumi sepulchro; sed quae natura agri tantum modo efficere possit, ut mortuorum corpora sine detrimento vivorum recipiat, ea potissimum ut conpleatur: quae autem terra fruges ferre et ut mater cibos suppeditare possit, eam ne quis nobis minuat neve vivos neve mortuus. 68. Exstrui autem vetat sepulchrum altius quam quod *quinque homines* quinque diebus absolverint, nec e lapide excitari plus nec inponi quam quod capiat laudem mortui, incisam ne plus quattuor herois versibus, quos longos appellat Ennius. Habemus igitur huius quoque auctoritatem de sepulchris summi viri, a quo item funerum sumptus praefinitur ex censibus a minis quinque usque ad minam. [Deinceps dicit eadem illa de inmortalitate animorum et reliqua post mortem tranquillitate bonorum, poenis impiorum.]

69. Habetis [igitur] explicatum omnem, ut arbitror, religionum locum. *Q.* Nos vero, frater, et copiose quidem, sed perge cetera. *M.* Pergam equidem, et quoniam libitum est vobis me ad haec inpellere, hodierno sermone conficiam, spero, hoc praesertim die. Video enim Platonem idem fecisse omnemque orationem eius de legibus peroratam esse uno aestivo die. Sic igitur faciam et dicam de magistratibus; id enim est profecto, quod constituta religione rem publicam contineat maxime. *Att.* Tu vero dic et istam rationem quam coepisti tene.

---

1. *igitur* om. B in extrema pagina — *atheniens ē ui* B — *audiamus* coni. Davies — 2. *iuxta funerum p̄icit ad* (*at* sup. lin.) *interp̄tes* A — *more* B H — 4. *sumissepulchro* B — 6. *quae* A corr.: *quem* C — 7. *cibus* B H — 8. *uiuo* B, *uiuus* A²O — *mortuos* A¹ B² H — *uatat* B — 9. *quinque homines* om. C, add. Turnebus (*quini* suppl. Goerenz) — 10. *excitarit* A — *plus* edd. vett.: *prius* C, *amplius* Davies — *quam quo* H — 11. *heroes* C (*h* in A sup. lin), *heroicis* aliquot edd. vett. — *longus* B — *hennius* B, *henniis* H — 13. *item* I. Fr. Wagner: *iterum* C — *sensibus* C — *animis* H — 14. *ad unam* Feldhuegel, quam coniecturam in commentario retractavit — *illā* B — *inmortalitatem* B H — *animarum* H — 15. *tranquillitatē* C. Verba *deinceps* - - *impiorum* complures Wagnerum secuti Ciceronis esse negaverunt, et recte quidem, ut nobis quoque videtur, quamquam Feldhuegel bene monuit illis verbis eiectis superius *habemus igitur* incommode inferiore *habetis igitur* excipi. Potest factum esse ut alterum *igitur* glossemate intruso ex superiore adiceretur, quare nos hoc includendum putavimus. — 16. *habetis*] *beatis* H — *explicato* B — *arbitroreligionum* B H — 17. *nos*] *non* C — *perge cetera* A¹ H: *perge ad cetera* A², *periece taera* B — 18. *libitu* B — 19. *ut spero* Lamb. — *praeserti* B H, *praesertim die* A in ras. — 20. *deligibus* B — *esse* om. B — 21. *die sic* dett. aliquot: *dies* B H¹, *die* H²; *estiuo die* (sine *sic*) A in ras. habet. Ex corrupta lectione *dies* apparet recte in codd. dett. *sic* additum esse, quod spreverunt editores postremi; intercidit enim syllaba *ic* ante *ig*. — *idenī ē* (non *idem est*) etiam A distincte; *id enim et* H — 22. *relegione* B — 23. *dicet tistam* B¹; *et istam* A in ras. habet — *quam coepisti* codd. dett.: *quam accepisti* C — *M̄T. CICERO DE LEGIB' LĪB. II. EX̄PL. INC̄P. LIB̄. III.* A; *M. TULLI CICERONIS DE LEGIBUS LIBER II EXPLIC̄ INC̄PT LIBER III.* B; *M. T. C. Liber .II. explicit. Incipit liber III.* H.

LIBER TERTIUS.

I. 1. *Marcus.* Sequar igitur, ut institui, divinum illum virum, quem quadam admiratione commotus saepius fortasse laudo quam necesse est. *Att.* Platonem videlicet diligis. *M.* Istum ipsum, Attice. *Att.* Tu vero eum nec nimis valde umquam nec nimis saepe laudaveris. Nam hoc mihi etiam nostri illi, qui neminem nisi suum laudari volunt, concedunt, ut eum arbritratu meo diligam. *M.* Bene hercle faciunt. Quid enim est elegantia tua dignius? cuius et vita et oratio consecuta mihi videtur difficillimam illam societatem gravitatis cum humanitate. *Att.* Sane gaudeo, quod te interpellavi, quoniam quidem tam praeclarum mihi dedisti iudicii tui testimonium: sed perge, ut coeperas. 2. *M.* Laudemus igitur prius legem ipsam veris et propriis generis sui laudibus. *Att.* Sane quidem, sicut de religionum lege fecisti. *M.* Videtis igitur magistratus hanc esse vim, ut praesit praescribatque recta et utilia et coniuncta cum legibus. Ut enim magistratibus leges, ita populo praesunt magistratus, vereque dici potest magistratum legem esse loquentem, legem autem mutum magistratum. 3. Nihil porro tam aptum est ad ius condicionemque naturae — quod cum dico, legem a me dici intellegi volo — quam imperium, sine quo nec domus ulla nec civitas nec gens nec hominum universum genus stare nec rerum natura omnis nec ipse mundus potest. Nam et hic deo paret et huic oboediunt maria terraeque et hominum vita iussis supremae legis obtemperat. II. 4. Atque ut ad haec citeriora veniam et notiora nobis, omnes antiquae gentes regibus quondam paruerunt. Quod genus imperii primum ad homines iustissimos et sapientissimos deferebatur, idque et in re publica nostra maxime valuit, quoad ei regalis potestas praefuit, deinde etiam deinceps posteris prodebatur; quod [et] in iis etiam, qui nunc regnant, manet. Quibus autem regia potestas non placuit, non ii nemini, sed non semper uni parere voluerunt. Nos autem, quoniam leges damus liberis populis, quaeque de optima re publica sentiremus, in sex

---

2. *igitur ut institui* A in ras. habet: *ut* om. B H^1 — *uirum* A H^2: *utrum* B H^1 — 4. *diligis* C: *diligisme* H^2; *dicis* O et dett. pauci; at v. I, § 15 et Feldhuegelii comment. — 5. *umquam nec nimis* A in ras. — *laudaberis* B H — 7. *arbitratum eam* B — 8. *consecutā* A B — 9. *illa* B — 10. *q̄m* (i. e. *quoniam*) B H: *qum̄* A, *quando* O — 12. *veri sed propriis* C — 13. *uidetis itur* B; *is* et sequens *i* A in ras habet — 14. *que*] *qui* B — 15. *leges ita* H s. l.: *leges is* H^1, *leges his* B, *leges* * * * A^1, *leges et hi* A^2; lectio archetypi *legesis* ex *leges sic* videtur corrupta — 16. *uere quae* B, *uero quae* H — *potest* C: om. O: *vereque dicitur* coni. Bake — 17. *tam* H corr. ex *tum* — 18. *lege* B — *dici intelligi* C: *nihil aliud intelligi* H in marg.; *dici, nihil aliud, intelligi* O, *intelligi* (sine *dici*) coni. Moserus, nisi potius *intelligi* glossema est, quod forma quoque prodere videtur, cum alias semper in A *intellegi* scribatur. — 19. *ulla* H^2: *illa* C — 21. *deo paret* A^2 H^2: *deoperet* A^1 B, *de opere* H^1 — *obediunt* H O — 22. *terraque* H^1 — *supraemae* A, *suppraemae* B — *obtemperet* A — 23. *ut ad haec* H in marg.: *ut haec* C, in A *haec* rasura et mutata littera *c* in *ad* correctum est — *citeriora* A corr. m. 1: *celeriora* C — *omnis* B H — 24. *gentis* A — 25. *iustissimus et sapientissimus* B — *idque et* Davies: *idque ut* B H, *idque* * * A, *idque vel* Goerenz (v. Vahlen *Zeitschr. f. d. österr. Gymn.* 1860, p. 31), *idque* O — 26 *uoluit* B — *quod* H — *ei* H in marg.: *et* C (sed A sup. lin.) — *regales* B, *ad regales* H (in marg. *regalis*) — 27. *et* ut suspectum cum Orellio inclusimus, nisi malis ita scribere *et in his, qui etiam nunc regn.* — *iis* A: *ii sed* B, *his* H O — 28. *reginā* B H, sed H sup. lin. *regnant* — *placui* B — *non hi* A, sed in rasura — *nemini*] *nēihi* B — 29. *semper*] *sem* B — 30. *sentioremus* B, *sentiorem* H (in marg. *sentiremus*).

libris ante diximus, accommodabimus hoc tempore leges ad illum, quem probamus, civitatis statum. 5. Magistratibus igitur opus est, sine quorum prudentia ac diligentia esse civitas non potest, quorumque discriptione omnis rei publicae moderatio continetur. Neque solum iis praescribendus est imperandi, sed etiam civibus optemperandi modus. Nam et qui bene imperat paruerit aliquando necesse est, et qui modeste paret videtur qui aliquando imperet dignus esse. Itaque oportet et eum, qui paret, sperare se aliquo tempore imperaturum et illum, qui imperat, cogitare brevi tempore sibi esse parendum. Nec vero solum ut optemperent oboediantque magistratibus, sed etiam ut eos colant diligantque praescribimus, ut Charondas in suis facit legibus. Noster vero Plato Titanum e genere statuit eos, qui ut illi caelestibus, sic hi adversentur magistratibus. Quae cum ita sint, ad ipsas iam leges veniamus, si placet. 6. *Att.* Mihi vero et istud et ordo iste rerum placet.

III. 6. *M.* Iusta imperia sunto, isque civis modeste ac sine recusatione parento: magistratus nec oboedientem et noxium civem multa, vinculis verberibusve coherceto, ni par maiorve potestas populusve prohibessit, ad quos provocatio esto. Cum magistratus iudicassit inrogassitve, per populum multae poenae certatio esto. Militiae ab eo qui imperabit provocatio nec esto, quodque is qui bellum geret imperassit, ius ratumque esto.

Minores magistratus partiti iuris ploeres im ploera sunto. Militiae, quibus iussi erunt, imperanto eorumque tribuni sunto: domi pecuniam publicam custodiunto, vincula sontium servanto, capitalia vindicanto, aes argentum aurumve publice signanto, litis contractas iudicanto, quodcumque senatus creverit agunto.

---

1. *accommodauimus* C (sed corr. H[2]) — 2. *sine curum* B — 3. *quorum* (sine *que*) aliquot edd. vett. et Lamb , recte, ut videtur — *discriptione* Buecheler: *descriptione* C O — 4. *iis* A: *is* B, *his* H O — 5. *obtemp.* h. l. C — 7. *dignus esset* B — 8. *imperet* A — 10. *optemperat* B — *obediantque* O — 12. *platonium* H, sed in marg. *plato titanum* — *egene* B H[1] — 13. *sit* B — 14. *etstud et ordo* A[1], *et studet ordo* B, unde formam *et stud* Vahlen reduci iubet, v. supra ad I, § 50. — *rerum iste* O — 15. *sinto* H[2] — *isque* C: *iisque* O — *ciuis* A B: *ciues* H O — 16. *neqoboedientem* B — *et noxium* Victorius: *et innoxium* C, *et in noxia* Gebhard, *nec innoxium* Davies — 17. *multam* H — *uinculis* C: *vinclis* O — *uerberibusue* H[2]: *uerberibusne* C, *uerberibus[ve]* O — *coherceto* A B: *coerceto* H O — 18. *maior uero potestas* C — *populosue* B H[1], quam veterem nominativi formam Vahlen recipiendam censet — *ad cos* B — 19. *est* H — *cum* (sic in hac forma) C: *quam* (aut *quorum* aut *quae*) coni. Bake; ipse nunc quoque malim *quoi* — *inrogasitue* A — *penes populum* Buecheler — 20. *multe poene* (*poeue* B) A B — *ab eo* H in marg., *habeo* B — 21. *imperauit* H — *provocatio nec esto* scripsi: *prouocatione cesto* C (sed B *certo*, H *testo*); *prov. ne esto* edd. — *quodque* H[2]: *quoque* C — *his* B — *gerat* A — 23. *minoris* B H — *partitu* H — *plures imploera* B, *pluresim imploera* A, *plures impera* H; *plures in pluria* O — 24. *meliciae* A — *quibus* C: *qui* Ernesti; sententia est: quibus imperare iussi erunt, iis imperanto. — *erant* C — *imperanti* A, *obtemperanto* Wagner — *eorum qui* A H[1] — 26. *vincla* O — *somtium* B — *seruanto* H in marg.: *speruanto* C — *iudicanto* H, *uindicato* B — 27. *aurum uel* A, *aurumque* Lamb., *aurum* coni. Orelli; an *aurumue* ex interpolatione adiectum est? — *signato* A, *signantibus* H (om. *litis*) — *litis* A: *lites* B, *stlites* O — 28. *quodcumque* H[2]: *quodquodcumque* C; *quodque* coni. Bake; at si quid tribuendum est geminato *quod*, potius conicias: *quodque cumque* — *senatus* om. H, *natus* A B — *acuncto* C, sed B *acunctosunt* (*sunt* per comp.) *oque* (pro *agunto suntoque*).

7. Suntoque aediles curatores urbis annonae ludorumque sollemnium, ollisque ad honoris amplioris gradum is primus adscensus esto.

Censores populi aevitates, suboles, familias pecuniasque censento, urbis tecta templa, vias aquas, aerarium vectigalia tuento, populique partis in tribus discribunto, † exin pecunias, aevitatis, ordines partiunto, equitum peditumque prolem describunto, caelibes esse prohibento, mores populi regunto, probrum in senatu ne relinquunto: bini sunto, magistratum quinquennium habento [reliqui magistratus annui sunto] eaque potestas semper esto.

8. Iuris disceptator, qui privata iudicet iudicarive iubeat, praetor esto: is iuris civilis custos esto: huic potestate pari quotcumque senatus creverit populusve iusserit, tot sunto.

Regio imperio duo sunto, iique praeeundo, iudicando, consulendo praetores, iudices, consules appellamino: militiae summum ius habento, nemini parento: ollis salus populi suprema lex esto.

9. Eumdem magistratum, ni interfuerint decem anni, ne quis capito: aevitatem annali lege servanto.

Ast quando duellum gravius, discordiae civium escunt, oenus ne amplius sex menses, si senatus creverit, idem iuris quod duo consules teneto, isque ave sinistra dictus populi magister esto: equitatumque qui regat habeto pari iure cum eo, quicumque erit iuris disceptator.

Ast quando consules magisterve populi nec erunt, re-

---

1. *coeratores* O — 3. *prius ascensus* C — 4. *censoris* B H — *aeciuitates* (sup. lin. *ciuitates uel euitatis*) H — *soboles* A² — 5. *urbis tecta templa* Bake: *urbista templa* C *urbis templa* H² O — *aquas* H² in marg.: *quas* C — *erarirum* A, *errarium* H — 6. *uestigalia* A B, *uestigia lia* H — *partes* H O — *in quibus* A — *discribunto* A H: *discribuntur to* B, *distribuunto* O et dett. pauci — 7. *exin* vitiosum esse intellexit Buecheler, scribendum esse coniciens: *in pecunias - - partiunto*, sc. populi partes. — *aevitates* O — *ordinis parti sunto* C — 8. *describuno* B — *esse* H²: *sed* C — *proibento* B — 9. *relinquunto binis* A, *relinquot obinis* B (ex *relinquonto b.*), *relinquuntur obinis* H¹ — 10. *quinquennio* H² — *reliqui - - sunto* inclusimus — 11. *potestas* H in marg. — 12. *disceptator* H²: *discertator* C — *iudicari* B in fine versus — 13. *proter* B — *potestati pari* (*parento* H in marg.) *quodcumque* C, corr. Stephanus — 16. *a praeeundo* Davies — 17. *consulendo* H²: *consuendo* A B, *consuetudo* H¹ — *appellamino* B H: *appellanto* * A (*to* in ras.); *appellantor* edd.; *appellaminoe* Bergk (Philol. XIV, 186), cui formae *appellamino*, quae in secunda et in tertia persona numeri singularis in usu erat (v. Madvigii Opusc. II, 240), in utraque persona numeri plur. forma *appellamini* sive prisca scriptura *appellaminoe* videtur respondisse. Nos in re prorsus incerta librorum optimorum scripturam intactam reliquimus, praesertim cum fieri potuerit ut in his formis antiquis numerorum usus promiscuus esset. — 18. *ollis* Stephanus: *oius* B, * * *us* (vel *iis*) A¹ (desunt in ras. quattuor ductus), *ius* A² H; *his* Bake — 19. *populo* C, ex *populoi*, ut vidit Feldhuegel — 20. *eumdem* A: *eum demagistratum* B, *eundem* H O — *ni interfuerit* A, *ininter fuerint* H¹ — 21. *lege* H²: *leges* C — *seruanto ast* H: *seruanto* * * *et* (in ras. vestigium lit. *s*) A, *seruant a si* B; *servanto ast si* Stephanus — 22. *discordiae* C: *discordiaeve* O cum Lamb. — 23. *oenus* Lambinus: *ones* C — *menses* A, sed *es* in ras. — 24. *teneto* Manutius: *tenunto* C — 25. *equitatumque qui regat* Orelli: *aequitatem cumque qui regat* C, *equitatem quicumque r.* H², *equitemque qui r.* Ernesti — 27. *astorquando* H¹ — *consules - - - ne sunto* scripsi praeeunte Feldhuegelio in comm. p. 264 (is tamen dedit *populi non escunt*, sine causa veterem formam

liqui magistratus ne sunto: auspicia patrum sunto, ollique ec se produnto, qui comitiatu creare consules rite possiet.

Imperia, potestates, legationes, cum senatus creverit populusve iusserit, ex urbe exeunto, duella iusta iuste gerunto, sociis parcunto, se et suos continento, populi sui gloriam augento, domum cum laude redeunto.

Rei suae ergo ne quis legatus esto.

Plebes quos pro se contra vim auxilii ergo decem creassit, ei tribuni eius sunto, quodque ii prohibessint quodque plebem rogassint, ratum esto: sanctique sunto neve plebem orbam tribunis relinquunto.

10. Omnes magistratus auspicium iudiciumque habento, exque is senatus esto: eius decreta rata sunto. [ast potestas par maiorve prohibessit, perscripta servanto.]

Is ordo vitio vacato, ceteris specimen esto.

Creatio magistratuum, iudicia populi, iussa vetita cum suffragio cosciscentur, optumatibus nota, plebi libera sunto.

IV. Ast quid erit, quod extra magistratus coerari oesus sit, qui coeret populus creato eique ius coerandi dato.

Cum populo patribusque agendi ius esto consuli, praetori, magistro populi equitumque eique, quem patres produnt consulum rogandorum ergo; tribunisque, quos sibi plebes rogassit, ius esto cum patribus agendi: idem ad plebem quod oesus erit ferunto.

Quae cum populo quaeque in patribus agentur, modica sunto.

---

nec immutans): *consulis est* (*est* om. H) *magistratusue* (*magisterue* H) *nec runt* (*nec r̃* A B) *reliqui magistratus ne sunto* C; *consules magisterve populi, nec reliqui magistratus nec escunt,* O — *reliqui mag. ne sunto* Christ aut post *disceptator* v. 26 transponenda aut eicienda putat.

1. *aspicias* A, *aspias* B; in H *auspicia patrum sunto* in marg. suppletum est. — *oblique* H — 2. *ec se* Buecheler et Vahlen: *hẹc se* A, *exe* H, *ex se* B O — *comitatu* C — 3. *possiet* Buecheler: *possint* A H², *possim* B H¹, *possit* O cum Manutio — 4. *creuerit* H in marg.: *creauit* A H¹, *creauerit* B — 6. *socius* B, ante *sociis* est in A parva ras., item post *augento* — *parcuntote* H corr. in *parcuntoque* (om. *se*) — *suos* nescio quis: *seruos* A H O, *seruus* B — *popilli sui* A, *pupillis ui* B — 7. *lauderet deunto regis ue ergo* B — 10. *erat sit* H, sed sup. lin. *creassit* — *ei tribuni* Vahlen: *et tribuni* (*tribus* H) C, sed B *et* corr. ex *ii* vel *fii*; *ei* om. editt. — *eui sumpto* H¹ — *ii* H²: *id* A B, *id quod* H¹ — 11. *esto* A in ras. — *sanctaque* H — 12. *relinquiunto* B — 13. *auspiciumque iudiciumque* H — 14. *is* A B: *his* H, *iis* O (**qexqueisse natus* A, priore *q* punctata) — *ast* C: *ast si* O cum Wyttenbachio; nos haec, cum huc non videantur pertinere, Buechelero auctore inclusimus. — 15. *prohibessit* Stephanus: *prohibet se* C; *prohibessit senatus consulta,* O; *prohibessit, senatus cons.* alii; nam pro *se* dett. pauci *s. c.* vel *S. C.* habent. — 16. *speciem mesto* B H, *speciem mestio* A — 18. *cosciscentur* nos: *eoscincentur* A, *eos cingentur* H, *eoscicenturor* B, *consciscentur* O; *quum sciscentur, suffragia optimatibus* Stephanus et Manutius, *quum suffragio cosciscentur, suffragia opt.* Vahlen — *optimatibus* O — 20. *ast* Manutius: *aut* C, *ut* A², *ast si* Wyttenbach et O — *curari oesus* Taurellius: *coherario esus* H, *quoherario esus* A, *coeratore oesus* Turnebus (*magistri tusco herario esus* B) — 21. *coheret* H — *ei qui ius* C — 23. *prodent* Moser — 24. *tribunis quae* A — 25. *.PL.* B, *p͠RL.* A, sed *R* punctata — *creassit* Bake — *idem* A B: *id est* H, *iidem* O — 27. *agetur* C — 28. *sumpto* A (*sunt esonatori* H).

11. Senatori, qui nec aderit, aut causa aut culpa esto: loco senator et modo orato, causas populi teneto.

Vis in populo abesto. Par maiorve potestas plus valeto. Ast quid turbassitur in agendo, fraus actoris esto. Intercessor rei malae salutaris civis esto.

Qui agent, auspicia servanto, auguri publico parento, promúlgata, proposita, in aerario cognita agunto, nec plus quam de singulis rebus semul consulunto, rem populum docento, doceri a magistratibus privatisque patiunto.

Privilegia ne inroganto: de capite civis nisi per maximum comitiatum ollosque, quos censores in partibus populi locassint, ne ferunto.

Donum ne capiunto neve danto neve petenda neve gerenda neve gesta potestate. Quod quis earum rerum migrassit, noxiae poena par esto.

Censores fidem legum custodiunto: privati ad eos acta referunto nec eo magis lege liberi sunto.

Lex recitata est: discedere et tabellam iubebo dari.

V. 12. *Q.* Quam brevi, frater, in conspectu posita est a te omnium magistratuum discriptio, sed ea paene nostrae civitatis, etsi a te paulum adlatum est novi. *M.* Rectissime, Quinte, animadvertis. Haec est enim, quam Scipio laudat in *illis* libris et quam maxime probat temperationem rei publicae, quae effici non potuisset nisi tali discriptione magistratuum. Nam sic habetote, magistratibus iisque, qui praesint, contineri rem publicam et ex eorum conpositione, quod cuiusque rei publicae genus sit, intellegi. Quae res cum sapientissime moderatissimeque constituta esset a maioribus nostris, nihil habui sane *aut* non multum, quod putarem novandum in legibus. 13. *Att.* Reddes igitur nobis, ut in religionis lege fecisti admonitu et rogatu meo, sic de magistratibus, ut disputes, quibus de causis maxime placeat ista discriptio. *M.* Faciam,

---

1. *quin et aderit* H — 2. *locu* H — *populi* H in marg. — 3. *ius* H — *abesto* dett. plerique: *adesto* C; cf. p. 920, 18. — *maiorue* H²: *maiorque* C — 4. *ast* C: *ast si* O — *quid* H, sed *d* punctata — *turbassint* H — *auctoris* C — 5. *re in* B — 7. *in aerario* Wagnerus inclusit, Manutius *in foro*, alii alia coniecerunt, v. Feldh. comment. p. 268; nos Mommsenium secuti *in aerario* ad *cognita* traximus. — *agito* H¹ — *nec* C: *ne* O — 8. *semel* C; *simul* O cum Grutero; ipse reduxi veterem formam *semul*, de qua v. Ritschelii prolegg. ad Plaut. pag. XCVII; Feldhuegelio in comm. *semel* delendum videtur — *consulento* C — 9. *ducento* C, corr. in H sup. lin. — malim *priuatisue* — *faciunto* H¹ — 11. *comitatum* A, *cum ita tum* B H — 12. *locasint* A corr. in *locarint* — 13. *domum* H — 15. *poene* A, *poenae* B, *penae* H — 16. *caesoris* A B, *caesaris* H, sed in marg. *censoris* — *fidem legum* Madvig: *fidem legem* C (*lege* H²), *fide leges* O cum Lamb. — *ad eos* A corr. in *a deo* — 17. *actere ferunto* B — *legi* B — 18. *discedere* C: *discedite* O cum Davisio; at v. Madvigii Opusc. II, 161. — 19. *quam* H²: *quam com* A¹, *quam cum* A²B, *quam con* H¹ — 20. *descriptio* C O — *et ea* Lambinus — *civitatis est, a te* malebat Bake — 22. *spicio* B — *illis* O: om. C, post *libris* add. Turnebus — *probat* H sup. lin. — *temperatio* Lamb. — 23. *potuisse* C — *discriptione* B H: *descr.* A O — 24. *siisque* C — *praesint* C: *praesunt* dett. pauci et O — 25. *et* om. H — *ex* om. dett. pauci — *cuiusque rei p.* Stephanus: *eiusque in rep.* (.*R.P.* H) C — 26. *moderatissimeq; quae* H, litera *n* super *at* addita, *moderantissimae quae* B — 27. *nichil* H, in quo verbo codex deficit. — *aut non* Madvig: *non* A B, *non modo* dett. et O; possis etiam: *nihil habui, saltem non multum* etc. — 30. *disputis* B; *ut dispules* videtur glossa — *descriptio* A B O.

Attice, ut vis, et locum istum totum, ut a doctissimis Graeciae quaesitum et disputatum est, explicabo et, ut institui, nostra iura attingam. *Att.* Istud maxime exspecto disserendi genus. *M.* Atqui pleraque sunt dicta in illis libris, quod faciendum fuit, cum de optuma re publica quaereretur: sed huius loci [de magistratibus] sunt propria quaedam, a Theophrasto primum, deinde a Dione Stoico quaesita subtilius.

VI. 14. *Att.* Ain tandem? etiam a Stoicis ista tractata sunt? *M.* Non sane nisi ab eo, quem modo nominavi, et postea a magno homine et in primis erudito, Panaetio. Nam veteres verbo tenus acute illi quidem, sed non ad hunc usum popularem atque civilem, de re publica disserebant: † ab hac familia magis ista manarunt Platone principe. Post Aristoteles inlustravit omnem hunc civilem in disputando locum Heraclidesque Ponticus profectus ab eodem Platone. Theophrastus vero, institutus ab Aristotele, habitavit, ut scitis, in eo genere rerum, ab eodemque Aristotele doctus Dicaearchus huic rationi studioque non defuit. Post a Theophrasto Phalereus ille Demetrius, de quo feci supra mentionem, mirabiliter doctrinam ex umbraculis eruditorum otioque non modo in solem atque in pulverem, sed in ipsum discrimen aciemque produxit. Nam et mediocriter doctos magnos in re publica viros et doctissimos homines non nimis in re publica versatos multos commemorare possumus: qui vero utraque re excelleret, ut et doctrinae studiis et regenda civitate princeps esset, quis facile praeter hunc inveniri potest? *Att.* Puto posse et quidem aliquem de tribus nobis: sed perge, ut coeperas.

VII. 15. *M.* Quaesitum igitur ab illis est, placeretne unum in civitate esse magistratum, cui reliqui parerent, quod exactis regibus intellego placuisse nostris maioribus. Sed quoniam regale civitatis genus, probatum quondam, postea non tam regni quam regiis vitiis repudiatum est, nomen tantum videbitur regis repudiatum, res manebit, si unus omnibus reliquis magistratibus imperabit. 16. Quare nec ephori Lacedaemone sine causa a Theopompo oppositi regibus nec apud nos consulibus tribuni. Nam illud quidem ipsum, quod in iure positum est, habet consul, ut ei reliqui magistratus omnes pareant excepto tribuno, qui post exstitit, ne id, quod fuerat, esset. Hoc enim primum minuit consulare ius, quod exstitit, ipse qui eo non teneretur, deinde quod

---

1. *addoctissimis* B, *a * doctissimis* A — 3. *ad qui* B — 5. *de magistratibus* videtur glossema — *quaedam* A, sed *aedam* in ras. — 6. *a theopharasto* A, *atheo praesto* B — *dione* AB: *Diogene* O cum Turnebo — *subtiliaus* B — 7. *anin* AB — *tracta* B — 8. *nisi * * * eo* A — 9. *poenetio* B — 11. *ab hanc familiam* (*familia* B) AB, *ad hanc familiam* Lamb., *ab Academica familia* Scheffer — *ista magis* B — *manerent* A[1]B — 12. *heraclites quae* B[1] — 13. *platonem* B — *theofrastus uero institus* A — 14. *habitabituscitis* B — 15. *dicoartus* B — *rationis* B — 16. *postat* B — *phaleureus ille* (*ille* in ras.) A, *phaleur eusile* B — *fecisti praementionem* B — 17. *otioque*] *quoodioque* (with *h* and *e* written above) A (sed nihil nisi *odi* et posterius *que* antiqua manu scriptum, cetera sunt in ras. a m. recentiore suppleta), *quae odioque* B — 18. *in* ante *pulv.* om. B — *prodixi* B — 20. *non minus* AB — *uersatus multos commemora* B — 23. *aliquaē de* B — *ut* A[2]: *et* A[1]B — 24. *est igitur ab illis* O — *placeret* AB — 25. *magistrati* B — *placerent* AB — 26. *placuisse * ** A, *placuissent* B, ex *placuisse et* (vel *etiam*), ut videtur. — *regali* B — 27. *regiis* nos: *regi * is* A (ex *regieis*?), *regnis* B, *regis* O — 28. *reputatum* B — 29. *imperauit* AB — 30. *a thaeopompo* A, *at haec pompo* B — 31. *ipsut* B — 32. *ei * ** A — *excepte* B — 33. *extitit* A, ut fere semper, sed paulo post *exstitit* — *fuerat* Manutius: *fuerit* codd. — 34. *tenetur* B.

attulit auxilium reliquis non modo magistratibus, sed etiam privatis consuli non parentibus. 17. *Q.* Magnum dicis malum; nam ista potestate nata gravitas optimatium cecidit convaluitque vis multitudinis. *M.* Non est, Quinte, ita. Non ius enim illud solum superbius populo et violentius videri necesse erat, quo postea quam modica et sapiens temperatio accessit, † conuertem lex in omnis est * * *

VIII. 18. D o m u m c u m l a u d e r e d e u n t o ; nihil enim praeter laudem bonis atque innocentibus neque ex hostibus neque a sociis reportandum. Iam illud apertum est profecto, nihil esse turpius quam quemquam legari nisi rei publicae causa. Omitto quem ad modum isti se gerant atque gesserint, qui legatione hereditatis aut syngraphas suas persecuntur — in hominibus est hoc fortasse vitium, sed quaero —, quid reapse sit turpius quam sine procuratione senator legatus, sine mandatis, sine ullo rei publicae munere? Quod quidem genus legationis ego consul, quamquam ad commodum senatus pertinere videbatur, tamen adprobante senatu frequentissimo, nisi mihi † levis tribunus plebis tum intercessisset, sustulissem. Minui tamen tempus et, quod erat infinitum, annuum feci. Ita turpitudo manet diuturnitate sublata. Sed iam, si placet, de provinciis decedatur in urbemque redeatur. *Att.* Nobis vero placet, sed his, qui in provinciis sunt, minime placet. 19. *M.* At vero, Tite, si parebunt his legibus, nihil erit iis urbe, nihil domo sua dulcius, nec laboriosius molestiusque provincia.

[Sed] sequitur lex, quae sancit eam tribunorum plebis potestatem, quae *est* in re publica nostra: de qua disseri nihil necesse est. *Q.* At me hercule ego, frater, quaero, de ista potestate quid sentias. Nam mihi quidem pestifera videtur, quippe quae in seditione et ad seditionem nata sit: cuius primum ortum si recordari volumus, inter arma civium et occupatis et obsessis urbis locis procreatum vidimus. Deinde

---

1. *auxilium relium reliquis* B — *sed* B sup. lin. — *pribatis* A¹, *pribotis* B — *consoli* A¹B — 3. *uis* A B (sed A in ras.): *ius* dett. et O — 4. *ita, Quinte* O — *ius enim* A B: *enim ius* O — *et* A B: *sed* edd. — 5. *modicẹt sapientẽ peratio* B — 6. sententia *accessisset* requirere videtur — *conuersa lex in omnes est* edd. prava sententia. D a v i e s: *confecta pax inter omnes est,* sed nec hoc nec quod alii excogitaverunt locum obscurissimum sanat. Eius sanandi conatu iam ob eam causam abstinendum est, quod ne illud quidem in promptu est, quo loco puncta defectum orationis indicantia ponenda sint, utrum post verba depravata «*convertem lex in omnis est*» an ante illa; possunt enim aeque bene clausula esse loci, qui aliquot foliis archetypi deperditis intercidit. — 7. *cum l. redeunto* edd. vett.: *cum laudem pene uno* A B — 8. *soliis* A — 9. *apertum est profecto ẽ* (pro ẽ in A rasura trium literarum) *nihil esse* (ẽ B) *turpius quam est quemquam* A B (*quempiam* O; *apertum profecto est* Manutius aliique haud scio an rectius) — 10. *istic se gerant* Bake — 11. *adque* A¹ — *ligatione* B — *hereditatis* A B: *hereditates* O — 12. *in omnibus* A¹ — *est*] *et* A B — 13. *re ab se* B, *re hac* A (sed *hac* in ras. maiore m. recent.) — *procuratore* A B (*procuratorem* A¹) — *senatur* (sic) B; *senatorem legari* coni. Bake — 15. *videbatur* Ernesti: *uideatur* A B O — 16. *adprobantem* B — *senatus* A — *leius* A (*ius* in ras.); videtur nomen tribuni latere, fort. *Labienus*, ut Moserus coniecit. — 17. *minuta mente tempus est* B; *tamen minui* Feldhuegel et Klotz — 18. *annum* A B — *sublatas* B — 19 et 20. *prouintiis* A — 20. *his* A B: *iis* O; illud verum est, quod Cicero dixit «*qui in prov. s u n t*», non «*qui in provincias abeunt*»; describit igitur homines sui temporis. — *ad* A¹B — 21. *parebant* A¹B, *pareant* A² — *domus ua* B — 23. *Sed* Bakio delendum videtur — *quae santtite am tribonorum* B — 24. *est* Goerenz: om. A B; *nostra est* Turnebus — *discesseri* B — *ad* A¹B — 25. *quero dedeista* B — 27. *recordare* A B — 28. *obsessis* A in ras. habet — *procreatam* Manutius — *uidimus* A B, ut voluit Ernesti: *videmus* O.

cum esset cito ablegatus tamquam ex XII tabulis insignis ad deformitatem puer, brevi tempore nescio quo pacto recreatus multoque taetrior et foedior renatus est.

IX. Quid enim ille non edidit? qui primum, ut impio dignum fuit, patribus omnem honorem eripuit, omnia infima summis paria fecit, turbavit, miscuit: cum adflixisset principum gravitatem, numquam tamen conquievit. 20. Namque ut C. Flaminium atque ea, quae iam prisca videntur propter vetustatem, relinquam, quid iuris bonis viris Tiberi Gracchi tribunatus reliquit? etsi quinquennio ante Decimum Brutum et P. Scipionem consules — quos et quantos viros! — homo omnium infimus et sordidissimus, tribunus pl. C. Curiatius in vincula coniecit, quod ante factum non erat. C. vero Gracchi tribunatus iis sicis, quas ipse se proiecisse in forum dixit, quibus digladiarentur inter se cives, nonne omnem rei publicae statum permutavit? Quid iam de Saturnino, Sulpicio, reliquis dicam? quos ne depellere quidem a se sine ferro potuit res publica. 21. Cur autem aut vetera aut aliena proferam potius quam et nostra et recentia? Quis umquam tam audax, tam nobis inimicus fuisset, ut cogitaret umquam de statu nostro labefactando, nisi mucronem aliquem tribunicium exacuisset in nos? quem cum homines scelerati ac perditi non modo ulla in domo, sed nulla in gente reperirent, gentes sibi in tenebris rei publicae perturbandas putaverunt. Quod nobis quidem egregium et ad inmortalitatem memoriae gloriosum, neminem in nos mercede ulla tribunum potuisse reperiri, nisi cui ne esse quidem licuisset tribuno. 22. Sed ille quas strages edidit! eas videlicet, quas sine ratione ac sine ulla spe bona furor edere potuit inpurae beluae multorum inflammatus furoribus. Quam ob rem in ista quidem re vehementer Sullam probo, qui tribunis pl. sua lege iniuriae

---

1. *ablegatus* Auratus: *legatus* AB; *necatus* Puteanus et I. F. Gronovius, *letatus* O cum Grutero (*leto datus* coni. Orelli); alios conatus v apud Dirksenium *Uebersicht der Versuche* p. 265 sqq. — 2. *nescio quo pacto* A in marg., sed manu vetere — *recreatus* B, ut videtur: *creatus* A — *tretior* B, *tetrior* A in ras. — 3. *fedior* AB — *renatus* Lambinus: *natus* ABO; *factus* alii malebant — 4. *quid* Madvig: *quē* AB; *quae* O cum paucis dett. — «Quum in hac interrogationis forma necessario in unam notionem confluentur *non edidit* = intentata omisit (in admiratione, quam multa tribunatus ediderit, *non* omittendum erat), rectius singulari numero interrogatur: *Quid enim ille non edidit?* (= *nihil -- non*).» MADVIG. — 5. *honorem* A, sed *hon* in ras. — *infima summa paria fecit* coni. Bake — *turbabit* A¹ B; *omnia turbavit, miscuit, infima summis paria fecit* coni. Davies aut *infima summis paria fecit, omnia turbavit, miscuit.* — 6. *cumque* Goerenz — 7. *namque* Bake: *anque* AB, *atque* dett. et O — *C.*] *con* A, *cū* B — *flaminius* AB — 8. *reliquam* B — *viris* om. Bake cum paucis dett. — *liberi* AB: *Ti.* O — 9. *reliquid* A¹ — *quinque annio* B — *dum* A¹, *du* B, *decium* A², *D.* O — 10. *infumus* A¹, *infirmus* B — 11. *curiatus* AB — 12. *Gracchi tribunatus iis sicis* scripsi: *gracchi ruinis et iis siciis* (*et inscitiis* A, sed m. 2 in ras.) AB, *Gracchus ruinis et sicis iis* O cum Turnebo. Nec tamen ex nostra coniectura, quamquam *Gracchi tribunatus* certa emendatio videtur, locus plane restitutus est, cum aliud nomen eius loco quod scripsit Turnebus «*sicis*» hic exspectetur. — 13. *proiecisset* AB — *degladiarentur* A¹, *deglariarentur* B — 14. *perturbauit* Oxoniensis E, prob. Madvigio Opusc. I, 171. — *Saturnino, Sulpicio* Goerenz: *saturnini supplicio* AB — 16. *proferā** A, *proferat* B; suspicor *profero*, quae est legitima forma in tali interrogatione rhetorica. — 17. *quis inquam tam* Goerenz coni., *quisquamne tam* Bake; aliis *umquam* post *cogitaret* delendum videbatur, ut Ernesto et Schuetzio — *inimicus nobis* O — 18. *fuisset et ut* A — *cogitarē* B — 20. *nulla in domo* Manutius — 21. *repperirent* A — 23. *repperirini sicut* B — *cui necesse quidem* AB — 24. *tribunos* B — *qua* A¹ — *stages* B — 25. *furor edere* edd. vett.: *futura reddere* AB — 26. *beluae* A in ras., *uelbe* B — 27. *sublam* B.

faciendae potestatem ademerit, auxilii ferendi reliquerit, Pompeiumque nostrum ceteris rebus omnibus semper amplissimis summisque ecfero laudibus, de tribunicia potestate taceo; nec enim reprehendere libet nec laudare possum.

X. 23. *M.* Vitia quidem tribunatus praeclare, Quinte, perspicis, sed est iniqua in omni re accusanda praetermissis bonis malorum enumeratio vitiorumque selectio. Nam isto quidem modo vel consulatus vituperari potest, si consulum, quos enumerare nolo, peccata collegeris. Ego enim fateor in ista ipsa potestate inesse quiddam mali, sed bonum, quod est quaesitum in ea, sine isto malo non haberemus. — Nimia potestas est tribunorum pl. — Quis negat? sed vis populi multo saevior multoque vehementior, quae, ducem quom habet, interdum lenior est, quam si nullum haberet. Dux enim suo *se* periculo progredi cogitat, populi impetus periculi rationem sui non habet. — 24. At aliquando incenditur. — Et quidem saepe sedatur. Quod enim est tam desperatum collegium, in quo nemo e decem sana mente sit? Quin ipsum Ti. Gracchum non solum neclectus, sed etiam sublatus intercessor evertit. Quid enim illum aliud perculit nisi quod potestatem intercedenti collegae abrogavit? Sed tu sapientiam maiorum in illo vide. Concessa plebei a patribus ista potestate arma ceciderunt, restincta seditio est, inventum est temperamentum, quo tenuiores cum principibus aequari se putarent, in quo uno fuit civitatis salus. At duo Gracchi fuerunt. Et praeter eos quamvis enumeres multos licet, cum deni creentur, non nullos in omni memoria reperies perniciosos tribunos, leves etiam quam bonos fortasse plures: invidia quidem summus ordo caret, plebes de suo iure periculosas contentiones nullas facit. 25. Quam ob rem aut exigendi reges non fuerunt aut plebi re, non verbo danda libertas: quae tamen sic data est, ut multis † praeclarissimis adduceretur, ut auctoritati principum cederet.

---

1. *potestate* B — *ausilii* A[1], *auxilium* A[2] B — *reliquerit* A sup. lin. — 2. *in ceteris* Turnebus; at v. Naegelsbach, *Lateinische Stilistik* p. 35 ed. III. — *ecfero* A (*ec* in ras.). *et fero* B, *effero* O — 6. *accusant da* B — 7. *seselectio* B — *vituperari potest* Feldhuegel: *uitupetest* B, *uitupetra* (bilis) * * *est* A (antiqua manu nihil nisi *uitupet . . . est* scriptum est, reliqua sunt recentiora); *vituperabilis est* O — 9. *malis* B — 11. *seuior multūq; uem̄tior* B; *vehementior multoque saevior* O — 12. *quom* scripsi: *quod* A B O — 13. *est quam si* A in ras. habet — *nullam* A[1] B — *se* Moser et duo Ambrosiani: om. A B — 14. *aliquanto* A B — 16. *sane* B — 17. *neglectus* Manutius: *nectus* A B, in quo mendo latet vetus forma *neclectus* — 18. *euertit* Vahlen: *fuerat* A B; *fregerat* Bentley, *straverat* Goerenz, *stravit* Feldhuegel, *servaverat* O — *illud* A B — *intercedenti* Madvig: *intercedendi* A B O. «Non intercedendi potestatem Gracchus Octavio abrogavit, ut illa dempta tribunus maneret, nec abrogatur una aliqua certae rei potestas, sed ipse magistratus.» — 19. *sapientiam* A, *m* punctata — *maiorum in illo* Manutius: *maiori nihilo* A B — 20. *concesse* B — *plebei a* scripsi: *plebeista* A B, *plebi a* O — *a patribus* om. B — *potestas arma caecederunt restinta* B — 22. *putarent* Ernesti: *putarint* A B — *ad* A[1] B — *grachi* A — 23. *innumeres* B — *dent* B — *creentur* dett. pauci: *creantur* A B — 24. *nonnullos* Lambinus: *nullus* A[1] B, *nullos* A[2] — *repperies* A — 25. *quam* scripsi: *non* A B O, in qua lectione verba sic distinguunt: *tribunos, leves, etiam non bonos* etc. — 27. *re* A in ras. habet — *dande* B — 28. *data ē* A in ras. — *multis praeclarissimis* A B O: *uinclis praeclarissimis* Madvig, *multis praeclaris institutis* Bake et Feldhuegel, *multis institutis praeclarissimis* Vahlen, *multis praeclarissimis legibus* Lambinus, *multis rebus praeclarissimis* M. Seyffert in *Scholis Latinis* I, 164; ipse malim *multis praeclaris uinclis* — *addiceretur* A B — 29. *sederet* B.

XI. Nostra autem causa, quae, optume et dulcissume frater, incidit in tribuniciam potestatem, nihil habuit contentionis cum tribunatu. Non enim plebes [incitata] nostris rebus invidit, sed vincula soluta sunt et servitia incitata, adiuncto terrore etiam militari. Neque nobis cum illa tum peste certamen fuit, sed cum gravissimo rei publicae tempore: cui *nisi* cessissem, non diuturnum beneficii mei patria fructum tulisset. Atque haec rei exitus indicavit. Quis enim non modo liber, *sed* servus libertate dignus fuit, cui nostra salus cara non esset? 26. Quod si is casus fuisset rerum, quas pro salute rei publicae gessimus, ut non omnibus gratus esset, et si nos multitudinis furentis inflammata invidia pepulisset tribuniciaque vis in me populum, sicut Gracchus in Laenatem, Saturninus in Metellum, incitasset, ferremus, o Quinte frater, consolarenturque nos non tam philosophi, qui Athenis fuerunt, [qui hoc facere debent] quam clarissimi viri, qui illa urbe pulsi carere ingrata civitate quam manere *in* inproba maluerunt. Pompeium vero quod una ista in re non ita valde probas, vix satis mihi illud videris attendere, non solum ei quid esset optimum videndum fuisse, sed etiam quid necessarium. Sensit enim deberi non posse huic civitati illam potestatem: quippe quam tanto opere populus noster ignotam expetisset, qui posset carere cognita? Sapientis autem civis fuit causam nec perniciosam et ita popularem, ut non posset obsisti, perniciose populari civi non relinquere. Scis solere, frater, in huius modi sermone, ut transiri alio possit, dici «admodum» aut «prosus ita est». *Q.* Haud equidem adsentior, tu tamen ad reliqua pergas velim. *M.* Perseveras tu quidem et in tua vetere sententia permanes. *Att.* Nec me hercule ego sane a Quinto nostro dissentio, sed ea quae restant audiamus.

XII. 27. *M.* Deinceps igitur omnibus magistratibus auspicia et iudicia dantur: iudicia, ut esset populi potestas, ad quam provocaretur, auspicia, ut multos inutiles comitiatus probabiles inpedirent morae; saepe enim populi impetum iniustum auspiciis di immortales represserunt. Ex iis autem, qui magistratum ceperunt, quod senatus efficitur,

---

1. *optume et dulcissime* A B — *incendit* A B, sed in A *n* punctata — 2. *tribunitiam* A — *contentiones cum tribunatū* B — 3. *plebes* A^2: *plebis* A^1 B — *incitata* cum Baitero inclusi — *nostras rebus* B — 4. *adiuncta errore* A B — *militare* A — *neque* om. B — 5. *peste*] *potestate* coni. Bake — *cui nisi* scripsi: *cui* A^1 B, *cui si* A^2; *cui si non* O — 6. *cẹsissem* A — 7. *haec* A B: *hoc* O — *rer* B — *liber, sed servus* Goerenz: *liber servus* A B, *liber sed etiam servus* dett. et O, sed O [*etiam*] — 10. *gratae essent* Wagner — *si nos* A^1 B: *si in nos* A^2 (*in* s. l. m. 2) — *fuerent his* B — 11. *pepulis* B — *tribuniciaque vis* Goerenz: *tribunitiaquis* A B. Emendatio Goerenzii plerisque probata parum probabilis est; nam, ut alia taceam, supra *invidia* non nominativus, sed ablativus videtur. Potius hoc fere exspectatur: *et si nos multitudinis furentis vis inflammata invidia pepulisset et tribunus aliquis in me populum - - incitasset.* — 12. *metallum* A B — *consularenturque* A, idem *nos non tam* in ras. habet — 13. verba *qui hoc facere debent*, iam ob praesens tempus suspecta, ut ineptum glossa exclusimus, profectum illud ab homine insulso, qui monendum putaret commune philosophorum officium esse alios consolari. — 15. *manere inprobā* A B — 16. *balde* B — *satus* B — *uideres* B — 17. *uidentem fuisset etiam* B — 18. *ciuitate* A^1 — 19. *tanto oppere* B — 21. *posse opsisti pernitiosae* B — *relinquerere* A — 22. *alio possit dici* A in ras. habet — 23. *prosus* A^1 B: *prorsus* A^2 O — *aut equidem* A B — 24. *uelim* A in ras., *uelin* B — 25. *nec* Madvig (Opusc. II, 162): *nunc* A B; *Q. Nunc mehercule. Att. Ego sane* etc. O — 26. *dissensio* B — *audiuimus* B — 27. *igitur* om. B — 28. *potest ad quam* B — *provocaret* Bake — 29. *commitatus* A B — 30. *iustum* B — *dii* B O — *immortalis repraesserunt* A, *immortali se perscripserunt* B — 31. *ex his* A B — *magistrum* B — *ceperunt* A.

populare *est* sane neminem in summum locum nisi per populum venire sublata cooptatione censoria. Sed praesto est huius viti temperatio, quod senatus lege nostra confirmatur auctoritas. 28. Sequitur enim: eius decreta rata sunto. Nam ita se res habet, ut, si senatus dominus sit publici consilii quodque is creverit defendant omnes, et, si ordines reliqui principis ordinis consilio rem publicam gubernari velint, possit ex temperatione iuris, cum potestas in populo, auctoritas in senatu sit, teneri ille moderatus et concors civitatis status, praesertim si proximae legi parebitur. Nam proximum est: is ordo vitio careto, ceteris specimen esto. *Q.* Praeclara vero, frater, ista lex *est*, sed [† et laterat et ut vitio careat ordo et] censorem quaerit interpretem. 29. *Att.* Ille vero etsi tuus est totus ordo gratissimamque memoriam retinet consulatus tui, pace tua dixerim, non modo censores, sed etiam iudices omnes potest defatigare.

XIII. *M.* Omitte ista, Attice. Non enim de hoc senatu nec iis de hominibus, qui nunc sunt, sed de futuris, si qui forte his legibus parere voluerint, haec habetur oratio. Nam cum omni vitio carere lex iubeat, ne veniet quidem in eum ordinem quisquam vitii particeps. Id autem difficile factu est nisi educatione quadam et disciplina, de qua dicemus aliquid fortasse, si quid fuerit loci aut temporis. 30. *Att.* Locus certe non deerit, quoniam tenes ordinem legum, tempus vero largitur longitudo diei. Ego autem, etiam si praeterieris, repetam a te istum de educatione et de disciplina locum. *M.* Tu vero et istum, Attice, et si quem alium praeteriero. Ceteris specimen esto. Quod si *tenemus*, tenemus omnia. Ut enim cupiditatibus principum et vitiis infici solet tota civitas, sic emendari et corrigi continentia. Vir magnus et nobis omnibus amicus, L. Lucullus, ferebatur quasi commo-

---

1. *populare est* Turnebus: *popularem* A B (*popularē* pro *populare ē*); *est* om. O — *nemine* A B — *uenires* B — 2. *censorias* B — *uiti* A¹ B: *uitii* A² O — 4. *rara sunto* B — 5. *quoque* A B — *defendat* A B — 6. *principes ordines* A B — 8. *in senatus it tinere illae moderatus* B, *in senatu - - concors ciui* A in ras. habet — 9. *lege prohibitur* B — *est* A in ras., *et* B — *ordoui uitio caret oeris speciement est* B — 10. *ista lex sed eclaterat* (*ellaterat* B, ut etiam in A legere possis, ubi verba fere evanuerunt) *et ut uitio careat ordo et censorem quaerat* A B (*careat - - quaerat* A in rasura scriptum habet): *ista lex est, sed et late patet, ut vitio careat ordo, et censorem quaerit* O partim cum Turnebo. Videtur scriptura, quae ad nos pervenit, antiquo glossemate foedata esse et verba glossae praescripta aliquod vitium traxisse (velut: *altera scil. ut vitio careat ordo*). Nulla enim probabilis causa excogitari potest cur Quintus legis verba tam brevi intervallo repetat, quae in illo «*ista lex*» iam satis significata erant. Quod autem editores ex Turnebi coniectura fere scripserunt «*et late patet*», in hoc sententiae ordine nobis quidem non modo supervacaneum, sed etiam plane ineptum videtur. Coniunctionem *sed* ante illud «*censorem quaerit*» auctore Madvigio restituimus, qui in literis ad nos datis recte hoc monuit: «In laude legis poni non potest: *censorem quaerit interpretem*. Immo hoc dicitur, praeclaram esse legem, verum legem non suffecturam, nisi interpretem habuerit idoneum. Itaque scribendum: *sed censorem* etc.» — 12. *est totos* A¹ — 13. *retinent* A B — *placetuā dixerā* B, *pace tua dixerim* A in ras. — 15. *allicent enim de oc senatu* B — *necis* (*neciis* corr.) *de* A, *nec his de* B O — 17. *uoluerint habet oratione cum omni* B — 18. *ne* A¹ B²: *nec* A² B¹ — *quisquam* A B: *unquam quisquam* O — 19. *factū* A — *nisi educatioñ quadam* B, litteras *ne quadam et* A in ras. habet — 20. *dicimus* A B — *fortasse est quod fuerit* A B — *aut* B: *ad* A corr. in *at* — 21. *derit* A¹ — *quoniam* om. B — 22. *largitus* B — *repetam ab eis tum* B — 23. *tuere* B — 24. *praeteriero. Ceteris* Lambinus in marg.: *preteris* A B, *praeterii. Ceteris* O — *specionentes to quod sit* B — 25. *tenemus, tenemus* Bake: *tenemus* A B; *est, tenemus* O.

dissime respondisset, cum esset obiecta magnificentia villae Tusculanae, duo se habere vicinos, superiorem equitem Romanum, inferiorem libertinum: quorum cum essent magnificae villae, concedi sibi oportere, quod iis, qui inferioris ordinis essent, liceret. Non vides, Luculle, a te id ipsum natum, ut illi cuperent? quibus id, si tu non faceres, non liceret. 31. Quis enim ferret istos, cum videret eorum villas signis et tabulis refertas, partim publicis, partim etiam sacris et religiosis? quis non frangeret eorum libidines, nisi illi ipsi, qui eas frangere deberent, cupiditatibus eisdem tenerentur? XIV. Nec enim tantum mali est peccare principes, quamquam est magnum hoc per se ipsum malum, quantum illud, quod permulti imitatores principum exsistunt. Nam licet videre, si velis replicare memoriam temporum, qualescumque summi civitatis viri fuerint, talem civitatem fuisse: quaecumque mutatio morum in principibus exstiterit, eandem in populo secutam. 32. Idque haud paulo est verius quam quod Platoni nostro placet, qui musicorum cantibus ait mutatis mutari civitatum status: ego autem nobilium vita victuque mutato mores mutari civitatum puto. Quo perniciosius de re publica merentur vitiosi principes, quod non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in civitatem, neque solum obsunt, quod ipsi corrumpuntur, sed etiam quod corrumpunt plusque exemplo quam peccato nocent. Atque haec lex, dilatata in ordinem cunctum, coangustari etiam potest; pauci enim atque admodum pauci honore et gloria amplificati vel corrumpere mores civitatis vel corrigere possunt. Sed haec et nunc satis et in illis libris tractata sunt diligentius: quare ad reliqua veniamus.

XV. 33. Proximum est autem de suffragiis, quae iubeo nota esse optimatibus, populo libera. *Att.* Ita me hercule attendi, nec satis intellexi quid sibi lex aut quid verba ista vellent. *M.* Dicam, Tite, et versabor in re difficili ac multum et saepe quaesita, suffragia in magistratu mandando ac de reo iudicando atque in legum rogatione clam an palam ferri melius esset. *Q.* An etiam id dubium est? vereor ne a te rursus

---

1. *respondisse* aliquot dett. — *abiecta* B — 2. *duos* dett. aliquot — *interiorem* A B — 3. *oporte* B — 4. *iis* A²: *is* A¹ B, *his* O — *inferioris* Victorius: *interioris* A B, *tenuioris* O et dett. — *nonne* Lamb. — *adeid* A¹, *ad ei id* B — 7. *repertas* A B — *quis non frangeret* A in ras. habet — 8. *eorum* -- *frangere* A in marg. m. 2, sed admodum vetere — *eor libidinis* B — 9. *cupiditatibus eisdem* Lambinus et 2 dett.: *cupiditatis eiusdem* A B O (*deberent cupiditates, eisdem* Krause) — 10. *quamque est* A, *quamquē* B — 11. *permulte* B — *existunt* A, sed paulo post A¹ *exstiterit* — 14. *secutam* Stephanus: *secuturam* A, *securam* B — *idque aut* A B — 19. *ipsi quod* O — 21. *dilata* A, sed sup. versum add. syllaba *ta* — 22. *adque* A¹ — *pauci* A sup. lin. — 25. *proximum est autem* Stephanus et Manutius: *proximus autem est* A B, *proximum autem est* O. Recte monet Bake *proximus* natum esse ex *proximūst* eoque depravato *est* denuo additum esse — *deinsuffragiis* A B, in quo *dein de suffr.* latere potest. — 26. *mercule* A B — *• atiendi* A, *atiendi* B, in A nihil aliud nisi littera *s* (*me hercules*) erasa videtur. — 28. *difficile* B — *in* om. O — 29. *ac de reo* -- *palam* scripsi Madvigium potissimum secutus: *an de reo iudicando qui in lege aut rogatione clamant palam* A B; *aut reo iudicando,* [*aut*] *lege aut rogatione sciscenda, clam an palam* O. «Quae Bakius tolli volt, et apta sunt, ut statim significetur, plures esse causas, in quibus suffragia in comitiis ferantur, non eiusdem omnes generis, nec ab ullo adiecta essent. Sed recte vidit male distingui *in lege aut rogatione*, quoniam *lex rogatur*. Videtur Cicero scripsisse: *in magistratu mandando, in reo iudicando, in legum rogatione clam an palam ferri melius esset.*» MADVIG. Extrema sic emendanda censet Vahlen: *sciscendaque in lege aut rogatione* etc. — 30. *ferri* Bake: *ferre* A B O — *ATT. An* -- *dubium est? QUINT. Vereor ne* etc. O; haec omnia Quinto tribuenda esse recte vidit Bake, ut iam ante eum Lambinus fecerat.

dissentiam. *M.* Non facies, Quinte. Nam ego in ista sum sententia, qua te fuisse semper scio, nihil ut fuerit in suffragiis voce melius, sed optinerene iam possimus videndum est. 34. *Q.* Atqui, frater, bona tua venia dixerim, ista sententia maxime et fallit imperitos et obest saepissime rei publicae, cum aliquid verum et rectum esse dicitur, sed optineri, id est, obsisti posse populo negatur. Primum enim obsistitur, cum agitur severe; deinde vi opprimi in bona causa est melius quam malae cedere. Quis autem non sentit omnem auctoritatem optimatium tabellariam legem abstulisse? quam populus liber numquam desideravit, idem oppressus dominatu ac potentia principum flagitavit. Itaque graviora iudicia de potentissimis hominibus exstant vocis quam tabellae. Quam ob rem suffragandi nimia libido in non bonis causis eripienda fuit potentibus, non latebra danda populo, in qua bonis ignorantibus, quid quisque sentiret, tabella vitiosum occultaret suffragium. Itaque isti rationi neque lator quisquam est inventus nec auctor umquam bonus.

XVI. 35. Sunt enim quattuor leges tabellariae, quarum prima de magistratibus mandandis. Ea est Gabinia, lata ab homine ignoto et sordido. Secuta biennio post Cassia est de populi iudiciis, a nobili homine lata, L. Cassio, sed — pace familiae dixerim — dissidente a bonis atque omnis rumusculos popularis aurae aucupante. Carbonis est tertia de iubendis legibus ac vetandis, seditiosi atque inprobi civis, cui ne reditus quidem ad bonos salutem a bonis potuit adferre. 36. Uno in genere relinqui videbatur vocis suffragium, quod ipse Cassius exceperat, perduellionis. Dedit huic quoque iudicio C. Caelius tabellam doluitque, quoad vixit, se, ut opprimeret C. Popilium, nocuisse rei publicae. Et avus quidem noster singulari virtute in hoc municipio, quoad vixit, restitit M. Gratidio, cuius in matrimonio sororem, aviam nostram, habebat, ferenti legem tabellariam: excitabat enim fluctus in simpulo, ut dicitur, Gratidius, quos post filius eius [Marius] in Aegaeo excitavit mari. Ac nostro quidem avo, cum res esset ad se delata,

---

1. *dissentenliam* B — *istã* B — 2. *qua te* A rasura ex *quante* — *fuis is sesemper* B — *flerit* A¹ — 3. *optinerene iam possimus* scripsimus praeeunte Madvigio: *optinere* (*optineri* B corr.) *an possunt* A B, *oblineri an possit* O. De vitioso *an* in lectione vulgari v. Madvigii Opusc. II, 163, qui ipse scribendum esse coniecit: *sed optinerine iam possit.* — *atqui* Feldhuegel et Halm: *quia* A, *qua* B, *sed* (vel *quamquam*) Goerenz, om. O — 4. *fallat* B — *sed obest* A, *sed obem* B — 5. *uere et* A, *uer et* B — 6. *optinere* (*obt.* B) A B — 7. *vi* om. B — *obprimi* A¹ — 8. *male* A — *caedere* A B — *quis* Manutius: *qui* A B — 9. *tabellaria lege abstulisset* A, *tabellaria legio oblulisset* B — 10. *obpressus* A¹ — 11. *vocis* Turnebus: *uoces* A B — *quanta bellae* A B — 12. *quam ob rem suffragandi nimia* A in ras. habet. — 13. *bonus ignorantibus* B — 14. *sentire* A¹ — *occultareeis* B — 15. *ratione* B — 16. *tabellarii aequarum* B — 17. *alta ab* B — 18. *casia* B — *populo* A, sed corr. m. 1. — *iudiciis* Bake: *iudicio is* B, *iuditiois* A, *iudicio* O — 19. *L. lassio* B — 20. *omnes* O — *rumusculus* B — *popularis aurae* Bake: *populari ratione* A B O — *accupante* B — 21. *tercia* A — *deiuuendis* B — *ciues* A B — 23. *uidebã* A, *uideba* B — *causius* B — *exceperant* B — 24. *.c. coelius* A B — 25. *quod ad* A¹ — *quod aduxit* B — *se* Stephanus: *sed* A B — *C. Popilium* Stephanus: *.c. populum* A B — *nocuisse* Davies: *nocuissent* A B — 27. *quodadduxit* A B — 28. *habebant* A B — *fluctus* H. Ferrarius: *fletus* A B — 29. *Marius* om. A — *in aegreco* B — 30. *auo cum* Lambinus: *qui cum* A B, *auo* om. O — *ad se* A B vitiose, ut videtur: *ad senatum* Madvig — *delatam* (i. e. *delata M.*) A¹ B: *delata* A² O.

M. Scaurus consul «Utinam,» inquit «M. Cicero, isto animo atque virtute in summa re publica nobiscum versari quam in municipali maluisses!» 37. Quam ob rem, quoniam non recognoscimus nunc leges populi Romani, sed aut repetimus ereptas aut novas scribimus, non quid hoc populo optineri possit, sed quid optimum sit tibi dicendum puto. Nam Cassiae legis culpam Scipio tuus sustinet, quo auctore lata esse dicitur. Tu, si tabellariam tuleris, ipse praestabis; nec enim mihi placet nec Attico nostro, quantum e vultu eius intellego.

XVII. *Att.* Mihi vero nihil umquam populare placuit eamque optimam rem publicam esse dico, quam hic consul constituerat, quae sit in potestate optimorum. 38. *M.* Vos quidem, ut video, legem antiquastis sine tabella. Sed ego, etsi satis dixit pro se in illis libris Scipio, tamen ita libertatem istam largior populo, ut auctoritate et valeant et utantur boni. Sic enim a me recitata lex est de suffragiis: optimatibus nota, plebi libera sunto. Quae lex hanc sententiam continet, ut omnes leges tollat, quae postea latae sunt, quae tegunt omni ratione suffragium, ne quis inspiciat tabellam, ne roget, ne appellet. Pontes etiam lex Maria fecit angustos. 39. Quae si opposita sunt ambitiosis, ut sunt fere, non reprehendo: sin valuerint tantum leges, ut desinat ambitus, habeat sane populus tabellam quasi vindicem libertatis, dum modo haec optimo cuique et gravissimo civi ostendatur ultroque offeratur, ut in eo sit ipso libertas, in quo populo potestas honeste bonis gratificandi datur. Eoque nunc fit illud, quod a te modo, Quinte, dictum est, ut minus multos tabella condemnet, quam solebat vox, quia populo licere satis est. Hoc retento reliqua voluntas auctoritati aut gratiae traditur. Itaque, ut omittam largitione corrupta suffragia, non vides, si quando ambitus sileat, quaeri in suffragiis quid optimi viri sentiant? Quam ob rem lege nostra libertatis species datur, auctoritas bonorum retinetur, contentionis causa tollitur.

XVIII. 40. Deinde sequitur, quibus ius sit cum populo agendi aut cum senatu. Gravis et, ut arbitror, praeclara est lex: Quae cum populo quaeque in patribus agentur, modica sunto, id est modesta atque sedata; actor enim moderatur et fingit non modo men-

1. *utinamq; inquit* A (*consulti namque inquit* B); *utinam quidem, inquit* coni. Moser — *ista* B — *adque* A^1 — 3. *r. p. Romanae* dett. pauci — 5. *optinere* B — 8. *quantum∗e* A, *quanto me* B — *uultus* AB, sed in A *s* erasa — 9. *nihillum quam* A^1 — *popularem* B — *eam quam* B — 10. *dico* AB: *duco* O — 11. *potestatem* O — *vos quidem* Turnebus: *uosdem* $A^1 B^1$, *uos demum* $A^2 B^2$ O — 13. *ita libertatem istam* Klotz: *ista libertatem istam* A ante rasuram, '*istā libertatem istā* B, ∘∘∘∘ *libertatem istam* A^2, *istam libertatem ita* O cum Goerenzio — *ut∗* A — 14. *bonis* AB — 16. *tollet* A^1B, *tolleret* A^2O — 18. *etiam* A m. 2 in rasura — *obposita* A^1 — 19. *tantum*] *tamen* AB — *ut desinat* scripsi: *ut ne sim* AB, sed A et haec et syllabam sequentem *am* in ras. habet; *ut ne sint* O, in qua lectione vulg. et *ne* in sententia consecutiva vitiosum est et numerus pluralis nominis *ambitus*. — 20. *uindicent* A — *libertates* A^2 — 22. *ut in eo* Turnebus: *utine* AB — *ipsa* aliquot dett. — *honesta* A — 23. *flet* ed. Victoriana — 24. *minos* B — 25. *satis ē* A in ras. — *hoc ∗ ∗ retento* A (ex *hoc enim retento*?), *hoc reretento* B — 26. *traditur* AB: *tribuitur* Wyttenbach — 27. *uidis* B — *quid* A^2: *qui* A^1B — 28. *leges* B — 29. *retinet* B — *tollitor* A^1 — 31. *et* A^1 corr. m. 2 in *sed* — *praeclara est* scripsi: *praeclare* AB (ex *praeclaraē*), *est* om. O — *quae cum populo* om. AB — 32. *in* A sup. lin. — *aguntur* AB — 33. *atque ad sedata* B — *auctor* B, item A, ut ex spatio videtur; nam vox plane evanuit — *mentes* Lambinus.

tem ac voluntates, sed paene vultus eorum, apud quos agit. Quod est in senatu non difficile; est enim ipse senator is, cuius non ad auctorem referatur animus, sed qui per se ipse spectari velit. Huic iussa tria sunt: ut adsit; nam gravitatem res habet, cum frequens ordo est: ut loco dicat, id est rogatus: ut modo, ne sit infinitus; nam brevitas non modo senatoris, sed etiam oratoris magna laus est [in sententia]. Nec est umquam longa oratione utendum, nisi aut peccante senatu, quod fit ambitione saepissime, nullo magistratu adiuvante tolli diem utile est, aut cum tanta causa est, ut opus sit oratoris copia vel ad hortandum vel ad docendum: quorum generum in utroque magnus noster Cato est. 41. Quodque addit «causas populi teneto», est senatori necessarium nosse rem publicam, idque late patet: quid habeat militum, quid valeat aerario, quos socios [res publica] habeat, quos amicos, quos stipendiarios, qua quisque sit lege, condicione, foedere; tenere consuetudinem decernendi, nosse exempla maiorum. Videtis iam genus hoc omne esse scientiae, diligentiae, memoriae, sine quo paratus esse senator nullo pacto potest. 42. Deinceps sunt cum populo actiones, in quibus primum et maximum: vis abesto. Nihil est enim exitiosius civitatibus, nihil tam contrarium iuri ac legibus, nihil minus civile et humanum quam composita et constituta re publica quicquam agi per vim. Parere iubet intercessori, quo nihil praestantius; inpediri enim bonam rem melius quam concedi malae.

XIX. Quod vero actoris iubeo esse fraudem, id totum dixi ex Crassi, sapientissimi hominis, sententia: quem est senatus secutus, cum decrevisset C. Claudio consule de Cn. Carbonis seditione referente, invito eo, qui cum populo ageret, seditionem non posse fieri, quippe cui liceat concilium, simul atque intercessum turbarique coeptum sit, dimittere. Quod qui permovet, cum agi nihil potest, vim quaerit, cuius

---

1. *sed prae uultus* B — *quod est in sen. non diff.* scripsi: *quod si in senatu non difficile* AB, *quod in sen. non diff. est* O — 2. *ipse* AB: om. O — *se senaturis* B — *ab auctorem* AB; *ad actorem* O cum Turnebo — 3. *ipse spectari uelit* A in ras. habet — 5. *modenesit* B — 6. *sed etiam oratoris* B in marg. ab alia m. habet — *in sententia* Orellio auctore inclusi: *in sent. dicenda* Schuetz, quod tolerabilius foret quam quod adhuc legebatur, nec tamen ad locum persanandum sufficit. Adscripsit homo curiosus ad v. *senatoris* glossema «*in sententia*», significans quo pacto illa laus ad senatorem conveniret. — 7. *nisi ut peccante* AB — 8. *ambitione*] hoc vocabulum extremum est paginae extremae (390) in cod. B, sed servata sunt in pag 388 sq. verba *cum agi nihil potest* (III, § 42) usque ad *quoniam de religione* (III, § 48), ex qua parte Bakius lectiones discrepantes exscribere praetermisit; reliqua, quae scripta erant in folio secundo quaternionis XXI cum extrema parte libri de fato interciderunt; v. Bake p. 406. — 9. *aut* A mutatum m. 2 in *aut̃*, i. e. *autem* — *tante* A — *at hortandum* A[1] — 12. *qui ualeat* A[1], idem *aerario* in ras. habet — 13. *res publica* cum Manutio inclusimus — 15. *recernendi* A — *uidetes* A[1] — *omne esse* scripsi: *oms* A (pro *om̃s*); *esse* om. O — 16. *memoria . ē . ne* (*de* corr.) *quo* A (scil. *memoriae sine* abiit in *memoriaestne* in frequentissima confusione litt. *i* et *t*): *memoriae esse, sine quo* O — *esset* A — 19. *ac* A (sed in ras.): *et* O cum aliquot Lagg.; an fuit *aut*? — *minus civile et humanum* nos: *minus* • • *ciuile est* (*est et* corr. m. 2) *humanũs* (*humanius* A[2]) A, *minus et civ. et hum.* O; *minus et civ. et hum. est* Feldhuegel; at si *est* addendum sit, potius post *minus* videtur intercidisse; vide ne fuerit: *nihil minus est ciuile aut humanum* (*nihil minus et ciuile et humanumst* Vahlen) — 20. *quicquam agi* A in ras. — 21. *pręstius* A — 23. *actores* A — *dici* A — 24. *P. Crassi* Goerenz — *secutus* A: *consecutus* O cum Goerenzio — 25. *de Cn.* Lambinus: *dign.* A, *de C.* O — 27. *coemtum* A add. *p* sup. lin.; malim *coeptum est* — 28. *permouet* A, sed *u* ex corr. — *cum agi*] hic redit B, v. supra ad v. 8.

inpunitatem amittit hac lege. 43. Sequitur illud: Intercessor rei malae salutaris civis esto. Quis non studiose rei publicae subvenerit hac tam praeclara legis voce laudatus? Sunt deinde posita deinceps, quae habemus etiam in publicis institutis atque legibus: auspicia servanto, auguri parento. Est autem boni auguris meminisse *se* maximis rei publicae temporibus praesto esse debere Iovique optimo maximo se consiliarium atque administrum datum, ut sibi eos, quos in auspicio esse iusserit, caelique partes sibi definitas esse traditas, e quibus saepe opem rei publicae ferre possit. Deinde de promulgatione, de singulis rebus agendis, de privatis magistratibusve audiendis.

44. Tum leges praeclarissimae de duodecim tabulis tralatae duae, quarum altera privilegia tollit, altera de capite civis rogari nisi maximo comitiatu vetat. Et nondum notis seditiosis tribunis pl., ne cogitatis quidem, admirandum tantum maiores in posterum providisse. In privatos homines leges ferri noluerunt; id est enim privilegium: quo quid est iniustius? cum legis haec vis sit, ut sit scitum et iussum in omnis. Ferri de singulis nisi centuriatis comitiis noluerunt. Discriptus enim populus censu, ordinibus, aetatibus plus adhibet ad suffragium consilii quam fuse in tribus convocatus. 45. Quo verius in causa nostra vir magni ingenii summaque prudentia, L. Cotta, dicebat nihil omnino actum esse de nobis; praeter enim quam quod omnia illa essent armis gesta servilibus, praeterea neque tributa capitis comitia rata esse posse neque ulla privilegii: quocirca nihil nobis opus esse lege, de quibus nihil omnino actum esset legibus. Sed visum est et vobis et clarissimis viris melius, de quo servi et latrones scivisse aliquid dicerent, de hoc eodem cunctam Italiam quid sentiret ostendere.

XX. 46. Sequitur de captis pecuniis et de ambitu. Quae quoniam magis iudiciis quam verbis sancienda sunt, adiungitur noxiae poena par esto, ut in suo vitio quisque plectatur: vis capite, avaritia multa,

---

1. *amitti* AB — *ac* A¹ — *lege quitur* AB — *rei* A in ras. — 2. *studio*se** R̃P.* A, *studior se R̄. P̄.* B — 3. *ac* A — 5. *seruantor* A¹ ante rasuram — *auguri p.* (i. e. *publico*) *parento* coni. Orelli, ut est § 11. — *augures* B — *se* Lambinus: om. AB — 6. *obtimo* A¹ — 7. *in auspitia esse* A, *in auspiciaese* B — 9. *saepe* A: *sae* B — *opem rei p. ferre* Manutius (is tamen *rei p. ferre opem*): *opemrepferret** A, *opem rep̃ ferret* B — *de* om. B — 11. *praeclarissimas* B — *tralatae* A: *traslatae* B, *translatae* O — 12. *tolli* AB — 13. *comitiatu* Stephanus: *comitatu* AB — *uela* B — *notis* Davisius: *intis* AB; *inventis* Turnebus, *cognitis* corr. in cod. Memmiano, *natis* O cum Goerenzio — *seditio nsis* B — *ne cogitatis* Lambinus: *negotia*is* (*a is* in ras.) A, *negotia his* B — 14. *maioris* AB — *priuatos* A: *prouidatos* B, *privos* O cum Scaligero et Puteano — 16. *leges* B — *vis sit, ut sit scitum et iussum* Rath: *uis sit scitum ẽ* (i. e. *est*) *iussum* AB; *vis sit ut unum sit ius in omnes* Madvig Opusc. II, 165 — *omnis* A: *omnes* BO — 17. *singulis si* A, ut videtur in scriptura iam fere exstincta, *singulisi* B — *descriptus* ABO — 18. *consilii* Stephanus: *silii* A¹B, *auxilii* A² — 19. *fusae* AB, *confuse* coni. Davies — 20. *magno ingenio* O cum Davisio — 21. *omnia* scripsi: *amici*a* A¹, *amicitia* A²B, *comitia* O; possis etiam *cuncta* conicere; conf. de loco etiam Madvigii Opusc. II, 165. — 22. *posse neque* Turnebus: *possentequo* A¹B, *possent neque* A corr. — 23. *priuilegia* A² — *esse legibus* B — *nihi* A — 24. *uobis* AB: *nobis* O — 25. *seruiat* A, fort. ex *serui atq.* — *latrones scivisse* Turnebus (sed is, ut O, *scivisse se*): *patronis ciuisse* AB — *aliquit* B — 26. *cuntam* A, *cunctum* B — *sentirẽ* AB — 27. *sequitur* A: *sequit* B, *sequuntur* O — *de ambitu. Quae -- sancienda* Bake: *de ambitu leges quae* (*legisq;* B) -- *sanciendae* AB; *de ambitu leges. Quae -- sancienda* O — *quoniam* Feldhuegel: *cum* (vel *quum*) ABO — 28. *sunt* AB: *sint* O — *noxie paena* B — 29. *ut*] *et* AB — *auaria* A¹B.

honoris cupiditas ignominia sanciatur. Extremae leges sunt nobis non usitatae, rei publicae necessariae. Legum custodiam nullam habemus, itaque eae leges sunt, quas adparitores nostri volunt: a librariis petimus, publicis litteris consignatam memoriam publicam nullam habemus. Graeci hoc diligentius, apud quos νομοφύλακας creantur; nec ii solum litteras — nam id quidem etiam apud maiores nostros erat —, sed etiam facta hominum observabant ad legesque revocabant. 47. Haec detur cura censoribus, quando quidem eos in re publica semper volumus esse. Apud eosdem, qui magistratu abierint, edant et exponant, quid in magistratu gesserint, deque iis censores praeiudicent. Hoc in Graecia fit publice constitutis accusatoribus, qui quidem graves esse non possunt, nisi sunt voluntarii. Quocirca melius est rationes referri causamque exponi censoribus, integram tamen legi, accusatori iudicioque servari. Sed satis iam disputatum est de magistratibus, nisi forte quid desideratis. *Att.* Quid? si nos tacemus, locus ipse te non admonet, quid tibi sit deinde dicendum? *M.* Mihine? de iudiciis arbitror, Pomponi; id est enim iunctum magistratibus. 48. *Att.* Quid? de iure populi Romani, quem ad modum instituisti, dicendum nihil putas? *M.* Quid tandem hoc loco est quod requiras? *Att.* Egone? quod ignorari ab iis, qui in re publica versantur, turpissimum puto. Nam ut modo a te dictum est leges a librariis peti, sic animadverto plerosque in magistratibus ignoratione iuris sui tantum sapere, quantum adparitores velint. Quam ob rem, si de sacrorum alienatione dicendum putasti, quom de religione leges proposueras, faciendum tibi est ut, magistratibus lege constitutis, de potestatum iure disputes. 49. *M.* Faciam breviter, si consequi potuero; nam pluribus verbis scripsit ad patrem tuum M. Iunius sodalis, perite meo quidem iudicio et diligenter. Nos autem de iure naturae cogitare per nos atque dicere debemus, de iure populi Romani quae relicta sunt et tradita. *Att.* Sic prosum censeo et id ipsum, quod dicis, exspecto.

---

1. *cupitas* A^1B (*a* A in ras.) — *santiatur* A, *senciatur* B — 2. *sitate* B — 3. *eae leges* A: *ea lege* B, *hae leges* O — 4. *consignata* B — 5. *nomophylaces* AB — *creabantur* Bake probabiliter — *nec ii* edd. vett.: *nei* AB, *nec hi* O, *nec* alii — 8. *curaccessoribus* B — 9. *ab eosdem qui magistrati* B — *exponat* B — 10. *deq; in censore* B — 11. *graue* B — 12. *ni* A^1 — *sunt* AB: *sint* O — *uoluntariis* B — *est* om. AB — *rationis* AB — *referre causaque* A — 13. *integrum* B — *legi* AB: *legem* O cum dett., quae est lectio plane perversa, melius Lambinus *rem*; sed quid est quod offendat in hac sententia: *integram causam legi servari*? Graviter autem falsus est Feldhuegel opinans *que* in tertio membro, cum absit copula inter primum et secundum, locum habere non posse. — 14. *iam*] *etiam* AB — 15. *si nos*] *si ñ* (= *non*) A, *sin* B — *te* AB: om. O — 16. *dicendum* A corr.: *dicen* A^1, *dicem* B — 17. *quodeiure* B — 19. *est quid* AB — *ab his* AB — 21. *leges* A, sed *s* in ras., *legibus* B — *peti* Manutius: *lego* ABO — *plerosque* Stephanus: *rosque* B, *quosque* AO — 22. *aparitores uellint* B — 23. *cum* dett. multi; *q͠m* ABO (*quoniam* pro *quom*) — *de religione*] in his verbis deficit B — 25. *obconstitutis* A — *potestatetum* A; *de potestate eorum et iure* coni. Bake — *faciem* A^1 — 26. *nam*] *non* A — 27. *sodalię peritum meo quidem iuditio et diligent* A — *nos autem* Bake: *nos at* (*t* ex corr.) A, *At* O — 28. *naturae cogitare* Turnebus: *nate cogitari* A — *atque* Turnebus: *et quae* A — 29. *sic prosum* scripsimus: *sic procum* A; *sic profecto* edd. nulla, ut videtur, codicum auctoritate — 30. *quę dicis specto* A — *M̃. TVLLI CICERONIS DE LEGIBUS LIBER III. EXPLICIT.* A.

Fragmenta librorum de legibus.

1. Lactantius instit. div. V, 8. *Nunc autem mali sunt ignoratione recti ac boni. Quod quidem Cicero vidit; disputans enim de legibus:* Sicut una, *inquit*, eademque natura mundus omnibus partibus inter se congruentibus cohaeret ac nititur, sic omnes homines inter se natura confusi pravitate dissentiunt, nec se intellegunt esse consanguineos et subiectos sub unam eandemque tutelam: quod si teneretur, deorum profecto vitam homines viverent.

2. Lactantius inst. div. I, 20. Magnum *Cicero* audaxque consilium suscepisse Graeciam dicit, quod Cupidinum et Amorum simulacra in gymnasiis consecrasset; *adulatus est videlicet Attico et irrisit hominem familiarem.*

3. Lactantius inst. div. III, 19. *At illi, qui de mortis bono disputant, sic argumentantur: si nihil est post mortem, non est malum mors; aufert enim sensum mali. Si autem supersunt animae, est etiam bonum, quia immortalitas sequitur. Quam sententiam Cicero de legibus sic explicavit:* Gratulemurque nobis, quoniam mors aut meliorem quam qui est in vita aut certe non deteriorem adlatura est statum; nam sine corpore animo vigente divina vita est, sensu carente nihil profecto est mali.

4. Augustinus de civ. dei XXI, 11. Octo genera poenarum in legibus esse *scribit Tullius*, damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, mortem, servitutem. (*Eadem verba sic affert Isidorus Origg.* V, 27: Octo genera poenarum in legibus contineri *Tullius scripsit*, damnum - - servitutem et mortem. *His namque poenis vindicatur omne perpetratum peccatum.*)

5. Servius ad Verg. Aen. V, 16. *Cicero ait in libris legum:* Stipem prohibeo; nam auget superstitionem et exhaurit domos: dignis igitur largiendum est.

6. Macrobius de differentiis et societatibus Graeci Latinique verbi 17, 6. *Graeci in coniunctivo modo tempora bina coniungunt, proprium Latinorum est, ut modo indicativa pro coniunctivis, modo coniunctiva pro indi-*

8. Feldhuegelius hoc fragmentum ad librum IV de re publica pertinere arbitratur. — 12. Bake statuit fragmentum de quo agitur errore quodam a Lactantio ex alio libro ad hos de legibus translatum esse; cf. eius prolegomena p. XXXIV sq. — 18. *carenti* O — 19. «Merito Bakius, cum ante iam Orellius dubitasset, utrum verbis *in legibus* Ciceronis de legibus libri an leges Romanae designarentur, haec verba ad libros de Rep. dixit pertinere, qui multum ab Augustino essent usurpati, verbaque *in legibus* nihil aliud quam duodecim tabulas significare, in quibus octo poenarum genera Cicero laudasset.» Feldhuegel. — 25. «Repetita haec esse ex II, § 40 nemo non videt. Hoc unum quaeritur, Ciceronisne sint verba postrema «*dignis igitur largiendum est*» an Servii. Atque etiamsi a Servio haec ita enuntiari concedas, quasi Ciceronis sint, atque ex Lactantio VI, 12 cognoscas a Cicerone haec verba esse alicubi usurpata, certum tamen est hoc consectarium ab hoc loco alienum esse, quoniam quidem, quando dari stipem vellet, iam significaverat causa simul addita cur istud praecepisset. Ceterum ipsum verbum *prohibeo*, quo Servius utitur, cum apud Ciceronem sit *sustulimus*, memoriter haec a Servio laudari demonstrat.» Feldhuegel. — 28. Hoc fragmentum in nostra editione primum accessit.

…vis ponant. *Cicero de legibus tertio:* Qui poterit socios tueri, si dile-
rer … lium et inutilium non habebit?

7. … ius Saturn. VI, 4, § 8. *Sunt qui aestiment hoc verbum*
brac- … *ilio auctore conpositum, cum Varro rerum divinarum libro*
no … Nonnullis magistratibus in oppido id genus umbraculi
… *icero in quinto de legibus:* Visne igitur, quoniam sol pau-
… ie iam devexus videtur nequedum satis ab his novellis
… s hic locus opacatur, descendamus ad Lirim eaque quae
… alnorum umbraculis persequamur?

—

… *ectum -- habebit* interciderunt apud Macrobium; nam ab eo adscripta
… mentatione apparet: servavit illa eius epitomator, Auctor incertus
… ed. Endlich. — 2. *rerum* Endlicher: *uerum* cod.; male tamen idem
… am coniecturam cupidius secutus est Ian in edit. Macrobii I, 290. —
… O.

SUPPLEMENTUM ADNOTATIONIS CRITICAE
AD RELIQUIAS LIBRORUM DE RE PUBLICA
EX SCHEDIS DETLEFSENII.

Pag. 760, 1. QUISDEM C.

» 761, 16. REDDERE UERO ILLO SE LOCO C. Lineis super *uero illo se* indicatur hunc ordinem verborum «*illo uero se*» restituendum esse.

» 761, 27. TELIS correctum est non ex TEUIS, sed ex TELLIS, littera L male geminata.

» 762, 2. Scriptura CUIUS correcta est in CIUIS (non in CIUES), ut ipsi ex coniectura scripsimus.

» 762, 4. EXILIUM C.

» 762, 25. FLUMINIB. C, v. supra ad 761, 16.

» 764, 4. NECESSITATE COGANTUR CUM QUOD EST MULTO PROCLIUIUS NULLA NECESSITATE REMP. C.

» 764, 4. REGERE C iam prima manu, sed cum littera G ob maculam atramenti non satis distincta videretur, eadem iterum super lineam posita est.

» 764, 22. PROPRIUS C distincte.

» 766, 10. ETPHILOTEO sic C pr. m., littera T secunda manu in L correcta. Scriptura igitur primae manus *Philoteo* a secunda in *a Philolao* emendata est. Priorem A super ET etiam Theod. Heysium, cum olim codicem inspiceret, vidisse Detlefsen confirmat.

» 766, 18. INLECTUSUO C. Scriptura LECTŪ, quam Du Rieu sibi vidisse visus est, in medio versu locum habere non potuit, quia ū pro UM nusquam legitur in cod. nisi in exitu versus.

» 766, 26. INQUIDPHILUS C littera L, ut videtur, erasa.

» 767, 21. QUEQ.ADREMP. C.

» 768, 31. DISSIMILLIMIS C.

» 769, 29. CUMQUODCUM C priore CUM lineis transversis deleto.

» 770, 4. AUTEXHOC C A expuncta.

» 770, 10. AFRICANAE C postrema A expuncta.

» 770, 17. ADFLIXI littera L, ut videtur, erasa.

» 770, 25. SEXO C.

» 771, 8. ARBITRIO C, litt. I ante O erasa.

» 772, 26. QUERENDA C.

» 773, 1. POPULISNAM C.

» 773, 15. SCIEMUS C litt. E ante M erasa.

Pag. 773, 21. IAM C pr. m., QUAM C sec. m.

» 773, 24. ALIQ.RAMUS C, i. e. ALIQUERAMUS pr. m. ALIAQUAERREMUS sec. m. Q. enim, ut scribit Detlefsen, est in cod. idem quod *que*, Q̄., ut h. l. sec. m. correctum est, saepe scriptum est eius loco quod est *quae*.

» 774, 13. MELIOREGO C cum virgula post R (R'), qua significatur hanc vocem a sequente dirimendam esse.

» 774, 22. C distincte habet: ANTEPONĒ|TEMSET.

» 775, 3. ETIAMGREDIAR C litteris AM expunctis.

» 775, 8. UNUM|QUAM C priore U linea quoque transversa expuncta.

» 775, 14. PROGENIĀE C.

» 818, 34. NOS|QUAMIUSTITIĀ| C, sed A in QUAM expuncta.

» 818, 36. sum] sū C expuncta A post ū.

» 821. 1. NOSOMNISAGROS| N expuncta C, unde *omnis* in exemplari corrigendum est.

» 821. 8. scribendum: *dicimur*.

» 821, 26. ERANT A punctata C.

» 823, 5. CIUITATES E deleta C.

» 824, 4. ARCADS C.

» 824, 8. INEACAUSA deleta E C.

824, 11. NECANT C.

» 825, 1. QUODI|ISINSI|GULIS C.

» 825, 2. INIUS|TĀE C.

» 825, 6. EX.SC. C.

» 829, 10. PULCHE|RIMAM C.

» 830, 19. Lectio «EASE C» pertinet ad v. *esse* in versu 21.

» 831, 21. REGEMFORTAS|NONTAM C; syllaba AS uno ductu spatii causa scripta est, ut p. 821, 1 OS in AGROS. Iam veri simile est sic corrigendum esse: *cogitato Romulum aut Pompilium aut Tullium regem: fortasse non tam (iam?) illius te rei publ. paenitebit.*

» 831, 28. ATRUBIQ. C.

» 835, 9. MITITIA priore T deleta C.

» 835, 10. CON|TRACTATIONIS, litteris A et I expunctis, C.

» 840, 16. non habet C AUT, sed AUT̄, i. e. *autem*.

» 840, 21. CULTURĀ C (non CULTURA), ut iam lectio *culturam* reducenda sit.

» 841, 1. QUENDAM C (erravit Du Rieu).

» 841, 3. DISCILINIS C.

» 841, 4. ADFLICTIS F expuncta C.

» 841, 9. ECCEQUICQUĀ C; errore Maii detecto iam *esse quicquam* reducendum est.

M. TULLII CICERONIS OPERA, QUAE SUPERSUNT OMNIA ac deperditorum fragmenta recognovit Io. Casp. Orellius. Voluminis V. Pars I et II.

Auch unter dem Titel:

M. TULLII CICERONIS SCHOLIASTAE,

C. Marius Victorinus, Rufinus, C. Iulius Victor, Boethius, Favonius Eulogius, Asconius Pedianus, Scholia Bobiensia, Scholiasta Gronovianus

ediderunt

Io. Casp. Orellius et Io. Georgius Baiterus.

Partes duae: 56 Bogen, Lexiconformat.

Ord. Pap. 4 Rthl. — 6 fl. Postpap. 5 Rthl. — 7 fl. 30 kr.

☞ Dieses allen Philologen und Juristen gleich unentbehrliche Werk bildet theils den fünften Band des Orellischen Cicero, theils eine wünschenswerthe Ergänzung jeder andern Ausgabe des Römischen Redners. *Julius Victor* und die vollständigen *Scholia Bobiensia* erschienen in Deutschland hier zum erstenmale. Rücksichtlich auch der übrigen Scholiasten haben sich die Bearbeiter alle Mühe gegeben, dieselben mit Hülfe werthvoller Handschriften und alter Ausgaben zu berichtigen: namentlich ist *Asconius* durch Herrn Dr. Baiter von den zahllosen Interpolationen Hotoman's u. a. gesäubert worden. Der *ungemein niedrig angesetzte Preis* berechtigt uns zu der Hoffnung, *dass ausser den zahlreichen Abnehmern unsers Cicero, noch viele andere Freunde der Römischen Literatur sich geneigt finden werden, diese erste kritische Bearbeitung sämmtlicher Scholiasten sich anzuschaffen.*

ONOMASTICON TULLIANUM

CONTINENS

M. TULLII CICERONIS VITAM

HISTORIAM LITERARIAM

INDICEM GEOGRAPHICUM ET HISTORICUM, INDICEM LEGUM ET FORMULARUM, INDICEM GRAECOLATINUM, FASTOS CONSULARES.

CURAVERUNT

Io. Casp. Orellius et Io. Georgius Baiterus

PROFESSORES TURICENSES.

3 Volumina. Lexiconformat. Ord. Pap. 9 Rthl.; 13 fl. 30 kr. Postp. 11 Rthl.; 16 fl. 30 kr.

Als einen Hauptvorzug dieses Onomasticon darf man es betrachten, dass die Verfasser die Zeitgenossen Cicero's, Varro, Caesar, Sallust, so wie die sämmtlichen Scholiasten, von Asconius Pedianus an, vollständig auszogen und ihre Zeugnisse den Ciceronischen einreihten, wie es sich von selbst versteht, mit steter Rücksicht auf die übrigen Römischen Geschichtsschreiber.

Die übrigen Zugaben sind: 1) die vielfach berichtigte Vita Ciceronis, von Georg Fabricius; 2) die Historia litteraria M. Tullii Ciceronis, worin aus Autopsie und sorgfältiger Benutzung neuer bibliographischer Werke sehr vieles zuerst genau angegeben wird; 3) eine chronologische Berichtigung der Briefdaten von Herrn Dr. Koeb; 4) der von Herrn Professor Baiter ganz neu bearbeitete und dadurch vielfach berichtigte und vervollständigte Index Graecolatinus; 5) Index legum; 6) Index formularum, ganz neu bearbeitet; 7) Fasti Consulares nach den neuesten Forschungen.

Wir bemerken, dass dieses Onomasticon Tullianum eine nothwendige Ergänzung zu allen Ausgaben Cicero's bildet und desshalb auch einzeln von uns erlassen wird.

M. TULLII CICERONIS
FRAGMENTA
I. C. ORELLII SECUNDIS CURIS RECOGNITA.

A. FRAGMENTA ORATIONUM
MAGNAM PARTEM SUPERSTITUM.

I. FRAGM. ORATIONIS PRO P. QUINCTIO.

Hoc fragmentum ad extr. orationis cap. 27. referri solet, ubi Cicero, quid sit latitare, videtur potuisse dicere. Ulpianus enim, cui hoc ἀποσπασμάτιον debemus, (lib. 59. ad Edict.) hoc modo: Latitare est, inquit, non, ut Cicero definit:

Turpis occultatio sui; (L. 7. §. 4. D. quibus ex causis in possessionem eatur — 42, 4. —)

II. FRAGM. ORATIONIS PRO ROSCIO COMOEDO.

1. *Hoc sibi quisque proponat, quo minus fucatis capiatur officiis.*

2. *Rara res est amicitia.*

3. *Quid enim tam simplex apertumque est? Atqui non tam in alto latet aurum argentumque.*

4. *Hasce ore adverso inuri cicatrices ac notas virtutis accipitis, ne quod accipiat fama voltus perhorrescit, quem nunquam incursione hostium commovere.*

5. *Erat mecum autem ubique inveniri sine ullo labore, sine ulla investigatione.* (Haec omnia e cod. Ms. Vatic.)

B. FRAGMENTA ORATIONUM
DEPERDITARUM.

I. PRO L. VARENO.

Arg. Haec oratio incertum, quando, vel, ut Schützius cum Fabricio in Vita Ciceronis arbitratur, dicta est anno U. 634. Varr. Aufidio Oreste et Lentulo Coss. pro L. Vareno, reo inter sicarios, quod Cn. Varenum vulnerasset, C. Varenum occidisset. Damnatus est autem Lucius. — Nobbe.

1. Amici deficiunt, cognati deserunt. (Severiani Syntomat. Rhetor. c. de affectibus p. 345. ed. Capperon.)

---

10. De his Fragmentis minime Tullianis, in quibus tamen a Caëtano Meliore decepti sunt editores inde ab Ernestio, cf. Niebuhr *Fragmm. Oratt.* p. 79 et 102.

2. In inimicissima civitate urgent, instant, insequuntur: studio multitudine, pecunia periurio pugnant. (Idem ibidem.)

3. C. Ancharius Rufus fuit e municipio Fulginate. (Priscian. l. VII. c. 14. §. 70.)

4. In praefectura Fulginate. (Idem ibid.)

5. Cum iter per agros et loca sola faceret cum Pompuleno, in familiam Anchariauam incidisse dixerunt: deinde Pompulenum occisum esse, illico Varenum vinctum asservatum, dum hic ostenderet, quid de eo fieri vellet. (Quint. l. V. c. 13. §. 28.)

6. Lege de sicariis commisit L. Varenus. Nam C. Varenum occidendo et Cnaeum volnerando et Salarium item occidendo cadit. (Idem l. VII. c. 1. §. 9.)

7. Tum C. Varenus, is, qui a familia Anchariana occisus est. Hoc quaeso, iudices, diligenter attendite. (Idem l. IV. c. 1. §. 74. et l. IX. c. 2. §. 56.)

8. L. ille Septimius diceret (etenim est ad L. Crassi eloquentiam gravis et vehemens et volubilis): Erucius hic noster Antoniaster est. (Priscian. l. III. c. 7. §. 40. Quint. l. VIII. c. 3. §. 22.)

9. Ea caedes si potissimum crimini datur, detur ei, cuia interfuit, non ei, cuia nihil interfuit. (Prisc. l. XII. c. 6. §. 29.)

10. Optio vobis datur, utrum velitis casu illo itinere Varenum usum esse, an huius persuasu et inductu. (Quint. l. V. c. 10. §. 69.)

11. Deum fidem. (Prisc. l. VII. c. 6. §. 25.)

12. [Testes sunt multae multorum orationes, et Ciceronis pro Murena, pro Vareno, in quibus brevis et nuda quasi subscriptio criminum solis titulis indicatur.] (Plinius Epist. L. 1, 20, 7.)

13. Contra iuvenem, cuius subinde volnus in iudicio resolvebatur, pro Vareno multa dixit urbane. (Quintil. 6, 1, 49. cfr. etiam 7, 2, 10 et 36.

14. «Incidunt causae, in quibus quod summam habet quaestionis, magna ex parte tractandum sit et sic ponenda narratio, ut pro Vareno et bis pro Habito». (Severiani Synt. Rhet. p. 305. Pith.)

II. CUM QUAESTOR LILYBAEO DECEDERET.

(Habita est oratio L. Licinio Lucullo, M. Aurelio Cotta Coss. 680. p. U. c.)

Quod non detrectare militiam, sed defendere provinciam iudicata est. (Arusianus Messius p. 226. Lind.)

III. PRO P. OPPIO.

Arg. Haec actio habita est anno fere 687. p. U. c. M. Aurelio Cotta ex Asia Romam reverso (cf. Dio. XXXVI, 23.) a quo procos. P. Oppius quaestor, quod repetundarum insidiarumque suspicionem sibi contraxerat, in Urbem erat relegatus. Huius patrocinium Cicero suscepit, Cotta reum testimonio suo urgente. Nobbe. (Cf. Salustii *Fragm. Histor.* L. 3. p. 978. Cort. p. 236. Gerlach. «At Oppius postquam orans nihil proficiebat, timide veste tectum pugionem expedire conatus, a Cotta Volscioque impeditur».)

---

10. *Occidendum - - volnerandum - - occidendum curavit* Gesneri susp. — 19. *si crimini datur, detur ei potissimum* Patricii susp.

1. Utrum cum Cottam appetisset, an cum ipse sese conaretur occidere, telum ei e manibus ereptum est? (Quint. l. V. c. 10. §. 69.)

2. Quos educere invitos in provinciam non potuit, eos invitos retinere qui potuit? (Id. l. V. c. 10. §. 76.)

3. At enim non veri simile est tantum scelus M. Cottam esse commentum. Quid? hoc veri simile est, tantum scelus Oppium esse conatum? (Id. l. V. c. 13. §. 30.)

4. Questusque mecum est. (Arusianus p. 257. Lind.)

5. Etenim multum posse ad salutem alterius, honori multis: parum potuisse ad exitium, probro nemini unquam fuit. (Ammian. Marcell. l. XXX. c. 8. §. 7.)

6. O amorem mirum! o benevolentiam singularem! (Quint. l. IX. c. 2. §. 51.)

7. «Fortissime invaseris, quod est aut omnibus periculosum, - - aut ipsis iudicibus, ut pro Oppio monet pluribus, ne illud actionis genus in equestrem ordinem admittant». (Idem l. V. 13, 21.)

8. «Obicitur Oppio, quod de militum cibariis detraxerit: asperum crimen; sed id contrarium ostendit Cicero, quia iidem accusatores obiecerint Oppio, quod is voluerit exercitum largiendo corrumpere». (Idem l. V. c. 13. § 17.)

9. «Infinitum est, ut Cicero Cottae detraxerit auctoritatem». (Idem l. VI. c. 5. §. 10.)

10. «Cicero, quamquam erat in Cottam gravissime dicturus neque aliter agi P. Oppii causa poterat, longa tamen praefatione excusavit officii sui necessitatem». (Idem l. XI. c. 1. §. 68.)

11. «Proparasceue est, qua nobis iudicem praeparamus, cum aut quaedam nobis obstant, et illis prius occurrendum est, ut fecit Cicero pro Oppio contra M. Cottae auctoritatem, cet». (Fortunatianus A. Rh. Schol. 4, 2. p. 61. Pith.)

12. Misericordiam movemus, si ab iis nos oppugnari dicimus, quorum auxilio freti esse deberemus, ut Cicero pro Oppio. (Severianus Syntom. Rh. p. 310. Pith.)

13. («Intuendum an actio sit crudelis»): ut in Oppium ex epistola Cottae reum factum. (Quint. 5, 13, 20.)

IV. PRO C. MANILIO.

Arg. Hunc defendit Cicero aut quod, ut Asconius scribit, iudicium Cornelius per operarum duces turbavisset, aut Plutarcho referente repetundarum reum, anno 688. p. U. c. (cf. Cassium Dionem 36, 25.)

Hic ego non solum confiteor, verum etiam profiteor. (Non. v. Confiteri p. 434.)

V. PRO M. FUNDANIO.

(Haec oratio habita est a. U. 688.)

1. Non modo hoc a Villio Annale, sed vix mehercule a Q. Mutone factum probari potest. (Prisc. l. VII. c. 11. §. 58.)

2. Essetne id, quod Meno nuntiasset. (Idem l. VI. c. 6. §. 29.)

---

43. *a Villio* Schuetz; *ab Iulio* Prisc. — *Q. Mathone* Sigon. — 45. An *Parmeno* ex fragm. 8? Or.

3. «*Arcades - - se Proselenos esse asserunt, id est, ante lunam natos: quod et* Cicero in Fundaniana *commemorat.* (Servius ad Georg. l. II. v. 342.) Cf. Placidum Lactantium ad *Statii Thebaid.* Lib. 4. p. 132. *Ed. Lindenbr.:* «Cicero pro Fundanio opinionis eius meminit, cum de nobilitate tractaret».

4. Commissura. (Servius ad Aen. l. IX. v. 675.)

5. Puncta. (Acro in Horat. Art. Poët. 348.)

6. Descripsistine eius necessarium, nostrum competitorem? istum ipsum, cuius nunc studio et gratia tota accusatio ista munita est. (Boëth. de Definit. p. 658. ed. Bas. a. 1570.)

7. [*Antiqui dicebant:* fordeum foedos*que pro aspiratione vav simili litera utentes; nam contra Graeci aspirare solent, ut* pro Fundanio Cicero testem, qui primam eius literam dicere non posset, irridet.] (Quint. 1, 4, 14.)

8. [Quasi vero ego de facie tua, catamite, dixerim, † vel alias potuisti contumeliosius facere, si tibi hoc Parmeno alloqui, ac non ipse Parmeno nuntiasset.] (Iul. Rufinianus de Fig. p. 197. Ruhnk. Capper. p. 30.)

VI. PRO C. CORNELIO ORAT. I.

ARGUMENTUM ASCONII.

Hanc orationem dixit L. Cotta, L. Torquato coss. (*u. c.* 689.) post annum quam superiores.

C. Cornelius homo non improbus vita habitus est. Fuerat quaestor Cn. Pompeii, dein tribunus pl. C. Pisone consule, biennio ante, quam haec dicta sunt. In eo magistratu ita se gessit, ut iusto pertinacior videretur. Alienatus est autem a senatu ex hac causa. Retulerat ad senatum, ut, quoniam exterarum nationum legatis pecunia mutua magna daretur usura turpiaque et famosa ex eo lucra fierent, ne quis legatis exterarum nationum pecuniam expensam ferret. Cuius relationem repudiavit senatus: et decrevit satis factum videri eo S. C., quod ante annos septem et viginti L. Domitio, C. Caelio consulibus factum erat, cum senatus ante pauculos annos illo S. C. decrevisset, ne quis Cretensibus pecuniam mutuam daret. Cornelius, ea re offensus senatui, questus est de ea re in contione, exhauriri provincias usuris; providendum, ut haberent legati, unde *in* praesentia *pecuniam creditoribus* darent: promulgavitque legem, qua auctoritatem senatus minuebat, ne quis nisi per populum legibus solveretur. Quod antiquo quoque iure erat cautum: itaque in omnibus S. C., quibus aliquem legibus solvi placebat, adici erat solitum, ut de ea re ad populum ferretur: sed paulatim ferri erat desitum resque iam in eam consuetudinem venerat, ut postremo ne adiceretur quidem in S. C. de rogatione ad populum ferenda, eaque ipsa S. C. per pauculos admodum fiebant. Indigne eam Cornelii rogationem tulerant potentissimi quique ex senatoribus, quorum gratia magno opere minuebatur. Itaque P. Servilius Globulus tribunus pl. inventus erat, qui C. Cornelio obsisteret. Is, ubi legis ferundae dies venit et praeco subiciente scriba verba legis recitare populo coepit, et scribam subicere et praeconem pronuntiare passus non est. Tum Cornelius ipse codicem recitavit, quod cum improbe fieri C. Piso consul vehementer quereretur *tollique ea re* tribuniciam intercessionem diceret, gravi convicio a populo exceptus est.

Et cum ille eos, qui sibi intentabant manus, prendi a lictore iussisset, fracti eius fasces cuncti, lapidesque etiam ex ultima contione in consulem iacti: quo tumultu Cornelius perturbatus concilium dimisit. Actum deinde eadem de re in senatu est magnis contentionibus. Tum Cornelius ita ferre rursus coepit, ne quis in senatu legibus solveretur, nisi CC affuissent, neve quis, cum solutus esset, intercederet, cum de ea re ad populum ferretur. Haec sine tumultu res acta est: nemo enim negare poterat, pro auctoritate senatus esse eam legem: sed tamen eam tulit invitis optimatibus, qui vel paucos ...... gratificari solebant. Aliam deinde legem Cornelius, etsi nemo repugnare ausus est, multis tamen invitis tulit, ut praetores ex edictis suis perpetuis ius dicerent. Quae res cunctam gratiam ambitiosis praetoribus, qui varie ius dicere solebant, sustulit. Alias quoque complures leges Cornelius promulgavit, quibus plerique collegae intercesserunt: per quas contentiones totus prope tribunatus eius peractus est. Sequente deinde anno M' Lepido L. Volcatio coss., quo anno praetor Cicero fuit, reum Cornelium duo fratres Cominii lege Cornelia de maiestate fecerunt. Detulit nomèn Publius, subscripsit Caius; et cum P. Cassius praetor decimo die, ut mos est, adesse iussisset, eoque die ipse non affuisset, seu avocatus propter publici frumenti curam seu gratificans reo, circumventi sunt ante tribunal eius accusatores a notis operarum ducibus, ita ut mors intentaretur, si mox non desisterent. Quam perniciem vix effugerunt interventu consulum, qui advocati reo descenderant. Et cum in scalas quasdam Cominii fugissent, clausi in noctem ibi se occultaverunt, deinde per tecta vicinarum aedium profugerunt ex Urbe. Postero die cum P. Cassius assedisset et citati accusatores non adessent, exemptum nomen est de reis Cornelii. Cominii autem magna infamia flagraverunt vendidisse silentium magna pecunia. Sequente deinde anno, L. Cotta L. Torquato coss., quo haec oratio a Cicerone praetorio dicta est, cum † prima pars M. Manilius, qui iudicium per operarum duces turbaverat, deinde quod ex S. C. anno cos. ..... praesidebant, et iudicio non respondisset ..... atque esset damnatus, recreavisset ..... iam accepta pecunia tollere ait ..... Cornelium lege maiestatis. Res acta est magna exspectatione † paucos ante me ergo .... Cornelius, perterritus Manilii exitu ..... in iudicium adhibuit, ut ne clamor quidem ullus ab advocatis eius oriretur. Dixerunt in eum infesti testimonia principes civitatis, qui plurimum in senatu poterant, Q. Hortensius, Q. Catulus, Q. Metellus Pius, L. Lucullus, M' Lepidus. Dixerunt autem hoc: vidisse se, cum Cornelius in tribunatu codicem pro rostris ipse recitaret, quod ante Cornelium nemo fecisse existimaretur. Volebant videri, se iudicare eam rem magno opere ad crimen imminutae maiestatis tribuniciae pertinere: etenim prope tollebatur intercessio, si id tribunis permitteretur. *Cicero*, *quia* non poterat negare id factum esse, eo confugit, ut diceret, non ideo, quod lectus sit codex a tribuno, imminutam esse tribuniciam potestatem. Qua vero arte et scientia orationis, ita ut et dignitatem clarissimorum civium, contra quos dicebat, non violaret, et tamen auctoritate eorum laedi reum non pateretur, quantaque

---

41. An *potestatis trib.*? Or.

moderatione rem tam difficilem aliis tractaverit, lectio ipsa declarabit. Adiumentum autem habuit, quod, sicut diximus, Cornelius, praeter destrictum propositum adversus principum voluntatem, cetera vita nihil fecerat, quod magno opere improbaretur: praeterea quod et ipse Globulus, qui intercesserat, aderat Cornelio, † et quod ipsum quoque diximus, quod Cornelius Pompeii Magni quaestor fuerat apud duas ..... praefecturas equitum Rom. et tribuno ..... et ex tertia quoque parte ..... apud plerosque exceptis iis ..... familiaris principum civitatis. Res acta est magno conventu magnaque exspectatione, quis eventus iudicii futurus esset ..... A summis viris dici testimonium ..... et id, quod ei dicerent, confiteri animadvertebant. Exstat oratio Cominii accusatoris, quam sumere in manus est aliquod operae pretium, non solum propter Ciceronis orationes, quas pro Cornelio habemus, sed etiam propter semet ipsam: Cicero ipse significat quatriduo Cornelium defendisse: quas actiones contulisse eum in duas orationes apparet. Iudicium id exercuit Q. Gallius praetor.

TESTIMONIA TRIA DE CORNELIANIS.

1. Frustra Tullium suspicimus. Refert enim Cornelius Nepos se praesente iisdem paene verbis, quibus edita est, eam pro Cornelio, seditioso tribuno, defensionem peroratam. (Hieronymus Ep. 71 ad Pammachium Cap. 4. In Cornelii Nepotis fragm. Ed. Bardili T. 2. p. 344.)

2. Adversatur his Plinius Ep. 1, 20, 8. Tullius pro Cluentio ait, «se totam causam vetere instituto solum perorasse», et pro Cornelio «quatriduo egisse»: ne dubitare possimus, quae per plures dies, ut necesse erat, latius dixerit, postea recisa ac purgata, in unum librum, grandem quidem, unum tamen, coartasse.

3. Pro Cornelio primo refutata sunt crimina, quae secuta sunt tribunatum, post ad ipsum tribunatum recursus est factus; quae dispositio artificialis nominatur. (Marcianus Capella de Rhetorica p. 424. Capp.)

VERSU A PRIMO CIRCITER CLXI.

1. Postulatur me praetore primum de pecuniis repetundis. Prospectat videlicet Cominius, quid agatur. Videlicet homines foeneos in medium ad tentandum periculum proiectos.

2. Quid? Metellus summa nobilitate ac virtute, cum bis iurasset: semel † privatim patre publice legis deiectus est ratione: an vi an veri ..... suspicionem animi tollit ..... virtus ac dignitas, et Q. Metelli ..... adolescentia, ad summam laudem omnibus rebus ornata.

3. Legem, inquit, de libertinorum suffragiis Cornelius C. Manilio dedit. Quid est hoc, DEDIT? An tulit? an rogavit? an hortatus est? At tulisse ridiculum est, quasi legem aliquam aut ad scribendum difficilem aut ad excogitandum reconditam: quae lex paucis his annis non modo scripta, sed etiam lata esset.

4. In quo cum multa reprehensa sint, tum in primis celeritas actionis.

5. Petivit tamen a me pater maxima contestatione, ut causam Manilii defenderem.

---

30. De singulis Cornelianarum fragmentis consulendus est Asconius Baiteri. Or.

VERSU A PRIMO DCCCCL. DICIT DE EODEM MANILII TRIBUNATU.

6. Nam cum is tribunus pl. duas leges tulisset in eo magistratu, unam perniciosam, alteram egregiam: quod summa res publica non haesit; sed ab illo ipso tr. obiectum est bonum autem quod summa res publica manet in vestri ordina .... dis .... fuit.

DICIT DE DISTURBATO IUDICIO MANILIANO.

7. Aliis ille in illum furorem magnis hominibus auctoribus impulsus est, qui aliquod institui exemplum disturbandorum iudiciorum perniciosissimum, temporibus suis accommodatissimum, meis alienissimum rationibus, cupierunt.

VERSU CIRC. CXI.

8. Possum dicere, hominem summa prudentia clarum C. Cottam de suis legibus abrogandis ipsum ad senatum retulisse.

SEQUITUR.

9. Possum et eiusdem Cottae legem de iudiciis privatis anno post, quam lata sit, a fratre eius *abrogatam*.

STATIM.

10. Legem Liciniam et Muciam de civibus redigundis video constare inter omnes, quam duo consules omnium, quos vidimus, sapientissim tulissent, non modo inutilem, sed perniciosam rei publicae fuisse.

11. Quattuor omnino genera sunt, iudices, in quibus per senatum more maiorum statuatur aliquid de legibus. Unum est eius modi, placere legem abrogari: ut Q. Caecilio M. Iunio consulibus, quae leges rem militarem impedirent, ut abrogarentur. Alterum, quae lex lata esse dicatur, ea non videri populum teneri: ut L. Marcio Sex. Iulio consulibus de legibus Liviis. Tertium est de legum derogationibus. Quo de genere persaepe senatus consulta fiunt, ut nuper de ipsa lege Calpurnia, cui derogaretur.

12. P. Africanus ille superior dicitur non solum a sapientissimis hominibus, qui tum erant, verum etiam a se ipso saepe accusatus esse, quod, cum consul esset cum Ti. Longo, passus esset tum primum a populari consessu senatoria subsellia separari.

CIRCA MEDIUM. QUO LOCO NUMERAT, CUM LEX FERATUR, QUOT LOCA INTERCESSIONIS SUNT, † IUBEAT DICERE:

13. Est utique ius vetandi, cum ea feratur, quamdiu ... ferundi transferuntur, id est ... lex * dum privati dicunt; dum ... dum sitella defertur: dum aequantur sortes: dum sortitio fit: et si qua sunt alia huius generis.

PAULLO POST.

14. Unum tamen, quod hoc ipso tribuno pl. factum est, praetermittendum non videtur. Neque enim maius est legere codicem, cum intercedatur, quam sitellam ipsam cum ipso intercessore deferre, nec gravius incipere ferre quam perferre, nec vehementius ostendere se laturum invito collega, quam ipsi collegae magistratum abrogare, nec criminosius tribus ad legem accipiendam quam ad collegam reddendum privatum intro vocare: quae vir fortis huius collega Aulus Gabinius in re optima

---

18. *redigundis*] Schol. Bob. p. 131. Maii Ed. Rom. *regundis* Edd. Asconii.

fecit omnia; neque, cum salutem populo Romano atque omnibus gentibus finem diuturnae [cupiditatis] turpitudinis et servitutis afferret, passus est plus unius collegae sui quam universae civitatis vocem valere et voluntatem.

15. At enim de corrigenda lege retulerunt.

16. Iidem, nisi haec ipsa lex, quam C. Cornelius tulit, obstitisset, decrevissent id, quod palam iam isti defensores iudiciorum pugnaverunt, senatui non placere, id iudicium de Sullae bonis fieri. Quam ego causam longe aliter praetor in contione defendi, cum id dicerem, quod idem iudices postea statuerunt, iudicium aequiore tempore fieri oportere.

Statim.

17. Antèa vero quam multarum rerum iudicia sublata sint, et quia scitis, praetereo, et ne quem in iudicium oratio mea revocare videatur.

Paulo post.

18. Non Cn. Dolabella C. Volcatium, honestissimum virum, communi et quotidiano iure privasset. Non denique homo illorum et vita et prudentia longe dissimilis, sed tamen nimis in gratificando iure liber, L. Sisenna, bonorum Cn. Cornelii possessionem ex edicto suo P. Scipioni, adolescenti summa nobilitate, eximia virtute praedito, † non dedisset.

19. Quare cum hunc populus Romanus videret et cum a tribunis plebi doceretur . . . . nisi poena accessisset in divisores, extinct . . . . ullo modo posse, legem hanc Cornelii flagitabat; illam quae ex senatus consulto ferebatur, repudiabat; idque iure, ut docti sumus duorum consulum designatorum calamitate * * *

Et eadem de re paulo post.

20. Ut spectaculum illud [duorum designatorum consulum calamitat.] re et tempore salubre ac necessarium, genere et exemplo miserum ac funestum, videremus.

21. Quid ego nunc tibi argumentis respondeam, posse fieri, ut alius aliquis Cornelius sit, qui habeat Philerotem? † Res vulgare nomen esse Philerotis, Cornelios vero ita multos, ut iam etiam collegium constitutum sit.

22. At enim extremi ac difficillimi temporis vocem illam, C. Corneli, consulem mittere coëgisti, qui rem publicam salvam esse vellent, ut ad legem accipiendam adessent.

23. Ante vestros † annos propter illius tribuni plebis temeritatem posse adduci, ut omnino . . . . ne illius potestate abalienemur, qui restituerunt eam potestatem, alterum nihil unum posse contra multos, alterum longe abesse.

24. Tanta igitur in illis virtus fuit, ut anno XVI. post reges exactos propter nimiam dominationem potentium secederent, leges sacratas ipsi sibi restituerent, duos tribunos crearent, montem illum trans Anienem, qui hodie Mons Sacer nominatur, in quo armati consederant, aeternae memoriae causa consecrarent. Itaque auspicato postero anno [x] tribuni plebi comitiis curiatis creati sunt.

25. Tum interposita fide per tres legatos, amplissimos viros, Romam

---

30. *Res vulgare*] An: *respondeto, volgare*? Or.

armati reverterunt: in Aventino consederunt: inde armati in Capitolium venerunt: decem tribunos plebis per pontificem, quod magistratus nullus erat, creaverunt.

26. Etiam haec recentiora praetereo: ponam principium iustissimae libertatis, Cassiam; qua lege suffragiorum vis potestasque convaluit: alteram Cassiam, quae populi iudicia firmavit.

[Dicit de nobilibus.]

27. Qui non modo cum Sulla, verum etiam, illo mortuo, semper hoc per se summis opibus retinendum putaverunt: inimicissimi C. Cottae fuerunt, quod is consul paullum tribunis plebi non potestatis, sed dignitatis addidit.

28. Quamdiu quidem hoc animo erga vos illa plebs erit, quo se ostendit esse, cum legem Aureliam, cum Rosciam non modo accepit, sed etiam efflagitavit.

29. Memoria teneo, cum primum senatores cum equitibus Romanis lege Plotia iudicarent, hominem diis ac nobilitati perinvisum, Cn. Pompeium, causam lege Varia de maiestate dixisse.

---

30. Ut ab Iove optimo maximo ceterisque diis deabusque omnibus opem et auxilium petam. (Priscian. l. VII. c. 3. § 11.)

31. Nihil senatui detraxisse Cornelium. (Arusianus p. 224. Lind.)

32. Ex promulgatione trinundinum dies ad ferendum potestasque venisset. (Prisc. l. VII. c. 3. §. 9.)

33. Codicem attigit. (Quintil. l. V. c. 13. §. 26. cf. IV, 4, 8. et C. Iul. Victorem p. 75. Maii.)

34. Repugnare — dicit Cicero, — ut divisores, quos honoris sui ministros esse voluerat, lege ambitus vellet affligere. (Marcian. Capella de Rhetorica p. 421. ed. Capperon.)

35. Quae intermissa compluris annos. (Prisc. l. VII. c. 17. §. 86.)

36. Num alicui gratificabatur aut homini aut ordini? (Idem l. VIII. c. 15. §. 82.)

37. Coeptum igitur per eos, qui agi volebant, desitum est per hunc, qui decessit. (Idem l. X. c. 7. §. 40. c. 9. §. 55.)

38. Circumitis rostris ei cerentur lapidibus homines. (Idem l. VIII. c. 15. §. 82.)

39. Refertum (*aerarium*) tribuniciis legibus, exhaustum a quibus sit ipsi sciunt. (Aquila c. 16. p. 156.)

40. Qui eloquentia ceteris antecellit. (Prisc. l. X. c. 6. §. 36.)

41. Sed ad Urbem dierum fuerit iter complurium. (Arusianus p. 215. Lind.)

42. Quid enim? mihi certamen est cum accusatore aut contentio? (Idem p. 218. Lind.)

43. Demi medius fidius de his ornamentis aliquantum malim. (Idem p. 226. Lind.)

---

38. *Sed ad urbem dierum fuerit iter c.*] Gu. *sed ad urbem dierum fuerunt c.* Mai. An: *sed ab Urbe d. abfuerit iter c.*, cum lemma sit: *abest tot milia*? Or. — 42. *ornamentis*] Cod. Gud. *tormentis* Mai. Vide ne istud fragm. potius referendum sit ad Orat. II. fragm. 8.

44. Das enim mihi facultatem eos, qui tum adfuerint Cornelio, nominandi. (Idem p. 213. Lind.)

45. Facite, ut facitis, qui ad causam adestis. (Idem ibid.)

46. Cur nunc redeant, si tunc gratiae concesserint? (Idem p. 220. Lind.)

47. Quid, quod ne cum iis quidem expertus es, quos duces operarum fuisse dixisti? (Idem p. 226. Lind.)

48. Eiusmodi mihi duos laqueos in causa esse propositos, ut si me altero expedissem, tenerer altero. (Idem p. 228. Lind.)

49. Aperuit fores scalarum. (Acro ad Hor. Serm. 1. 2, 67.)

50. Correpsit in scalas. (Schol. vet. in Iuvenal. 7, 118. Rutgers. V. L. p. 457.)

51. Latet in scalis tenebrosis Cominius. (Fortunatian. A. Rh. L. 3. p. 71. Pith.)

52. Item pro Cornelio: maiestatis ipsa sunt: legite, ut legebatis; hinc intelligetis nulla tenuissima suspicione describi aut significari Cornelium. (Boëth. de Defin. p. 659. Edit. Bas.)

53. Maiestas est in imperio atque in omni populi Romani dignitate. (Quintil. l. VII. c. 3. §. 35.)

54. Obiecta est paullo liberalior vita. (Idem l. V, 13, §. 26.)

55. Pro C. Cornelio popularis illa virtutum Cn. Pompeii commemoratio; in quam ille divinus orator, velut nomine ipso ducis cursus dicendi teneretur, abrupto, quem inchoaverat, sermone devertit actutum. (Quint. 4, 3, 13. Iulius Victor p. 248. Ed. meae.)

56. Cicero, ut hac corporis humani pro Cluentio, ita pro Cornelio equorum, pro Archia saxorum quoque usus est similitudine. (Idem 5, 11, 25.)

57. Testes in Cornelium accusator lecti a tribuno codicis pollicetur; facit hoc Cicero supervacuum, quia ipse fateatur. (Idem 5, 13, 18. cf. etiam 8, 3, 3.)

58. Cominius autem, tametsi ignoscite mihi, iudices. (Idem 9, 2, 55.)

VII. PRO C. CORNELIO ORAT. II.

1. Pugnem aperte contra nobilissimorum hominum voluntates? studia, consilia cogitationesque eorum aperiam? (Aquila c. 10. p. 151. et Marc. Capell. l. V. p. 171.)

2. O callidos homines! o rem excogitatam! o ingenia metuenda! — Diximus. Testes dare volumus. Quem, quaeso, nostrum fefellit, ita vos esse facturos? (Cic. Orat. c. 67. §. 225. Quintil. IX, 4. 123.)

3. Num in eo, qui sint hi testes, haesitatis? Ego vobis edam. Duo reliqui sunt de consularibus, inimici tribuniciae potestatis. Pauci praeterea assentatores eorum atque asseclae subsequuntur. (Asconius p. 79. Bait.)

4. Sed si familiariter ex Q. Catulo, sapientissimo viro atque huma-

---

1. Ad Orat. I. refert cod. Gud. Volgo legitur in fragmm. Orat. II. — *das*] Gud. *de* Mai. — *adfuerint*] Gud. *adfuerunt* Mai. — 3. Fragm. volgo ad Orat. II. refertur; in cod. Gud. simpliciter est: pro Cornelio. — 4. *tunc*] Lind. *tum* Mai. — 37. *id vos ita* e Quintil. Meyer in Ed. Orat.

nissimo, velim quaerere, utrius tandem tibi tribunatus minus probari potest, C. Cornelii, an, non dicam P. Sulpicii, non L. Saturnini, non C. Gracchi, non Tiberii: neminem, quem isti seditiosum existimant, nominabo: sed avunculi tui, Q. Catule, clarissimi patriaeque amantissimi viri; quid mihi tandem responsurum putatis? (Idem.)

5. Quid, avunculus tuus, clarissimus vir, clarissimo patre, avo, maioribus, credo, silentio, favente nobilitate, nullo intercessore comparato, populo Romano dedit et potentissimorum hominum collegiis eripuit cooptandorum sacerdotum potestatem? (Idem.)

SEQUITUR:

6. Quid? idem Domitius M. Silanum, consularem hominem, quemadmodum tribunus pl. vexavit? (Idem.)

7. Haec est controversia eiusmodi, ut mihi .... tribunus pl. Cn. Domitius, Catulo ... M. Terpolius contemptissimum nomen eiectum esse ex iis, qui tribuni pl. fuerunt. (Idem.)

8. Nam neque me divitiae movent, quibus omnes Africanos et Laelios multi venalicii mercatoresque superarunt, neque vestis aut caelatum aurum et argentum, quo nostros veteres Marcellos Maximosque multi eunuchi e Syria Aegyptoque vicerunt; neque vero ornamenta ista villarum, quibus L. Paullum et L. Mummium, qui rebus his Urbem Italiamque omnem referserunt, ab aliquo video perfacile Deliaco aut Syro potuisse superari. (Cic. Or. c. 70. §. 232. Quint. l. IX. c. 4. §. 14. Non. v. Venalicii p. 188. Prisc. l. X. c. 9. §. 49.)

9. Quis tam abundans copiis. (Prisc. l. XVIII. c. 2. §. 19. Arusianus p. 209. Lind.)

10. Si vos huius fortunas paucorum odio adiudicaveritis. (Idem p. 216. Lind.)

11. Ad miserrumum crudelissumumque dominatum dedi patiamini. (Idem p. 224. Lind.)

12. Quam diligentes libertatis vos oporteat esse. (Idem p. 226. Lind.)

13. Qui commodis populi R. lingua dumtaxat ac voluntate consuluit. (Idem p. 226. Lind.)

14. Expelleret a dispensantibus. (Idem p. 227. Lind.)

15. Ne fraudi sit ei, qui populum ad contentionem vocarit. (Serv. ad Aen. l. XI. v. 708. p. 656. ed. Paris. 1600.)

VIII. ORATIO IN SENATU IN TOGA CANDIDA CONTRA C. ANTONIUM ET L. CATILINAM COMPETITORES.

ARGUMENTUM ASCONII.

Haec oratio dicta est L. Caesare, C. Figulo coss. post annum quam pro Cornelio dixerat.

Sex competitores in consulatus petitione Cicero habuit, duos patricios, P. Sulpicium Galbam, L. Sergium Catilinam: quattuor plebeios, ex quibus duo nobiles, C. Antonium, M. Antonii oratoris filium, L. Cassium Longinum; duos, qui tantum non primi ex familiis suis magistratum adepti erant,

---

28. Ad Orat. II. refertur in cod. Gud. Vulgo legitur in fragmm. Orat. I. — 34. *ad contionem* Bardilii coni.

Q. Cornificium et C. Licinium Sacerdotem. Solus Cicero ex competitoribus equestri erat loco natus, atque in petitione patrem amisit. Ceteri eius competitores modeste se gessere, visique sunt Q. Cornificius et P. Galba sobrii ac sancti viri, Sacerdos nulla improbitate notus. Cassium, qui iners ac stolidus tum magis quam improbus videretur, post paucos menses in coniuratione Catilinae esse apparuit, ac cruentissimarum sententiarum fuisse auctorem: itaque hi quattuor pro re iacebant. Catilina autem et Antonius, quamquam omnibus maxime infamis eorum vita esset, tamen multum poterant. Coierant enim ambo, ut Ciceronem consulatu deiicerent, adiutoribus usi firmissimis, M. Crasso et C. Caesare. Itaque haec oratio contra solos Catilinam et Antonium est. Causa orationis huius modi in senatu habendae Ciceroni fuit, quod, cum in dies licentia ambitus augeretur propter praecipuam Catilinae et Antonii audaciam, censuerat senatus, ut lex ambitus aucta etiam cum poena ferretur; eique rei Q. Mucius Orestinus tribunus pl. intercesserat. Tum Cicero, graviter senatu intercessionem ferente, surrexit, atque in coitionem Catilinae et Antonii invectus est ante dies comitiorum paucos.

ENARRATIO.

Dico, patres conscripti, superiore nocte cuiusdam hominis nobilis et valde in hoc largitionis quaestu noti et cogniti domum Catilinam et Antonium cum sequestribus suis convenisse.

Aut C. Caesaris aut M. Crassi [domum] significat. Etenim acerrimi ac potentissimi fuerunt Ciceronis refragatores, cum petiit consulatum, quod eius in dies civilem crescere dignitatem animadvertebant: et hoc ipse Cicero in expositione consiliorum suorum significat. Eius quoque coniurationis, quae Cotta et Torquato consulibus ante annum, quam haec dicerentur, facta est a Catilina et Pisone, arguit M. Crassum auctorem fuisse.

Quem enim aut amicum habere potest is, qui tot cives trucidavit aut clientem, qui in sua civitate cum peregrino negavit se iudicio aequo certare posse?

Catilinam, cum in Sullanis partibus fuisset, crudeliter fecisse, † nominatim etiam postea Cicero dicit, quos occiderit, Q. Caecilium, M. Volumnium, L. Tantasium. Marci etiam Marii Gratidiani, summe popularis hominis, qui ob id bis praetor fuit, caput abscissum per urbem sua manu Catilina tulerat: quod crimen saepius ei tota oratione obicit. Fuerat vero hic Gratidianus arta necessitudine Ciceroni coniunctus. Clientem autem negavit habere posse C. Antonium: nam is multos in Achaia spoliaverat, nactus de exercitu Sullano equitum turmas. Deinde Graeci, quos spoliaverat, eduxerunt Antonium in ius ad M. Lucullum praetorem, qui ius inter peregrinos dicebat. Egit pro Graecis etiam tum adolescentulus, de quo paulo ante mentionem fecimus. Et cum Lucullus id, quod Graeci postulabant, decrevisset, appellavit tribunos Antonius, iuravitque, se id eiurare, quod aequo iure uti non posset. Hunc Antonium Gellius et Lentulus censores sexennio, quo haec dicerentur, senatu moverunt, causasque subscripserunt, quod socios diripuerit, quod iudicium recusarit, quod propter aeris alieni magnitudinem praedia manciparit, bonaque sua in potestate non haberet.

---

7. *pro re*] an *propere*? Or. — 32. Q. Cicero *Pet. cons.* §. 9. *Tanusiorum capita dempta* memorat. — 38. *eduxerant* Sig. — 39. *adolesc. C. Caesar, de quo* Sig. — 41. *se ideo appellare* Sig.

Nec se iam tum respexit, cum gravissimis vestris decretis absens notatus est.

Catilina ex praetura Africam provinciam obtinuit. Quam cum graviter vexasset, legati Afri in senatu iam tum absente illo questi sunt, multaeque graves sententiae in senatu de eo dictae sunt.

In iudiciis quanta vis esset, didicit, cum est absolutus: si aut illud iudicium aut illa absolutio nominanda est.

Ante annum quam haec dicerentur, Catilina, cum redisset ex Africa, Torquato et Cotta consulibus, accusatus est repetundarum a P. Clodio adolescente, qui postea inimicus Ciceroni fuit. Defensus est Catilina, ut Fenestella tradit, a M. Cicerone. Quod ego ut addubitem, haec ipsa Ciceronis oratio facit, maxime quod is nullam mentionem rei habet, cum potuerit invidiam facere competitori tam turpiter adversus se coeunti: praesertim cum alterum competitorem suum Antonium in eadem hac oratione sua admoneat, suo beneficio eum ex ultimo loco praeturae candidatum ad tertium pervenisse:

Nescis, me praetorem primum esse factum, te concessione competitorum et collatione centuriarum et meo maxime beneficio e postremo in tertium locum esse subiectum?

Qui igitur Antonio suffragationem suam imputandam putat, is, si defendisset Catilinam, caput eius protectum a se nonne imputaret? Quod ita esse manifestum est ex eo, quod statim dicit. Quintus enim Mucius tribunus pl. intercedebat, ne lex ambitus ferretur; quod facere pro Catilina videbatur. Hunc Mucium in hac oratione appellans Cicero sic ait:

Te tamen, Q. Muci, tam male de populo Romano existimare moleste fero, qui hesterno die me esse dignum consulatu negabas. Quid? populus Romanus minus diligenter sibi constitueret defensorem, quam tu tibi? Cum te furti L. Calenus ageret, me potissimum fortunarum tuarum patronum esse voluisti. Cuius tu consilium in tua turpissima causa delegisti, hunc honestissimarum rerum defensorem populus Romanus auctore te repudiare potest? Nisi forte hoc dicturus es, quo tempore a L. Caleno furti delatus sis, eo tempore in me tibi parum auxilii esse vidisse.

Verum cum ageret Mucii causam Cicero, sicut Catilinae egisse eum videri vult Fenestella, cur iam, quamvis male existimet de causa Mucii, tamen ei exprobret patrocinium suum, non idem in Catilina faciat, si modo pro eo dixit? Aut cur ipsum illud iudicium saepius in infamiam vocat? quod parcius videtur fuisse facturus, si in eo iudicio fuisset patronus. Atque, ut alia omittam, hoc certe vix videtur dicturus fuisse, si illo patrono Catilina repetundarum absolutus esset:

Stupris se omnibus ac flagitiis contaminavit: caede nefaria cruentavit: diripuit socios: leges, quaestiones, iudicia violavit —

et postea:

Quid ego, ut involaveris provinciam, praedicem? Nam ut te illic gesseris, non audeo dicere, quoniam absolutus es. Mentitos esse equites Romanos, falsas fuisse tabellas honestissimae civitatis existimo: mentitum Q. Metellum Pium, mentitam Africam: vidisse puto nescio quid illos iudices, qui te innocentem iudicarunt. O miser, qui non sentias illo iudicio

---

27. verius est: *cum tecum f. L. C. ageret.* — 28. *tu*] *tu te* Princ., fort. *tute.* Or. — 32. Malim: *Vere cum egerit.* Or.

te non absolutum, verum ad aliquod severius iudicium ac maius supplicium reservatum!

Verine ergo simile est, haec cum Catilinae obiceret, si ille defendente absolutus esset? Praeterea movet me, quod, cum sint commentarii Ciceronis causarum, etiam defensionum, † commentarium aut principium ita quod iudicio absolutus est Catilina, ut Clodius infamis fuerit praevaricatus esse: nam et reiectio iudicum ad arbitrium rei videbatur esse facta.

Populum vero, cum inspectante populo collum secuit hominis maxime popularis, quanti faceret ostendit.

Diximus et paulo ante, Marii caput Catilinam per urbem tulisse.

Me qua amentia inductus sit ut contemneret, constituere non possum. Utrum aeque animo laturum putavit? At in suo familiarissimo viderat, me ne aliorum quidem iniurias mediocriter posse ferre.

Manifestum est, C. Verrem significari.

Alter, pecore omni vendito et saltibus prope addictis, pastores retinet, ex quibus ait se, cum velit, subito fugitivorum bellum excitaturum.

C. Antonium significat.

Alter induxit eum, quem potuit, ut repente gladiatores populo non debitos polliceretur; eos ipse consularis candidatus perspexit et legit et emit; praesente populo Romano factum est.

Q. Gallium, quem postea reum ambitus defendit, significare videtur. Hic enim cum esset praeturae candidatus, quod in aedilitate, quam ante annum gesserat, bestias non habuerat, dedit gladiatorium sub titulo, patri se id dare.

Quamobrem augere etiam mercedes si vultis, Q. Mucium † perverti legem impedire ut coepit senter. cos. sed ego ea lege contentus sum, qua duos consules designatos uno tempore damnari vidimus.

Legem Calpurniam significat, quam C. Calpurnius Piso ante triennium de ambitu tulerat. Quod autem dicit damnatos esse designatos consules, P. Sullam et P. Autronium, de quibus iam diximus, vult intelligi. Cognomen autem Q. Mucio tribuno, quem nominat, fuit Orestinus.

Atque ut istum omittam, in exercitu Sullano praedonem, in introitu gladiatorem, in victoria quadrigarium —

De Antonio dici manifestum est. Sed dicit eum in exercitu Sullae praedonem *propter equitum turmas, quibus Achaiam ab eo vexatam esse significavimus:* in introitu gladiatorem *pertinet ad invidiam proscriptionis, quae tum facta est:* in victoria quadrigarium, *quod, cum Sulla post victoriam Circenses faceret, ita ut honesti homines quadrigas agitarent, fuit inter eos C. Antonius.*

Te vero, Catilina, consulatum sperare aut cogitare non prodigium atque portentum est? A quibus enim petis? A principibus civitatis? qui tibi, cum L. Volcatio consuli in consilio fuissent, ne petendi quidem potestatem esse voluerunt.

*Paulo ante diximus, Catilinam, cum de provincia Africa decederet petiturus consulatum, et legati Afri questi de eo in senatu graviter * * * pervenissent: professus deinde est Catilina, petere se consulatum. L. Volcatius Tullus consul consi-*

---

20. An: *emit; id praesente?* Or. — 24. Locus corruptus. Madvigius suspicatur: *Quamobrem augete etiam mercedem, si vultis, Q. Mucii! Perseveret legem impedire, ut coepit senatus consultum; ego ea lege* etc.

lium publicum habuit, an rationem Catilinae habere deberet, si peteret consulatum. nam quaerebatur repetundarum. Catilina ob eam causam destitit a petitione.

A senatoribus? qui te auctoritate sua, spoliatum ornamentis omnibus, vinctum paene Africanis oratoribus tradiderunt.

Diximus modo de hoc. Nam iudicium quoque secutum repetundarum, a quo ipse per infamiam liberatus est Catilina, sed ita, ut eum senatorum urna damnaret, equitum et tribunorum absolveret.

Ab equestri ordine, quem trucidasti?

Equester ordo pro Cinnanis partibus contra Sullam steterat, multasque pecunias abstulerant: ex quo saccularii erant appellati: multique ob eius rei invidiam post Sullanam victoriam erant interfecti.

A plebe? cui spectaculum eius modi tua crudelitas praebuit, ut nemo sine gemitu ac recordatione luctus aspicere possit.

Eiusdem illius Marii Gratidiani quod caput gestarit, obicit. Quo loco dicit Catilinam caput M. Marii gestasse:

Quod caput etiam tum plenum animae et spiritus ad Sullam usque ab Ianiculo ad aedem Apollinis manibus ipse suis detulit.

Omnia sunt manifesta. Ne tamen erretis, quod his temporibus aedes Apollinis in Palatio sit nobilissima, admonendi estis, non hanc a Cicerone significari, ut pote quam post mortem etiam Ciceronis multis annis imperator Caesar, quem nunc divum Augustum dicimus, post Actiacam victoriam fecerit, sed illam demonstrari, quae est extra portam Carmentalem, inter forum Olitorium et circum Flaminium. Ea enim sola tum demum Romae Apollinis aedes.

Quid tu potes in defensione tua dicere, quod illi non dixerint? † quae tibi dicere non licebit —

et paulo post:

Denique illi negare potuerunt et negaverunt: tu tibi ne infitiandi quidem impudentiae locum reliquisti. Quare praeclara dicentur iudicia tulisse, si, qui infitiantem Luscium condemnarunt, Catilinam absolverint confitentem.

Hic, quem nominat, L. Luscius, notus centurio Sullanus divesque e victoria factus (nam amplius centies possederat), damnatus erat non multo ante quam Cicero dixit. Obiectae sunt ei tres caedes proscriptorum. Circa eosdem dies L. quoque Bellienus damnatus est, quem Cicero ait avunculum esse Catilinae. Hic autem Lucretium Ofellam, consulatum contra voluntatem Sullae ad turbandum statum civitatis petentem, occiderat iussu Sullae tunc dictatoris. His ergo negat ignotum esse, cum etiam imperitos se homines esse et, si quem etiam interfecissent, imperatori ac dictatori paruisse dicerent, ac negarent quoque: Catilinam vero infitiari non posse. Huius autem criminis periculum, quod obicit Cicero, paucos post menses Catilina subiit. Post effecta enim comitia consularia et Catilinae repulsam fecit eum reum inter sicarios L. Lucullus paratus eruditusque, qui postea consulatum quoque petiit.

---

6. *per infamiam*] an excidit *iudicum*, ut supra erat? Or. — 7. *tribunorum*] an excidit *aerarii*? Or. — 24. Mihi in mentem venit: *quod illi? nempe dixerunt*, ita ut haec duo postrema verba Asconii sint: vel potius inverso ordine: *dicere? Illine quod dixerunt? At tibi* etc. — 27. *quidem * impudentiae* cum defectus signo Lamb. Nihil puto deesse. *Impudentiae locus infitiandi* est impudentia, quae facultatem et audaciam infitiandi praebet. — 38. *ac negare quoque possent* Madvigii suspicio. — 41. Si in Cicerone versarer, proponerem: *vir peritus* vel *promptus*. Or.

Hanc tu habes dignitatem, qua fretus me contemnis et despicis? an eam, quam reliqua vita es consecutus? cum ita vixisti, ut non esset locus tam sanctus, quo non adventus tuus, etiam cum culpa nulla subesset, crimen afferret.

Fabia, virgo Vestalis, causam incesti dixerat, cum ei Catilina obiceretur, eratque absoluta. Haec Fabia quia soror erat Terentiae Ciceronis, ideo sic dixit: etiam si culpa nulla subesset. *Ita et suis pepercit et nihilo levius inimico summi opprobrii turpitudinem obiecit.*

Cum deprehendebare in adulteriis; cum deprehendebas adulteros ipse; cum ex eodem stupro tibi et uxorem et filiam invenisti.

Dicitur, Catilinam adulterium commisisse cum ea, quae ei postea socrus fuit, et ex eo stupro duxisse uxorem, cum filia eius esset. Haec Lucceius quoque Catilinae obicit in orationibus, quas in eum scripsit: nomina harum mulierum nondum inveni.

Quid ego, ut involaveris provinciam, praedicem, cuncto populo Romano clamante ac resistente. Nam ut te illic gesseris, non audeo dicere, quoniam absolutus es.

Dictum est iam saepius, Catilinam ex praetura Africam obtinuisse et accusante eum repetundarum P. Clodio absolutum esse.

Praetereo illum nefarium conatum tuum et paene acerbum et luctuosum populo Romano diem, cum Cn. Pisone socio neque alio nemine caedem optimatum facere voluisti.

Quos nominat, intelligitis. Fuit enim opinio, Catilinam et Cn. Pisonem, adolescentem perditum, coniurasse ad caedem senatus faciendam ante annum quam haec dicta sunt, Cotta et Torquato consulibus, eamque caedem ideo non esse factam, quod prius, quam parati essent, coniuratis signum dedisset Catilina. Piso autem, cum haec dicerentur, perierat. In Hispaniam missus a senatu per honorem legationis, † ut avus suus ablegaretur ibi [illegible], dum iniurias provincialibus facit, occisus erat, ut quidam credebant, a Cn. Pompeii clientibus, Pompeio non invito.

An oblitus es, te ex me, cum praeturam peteremus, petisse, ut tibi primum locum concederem? Quod cum saepius ageres et impudentius a me contenderes, meministi me tibi respondere, impudenter te facere, qui id a me peteres, quod a te Boculus numquam impetrasset.

Diximus iam supra, Sullae ludis, quos hic propter victoriam fecerit, quadrigas C. Antonium et alios quosdam nobiles homines agitasse. Praeterea Antonius redemptas habebat ab aerario vectigales quadrigas, quam redemptionem senatori habere licet per legem. Fuit autem notissimus in circo quadrigarum agitator Boculus.

Dicit de malis civibus:

Qui posteaquam illo conati erant Hispaniensi pugiunculo nervos incidere civium Romanorum non potuerunt, duas uno tempore conantur in rem publicam sicas destringere.

---

11. *Dicitur Catilinam*] sic Princ.; alii *dicit Catilinam*, alii *dicitur Catilina*. — 28. Absurdum hoc. Popma volebat: *ut avidius ablegaretur* aeque inepte. Quid? si fuit: *ut ab urbe scilicet ablegaretur*. *scilicet* per compendium scriptum multos iam peperit errores. — 33. *quod a te Boculus*] Sic de certissima A. Augustini coni. dederunt Sigonii editores Mediolanenses. Possumus etiam missas facere voculas *a te*. — *quod avunculus* ceteri. *quod a Boculo* Sch. susp. Sed sic ridicule Cicero semet ipsum committeret cum agitatore. Longe salsius alterum. — 40. *in rem p. s. destr.*] Sic e Patric. coni. Lamb. cf. Q. Cic. *Pet. Cons.* C. 3. Beier *Offic.* T. 2. p. 51. *in re publica s. distringere* ceteri.

Hispaniensem pugiunculum *Cn. Pisonem appellat; quem in Hispania occisum esse dixi.* Duas sicas *Catilinam et Antonium appellari manifestum est.*

Hunc vos scitote Licinium gladiatorem iam immisisse † capillum Catilinae iudic. quā Q. ue Curium hominem quaestorium.

Curius hic notissimus fuit aleator, damnatusque postea est. In hunc est hendecasyllabus Calvi elegans:

Et talis Curius pereruditus.

Huic orationi Ciceronis et Catilina et Antonius contumeliose responderunt, quod solum poterant, invecti in novitatem eius. Feruntur quoque orationes nomine illorum editae, non ab ipsis scriptae, sed ab Ciceronis obtrectatoribus: quas nescio an satius sit ignorare. Ceterum Cicero consul omnium consensu factus est: Antonius pauculis centuriis Catilinam superavit, cum ei propter patris nomen paulo speciosior manus suffragata esset, quam Catilinae.

IX. PRO Q. GALLIO.

(Dicta est oratio pro Gallio, ambitus reo, Caesare, Figulo coss. 690.)

1. Ut clamor, ut convicium mulierum, ut symphoniae cantus. Videbar mihi videre alios intrantes, alios autem exeuntes partim ex vino vacillantes, partim hesterna potatione oscitantes. Versabatur inter hos Gallius unguentis oblitus, redimitus coronis: humus erat immunda, lutulenta vino, coronis languidulis et spinis cooperta piscium (Aquila c. 2. p. 144. Quint. l. VIII. c. 3. §. 66. l. XI. c. 3. §. 165. C. Iul. Victor in Arte rhetorica. C. 22. p. 255. Ed. meae.)

2. M. Tullius (*in quem pulcherrimum illud elogium est.* «Demosthenes tibi praeripuit, ne esses primus orator; tu illi, ne solus»:) in oratione pro Q. Gallio quid de favore vulgi et de imperitis contionatoribus loquatur, *attende, ne his fraudibus ludaris. Loquor enim, quae sum ipse nuper expertus. Unus quidam poëta nominatus, homo perliteratus, cuius sunt illa colloquia poëtarum ac philosophorum, cum facit Euripidem et Menandrum inter se, et alio loco Socratem atque Epicurum disserentes, quorum aetates non annis, sed seculis scimus esse disiunctas, quantos is plausus et clamores movet! Multos enim condiscipulos habet in theatro, qui simul literas non didicerunt.* (D. Hieronym. ad Nepotian. de vit. Cler. T. I. p. 10. ed. Francof. — Tom. IV. p. 262. Ed. Bened. Ep. 52. p. 263. Vall.)

3. *Ut Tullius in Galliana:* qui spurce dictum commemorarent in libera civitate. (Eugraph. in Terent. Eun. II, 2, 4.)

4. An ista, si vera essent, sic a te dicerentur? (Quint. l. XI. c. 3. §. 155.)

5. Tu istuc, M. Calidi, nisi fingeres, sic ageres? praesertim cum ista eloquentia alienorum hominum pericula defendere acerrime soleas, tuum negligeres? ubi dolor? ubi ardor animi? qui etiam ex infantium ingeniis elicere voces et querelas solet. Nulla perturbatio animi, nulla corporis;

---

3. Cf. de loco corrupto criticorum sententias in ed. Baiteri. — 40. E contraria Tullii admiratorum schola profectae sunt orationes subditiciae quattuor vel quinque. Notabilis admodum locus, cui adde Senecae Controv. 1. Praef. *Fere enim aut nulli commentarii maximorum declamatorum exstant, aut, quod peius est, falsi.* — 16. *Fit clamor, fit c. m., fit symph.* Ruhnken. *Et — et — et* Wakefield. — 18. *hesterna ex pot.* Iulius Victor. — 34. *in Gallia: aqua spurce* Eugraph.

frons non percussa, non femur; pedis (quod minimum est) nulla supplosio. Itaque tantum abfuit, ut inflammares nostros animos: somnum isto loco vix tenebamus. (Cic. Brut. c. 80. §. 278. Quint. l. c.)

6. Ego te certo scio omnes logos, qui ludis dicti sunt, animadvertisse. (Non. v. Logi p. 63.)

7. Poëmatorum. (Charis. L. I. p. 114. ed. Putsch.)

8. «Propositis, quibus responsuri sumus, quaerendum nobis erit an inter se comparata repugnantia sint, ut suis armis corruant. — Similiter pro Gallio, ubi accusator in se poenas obiecit; ibi enim dum singula inter se comparat, alterum altero Tullius deluit». (Iul. Severian. Syntom. Rhet. p. 306.)

[X. PRO L. OTHONE.]

1. [Hic si sese isti viae dedidisset.] (Arusianus p. 228 Lind.)

XI. DE PROSCRIPTORUM LIBERIS.

Hac oratione Cicero Cos. (691. U. c.) egit de tuenda lege Cornelia, qua proscriptorum liberi honorum petendorum potestate privati erant.

1. *Mollienda est in plerisque alio colore asperitas orationis, ut Cicero de proscriptorum liberis fecit.* Quid enim crudelius, quam homines honestis parentibus ac maioribus natos a re publica submoveri? *Itaque durum id esse summus ille tractandorum animorum artifex confitetur: sed ita legibus Sullae cohaerere statum civitatis affirmat, ut his solutis stare ipsa non possit. Assecutus itaque est, ut aliquid eorum quoque causa videretur facere, contra quos diceret.* (Quint. l. XI. c. 1. §. 85)

XII. CONTRA CONTIONEM Q. METELLI.

(Contra contionem Q. Metelli, trib. pl., a. d. III. Non. Ianuar. anni p. U. c. 692. habitam, Cicero brevi post dixit, multis modis lacessitus. — *Metellianam* orationem vocat Scholiasta Gronovianus ad Catil. 4, 5, 10, adeo ut saeculo quinto p. Ch. nondum deperdita fuisse videatur).

1. Sic enim, ut opinor, insequar fugientem, quoniam congredi non licet cum resistente. (Augustini Principia Rhet. p. 327. Capper.)

2. Permulsa atque recreata est. (Prisc. l. IX. c. 9. §. 51.)

3. Nisi eorum exitio non requieturam. (Idem l. X. c. 3. §. 18.)

4. Escendi in contionem: concursus est populi factus. (Gell. l. XVIII. c. 7.)

5. Vestrum iam hic factum deprehenditur, patres conscripti, non meum: ac pulcherrimum quidem factum: verum, ut dixi, non meum, sed vestrum. (Quintil. l. IX. c. 3. §. 40.) Vos enim statuistis, vos sententiam dixistis, vos iudicastis. (Idem ibid. §. 45.)

6. Venit ex Asia. Hoc ipsum quam novum! Tribunus plebi venit ex Asia. Verumtamen venit. (Idem ibid. §. 45.)

7. Dediderim periculis omnibus, obtulerim insidiis, obiecerim invidiae. (Ibidem.)

---

13. Hoc fragmentum ita deformatum apud Arusianum: *hic si se istius vitae (viae* Mai) *dedisset* est e Caeliana §. 47. Or. — 35. *reprehenditur* Spalding. — 39. Hoc fragmentum, quod nunc primum accedit, ad Metellianam pertinere viderunt Garatonius ad Sullanae argumentum p. 260. Neap. et Zumpt. Quintil. Vol. 5. p. 397. *novum* pro *bonum* (codd. et edd. Quintil.) emendavit Zumpt.

8. Quaero ab inimicis, sintne haec investigata comperta, patefacta sublata, delata exstincta per me? (Idem ibid. §. 49.)

9. Qui indicabantur, eos vocari, custodiri, ad senatum adduci iussi; in senatu sunt positi. (Idem ibid. §. 50.)

10. Qui animum hostilem habet et cuius facta hostilia sunt. (C. Iulius Victor C. 6. §. 3. p. 45. Ed. Maii.)

[XIII. DE CONSULATU SUO.

Patricius dubitat, utrum hic corruptus sit locus poëmatis de consulatu, an orationis. Orationem enim meditatus erat Cicero, hoc se magistratu abdicaturus: quam ne haberet, Metellus trib. pl. prohibuit.

1. Quorum luxuries † fortunata censa peperit. (Nonius v. Census p. 202.)]

XIV. IN P. CLODIUM ET C. CURIONEM.

ARGUMENTUM SCHOLIASTAE BOBIENSIS.

Apud Graecos *huius modi genera orationum* ἐπαινοῦντα καὶ ψέγοντα nominantur, continentia ferme laudes et vituperationes. Non enim rei postulantur a Tullio vel C. Curio vel P. Clodius, sed quoniam habuerant in senatu quandam iurgiosam decertationem, visum Ciceroni est hanc orationem conscribere plenam sine dubio et asperitatis et facetiarum, quibus mores utriusque proscindit et de singulorum vitiis quam potest acerbissime loquitur. Sed enim principium huius offensae fertur a P. Clodii reatu descendisse. Nam visus est in domo pontificis maximi C. Caesaris eiusdemque praetoris incestum fecisse cum eius uxore Pompeia, cum eo tempore per Vestales virgines et matronas honestissimas in operto Bonae deae sacrificium viris omnibus inaccessum fiebat. Unde elapso tamen Clodio magna invidia percrebruit et infamia caerimoniarum, ut senatus decernere cogeretur omni diligentia consulum pervestigandum, si quod esset publicis religionibus illatum flagitium. Accedebat huc etiam praeiudicium quoddam C. Caesaris ipsius pontificis, qui uxorem suam illico repudiavit. Post quod reus de incesto factus est P. Clodius accusante L. Lentulo, defendente C. Curione patre. Nam tres illis temporibus Curiones illustri nomine exstiterunt atque ita in libris adhuc feruntur: Curio avus, qui Servium Fulvium incesti reum defendit, et hic C. Curio pater, qui P. Clodio adfuit, et tertius ille Curio tribunicius, qui bello civili Pompeiano in Africa periit. Qui cum esset partium Caesaris, oppressus est ab equitibus Iubae regis. Sed hactenus de Curionibus dictum sit. Multum diuque habitis concertationibus ante iudicium P. Clodius a turbulenta multitudine, ne causam diceret, non sine impetu seditionis adiutus est, auctore huius conspirationis Q. Fufio Caleno tribuno pl., cuius mentionem creberrimam Tullius in Philippicis orationibus facit. Obstante vero paene universo senatu pro sanctimonia religionum adversus crimen incesti, iudices tamen ad extremum dati sunt. Et primo quidem ab senatu praesidium petiverant, *ut* de Clodio potentissimo homine liberius iudicaretur. Verum ita res cecidit, ut in eum multi grave testimonium dicerent, quorum in numero M. ipse Tullius interrogatus ait ad se salutatum venisse ipsa die Clodium, qua se ille contenderat Interamnae fuisse milibus passuum ferme LXXXX

---

11. *Q. l. fortunae censa peredit.* Lipsius.

ab urbe disiunctum: quo scilicet videri volebat incesti Romae committendi facultatem non habuisse. Et post haec ab iudicibus XXV damnatus est. Praevaluit tamen ad eius victoriam maior eorum numerus, qui absolverunt. Nam XXX et una pro eo sententiae latae sunt. Inde igitur capitalis inimicus in M. Tullium coepit efferri et, cum illo anno potestate quaestoria fungeretur, apud populum creberrimis eum contionibus lacessebat: minas quin immo praetendens, ad familiam se plebeiam transiturum, ut tribunus pl. fieret, denuntiabat. Quibus minacissimis illius vocibus vehementer et acerrimo spiritu hac oratione Cicero respondit † duorum, tam ipsius quam Curionis.

I. 1. Statueram, patres conscripti, quoad reus esset P. Clodius, nihil de illo neque aput vos, neque alio ullo in loco dicere.

2. Ac furiosis contionibus indixerat.

3. Quod simul ab eo mihi et rei publicae denuntiabatur.

4. Nihil me addere ad alterius periculum.

5. Sin esset iudicatum, non videri virum venisse, quo iste venisset.

6. Ut ille iudicio tamquam e naufragio nudus emersit.

7. Perturbatio istum mentis et quaedam scelerum offusa caligo et ardentes Furiarum faces excitarunt. (Quintil. IX, 3, 47.)

II. 1. Ac vide, an facile fieri tu potueris, cum is factus non sit, cui tu concessisti. (Quintil. V, 10, 92.)

2. Syriam sibi nos extra ordinem polliceri.

3. Creditoribus suis spem ostentare provinciae videretur.

4. Augent magnum quendam cumulum aeris alieni.

5. Ingemuit gravius timidior quidam creditor.

6. Confirmat se comitiis consularibus Romae futurum.

7. Tanto prius ad aerarium venit, ut ibi ne scribam quidem quemquam offenderet.

III. 1. Quibus iste, qui omnia sacrificia nosset, facile ab se deos placari posse arbitrabatur. (Quintil. IX, 2, 96.)

2. Cum se ad plebem transire velle diceret, sed misere fretum transire cuperet.

3. Hanc loquacem Siciliam non despexit.

4. Accesserunt ita pauci, ut eum non ad contionem, sed sponsum diceres advocasse.

5. Cuius satisdationes semper dicuntur induci.

6. *Intel*lego quam in absentem esse dicenda.

IV. 1. Primum homo durus ac priscus invectus est in eos, qui mense Aprili apud Baias essent et aquis calidis uterentur. Quid cum hoc homine nobis tam tristi ac severo? 2. Non possunt hi mores ferre hunc tam

---

11. Fragmentum hoc et reliqua, quorum fons non indicatus est, desumpta sunt ex cod. Ambrosiano. — 17. *quo ex iudicio velut ex incendio nudus effugit* Quintilianus VIII, 3, 81, memoriter h. l. laudans. — 24. *augens* Beieri coni. — 36. *dicuntur* Kreyssig et Niebuhr: *indicuntur* Ambr. (*iudicantur* Beier.) — 37. Haec . . . *lego quam* - - *averterat tamen ex* (p. 949, 26.) servavit palimpsestus Taurinensis. — *in absentem*] *inabgente* Taur. — 38. *Primum* - - *Baias essent* habet etiam A.

austerum et tam vehementem magistrum, per quem hominibus maioribus natu ne in suis quidem praediis inpune tum, cum Romae nihil agitur, liceat esse valetudinique servire. Verumtamen ceteris * * * sit ignoscere * * vero * * in illo loco nullo modo. Quid homini, inquit, Arpinati cum Baiis, agresti ac rustico? 3. Quo loco ita fuit caecus, ut facile appareret vidisse eum quod fas non fuisset: 4. Nec enim respexit illum ipsum patronum libidinis suae non modo apud Baias esse, verum eas ipsas aquas habere, quae gustu tamen Arpinatis fuissent. Sed videte metuendam inimici et hostis bilem et licentiam! Is me dixit aedificare, ubi nihil habeo, ibi fuisse, qu * * enim non * * * patentem adversarium, qui id obiciat, quod vel honeste confiteri vel manifesto redarguere possis?

V. 1. Nam rusticos ei nos videri minus est mirandum, qui manicatam tunicam et mitram et purpureas fascias habere non possumus. Tu vero festivus, tu elegans, tu solus urbanus; quem decet muliebris ornatus, quem incessus psaltriae, qui effeminare vultum, attenuare vocem, laevare corpus potes. O singulare prodigium atque monstrum! nonne te huius templi, non urbis, non vitae, non lucis pudet? 2. Tu, qui indutus muliebri veste fueris, virilem vocem audes emittere, cuius importunam libidinem et stuprum cum scelere coniunctum ne subornandi quidem mora retardavit? 3. Tune, cum vincirentur pedes fasciis, cum calautica capiti accommodaretur, cum vix manicatam tunicam in lacertos induceres, cum strophio accurate praecingerere, in tam longo spatio numquam te Appii Claudii nepotem esse recordatus es? Nonne, etiam si omnem mentem libido averterat, tamen ex * *

4. Sed, credo, postquam speculum tibi adlatum est, longe te a pulchris abesse sensisti.

5. Quasi vero ego de facie tua, catamite, dixerim.

VI. 1. At sum, inquit, absolutus. Novo quidem hercle more, cui uni absoluto lites aestimatae sunt. * *

2. Quasi ego non contentus sim, quod mihi quinque et xx iudices crediderunt. Qui sequestres abs te locupletes acceperint *cet.*

3. Divortium pontificis maximi.

VII. 1. Integritas tua te purgavit, mihi crede, pudor eripuit, vita ante acta servavit. Quattuor tibi sententias solas ad perniciem defuisse.

2. Nam L. quidem Cotta.

3. Ut posthac lege Aurelia iudex esse non possit.

---

1. *per quem - - servire* habet etiam A, omittens v. *inpune*. — 3. In lacunis perierunt quattuor circiter vocabula. Iam verba *sit ignoscere vero* habet quidem cl. Peyronius p. 65 in grandiore scriptura, verum eadem incaute omisit in minore p. 115. — 5. *ita fuit - - non fuisset* habet etiam A. — 7. *illum i. patr. lib. suae* habet A. — 10. Perierunt in lacunis vix tria vocabula. — 13. *Nam rusticos - - tunicam* habet A. — 14. *Tu vero - - potes* servavit etiam Rufinian. *de Fig. sent.* 4. p. 196. Ruhnk. et Nonius in v. *elegantes*. — 16. *incaessus* Taur. — 17. *atque* Madvigius: *ado* Taur. — 19. *qui indutus v. mul. fueris* et deinde *cum calautica capiti accommodaretur* habet etiam A. — 21. *caluatica* Taur. — 26. Habet haec etiam Nonius v. *longe*, et *speculum*. — 28. Incertum hoc Cic. fragmentum e Rufiniano p. 197 Ruhnk. huc retulit Beierus. Vide ne potius sit e Fundaniana.

4. *Ut Idib. Maiis in senatum convenimus, rogatus ego sententiam multa dixi de summa re publica, atque ille locus inductus a me est divinitus:* ne una plaga accepta patres conscripti conciderent, ne deficerent; volnus esse eius modi, quod mihi nec dissimulandum nec pertimescendum videretur, ne aut metuendo ignavissimi aut ignorando stultissimi iudicaremur; bis absolutum esse Lentulum, bis Catilinam, hunc tertium iam esse a iudicibus in rem publicam immissum. Erras, Clodi; non te iudices urbi, sed carceri reservarunt neque te retinere in civitate, sed exsilio privare voluerunt. Quam ob rem, patres conscripti, erigite animos, retinete vestram dignitatem. Manet illa in re publica bonorum consensio, dolor accessit bonis viris, virtus non est imminuta, nihil est damni factum novi, sed, quod erat, inventum est. In unius hominis perditi iudicio plures similes reperti sunt. *Sed quid ago? paene orationem in epistolam inclusi.* (Cicero ad Att. 1, 16, 9.)

XV. PRO C. ANTONIO a. u. c. 695.

Ὕποπτος οὖν ὁ Κικέρων τῷ τε Καίσαρι καὶ τῷ Πομπηΐῳ γενόμενος, ἐβεβαιώσατο τὴν ὑπόνοιαν ἐν τῇ ὑπὲρ τοῦ Ἀντωνίου ἀπολογίᾳ. — Ὁ δὲ δὴ Κικέρων ὑπὲρ αὐτοῦ τότε, ἅτε καὶ συνάρχοντός οἱ, ὑπερδικῶν, πλεῖστα κατὰ τοῦ Καίσαρος, ὡς καὶ αἰτίου τῆς δίκης αὐτῷ γεγενημένου, καταδρομὴν ἐποιήσατο καί τινα αὐτῷ καὶ προσελοιδόρησεν. (Cassius Dio XXXVIII, 10.)

XVI. INTERROGATIO DE AERE ALIENO MILONIS.

ARGUMENTUM SCHOLIASTAE BOBIENSIS.

In eundem annum consulatum petierunt T. Annius Milo et Q. Metellus Scipio et Hypsaeus. Quo anno etiam P. Clodius Pulcher, inimicus eius, in praeturae candidam venerat. Idem cum petitioni Milonis adversaretur et comitia multo et vario ambitus genere turbaret, quo magis Hypsaeus et Scipio consules designarentur, Milo autem repulsam ferret, per hos dies senatus convocatus est: apud quem P. Clodius invectionem sibi non tantum contra Milonem, verum etiam contra ipsum M. Tullium contumeliosam atque asperam depoposcit, ut ambitum moveri ab eo diceret, quoniam multis erga rem publicam meritis praevaleret: vim moliri etiam per armatos homines criminaretur: ad extremum longe minus, quam haberet, aeris alieni esse professum. Nam sestertium sexagies in aere alieno se habere professus Milo secundum veterem consuetudinem fuerat. Cum igitur obnixe contenderet Clodius non oportere *petere*, qui magno aere alieno defeneratus praedae videretur habiturus esse rem publicam, contradixit eius insectationi M. Cicero, qui familiaritate praecipua Milonem diligebat ob id maxime meritum, quod restitutionem suae dignitatis ab eodem tribuno plebis meminerat adiutam. Quanto autem odio habuerit P. Clodium iam compertum est ex orationibus illius plurimis, quibus eius vitam moresque dilacerat. Ex iurgio itaque, quod inter se moverant, oratio ista composita est, cuius inscriptionis titulum, priusquam commentari adgrediar, explanandum puto, non ab re existimans futurum [nostris] lectoribus, si orationis titulum non indocte perspexerint. Quippe inscribitur INTERROGATIO DE AERE ALIENO MILONIS. Interrogationis autem non una species erat, sed varia, ut alia significaret accusationis denuntiationem, qualis illa praescriptio est orationis eius, qua usus fuit in eum P. Clodius, *cum*

legibus interrogasset. Legibus enim sic interrogabatur, inquirente accusatore, an omnia secundum legum praescripta gesserit is, cui crimen intendebatur. Erat alia praeterea interrogatio testium, sicut ipse M. Tullius P. Vatinium testem interrogavit. Proprie namque interrogatio dicebatur, qua testes redarguebantur. Tertia haec est interrogandi species, ut Sinnio Capitoni videtur, pertinens ad officium et consuetudinem senatoriam. Quando enim aliquis sententiam loco suo iam dixerat et alius postea interrogatus quaedam videbatur ita locutus, ut refutari posse iustissime viderentur, postulabat ille, qui iam sententiam dixerat, ut sibi liceret interrogare, hoc est, illum redarguere, cuius sententia in multis quasi mendax et calumniosa redargui posset. Quoniam ergo dixerat Clodius et minus professum aeris alieni Milonem * * *

(Haec oratio, cuius nullum usquam vestigium expressum erat, una cum scholiastae argumento primum e cod. Ambrosiano edita est ab Angelo Maio Mediolani a. 1817. tum Romae 1828.)

I. 1. * * * adversarii.

2—4. Eiciundus est ex urbe civis auctor et custos salutis otii, dignitatis fidei; includendus intra parietes, qui populi Romani imperium non terrarum regionibus, sed caeli partibus terminavit. (Sic haec iungenda esse vidit Franckius *Verisimil. Spec.* p. 19.)

II. 1. Nec vero tum timendum fuit, cum cessimus.

2. Eosdem ad caedem civium de Apennino deduxisti.

3. Lapidibus duo consules ceciderunt.

4. Qui multis inspectantibus kaput feriebas, femina plangebas.

5. * * * ber animose confidens.

6. Non pudet? Sed quid pudeat hominem non modo sine rubore, verum omnino sine ore?

7. Sic enim homines egentes et turbarum cupidi loquebantur: O virum † usuum!

8. Male dicere autem, immo vero domo principem civem vi et metu continere.

III. 1. Ut quas haberet in vestibulo tabulas refigeret.

2. Etenim tria, ut opinor, haec in Milonis personam questus es, de aere alieno, *de* vi, de ambitu. Duo praeteristi: nihil de religionibus violatis, nihil de incestus stupris questus es.

3. Est enim quocumque venit et reorum crimen et iudicum.

4. Tuamque praeturam non tuo more differas.

IV. 1. Nec suffragia dabis, quibus ostentas.

2. Nec vero illam nefariam libertatem.

3. Quis non meminerit pueritiam tuam?

4. Iterum a piratis redemptum. Quo enim nomine appellem eos, qui te pretio accepto liberaverunt?

V. 1. Nisi vero liniamentis hominis nomen et figuris positum, non naturis putas.

---

26. *rubore*] Schol. in interpret. *pudore* in contextu. — 29. Fort. *summum*. Or. — 43. *liniamentis*] Madvig. (Append. p. 27.) et Niebuhr. *liniamenta* Cod.

2. Tum habuisti quasdam formidines, *quae* quasi cornua quaedam exciderunt impleta. *(Scil. ut cervorum.)*

3. Non enim viderunt, quos ipsi exturbarant, eos in civitatem restitutos.

4. Qui armis cessissem vel tuis urbanis, vel, ut opinio tum erat, alienis.

5. . . . . vir cautissimus.

XVII. DE REGE ALEXANDRINO.

ARGUMENTUM.

Cn. Cornelio Lentulo, L. Marcio Philippo coss. 698. cum Ptolemaeus Auletes, Aegypti rex, Romam supplex confugisset, Cicero in senatu sententiis ultro citroque dictis orationem habuit de reducendo in regnum rege Alexandrino. Haec autem orationis fragmenta primus edidit A. Maius e cod. Ambros. Mediolani 1817. Nobbe. (Laudat hanc orationem etiam Fortunatianus A. Rh. p. 64. et 67. Pith. Scholiasta ad Lucanum 8, 518. p. 642. Oud. p. 643. Web. *Purgandum gladio quod nobis*] Pompeius prior egit hanc causam, ut huic traderetur imperium post patris mortem; postea Cicero, quae oratio inscribitur *de rege Alexandrino*. Aquila p. 154. Ruhnk. hanc orationem inscribit *de rege Ptolemaeo*.)

I. 1. Ut rapiat, ut latrocinetur.

2. Si hercle in nostris rebus tam acres ad pecunias, tam adtenti, tam avari soleremus esse.

II. 1. Sed tamen, quae sunt nostra iudicia.

2. Debent esse modestissima: quoniam quidem est hoc summi imperii, nosmet ipsos de nostris rebus iudicare.

3. Qui ex hereditate tanta unum solum nomen agnoverimus.

III. 1. Sic est iusta causa belli, sicuti Crassus commemoravit cum Iugurtha fuisse.

2. Non patiar hanc exaudiri vocem huius imperii: ego te, nisi das aliquid, hostem, si quid dederis, regem et socium et amicum iudicabo.

3. Cum ille rex sit interfectus, hunc puerum in Syria fuisse.

4. Atque illud etiam constare video, regem illum, cum reginam sororem suam, caram acceptamque populo, manibus suis trucidasset, interfectum esse impetu multitudinis. (Haec Scholiasta Bobiensis.)

5. Difficilis ratio belli gerendi, at plena fidei, plena pietatis. (Aquila c. 14. p. 154. Marcian. Capella de Rhetorica p. 428. ed. Capperon.)

6. Τῆς Αἰγύπτου δὲ τὰς προσόδους ἔν τινι λόγῳ Κικέρων φράζει, φήσας κατ' ἐνιαυτὸν τῷ τῆς Κλεοπάτρας πατρὶ τῷ Αὐλητῇ προσφέρεσθαι φόρον ταλάντων μυρίων καὶ δισχιλίων πεντακοσίων. (Strabo Lib. XVII. §. 13. p. 522. *Tzschuck.*)

XVIII. PRO P. VATINIO.

(Habita est oratio L. Domitio Ahenobarbo, Appio Claudio Pulchro coss. 700. cfr. Ellendt in Bruto p. CXXIV.)

1. Cum Vatinium defenderem, dixi me facere quiddam, quod in Eunucho parasitus suadet militi:

---

5. accessit e contextu Scholiastae. — 19. *acres* Madvig. et Niebuhr. *ad res* Cod. — 25. *si est* Niebuhrii susp.

Ubi nominabit Phaedriam, tu Pamphilam
Continuo. Si quando illa dicet, Phaedriam in-
tromittamus comissatum: tu, Pamphilam
Cantatum provocemus. Si laudabit haec
Illius formam, tu huius contra. Denique
Par pro pari referto, quod eam mordeat.

Sic petivi a iudicibus, ut, quoniam quidam nobiles homines et de me optime meriti nimis amarent inimicum meum, meque inspectante saepe eum in senatu modo severe seducerent, modo familiariter atque hilare amplexarentur, quoniamque illi haberent suum Publium, darent mihi ipsi alium Publium, in quo possem illorum animos mediocriter lacessitus, leviter repungere. (Cic. ad Div. l. I. ep. 9. §. 19.)

2. Scholiasta Bobiensis ad Interrog. Vatin. c. 6. *Tu qui te Pythagoreum soles dicere*] Hoc ipsum plenissime purgavit atque defendit et non sine laude probavit in ea oratione, quam pro ipso Vatinio scribere adgressus est.

3. *Lege* pro Vatinio oratiunculam, *et alias*, *ubi* sodaliciorum *mentio fit.* (Hieronymus adv. Rufin. Lib. III. T. IV. 2. p. 469. Ed. Bened.)

XIX. PRO M. AEMILIO SCAURO.

(*Ex recensione Caroli Beieri*, *cum supplementis eiusdem*, *quae literis inclinati excudenda curavi et* [ ]. *A. est Palimpsestus Ambrosianus*, *T. Taurinensis*, *M. Maii Editio altera 1817* , *P. Peyron*, *B. Beierus.)*

DE HAC ORATIONE ASCONIUS HAEC HABET:

Hanc quoque orationem eisdem consulibus dixit, quibus pro Vatinio, L. Domitio Aënobarbo et Appio Claudio Pulcro coss. Summus iudicii dies fuit a. d. IIII. Nonas Septembr. [a. u. c. 700.]

ARGUMENTUM HOC EST:

M. Scaurus, M. Scauri filius, qui princeps senatus fuit, vitricum habuit Sullam: quo victore et munifico in socios victoriae ita abstinens fuit, ut nihil neque donari sibi voluerit neque ab hasta emerit. Aedilitatem summa magnificentia gessit, adeo ut in eius impensas opes suas absumpserit magnumque aes alienum contraxerit. Ex praetura provinciam Sardiniam obtinuit, in qua neque satis abstinenter se gessisse existimatus est et valde adroganter: quod genus morum in eo paternum videbatur, cum cetera industria nequaquam esset par. Erat tamen aliquando inter patronos causarum. Sed postquam ex provincia redierat, dixerat pro C. Catone, isque erat absolutus a. d. III. Nonas Quinct. Ipse, cum ad consulatus petitionem a. d. III. Kal. Quinct. Romam redisset, querentibus de eo Sardis, a P. Valerio Triario, adolescente parato ad dicendum et notae industriae, filio eius, qui in Sardinia contra M. Lepidum arma tulerat et post in Asia Pontoque legatus L. Luculli fuerat, cum is bellum contra Mithridatem gereret, postulatus est apud M. Catonem praetorem repetundarum, ut in actis scriptum est, postridie Nonas Quinctil. post diem tertium, quam C. Cato erat absolutus. Subscripserunt Triario in Scaurum L. Marius L. F., M. et Q. Pacuvii fratres, cognomine Claudii, qui inquisitionem in Sardiniam itemque in Corsicam insulas dies tricenos acceperunt neque profecti sunt ad inquirendum. Cuius rei hanc causam reddebant, quod interea

comitia consularia futura erant: timere ergo se ne Scaurus ea pecunia, quam ab sociis abstulisset, emeret consulatum et, sicut pater eius fecisset, ante quam de eo iudicari posset, magistratum iniret ac rursus ante alias provincias spoliaret quam rationem prioris administrationis redderet. Scaurus summam fiduciam in paterni nominis dignitate, magnam in Cn. Pompeii Magni reponebat. Habebat enim filium, liberorum Cn. Pompeii fratrem: nam Tertiam, Scaevolae filiam, dimissam a Pompeio in matrimonium duxerat. M. Catonem autem, qui id iudicium, ut diximus, exercebat, metuebat admodum propter amicitiam, quae erat illi cum Triario: nam Flaminia Triarii mater et ipse Triarius sororem Catonis Serviliam, quae mater M. Bruti fuit, familiariter diligebat: ea porro apud Catonem maternam obtinebat auctoritatem. Sed in eo iudicio neque Pompeius propensum adiutorium praebuit — videbatur enim apud animum eius non minus offensionis contraxisse, quod iudicium eius in Muciam crimine impudicitiae ab eo dimissam levius fecisse existimaretur, cum eam ipse probasset, quam gratiae acquisisse necessitudinis iure, quod ex eadem uterque liberos haberet — neque Cato ab aequitate ea, quae et vitam eius et magistratum illum decebat, quoquam deflexit. Post diem autem quartam, quam postulatus erat Scaurus, Faustus Sulla tum quaestor, filius Sullae Felicis, frater ex eadem matre Scauri . . . . . . servus eius vulneratus prosiluit ex lecticis et questus est, pro interempto esse competitoribus Scauri et ambulare cum trecentis armatis, seque, si necesse esset, vim vi repulsurum.

Defenderunt Scaurum sex patroni, cum ad id tempus raro quisquam pluribus quam quattuor uteretur, ac post bella civilia ante legem Iuliam ad duodenos patronos est perventum. Fuerunt autem hi sex: P. Clodius Pulcher, M. Marcellus, M. Calidius, M. Cicero, M. Messalla Niger, Q. Hortensius. Ipse quoque Scaurus dixit pro se ac magno opere iudices movit et squalore et lacrimis et aedilitatis effusae memoria ac favore populari ac praecipue paternae auctoritatis recordatione.

I. 1. a. Maxime fuit optandum M. Scauro, iudices, ut, nullo suscepto cuiusquam odio, sine offensione ac molestia * * retineret (id quod praecipue semper studuit) generis, familiae, nominis dignitatem. [*Verumtamen, quoniam ita tulit casus infestus, non recusandum sibi arbitratur, quo minus eadem fortuna utatur, qua pater, qui saepenumero ab inimicis ad causae dictionem vocatus est.*] (Augustini Princ. rhet. p. 328. Capp. Arusianus Messius p. 260. Lind.)

1. b. [*Summum nostrae civitatis virum scimus accusatum a M. Bruto. Exstant orationes, ex quibus intelligi potest multa in illum ipsum Scaurum esse dicta. — Falso. — Quis negat? verumtamen ab inimico dicta et obiecta.*]

Subiit etiam populi iudicium inquirente Cn. Domitio, tribuno plebis. (Asconius.)

2. Reus est factus a Q. Servilio Caepione lege Servilia, cum iudicia penes equestrem ordinem essent et P. Rutilio damnato nemo tam innocens videretur, ut non timeret illa. (Idem.)

3. Ab eodem etiam lege Varia custos ille rei publicae proditionis est in crimen vocatus: vexatus a Q. Vario tribuno plebis est non multo ante. (Idem.)

[*Huius multorum calumniis vexati viri filium, iudices, nunc invidi atque inimici ignominioso repetundarum iudicio perfundere volunt. Eius causam ut reciperem, hoc clarissimi patris memoriae debere me existimavi.*]

4. a. Non enim tantum admiratus sum ego illum virum, sicut omnes, sed etiam praecipue dilexi. Primus enim me flagrantem studio laudis in spem impulit, posse virtutem sine praesidio fortunae, quo contendisset, labore et constantia pervenire.

4. b. Et quoniam congesta fuit accusatio magis acervo quodam criminum, non distinctione aliqua generum et varietate: (S e v e r i a n u s syntom. rhet. p. 334. ed. Capp.) [*his si* universe (C h a r i s i u s II, p. 198. ed. Putsch.) *potius quam argumentis ad singula respondero, videar causae atque officio meo satis fecisse. Nihilominus tamen totam causam, iudices, explicemus atque ante oculos expositam consideremus. Ita facillime et quibus de rebus nos dicere oporteat, et quid vos sequi conveniat, intelligetis.*]

4. c. Bostarem igitur quendam Norensem fugientem e Sardinia Scauri adventum. (S e v e r i a n u s syntom. rhet. p. 337. Capp.) [*Triarius criminatur huius malitiosis blanditiis e fuga revocatum atque hospitali mensae adhibitum veneno ab hospite necatum esse et*] prius illum sepultum, quam huic coenam sublatam. (S e v e r i a n u s p. 337. Capp.)

4. d. [*Quae veneni dati suspicio, iudices, primum quam levis sit, statim apparebit, si considerare volueritis, ex quibus causis mors saepe eveniat repentina.*]

* * * * * * * * * * *

4. e. [*In ea Scaurus fortuna erat constitutus, ut non modo suas possessiones facillime retineret, verum etiam nova posset acquirere potius*] bona, quam quod habebat veniret. Agedum, ego defendi Scaurum, Triari; defende tu matrem [*Bostaris, quam ipsam arguo huic culpae esse affinem.*] (C o d. A m b r o s i a n u s.)

[*Refutavi etiam illud, quod dicebas*] te metuere, ne non solvendo fuisse, bona denique reus ne *retinere voluisse*, quae proscripta essent, nisi [*Bostare intestato mortuo sic egisset eam rem, quasi ad ipsum hereditas pertineret, neve haec ipsa ei causa Bostarem veneno necandi fuisse videretur.*] (C o d. A m b r o s i a n u s.)

4. f. Si denique in illa bona invadere nullo modo potuisset, nisi mortuo Bostare. (A r u s i a n u s M e s s i u s p. 243. Lind.)

5. Si, mehercule! iudices, pro L. Tubulo dicerem, quem unum ex omni memoria sceleratissimum et audacissimum fuisse accepimus: tamen non timerem, venenum hospiti aut convivae si diceretur cenanti ab illo datum, cui neque heres neque iratus fuisset, [*ne cui hoc credibile videretur.*] (A s c o n i u s.)

6. [*Venio iam ad crimen incontinentiae intemperantiaeque libidinum, cuius notam accusator Scauro eiusque famae inurere voluit. — Coniugem suam, inquit, quam ipse amabat, istius incensae libidini atque effrenatae cupiditati*] cum dare nollet Aris, clam ex Sardinia est fugere coactus. (P r i s c i a n u s p. 689. P.)

7. [*Scilicet relicta illic uxore ipse fuga sibi consuluit, quemadmodum castores, ut*

---

6. *contendissem* M. P. — 20. *Quae veneni* etc.] Cfr. Martiani Capellae Rhetor. p. 411. Capp. — 38. *cui*] *quom* alter cod. Ambros. Asconii, e scriptura *quoi*.

aiunt, a venatoribus] redimunt se ea parte corporis, propter quam maxime expetuntur. (Isidorus Etym. XII, 2. §. 21. Servius ad Georg. I, 59.)

8. [*Sed ut Scaurus omnium hominum dissolutissimus libidinosissimusque semper fuerit: tamen incredibile dictu est, iudices, quod Triarius addidit, Arinis uxorem praetoris licentia adactam esse, ut iniuriae remedium morte ac suspendio quaereret. Hic enim primus et cum bestiis communis homini ad omnem vitam tuendam appetitus a natura datus est, quo ipse sibi conciliatur et commendatur ad se conservandum, alienatur autem ab interitu, iisque rebus, quae interitum videantur afferre.*]

II. 1. a. Sic, inquam, se, iudices, res habet. Neque hoc a me novum disputatur, sed quaesitum ab aliis est. (Asconius.) 1. b. [*Sed tamen id ita esse exemplis probari potest. Stuprata per vim Lucretia a regis filio, testata cives, se ipsa interemit. Hic dolor causa civitati libertatis fuit. Ac ne fortissimi quidem viri nisi in extrema necessitate alicuius dedecoris evitandi causa mortem ultro oppetiverunt: ut P. Crassus Mucianus cum Aristonico bellum in Asia gerens, a Thracibus, quorum is magnum numerum in praesidio habebat, inter Elaeam et Smyrnam exceptus, ne in ditionem eius perveniret, dedecus arcessita ratione mortis effugit. Virgam enim, qua ad regendum equum usus fuerat, narratur in unius barbari oculum direxisse, qui vi doloris accensus latus Crassi sica confodit, dumque se ulciscitur, Romanum imperatorem maiestatis turpitudine liberavit. Ostendit Fortunae Crassus, quam indignum virum tam gravi contumelia afficere voluisset, quoniam quidem iniectos ab ea libertati suae miserabiles laqueos prudenter pariter ac fortiter rupit, donatumque se iam Aristonico dignitati suae reddidit.*] ** *Illa* audivimus; hoc vero meminimus ac paene vidimus, eiusdem stirpis et nominis P. Crassum, ne in manus incideret inimicorum, se ipsum interemisse. (Asconius.)

2. Ac neque illius Crassi factum superioris iisdem honoribus usus, qui fortissimus in bello fuisset, M' Aquilius potuit imitari. (Asconius.) [*sed memoriam iuventu*]tis suae rerumque gestarum senectutis dedecore foedavit. Quid vero? alterum Crassum temporibus eisdem num aut clarissimi viri Iulii aut summo ingenio praeditus M. Antonius potuit imitari? 3. Quid? in omnibus monumentis Graeciae, quae sunt verbis ornatiora quam rebus, quis invenitur, cum ab Aiace fabulisque discesseris, qui tamen ipse

Ignominiae dolore, ut ait poëta, *victor insolens*
Se victum non potuit pati,

praeter Atheniensem Themistoclem, qui se ipse morte multavit? 4. At Graeculi quidem multa fingunt, apud quos etiam Cleombrotum Ambraciotam ferunt se ex altissimo praecipitasse muro, non quo acerbitatis accepisset aliquid, sed, ut video scriptum apud Graecos, cum summi philosophi Platonis graviter et ornate scriptum librum de morte legisset, in quo, ut opinor, Socrates illo ipso die, quo erat ei moriundum, permulta disputat, hanc esse mortem, quam nos vitam putaremus, cum corpore animus tamquam carcere saeptus teneretur, vitam autem esse eam, cum idem animus

---

29. *tis suae - - etiam facilius* §. 7 habet T. — 30. *Quid vero - - potuit imitari?* habet etiam Asconius. — 34. *ingenio* Asconius: *imperio* T. — 43. *corpore* Beier: *corpori* T.

vinclis corporis liberatus in eum se locum, unde esset ortus, retulisset. 5. Num igitur ista tua Sarda Pythagoram aut Platonem norat aut legerat? qui tamen ipsi mortem ita laudant, ut fugere vitam vetent atque id contra foedus fieri dicant legemque naturae. Aliam quidem causam mortis voluntariae nullam profecto iustam reperietis. Atque hoc ille vidit. Nam iecit quodam loco, vita illam mulierem spoliari quam pudicitia maluisse. 6. Sed refugit statim nec de pudicitia plura dixit, veritus, credo, ne quem irridendi nobis daret et iocandi locum. Constat enim illam cum deformitate summa fuisse, tum etiam senectute. Quare quae potest, quamvis salsa ista Sarda fuerit, ulla libidinis aut amoris esse suspicio?

7. Ac ne existimes, Triari, quod adferam in dicendo me fingere ipsum et non a reo causam cognoscere, explicabo tibi, quae fuerint opiniones in Sardinia de istius mulieris morte (nam fuerunt duae), quo etiam facilius [*hi et Scauri innocentiam et testium tuorum audaciam cognoscere possint, et eorum, quae facta sunt, indignitatem.* 8. *Sardae istius maritus Aris matrem Bostaris*] te dixi, libidinosam atque improbam matrem, infami ac noto adulterio iam diu diligebat. Is, cum hanc suam uxorem anum et locupletem et molestam timeret, neque eam habere in matrimonio propter foeditatem neque dimittere propter dotem volebat. Itaque compecto cum matre Bostaris consilium cepit, ut uterque Romam veniret; ibi se aliquam rationem inventurum, quemadmodum illam uxorem duceret, confirmavit.

9. Hic opinio fuit, ut dixi, duplex, una non abhorrens a statu naturaque rerum, Arinis uxorem paelicatus dolore concitatam, cum audisset, Arinem cum illa sua metus et fugae simulatione Romam se contulisse, ut, cum antea consuetudo inter eos fuisset, tum etiam nuptiis iungerentur, arsisse dolore muliebri et mori quam id perpeti maluisse. 10. Altera non minus veri similis et, ut opinor, in Sardinia magis etiam credita, Arinem istum testem atque hospitem, Triari, tuum proficiscentem Romam negotium dedisse liberto, ut illi aniculae non ille quidem vim adferret (neque enim erat rectum patronae), sed collum digitulis duobus oblideret, resticula cingeret, ut illa perisse suspendio putaretur. 11. Quae quidem suspicio valuit etiam plus ob hanc causam, quod, cum agerent parentalia Norenses omnesque suo more ex oppido exissent, tum illa est a liberto suspendisse se dicta. Discessus autem solitudo ei, qui patronam suffocabat, fuit quaerenda, illi, quae volebat mori, non fuit. 12. Confirmata vero suspicio est, quod anu mortua libertus statim, tamquam opere confecto, Romam est profectus, Aris autem, simulac libertus de morte uxoris nuntiavit, continuo Romae matrem illam Bostaris duxit uxorem.

13. En quibus familiis quam foedis, quam contaminatis, quam turpibus *de*datis hanc familiam, iudices! en quibus testibus commoti de quo

---

6. *iecit* Beier: *legit* T. — 10. *Sarda*] iocatur in ambiguo *Sardae*, et feminae e Sardinia oriundae, et piscis salsamentarii nomine. — 16. *te dixi* - - *si docet tabulis* §. 18. haec sunt e cod. Ambros. — 17. *diligebat Aris, quum* coni. Heinrich. — 23. *Arinis* - - *concitatam* habet etiam Priscian. p. 689. P. — 30. *sed collum* - - *obl.* habet etiam Porphyrio ad Horat. Serm. II, 1, 56. — *oblideret et rest.* Crameri et Kreyssigii susp. — 31. *Quae* - - *Norenses* habet etiam Severianus p. 339. Capp. — 33. *omnesque* Beier: *omnes qui* A. — 34. *suffocarat* Heinr. et Kreyssigii susp. Male; est fere: *qui suffocaturus erat, suffocare tentabat.* — 39. *En*] *em* A. a. m. pr. unde *hem* volebant M. et Heinr. — 40. *dedatis* Heinrich: *datis* A.

homine, de quo genere, de quo nomine sententias feratis! Obliviscendum vobis putatis matrum in liberos, virorum in uxores scelera? Cernitis crudelitate mixtas libidines, videtis immanes; duorum maximorum criminum auctores, quibus criminibus haec tota apud ignaros aut invidos famata causa est, omni facinore et flagitio deformatos habetis.

14. Num igitur in his criminibus, iudices, residet iam aliqua suspicio? Non perpurgata sunt? non refutata? non fracta? Qui igitur id factum est? Quia dedisti mihi, Triari, quod diluerem, in quo argumentarer, de quo disputarem; quia genus eius modi fuit criminum, quod non totum penderet ex teste, sed quod ponderaret iudex ipse per se. 15. Neque vero, iudices, quidquam aliud in ignoto teste facere debemus, nisi ut argumento, coniectura, suspicione rerum ipsarum vim naturamque quaeramus. Etenim testis non modo Afer, aut Sardus sane, si ita se isti malunt nominari, sed quivis etiam elegantior ac religiosior impelli, deterreri, fingi, flecti potest; dominus est ipse voluntatis suae, in quo est impunita mentiendi licentia. 16. Argumentum vero, quod quidem est proprium rei (neque enim ullum aliud argumentum vere vocari potest), rerum vox est, naturae vestigium, veritatis nota: id qualecumque est, maneat immutabile necesse est: non enim fingitur ab oratore, sed sumitur. Quare in eo genere accusationis si vincerer, succumberem et cederem: vincerer omni re, vincerer causa, vincerer veritate. 17. Agmen tu mihi inducas Sardorum et catervas, et me non criminibus urgere, sed Afrorum fremitu terrere conere? Non potero equidem disputare, sed ad horum fidem et mansuetudinem con*fugere*, *ad ius iurandum iudicum*, *ad* populi Romani *aequ*itatem, qui hanc familiam in hac urbe principem voluit esse, deorum immortalium numen implorare potero, qui semper exstiterunt huic generi nominique fautores.

18. «Poposcit, imperavit, eripuit, coëgit». — Si docet tabulis, quoniam habet seriem quandam et ordinem contracti negotii confectio ipsa tabularum, attendam acriter et, quid in defendendo mihi agendum sit, videbo. Si denique nitere testibus, non dico bonis viris ac probatis, noti sint modo, quem ad modum mihi cum quoque sit confligendum, considerabo. 19. Sin unus color, una vox, una natio est omnium testium; si, quod ii dicunt, non modo nullis argumentis, sed ne literarum quidem aliquo genere aut publicarum aut privatarum, quod tamen ipsum fingi potest, confirmare conantur: quo me vertam, iudices, aut quid agam? Cum singulis disputem? † Quid? non habuisti quod dares? — Habuisse se dicet. — Quis

---

3. *immanis* A.; ceterum sic distinxit B. Ceteri: *videtis immanes duorum m. c. auctores -- est; omni* etc. — 4. *diffamata*, vel *infamata*, vel *famosa* variorum suspicc. — 6. *residet iam* Mai: *resit etiam* A.; *residet etiam* de Heinr. coni. P. — 9. *quod totum non* Heinrichii coni. — 16. *quod quidem est* Heinrich et Kreyssig: *quoque deest* A. — 24. *confugere -- aequitatem*] sic B. Codicis scriptura evanida est. — 28. *doces* nescio cuius coni., ut mox est *nitere*. — 28. Haec *quoniam habet -- atque iniurias* §. 25. praebent A. et T. — 32. *confligendum sit* A. — 36. Locus corruptus. Sic dedi fere cum Peyr., nisi quod is p. 78. *Quid id sciet* contra codd. fidem. — *Quid non habuisti quod dares habuisse se diecet quis id sciet quis iudicabit non fuisse causam finget fuisse qui refellemus potuisse non dare si noluisset vi* cet. T. — *Quid non habuisti quod dares habuisse se dicit quis id sciet quis id iudicavit non fuisse causam finget fuisse qui refellemus potuisse non dare se noluisset vi* cet. A. — Maius male hic folia Palimps. A. ordinavit: p. 25.:

id sciet? Quis iudicabit non fuisse causam? — Finget fuisse. — Qui refellemus potuisse non dare, si noluisset? — Vi ereptum esse dicet. Quae potest eloquentia disputando ignoti hominis impudentiam confutare? — 20. Non agam igitur cum ista Sardorum conspiratione et cum expresso, coacto sollicitatoque periurio subtiliter, neque acu quaedam enucleata argumenta conquiram, sed contra impetum istum illorum impetu ego nostro concurram atque confligam. Non est unus mihi quisque ex illorum acie protrahendus, neque cum singulis decertandum atque pugnandum; tota est acies illa uno impetu prosternenda.

21. Est enim unum maximum totius Sardiniae frumentarium crimen, de quo Triarius omnes Sardos interrogavit, quod genus uno testimonii foedere et consensu omnium est confirmatum. Quod ego crimen antequam attingo, peto a vobis, iudices, ut me totius nostrae defensionis quasi quaedam iacere fundamenta patiamini. Quae si erunt, ut mea ratio et cogitatio fert, posita et constituta, nullam accusationis partem pertimescam. 22. Dicam enim primum de ipso genere accusationis, postea de Sardis, tum etiam pauca de Scauro: quibus rebus explicatis tum denique ad hoc horribile et formidolosum frumentarium crimen accedam.

23. Quod est igitur hoc accusationis, Triari, genus? Primum, ut inquisitum non ieris. Quae fuit ista tam ferox, tam explorata huius opprimendi fiducia? Pueris nobis audisse videor L. Aelium libertinum hominem literatum ac facetum, cum ulcisceretur patroni iniurias, nomen Q. Muttonis, hominis sordidissimi, detulisse. A quo cum quaereretur, quam provinciam aut quam diem testium postularet, horam sibi octavam, dum in foro bovario inquireret, postulavit. 24. Hoc tu idem tibi in M. Aemilio Scauro putasti esse faciendum? — «Delata enim, inquit, causa ad me Romae est». — Quid? ad me Siculi nonne Romam causam Siciliae detulerunt? Atqui homines prudentes natura, callidi usu, doctrina eruditi. Tamen ego mihi provinciae causam in provinciam ipsam cognoscendam et

---

disputem? quid? . . . p. 2.: *Non habuisti quod dares? habuisse se dicit. Quis id sciet? quis id iudicavit non fuisse? Causam fingit fuisse. Quem refellemus? Potuisse non dare se: noluisse, ut ereptum esse diceret. — Quid? non habuisti quod dares? — Habuisse se dicet. — Quis id scit? Quis id indicavit? Non fuisse causam? — Finget fuisse. Qui refellemus potuisse, non dare si noluisset? Vi* Beier, cuius et Heinr. adnotatt. consule apud ipsos. Nostra in lectione offendunt statim ista: *non habuisti, quod dares? Habuisse se dicet:* in his enim et Ciceroni et Sardo plane convenit: cur igitur, aut quo fine ea de re inter se disceptant? neque iuvamur Heinr. suspic.: *num habuisti?* — cum ita respondendum fuisset: *Non habuisse se dicet.* Fac, Cic. scripsisse: *Quid? habuisti, quod non dares? Habuisse se dicet:* erit controversia inter utrumque: «Habuisti causam legitimam, cur non dares? Habui». *Scit*, recte, puto. B. Lectionem A. *quis id iudicavit* (unde: *indicavit* scil. Scauro fecit B.) vitiosam censeo. Sensus nostrae est: «Qui iudex pronuntiabit, non fuisse causam, cur non dares? Qui refellemus, licitum Sardo fuisse, non dare (ius eum habuisse non dandi), si noluisset?» Ceterum in mentem mihi venit: *Qui refellemus? — Poposcisse: non dare se noluisse;* (ut divinavit etiam B. e lect. A.) *vi ereptum esse dicet. Poposcisse* Scaurum, (ut §. 48.) se quidem promptum fuisse ad dandum pro debito suo; nihilominus vi sibi et iniuste ereptum esse a Scauro. — 5. *neque* T.: *nec* A.; *neque acuta quaedam et enucleata* Kreyssigii coni. — 6. *impetum istum illorum* A.: *impetum istorum* T. — 7. *unusquisque mihi* A. — 14. *fundamenta iacere* T. — 21. *L. Aelium*] sic P.; LAELIVM T., *Vaelium* A. — 22. *ac facetum* om. A. — *Titi Q. Muttonis* T. — 27. *Romam* T.: *Romae* A. — 28. *adque homines* M. (scil. A. *adqui*). — 29. *et disc.* om. A.

discendam putavi. 25. An ego querelas atque iniurias aratorum non in segetibus ipsis arvisque cognoscerem? Peragravi, inquam, Triari, durissima quidem hieme valles Agrigentinorum atque colles. Campus ille nobilissimus ac feracissimus ipse me causam paene docuit Leontinus. Adii casas aratorum; a stiva ipsa homines mecum colloquebantur. 26. Itaque sic fuit illa expressa causa, non ut audire ea quae dicebam iudices, sed ut cernere et paene tangere viderentur. Neque enim mihi probabile neque verum videbatur me, cum fidelissimae atque antiquissimae provinciae patrocinium recepissem, causam tamquam unius clientis in cubiculo meo discere.

27. Ego, nuper cum Reatini, qui essent in fide mea, me suam publicam causam de Velini fluminibus et cuniculis apud hos consules agere voluissent, non existimavi me neque dignitati praefecturae gravissimae neque fidei meae satis esse facturum, nisi me causam illam non solum homines, sed etiam locus ipse lacusque docuisset. 28. Neque tu aliter fecisses, Triari, si te id tui isti Sardi facere voluissent, hi, qui te in Sardiniam minime venire voluerunt, ne longe aliter omnia atque erant ad te delata, cognosceres, nullam multitudinis in Sardinia querelam, nullum in Scauro odium popu[*li. 29. Ac vide, Triari, quantum praeterea intersit inter meam atque tuam accusationem. Ego non ante comperendinavi, quam, quemadmodum Iupiter, si poëtarum fabulis credimus, Enceladum deiectum atque semiustum imposita insula operuit vel, ut alii volunt, Typhonem cuius anhe*]litu Aetnam ardere dicunt, sic Verrem operuissem Sicilia teste tota. Tu uno comperendinasti reum teste producto. At quo teste? dii immortales! Non satis, quod uno, non, quod ignoto, non, quod levi: etiamne Valerio teste primam actionem confecisti, qui patris tui beneficio civitate donatus gratiam tibi non illustribus officiis, sed manifesto periurio rettulit? 30. Quod si te omen nominis vestri forte duxit, nos tamen id more maiorum, quia faustum putamus, non ad perniciem, verum ad salutem interpretamur. Sed omnis ista celeritas ac festinatio, quod inquisitionem, quod priorem actionem totam sustulisti, illud patefecit et illustravit, quod occultum tamen non erat, non esse hoc iudicium iudicii, sed comitiorum consularium causa comparatum.

31. Hic ego Appium Claudium, consulem fortissimum atque ornatissimum virum mecumque, ut spero, fideli in gratiam reditu firmoque coniunctum, nullo loco, iudices, vituperabo. Fuerant enim eae partes aut eius, quem id facere dolor et suspicio sua coëgit, aut eius, qui has sibi partes depoposcit, quod aut non animadvertebat, quem violaret, aut facilem sibi fore in gratiam reditum arbitrabatur. 32. Ego tantum dicam, quod et causae satis et in illum minime durum aut asperum possit esse.

---

1. Haec *aratorum* usque ad §. 28. *odium popu* habet T. solus. — 2. fortasse: *peragravi, peragravi, inquam*. — 3. Haec: *Campus - - Leontinus* habent etiam Rufinianus C. 38. Fortunatianus Art. Rhet. 3, p. 94. — 19. fortasse: *in Scaurum*. — 22. Haec: *litu Aetnam* usque ad §. 34. *suspicio sua coëgit* habet A. solus. — 23. *obruissem* Heinr. et Kreyss. susp. — *tota - - teste*] sic B.; TOTATVOCOPERENDINASTIVMTESTE A. (*tota. Tu comperendinasti eum, teste prod.* P.) — 27. *peiurio* A. — 29. *ad perniciem valere, verum* susp. B. — 37. *dolor et*] sic M.; *doleret* A. — *aut eius - - fama detraxerint* §. 36. habent A. et T. — 39. *reditum in gratia* (sic) T.

Quid enim habet turpitudinis Appium Claudium M. Scauro esse inimicum? Quid? avus eius P. Africano non fuit? Quid? mihi ipsi idem iste? Quid? ego illi? Quae inimicitiae dolorem utrique nostrum fortasse aliquando, dedecus vero certe numquam attulerunt. 33. Successori decessor invidit et voluit eum quam maxime offensum, quo magis ipsius memoria excelleret: res non modo non abhorrens a consuetudine, sed usitata etiamnum et valde pervagata. Neque vero tam haec ipsa quotidiana res Appium Claudium illa humanitate et sapientia praeditum per se ipsa movisset, nisi hunc C. Claudii, fratris sui, competitorem fore putasset.

34. Qui sive patricius sive plebeius esset (nondum enim certum constituerat), cum hoc sibi contentionem fore putabat; Appius autem hoc maiorem etiam, quod illum in pontificatus petitione, in saliatu, in ceteris meminerat fuisse patricium. Quam ob rem se consule neque repelli fratrem volebat, neque, si patricius esset, parem Scauro fore videbat, nisi hunc aliquo aut metu aut infamia perculisset.

35. Ego id fratri in honore fratris amplissimo non concedendum putem, praesertim qui, quid amor fraternus valeat, paene praeter ceteros sentiam? — At enim frater iam non petit. — Quid tum? Si ille retentus a cuncta Asia supplice, si a negotiatoribus, si a publicanis, si ab omnibus sociis civibus exoratus anteposuit honori suo commoda salutemque provinciae, propterea putas semel exulceratum animum tam facile potuisse sanari?

36. Quamquam in istis omnibus rebus, praesertim apud homines barbaros opinio plus valet saepe quam res ipsa. Persuasum est Sardis se nihil Appio gratius esse facturos, quam si de Scauri fama detraxerint; multorum etiam spe commodorum praemiorumque ducuntur; omnia consulem putant posse, praesertim ultro pollicentem. De quo plura iam non dicam. 37. Quamquam ea, quae dixi, non secus dixi, quam si eius frater essem, non is, qui et est et qui multa dixit, sed is, qui ego esse in meum consuevi. Generi igitur totius accusationis resistere, iudices, debetis, in quo nihil more, nihil modo, nihil considerate, nihil integre, contra improbe, turbide, festinanter, rapide omnia, conspiratione, imperio, auctoritate, spe, minis videtis esse suscepta.

38. Venio nunc ad testes, in quibus docebo non modo nullam fidem et auctoritatem, sed ne speciem quidem esse aut imaginem testium. Etenim fidem primum ipsa tollit consensio, quae patefacta est compromisso

---

2. *auos* AT. — *eius* om. A. — 4. *successum* A. — 5. *et* om. T. — *memoriam lacesseret* A. — 6. *etiamnum - - pervag.*] sic PB.; *etiam et valde pervagata* T., *etiamnum et bulgata* A. Scribe *etiamnunc* ut pro Flacco §. 3. — 7. *tamen* T.; om. Ascon. qui habet haec: *Neque vero - - cont. fore putabat.* — 10. *nondum* Ascon. et T.: *non* A. — 11. *sibi certum contentionem* A. — 14. *neque ipse si* T. — 17. *qui* A.: *quum* T. — 21. *putas semel* A.: incerta est scriptura in T.: *putassem et.* Fortasse: *putem semel exulc.* — 25 *nihil - - detraxerint* habet etiam Arusianus p. 224. Lindem. Sequentia *multorum - - Scipionum int* §. 45. habet A. solus. — 31. *more* Niebuhr: *mode* A.; *moderate* M. — 32. *rapide*] *cupide* Beieri susp.; *omnia* geminari iubent Cram. Heinr. Kreyssig. — 36. *patefacta - - recitata*] sic in A. legit ediditque P. Recte, ni fallor. Illicita consensio Sardorum patefacta est compromisso aliquo eorum, cuius exemplum quum in manus patronorum Scauri pervenisset, aliquis horum id recitari iusserat. Id autem *compromissum* invidiose simul *coniurationem* appellat orator; participium vero, id quod aliter fieri non poterat, posteriori nomini accommodat. Sed in eodem A. Maius legit:

Sardorum et coniuratione recitata; deinde illa cupiditas, quae suscepta est spe et promissione praemiorum; postremo ipsa natio, cuius tanta vanitas est, ut libertatem a servitute nulla re alia nisi mentiendi licentia distinguendam putent. 39. Neque ego *dico* Sardorum querelis moveri nos numquam oportere. Non sum aut tam inhumanus aut tam alienus a Sardis, praesertim cum frater meus nuper ab his decesserit, cum rei frumentariae Cn. Pompeii missu praefuisset: qui et ipse illis pro sua fide et humanitate consuluit, et eis vicissim percarus et iucundus fuit. 40. Pateat vero hoc perfugium dolori, pateat iustis querelis; coniurationi via intercludatur, obsaepiatur insidiis; neque hoc in Sardis magis quam in Gallis, in Afris, in Hispanis. Damnatus est T. Albucius, C. Megaboccus ex Sardinia nonnullis etiam laudantibus Sardis. Ita fidem maiorem varietas ipsa faciebat. Testibus enim aequis, tabulis incorruptis tenebantur. 41. Nunc est una vox, una mens, non expressa dolore, sed simulata, neque huius iniuriis, sed promissis aliorum et praemiis excitata. — At creditum est aliquando Sardis. — Et fortasse credetur aliquando, si integri venerint, si incorrupti, si sua sponte, si non alicuius impulsu, si soluti, si liberi. Quae si erunt, tamen sibi credi gaudeant et mirentur. Cum vero omnia absint, tamen se non respicient? non gentis suae famam perhorrescent?

42. Fallacissimum genus esse Phoenicum omnia monumenta vetustatis atque omnes historiae nobis prodiderunt. Ab his orti Poeni multis Karthaginiensium rebellionibus, multis violatis fractisque foederibus nihil se degenerasse docuerunt. A Poenis admixto Afrorum genere Sardi non deducti in Sardiniam atque ibi constituti, sed amandati et repudiati coloni.

43. Quare, cum integri nihil fuerit in hac gente plena, quam valde eam putamus tot transfusionibus coacuisse? Hic mihi ignoscet Cn. Domitius Sincaius, vir ornatissimus, hospes et familiaris meus; ignoscent denique omnes ab eodem Cn. Pompeio' civitate donati, quorum tamen omnium laudatione utimur; ignoscent alii viri boni ex Sardinia; credo enim esse quosdam. 44. Neque ego, cum de vitiis gentis loquor, neminem excipio. Sed a me est de universo genere dicendum, in quo fortasse aliqui suis moribus et humanitate stirpis ipsius et gentis vitia vicerunt. Magnam quidem esse partem sine fide, sine societate et coniunctione nominis nostri, res ipsa declarat. Quae est enim praeter Sardiniam provincia, quae nullam habeat amicam populo Romano ac liberam civitatem? 45. a. Africa ipsa parens illa Sardiniae, quae plurima et acerbissima cum maioribus nostris bella gessit, non solum fidelissimis regnis, sed etiam in ipsa provincia se a societate Punicorum bellorum Utica teste defendit. , Hispania ulterior Scipionum int[*eritu et fidei Saguntinae rogo nobilitata habet Gaditanam civitatem officiis, periculis, foedere nobiscum coniunctam. Quaero iam, quaenam*

late facta - - regitata, edidit: *late facta - - rogitata.* (*labefacta - - rogitata* Beieri susp., *late facta - - cogitata* Kreyssigii susp.) — 4. *aio* M. ante v. *oportere* inseruit: *Neque aio Sard.* Heinr. susp. — 9. *coniurationi via* Beier: *coniuratio vi* A. — 10. *obsediatur* A., unde *obsaepiatur* PB coni. (*obsidietur* M.) — 11. *T.*] Beier: *L.* A. (*et C. Meg.* M. coni) — 18. *tamen sibi*] *tum sibi* Heinr. susp. — 20. *Foenicum* A. — 24. *amendati* A. non improb. Heinrichio. — 25. *plena*] *pura* Heinr. susp. — 27. *Singaius* M. — *denique omnes* Beier: incerta est scriptura codicis; *DELETONES* M., *DELECONES* P. — 31. *sed a me*] *SEDAMEN* A. a pr. m., unde Maius susp. *sed tamen.* Sed vide p. Cluent. §. 118: *A me . . dicentur.*

Sardiniae civitas foederata possit commemorari? Nulla profecto. 45. b. [*Quo igitur ore in populi Romani conspectum se committere audet Sardus testis*] copiis inops, gente fallax? (Arusianus p. 236. Lind.) [*Repulsum etiam vos M. Scaurum a consulatu venistis et beneficio populi Romani eum privare conamini? qua auctoritate?*]

45. c. [*Timere vos dixit accusator, ne Scaurus ea pecunia, quam ab sociis abstulisset, emeret consulatum, et, sicut pater eius fecisset, ante, quam de eo iudicari posset, magistratum iniret ac rursus ante alias provincias spoliaret, quam rationem prioris administrationis redderet: atque hanc ipsam Triarius accusationis tam turbide, tam festinanter a se susceptae causam reddidit.*] 45. d. [*Quid hoc est portenti? quid hoc prodigii est?*] Quem purpura regalis non commovit, eum Sardorum mastrucca mutavit? (Isidori *Etymol.* 19, 23, 5.) 45. e. [*Nemo enim adeo hospes in hac urbe versatur, ut peregrinentur eius aures neque in hoc pervagato civitatis sermone versentur, M. Scaurum vitrico suo L. Sulla victore et munifico in socios victoriae ita abstinentem fuisse, ut nihil neque donari sibi voluerit neque ab hasta emerit. Hoc aliis mirabile videtur: ille quidem aliter facere non potuit. Meminerat enim se eius esse filium, qui senatoria sententia, cuius erat ille princeps, ac nutu prope terrarum orbem rexisset.*] 45. f. [*Quam ob rem, Sardi venales, impero vobis, ut*] hoc nomine audito, quod per omnes gentes pervagatum est (Arusianus p. 256. Lind.), de familia nobili ipsi quoque cum orbis terrarum auctoritate sentiatis. (Ammianus Marcellinus XXII, cap. 15.)

45. g. [*Nunc M. Scaurus squalore sordidus, lacrimis ac maerore perditus, vester est supplex, iudices, vestram fidem obtestatur, misericordiam implorat, vestram potestatem ac vestras opes intuetur. Nolite, per deos immortales! iudices, permittere, ut ab ignotis testibus, ab hominibus barbaris civis ac supplex vester non solum consulatu, quo se honestiorem fore putavit, verum etiam ceteris ante partis honestatibus atque omni dignitate fortunaque privetur. Atque ita vos Scaurus, iudices, orat atque obsecrat, si iniuste neminem laesit, si nullius aures voluntatemque violavit, si nemini (ut levissime dicam) odio fuit. Semel tantum has partes pietas ei imposuit.*]

45. h. Nam cum ex multis unus ei restaret Dolabella paternus inimicus, qui cum Q. Caepione propinquo suo contra Scaurum patrem suum obsignaverat litteras, eas sibi inimicitias non susceptas, sed relictas [*pietatis causa gerendas esse arbitrabatur, aemulatus M. et L. Lucullos, qui, pari pietate et industria praediti, admodum adolescentes paternas inimicitias magna cum gloria fuerant persecuti*]. (Asconius.)

45. i. [*Quanta vero Triarii fuit iniquitas criminantis, quod tam magnificam domum Scaurus haberet! O priscum censorem ac severum, per quem ne honorato quidem homini et principi liceat habere commodam et plenam dignitatis domum,*] praesertim cum propinquitas et celebritas loci suspicionem desidiae tollat aut cupiditatis. (Asconius.)

45. k. [*Quam vero insolenter tua se iactabat, Triari, oratio, cum diceres Lucullei marmoris columnarum, quas in atrio Scauri collocatas videmus, per urbem praeter fictilia deorum fastigia in privatam domum vectas esse tantas moles, ut satisdari sibi damni infecti coëgerit redemptor cloacarum, cum in Pala-*

---

34. *litteras* Beier: *stateras* codd. — *relictas* Beier: *relatas* codd.

tium plaustris extraherentur! Videlicet invidiosae istae columnae ad privatam superbiam, quam populus Romanus odit, advectae sunt, ac non ad publicam magnificentiam, quam diligit. An tu solus ignoras usum iis Scaurum antea fuisse aedilem in ornatu theatri, ut pro muneris amplitudine et liberalitate sua in deorum immortalium honorem religionem ludorum apparatus lautitia augustiorem redderet?] 45. l. Ego porro, qui Albanas habeo columnas, clitellis eas apportavi. (Quintilianus V, 13, 40.) 45. m. [*Quid? tu ipse, Triari, quos, quantos quamque profusos sumptus in columnis fecisti!*] Hoc miror enim querorque, quemquam hominem ita pessum dare alterum verbis velle, ut etiam navem perforet, in qua ipse naviget. (Quintilianus VIII, 6, 47.) 45. n. Domus tibi deerat? At habebas. Pecunia superabat? At egebas. Incurristi amens in columnas; in alienis insanus insanisti; depressam, caecam, iacentem domum pluris quam te, quam fortunas tuas aestimasti. (Ciceronis Orator. 67, §. 223 sq.) [*Quid igitur? si te Scaurus arbitrum adegisset, NI MVLTO MAIORES SVMPTVS, MVLTO MAIORES EFFVSIONES PRO CENSV TVO IN COLVMNIS FECISSES, QVAM IPSE, utrum tandem sponsione vinci necesse fuisset, eumne qui in tam amplo rei familiaris quam paterni nominis patrimonio ornasset dignitatem domo, an eum, qui magno in aere alieno totam ex domo quaesisset?*] 45. o. Haec cum tu effugere non potuisses, contendes tamen et postulabis, ut M. Aemilius cum sua dignitate omni, cum patris memoria, cum avi gloria sordidissimae, levissimae, vanissimae genti, ac prope dicam pellitis testibus condonetur? (Asconius.)

46. Undique mihi suppeditat, quod pro M. Scauro dicam, quocumque non modo mens, verum etiam oculi inciderint. Curia illa vos de gravissimo principatu patris fortissimoque testatur; L. ipse Metellus, avus huius, sanctissimos deos illo constituisse templo videtur in vestro conspectu, iudices, ut salutem a vobis nepotis sui deprecarentur (Asconius), quod ipsi saepe multis laborantibus atque implorantibus ope sua subvenissent; 47. Capitolium illud templis tribus illustratum, paternis atque etiam huius amplissimis donis ornati aditus Iovis optimi maximi, Iunonis Reginae, Minervae, M. Scaurum apud [*vos memoria huius munificentiae et liberalitatis publicae ab omni avaritiae aut cupiditatis suspicione defendunt; propinqua illa aedes Vestae admonet vos, ut recordemini*] 48. illius L. Metelli, pontificis maximi, qui, cum templum illud arderet, in medios se iniecit ignes et eripuit flamma Palladium illud, quod quasi pignus nostrae salutis atque imperii custodiis Vestae continetur. Qui utinam posset parumper exsistere! Eriperet ex hac flamma stirpem profecto suam, qui eripuisset ex illo incendio di[*vinum incolumitatis nostrae pignus. Permoveor cogitatione, tam parum sacerdoti deos esse propitios, ut ne servati quidem servent eius genus tutelae suae commenda*]tum. 49. Te vero, M. Scaure, equidem video, video, inquam, non cogito solum. Nec vero sine magno animi maerore ac dolore, cum tui filii squalorem adspexi, de te recordor. Atque utinam, sicut mihi tota in hac causa versatus ante oculos *es*, sic nunc horum te offeras mentibus et

---

10. Non dicit nominatim Quintilianus, hoc fragm. esse orationis pro Scauro. — 12. *in alienis* Beier: *in alienos* codd.; *in aliena* Burchardi susp. — 21. *condemnetur* Patricii susp. — 26. *tuisse templo videtur* usque ad finem T. — *in templo* Ascon. — 27. *nepoti suo* T. — 36. CVSTODIS A. — 40. *equidem video* Beier: *quidem vidi* T. — 42. *de te recordor* habet etiam Arusianus Messius p. 258. Lindem.

in horum animis adhaerescas! Species medius [*fidius viri, cui neminem vidimus parem consilio, gravitate, constantia, ceteris virtutibus, si posset reviviscere, sic omnes commoveret, ut, quisquis intueretur, is*] etiam si forte non nosset, tamen principem civitatis esse diceret.

50. 'Quo te nunc modo appellem? ut hominem? At non es inter nos. Ut mortuum? At vivis et viges, at in omnium animis atque ore versaris, atque divinus animus mortale nihil habuit, neque tuorum quidquam potuit emori praeter corpus. Quocumque igitur te mo[*do appellari verum est, adsis nobis atque istam mendacissimorum et levissimorum testium vanitatem impudentiamque vultu ipso adspectuque conterreas; adsis et civibus tui consilii, cuius auctoritatis numquam poenituit, praeferas lumen, ut ne genus tuum ignominia et calamitate dehonestent, neve filium tuum, haud degenerem paterni nominis heredem, sententiis suis affligant*].

In Ciceron. in Scauriana invenimus istam discretionem de Sardis *et* Sardiniensibus, *ut illos incolas, illos advenas doceat.* (Pompeii Commentum artis Donati p. 108.)

XX. IN A. GABINIUM.

(In A. Gabinium Cicero dixit ante, quam reconciliata gratia patrocinium eius suscepit. Vide Quintil. L. XI. c. 1. §. 73. Dio 39, 62.)

1. Fibrae cincinnorum madentes. (Servius ad Virg. Ge. I, 120.)

2. *Gallienus, cum Theodoto vellet imperium proconsulare decernere, a sacerdotibus est prohibitus, qui dixerunt fasces consulares ingredi Alexandriam non licere: cuius rei etiam* Ciceronem, cum contra Gabinium loquitur, meminisse *satis novimus.* (Trebellius Pollio *in XXX. Tyrannis. Aemilian.* XXI. p. 521. *Obrecht.*)

XXI. PRO T. ANNIO MILONE.

1. (*Prima scil., vere habita, nunc deperdita*): «Ciceroni quoque in prooemio, cum diceret pro Milone, degredi fuit necesse, ut ipsa oratiuncula, qua usus est, patet». (Quintil. 4, 3, 17. Cf. 3, 6, 93.)

2. Locus, de quo a nonnullis dubitatur, utrum ad Milonianam primam, an ad alteram s. nostram referendus sit, est partim apud eundem 9, 2, 54. partim apud Scholiastam Bobiensem ad Interrog. de aere al. Mil. Ed. Rom. p. 225. Ed. nostrae p. 346. An huius ille legis, quam Clodius a se inventam gloriatur, mentionem facere ausus esset, vivo Milone, non dicam consule? de nostrum enim omnium — non audeo totum dicere. Videte, quid ea viti lex habitura fuerit, cuius periculosa etiam reprehensio est. (Rectius autem habetur pro particula prioris Orationis pro Milone, de qua Schol. Bobiensis Ed. Rom. p. 91. Ed. nostrae p. 276.: «Existit alius praeterea liber actorum pro Milone, in quo omnia interrupta et impolita et rudia, plena denique maximi terroris adgnoscas».)

XXII. Ex Oratione incerta.

Ἐν τοῖς περὶ Κατιλίναν πράγμασι μεγάλοις καὶ μικροῦ δεήσασιν ἀνατρέψαι τὴν Ῥώμην ἥψατο μέν τις ὑπόνοια τοῦ Κράσσου καὶ προσῆλθεν ἄνθρωπος ὀνομάζων ἀπὸ τῆς συνωμοσίας, οὐδεὶς δ' ἐπίστευσεν. Ὅμως δ' ὁ Κικέρων ἔν τινι λόγῳ φανερὸς ἦν Κράσσῳ καὶ Καίσαρι τὴν αἰτίαν προστριβόμενος. Ἀλλ' οὗτος μὲν ὁ λόγος ἐξεδόθη μετὰ τὴν ἀμφοῖν τελευτήν. Plu-

34. Apud Schol. l. l. sic est: *atque pernicie nostrorum omnium. Non audeo* etc.

tarchus in Crasso c. 13. *Cum incredibile sit Ciceronem in oratione post Idus Martias a. u. c. 710. edita hoc modo Crassi et Caesaris tamquam coniuratorum mentionem facere potuisse, hanc, de qua loquitur Plutarchus, ex numero subditiciarum fuisse consentaneum est. Fundus scil. totius rei erat de Crasso in Sall. Catil. 17. et 48., de Caesare ibid. 49. Bellum autem erat declamatiunculae argumentum:* «C. Iulius Caesar et M. Licinius Crassus coniurationis insimulati».

C. TITULI ORATIONUM DEPERDITARUM.

I. II. PRO ACILIO, capitis reo, duas orationes habuit Cic. (ad Div. l. VII. ep. 30.)

III. PRO C. ANTONIO, collega Ciceronis in consulatu. (v. pro Dom. c. 16. §. 41. Dionem Cass. XXXVIII, 10.)

IV. PRO MULIERE ARRETINA. (pro Caecina c. 33. §. 97.)

V. PRO P. ASCITIO. (pro Caelio c. 10. §. 24.)

VI. PRO L. ATRATINO. (pro Caelio c. 1.)

VII In Senatu de Consulatu suo. u. c. 693. Orator. §. 62. ad Attic. I, 14. ad quam Beier *Schulztg.* 1828. N. 20. refert verba servata a Quintil. 9, 3. 45. [*cum me pro communi salute*] «dederim periculis omnibus, obtulerim insidiis, obiecerim invidiae»: quae cum Nobbio dedi supra in fragm. *Contra cont. Metelli 7.*

VIII. PRO BESTIA, ambitus reo, a. d. III. Idus Febr. anni 698. p. U. c. (ad Q. Fratr. l. II. ep. 3. adde Philipp. XI. c. 5.)

IX. PRO CANINIO GALLO; a. 699. p. U. c. (ad Div. l. VII. ep. 1.)

X. PRO M. CISPIO. (pro Planc. c. 31.)

XI. PRO L. CORVINO. Haec oratio biennio ante M. Ciceronis consulatum habita est. (Q. Cic. de Petit. Cons. c. 5.)

XII. PRO CRASSO dixit in senatu; a. 700. p. U. c. (ad Div. l. I. ep. 9. §. 7.)

XIII. XIV. PRO P. DOLABELLA, capitis reo; a. 704. p. U. c. (ad Div. l. III. ep. 10.)

XV. PRO DRUSO; a. 700. p. U. c. (ad Att. IV. ep. 15.)

XVI. PRO MESSIO; a. 700. p. U. c. (ad Att. l. IV. ep. 15.)

XVII. PRO Q. MUCIO, furti reo. (Fragm. Orat. in toga candida.)

XVIII. PRO C. MUSTIO. (in Verr. Act. II. lib. I. c. 53. §. 139.)

XIX. PRO SCIPIONE NASICA, ambitus reo; a. p. U. c. 694. (ad Att. l. II. ep. 1.)

XX. PRO C. ORCHIVIO. (Q. Cic. de Pet. Cons. c. 5.)

XXI. DE PACE v. περὶ ἀμνηστίας in senatu habita tertio post Caesaris caedem die. (Dio XLIV, 63.)

XXII. PRO C. PISONE. (Cic. pro Flacco c. 39.)

XXIII. PRO POPILLIO LAENATE, a quo Cicero postea Antonii permissu interfectus est. (Val. Max. l. V. c. 3. Int. 4.)

XXIV. IN DEPONENDA PROVINCIA. Haec oratio una est e Consularibus. Ciceroni consuli sortienti Macedonia provincia obtigerat, Antonio collegae Gallia. Huius loco Macedoniam Cicero collegae, ut gratum faceret, concessit, et ipsam rursus Galliam postea Metello Celeri. Eo tempore dicta est haec oratio. (ad Att. l. II. ep. 1. §. 2.)

XXV. DE REATINORUM CAUSA contra Interamnates; a. 700. p. U. c. (ad Att. l. IV. ep. 15.)

XXVI. XXVII. PRO M. SAUFEIO. Hunc primum lege Pompeia, mox lege Plautia de vi defendit. (Ascon. in Milon.)

XXVIII. PRO SCAMANDRO. (pro Cluent. c. 17. sqq.)

XXIX. XXX. PRO THERMO; a. 695. p. U. c. (pro Flacco 39.)

XXXI. PRO TITINNIA. (Brut. c. 60.)

XXXII. PRO CAESARE VOPISCO. (Philipp. XI. c. 5.)

XXXIII. LAUDATIO FUNEBRIS filii Serrani Domestici. (Ad Q. fratrem III. 8, 4.)

XXXIV. SI EUM P. CLODIUS LEGIBUS INTERROGASSET. (Scholia Bobiensia ad Orat. p. red. in sen. p. 248. Ed. nostrae. Fuit procul dubio declamatiuncula subditicia. «Ea videtur post mortem eius inventa.»)

EX COMMENTARIIS CAUSARUM.

Cicero causarum, quas acturus erat, commentarios scribere consueverat (v. *de Senect.* c. 11. Asconius Bait. p. 87.). Quas autem orationes, cum habuisset, maxime probabat, postea emendatas solebat edere, minus probatas in commentariis imperfectas relinquere. NOBBE. Cf. Quintilian. 4, 1, 69. Spalding. T. 2. p. 52. Ellendt in Bruto p. XCII.

1. (Ad Accus. II. in Verr. l. III. c. 33.) ***Dimidio pluris, id est, duplo.*** Cic. Comment. ***de decumis Herbitensium per triennium, cum primo anno venditas dicat tritici modiûm XLIV. milibus, secundo tritici modiûm XXV. milibus DCCC., anno tertio supra adiciente Aeschrione venditas*** dicit ***medimnûm VIII. milibus centum, id est, modiûm XLVIII. milibus DC., dupla summa anni proximi:*** addicitur medimnûm VIII. milibus C, dimidio fere pluris, quam anno superiore. (Arusianus v. Dimidio p. 223. Lind.)

2. (E libro XIII.) Re vendita, iterum empta. (Diomedes l. I. p. 365.)

3. (Ex Commentariis causarum pro Gabinio). Ego cum omnes amicitias tuendas semper putavi summa religione et fide, tum eas maxime, quae essent ex inimicitiis revocatae in gratiam: propterea quod integris amicitiis officium praetermissum imprudentiae, vel, ut gravius interpretemur, negligentiae excusatione defenditur: post reditum in gratiam si quid est commissum, id non neglectum, sed violatum putatur, nec imprudentiae, sed perfidiae assignari solet. (Hieronymus Apol. ad Rufinum Lib. I. Opp. T. II. p. 134. ed. Francof. T. IV. p. 351. Ed. Bened. T. II. p. 469. Vallars.)

---

25. Totum locum emendavi nunc partim e Zumptio Verr. p. 498., partim ex Lindemanno p. 223. Iam, cum codd., etiam Gud., sic habeant: *Cic. Comment.* pro Maii et Zumptii: *Cic. in frumentaria,* et Lindem. *Cic. in Frumentaria, comment.* verba autem *addicitur -- superiore* ex Accus. III. 33, 77. desumpta sint, probabilius videtur priora *de decumis -- anni proximi* ab Arusiano ipso in epitomen redacta esse ex orat. §§. 75—77., quam ut cum Niebuhrio ad Fragm. Orat. et Nobbio ad *Commentarios causarum* referamus. OR.

D. FRAGMENTA
EPISTOLARUM.

I. FRAGM. EPISTOLAE AD M. TITINNIUM.

1. Equidem memoria teneo, pueris nobis primum Latine docere coepisse L. Plotium quendam: ad quem cum fieret concursus, quod studiosissimus quisque apud eum exerceretur, dolebam mihi idem non licere. Continebar autem doctissimorum hominum auctoritate, qui existimabant, Graecis exercitationibus ali melius ingenia posse. (Sueton. de clar. Rhet. c. 2. Eusebii Chronic. Hieronymo interprete, ed. Loncall. p. 395.)

II. AD CORNELIUM NEPOTEM LIB. II.

1. Itaque nostri, cum omnia, quae dixissemus, dicta essent, quae facete et breviter et acute locuti essemus, ea proprio nomine appellari dicta voluerunt. (Macrob. Saturn. l. II. c. 1. f.)

AD EUNDEM EX LIB. INCERTO.

1. Hoc restiterat etiam, ut a te fictis adgrederer donis. (Prisc. l. VIII. c. 4. §. 17.)

2. Qui habet, ultro adpetitur; qui est pauper, aspernatur. (Idem ibid.)

3. Quid? oratorum quem huic antepones eorum, qui nihil aliud egerunt? Quis sententiis aut acutior aut crebrior? quis verbis aut ornatior aut elegantior? (Sueton. Iul. Caes. c. 55.)

4. Neque enim quidquam aliud est felicitas nisi honestarum rerum prosperitas, vel, ut alio modo definiam, felicitas est fortuna, adiutrix consiliorum bonorum, quibus qui non utitur, felix esse nullo pacto potest. Ergo in perditis impiisque consiliis, quibus Caesar usus erat, nulla potuit esse felicitas, feliciorque meo iudicio Camillus exsulans quam temporibus isdem Manlius, etiam si, id quod cupierat, regnare potuisset. (Ammian. Marcell. l. XXI. c. 16. §. 13.)

5. *Quidam veterum - - cognitiones actuum variorum stilis uberioribus explicatas non edidere superstites, ut in quadam* ad Cornelium Nepotem *epistola Tullius quoque testis reverendus adfirmat.* (Idem l. XXVI. 1, 2.)

III. AD C. CAESAREM EPIST. LIB. I.

1. Tunc, cum ea, quae es ab senatu summo cum honore tuo consecutus. (Nonius v. Consequi p. 270. v. Honor p. 320.)

2. Balbum quanti faciam quamque ei me totum dicaverim, ex ipso scies. (Idem v. Dicare p. 287.)

3. Debes odisse improbitatem eius, quia impudentissimum nomen delegerit. (Idem v. Improbum p. 327.)

4. Ut sciret maiore cura tuenda esse quam parta sunt. (Idem v. Tueri p. 413.)

AD EUNDEM EPIST. LIB. II.

1. Sed ego, quae monumenti ratio sit, nomine ipso admoneor. Ad memoriam magis spectare debet posteritatis quam ad praesentis temporis gratiam. (Idem v. Monumentum p. 32.)

---

36. *quia*] *qui* Nonii Edd. Ven. March.

2. Vel quod locatio ipsa pretiosa. (Idem v. Locare p. 340.)

3. Quod sapientes homines ac boni putent. (Idem v. Putare p. 369. In Ed. Gothofr. est e *Lib.* II. in Merc. autem e *Lib.* I.)

AD EUNDEM EPIST. LIB. III.

1. Quae si videres, non de exercitu retinendo † tueri, sed eo tradito aut dimisso. (Nonius v. Demissum p. 286.)

2. Amici non nulli a te contemni et despici ac pro nihilo haberi senatum volunt. (Idem v. Contemnere p. 436.)

AD EUNDEM EX LIB. INCERTO.

1. Extrema vero nec quanta nec qualia sint, verbis consequi possum. (Idem v. Consequi p. 270.)

2. Iam amplitudinem gloriamque tuam magno mihi ornamento esse et fore existimo, quod me levas cura. (Idem v. Levare p. 336.)

IV. FRAGM. EPIST. CAESARIS AD CICERONEM.

1. Neque pro cauto ac diligente se castris continuit. (Charisius l. I. p. 101. ed. Putsch.)

V. AD CAESAREM IUNIOREM EPIST. LIB. I.

1. * * et aut ad consules aut ad te aut ad Brutum adissent, iis fraudi ne esset, quod cum Antonio fuissent. (Nonius v. Aditus p. 238.)

2. Roga ipsum, quem ad modum ego eum Arimini acceperim. (Idem v. Accipere p. 239. v. Rogare p. 383.)

3. Sed cito paenituit domumque rediit, ceteri cunctabantur. (Idem v. Cunctari p. 252.)

4. * * neminem tibi profecto hominem ex omnibus aut anteposuissem umquam aut etiam comparassem. (Idem v. Comparare p. 256.)

5. In singulas tegulas impositis sescentis sescenties confici posse. (Idem v. Confectum p. 269.)

6. Ne res duceretur, fecimus ut Hercules Antianus in alium locum transferretur. (Idem v. Duci p. 283 sq.)

7. Ex ceteris autem generibus tunc pecunia expedietur, cum legionibus victricibus erunt, quae spopondimus, persolvenda. (Idem v. Expedire p. 298.)

8. Itaque vereor ne ferociorem eum faciant tua tam praeclara iudicia de eo. (Idem v. Ferox p. 305.)

9. Sed quod videret nomine pacis bellum involutum fore. (Idem v. Involvere p. 328.)

10. Erat opinio bona de Planco, bona de Lepido. (Idem v. Opinio p. 356.)

11. Sed haec videbimus, cum legati responsa retulerint. (Idem v. Relatum p. 380.)

12. Qui si nihil ad id beneficium adderes, quo per te me una cum re publica in libertatem vindicassem. (Idem v. Vindicare p. 419.)

13. Quod mihi et Philippo vacationem das, bis gaudeo. Nam et praeteritis ignoscis et concedis futura. (Idem v. Ignoscere et Concedere p. 436.)

---

5. *timere* Walch. — 28. *Antaeanus* Lipsius.

14. Pridie Nonas Februarias cum ad te litteras mane dedissem, descendi ad forum togatus, cum reliqui consulares sagati vellent descendere. (Idem v. Sagum p. 538.)

AD EUNDEM EPIST. LIB. II.

1. Sed ita locutus insulse est, ut mirum senatus convicium exceperit. Nonius v. Insulsum p. 33.)

2. In quo tua me provocavit oratio, mea consecuta est segnis. (Idem v. Ignavum et Segne p. 33.)

3. Bellum, ut opinio mea fert, ex consensu civitatis confectum iam haberemus. (Idem v. Confectum p. 269.)

4. ** cum constet Caesarem Lupercis id vectigal dedisse, qui ante poterat id constare? (Idem v. Constat p. 273.)

5. De statua nescio cuius Clodii, quam cum restitui iussisset Anconae, cum hero deiectam esse ex senatus consulto. (Idem v. Deicere p. 288.)

6. ** insolens, arrogans, iactans. (Idem v. Insolens p. 322.)

7. Quem perisse ita de re publica merentem consulem doleo. (Idem v. Meret p. 344.)

8. Tu si meam fidem praestiteris, quod confido te esse facturum. (Idem v. Praestare p. 371.)

9. Scriptum erat equestre proelium valde secundum, in his autem potius adversum. (Idem v. Secundum p. 389.)

10. Cum iter facerem † Athiqui iam aternam tempestate spurcissima. (Idem v. Spurcum p. 394.)

11. Nihil omnino certi nec locupletem ad hoc auctorem habebamus. (Idem v. Locupletes p. 462.)

12. Antonius demens ante lucem paludatus. (Idem v. Paludamentum p. 539.)

AD EUNDEM EPIST. LIB. III.

1. Itaque † in eam pausam vehementer est invectus. (Nonius v. Invehi p. 329.)

2. Ego autem antiquissimum Scythis oriundum, quibus antiquior laetitia est quam lucrum. (Idem v. Antiquus p. 426.)

AD EUNDEM EX LIB. INCERTO.

1. Posthac quod voles a me fieri, scribito. Vincam opinionem tuam. (Nonius v. Opinio p. 356.)

2. Promissa tua memoria teneas. (Idem v. Promittere p. 362.)

VI. AD C. PANSAM EPIST. LIB. I.

1. De Antiocho fecisti humaniter: quem quidem ego semper dilexi meque ab eo diligi sensi. (Nonius v. Humaniter p. 509. Priscianus l. XV. c. 3. §. 14.)

2. ** quorum erupit illa vox, de qua ego ex te primum quiddam inaudieram. (Nonius v. Inaudire p. 126.)

AD EUNDEM EPIST. LIB. III.

1. Nos Ventidianis rumoribus concalfecimus. (Nonius v. Concalfacere p. 92.)

---

14. Fort. *eam heri*. OR. — 23. *iter facerem Claternam* Non. Iunii; *ad Hirtium Claternam* C. L. Roth. — 30. *in eum Pansa* Iunii susp.

VII. AD A. HIRTIUM EPIST. LIB. II.

1. Qua in re si mediocriter lapsus sum, defendes meum tolerabile erratum. (**Nonius** v. Error p. 204.)

Ad eundem epist. lib. v.

1. Et quoniam, ut hoc tempus est, nihil habeo patriae quod impertiam. (**Idem** v. Impertire p. 37.)

Ad eundem epist. lib. ix.

1. * Dices: quid, quaeso, istuc intererat? Nescio, nisi tamen erat mihi verendum saepius ne qui casus perimeret superiora. (**Idem** v. Interfici p. 450.)

Ad eundem ex lib. incerto.

1. Luta et limum adgerebant. (**Idem** v. Lutum p. 212.)

2. Cum enim nobilitas nihil aliud sit quam cognita virtus, quis in eo, quem veterascentem videat ad gloriam, generis antiquitatem desideret? (**Idem** v. Vetustiscere et veterascere p. 437.)

VIII. AD M. BRUTUM EPIST. LIB. I.

Si Pompeius non ex alto peteret et multis verbis me iam hortaretur. (**Servius** Lionis ad Aen. VIII. 395.)

Ad eundem epist. lib. vii.

His contraria atque parata, ut esse soleat, expertus sum. (**Nonius** v. Experiri p. 296.)

Ad eundem epist. lib. viii.

1. Vale et nos ama; vel, si id nimis est, dilige. (**Isidorus** Differentiarum libro N. 17. p. 742. Ed. du Breul.)

2. Sic igitur facies, et me aut amabis aut, quo contentus sum, diliges. (**Nonius** v. Amare et Diligere p. 421. v. Contentus p. 264.)

3. Et quod te tantum amat, ut vel me audeat provocare. (**Idem** v. Vel p. 527.)

Ad eundem ex libris incertis.

1. Simne bonus vir, si haec suadeam? Minime. Suasoris enim finis est utilitas eius, cui quisque suadet. At recta sunt: quis negat? Sed non est semper rectis in suadendo locus. (**Quintilianus** l. III. c. 8. §. 42.)

2. Veritus fortasse ne nos in Catonem nostrum transferremus illinc mali quid, etsi argumentum simile non erat. (**Idem** l. V. c. 10. §. 9.)

3. Nam eloquentiam, quae admirationem non habet, nullam iudico. (**Idem** l. VIII. c. 3. §. 6.)

4. Eum amorem et eum, ut hoc verbo utar, favorem in consilium advocabo. (**Idem** l. VIII. c. 3. §. 34.)

5. Populo imposuimus et oratores visi sumus. (**Idem** l. VIII. c. 6. §. 20 et 55.)

6. Ego cum in gratiam redierim cum Ap. Claudio et redierim per Cn. Pompeium: ego ergo cum redierim. — (**Idem** l. IX. c. 3. §. 41.)

7. Sermo nullus scilicet nisi de te: quid enim potius? Tum Flavius, Cras, inquit, tabellarii, et ego ibidem has inter cenam exaravi. (**Idem** ibid. §. 58.)

---

20. An *disparata*? Or. — *ut assolet* Bardilii susp. An *ut esse soleant*? Or.

8. Res mihi invisae visae sunt, Brute. (Idem l. IX. c. 4. §. 41.)

9. *Ipse Cicero in sua persona, cum ad Brutum in Epistolis, tum aliis etiam locis* virtutem eloquentiam *appellat.* (Idem l. II. c. 20. §. 10.)

10. *Tres libros (epistolarum Ciceronis), duos ad Brutum, unum ad Axium, describi iubebis, si quid rei esse videbitur, et remittes mihi; nam exemplares eorum excerptorum nullos feci.* (Fronto p. 161. ed. Rom. Inest igitur error in Nonii numeris, aut alia divisione utebatur, aut denique Fronto significat Epistolas ad Brutum subditicias, quarum duo libri, veteres, et quas Cratander primus edidit, etiam tunc fortasse exstabant.)

[11. Ad Epp. ad Brutum deperditas referendum est etiam Frontonis hoc fragmentum (Ed. Rom. p. 78.): *Epistola Ciceronis mirifice affecit animum meum. Miserat Brutus Ciceroni librum suum corrigendum* . . . . . .]

IX. FRAGMENTA EPIST. BRUTI AD CICERONEM.

1. Occiso C. Caesare, postquam mare transierat, praestatum est. (Priscianus l. IX. c. 7. §. 38.)

2. Neque illi malunt habere tutores aut defensores, quamquam sciunt placuisse Catoni. (Quintilianus l. IX. c. 4. §. 75.)

3. Praestat enim nemini imperare quam alicui servire: sine illo enim vivere honeste licet, cum hoc vivendi nulla conditio est. (Hoc, quod editores Ciceronis epistolarum fragmentis adnumerant, Quintilianus l. IX. c. 3. §. 95. apud Brutum de dictatura Pompeii scriptum fuisse testatur. Nobbe.)

X. EX EPISTOLARUM AD M. FILIUM LIB. I.

Qua re effice et elabora, ut excelleas. (Priscianus l. VIII. c. 17. §. 96. l. X. c. 6. §. 36.)

Ad eundem lib. ii.

Cui ego, quibuscumque rebus potero, libentissime commodabo. (Nonius v. Commodare p. 275.)

Ad eundem ex lib. incerto.

1. Ceris delitis. (Diomedes l. 1. p. 372. Putsch.)

2. Philosophiae quidem praecepta noscenda, vivendum autem civiliter. (Lactantius Inst. l. III. c. 14. §. 17.)

3. *Cicero per epistolam culpat filium dicens male eum dixisse* direxi litteras duas, *cum litterae, quoties epistolam significant, numeri tantum pluralis sint.* (Servius ad Aen. VIII, 168.)

4. *M. Tullius - - in filio, ut epistolis apparet, recte loquendi usque quaque asper quoque exactor.* (Quintilianus 1, 7, 34. Ioannes Sarisb. Metalog. 1, 21.)

XI. AD C. LICINIUM CALVUM LIB. I.

1. Tuli moleste, quod litterae delitae mihi a te redditae sunt. (Priscianus l. IX. c. 10. §. 54.)

2. Praesentit animus et augurat quodam modo, quae futura sit suavitas. (Nonius v. Auguro p. 469.)

XII. AD Q. AXIUM EPIST. LIB. I.

1. Ad M. Bibulum adierunt. (Arusianus Messius p. 212. Lindem.)

2. Si tu nos aliquid adiutare potes. (Idem p. 213.)

3. Caesar in consulatu confirmavit regnum, de quo aedilis cogitarat. (Suetonius in Iul. Caes. c. 9.)

4. *Quam flebiles voces exprimit (Cicero) in quadam ad Atticum (l. Axium) epistola iam victo patre Pompeio, adhuc filio in Hispania fracta arma refovente?* Quid agam, *inquit,* hic, quaeris? Moror in Tusculano meo semiliber. (Seneca de brevit. vitae c. 5. Male nonnulli referebant ad Epp. ad Attic. 13, 31.)

XIII. EX EPISTOLA AD CATONEM.

Nec idcirco mihi desiderandam esse dignitatem meam, quod eam multi impugnarint, sed eo magis recolendam, quod plures desiderarint. (Nonius v. Plus et Multum p. 438.)

XIV. EX EPISTOLA AD CAERELLIAM.

1. Haec aut animo Catonis ferenda sunt aut Ciceronis stomacho. (Quintilianus l. VI. c. 3. §. 112.)

2. *Meminerint eruditi in praeceptis † omnibus (Ciceronis) extare severitatem, in epistolis ad Caerelliam subesse petulantiam.* (Ausonius in Centone nuptiali in fine. p. 181. Ed. Genevae 1595.)

XV. EX EPISTOLA AD HOSTILIUM.

Cicero requietem *dixit ad Hostilium.* (Charisius Putschii p. 52 et 85.)

XVI. EX EPISTOLIS INCERTIS.

1. Data Lupercalibus, quo die Antonius Caesari. (Quintilianus l. IX. c. 3. §. 61.)

2. Ne illi sunt pedes faceti ac deliciis ingredienti molles. (Idem l. VI. c. 3. §. 20.)

3. Piissimus *vituperat Cicero in Philippicis (13, 19.); tamen Caper ille magister Augusti Caesaris laboravit vehementissime et de epistolis Ciceronis collegit haec verba, ubi dixerat ipse Cicero* piissimus. (Pompeius Lindemanni p. 132.)

4. *Καίτοι τινὲς τῶν προςποιουμένων δημοσθενίζειν ἐπιφύονται φωνῇ τοῦ Κικέρωνος, ἣν πρός τινα τῶν ἑταίρων ἔθηκεν ἐν ἐπιστολῇ γράψας, ἐνιαχοῦ τῶν λόγων ἀπονυστάζειν τὸν Δημοσθένην.* (Plutarchus in Vita Cic. c. 24.)

5. *Ciceroni* dormitare interim Demosthenes - - *videtur.* (Quintilianus 10, 1, 24.)

6. *Cicero in quibusdam epistolis scripsit*, a satellitibus Caesarem in cubiculum regium eductum in aureo lecto veste purpurea decubuisse floremque aetatis a Venere orti in Bithynia contaminatum. (Suetonius Caesar c. 49.)

Ad Epistolas haec quoque referunt:

7. P. Ventidium mulionem castrensem suffarraneum fuisse. (Plinius H. N. l. VII. 44.)

8. Non se timidum in suscipiendis, sed in providendis periculis. — (Quintilianus XII, 1, 17. Notante Bardilio fortasse respexit locum ad Famil. 6, 21, 1.)

---

19. *ad Metellum* Martyni-Laguna. — 23. *ingrediendi* Spaldingii susp. — 40. *castrensis furnariae* Turnebus.

9. Sed tamen ad illum diem Memmius erat Memmius. (Aquila c. 28. p. 171. Marcianus Capella Rhet. p. 429. Capp.: Sed tamen ad illam diem Memmius, Memmius ad illud tempus, Memmius in alio. «Idem intelligitur Memmius, qui Paridis nomine significatur ad Attic. 1, 18.» Nobbe.

XVII. EPISTOLA AD POMPEIUM.

Cf. Orat. pro Sulla c. 24. Scholiastam Bobiensem ad Plancianam p. 271. Ed. nostrae.

XVIII. EPISTOLA AD TIRONEM.

Licet autem omnino sileas, te tamen, ut Cicero in epistola ad Tironem de amico scribit, utique et in omnibus habeo excusatum, ponens, si quando distuleris ab officio, tibi opportunitatem defuisse, non animum. (Ioannes Sarisberiensis Epistola 181. in Magna Bibliotheca Patrum, Coloniae 1622. Tom. 15. p. 559.)

XIX. EPISTOLARUM *ΣΥΝΑΓΩΓΗ.*

(Cic. ad Att. XVI. 5.)

E. FRAGMENTA
DEPERDITORUM LIBRORUM PHILOSOPHORUM.

I. OECONOMICA EX XENOPHONTE.

(«Oeconomica scripsit Cicero a. p. u. c. 670 aut 671, Oeconomicum Xenophonteum, si non interpretatus, certe secutus. Quamquam his in fragmentis multa insunt interpretationis vestigia. Macrobius Saturn. l. II. c. 16. Ciceronis Oeconomicon librum tertium memorat. Ac Serv. ad Virg. Ge. I, 43. omnino tres fuisse libros narrat. Ego fragmenta, quoniam, quo quaeque e libro sumpta sint, non liquet, ad Xenophontei Oeconomici ordinem redigere malui». Nobbe.)

Vilicus proprie villae gubernator est, unde et a villa vilicus nomen accepit. Οἰκονομικὸς autem tam pecuniae quam frugum et omnium, quae dominus possidet, dispensator est. Unde et Οἰκονομικὸς Xenophontis *pulcherrimus liber est, qui non gubernationem villae, sed dispensationem universae domus Tullio interpretante significat.* (Hieronymus ad Algasiam. Quaest. VI. Opp. T. 4. P. 1. p. 196. Bened.)

---

29. *Tullio interpretante*] i. e. «quantum colligi licet ex Xenophontis Oeconomico Latine converso a Tullio». Male haec intellexit Schottus *Nod. Cic.* 3, 7. p. 349, quasi Tullius ipse inscripsisset hunc librum: *Universae dispensationem domus.* Quod autem, notante Schneidero in *Comment. ad Colum.* L. 12. *Praef.* p. 604, Arator in Praef. Lib. VI. *Speculi doctrinalis* Vincentii Bellovacensis narrat de Xenophontis Oeconomico ab Hieronymo Latine converso, id fluxit e male intellecto hoc ipso Hieronymi loco et altero eiusdem *ad Pammachium de optimo genere interpretandi* Opp. T. IV. P. II. p. 250 Bened., ubi rursus Oeconomici Tulliani mentionem facit. Ceterum mihi prorsus persuasum est, in omnibus hisce locis ita versatum esse Columellam, ut Ciceronis quidem Oeconomicum ante oculos haberet, sed ad proprium suum stilum quaedam accommodaret paululumque immutaret. Insunt enim in iis vestigia aliquot elocutionis vix Tullianae, v. c. *valere* cum infinitivo constructum, *superfieri, ministrare aliquem, accurare* cet. Cum Nobbio secutus sum Schneideri recensionem, nec omnem varietatem Fragm. enotavi. Or.

1. (Xenophon Oecon. c. 4. §. 20—25.) Cum ad Cyrum minorem, regem Persarum, praestantem ingenio atque imperii gloria, Lysander Lacedaemonius, vir summae virtutis, venisset Sardis *et reliqua, quae continentur libro* DE SENECTUTE c. 17. §. 59.

2. (Xenophon Oecon. c. 6. §. 12.) Homo ex eo numero hominum, qui apud nos hoc nomine dignantur. (Priscianus l. VIII. c. 4. §. 19.)

3. (Xenophon Oecon. c. 7. §. 9.) Quid igitur, pro deum immortalium, primum eam docebas, quaeso? (Donatus in Terent. Phorm. 2, 3, 4.)

4. *Xenophon Atheniensis eo libro, qui Oeconomicus inscribitur, prodidit* (c. 7. §. 18—28.) maritale coniugium sic comparatum esse natura, ut non solum iucundissima, verum etiam utilissima vitae societas iniretur: nam primum, *quod etiam Cicero ait*, ne genus humanum temporis longinquitate occideret, propter hoc marem cum femina esse coniunctum: deinde ut ex hac eadem societate mortalibus adiutoria senectutis nec minus propugnacula praepararentur. Tum etiam, cum victus et cultus humanus non uti feris in propatulo ac silvestribus locis, sed domi sub tecto accurandus erat, necessarium fuit alterutrum foris et sub dio esse, qui labore et industria compararet quae tectis reconderentur, si quidem vel rusticari vel navigare vel etiam genere alio negotiari necesse erat, ut aliquas facultates acquireremus. Cum vero paratae res sub tectum essent congestae, alium esse oportuit, qui et illatas custodiret et ea conficeret opera, quae domi deberent administrari. Nam et fruges ceteraque alimenta terrestria indigebant tecto, et ovium ceterarumque pecudum fetus atque fructus clauso custodiendi erant, nec minus reliqua utensilia, quibus aut alitur hominum genus aut etiam excolitur. Qua re cum [et] operam et diligentiam ea, quae proposuimus, desiderarent nec exigua cura foris acquirerentur quae domi custodiri oporteret, iure, ut dixi, [a] natura comparata est [opera] mulieris ad domesticam diligentiam, viri autem ad exercitationem forensem et extraneam. Itaque viro calores et frigora perpetienda, tum etiam itinera et labores pacis ac belli, id est, rusticationis et militarium stipendiorum, deus tribuit, mulieri deinceps, quod omnibus his rebus eam fecerat inhabilem, domestica negotia curanda tradidit. Et quoniam hunc sexum custodiae et diligentiae assignaverat, idcirco timidiorem reddidit quam virilem. Nam metus plurimum confert ad diligentiam custodiendi. Quod autem necesse erat foris et in aperto victum quaerentibus non numquam iniuriam propulsare, idcirco virum quam mulierem fecit audaciorem. Quia vero partis opibus aeque fuit opus memoria et diligentia, non minorem feminae quam viro earum rerum tribuit possessionem. Tum etiam, quod simplex natura non omnes res commodas amplecti valebat, idcirco alterum alterius indigere voluit, quoniam, quod alteri deest, praesto plerumque est alteri. *Haec in Oeconomico Xenophon* [*et*] *deinde Cicero, qui eum Latinae consuetudini tradidit, non inutiliter disseruerunt.* (Columella l. XII. Praef. §. 1—7.)

5. (Xenophon Oecon. c. 7. §. 36 sq.) Ea porro persuasissimum habere debebit aut in totum aut certe plurimum domi se morari opor-

---

25. *claustro* Lamb. — 40. *commode* Schneideri susp.

tere, tum quibus aliquid in agro faciendum erit servis, eos foras emittere, quibus autem in villa quid agendum videbitur, eos intra parietes continere atque animadvertere, ne diurna cessando frustrentur opera, quae domum autem inferuntur, diligenter inspicere, ne delibata sint, et ita explorata atque inviolata recipere, tum separare quae consumenda sunt et quae superfieri possunt custodire, ne sumptus annuus menstruus fiat. Tum si quis ex familia coeperit adversa valetudine affici, videndum erit ut is quam commodissime ministretur: nam ex huius modi cura nascitur benevolentia nec minus obsequium. Quin etiam fidelius quam prius servire student, qui convaluerint, cum est aegris adhibita diligentia. (Columella l. XII. c. 1. §. 5. sq.)

6. Xenophon Oecon. c. 8. §. 2—4.) Nam vetus est proverbium, paupertatem certissimam esse, cum alicuius indigeas, uti eo non posse, quia ignoretur, ubi proiectum iaceat quod desideretur. Itaque in re familiari laboriosior est negligentia quam diligentia. Quis enim dubitet nihil esse pulchrius in omni ratione vitae dispositione atque ordine? Quod etiam ludicris spectaculis licet saepe cognoscere. Nam ubi chorus canentium non ad certos modos neque numeris praeeuntis magistri consensit, dissonum quiddam ac tumultuosum audientibus canere videtur. At ubi certis numeris ac pedibus velut facta conspiratione consensit atque concinuit, ex eius modi vocum concordia non solum ipsis canentibus amicum quiddam et dulce resonat, verum etiam spectantes audientesque laetissima voluptate permulcentur. Iam vero in exercitu neque miles neque imperator sine ordine ac dispositione quidquam valet explicare, cum armatus inermem, eques peditem, plaustrum equitem, si sint permixti, confundant. (Columella l. XII, c. 2. §. 3—5.)

7. (Xenophon Oecon. c. 8. §. 10.) Nam et unum quodque facilius consideratur, cum est assignatum suo loco, et si quid forte abest, ipse vacuus locus admonet, ut quod deest requiratur. Si quid vero curari aut concinnari oportet, facilius intelligitur, cum ordine suo recensetur. (Columella l. XII. c. 2. §. 6.)

8. (Xenophon Oecon. c. 8. §. 16.) Haec eadem ratio praeparationis atque ordinis etiam in navigiis plurimum valet. Nam ubi tempestas incessit et est rite disposita navis, suo quidque ordine locatum armamentum sine trepidatione minister promit, cum est a gubernatore postulatum. (Columella l. XII. c. 2. §. 5.)

9. (Xenophon Oecon. c. 9. §. 3.) Quod excelsissimum est conclave, pretiosissima vasa et vestem desiderat: quod denique horreum siccum atque aridum, frumentis habetur idoneum: quod frigidum, commodissime vinum custodit: quod bene illustre, fragilem supellectilem atque ea postulat opera, quae multi luminis indigent. (Columella l. XII. c. 2. §. 2.)

10. (Xenophon Oecon. c. 9. §. 6—10.) Praeparatis idoneis locis instrumentum et supellectilem distribuere coepimus ac primum ea secrevimus, quibus ad res divinas uti solemus: postea mundum muliebrem, qui ad dies festos comparatur, deinde ad *bella* virilem: item dierum sollemnium ornatum nec minus calceamenta utrique sexui convenientia: tum iam seorsum arma ac tela seponebantur et in altera parte instrumenta,

quibus ad lanificia utuntur. Post, quibus ad cibum comparandum vasis uti assolent, constituebantur; inde, quae ad lavationem, quae ad exornationem, quae ad mensam cotidianam atque epulationem pertinent, exponebantur. Postea ex iis, quibus cotidie utimur, quod menstruum esset, seposuimus, annuum quoque in duas partes divisimus. Nam sic minus fallit, qui exitus futurus sit. Haec postquam omnia secrevimus, tum suo quaeque loco disposuimus: deinde, quibus cotidie servuli utuntur, quae ad lanificia, quae ad cibaria coquenda et conficienda pertinent, haec ipsis, qui his uti solent, tradidimus et ubi ea ponerent demonstravimus et ut salva essent praecepimus. Quibus autem ad dies festos et ad hospitum adventum utimur et ad quaedam rara negotia, haec promo tradidimus et loca omnium demonstravimus et omnia adnumeravimus atque adnumerata ipsi exscripsimus, eumque admonuimus, ut, quodcumque opus esset, sciret, unde daret, et meminisset atque adnotaret, quid et quando et cui dedisset, et, cum recepisset, ut quidque suo loco reponeret. (Columella l. XII. c. 3. §. 1—4.)

11. (Xenophon Oecon. c. 9. §. 11.) In primis considerandum erit, an a vino, ab escis, a superstitionibus, a somno, a viris remotissima sit, et ut cura eam subeat, quid meminisse, quid in posterum prospicere debeat, ut fere eum morem servet, quem vilico praecepimus, quoniam pleraque similia esse debent in viro atque femina et tam malum vitare quam praemium recte factorum sperare. (Columella l. XII. c. 1. §. 3.)

12. (Xenophon Oecon. c. 9. §. 14.) Postremo his rebus omnibus constitutis nihil hanc arbitror distributionem profuturam, nisi, ut iam dixi, vilicus saepius et aliquando tamen dominus aut matrona consideraverit animadverteritque, ut ordinatio instituta conservetur. Quod etiam in bene moratis civitatibus semper est observatum; quarum primoribus atque optimatibus non satis visum est bonas leges habere, nisi custodes earum diligentissimos cives creassent, quos Graeci νομοφύλακας appellant. Horum erat officium eos, qui legibus parerent, laudibus prosequi nec minus honoribus, eos autem, qui non parerent, poena multare. (Columella l. XII. c. 3. §. 10 sq.)

13. (Xenophon Oecon. c. 10. §. 10.) Denique uno loco quam minime oportebit eam consistere: neque enim sedentaria eius opera est, sed modo ad telam debebit accedere ac, si quid melius sciat, docere: si minus, addiscere ab eo, qui plus intellegat, modo eos, qui cibum familiae conficiunt, invisere, tum etiam culinam et bubilia nec minus praesepia mundanda curare: valetudinaria quoque vel, si vacent ab imbecillis, identidem aperire et immunditiis liberare, ut, cum res exegerit, bene ordinata [et ornata] et salubria languentibus praebeantur: promis quoque et cellariis aliquid appendentibus aut metientibus intervenire. (Columella l. XII. c. 3. §. 8.)

[*«Sane sciendum Xenophontem scripsisse unum librum Oeconomicum, cuius pars ultima agriculturam continet; de qua parte multa ad* [*suum*] *hoc opus Virgilius transtulit, sicut etiam de Georgicis Magonis Afri, Catonis, Varronis, Ciceronis quoque libro tertio Oeconomicorum, qui agriculturam continet. Nam primus praecepta habet, quemadmodum debeat materfamilias domi agere; secundus, quemadmodum foris paterfamilias».*] (Servius ad Georg. I, 43. T. 2. p. 180. Lion.)

14. *Itaque in Oeconomico Xenophontis, quem M. Cicero Latino sermoni tradidit, vir egregius ille Ischomachus Atheniensis, rogatus a Socrate* (c. 12. §. 4.) utrumne, si res familiaris desiderasset, mercari vilicum tamquam fabrum an a se instituere consueverit, Ego vero, inquit, ipse instituo. Etenim qui me absente in meum locum substituitur et vicarius meae diligentiae succedit, is ea, quae ego, scire debet. (Columella l. XI. c. 1. §. 5.)

15. (Xenophon Oecon. c. 12. §. 10—14.) Somni et vini sit abstinentissimus, quae utraque sunt inimicissima diligentiae: nam et ebriosa cura officii pariter cum memoria subtrahitur et somniculosum plurima effugiunt: quid enim possit aut ipse agere aut cuiquam dormiens imperare? Tum etiam sit a venereis amoribus aversus: quibus si se dediderit, non aliud quidquam possit cogitare quam illud, quod diligit. Nam vitiis eius modi pellectus animus nec praemium iucundius quam fructum libidinis nec supplicium gravius quam frustrationem cupiditatis existimat. (Columella l. XI. c. 1. §. 13. 14.)

16. (Xenophon Oecon. c. 16. §. 14.) Nullo modo facilius arbitror posse neque herbas arescere et interfici neque terram ab sole percoqui. (Nonius v. Interfici p. 449.)

17. (Xenophon Oecon. c. 17. §. 2.) *Sementibus tempora plerique praesumunt et ab undecimo die autumnalis aequinoctii fruges serunt adveniente Coronae exortu, continuis diebus certo prope imbrium promisso, Xenophon, non antequam deus signum dederit. Hoc Cicero* Novembris imbre *fieri interpretatus est, cum sit vera ratio non prius serendi quam folia coeperint decidere.* (Plinius H. N. XVIII. 60.)

18. (Xenophon Oecon. c. 17. §. 14. Apes in alvearium congesserant. (Charisius l. I. p. 82.)

19. (Xenophon Oecon. c. 19. §. 3.) Scrobes. (Servius ad Virgil. Georg. l. II. v. 288.)

20. (Xenophon Oecon. c. 19. §. 12 sq.) Neque serit vitem neque quae sata est diligenter colit: oleum, ficus, poma non habet. (Macrobius Saturnal. l. II. c. 16. l. III. c. 20.)

21. Xenophon Oecon. c. 19. §. 19.) Cum vero affecta iam prope aestate uvas a sole mitescere tempus est —. (Gellius l. XV. c. 5. Nonius v. Profligare p. 161.)

22. (Xenophon Oecon. c. 20. §. 16—19.) Plurimum enim refert colonos a primo mane opus aggredi nec lentos per otium pigre procedere, si quidem Ischomachus idem ille, Malo, inquit, unius agilem industriam quam decem hominum negligentem et tardam operam. Quippe plurimum affert mali, si operario tricandi potestas fiat. Nam ut in itinere conficiendo saepe dimidio maturius pervenit is, qui naviter et sine ullis concessationibus permeabit, quam is, qui, cum sit una profectus, umbras arborum fonticulorumque amoenitatem vel aurae refrigerationem captavit, sic in agresti negotio dici vix potest quid navus operarius ignavo et cessatore praestet. (Columella l. XI. c. 1. §. 15. 16.)

---

4. *an ipse instituere* I. F. Gronovii susp. (cf. Hand Turs. 1. p. 24.) — 25. *congesserant*] Victorius. *concesserant* Charis. *concesserunt* Fragmm. Ern. — 40. *cessationibus* Nobbe.

23. (Xenophon Oecon. c. 18. §. 2.) Eruunt breves culmos. (Libellus de genn. nom. ed. Hauptii p. 75.)

24. *Cicero in Oeconomicis* laudat praedia latifundia. (Servius ad Virg. Georg. II. v. 412.)

25. [*Oeconomici Tulliani fragmentum deprehendisse sibi videbantur Ambrosii Editores Benedictini in illis Ambrosii de Officiis* 3, 6, 2.: cum alius alleget agriculturam laudabilem apud omnes haberi, fructus terrae simplices esse triplos, plus qui seminaverit, eum probatiorem fore, uberiores reditus industriae non fraudari, negligentiam magis et incuriam ruris inculti reprehendi. *Mihi quidem parum probabile videtur, haec Tulliana esse.* Or.]

II. PROTAGORAS EX PLATONE.

Hunc dialogum quo tempore Cicero Latine interpretatus sit, non magis constat quam quando Aeschinis in Ctesiphontem et Demosthenis pro Ctesiphonte orationes et, quod his praemisit, prooemium de optimo genere oratorum. Protagoram vero et alios nescio quos Platonis libros cum alii tum Schützius a Cicerone in iuventute in Latinum esse conversos propterea statuere videntur, quod Xenophontis Oeconomicum ipse Cicero a se adolescente adhuc in Latinum esse translatum scribit Off. I. II. c. 24. §. 87. Ceterum adde locum Quintiliani l. X. c. 5. §. 2. Kuhnkenii quidem iudicio haud integrum. Nobbe.

---

1. (Plato Protag. init.) Quid tu? unde tandem appares, o Socrate? an quidem non dubium est, quin ab Alcibiade? (Priscianus l. VI. c. 11. §. 63.)

2. (Plato Protag. p. 337. B.) Nunc a vobis, o Protagora et Socrate, postulo ut de isto concedatis alter alteri et inter vos de huiusce modi rebus controversemini, non concertetis. (Priscianus l. VIII. c. 7. §. 35.)

3. (Plato Protag. p. 356 A. ed. Steph.) Quae igitur potest esse indignitas voluptatis ad molestiam, nisi in magnitudine aut in longitudine alterius utrius posita? (Priscianus l. V. c. 12. §. 64. et l. VI. c. 7. §. 35.)

4. Confirmandi genera compluria. (Donat. in Terentii Phorm. Act. IV. Sc. 3. Vs. 6.)

III. DE IURE CIVILI.

ADNOTATIO.

Si verum est, quod Gellius lib. I. c. 22. ait, fuisse librum de iure civili s. privato in artem redigendo, vix dubitandum videtur, quin seorsum Cicero eum ediderit: quamquam eadem de re uno librorum de Legibus deperditorum, sexto fortasse sive ultimo, singulatim exposuisse dicitur. Cf. Macrob. Saturn. VI, 4. et Cic. de Legg. l. III. c. 20. §. 48. Ceterum Q. Mucii Scaevolae opus (librr. XVIII.) ante oculos habuisse Patricio videtur. Nobbe. Verum longe probabilior est Zumptii opinio in Diario critico Berolin. 1842. N. 32. p. 249., fuisse hoc exordium libri sexti de Legibus inchoati dumtaxat, numquam absoluti; id quod sane confirmant verba Quintiliani 12, 3, 10: *M. Tullius non modo inter agendum numquam est destitutus scientia iuris, sed etiam componere aliqua de eo coeperat.* Cf. Spalding.

---

22. *an quidem*] Prisc. (etiam Cod. Turic. Sec. X.) *an id quidem* Fragmm. Ern. *at quidem* Krehlii susp. Malim *at id quidem.* Or.

1. Aliquo excellente ac nobile viro. (Charisius v. Nobile l. I. p. 111.)

2. Nec vero scientia iuris maioribus suis Q. Aelius Tubero defuit, doctrina etiam superfuit. (Gellius l. I. c. 22.)

IV. DE AUGURIIS.

Cicero Charisio teste librum scripsit de Auguriis, ex quo iste haec duo, quae adiuncta sunt, fragmenta affert. Ipse quidem Cicero nusquam διαῤῥήδην eius se libri auctorem esse profitetur, nisi forte de Divinat. l. II. c. 35 extr. Ad scribendum vero Appii et Marcelli de iure augurali dissentientium libris compulsus esse Sigonio videtur (cf. de Divinat. I. 1. et de Legg. l. II, 13, 32.). Quae cum ita sint, quando librum scripserit, non ausim dicere. Locus ille de Divinatione nullam nobis ea de re coniciendi facit copiam. Sed ante annum U. 701, quo in Crassi locum successit Tullius, a toto augurum collegio expetitus (Philipp. II. c. 2.), ut ipse (ad Famil. l. XV. ep. 4. §. 2.) eum a se honorem neglectum fuisse fatetur, ita, an librum ea de re scribere ne cogitaverit quidem, dubitandum videtur. Nobbe. (Servius ad Aen. 5, 737: *Haec plene exsequitur et Cicero in* Auguralibus *et Aulus Gellius.*)

1. Cicero de auguriis: Omnibus avi incerta — (Charisius de duplici genitivi forma l. I. p. 98.)

2. Oscen augur[i]um consuetudo dicit. Cicero tamen, inquit Plinius, et hic oscinis dixit. (Idem ibid. p. 112.)

V. DE PHILOSOPHIA
SIVE
HORTENSIUS.

ARGUMENTUM.

Hoc libro de philosophiae laudibus ad excitanda eius inter Romanos studia scripto Cicero Q. Hortensium, Q. Lutatium Catulum, L. Licinium Lucullum, (Q. Lucilium) Balbum, semet ipsum et fortasse alios quosdam disputantes induxit. Hortensius autem laudata eloquentia universam philosophiam impugnasse, defendisse pro sua quisque parte ceteri videntur. Certe quidem Balbus, idem, credo, quem Cicero etiam in libris de Natura Deorum Stoicae disciplinae partes tueri facit, huius patrocinium suscepisse dicitur. Sermo, qui Caesare IV. consule sine collega anno U. 709. scriptus est, quem in annum collatus fuerit, compertum non est: post Afranium autem et Metellum coss. s. post annum U. 694., quo Catulus obiisse dicitur, habitus putari non potest. Nobbe. Superfuit Seculo XII. Ciceronis Hortensius in Abbatia Beuensi: «*Tullius de natura deorum libri III. de divinatione l. II. Timaeus Platonis ab eo translatus et de Fato l. I. ad Ortensium liber I. et de Legibus l. III.*» in Catalogo Bibl. Beuensis apud Ravaisson *Rapports sur les bibliothèques des départemens de l'Ouest* p. 393. Or.

1. *An philosophandum sit, in Hortensio disputatur.* (Marcianus Capella Lib. V. de rhetorica p. 411. Capp.)

2. *Scis ipse, quales homines cum iis, qui aliqua de maioribus eorum scripserint, quantum gerant bellum: nec ignota esse arbitror, quae dicit M. Tullius in Hortensio, quem ad exemplum protreptici scripsit.* (Trebellius Pollio in Salonino Gallieno c. 2. p. 479. Obrecht.)

3. — et Paulum Marcelli occupavisse. (Nonius v. Occupare p. 356.)

4. Quod cum uterque nostrum adnuisset omnesque ad id tempus, quod erat dictum, postero die venissemus. (Idem v. Annuere p. 438.)

5. Cum in villam Luculli ventum esset, omni apparatu venustatis ornatam. — (Scholiasta Gronovianus ad Verr. Accus. L. 1. § 54. p. 404. Ed. nostrae.)

6. Lucullo quidem noster adventus et gratus et iucundus fuisset —. (Arusianus Messius p. 232. Lind.)

7. Hic primum Catulus delectatus ipso loco. (Idem p. 224. Lind.)

8. Nam cum omnis sollertia admiranda est, tum ea, quae efficit ut, inanima quae sunt, vivere et spirare videantur. (Nonius v. Inanima p. 128.)

9. Praeter ceteras nostra extulit civitas. (Idem v. Efferre p. 297 sq.)

10. * * hunc Crassum, qui lentius, ut scitis, dicere solebat, ad imitationem quasi nostri generis contendisse —. (Idem v. Lentus p. 337 sq.)

11. Ut ii, qui combibi purpuram volunt, sufficiunt prius lanam medicamentis quibusdam, sic litteris talibusque doctrinis ante excoli animos et ad sapientiam concipiendam imbui et praeparari decet. (Idem v. Imbuere p. 521. v. Sufficit p. 386.)

12. Ut enim segetes agricolae subigunt aratris multo ante, quam serant —. (Idem v. Seges p. 395. v. Subigere p. 401.)

13. *Constat Lucullum usque ad tempora consulatus expertem fuisse bellorum, post in consulatu historiis studuisse, ut bella destituta (l. bellica instituta) cognosceret. Hoc in illo dialogo, qui inscribitur Lucullus, Cicero docet, unde et in Hortensio Lucullus historiam laudavit.* (Scholiasta Gronovianus in or. pro lege Manilia c. 10. §. 28. p. 441. Ed. nostrae.)

14. Quid enim aut Herodoto dulcius aut Thucydide gravius aut Philisto brevius aut Theopompo acrius aut Ephoro mitius inveniri potest? (Nonius v. Grave p. 315. v. Acre p. 241. v. Mitis p. 343.)

15. Unde autem facilius quam ex annalium monumentis aut bellica res aut omnis rei publicae disciplina cognoscitur? (Idem v. Cognoscere p. 275.)

16. Unde aut ad agendum aut ad dicendum copia depromi maior gravissimorum exemplorum quasi incorruptorum testimoniorum potest? (Idem v. Grave p. 315.)

17. Perge, quaeso, nec enim imperite exorsus es. (Idem v. Exordium p. 30.)

18. Magna etiam animi contentio adhibenda est explicando Aristotele, si leges. (Idem v. Contendere p. 264.)

19. Sed ad extremum pollicetur prolaturum, qui se ipse comest quod efficit dialecticorum ratio. (Idem v. Comest p. 81.)

20. Quaero enim, non quibus intendam rebus animum, sed quibus relaxem et remittam. (Idem v. Intentum p. 329. v. Remissum p. 383.)

---

18. *talibusque*] Fort. *liberalibusque*. Or. — 39. Fort. *Aristoteli* vel *in explicando Aristotele* cum Iunio. Or. — 41. *Se ad* Iunius.

21. *Ciceronis Hortensius contra philosophiam disserens circumvenitur arguta conclusione, quod cum diceret philosophandum non esse, nihilo minus philosophari videbatur; quoniam philosophi est, quid in vita faciendum vel non faciendum sit, disputare.* (Lactantius Inst. l. III. c. 16. §. 9.)

22. *Praeterea illud quoque argumentum contra philosophiam valet plurimum, quo idem est usus Hortensius:* ex eo posse intelligi, philosophiam non esse sapientiam, quod principium et origo eius appareat. Quando, *inquit*, philosophi esse coeperunt? Thales, ut opinor, primus. Recens haec quidem aetas. Ubi ergo apud antiquiores latuit amor iste investigandae veritatis? (Idem ibid. §. 12.)

23. Id enim est sapientis, providere; ex quo sapientia est appellata prudentia. (Nonius v. Prudentia p. 41.)

24. [Epicurei plures volunt esse caelos.] Aut tandem doceas, quod vix cuiquam contigit. (Servius ad Virg. Aen. l. I. v. 331. p. 198. Ed. Lion. T. 1. p. 64.)

25. Itaque tunc Democriti manus urgebatur; est enim non magna. (Nonius v. Urgere p. 418.)

26. Et horum annorum, quos in Fastis habemus, magnus XII milia DCCCCLIV. amplectitur. (Servius ad Virg. Aen. l. I. v. 269. p. 188.) *Magnum annum esse voluerunt omnibus planetis in eundem recurrentibus locum. Et hoc fit, ut diximus, secundum Ciceronis Hortensium post annos XII. milia nongentos quinquaginta quattuor, solstitiales scilicet.* (Idem ibid. l. III. v. 284. p 288.)

27. *Ut* Cicero in Hortensio *scribit*, is est magnus et verus annus, quo eadem positio caeli siderumque, quae cum maxime est, rursum existet, isque annus horum, quos nos vocamus, annorum XIIMDCCCCLIV. complectitur. (Tacitus Dial. de Oratorib. c. 16. §. 9.)

28. *Cicero cum vellet in Hortensio dialogo ab aliqua re certa, de qua nullus ambigeret, sumere suae disputationis exordium*, Beati certe, *inquit*, omnes esse volumus. (Augustinus de Trinit. l. XIII. c. 4. Opp. T. III. p. 408. Idem contra Iulianum L. VI. c. 26. T. X. Ed. Antverp. p. 989. haec addit: *idque unum esse dixerunt philosophi, quod disputatione non egeat, quod nemo est, qui non expetat.* Cf. etiam Iulium Victorem p. 64; *Omnes beatam vitam vivere volunt: qui beatam vitam vivere volet, philosophetur oportet.*

29. — quantum inter se homines studiis, moribus, omni vitae ratione differant — (Nonius v. Differre p. 284.)

30. — his contrarius Aristo Chius, praefractus, ferreus, nihil bonum nisi quod rectum et honestum est — (Idem v. Praefractum p. 155.)

31. Ecce autem non philosophi quidem, sed prompti tamen ad disputandum, omnes aiunt esse beatos, qui vivant, ut ipsi velint. Falsum id quidem. Velle enim, quod non deceat, id ipsum miserrimum [est], nec tam miserum est non adipisci, quod velis, quam adipisci velle, quod non oporteat. Plus enim mali pravitas voluntatis affert quam fortuna cuiquam boni. (Augustinus de Vita beata Opp. T. I. p. 500. de Trinit. lib. XIII. c. 5. T. II. p. 409.)

---

13. Iam Vossius viderat (de vitiis sermonis I. c. 46.) non tam ista *Epicurei - - caelos* Ciceronis esse quam haec *Aut tandem - - contigit.* Or. —

32. Si deus unus est, quae esse beata solitudo queat? (Lactantius Inst. l. I. c. 7.)

33. Praecipiunt haec † istis; facit nemo. (Nonius v. Praecipere p. 372.)

34. *Recte Tullius civiles viros, qui rem publicam gubernent, qui urbes aut novas constituant aut constitutas aequitate tueantur, qui salutem libertatemque civium vel bonis legibus vel salubribus consiliis vel iudiciis gravibus conservent, philosophiae doctoribus praefert.* Profecto, *inquit,* omnis istorum disputatio, quamquam uberrimos fontes virtutis et scientiae contineat, tamen collata cum horum actis perfectisque rebus vereor ne non tantum videatur attulisse negotiis hominum utilitatis, quantum oblectationem quandam otii. (Lactantius Institt. L. III. c. 16. §. 2. et 5.)

35. Quae est igitur philosophia, Socrate? nec dubito quin, quaecumque sit, lautum victum et elegantem magnifice neque minus quam deceret colere instituisset. (Nonius v. Lautum p. 337.)

36. Vidi in dolore podagrae nihilo ipsum vel omnium maximum Stoicorum, Posidonium, quam Nicomachum Tyrium, hospitem meum, fortiorem. (Idem v. Vel p. 527.)

37. — eloquentiam tueri, quam tu in caelum, Hortensi, credo, ut ipse cum ea simul adscenderes, sustulisses. (Idem v. Sublatum p. 385.)

38. Tu me et alias non numquam et paulo ante adhortatus es, *ut* aliorum facta et eventa conquirerem. (Idem v. Eventus p. 204.)

39. Qui cum hodie bellum cum mortuo gerant — (Arusianus Messius p. 217. Lindem.)

40. Qua re velim dari mihi, Luculle, iubeas indicem tragicorum, ut sumam, si qui forte mihi desunt. (Nonius v. Sumere p. 396.)

41. Facessant igitur omnes, qui docere nihil possunt, quo melius sapientiusque vivamus. (Idem v. Facessere p. 307.)

42. Si nobis, cum ex hac vita emigraverimus, in beatorum insulis immortale aevum, ut fabulae ferunt, degere liceret, quid opus esset eloquentia, cum iudicia nulla fierent, aut ipsis etiam virtutibus? Nec enim fortitudine egeremus, nullo proposito aut labore aut periculo, nec iustitia, cum esset nihil quod appeteretur alieni, nec temperantia, quae regeret eas, quae nullae essent, libidines: ne prudentia quidem egeremus, nullo delectu proposito bonorum et malorum. Una igitur essemus beati cognitione naturae et scientia, qua sola etiam deorum est vita laudanda. Ex quo intelligi potest cetera necessitatis esse, unum hoc voluntatis. (Augustinus de Trinit. l. XIV. c. 9. T. III. p. 432.)

43. — deinde boni mores et modestiores et ad capienda praecepta molliores. (Nonius v. Capi p. 254.)

44. — Altera est nexa cum superiore et inde apteque pendens. (Idem v. Aptum p. 235.)

45. Caeli signorum admirabilem ordinem insatiabilemque pulchritudinem magis spectat. (Idem v. Spectare p. 402.)

---

3. Fort. *isti scilicet; facit nemo.* Or. — 13. An *quaecumque est - - neque minus magnifice quam* —. Or. — 20. Fort. *sustulisti.* Or.

46. — ut easdem tenebras efficiat (sol), quas effecit in interitu Romuli, qui in obscuratione solis est † factus. (Augustinus de Civ. D. l. III. c. 15. T. V. p. 179.)

47. Tune pseudomenon et soritam et totam dialecticam aut illudis aut increpas? (Nonius v. Increpitat p. 329.)

48. Quis te aut est aut fuit umquam in partiundis rebus, in definiendis, in explicandis pressior? (Nonius v. Pressum p. 364.)

49. Malle se *dicit Catulus* vel unum parvum de officio libellum quam longam orationem pro seditioso homine Cornelio. (Lactantius Inst. l. VI. c. 2. §. 15.)

50. Nam quod vereris ne non conveniat nostris aetatibus ista oratio, quae spectet ad hortandum. . . (Nonius v. Convenire p. 270.)

51. Aut tibi id ipsum pervertendum fuit, quod tu ne attigisti quidem, aut eius partes quasi membra quaedam caedendae. (Idem v. Caedere p. 271.)

52. Quid? tu, inquam, soles, cum rationem a dispensatore accipis, si aera singula probasti, summam, quae ex iis confecta sit, non probare? (Idem v. Aera p. 193.)

53. Itaque tibi concedo, quod in duodecim scriptis solemus, ut calculum reducas, si te alicuius dati paenitet. (Idem v. Scripta p. 170.)

54. Qua re adgredere, quaeso, et gratificare rei publicae. (Idem v. Gratificari p. 118.)

55. — nihil tamen esse, in quo se animus excellens tollere . . . (Idem v. Tollere p. 407.)

56. Captum me fortasse, inquit, tu putas, et id, quod nollem, confiteri coactum. (Idem v. Capi p. 253.)

57. An cum videat me et meos comites, fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam, constantiam, gravitatem, fidem, ipsa se subducat? (Idem v. Subducere p. 399.)

58. **ut ait Ennius:

— Refugiat timido sanguen atque exalbescat metu.

(Priscianus l. VI. c. 12. §. 66. cf. Cic. de Fin. l. V. c. 11. §. 31. de Orat. 3, 58, 218. Nonius v. Sanguis p. 224.)

59. Itaque nec in philosophia cuiquam cessit et vitae gravitate praestitit. (Idem v. Praestare p. 371.)

60. — magnitudo animi, patientia laborum, mortis dolorumque contemptio — (Idem v. Contemptus p. 201 sq.)

61. — ut ea sibi ratio vera restituat, quae consuetudo vitiosa detraxerit. (Idem v. Detrahere p. 288.)

62. Consolabitur eum magnitudo animi et humanarum opinionum alta quaedam despectio. (Idem v. Despicere p. 288.)

63. Habet enim ipsa certam et definitam viam, sed ex ea multis vitiis et erroribus depravata deducitur. (Idem v. Deductum p. 289.)

64. — deinde imitator, ut sibi quidem videtur, naturae mos vindicat. (Idem v. Vindicare p. 419.)

---

2. An *raptus*? Or. — 7. *explanandis* Nonius Perotti et Iunii. — 36. *mortis denique contemptio* Nonii Edd. Ven. March.

65. Imbecillus autem est pudoris magister timor, qui, si quando paululum aberravit, statim spe impunitatis exsultat. (Idem v. Exsultare p. 300 sq.)

66. [*Ciceronis est, tractum de philosophis, qui dicunt,* sufficere ad gloriam bene facti conscientiam. (Servius ad Aen. l. IX. v. 254. p. 546.)]

67. Tum intelligas, quam illud non sit necessarium, quod redundat. (Nonius v. Redundare p. 384.)

68. Ad iuvenilem libidinem copia voluptatum gliscit ita, ut ignis oleo. (Idem v. Gliscit p. 22.)

69. Hi nostri amici verecundantur, capti splendore virtutis. (Idem v. Verecundatur p. 480.)

70. *Fingamus aliquem talem, qualem Tullius fuisse dicit Oratam.* Quis enim facile dicat Oratam egestate laborasse, hominem ditissimum, amoenissimum, deliciosissimum, cui neque ad voluptatem quicquam defuit neque ad gratiam neque ad bonam integramque valetudinem. Nam et praediis quaestuosissimis et amicis iucundissimis quantum libuit abundavit et illis omnibus aptissime ad salutem corporis usus est, eiusque, ut breviter totum explicem, omne institutum voluntatemque omnem successio prospera consecuta est. (Augustinus de vita beata c. 26. Opp. Tom. I. p. 507. p. 308. Bened.)

71. Primus balneola suspendit, inclusit pisces. (Nonius v. Balneae p. 194.)

72. — et amoenitate summa perfructus est. (Priscianus l. X. c. 2. §. 13.)

73. — sollertiamque eam, *quae* posset vel in tegulis proseminare ostreas. (Nonius v. Ostrea p. 216.)

74. Vixit ad summam senectutem optuma valetudine. (Idem v. Summum p. 401.)

75. Voluptates autem nulla ad res necessarias invitamenta afferunt senibus. (Idem v. Invitare p. 321.)

76. *Vide quid in Hortensii dialogo dicat Tullius, quae magis verba te delectare debuerant quam Balbi Stoicorum partes agentis. Quae licet vera, tamen de parte hominis inferiore, h. e. de corpore fuerunt et te nihil adiuvare potuerunt. Vide quid iste pro vivacitate mentis contra voluptatem corporis dicat* An vero, *inquit,* voluptates corporis expetendae, quae vere et graviter a Platone dictae sunt illecebrae esse atque escae malorum? Quae enim confectio est, *inquit,* valetudinis, quae deformatio coloris et corporis, quod turpe damnum, quod dedecus, quod non evocetur atque eliciatur voluptate? cuius motus ut quisque est maximus, ita est inimicissimus philosophiae. Congruere enim cum cogitatione magna voluptas corporis non potest. Quis enim, cum utatur voluptate ea, qua nulla possit maior esse, attendere animum, inire rationes, cogitare omnino quicquam potest? Quis autem tantus est gurges, qui dies et noctes sine ulla minimi temporis intermissione velit ita moveri suos sensus, ut moventur in summis voluptatibus? Quis autem bona mente praeditus non mallet nullas omnino nobis

---

8. *ita*] Bardili. *illa* Edd. Nonii. — 42. *Quis*] Nizolius (in v. *Gurges*) et Bardili. *Cuius* Aug.

a natura voluptates datas? (Augustinus contra Iulian. Pelagian. l. IV. c. 14. Tom. VII. p. 1054. Tom. X. p. 619. Bened. Paris. Cf. Nonius v. Conficere p. 269.)

77. — tunc obsequatur naturae, cum sine magistro senserit, quid natura desideret. (Augustinus ibid. l. V. c. 5. p. 1079.)

78. Et qui exspectat pendet animi, quia semper, quid futurum sit, incertum est. (Nonius Ubi genetivus pro ablativo p. 498.)

79. †Et ceteras quidem res, in quibus peccata non maxime afferunt noxias, tamen insci innat attingunt. (Idem v. Noxa et Noxia p. 438.)

80. Ut igitur domitores equorum non verbera solum adhibent ad domandum, sed cibum etiam saepe subtrahunt, *ut* fame debilitetur eculeorum nimis effrenata vis. (Idem v. Equuleus p. 105.)

81. Qui cum publicas iniurias lente tulisset, suam non tulit. (Idem v. Lentum p. 338.)

82. Ne in continentibus quidem terris vestrum nomen dilatari potest. (Idem v. Continens p. 274.)

83. Ea facultas nostris maioribus erat, qui confectis senatus consultis — (Idem v. Confectum p. 269.)

84. — quod alterius ingenium sic *dulce*, ut acetum Aegyptium, alterius sic acre, ut mel Hymettium, dicimus. (Idem v. Acre p. 240. Huc referenda illa Augustini de Vita beata . . . . . . : *Nescio quomodo contortum hoc et aculeatum, quod posuisti, ut ait ille de melle Hymettio, acriter dulce est nihilque inflat viscera.*)

85. Aliud ex silvis severum et triste. (Idem v. Severum p. 390. v. Triste p. 409.)

86. Ponendae sunt fides et tibiae. (Idem v. Fides p. 313.)

87. Eundem non modo mediocri pecunia, sed etiam tenui percipere possumus. (Idem v. Tenue p. 411.)

88. Qui illum nescio quid, quod in primoribus habent, ut aiunt, labris. (Idem v. Priores et Primores p. 428.)

89. — non et sine ea cogitatione ineundis subducendisque rationibus. (Idem v. Subducere p. 399.)

90. *Nam cum (Cicero in extremis partibus Hortensii dialogi) multa, quae videmus et gemimus, de hominum vanitate atque infelicitate dixisset,* ex quibus humanae, *inquit,* vitae erroribus et aerumnis fit ut interdum veteres illi sive vates sive in sacris initiisque tradendis divinae mentis interpretes, qui nos ob aliqua scelera suscepta in vita superiore poenarum luendarum causa natos esse dixerunt, aliquid vidisse videantur, verumque sit illud, quod est apud Aristotelem, simili nos affectos esse supplicio atque eos, qui quondam, cum in praedonum Etruscorum manus incidissent, crudelitate excogitata necabantur, quorum corpora viva cum mortuis, adversa adversis accommodata, quam aptissime colligabantur, sic nostros animos cum corporibus copulatos ut vivos cum mortuis esse coniunctos. (Augu-

---

8. Haec fere sententia latere in istis videtur: *Et ceterae quidem res, in quibus peccatur, etsi non cum maxime afferunt noxias, tamen inscientiae peccantem arguunt.* — 29. Fort. *illud.* Or.

stinus contra Iulian. Pelagian. l. IV. c. 15. T. VII. p. 1058. Tom. X. p. 623. Bened.)

91. Vidit enim, quod videndum fuit, appendicem animi esse corpus nihilque esse in eo magnum. (Nonius v. Appendix p. 42.)

92. — *Maeoniam — cuius dum brevitas duos fratres Lydum et Tyrrhenum ferre non posset, ex sorte Tyrrhenus cum ingenti multitudine profectus* [*est et*] *partem Italiae tenuit et Tyrrheniam nominavit. Hi diu piraticam exercuerunt, ut etiam Cicero in Hortensio docet, cum captivos novis poenis affligerent, occisorum eos religantes cadaveribus.* (Servius ad Virg. l. VIII. v. 479 sq. p. 516. cf. de Rep. 2, 4.)

93. Quae nobis dies noctesque considerantibus acuentibusque intelligentiam, quae est mentis acies, caventibusque ne quando illa hebescat, id est in philosophia viventibus, magna spes est, aut si hoc, quo sentimus et sapimus, mortale et caducum est, iucundum nobis perfunctis muneribus humanis occasum neque molestam exstinctionem et quasi quietem vitae fore, aut si, ut antiquis philosophis iisque maximis longeque clarissimis placuit, aeternos animos ac divinos habemus, sic existimandum est, quo magis hi fuerint semper in suo cursu, id est in ratione et investigandi cupiditate, et quo minus se admiscuerint atque implicuerint hominum vitiis et erroribus, hoc iis faciliorem ascensum et reditum in caelum fore. Quapropter, ut aliquando terminetur oratio, si aut exstingui tranquille volumus, cum in his artibus vixerimus, aut si ex hac in aliam haud paulo meliorem domum sine mora demigrare, in his studiis nobis omnis opera et cura ponenda est. (Augustinus de Trinit. l. XIV. c. 19. Tom. III. p. 441. cf. Tusc. Disp. l. I. c. 30. §. 72.)

94. *Nondum scis, quantum ubique nos adiuvet* philosophia, *quemadmodum* et in maximis, *ut Ciceronis utar verbo,* opituletur et in minima descendat. (Seneca Ep. XVII. §. 2. Ad Hortensium refert Lipsius.)

95. *M. Tullius in Hortensio dicit, quod* omnis noster intellectus multis obstruitur difficultatibus. (Rogerius Baco in Opere maiori p. 2. Ed. Iebb.)

VI. M. CATO SEU LAUS M. CATONIS.

ADNOTATIO.

M. Porcius Cato minor, ne in Caesaris potestatem veniret, Uticae in Africa sibi ipse mortem consciverat (m. Aprili anni U. 709. Caesare III., Lepido coss.), cum a Cicerone hoc libro laudatus est. Huic Caesar opposuit librum de Catonis vitiis Anticatonem inscriptum. (Cf. prae ceteris Cic. ad. Att. l. XII. ep. 40.) NOBBE. Cf. etiam Scholiastam Iuvenalis p. 228. qui dialogum vocat hunc librum. OR.

1. *De cuius* (*Catonis*) *vita liber est M. Ciceronis, qui inscribitur* Laus Catonis; *quem in eodem libro idem Cicero pronepotem fuisse dicit* (*ex maiore filio*) *M. Catonis censorii.* (Gellius l. XIII. c. 19.)

2. Contingebat in eo, quod plerisque contra solet, ut maiora omnia re quam fama viderentur, id quod non saepe evenit, ut exspectatio a cognitione, aures ab oculis vincerentur. (Macrobius Saturn. l. VI. c. 2 extr.)

3. Ignoturum alteri, quod patrem, alteri, quod fautorem secutus esset. (Priscianus l. X. c. 3. p. 485. Krehl.)

Frid. Schneider in »Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft« 1837. p. 1118. ad hunc librum (Catonem) haec quoque refert:

4. Omnes prope cives virtute, gloria, dignitate superavit. **Quintilianus** IX. 4, 104.

5. Nullum umquam verbum, quod revocare vellet, emisit. **Augustinus** Ep. VII. Tom. II. p. 32.

Priorem locum Beierus ad Scaurum patrem, alterum ad Africanum minorem rettulit, fretus auctoritate Vellei. Paterc. 1, 12, 3. Patricius hunc eundem locum Catoni vindicavit. Potuisse talia de Catone dici, nemo negaverit. Cfr. Vellei. Pat. 2, 35. Sal. Catil. 54. Schn.

VII. DE GLORIA.

ARGUMENTUM.

Cicero duos scripsit de Gloria libros (cf. de Off. l. II. c. 9.) atque a. d. IV. Non. Quintil. anni 710. Antonio et Dolabella coss. absolvit (ad Att. l. XV. ep. 27. et XVI, 2.). Hos Petrarcha (in libr. epistolar. senilium XV. ep. 1. ad Lucam de Penna dat. Arquade V. Kal. Maias s. a.) sibi contigisse scribit, ut Raimundi Superantii beneficio cognosceret: quibus visis, inquit, me ditissimum existimavi —. (*Quantas habeat definitiones et significationes gloria, et philosophorum innumerabiles libri, et Ciceronis duo volumina, quae* de Gloria *scripsit indicio sunt.* Hieronymus Comment. ad Galat. L. VIII. c. 6. T. VII. p. 518 Vallarsii.) Eos vero Tullius ideo scripsisse Patricio videtur, ut gloriam ostenderet cum aliis mercedem virtutis esse maximam, tum praecipue rerum publicarum principibus in summis bonis habendam et omnium instar praemiorum expetendam videri. Nam ipse quidem saepe alias hanc in sententiam de gloria disputat. Eadem fere de causa Beierus istis in libris non facile potuisse locum de contemnenda gloria a Cicerone silentio praeteriri arbitratur, aliquoties tractatum videlicet, ut pro Arch. c. 11. Tusc. l. I. c. 15. Nobbe. (Falsum scil. est, quod tradit Iannotius Manettus in vita Petrarchae apud Mehus (*Vita Ambrosii Travers.* p. CCXVI.), «duos illos praeclaros Ciceronis de Gloria libros in extremo fere Germaniae angulo abstrusos post multos quaerendi labores demum inveniens in lucem eruit,» cet. cf. Mehus in Indice p. CCCCLXI. P. Manutius et P. Jovius suspicati sunt, Petrum Alcyonium, postquam multa ex his libris in eum, quem de exsilio scripsit, furtim transtulerit, unum, quod etiam tunc remaneret exemplar Bernardi olim Iustiniani, flammis tradidisse. Refutasse dicitur fictam hanc fabulam Menckenius: cuius curam non magis vidi quam ipsius Alcyonii librum. Sed optime eius patrocinium suscepit Tiraboschius *Storia della lett. Ital. Ed. di Milano* Vol. I. p. 483.; unde apparet aeque innocentem esse Alcyonium ac Goslicium, cui simile crimen illatum est a mirifico illo, quem omnes novimus, professore Cracoviensi. De Osorio prorsus nihil mali suspicandum; erat vir religiosus, fraudis expers. Cf. Friderici Schneideri Meletemata in Ciceronis de Gloria libros in Zimmermanni Zeitschrift für Alterthumswissenschaft 1839. 3. Heft. p. 219. Or.)

LIBER I.

Oppidorum originem optime refert Cato. *Cicero libro I. de Gloria, eamque* appellationem usurpatione appellatam esse *existimat*, quod opem darent, *adiciens*, ut imitetur ineptias Stoicorum. (Festus p. 348. ed. Gothofr. p. 308. Amst. p. 195. Lind.)

LIBER II.

1. Apud eundem poëtam Aiax cum Hectore congrediens depugnandi causa agit, ut sepeliatur, si sit forte victus, declaratque se velle, ut suum tumulum multis etiam post saeculis praetereuntes sic loquantur:

Hic situs est vitae iam pridem lumina linquens,
Qui quondam Hectoreo percussus concidit ense.
Fabitur haec aliquis, mea semper gloria vivet.

(Gellius l. XV. c. 6. cf. Hom. Il. l. VII. v. 89 sqq. Burmanni Anthol. Lat. Lib. 1. Ep. 106. T. 1. p. 89.)

2. Quo stante et incolume. (Charisius l. I. p. 108.)

3. Statuerunt aeream leaenam. (Philargyrius ad Virg. Ecl. 2. v. 63. p. 1. ed. Paris. Servii. Ed. Lion. T. 2. p. 325. Varro de L. L. p. 593. Spengel. Cf. Lactant. Inst. Div. 1, 20, 3.)

4. In Tusculanum mihi nuntiabantur gladiatorii sibili. (Charisius l. I. p. 61.)

LIBRORUM DE GLORIA

FRAGMENTA SEDIS INCERTAE.

1. O miserum vel potius amentem, de quo necesse erat peius existimare eos, † quod erunt, quam eos, qui non plodere. (Diomedes lib. I. p. 378.)

2. *Egregie de Caesare Tullius*, cum quosdam, *ait*, ornare voluit, non illos honestavit, sed ornamenta ipsa turpavit. (Hieronymus ad Pammachium super obitu Paulinae. Opp. T. I. p. 1066. Bened. T. I. p. 398. Vallars. Hoc fragmentum Beieri suasu huc retuli. Nobbe.)

VIII. DE CONSOLATIONE SEU DE LUCTU MINUENDO.

ARGUMENTUM.

Tullia paulo post, quam cum P. Cornelio Lentulo Dolabella divortium fecit, i. e. mense Februario anni U. 709. Caesare cos. sine collega, ex partu — filii an filiae, incertum — (v. Middleton. Hist. Cic. Tom. III. p. 219. intp. Seidel) mortua est. Cicero igitur, ut, quem e filiae obitu percipiebat, dolorem levaret, a philosophia solatium petere studuit. Ea mente librum de Luctu minuendo s. de Consolatione conscripsit,

---

2. Sic Lind. Volgo omittitur *Cato*. Fort. *refert Cato in Ciceronis libro* I. Or. — 3. *appellationem usurpatam esse* Aldus in *Orthogr*. pag. 570. — 11. *percussus*] Pithoeus. *perculsus* volgo. — 24. Fort. *qui ploserant - - qui non ploserant*. Or.

quamquam Augustinus multum eum fuisse refert in lamentandis vitae miseriis. (De Civit. D. l. XIX. c. 4. T. V. p. 1147.) NOBBE. (In Consolatione maxime Crantorem secutus est Tullius, teste Plinio in *Praefat. post med.* et Hieronymo in *Epit. Nepot.* p. 268. Docen in Jahn *Jahrbücher* Vol. 7. Fasc. 1. pag. 113. haec habet: «In den Fragmenten Cicero's sollten die Stellen in den Briefen des h. Hieronymus nicht fehlen, in denen er offenbar auf den *Inhalt* der verlornen Ciceronischen Schrift *de consolatione* sich bezieht.» Attuli N. 10., quae eius generis apud Hieronymum reperi. Alia si praeterea is habet, me fugerunt. Sed quae significare videtur Vir doctissimus, non magis Ciceroni ita restitui possunt, ut nullum remaneat dubium, quam quae similiter apud Valerium Maximum praesertim et Lactantium latent in perpetuumque latebunt Tulliana. Maius in Praefat. ad Scriptt. vett. novam collationem, Romae 1825. T. 1. p. XIV: «Suspicor priorem librum Ambrosii de excessu fratris Satyri ad imitationem Tullianae consolationis fuisse conscriptum.» Extabat Consolatio Isidori aetate. Cf. eius Libellum aureum de contemptu mundi, initio. OR.)

1. *(Cicero) cum in principio Consolationis suae dixisset*, luendorum scelerum causa nasci homines, *iteravit id ipsum postea, quasi obiurgans eum, qui vitam poenam non esse putet.* (Lactantius Inst. l. III. c. 18. §. 18.)

2. *Hinc nata est inepta illa sententia, hanc esse mortem, quam nos vitam putemus, illam vitam, quam nos pro morte timeamus, ita primum bonum esse non nasci, secundum citius mori: quae, ut maioris sit auctoritatis, Sileno attribuitur. Cicero in Consolatione:* Non nasci longe optimum nec in hos scopulos incidere vitae, proximum autem, si natus sis, quam primum mori et tamquam ex incendio effugere violentiam fortunae. (Idem ibid. c. 19. §. 14. Cf. Tusc. Disp. lib. I. cap. 48. §. 114 sq.)

3. Sed nescio quis nos teneat error aut miserabilis ignoratio veri. (Idem ibid. c. 14. §. 20. Cf. 3, 18, 18.)

4. Animorum nulla in terris origo inveniri potest. Nihil enim est in animis mixtum atque concretum aut quod ex terra natum atque fictum esse videatur, nihil ne aut humidum quidem aut flabile aut igneum. His enim in naturis nihil inest, quod vim memoriae, mentis, cogitationis habeat, quod et praeterita teneat et futura provideat et complecti possit praesentia: quae sola divina sunt nec invenietur umquam, unde ad hominem venire possint nisi a deo. Singularis est igitur quaedam natura atque vis animi, seiuncta ab his usitatis notisque naturis. Ita quidquid est illud, quod sentit, quod sapit, quod vivit, quod viget, caeleste et divinum ob eamque rem aeternum sit necesse est. Nec vero deus ipse, qui intellegitur a nobis, alio modo intellegi potest nisi mens soluta quaedam et libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens et movens ipsaque praedita motu sempiterno. (Cicero Tuscul. l. I. c. 27. §. 66. Lactantius Ira D. c. 10. §. 45. Instit. l. I. c. 5. §. 25.)

5. Cum vero et mares et feminas complures ex hominibus in deorum numero esse videamus et eorum in urbibus atque agris augustissima delubra veneremur: assentiamur eorum sapientiae, quorum ingeniis et inventis omnem vitam legibus et institutis excultam constitutamque habemus.

Quod si ullum umquam animal consecrandum fuit, illud profecto fuit. Si Cadmi progenies aut Amphionis aut Tyndari in caelum tollenda fama fuit, huic idem honos certe dicandus est. Quod quidem faciam teque omnium optimam doctissimamque approbantibus dis immortalibus ipsis in eorum coetu locatam ad opinionem omnium mortalium consecrabo. (Lactantius Inst. l. I. c. 15. §. 20.)

6. Nec enim omnibus iidem illi sapientes arbitrati sunt eundem cursum in caelum patere. Nam vitiis et sceleribus contaminatos deprimi in tenebras atque in caeno iacere docuerunt, castos autem [animos], puros, integros, incorruptos, bonis etiam studiis atque artibus expolitos, leni quodam et facili lapsu ad deos, id est ad naturam sui similem, pervolare. (Idem Inst. l. III. c. 19. §. 6.)

7. *M. Tullius in sua Consolatione* pugnasse se semper contra fortunam *loquitur* eamque a se semper esse superatam, cum fortiter inimicorum impetus rettudisset, nec tum quidem se ab ea fractum, cum domo pulsus patria caruerit. Tum autem, cum amiserit carissimam filiam, victum se a fortuna turpiter confitetur: Cedo, *inquit*, et manum tollo. (Idem ibid. c. 28. §. 9.)

8. *Sunt etiam qui haec omnia genera consolandi colligant; alius enim alio modo movetur, ut fere nos in Consolatione omnia in consolationem unam coniecimus; erat enim in tumore animus et omnis in eo temptabatur oratio.* (Cicero Tusc. l. III. §. 76.)

9. *Quid? qui non putant lugendum viris? qualis fuit Q. Maximus ---, quales reliqui, quos in Consolatione collegimus.* (Idem ibid. §. 70.)

10. *Pulvillus Capitolium dedicans mortuum ut nuntiabatur subito filium se iussit absente sepeliri. L. Paullus septem diebus inter duorum exsequias filiorum triumphans urbem ingressus est. Praetermitto Maximos, Catones, Gallos, Pisones, Brutos, Scaevolas, Metellos, Scauros, Marcios, Crassos, Marcellos atque Aufidios, quorum non minor in luctu quam in bellis virtus fuit et quorum orbitates in Consolationis libro Tullius explicavit.* (Hieronymus in Epitaph. Nepotiani Opp. T. IV. P. II. p. 268. Bened. Tom. I. p. 335. Vallars.)

11. (In Consolatione mentionem iniecturus erat etiam Cn. Caepionis, Rutiliae, cet. Cfr. ad Atticum 12, 20 in fine. 12, 22, 2. 12, 24, 2. Or.)

IX. LIBER DE SUIS CONSILIIS SIVE EXPOSITIO CONSILIORUM SUORUM.

ARGUMENTUM.

Cum Cicero gratia apud populum in dies magis magisque aucta invidiam sibi conflaret hominum in civitate potentium, ut Crassi et Caesaris, librum de suis consiliis sive expositionem consiliorum suo-

---

2. *Amphionis*] Aldus. I. M. Heusinger in Actis Soc. Lat. Ien. 4. p. 55. (Est Chloris, Hygin. Fab. 10.) *Amphitryonis* Codd. — 10. *leni*] Sigon. *levi* Codd. — 28. *Marcios*] Varia lectio apud Vallarsium. Cfr. Val. Max. 10, 1, 3. (Totum autem caput ex Ciceronis Consolatione desumptum videtur.) *Marios* volgo.

rum edidit, qua bonam animi voluntatem, aut, ne consulatus obtinendi spe excideret, suis probaret civibus, aut ob res in consulatu iam gestas inimicorum sermonibus in suspicionem adductam purgaret. Nam quamquam in libro, quem de consulatu suo scripsit, idem egisse videri potest, tamen singulari id libello fecisse Asconii et Augustini testimonio intelligitur. Quapropter hunc circa consulatus sui tempora confecisse mihi videtur. Nobbe. (Corrigenda haec ex Cassio Dione 39, 10. (p. 488. Sturz.) qui hunc librum refert ad a. u. c. 697: (*Κικέρων*) *βιβλίον μέντοι τι ἀπόῤῥητον συνέθηκε· καὶ ἐπέγραψεν αὐτῷ, ὡς καὶ περὶ τῶν ἑαυτοῦ βουλευμάτων ἀπολογισμόν τινα ἔχοντι. Πολλὰ δὲ δὴ καὶ δεινὰ ἐς αὐτὸ καὶ περὶ ἐκείνων* (*Καίσαρος καὶ Κράσσου*) *καὶ περὶ ἄλλων τινῶν συνένησε, καὶ διὰ τοῦτο φοβηθείς, μὴ καὶ ζῶντος αὐτοῦ ἐκφοιτήσῃ, κατεσημήνατό τε αὐτὸ καὶ παρέδωκε τῷ παιδί, προστάξας οἱ μήτ' ἀναγνῶναι μήτε δημοσιεῦσαι τὰ γεγραμμένα, πρὶν ἂν μεταλλάξῃ.* Or.)

1. ***Aut C. Caesaris aut M. Crassi [domum] significat. Etenim acerrimi et potentissimi fuerunt Ciceronis refragatores, cum petiit consulatum, quod eius in dies civilem crescere dignitatem animadvertebant, et hoc ipse Cicero in expositione consiliorum suorum significat. Eius quoque coniurationis, quae Cotta et Torquato coss. ante annum, quam haec dicerentur, facta est a Catilina et Pisone, arguit M. Crassum auctorem fuisse.*** (Asconius ad orat. in toga cand. p. 83. Bait.)

2. Sed ut aliqua similitudine adductus maximis minima conferam, ut cum vinolenti adolescentes tibiarum etiam cantu, ut fit, instincti mulieris pudicae fores frangerent, admonuisse tibicinam, ut spondeum caneret, Pythagoras dicitur: quod cum illa fecisset, tarditate modorum et gravitate cantus illorum furentem petulantiam resedisse. (Augustinus contra Iulianum Pelag. l. V. c. 5. §. 23. et ex eo, ut videtur, Boëthius de Musica l. I. c. 1. p. 1372. Ed. Basil. 1570.)

3. Neque adsidere Gabinium aut alloqui in curia quisquam audebat. (Arusianus Messius p. 211. Lind.)

X. COMMENTARIUS DE VIRTUTIBUS.

ADNOTATIO.

Hunc librum Cicero post tres de Officiis libros pariter, ut Aristoteles post libros *τῶν ἠθικῶν* opusculum *περὶ ἀρετῶν*, exempli auctoritate adductus, scripsisse Patricio videtur. Ego vero dubito, utrum utro Tullius prius, quin eodem fere tempore similis argumenti opus confecerit, non dubito. Nobbe.

1. *Quattuor virtutes, prudentia, iustitia, fortitudo, temperantia, de quibus plenissime in Officiorum libris* Tullius *disputat, scribens proprium quoque* de quattuor virtutibus *librum.* (Hieronymus in Zachariae Prophetae Comm. I, 2. Opp. T. 3. p. 1715. Ed. Bened.)

---

29. Hoc fragmentum nescio quo iure ad librum, quem de suis consiliis conscripsit Cicero, referat Car. Beier in Fragmm. Oratt. p. 196. Or.

2. Illud neutiquam probantes. (Charisius l. II. p. 186.)

3. *Memoria praeteritorum est, non praesentium: nam quidam cum de virtutibus agerent, in quibus est etiam Tullius, in tria ista* prudentiam *diviserunt:* memoriam, intelligentiam, providentiam. (Augustinus de Trin. l. XIV. c. XI. 14. T. III. p. 433. T. VIII. p. 957. Bened. Hoc fragmentum Patricio auctore ad Ciceronis Hortensium vulgo referunt ob Hortensii fragmentum 35. Nobbe. Sed desumpta sunt, notante Meyero, e Lib. 2. de Inventione C. 53. §. 160. Or.

[XI. DE NOTIS LIBER.

ADNOTATIO.

Romani veteres in scribendo praeter ipsas litteras vel arcanis earundem in paucorum usum inventis vel compendiariis totarum vocum notis ad festinandam scriptionem excogitatis usi fuisse dicuntur. Illius generis notas ut alii alias (Gell. XVII, 9.), ita Cicero suas usurpasse legitur (ad Famil. XIII, 6). Alterius generis notae non singulorum arbitrio fictae, sed certa quadam notariorum lege compositae iam a veteribus collectae sunt et illustratae. Ita natum est notarum lexicon, quod alii ad Tullium Tironem, Ciceronis libertum, alii ad Senecam auctorem referunt, Trithemius Ciceronis esse et a Cypriano amplificatum tradit. Primus enim Trithemius, Abb. Herbipolit., lexici quod nunc vocant Tironiani fragmentum, quod XXX tantum notas complectitur, e codice, quem in ordinis sui monasterio quodam invenerat, edidit. (Polygraph. p. 599 sqq. a. 1496.) Hoc in Ciceronis fragmenta ita receptum est, ut notae omitterentur et earum interpretamenta tantum retinerentur. [Ut necessitate coactis nobis quoque faciendum fuit. Or.] Deinceps Gruterus syllogen notarum Tironianarum auctiorem Thesauro Inscrr. addidit, Senecam Commelinianum secutus. Eandem codicis Casselani incrementis conspicuam edidit Kopp. (Palaeogr. crit. 1817.) Hunc nos sequi oportebat, nisi e re esse duceremus, aut plane omittere notas Tironianas, aut retinere XXX Trithemii, quas tamquam Ciceronianas solent edere, a Koppianis et numero et figura discrepantes. Nobbe.

° Approbat.
° comprobat.
° improbus.
° probus.
° probitas.
° improbitas.
° probabilis.
° reprobat.
° modus.
° modulus.
° modestus.
° immodestus.
° modicus.
° immodicus.
° commodus.
° incommodus.
° accommodat.
° in modum.
° admodum.
° quemadmodum.
° epistola.
° litera.
° literae.
° syllaba.
° tempus.
° per tempus.
° per idem tempus.
° temporalis.
° extemporalis.
° homo.]

XII. CHOROGRAPHIA.

ADNOTATIO.

Chorographiam pro Varroniana, ut Patricius existimat, Ciceronianam unus memorat Priscianus: quem qui nuper edidit Krehlius, s. h. l. orthographiam scribi iussit, subiectis chronographiae et chorographiae lectionibus. Ego chorographiam, eidem tamquam synonymam contemptam, orthographiae praeferendam duxi. Huius enim nullum usquam nisi in vetere quodam Indice (v. Titulos operum dubiae fidei) invenitur vestigium. Chorographiam vero haud scio an illud Cicero inscripserit opus geographicum, in quo conficiendo se Caesare et Bibulo coss. s. a. u. 695. elaborare scribit ad Att. l. II. epp. 4. 6. et 7. Nobbe. (Cf. etiam Savaronem ad Sidonium Apollinarem pag. 8. Cosmographiam appellat hunc librum Codex Turicensis Carolinus.)

Ibi quercorum rami ad terram iacent, ut sues quasi caprae ex ramis glande pascantur. (Priscianus l. VI. c. 16. §. 83.)

XIII. EX ADMIRANDORUM LIBRO.

Admirandorum librum Patricius non a Plinio, sed a librariis eius Ciceroni auctori censet adscriptum esse, quem a Varrone profectum esse constet. Neque enim, qui integer est, liber παραδόξων, quae ipse Cicero Admirabilia dicit (Acad. Pr. II. c. 44. §. 136. de Finn. IV. c. 27. §. 74. add. Gernhard. ad Paradoxa p. 167.), harum, quae apud Plinium sunt, similem aliquam complectitur sententiam. Nobbe. Sed recte Admirandorum librum Ciceroni vindicavit Beier *Schulzeitung* 1828. N. 20. Or.

1. *Cicero in admirandis posuit*, Reatinis tantum paludibus ungulas iumentorum indurari. (Plinius H. N. XXXI. cap. 2. sect. 8.)

2. *Quaedam terrae imbribus sicciores fiunt, velut* in Narniensi agro, *quod Admirandis suis inseruit M. Cicero,* siccitate lutum fieri *prodens*, imbre pulverem. (Idem ibid. cap. 3. sect. 28.)

3. *Haec autem (mustela), quae in domibus nostris oberrat et* catulos suos, *ut auctor est Cicero,* cotidie transfert mutatque sedem, *serpentes persequitur.* (Idem ibid. XXIX. cap. 3. sect. 16.)

Ex eodem, ut videtur, libro:

4. Feminas omnes ubique visu nocere, quae duplices pupillas habeant. (Idem ibid. VII. cap. 2. sect. 2. cf. Gell. IX. 4.)

5. In nuce inclusam Iliada Homeri carmen in membrana scriptum *tradidit Cicero.* (Idem ibid. c. 21. sect. 21.)

6. — fuisse, qui pervideret CXXXV. M. passuum. (Idem ibid.)

7. Romanum fuisse civem Naevium Pollionem, pede longiorem quam quemquam longissimum. (Columella l. III. c. 8. §. 2. ed. Schneid.)

8. *Cicero* Amyclarum incolas propter nimiam modestiam perisse *ait*, dum a finitimis accipiunt iniurias et tacent eas. (Servius Lionis ad Aen. 10, 564.)

---

37. Videtur potius referendum ad Acad. 2, 25, 81: *ille nescio qui, qui in scholis nominari solet, mille et octoginta stadia* (= CXXXV. M. passuum) *quod abesset, videbat.* Or. — 40. Hoc fragmentum a me additum poterat etiam ad Chorographiam referri; est autem omnino dubiae fidei. Or.

XIV.

M. TULLII CICERONIS
TIMAEUS.

RECENSUIT

IO. GEORGIUS BAITERUS.

NOTARUM INDEX.

A = codex Leidensis (Vossianus) num. 84. Contulit Halmius.
B = codex Leidensis (Vossianus) num. 86, quem ipse excussi.
V = codex Vindobonensis num. 89. Contulit Carolus Schenkl.
C = codices ABV, de quibus cf. p. 369 sq.
E = codex Erlangensis 38 (nunc num. 847). Cf. Halm, *zur Handschriftenkunde der Ciceron. Schriften*, p. 2 sq. Contulerunt Iac. Beckerus et Car. Halmius.
G = codex Gudianus secundus. Cf. Halm, *zur Handschriftenk. der Cic. Schr.* p. 7. Contulerunt Alfredus Fleckeisen et Car. Halmius.
O = ed. Orelliana.

Lectiones codicum ABV integras exhibuimus, codicum EG selectas. In orthographia eandem secuti sumus rationem, quam declaravit Halmius supra p. 4.

I. Multa sunt a nobis et in Academicis conscripta contra physicos et saepe *cum* P. Nigidio Carneadeo more et modo disputata. Fuit enim vir ille cum ceteris artibus, quae quidem dignae libero essent, ornatus omnibus, tum acer investigator et diligens earum rerum, quae a natura involutae videntur. Denique sic iudico, post illos nobiles Pythagoreos, quorum disciplina extincta est quodam modo, cum aliquot saecla in Italia

---

Inscriptio. *M. Tullii (tulli B) Ciceronis de divinatione liber II. explicit. Incipit Timeus* AB; *Incipit Timeus felic.* V; *Thimeus platonis incipit M. T. C.* E; *Marci Tullii Ciceronis in thimeum Platonis liber incipit feliciter* G; *Timaeus seu de Universo* O. Simpliciter *Timaeum* hunc librum nominant etiam Boëthius, Priscianus, Servius.

1. *achademicis* EGV — *fysicos* AB — 2. *cum* om. CEG — *P.*] *p* BEV, *p̃.* A, *pro* G — 4. *tum* G V²: *tunc* ABEV¹ — 5. *pytagoreos* AG, *pitagoreos* E, *philhagoreos* (corr. ex *philhagoreas*) V — 6. *aliquod* AB¹V¹ — *saecla* AB: *secla* EGV, *secula* O.

Siciliaque viguisset, hunc extitisse, qui illam renovaret. Qui cum me in Ciliciam profisciscentem Ephesi exspectavisset, Romam ex legatione ipse decedens, venissetque eodem Mytilenis mei salutandi et visendi causa Cratippus, Peripateticorum omnium, quos quidem ego audierim, meo iudicio facile princeps, perlibenter et Nigidium vidi et cognovi Cratippum. Ac primum quidem tempus salutationis in percontatione consumpsimus.

* * *

II. Quid est quod semper sit neque ullum habeat ortum, et quod gignatur nec umquam sit? Quorum alterum intellegentia et ratione conprehenditur, quod unum atque idem semper est: alterum, quod adfert opinionem sensus rationis expers, quod totum opinabile est, id gignitur et interit nec umquam esse vere potest. Omne autem, quod gignitur, ex aliqua causa gigni necesse est; nullius enim rei causa remota reperiri origo potest. Quocirca si is, qui aliquod munus efficere molitur, eam speciem, quae semper eadem est, intuebitur atque id sibi proponet exemplar, praeclarum opus efficiat necesse est: sin autem eam, quae gignitur, numquam illam, quam expetet, pulchritudinem consequetur. Omne igitur caelum — sive mundus sive quo alio vocabulo gaudet, hoc a nobis nuncupatus sit —: de quo id primum consideremus, quod principio est in omni quaestione considerandum, semperne fuerit, nullo generatus ortu, an ortus sit ab aliquo temporis principatu. Ortus est, quando quidem cernitur et tangitur et est undique corporatus; omnia autem talia sensum movent, sensusque moventia quae sunt, eadem in opinatione considunt, quae ortum habere gignique diximus, nihil autem gigni posse sine causis. Atque illum quidem quasi parentem huius universitatis invenire difficile et, cum

---

1. *reuocaret* G — 2. *proficiscente* A B G — *efesi* A G — *expectavisset* E G V — 2. *roma* A E G V — 3. *decedens* V^2: *descedens* V^1, *descendens* A B E G — *uenissetque* corr. ex *uenisse quae* B; *uenisset quod* G — *Mytilenis* G: *mytylenis* B V, *mitilenis* A E — *mei* G V: *me* (erasa in fine littera) A et (sine rasura) B E — 4. *cratippus* corr. ex *gratippus* BV, *cratyppus* A, *cratipus* G; similiter v. 5. — *peripate* V (reliquae litterae erasae sunt et superscr. m. vetere *ticorum*) — 5. *cognovi cratippum* C E G: *Cratippum cognovi* O — 6. *salutationis in percunctatione* A (ultima littera in ras.) E: *salutationis in percunctationis* B^1 G V; *salutationis in percunctationes* B^2; *salutationibus, reliquum in percontatione* O — Post *consumpsimus* in E est lacuna totius fere paginae additis verbis: *hic est defectus ut etiam habetur in exemplari vetere*. Nullum lacunae indicium habent A B G V. »Praeter partem exordii Ciceroniani desiderantur Timaei Platonici undecim paginae a pag. 17. usque ad p. 27. ed. Steph., qua exeunte leguntur verba: *ἔστιν οὖν δὴ κατ' ἐμὴν δόξαν πρῶτον διαιρετέον τάδε.* Hinc incipit Tulliana Platonis oratio.« Or. — 7. *Quid est quod - - rationis expers* habet Boëthius ad Topica p. 319, 12 ed. Bait. — *habeat* Boëthius: *habet* C E G — 8. *intelligentiae ratione* Boëthius. — 9. *atque idem semper* C E G: *semper atque idem* O — *alterum quod adfert opinionem sensus rationis expers* A G E V: *alterum* (ceteris omissis) B; *alterum affert opinioni sensus rationis expers* Boëthius; *alterum opinioni sensus rationis expers affert* O; *alterum opinione* (comprehenditur), *quam affert sensus rationis expers* Car. Fr. Hermannus. — 12. *remota* A^2 in ras. — 13. *qui et aliquod* G V — 14. *eadem est* A B (*est* superscr.): *eadem* (om. *est*) G V; *est eadem* E O — *adque* corr. in *atque* B — *id* B^1 E G V: *eam* A^2 (in rasura) B^2 — *proponit* C E G — *exempla* B^1 V, *exemplo* et *exemplar* corr. B — 15. *eam* A B E V^1: *ea* G V^2 — 19. *an ortus sit an ab* A E G V — 20. *est et quando* B^1 — 21. *talia* corr. ex *alia* B — 22. *sensusque* C E G: *sensus* O — *considunt* C E G: *consistunt* (in marg. a recenti m. V) O.

iam inveneris, indicare in vulgus nefas. Rursus igitur videndum, ille fabricator huius tanti operis utrum sit imitatus exemplar, idne, quod semper unum et idem et sui simile, an id, quod generatum ortumque dicimus. Atqui si pulcher est hic mundus et si probus eius artifex, profecto speciem aeternitatis imitari maluit, sin secus, quod ne dictu quidem fas est, generatum exemplum est pro aeterno secutus. Non igitur dubium quin aeternitatem maluerit exsequi, quando quidem neque mundo quicquam pulchrius neque eius aedificatore praestantius. Sic ergo generatus ad id est effectus, quod ratione sapientiaque conprehenditur atque aeternitate inmutabili continetur. Ex quo efficitur ut sit necesse hunc, quem cernimus, mundum simulacrum aeternum esse alicuius aeterni. Difficillimum autem est in omni conquisitione rationis exordium. De iis igitur, quae diximus, haec sit prima distinctio. III. Omni orationi cum iis rebus, de quibus explicat, videtur esse cognatio. Itaque cum de re stabili et inmutabili disputat oratio, talis sit, qualis illa, quae neque redargui neque convinci potest. Cum autem ingressa est imitata et efficta simulacra, bene agi putat, si similitudinem veri consequatur. Quantum enim ad id, quod ortum est, aeternitas valet, tantum ad fidem veritas. Quocirca si forte de deorum natura ortuque mundi disserentes minus id, quod avemus animo, consequemur, ut tota dilucide et plane exornata oratio sibi constet et ex omni parte secum ipsa consentiat, haud sane erit mirum, contentique esse debebitis, si probabilia dicentur. Aequum est enim meminisse et me, qui disseram, hominem esse et vos, qui iudicetis, ut, si probabilia dicentur, ne quid ultra requiratis.

Quaeramus igitur causam, quae inpulerit eum, qui haec machinatus sit, ut originem rerum et molitionem novam quaereret. Probitate videlicet praestabat, probus autem invidet nemini: itaque omnia sui similia generavit. Haec nimirum gignendi mundi causa iustissima. Nam cum constituisset deus bonis omnibus explere mundum, mali nihil admiscere, quoad natura pateretur, quicquid erat, quod in cernendi sensum caderet, id sibi adsumpsit, non tranquillum et quietum, sed inmoderate agitatum et fluitans,

---

1. *inueneris* corr. ead. m. ex *inuenerit* A B, *inuenerit* G — *indicare* corr. ex *indicarit* B — 2. *huius* C E G: om. O — 3. *unum idem et sui* E; *unum idem ut sui* A B G V (*sui* in C corr. ex *suis*) — 4. *et* C E G: om. O — 5. *dictu* corr. ex *dicto* B — 6. *quin* corr. ex *qui in* B, *quip* (*p* in ras.) A — 8. *Sic* Victorius: *si* C E G — 9. *aeternitate inmutabili* C E G: *immutabili aeternitate* O — 11. *simulacrum* corr. ex *simulachrum* A — *difficillimum* -- *exordium* habet Nonius p. 30. — 12. *in omne* A — *conquisitione* C G et Nonius: *inquisitione* E O. Cf. p. 1010, 10. — *de his* C, *de hiis* E G — 13. *cum his* C, *cum hiis* E G — 14. *explicat* (corr. m. vetere ex *explicata*) V et Orellius: *explicata* A B E G — *cognatio* (corr. ex *cognitio*) A B et Perionius: *cognitio* E G V — 15. *quae* om. G V, superscr. habent pr. m. A B — 16. *ingressa et imitata est eff.* Pinzger. — *efficta* Perionius: *effecta* C E G — 17. *similitudine* B — 19. *avemus* Jac. Cuiacius: *habemus* C E G — 20. *animo* C E G: *omnino* (iunctum cum *consequemur*) O — *consequemur* corr. ex *consequimur* B — 21. *et* superscriptum habet V — 21. *haud* A B E (sed A corr. ex *aut*, B corr. in *haut*): *aut* G V — 22. *debebitis* C: *debetis* E, *debitis* G — *dicentur* corr. ex *dicerentur* B — 23. *et me qui disseram hominem esse* om. G V — 24. *quid* corr. ex *id* A — 25. *impulerit* (*imp.* A) *eum* C E G: *eum impulerit* O — 26. *probitati* G V — 29. *quoad* corr. ex *quodad* V. — 31. *fluitans* C E G: *fluctuans* O.

idque ex inordinato in ordinem adduxit; hoc enim indicabat esse praestantius. Fas autem nec est nec umquam fuit quicquam nisi pulcherrimum facere ei, qui esset optumus. Cum rationem igitur habuisset, reperiebat nihil esse eorum, quae natura cernerentur, inintellegens intellegente in toto genere praestantius. Quocirca intellegentiam in animo, animum inclusit in corpore. Sic ratus est opus illud effectum esse pulcherrimum. Quam ob causam non est cunctandum profiteri, si modo investigari aliquid coniectura potest, hunc mundum animal esse idque intellegens et divina providentia constitutum. IV. Hoc posito quod sequitur videndum est, cuiusnam animantium deus in fingendo mundo similitudinem secutus sit. Nullius profecto id quidem, quae sunt nobis nota animantia; sunt enim omnia in quaedam genera partita aut inchoata, nulla ex parte perfecta; imperfecto autem nec absoluto simile pulchrum esse nihil potest. Cuius ergo omne animal quasi particula quaedam est, sive in singulis sive in universo genere cernatur, eius similem mundum esse dicamus. Omnes igitur, qui animo cernuntur et ratione intelleguntur animantes complexu rationis et intellegentiae, sicut homines, hoc mundo et pecudes et omnia, quae sub aspectum cadunt, conprehenduntur. Quod enim pulcherrimum in rerum natura intellegi potest et quod ex omni parte absolutissimum est, ei cum deus similem mundum efficere vellet, animal unum aspectabile, in quo omnia animalia continerentur, effecit. Rectene igitur unum mundum diximus, an fuit plures aut innumerabiles dictu melius et verius? Unus profecto, si quidem factus est ad exemplum. Quod enim omnis animantis eos, qui ratione intelleguntur, complectitur, id non potest esse cum altero. Rursus enim alius animans, qui eum contineat, sit necesse est, cuius partes sint animantes superiores, caelumque hoc simulacrum illius ultimi sit, non proximi. Quorum ne quid accideret atque ut hic mundus esset animanti absoluto simillimus, hoc ipso, quod solus atque unus esset, idcirco singularem deus hunc mundum atque unigenam procreavit.

Corporeum autem et aspectabile itemque tractabile omne necesse est esse, quod natum est. Nihil porro igni vacuum aspici ac videri po-

---

1. *ex inordinato* corr. ex *in exordinato* A V — *adduxerit* V¹ — 3. *ei qui* A B² V¹: *et qui* B¹ E, *eum qui* G V² — *obtumus* A — 4. *inintellegens* C G: *intelligens* E, *non intelligens* O — *intellegente* A B E: *intelligentie* G, *intellegentiae* V — 5. Post v. *praestantius* desunt verba Platonis *νοῦν δ' αὖ χωρὶς ψυχῆς ἀδύνατον παραγενέσθαι τῳ*, quae alii aliter expresserunt, [*intelligentiam autem ulli rei adiunctam esse sine animo nefas esse*] cum Lambino O — 6. *inclusit* C E G: *conclusit* O — *ratus* corr. ex *gratus* C — 7. *cunctandum* corr. ex *cuncta dum* V — 11. *id* C G: *ex his* E, *eorum* O. Eandem brachylogiam in pronomine *id* habemus infra p. 999, 30. — *nota* corr. ex *tota* V — 12 *inchoata* corr. ex *incoata* A — 13. *in perfecto* G V — *nec* corr. ex *ne* A — *soluto* G V — 15. *in diuerso genere* C E G — *ducamus* A B E — 17. *et* ante *pecudes* om. G V — 20. *ei* Lambinus: om. C E G — 21. *effecit* corr. ex *efficit* B — 22. *fuit* C E G: om. O — *pluris* A B¹.G V — *aut* C E G: *et* O — *melius et uerius* C E G: *verius et melius* O — 24. *omnis* A B G: *omnes* E V O — *animantis* C G: *animantes* E O — 26. *superiores* om. G V — *simulacrum* corr. ex *simulachrum* A — 27. *illius* A B E: *alius* G V — *ne quit* B — *accideret* corr. ex *acciderit* V — 29. *atque* om. V — 31. *idemque* C E G — *necessest* A¹ — 32. *porro gigni* C E G — *aspici ac* nos: *a specie ac* C E G; om. O — *uideri* corr. ex *uidere* C.

test, nec vero tangi quod careat solido, solidum autem nihil quod terrae sit expers. Quam ob rem mundum efficere moliens deus terram primum ignemque iungebat. Omnia autem duo ad cohaerendum tertium aliquid anquirunt et quasi nodum vinculumque desiderant. Sed vinculorum id est aptissimum atque pulcherrimum, quod ex se atque de iis, quae stringit, quam maxime unum efficit. Id optime adsequitur, quae Graece ἀναλογία, Latine — audendum est enim, quoniam haec primum a nobis novantur — conparatio proportiove dici potest. V. Quando enim trium vel numerorum vel figurarum vel quorumcumque generum contingit ut, quod medium sit, ut ei primum proportione, ita id postremo comparetur, vicissimque, ut extremum cum medio, sic medium cum primo conferatur, id, quod medium est, tum primum fit, tum postremum, postrema autem et prima media fiunt: ita necessitas cogit ut eadem sint ea, quae diiuncta fuerant; eadem autem cum facta sint, efficitur ut omnia sint unum. Quod si universi corpus planum et aequabile explicaretur neque in eo quicquam esset † requisitum, unum interiectum medium et se ipsum et ea, quibus esset interpositum, conligaret. Sed cum soliditas mundo quaereretur, solida autem omnia uno medio numquam, duobus semper copulentur, ita contigit ut inter ignem atque terram aquam deus animamque poneret eaque inter se conpararet et proportione coniungeret, ut, quem ad modum ignis animae, sic anima aquae, quodque anima aquae, id aqua terrae proportione redderet. Qua ex coniunctione caelum ita aptum est, ut sub aspectum et tactum cadat. Itaque et ob eam causam et ex iis rebus, numero quattuor, mundi est corpus effectum, ea constrictum conparatione, qua dixi: ex quo ipse se concordi quadam amicitia et caritate conplectitur atque ita apte cohaeret, ut dissolvi nullo modo queat nisi ab eodem, a quo est conligatus. Earum autem quattuor rerum, quas supra dixi, sic in omni mundo partes omnes conlocatae sunt, ut nulla pars huiusce generis excederet extra atque ut in hoc universo inessent genera illa universa. Id ob eas causas, primum ut mundus animans posset ex perfectis partibus esse perfectus, deinde ut unus esset, nulla parte, unde alter gigneretur, relicta, postremo ne qui morbus eum posset aut senectus attingere.

---

4. *anquirunt* A V^1: *adquirunt* G V^2, *inquirunt* B E, *requirunt* alii. — 5. *pulcherrumum* A — *de iis* (corr. ex *deis*) B: *de his* A V (corr. ex *deis* A), *de hiis* E G — *stringit* C E G: *adstringit* O — 7. *analogia* C E G — *audiendum* B — 8. *proportione* B^1 V — *trium*] *primum* A B E, *prima* V^1, *primo* G V^2 — 10. *ut ei* Gesnerus: *uti* C E G — 10. *comprobetur* C (*conpr.* B) E G — 11. *sic medium* corr. ex *sic medio* A V — 12. *id* A B E V: *et id* G et margo V — *fit tum* corr. ex *fictum* B — *autem* C E G: *vero* O — 13. *et* om. GV — *fiunt* superscr. in A — *diiuncta* A^1V^2 (hic ex correctione antiqua): *deiuncta* A^2 B E V^1, *diminuta* G, *disiuncta* O — 14. *fuerint* A B G, *fuerunt* E — 15. *universi* C E G: *universitatis* O — 16. *esset altitudinis requisitum* Henr. Stephanus; *esset repositum* Klotzius; *esset retro situm* vel *reconditum* Car. Frid. Hermannus. Obelum addidit Orellius. — *unum enim interiectum* C E G — *se ipse et* C E G — 19. *contingit* E G — *atque* C G: *et* E O — *eaque* corr. ex *eamque* A V, *eamque* E — 22. *qua ex coniunctione caelum ita aptum est* affert Servius ad Verg. Aen. IV, 482. — 23. *ex his* A E V, *ex hiis* G — 24. *ea* C E: *et ea* G (V in marg.: «*et* vel *et maxime.*») — 26. *cohaeret* corr. ex *conhaeret* V — 28. *partes omnes* C E G: *omnes partes* O — 29. *excideret* A^1 B^1 G V — *ut* C E G: om. O — 30. *posset* Lambinus: *possit* C E G; item v. 32. — 31. *nulla* C: *in illa* E G — *altera* C E G — 32. *ne qui* C G (corr. ex *neque* B): *ne quis* E — *eum* corr. ex *tunc* B, corr. ex *tum* V — *attingere* corr. ex *atingere* A, *adtingere* V.

Omnis enim coagmentatio corporis vi caloris vel frigoris vel aliqua inpulsione vehementi labefactatur et frangitur et ad morbos senectutemque conpellitur. Hanc igitur habuit rationem effector mundi et molitor deus, ut unum opus totum atque perfectum ex omnibus et totis atque perfectis absolveret, quod omni morbo et senio vacaret. VI. Formam autem et maxime cognatam et decoram dedit. A quo enim animanti omnis reliquos contineri vellet animantes, hunc ea forma figuravit, qua una omnes formae reliquae concluduntur, et globosum est fabricatus, quod σφαιροειδής Graeci vocant, cuius omnis extremitas paribus a medio radiis attingitur, idque ita tornavit, ut nihil efficere posset rutundius, nihil asperitatis ut haberet, nihil offensionis, nihil incisum angulis, nihil anfractibus, nihil eminens, nihil lacunosum, omnesque partes simillimas omnium, quod eius iudicio praestabat dissimilitudini similitudo. Omni autem totam figuram mundi levitate circumdedit. Nec enim oculis egebat, quia nihil extra, quod cerni posset, relictum erat, nec auribus, quia ne quod audiretur quidem, neque erant anima circumfusa extrema mundi, ut respirationem requireret, nec vero desiderabat aut alimenta corporis aut detractionem confecti et consumpti cibi. Neque enim ulla decessio fieri poterat neque accessio, nec vero erat unde. Itaque se ipse consumptione et senio alebat sui, cum ipse per se et a se et pateretur et faceret omnia. Sic enim ratus est ille, qui ista iunxit et condidit, ipsum se contentum esse mundum neque egere altero. Itaque ei nec manus adfixit, quoniam nec capiendum quicquam erat nec repellendum, nec pedes aut alia membra, quibus ingressum corporis sustineret. Motum enim dedit caelo eum, qui figurae eius esset aptissimus, qui unus ex septem motibus mentem atque intellegentiam cieret maxime. Itaque una conversione atque eadem ipse circum se torquetur et vertitur. Sex autem reliquos motus ab eo separavit

---

1. *coagmentatio* A^1 B^1: *coacmentatio* G V, *coaugmentatio* A^2 B^2 E — *vi caloris vel frigoris* Halmius: *vel caloris vel frigoris* C E G; *vel caloris vi vel frigoris* Klotzius; *vel calore vel frigore* O — 3. *et molitor* C E G: *molitorque* O — 5. *et senio* C E G: *senioque* O — *uacaret* C E: *careret* G O — 6. *maxume* V — *cognatam* C E G: *sibi cognatam* O — *animanti* C E G: *animante* O — *omnis* C G: *omnes* E O — *reliquas* C E G — 7. *omnis formae reliquae* G V; *omnis forma reliqua* A B E: *omnes reliquae formae* O — 8. *concluduntur* G V: *concluditur* A B E (*ditur* in rasura B) — *globosum* Orellius: *globosus* C E G — *speroides* B^1 V, *speroidē* A B^2, *speroiden* E, *speroyde* G — 9. *adtingitur* A — 10. *efficere* C E G: *effici* O — *posset* Klotz: *possit* C E G O — *rutundius* V: *rotundius* O. Vide ad p. 221, 19. — *asperitatis ut* C E G: *ut asperitatis* O — 11. *incisum* Lambinus (et marg. V): *inclusum* C E G. Cf. Tusc. Disp. II §. 47. — 12. *laconosum* V^1 — *simillimas* Perionius: *simillimae* C, *simillime* E G — *iudicio praestabat* C E G: *praestabat iudicio* O — 13. *dissimilitudinis* A B, *dissimilitudines* E — *omnia autem* A B G — 15. *ne quod* A^1 B^1 G V: *nec quod* A^2 B^2 E — 16. *externa* C E G — 18. *consumptio ibi* corr. in *consumpti cibi* V; *consumptione que* corr. in *consumpti cibi neque* B; *consumpti neque* (om. *cibi*) G — 19. *itaque* C E G: *ita* O — *ipse sine consumptione* G et marg. V — 21. *iuncxit* A — 22 *adfixit* C, *affixit* G E: *affinxit* O — *quoniam* C E G: *quia* O — 23. *pedes aut aliqua* C E G; *pedes nec alia* O — 24. *corpore* C E G — *figurae eius esset* Orellius: *figuratus sit* A B E (in A una littera inter *a* et *t* erasa); *figurant* (corr. in *figuram*) *sit* V; *fine eius sit* G — 25. *aptissumus* A — *motibus* corr. ex *montibus* V — 26. *cieret* A B^2 E (litteras *ci* in rasura a m. sec. habet A): *cierat* B^1, *coieret* (litterae *i* superscr. a m. secunda, sed vetere, *g*) V, *cogeret* G, *cohiberet* alii.

itaque ab omni erratione eum liberavit. Ad hanc igitur conversionem, quae pedibus et gradu non egeret, ingrediendi membra non dedit.

Haec deus is, qui erat, de aliquando futuro deo cogitans levem illum effecit et undique aequabilem et a medio ad summum parem et perfectum atque absolutum ex absolutis atque perfectis. Animum autem ut in eo medio conlocavit, ita per totum tetendit; deinde eum circumdedit corpore et vestivit extrinsecus caeloque solivago et volubili et in orbem incitato conplexus est, quod secum ipsum propter virtutem facile esse posset nec desideraret alterum, satis sibi ipsum notum et familiare. Sic deus ille aeternus hunc perfecte beatum deum procreavit. Sed animum haud ita, ut modo locuti sumus, tum denique, cum corpus ei effecisset, inchoavit. Neque enim esset rectum minori parere maiorem. Sed nos multa inconsiderate ac temere dicimus. VII. Deus autem et ortu et virtute antiquiorem genuit animum eumque ut dominum atque imperantem oboedienti praefecit corpori, idque molitus tali quodam est modo. Ex ea materia, quae individua est et quae semper unius modi suique similis, et ex ea, quae in corporibus dividua gignitur, tertium materiae genus ex duobus in medium admiscuit, quod esset eiusdem naturae et quod alterius, idque interiecit inter individuum atque id, quod dividuum esset in corpore. Ea cum tria sumpsisset, in unam speciem temperavit, naturamque illam, quam alterius diximus, vi cum eadem coniunxit, fugientem et eius copulationis alienam, quae permiscens cum materia, cum ex tribus effecisset unum, id ipsum in ea, quae decuit, membra partitus est. Iam partis singulas ex eodem et ex altero et ex materia temperavit. Fuit autem talis illa partitio: unam principio partem detraxit ex toto, secundam autem primae partis duplam, deinde tertiam, quae esset secundae sesquialtera, primae tripla, deinde quartam, quae secundae dupla esset, quintam inde, quae tertiae tripla, tum sextam octuplam primae, postremo septimam, quae septem et viginti partibus antecederet primae. Deinde instituit dupla et tripla intervalla explere, partis rursus ex toto desecans: quas *in* interval-

---

1. *itaque* corr. ex *ita utique* V — *ab omni erratione eum* E G V: *ab omne ratione eum* A^1; *ab omni ratione eum* A^2 B; *eum ab omni erratione* O — 3. *is* corr. ex *his* A — *futuro deo* C E G: *deo futuro* O — *illum* C E G: *eum* O — 4. *effecit* E: *efficit* A B (c in ras. A), *effigit* G V — 5. *ex absolutis atque perfectis* om. G; *ex absolutis* om. V — 7. *et* ante *volubili* superscr. habet A, om. B G — 8. *possit* A B E V^1 — 10. *beatum deum* A B E: *deum beatum* V; *deum beatum deum* G — 12. *parere* corr. ex *parare* V — 14. *oboedienti* A B: *obedienti* E V O, om. G — 15. *praefecit* corr. ex *praeficit* B — *corpori* om. G V — *quodam* corr. ex *quoddam* V — *materia* corr. ex *matheria* V — 16. *et ex* E G V^2: *sed ex* A B V^1 — 17. *in corporibus* Lambinus (et V^3): *ex corporibus* C E G. Cf. v. 19. — 19. *atque in quod* A G V (*in* ead. m. corr. in *id* A) — 20. *sisset in unam* in rasura habet V — *in unam* C E G: *unam in* O — *naturam illam* V^1 — 21. *vi* Perionius: *uel* C E G — *coniuncxit* A B — 22. *alienam, quae permiscens* Orellius: *alienamque permiscens* A V; *alienaque permiscens* G; *alienam permiscens* B E — 23 *iamque* G V^2 — *partis* B: *partes* A E G O; cf. v. 30. — 24. *particio* A G — 25. *toto* corr ex *tota* B — *secunda* G V — 26. *sique altera* A^1 V^1, *sicque altera* G V^2, *sesqualtera* A^2 E. Cf. p. 1002, 5 sqq. — *primae tripla* A^2 B E: *prima tetropla* A^1 V^1; *prima tecropla* G; *prima tripla* V^3 — 28. *octuplam* A^2: *octoplam* A^1 B V, *octroplam* G, *octupla* E — *primeicostremo* (deletis litteris *i c* et supersc. *p*) V — 29. *dupla et* corr. ex *duplo* B — 30. *partis* C E G: *partes* O — *desecans* corr. ex *desicans* B — *in* C. F. W. Müller: om. C E G O.

lis ita locabat, ut in singulis essent bina media: vix enim audeo dicere medietates, quas Graeci *μεσότητας* appellant, sed quasi ita dixerim, intellegatur; erit enim planius: earum alteram eadem parte praestantem extremis eademque superatam, alteram pari numero praestantem extremis parique superatam. Sesquialteris autem intervallis et sesquitertiis et sesquioctavis sumptis ex his conligationibus in primis intervallis sesquioctavo intervallo sesquitertia omnia explebat, cum particulam singulorum relinqueret. Eius autem particulae intervallo relicto habebat *numerus ad* numerum eandem proportionem conparationem*que* in extremis, quam habent ducenta quinquaginta *sex* cum ducentis quadraginta tribus, atque ita permixtum illud, ex quo haec secuit, iam omne consumpserat. Hanc igitur omnem coniunctionem duplicem in longitudinem diffidit mediaeque accommodans mediam quasi decussavit, deinde in orbem intorsit, ut et ipsae secum et inter se ex commissura, quae e regione esset, iungerentur, eoque motu, cuius orbis semper in eodem erat eodemque modo ciebatur, undique est eas circumplexus. Atque ita cum alterum esset exteriorem, *alterum interiorem* amplexus orbem, illum eiusdem naturae, hunc alterius notavit, eamque, quae erat eiusdem, detorsit a latere in dexteram partem, hanc autem citimam a mediana linea direxit ad laevam, sed principatum dedit superiori, quam solam individuam reliquit. Interiorem autem cum in sex partis divisisset, septem orbis dispares duplo et triplo intervallo moveri iussit contrariis inter se cursibus. Eorum autem trium fecit pares celeritates, sed quattuor et inter se dispares et dissimilis trium reliquorum.

---

1. *ut singulis* G V — 2. *mesotetas* C, *mesoteres* E, *mesextoeas* G — *apellant* A — 3. *earum alterum alteram (alterum* del. m. vetere) V — 4. *eademque* corr. ex *edemque* V — *alteram pari - - extremis* in ras. habet A^2 — 5. *parique* C E G: *parique numero* alii, *parique* [*numero*] O — *sesquialteris* corr. ex *sesquealteris* B (et sic deinceps), *sesqualteris* V^1, *sexqualteris* A G — *sesquitertiis* corr. ex *sesquetertis* A, *sexquitercìis* G — 6. *sexquioctauis* G V^2, *secquioctauis* V^1 — *sumptis*] *ortis* vel *natis* Fr Hermannus. — *ex hiis* EG — *sesquioctaui* C (corr. ex *sesqueoctaui* A B), *sexquioctaui* G, *sesquioctaui* E — 7. *sesquitertia* corr. ex *sesquetertia* A B, *sexquitercia* G — 8. *relicto* A B E: *adrelicto* V^1, *ad reliquum* G V^2 — *numerus ad* om. C E G — 9. *eandem proportionem conparationem in* A^1V^1; *eandem proportione conparationem in* B^1; *eadem proportione conparatum in* A^2B^2E; *eandem proportionum conparationem in* G V^2. Vide ne v. *conparationem* insiticium sit. — 10. *sex* om. C E G — 11. *secuit, iam* margo ed. Cratandrinae: *secui etiam* A; *se qui etiam* B; *sequi etiam* E; *sequi et iam* G; *sequiet iam* V — *omnem* C E G — 12. *mediamque accomodans* C G; *medium accomodans* E — 13. *decusauit* A B E V^1, *decussant* G — *intorsit* C E G: *torsit* O — 14. *quae e regione* A^2B^2 V: *quae regione* A^1B^1; *que a regione* E; *qua e regione* G — *essent* B E V — 15. *in edem* V^1; *in eadem* G V^2 — 16. *esset* C E G: *fecisset* O — 17. *alterum interiorem* Manutius: *interiorem alterum* O; om. C E G — *amplexūs* (ut sit genetivus nominis substantivi) O — 18. *notauit* C E G: *nominavit* cum Manutio (et marg. V) O — *eumque qui - - hunc autem citimum - - quem solum individuum* Manutius et Henr. Stephanus. — *dexteram* A G V: *dextram* B E O — 19. *citimam* (*citimam* ex correctione) *a mediana linea* A: *citiemā me dian alinea* (quinta littera deleta superscr. *ma)* B; *citem am mediana linea* (quarta litt. corr. in *i* et litteris *an* expunctis) V; *cicimam a mediana linea* E; *crē mane diana linea* G; *citimam a media linea* O — *direxit* A B E: *dixerit* V^1, *duxerit* G V^2 — *leuam* E G V — 20. *reliquid* A^1 G V^1 — 21. *partis* B: *partes* O — *divisisset* Manutius: *caeli divisisset* C G; *dividisset celi* E — *orbis* C E G: *orbes* O — *disparis* h. l. B E G V — 22. *contrariis* corr. ex *contraris* A — 23. *pares* corr. ex *partes* V — *celeritates et quattuor* A B E — *dissimilis* A B E: *dissimiles* G V O — 24. Post v. *reliquorum* e Platone (*ἐν λόγῳ δὲ φερομένους*) addidit verba *cum ratione tamen* Lambinus.

VIII. Animum igitur cum ille procreator mundi deus ex sua mente et voluntate genuisset, tum denique omne, quod erat concretum atque corporeum, substernebat animo interiusque faciebat, atque ita medio medium accommodans copulabat. Sic animus a medio profectus extremitatem caeli a suprema regione rutundo ambitu circumiecit seseque ipse versans divinum sempiternae sapientisque vitae induxit exordium. Et corpus quidem caeli aspectabile effectum est, animus autem oculorum effugit optutum. Est autem unus ex omnibus rationis concentionisque, quae *ἁρμονία* Graece, sempiternarum rerum et sub intellegentiam cadentium compos et particeps, quo nihil est ab optimo et praestantissimo genitore melius procreatum: quippe qui ex eadem iunctus alteraque natura adiuncta materia temperatione trium partium, proportione conpactus, se ipse conversans, cum materiam mutabilem arripuit et eum rursus individuam atque simplicem, per se omnis movetur discernitque, quid sit eiusdem generis, quid alterius, et cetera diiudicat, quid cuique rei sit maxime aptum, quid quoque loco aut modo aut tempore contingat quaeque distinctio sit inter ea, quae gignantur, et ea, quae sint semper eadem. Ratio autem vera, quae versatur in iis, quae sunt semper eadem, et in iis, quae mutantur, cum in eodem et in altero movetur ipsa per sese sine voce et sine ullo sono, cum eam partem attingit, qua sensus cieri potest, orbis illius generis alterius inmutatus et rectus omnia animo mentique denuntiat, tum opiniones adsensionesque firmae veraeque gignuntur. Cum autem in illis rebus vertitur, quae manentes semper eaedem non sensu, sed intellegentia continentur,

* * *

1. *eum* G: *quam* B^1 V^1, *quem* A (*ē* in rasura) B^2E — 4. *accomodans* EGV — *copolabat* A^1 — *Sic*] *Sed* C. Fr. Hermannus. — 5. *a summa regione* B — *rutundo* V: *rotundo* O. Cf p 1000, 10. — 6. *divinum* Orellius: *diuinus* CE, *diuine* G — 7. *adspectabile* Henr. Stephanus: *spectabile* CEG. Cf. p. 998, 21. 31. — *est* om. B — 8. *optutum* BGV: *obtutum* O — *concentionisque* Lambinus: *contentionisque* AB, *contentionisquae* V^1, *contencionisque* E, *consensionisque* G, *consensionisquae* V^2 — 9. *quae* BE: om. AGVO — *armonia* CEG — 10. *est* CEG: om. O — 11 *iunctus* CEG: *vinctus* O — *natura* om. GV — 12. *materia* corr. ex *matheria* V — *compactus* Manutius: *conpacta* C, *compacta* EG — 13. *ipse* A (*e* in ras.) B^2E: *ipsa* B^1, *ipso* GV — *arripuit* Manutius: *arripuisset* CEG — *individuum* B^1GV — 14. *per se* Orellius: *per quam* CEG. — »Post *quippe qui* exspectabas: *moveatur discernatque - - et cetera diiudicet.*« Or. — 15. *quoique* A^1 B^1, *quoque* V^1 — 17. *gignuntur* B — 18 *uera quae* A^2G et marg. V: *uetera quae* A^1 V^1, *uteraque* B^1, *utraque* B^2E — *in his* AV, *in hiis* EG (bis) — 19 † *quum in eodem* O. »Fort. *mutantur, quaeque in eodem et in altero movetur - - sono, cum eam partem - - potest, et orbis* cet.« Or. — *in* ante *eodem* om. CEG — 20. *eam* Manutius: *eandem* CEG — *adtingit* V — *cieri* A^1V: *ciere* A^2 B^2E, *scire* B^1, *ueri* G — 22 *firma* B^1, *firmat* AB^2EGV — *ueraque* GV — 23. *eaedem* AB^2V: *eadem* B^1G, *eodem* E — 24. *sensu sed* AB^2E: *sensus et* B^1GV — *continentur* (corr. ex *continetur* A). *ius natura conuerteret* (*et* add. E) *ut terram* nulla lacunae significatione CEG. Post v. *continentur* vulgo adduntur ex codice Memmiano interpolato verba *tum intelligentia scientiaque necessario efficitur,* quae exhibet etiam O, sed litteris inclinatis et uncis circumscripta. — 25 »Excidit tantum fere orationis Platonicae, quantum una complectitur pagina ed. Steph., ubi ultima ante hanc lacunam verba leguntur p. 37 C: *νοῦς ἐπιστήμη τε ἐξ ἀνάγκης ἀποτελεῖται*. Post eandem prima p. 38 C haec sunt: *ἐξ οὖν λόγου καὶ διανοίας θεοῦ τοιαύτης πρὸς χρόνου γένεσιν* cet.« Or.

IX. Ratione igitur et mente divina ad originem temporis curriculum inventum est solis et lunae *** — *** † ius natura converteret, ut Terram Lunae cursus proxime ambiret eique supra Terram proxima Solis circumvectio esset. Lucifer deinde et sancta Mercurii stella cursum habent Solis celeritati parem, sed vim quandam contrariam, eaque concursatione, quam inter se habent Lucifer, Mercurius, Sol, alii alios vincunt vicissimque vincuntur. Reliquorum siderum quae causa collocandi fuerit quaeque eorum sit conlocatio, in sermonem alium differendum est, ne in eo, quod attingendum fuit, quam in eo, cuius causa id attigimus, longior ponatur oratio. Quando igitur unum quodque eorum siderum cursum decorum est adeptum, ex quibus erat motus temporis consignandus, conligatisque corporibus vinculis animalibus animantia orta sunt eaque imperio parere didicerunt, tunc ex alterius naturae motione transversa in eiusdem naturae motum incurrentia in eaque haerentia atque inpedita, cum alia maiorem lustrarent orbem, alia minorem, tardius quae maiorem, celerius quae minorem, motu unius eiusdemque naturae quae velocissime movebantur, ea celeritate vinci a tardioribus et, cum superabant, superari videbantur. Omnis enim orbis eorum quasi helicae inflexione vertebat, quia bifariam contrarie simul procedentia efficiebant, ut, quod esset tardissimum, id proximum fieret celerrimo. Atque ut esset mensura quaedam evidens, quae in octo cursibus celeritates tarditatesque declararet, deus ipse Solem quasi lumen accendit ad secundum supra terram ambitum, ut quam maxime caelum omnibus conluceret animantesque, quibus ius esset doceri, ab eiusdem motu et ab eius, quod simile esset, numerorum naturam vimque cognoscerent. Nox igitur et dies ad hunc modum et ob has

---

1. Haec verba servavit Nonius v. *Curriculum* p. 198. — *Ratione* Sigonius: *rare* codd. — *temporis curriculum* Sigonius: *temporis curris curriculum* codd.; *temporis currentis curriculum* Iunius. — 5. *ius natura conuerteret* CEG: [*Corpora autem eorum singulorum quum effecisset deus, ea ad eas conversiones collocavit, quas alterius circuitus conficiebat, quae sunt septem, ut et illa septem: ita vim suam natura convertit,*] O ex ed. Lamb. 1584. — 6. *proximus* B — 7. *sanctam m. stellam* AE — *mercuri* BV — 8. *celeritatis* GV — *eaque concursatione, quam inter se habent* Perionius: *eaque inter se concursationes habent* A B^1 V^1; *ea quae inter se concursationes habent* B^2; *easque inter se concursationes habent* G V^2; *eaque inter se conuersiones habent* E — 9. *aliique alios* CEG — 10. *siderum* om. GV — 12. *adtingendum* A — *quoius* B^1, *quodius* V^1 — — *adtingimus* AV, *attingimus* BEG — 13. *quando igitur ibi quidque eorum* CG; *quando sibi quidque eorum* E — *decorum* corr. ex *dequorum* V — 14. *configurandus* ed. Bononiensis. — *corporibus* corr. ead. m. in *corporeis* V, *corporeis* G — 15. *animalibus tum animantia* CEG; *tum* del. Manutius — 16. *tunc* AB V^1: *tum* EG V^2 — 17. *herantia* B, *inherentia* G — 18. *tardiusque maiorem celeriusque minorem* A^2 in marg. habet, sed. m. admodum vetusta. — *tardius quae m. celerius quae* Astius (et fort. G): *tardiusque m. celeriusque* CE — 19. *uelocissume* B — 20. *ea*] *et a* A^1GV — *vinci a* corr. ex *uintia* V — 21. *omnis enim orbis* ABE: *omnis enim orbes* V^1; *omnes enim orbes* G V^2 O — *helicae* Victorius (in Castigationibus): *felicitate* CEG, *helicis* cum ed. Victoriana O — *quia bifariam* BGV: *qua bifaria* (litteris paene evanidis) A; *qui a bifaria* E, *quam bifariam* O — 22. *contrariae* AV (sed in V littera penultima expuncta est), *contraria* EG — *procedentia* corr. ead. m. ex *procedentiae* V — 23. *fieri* B — *caelerrimo* AB — 24. *in octo* CG: *in istis octo* E, *in* [*istis*] *octo* O — *caeleritates* A — *solum* B — 26. *noceri* GV — 27. *eius* margo ed. Lamb. 1584: *eo* CEG.

generata causas unum circumitum orbis efficit sapientissimum atque optimum, mensis autem, quando Luna lustrato suo cursu Solem consecuta est, annus, ubi Sol suum totum confecit et peragravit orbem. Ceterorum autem siderum ambitus ignorantes homines praeter admodum paucos neque nomine appellant neque inter se numero commetiuntur. Itaque nesciunt hos siderum errores id ipsum esse, quod rite dicitur tempus, multitudine infinita, varietate admirabili praeditos. Ac tamen illud perspici et intelligi potest, absoluto perfectoque numero temporis absolutum annum perfectumque tunc compleri denique, cum se octo ambitus confectis suis cursibus ad idem caput retulerunt cumque eos permensus est idem et semper sui similis orbis. Has igitur ob causas nata astra sunt, quae per caelum penetrantia solstitiali se et brumali revocatione converterent, ut hoc omne animal, quod videmus, esset illi animali, quod sentimus, ad aeternitatis imitationem simillimum.

X. Et cetera quidem usque ad temporis ortum expressa ab illis, quae imitabatur, ecfinxerat, sed quia nondum omne animal in mundo intus incluserat, ex ea parte deficiebat ad propositum exemplar imaginis similitudo. Quot igitur et quales animalium formas mens in speciem rerum intuens poterat cernere, totidem et tales in hoc mundo secum cogitavit effingere. Erant autem animantium genera quattuor, quorum unum divinum atque caeleste, alterum pinnigerum et aërium, tertium *aquatile*, terrestre quartum. Divinae animationis maxime speciem faciebat ex igne, ut et splendidissimus esset et aspectu pulcherrimus. Cumque eum similem universi naturae efficere vellet, ad volubilitatem rotundavit comitemque eum sapientiae quam optimae mentis effecit circumque omne caelum aequaliter distribuit, ut hunc varietate distinctum bene Graeci κόσμον, nos lucentem mundum nominaremus. Dedit autem divinis duo genera motus, unum, quod semper esset in eodem † de quo et idem omnibus atque uno modo celaret, alterum, quod in anticam partem a conversione eiusdem et similis pelleretur. Quinque autem reliquis motibus orbum eum voluit esse et expertem, immobilem et stantem. Ex quo genere ea sunt

---

1. *generata* littera in fine erasa A — *circumitum* AB: *circuitum* O — *obtimum* A — 2. *lustro* corr. in *lustrato* C — 5. *nomine* Henr. Stephanus et cod. Memmianus: *nomen* CEG — 7. *praedito* V^1, *praeditum* GV^2 — *ac tamen* CE: *attamen* GO. Cf. Wesenberg ap. Madvigium ad Cic. de finib. p. 289. Add. — 8. *et* corr. ex *quae* B — 9. *annum perfectumque* CEG: *perfectumque annum* O — *denique* CE: *deinde* G, *demum* marg. V. — 10. *retulerint* A^2E — 13. *quod* A^1EGV: *quoid* A^2B — 15. *expressa* Henr. Stephanus: *impressa* CEG — 16. *ecfinxerat* A: *et finxerat* GV, *effinxerat* BO, *et effinxerat* E — 18. *quot* corr. ex *quod* B — 21. *pinnigerum* A^1BGV: *pimigerum* E, *pennigerum* A^2O — *et aerium* A^2BV: *et acrium* E, *et erium* A^1, *etthereum* G — *aquatile* Lambinus: om. CEG — 22. *igne* A^1GV: *igni* A^2BE — 23. *ut et* A^2BEV: *et* A^1, *ut* G, *ita ut* O — 23. *eum* CEG: om. O — 24. *uniuersi* CEG: *universitatis* O — *natura* CEG — 25. *sapientiae quam* Lambinus: *sapientiamque* CEG — *optimae* B: *obtime* A, *optime* EGV — *effecit* AB^2E: *efficit* B^1V^1, *afficit* GV^2 — *omne* om. G — 26. *hunc* CEG: *hunc hac* O — *cosmon* CEG — 28. *in eodem de quo et idem omnibus - - celaret* CEG: *in eodem aeque et idem in omnibus - - † celeraret* O — 29. *caelaret* V — *alterum* om. GV — *in anticam* Victorius: *in antiquam* AEV^2, *in aniiquam* V^1, *inanili quam* B, *in aliquam* G — 30. *quinque* ABE: *quidque* GV — *orbum eum voluit esse et expertem* nos: *orbem eum (enim GV) uoluit esse et expertem* CEG; *orbem eum esse voluit expertem* O.

sidera, quae infixa caelo non moventur loco, quae sunt animantia eaque divina ob eamque causam suis sedibus inhaerent et perpetuo manent. Quae autem vaga et mutabili erratione labuntur, ita generata sunt, ut supra diximus. Iam vero terram, altricem nostram, quae traiecto axi sustinetur, diei noctisque effectricem eandemque custodem, antiquissimam deorum omnium voluit esse eorum, qui intra caelum gignerentur. Lusiones autem deorum et inter ipsos [deos] concursiones, quaeque in orbibus eorum conversiones quaeque antecessiones eveniant, eamque inter se paene contingant, eos, qui prope copulentur contrariaque regione, et pone quos aut ante labantur, quibusque temporibus a nostro aspectu oblitescant rursusque emersi terrorem incutiant rationis expertibus, si verbis explicare conemur, nullo posito ob oculos simulacro earum rerum, frustra suscipiatur labor. Sed haec satis sint dicta nobis, quaeque de deorum, qui cernuntur quique sunt orti, natura praefati sumus, habeant hunc terminum.

XI. Reliquorum autem, quos Graeci δαίμονας appellant, nostri, opinor, Lares, si modo hoc recte conversum videri potest, et nosse et enuntiare ortum eorum maius est quam ut profiteri nos scribere audeamus. Credendum nimirum est veteribus et priscis, ut aiunt, viris, qui se progeniem deorum esse dicebant, itaque eorum vocabula nobis prodiderunt. Nosse autem generatores suos optime poterant, ac difficile factu est a deis ortis fidem non habere, quamquam nec argumentis nec rationibus certis eorum oratio confirmatur, sed quia de suis [notis] rebus videntur loqui, veteri legi morique parendum est. Sic igitur, ut ab his est traditum, horum deorum ortus habeatur atque dicatur, ut Oceanum Salaciamque Caeli satu Terraeque conceptu generatos editosque memoremus, ex his Saturnum et Opem, deinceps Iovem atque Iunonem, reliquos, quos

---

3. *mutabili erratione* Henr. Stephanus: *mutabiliter ratione* C, *mirabiliter ratione* G, *mutabili racione* E — 4. *axi* AB^2E: *axii* B^1V^2, *xii* V^1, *axu* G, *axe* O — 5. *noctesque* A^1V^1 — 6. *qui* E: *quae* C, *que* G — 7. *lusiones* Henr. Stephanus: *flusiones* A^1B^1V, *fluxiones* A^2B^2EG — *deos*, quod abest a codice Uffenbachiano et ed. Bononiensi, seclusit Orellius. — *concursiones* corr. ex *consursiones* V — 8. *orbibus* corr. ex *ortibus* B — *conuersiones quaeque antecessiones* CEG: *conversiones antecessionesque* O — 9. *poene* A — *eos* A (in rasura) B^2E: *eorum* B^1G — *contrariaque* A^2BV: *contraque* A^1E, *contraria* G — 10. *labuntur* BEG — *quisque* CEG (*s* in ras. A) — 11. *emersi terrorem* GV: *emersit errorem* A^1B^1, *emersi errorem* E — *experti* A^1V^1 — 12. *ob oculos* CEG: *sub oculis* O — 13. *quaeque* Perionius: *quae* CEGO — 14. *sunt orti* CEG: *orti sunt* O — *praefati* corr. ex *praefecti* V — 16. *daemonas* ABG, *demonas* EV — *apelant* A^1, *appellat* B — *opinor* CEG: *ut opinor* O — 17. *enuntiare* Henr. Stephanus: *nuntiare* C, *nunciare* EG — 18. *eorum* del. Lambinus; fort. *deorum.* — *nos scribere* CEG: *scribere nos* O — 19. *progeniem* AB^2E: *progenie* B^1, *progeniae* V^1, *e progenie* V^2, *ex progenie* G — 21. *factu* A^2B^2: *factum* A^1B^1EGV — *a deis ortis* ABEGV^2: *a dei sorte is* V^1, *a diis ortis* O — 22. *haberet* C^1G — *quamquam nec argumentis nec rati* om. GV — *omnibus certis* GV — 23. Post v. *confirmatur* in CEG statim sequuntur verba (cap. 12 et 13 p. 1008, 6—1009, 15.) *sed cum duplex esset - - modo huc modo illuc* . . . — *sed* om. CEG — *quia* ABEV^1: *qui* GV^2 — *de suis notis rebus* CG: *de suis rebus notis* E, † *de suis rebus notis* O (*notis* ego seclusi.) — 24. *his* C: *hiis* EG, *iis* O — 25. *atque ducatur* GV — Servius ad Verg. Georg I, 31: *Tethys est uxor Oceani, nympharum mater. - - Hanc Tethyn Cicero in Timaeo* Salaciam *dicit.* — 27. *saturnum* CEG: *Phorcyn, Saturnum* O — *quos* Manutius: om. CEG.

fratres inter se agnatosque usurpari atque appellari videmus, et eorum, ut utamur vetere verbo, prosapiam. Quando igitur omnes, et qui moventur palamque se ostendunt et qui eatenus nobis declarantur, qua ipsi volunt, creati sunt, tum ad eos is deus, qui omnia genuit, fatur: «Haec vos, qui deorum satu orti estis, attendite: quorum operum ego parens effectorque sum, haec sunt indissoluta me invito: quamquam omne conligatum solvi potest, sed haud quaquam boni est ratione vinctum velle dissolvere. Sed quoniam estis orti, inmortales vos quidem esse et indissolubiles non potestis, neutiquam tamen dissolvemini, neque vos ulla mortis fata periment nec fraus valentior quam consilium meum, quod maius est vinculum ad perpetuitatem vestram quam illa, quibus estis tum, cum gignebamini, conligati. Quid sentiam igitur, cognoscite. Tria genera nobis reliqua sunt eaque mortalia, quibus praetermissis caeli absolutio perfecta non erit. Omnia enim genera animalium complexu non tenebit: teneat autem oportebit, ut ex eodem ne quid absit. Quae a me ipso effecta *si* sint, deorum vitam possint adaequare: ut igitur mortali conditione generentur, vos suscipite, ut illa gignatis, imitaminique vim meam, qua me in vestro ortu usum esse meministis. In quibus qui tales creabuntur, ut deorum inmortalium quasi gentiles esse debeant, divini generis appellentur teneantque omnium animantium principatum vobisque iure et lege volentes pareant: quorum vobis initium satusque tradetur a me, vos autem ad id, quod erit inmortale, partem attexitote mortalem. Ita orientur animantes, quos et vivos alatis et consumptos sinu recipiatis.»

XII. Haec ille dixit. Deinde ad temperationem superiorem revertit, in qua omnem animum universae naturae temperans permiscebat superiorisque permixtionis reliquias fundens aequabat, eodem modo ferme, nisi quod non ita incorrupta, ut ea, quae semper idem, sed ab iis secundum sumebat atque etiam tertium. Toto igitur omni constituto sideribus parem

---

1. *usurpari atque appellari* Manutius: *usurpare atque appellare* CEG *(apellare* A) — 2. *vetere* nos: *ueteri* CEGO — 3. *se ostendunt* CEG: *ostenduntur* O — *declarantur* A^2B^2E: *clarantur* A^1B^1V, *celantur* G — *qua* A^1B^1GV: *quo* A^2B^2E — 4. *tum* C: *cum* E, *tamen* G, del. Lambinus. — *is*] *his* A — *fatetur* GV — *haec* corr. ex *hae* A — 5. *vos, qui deorum - - cum gignebamini, colligati* affert Augustinus de civit. dei XIII, 16. — *adtendite* A — 6. *sum haec* CEG et Augustinus: *sum, quae per me facta, haec* O — *indissoluta* CEG: *indissolubilia* (cum Augustino) O (*indesoluta* B^1) — 7. *haut* G — 8. *estis orti* CG et Augustinus: *est orti* E, *orti estis* O — *inmortalis* B^1V — *indisolubiles* A, *indesolubiles* corr. in *indissolubiles* V — 9. *neutiquam* C: *ne unquam* EG, *nequaquam* Augustinus. Cf. Handii Tursell. IV. p. 182. — 10. *perement* C^1. Cf. var. lect. ad p. 249, 24. — 13. *genera nobis* CEG: *nobis genera* O — 15. *oportebat* A^1, *oportet* Lambinus. — 15. *ne quit* V^1, *ne quod* GV^2 — *absit* corr. ex *abit* A — *qua a me* B — 16. *si* nos: om. CEGO — 17. *conditione (condicione* EV^2) *generentur* CEG: *generentur conditione* O — *imitaminique* Orellius: *imiteminique* CEG — 18. *qua me in vestro ortu usum* nos: *quam et in uestro ortu usum* AB; *qua et* (corr. in *qua me) in uestro ortu ui usum* V; *qua et in nostro usu ortum* E; *qua me in nostro ortu usum* G; *qua in vestro ortu me usum* O — 19. *creabuntur* Lambinus: *creantur* CEG — *gentilis* AB^1E — 20. *apellentur* A — 21. *satusque* Henr. Stephanus: *statusque* CEG — *tradetur* ed. Bononiensis: *traditur* CEG — 22. *adtexitote* AGV — 25. *superiorisque* Henr. Stephanus: *superisque* CEG — 26. *permixtionis* corr. ex *permixtiones* V — *ferme* ABE (*er* in A ex correctione): *forme* GV — 27. *incorrupta* CEG: *incorruptas* cum Lambino O — *ut* A (post unam litteram erasam) B^2E: *aut* B^1GV — *semper isdem* CEG — *ab iis* Lambinus: *a diis* CEG — 28. *toto* ABE: *teco* V^1, *tecco* V^2, *tecto* G — *omni* om. G.

numerum distribuit animorum et singulos adiunxit ad singula atque ita quasi in currum universitatis inposuit commonstravitque leges fatales ac necessarias et ostendit primum ortum unum fore omnibus eumque moderatum atque constantem nec ab ullo inminutum, satis autem et quasi sparsis animis fore uti certis temporum intervallis oreretur animal, quod esset ad cultum deorum aptissumum. Sed cum duplex esset natura generis humani, sic se res habebat, ut praestantius genus esset eorum, qui essent futuri viri. Cum autem animos corporibus necessitate insevisset cumque ad corpora tum accessio fieret, tum abscessio, principio necesse erat sensum exsistere unum communemque omnium vehementiore motu excitatum coniunctumque naturae, deinde voluptate et molestia mixtum amorem, post iram et metum et reliquos motus animi, comites superiorum et his etiam contrarie dissidentes: quos qui ratione rexerit, iuste vixerit, qui autem iis se dediderit, iniuste. Atque ille, qui recte atque honeste curriculum vivendi a natura datum confecerit, ad illud astrum, quocum aptus fuerit, revertetur. Qui autem inmoderate et intemperate vixerit, eum secundus ortus in figuram muliebrem transferet. Et, si ne tum quidem finem vitiorum faciet, gravius etiam iactabitur et in suis moribus simillimas figuras pecudum et ferarum transferetur neque terminum malorum prius aspiciet quam illam sequi coeperit conversionem, quam habebat in se ipse eiusdem et similis innatam et insitam. Quod tum eveniet, cum illa, quae ex igni, anima, aqua, terra turbulenta et rationis expertia insederint, ratione depulerit et ad primam atque optimam affectionem animi pervenerit. XIII. Quae cum ita designasset seseque, si quid postea fraudis aut vitii evenisset, extra omnem culpam causamque posuisset, alios in terram, alios in lunam, alios in reliquas mundi partes, quae sunt ad spatiorum temporis significationem [notae] constitutae, spargens quasi serebat. Post autem eam sationem dis, ut ita dicam, iunioribus permisit ut corpora mortalia effingerent quantumque esset reliquum ex humano animo, quod deberet accedere, id omne et quae consequentia essent perpolirent et absolverent, deinde ut huic animanti principes se ducesque

---

1. *adiuncxit* A — 5. *oreretur* A^1B^1V: *oriretur* A^2B^2EGO — 6. Post v. *aptissumum* in CEG sequitur cap. 14. p. 1009, 17 sqq. — 7. *habebant* B — 8. *animos corporibus* Perionius: *animis corpora* ABG, *animus corpora* V, *amicus corpora* E — *necessitate* ABE (A post syllabam erasam): *tum necessitate* GV, [*cum*] *necessitate* O — *insevisset* - - *corpora tum* om. G — 9. *corpora* Manutius: *corpora necessitate* CE, *corpora* [*necessitate*] O — *tum* A^2B: *cum* E, om. A^1V — 11. *excitatum coniunctumque* Perionius: *excitato coniunctoque* CEG — 12. *ira et metu* CEG — *motos* AB^1 — 13. *his* C: *hiis* EG, *iis* O — *contrarie* Henr. Stephanus: *contrarios* CEG — *iuste vixerit* in marg. habet a m. vetere A — 14. *dediderit* Lambinus (et fort. A): *dederit* EGV, *dederint* B — *atque honeste* CEG: *et honeste* O — 17. *transferret* EV^1 — *et si ne* $ABEV^1$: *et sic ne* GV^2 — 19. *terminum malorum* CEG: *malorum terminum* O — 20. *habebat* A^2B^2E: *habet* A^1, *habebit* B^1GV — 21. *et uni similis* CE — *eueniat* B^1 — 22. *anima, aqua, terra* Wesenberg (ad Tusc. Disp. Part. III. p. 19 n.): *anima atque terra* CEG, *anima, aqua atque terra* cum Victorio O — *experta* CEG^1 — 23. *ratione* CEG: *denique ratione* O — *effectionem* BEV^1 — 26. *alios*] *aliosque* A^2B^2EGV, *alioquae* A^1, *alioque* B^1 — *in terram* Perionius: *in terra* BEGV, *intra* A — *in lunam* Perionius: *in luna* CEG — 27. *temporis signa et notae* CEG (*notae* del. Halmius.) — 28. *eam sationem* CEG: *sationem eam* O — 29. *essent* B^1GV — 30. *animo* om. A^1 — *accedere* A^1B^2GV: *accederet* B^1, *accidere* A^2E — *perpolirent* A (ex correctione) B^2E: *polierent* B^1, *peruiuerent* GV — 31. *ut* superscr. habet A^2, om. GV — *principes se ducesque* Manutius: *principem se ducemque* CEG.

praeberent vitamque eius quam pulcherrime regerent et gubernarent, quatenus non ipse bene factus sua culpa sibi aliquid miseriae quaereret.

Atque is quidem, qui cuncta conposuit, constanter in suo manebat statu, qui autem erant ab eo creati, cum parentis ordinem cognovissent, hunc sequebantur. Itaque cum accepissent inmortale principium mortalis animantis, imitantes genitorem et effectorem sui particulas ignis et terrae et aquae et animae a mundo, quas rursus redderent, mutuabantur easque inter se copulabant, haud isdem vinclis, quibus ipsi erant conligati, sed talibus, quae cerni non possent propter parvitatem, crebris quasi cuneolis inliquefactis unum efficiebant ex omnibus corpus atque in eo influente atque effluente animi divini ambitus inligabant. Itaque illi in flumen inmersi neque tenebant neque tenebantur, sed vi magna tum ferebant, tum ferebantur. Ita totum animal movebatur illud quidem, sed inmoderate et fortuito, ut sex motibus veheretur. Nam et ante et pone et ad laevam et ad dextram et sursum et deorsum, modo huc, modo illuc

* * *

XIV. Sed si in splendore consedit, tum vel eadem species vel interdum inmutata redditur, cum ignis oculorum cum eo igne, qui est ob os offusus, se confudit et contulit. Dextra autem videntur, quae laeva sunt, quia contrariis partibus oculorum contrarias partes attingunt. Respondent autem dextera dexteris, laeva laevis conversione luminum, cum ea inter se non cohaerescunt. Id fit, cum speculorum levitas hinc illinc altitudinem adsumpsit et ita dextera detrusit in laevam partem oculorum laevaque in dexteram. Supina etiam ora cernuntur depulsione luminum,

---

1. *praeberent* A^1B^1GV: *praeberet* A^2B^2E — *quam* CEG: om. O — *regerent et gubernarent* GV^2: *regeret et gubernaret* ABV^1, *regeret gubernaret* E — 2. *quatenus non* CEG: *nisi quatenus* O — 3. is] *his* A — *constanter* corr. ex *contanter* V — 4. *cum* A^2BE: *si* GV^2, om. A^1V^1 — *cognouisset* B^1V^1 — 7. *et* ante *animae* om. V — *quas* ABE: *quasi* GV — *rursus* om. G — 8. *haud* corr. ex *aut* B — *isdem* EGV^2: *hisdem* ABV^1, *iisdem* O — *uinclis* AEV: *uinculis* BGO — 10. *inliquefactis* A^2B^2E: *inliquefatis* B^1, *inliquetis* A^1GV — *efficebant* A — *atque* CEG: *itemque* O — 11. *animo diuino* corr. ex *animi diuini* A^2B^2 — *inligabat* CE, *uigilabat* G — *flumen* CEG: *ingens flumen* et *flumen ingens* Lambinus, *flumen* [*ingens*] O — 12. *cum ferebant* EG — 13. *totum*] *motum* V, *motu* ABEG — 14. *fortuito* B: *fortuitu* AEGVO. Vide Handii Tursell. II. p. 742 sq — *pone et ad* Lambinus: *post ad* G, *pone ad* CEO — 15. Post verba *modo illuc* in CEG sequuntur verba *quia* (*qui*) *de suis* cet. c 11. p. 1006, 23 sqq. — *modo illuc* CEG: *modo illuc* [*sex oras regionesque versus errans procedebat.*] cum Lambino O. «Tres fere desunt paginae orationis Platonicae. Verba ante hiatum ultima haec sunt apud Platonem p. 43 B ed. Steph. κάτω τε καὶ ἄνω καὶ πάντῃ. Abruptae orationis filum his verbis p. 46 A rursus annectitur: ἑνός τε αὖ περὶ τὴν λειότητα cet.» Or. — 17. *sed ii splendore* A^1, *sed tis spendore* B, *sed iis splendore* V^1, *sed his splendore* A^2, *sed is splendore* EGV^2. Ante haec Lambinus addidit: *Iam vero earum imaginum, quae finguntur et redduntur in speculis, eorumque, quae splendida et levia sunt, rationem perspicere haud difficile est. Nam ex ignis utriusque externi atque interni communione inter ipsos, cum unus per singulas partes effectus et multis modis concors et aptus redditus in levore consedit.* Eadem exhibet, sed litteris inclinatis et uncis circumscripta, O — 18. *redditur* CEG: *redditur,* [*omniaque huiusmodi necessario in speculo referuntur:*] cum Lambino O — *os* corr. in *eos* V, *eos* G — 19. *effusus* BEG; *offusus,* [*in re levi et splendida*] cum Lambino O — *contulit* corr. in *contudit* V — 20. *quia* corr. ex *qui* A — *adtingunt* AV; *attingunt* [*praeter morem usitatum adiectionis et commissurae*] cum Lambino O, additis praeterea maioris lacunae signis, quamvis nihil amplius desit. — 21. *dextera dexteris* A: *dextra dexteris* B^1, *dextra dextris* B^2EGVO — 22. *illinc* A: *illincque* BEGV — 23. *dextera* B: *dexteram* AV, *dextram* G^1, *dextra* EG^2O — 24. *laeuaque* A: *leuaque* E, *leuamque* BGV — *dexteram* BEG: *dextram* AVO — *etiam et ora* GV.

quae convertens inferiora reddit quae sunt superiora. Atque haec omnia ex eo genere sunt, quae rerum adiuvant causas; quibus utitur ministeriis deus, cum optimi speciem, quoad fieri potest, efficit. Sed existimant plerique non haec adiuvantia causarum, sed has ipsas esse omnium causas, quae vim habeant refrigerandi calfaciendi, concrescendi liquendi, careant autem omni intellegentia atque ratione, quae nisi in animo nulla alia in natura reperiantur. Animus autem sensum omnem effugit oculorum. At ignis, *anima*, aqua, terra corpora sunt eaque cernuntur. Illum autem, qui intellegentiae sapientiaeque se amatorem profitetur, necesse est intellegentis sapientisque naturae primas causas conquirere, dein secundas earum rerum, quae necessario movent alias, cum ipsae ab aliis moventur. Quocirca nobis sic cerno esse faciendum, ut de utroque nos quidem dicamus genere causarum, separatim autem de iis, quae cum intellegentia sunt efficientes pulcherrimarum rerum atque optumarum, et de iis, quae vacantes prudentia inconstantia perturbataque efficiunt. Ac de oculorum quidem causis, ut haberent eam vim, quam nunc habent, satis ferme esse dictum puto. Maxuma autem eorum utilitas donata hominum generi deorum munere deinceps explicetur. Rerum enim optumarum cognitionem nobis oculi attulerunt. Nam haec, quae est habita de universitate oratio a nobis, haud umquam esset inventa, si neque sidera neque sol neque caelum sub oculorum aspectum cadere potuissent. Nunc vero dies noctesque oculis cognitae, tum mensum annorumque conversiones et numerum machinatae sunt et spatium temporis dimensae et ad quaestionem totius naturae inpulerunt. Quibus ex rebus philosophiam adepti sumus, quo bono nullum optabilius, nullum praestantius neque datum est mortalium generi deorum concessu atque munere neque dabitur.

* * *

Defenstrix *quoque* Cicero in Timaeo *protulit.* (Priscianus de XII. vers. Aen. c. 2. §. 16.)

---

2. *ministeriis* C E G: *ministris* cum Perionio O — 3. *oblimi* A — *quoad* corr. ex *quodad* C — *potest et fecit* A B[1] V[1], *potest effecit* B[2] E G V[2] — *existimant* Henr. Stephanus: *aestimant* A B, *estimant* E V, *extimant* G — 5. *quae uim habeant refrigerandi - - liquendi* G V: *quae uim habeant frigoris et caloris quae uim habeant* (*quae cum habeant* B, *que uim habent* E) *refrigerandi - - liquendi* A B E; *quae vim habeant frigoris et caloris, concretionis et liquoris* O — *calfaciendi* A B[2]: *calficiendi* B[1] V, *calefaciendi* G V. Vide ad p. 445, 6. — 6. *careant*] *calleant* in marg. V — 8. *at* corr. ex *ad* B — *ignis, anima, aqua, terra* nos: *ignis aqua terra* C E G; *ignis et aqua et anima et terra* O. Cf. p. 1008, 22. — *eaquae* A — 10. *dein* AB: *deinde* E G V O — *secundas earum rerum* C E G: *secundas causas rerum earum* O — 11. *cum* A[2] B E: om. A[1] G V, [*quum*] O (*quae necessario moventes alias ipsae* Car. Fr. Hermannus.) — 13. *de his* A V, *de hiis* E G — 14. *oblumarum* A — 15. *de his* A V, *de hiis* E G — 17. *hominum* C E G: *humano* O — 19. *cognitionem* C E G *cognitiones* O — *adtulerunt* A — 20. *haud* corr. ex *aut* B — 21. *aspectu* A B[1] G V — 22. *tum*] *cum* G — *mensum* A B: *mensium* E G V O. Cf. p. 541, 27. 883, 8. — 23. *spacium* B G — *temporis*] Hic deficit V, uno folio sequente exsecto. — 24. *filosophiam* A — 26. *neque dabitur: quia pertinet ad mores* cet. (de fato §. 4) A B; *neque dabitur. Explicit Thimeus platonis marci tuly Ciceronis et cetera* E; subscriptione caret G. «Pag. 47 B. ed. Steph. haec exstant Platonis verba *οὔθ' ἥξει ποτὲ τῷ θνητῷ γένει δωρηθὲν ἐκ θεῶν* — , in quae exit hoc Ciceronis fragmentum. Hinc orationis Platonicae paginae XLVI desiderantur.» Or. — 28. Quod p. 45 D in Graecis est *σωτηρίαν γὰρ ἣν οἱ θεοὶ τῆς ὄψεως ἐμηχανήσαντο τὴν τῶν βλεφάρων φύσιν*, insolitam *defenstricis* vocem flagitare potuisse censuit Car. Fr. Hermannus.

F. TITULI LIBRORUM DEPERDITORUM VARII ARGUMENTI.

I. LIBER DE LAUDE CAESARIS.

Hunc librum Cicero de Caesaris actis sibi probatis scripsit, si locum ad Att. l. IV. ep. 5. §. 1. Schützius recte cepit, anno u. 698. Lentulo et Philippo coss.

II. DE ORDINANDA RE PUBLICA.

Fuit hic liber συμβουλευτικός (ad Att. l. XII. ep. 40.) vel epistola ad Caesarem IV. consulem sine collega eundemque dictatorem s. anno u. 709. missa. Circumferuntur etiam nunc incerti auctoris de ordinanda re publica epistolae, quae facilius Sallustio deberi videntur quam Tullio.

III. LAUS PORCIAE.

Hanc laudationem, quae cuius modi fuerit nescimus, eodem anno scriptam memorat ipse Cicero ad Att. l. XIII. ep. 37 et 48. Fuit autem Porcia M. Catonis soror eademque uxor L. Domitii Ahenobarbi.

IV. COMMENTARII CONSULATUS SUI

Graece scripti. Vid. infra poëma eiusdem argumenti.

V. EDICTUM L. RACILII TRIB. PL.

quod sub nomine ipsius Cicero inscripsit in Invectionem P. Clodii. (Ita quidem refert vet. Schol. Ambrosianus ad orat. pro Plancio c. 32. p. 173. ed. Mai. 1817.) Racilius autem tribunatum gessit Lentulo Marcellino et Philippo coss. s. anno u. 698.

VI. ORATIO PRO ADOLESCENTIBUS SICULIS

eaque quaestoria s. a. 679. dicta. (V. Plutarchum Cic. c. 6.)

VII. ORATIO CONTRA T. MUNATIUM PLANCUM

habita a. u. 702. mense Decembr. s. Metello et Pompeio III. coss. (cf. Cic. ad Famil. l. VII. ep. 2. Philipp. VI. c. 4. Dio XL. 55.

VIII. COMMUNES LOCI.

Communes loci, sive qui sunt in vitia directi, quales legimus a Cicerone compositos, seu quibus quaestiones generaliter tractantur, quales sunt editi a Quinto quoque Hortensio. (Quintilianus 2, 1, 11. Locus dubius, de quo vide Spaldingium. Mihi ad ipsa Paradoxa videtur respexisse Quintilianus. Or.)

IX. ORATIONES ALIIS SCRIPTAE.

An eodem modo cogitavit aut eandem personam induit Cicero, cum scriberet Cn. Pompeio et cum T. Ampio ceterisque, ac non unius cuiusque eorum fortunam, dignitatem, res gestas intuitus, omnium, quibus vocem dabat, etiam imaginem expressit? ut melius quidem, sed tamen ipsi dicere viderentur. (Quintilianus 3, 8, 50.)

lescentulo conversa esse scribit Aratea, sic etiam Homerica quaec iuventute ab eo exercitationis causa Latinis expressa sint versibus.

A) ex Iliade.

1. Lib. II. v. 299-330. ap. Cic. de Divin. II, 30, 63.

Ferte, viri, et duros animo tolerate labores,
Auguris ut nostri Calchantis fata queamus
Scire ratosne habeant an vanos pectoris orsus.
Namque omnes memori portentum mente retentant,
Qui non funestis liquerunt lumina fatis.
Argolicis primum ut vestita est classibus Aulis,
Quae Priamo cladem et Troiae pestemque ferebant,
Nos circum latices gelidos fumantibus aris,
Aurigeris divom placantes numina tauris,
Sub platano umbrifera, fons unde emanat aquaï,
Vidimus immani specie tortuque draconem
Terribilem, Iovis ut pulsu penetrabat ab ara:
Qui platani in ramo foliorum tegmine saeptos
Corripuit pullos: quos cum consumeret octo,
Nona super tremulo genetrix clangore volabat,
Cui ferus inmani laniavit viscera morsu.
Hunc, ubi tam teneros volucris matremque peremit,
Qui luci ediderat genitor Saturnius idem
Abdidit et duro formavit tegmine saxi.
Nos autem timidi stantes mirabile monstrum
Vidimus in mediis divom versarier aris.
Tum Calchas haec est fidenti voce locutus:
Quidnam torpentes subito obstupuistis Achivi?
Nobis haec portenta deum dedit ipse creator
Tarda et sera nimis, sed fama ac laude perenni.
Nam quot avis taetro mactatas dente videtis,
Tot nos ad Troiam belli exanclabimus annos,

3. Lib. IX. v. 646-648. ap. Cic. Tusc. l. III. c. 9, 18.

Corque meum penitus turgescit tristibus iris,
Cum decore atque omni me orbatum laude recordor.

B) ex Odyssea.

1. Lib. XII. v. 184-191. ap. Cic. de Fin. l. V. c. 18, 49.

O decus Argolicum, quin puppim flectis, Ulixes,
Auribus ut nostros possis agnoscere cantus!
Nam nemo haec umquam est transvectus caerula cursu,
Quin prius adstiterit vocum dulcedine captus,
Post variis avido satiatus pectore Musis,
Doctior ad patrias lapsus pervenerit oras.
Nos grave certamen belli clademque tenemus,
Graecia quam Troiae divino numine vexit,
Omniaque e latis rerum vestigia terris.

2. Lib. XVIII. v. 136 sq. ap. Augustin. de Civ. D. l. V. c. 8. T. V. p. 293.

Tales sunt hominum mentes, qualis pater ipse
Iuppiter auctiferas lustravit lumine terras.

II. ARATI PHAENOMENA

A CICERONE IN LATINUM CONVERSA

CUM SUPPLEMENTIS GROTII.

Manifesta res est, huius poëmatis unum dumtaxat codicem e communi illo antiquitatis quasi naufragio servatum esse ex quo ceteri ducti sint, si quidem omnes initio truncos iisdemque locis mancos accepimus. Quales autem nunc eos habemus, fuisse videntur iam saeculo nono, ut didici e Servati Lupi epistola LXIX. p. 112. ed. Antverp. *Tullianas epistolas*, inquit, *quas misisti*, *cum nostris conferri faciam, ut ex utrisque, si possit fieri, veritas exsculpatur. Tu autem huic nostri cursori* Tullium in Arato *trade, ut ex eo, quem me impetraturum credo, quae deesse illi* Egil *noster aperuit, suppleantur*. Paucissimi vero hodie exstant codices manuscripti horum Arateorum, quorum antiquissimus videtur

H = codex Harleianus num. 647. descriptus ab Ottleyo in Archaeologiae Britannicae vol. XXVI. P. I. p. 145 seqq. Ipse eum saeculo secundo vel tertio scriptum putat: mihi, quantum ex specimine ipso, litterarum forma, totius scripturae longe recentioris ratione atque praesertim ex erroribus iudicare licuit, summum noni saeculi videtur. — Praeter hunc ab Ottleyo collati sunt duo eius apographa saeculi, ut videtur, decimi:

C = codex Cottonianus, Tib. B. 5.

S = codex Harleianus num. 2506.

Codicis vicem mihi praestitit etiam

P = editio princeps longe rarissima, e codice Siciliensi ducta, a Georgio Valla et Victore Pisano curata, de qua vide Onomastici Tulliani P. I. p. 375.

O = editio mea prior a. 1828.

M. TULLII CICERONIS

ARATEORUM FRAGMENTA PRIORA.

Fragm. I.

A Iove Musarum primordia. (Cicero de Legg. l. II. c. 3.)

Fragm. II.

Quem neque tempestas perimet neque longa vetustas
Interimet, stinguens praeclara insignia caeli. (Priscianus l. X. c. 2. §. 11.)

Fragm. III.

Cetera labuntur celeri caelestia motu,
Cum caeloque simul noctesque diesque feruntur. (Cicero de Nat. Deor. l. II. c. 41.)

Fragm. IV.

Extremusque adeo duplici de cardine vertex
Dicitur esse polus. (Ibid.)

Fragm. V.

Quas nostri septem soliti vocitare Triones;
Ex his altera apud Graios Cynosura vocatur,
Altera dicitur esse Helice. (Ibid.)

Fragm. VI.

Hac fidunt duce nocturna Phoenices in alto.
Sed prior illa magis stellis distincta refulget
Et late prima confestim a nocte videtur.
Haec vero parva est, sed nautis usus in hac est;
Nam cursu interiore brevi convertitur orbe. (Ibid.)

Fragm. VII.

Has inter, veluti rapido cum gurgite flumen,
Torvu' Draco serpit subter superaque revolvens
Sese conficiensque sinus e corpore flexos. (Ibid. c. 42.)

Fragm. VIII.

Huic non una modo caput ornans stella relucet,
Verum tempora sunt duplici fulgore notata,
E trucibusque oculis duo fervida lumina flagrant,
Atque uno mentum radianti sidere lucet:
Obstipum caput et tereti cervice reflexum
Obtutum in cauda maioris figere dicas. (Ibid.)

Fragm. IX.

Hoc caput hic paulum sese seroque recondit,
Ortus ubi atque obitus parte admiscentur in una:
Quod tangens defessa velut maerentis imago
Vertitur * * * * (Ibid.)

Fragm. X.

'Εγγόνασιν vocitant, genibus quia nixa feratur. (Ibid.)

Fragm. XI.

Hic illa eximio posita est fulgore Corona. (Ibid.)

Fragm. XII.

Propter caput Anguitenentis,
Quem claro perhibent 'Οφιοῦχον nomine Graii. (Ibid.)

Fragm. XIII.

Huic supera duplices umeros adfixa videtur
Stella micans tali specie talique nitore. (Priscianus l. XIV. c. 6. §. 52.)

Fragm. XIV.

Hic pressu duplici palmarum continet Anguem,
Atque eius ipse manet religatus corpore torto;
Namque virum medium serpens sub pectora cingit.
Ille tamen nitens graviter vestigia ponit
Atque oculos urguet pedibus pectusque Nepai. (Cicero de Nat. Deor. l. II. c. 42.)

Fragm. XV.

Arctophylax, vulgo qui dicitur esse Bootes,
Quod quasi temone adiunctam prae se quatit Arcton; (Ibid.)
- - - subter praecordia fixa videtur
Stella micans radiis, Arcturus nomine claro. (Ibid.)
- - sub pedibus profert finita Booti (Priscian. l. VI. c. 11. §. 63.)
Spicum inlustre tenens splendenti corpore Virgo. (Servius ad Ge. l. 1. v. 111.)

Fragm. XVI.

Malebant tenui contenti vivere cultu. (Lactant. Inst. l. V. c. 5. §. 5.)

Fragm. XVII.

Ferrea tum vero proles exorta repente est,
Ausaque funestum primast fabricarier ensem
Et gustare manu vinctum domitumque iuvencum. (Cic. de Nat. Deor. l. II. c. 63.)

Fragm. XVIII.

Et Iovis in regno caelique in parte resedit. (Lactant. Instt. l. V. c. 5. §. 9.)

---

2. *seroque* Schaubach: *subitoque* codd. — 3. *parte adm. in una* Hyginus: *partim adm. in una* codd. Ciceronis, *partem adm. in unam* Lambinus. — 4. *Quod tangens* Grotius: *attingens* codd. — 28. *sub pedibus profert finita Booti* Priscianus: *cui subiecta fertur* Cicero.

Fragm. XIX.

Tertia sub cauda ad genus ipsum lumina pandit. (**Priscian. l. VI. c. 4. §. 19.**)

Fragm. XX.

Et natos Geminos invises sub caput Arcti.
Subiectus mediae est Cancer, pedibusque tenetur
Magnu' Leo tremulam quatiens e corpore flammam. (**Cic. de Nat. Deor. l. II. c. 43.**)

Fragm. XXI.

Hoc motu radiantis Etesiae in vada ponti — (**Cic. Orator c. 45.**)

Fragm. XXII.

Navibus absumptis fluitantia quaerere aplustra. (**Priscian. l. VII. c. 15. §. 74.**)

Fragm. XXIII.

Sub laeva Geminorum obductus parte feretur.
Adversum caput huic Helicae truculenta tuetur.
At Capra laevum umerum clara obtinet — (**Cic. de Nat. Deor. l. II. c. 43.**)

Fragm. XXIV.

Verum haec est magno atque inlustri praedita signo:
Contra Haedi exiguum iaciunt mortalibus ignem. (**Ibid.**)

Fragm. XXV.

Corniger est valido conixus corpore Taurus. (**Ibid.**)

Fragm. XXVI.

Has Graeci stellas Ὑάδας vocitare suërunt. (**Ibid.**)

Fragm. XXVII.

Namque ipsum ad tergum Cynosurae vertitur Arcti. (**Ibid.**)

Fragm. XXVIII.

Obscura specie stellarum Cassiepia. (**Ibid.**)

Fragm. XXIX.

Hanc autem inlustri versatur corpore propter
Andromeda aufugiens aspectum maesta parentis. (**Ibid.**)

Fragm. XXX.

Huic Equus ille iubam quatiens fulgore micanti
Summum contingit caput alvo, stellaque iungens
Una tenet duplices communi lumine formas,
Aeternum ex astris cupiens conectere nodum. (**Ibid.**)

Fragm. XXXI.

Exin contortis Aries cum cornibus haeret. (**Ibid.**)

---

12 *absumptis* Orellius: *assumptis* Prisc. — 16. *Helicae* Grotius: *helice* codd.

A Iove Musarum primordia: *semper in ore*
Plurimus ille hominum est, qui compita numine magno
Conciliumque virum complet pelagusque profundum
Et pelagi portus. Fruimur Iove et utimur omnes;
Nos genus illius; nobis ille omine laeto
Dextera praesignat populumque laboribus urget,
Consulat ut vitae: quando sit terra ligoni
Aptior aut bubus monet et quo tempore par sit
Aut serere aut saeptas lymphis adspergere plantas.
Ipse etiam in magno defixit sidera mundo
Ordine quaeque suo atque in totum providus annum
Astra dedit, quae nos moneant, qua quaelibet hora
Apta geri, certa nascantur ut omnia lege.
Idem ergo primus placatur et ultimus idem.
Magne pater, magnum mortalibus incrementum,
Progenies prior, et dulces ante omnia Musae,
Cuncti una salvete mihi et dum sidera canto,
Si ius fasque sinunt, longum deducite carmen.
Cetera labuntur celeri caelestia motu,
Cum caeloque simul noctesque diesque feruntur;
Axis at immotus nunquam vestigia mutat,
Sed tenet aequali libratas pondere terras;
Quem circum magno se volvit turbine caelum.
Extremusque adeo duplici de cardine vertex
Dicitur esse polus, *quorum hic non cernitur, ille*
Ad Boream, Oceani supera confinia tendit:
Quem cingunt U r s a e *celebres cognomine* P l a u s t r i,
Quas nostri septem soliti vocitare Triones.
Alterius caput alterius flammantia terga
Adspicit inque vicem pronas rapit orbis in ipsos
Conversas humeros. Creta, si credere fas est,
Ad caeli nitidos axes venere relicta:
Iuppiter hoc voluit, quem sub bene olentibus herbis
Ludentem Dicti grato posuere sub antro
Idaeum ad montem totumque aluere per annum,
Saturnum fallunt dum Dictaei Corybantes.
Ex his altera apud Graios C y n o s u r a vocatur,
Altera dicitur esse H e l i c e, *quae monstrat Achivis*
In pelago navis quo sit vertenda; sed illa
Confidunt duce nocturna Phoenices in alto.
Sed prior illa magis stellis distincta refulget
Et late prima confestim a nocte videtur.
Haec vero parva est, sed nautis usus in hac est;
Nam cursu interiore brevi convertitur orbe,
Signaque Sidoniis monstrât certissima nautis.
Has inter, veluti rapido cum gurgite flumen,
Torvu' D r a c o serpit, subter superaque revolvens

1. Quae litteris obliquis (s. cursivis) exhibentur, sunt Grotii supplementa.

Sese conficiensque sinus e corpore flexos,
Quos cani tangunt immunes gurgitis Arctoe.
Verum haec extremae circumdatur agmine caudae,
Qua spirae sinus est, involvitur altera caelo.
Nempe Helice extremae circumdatur agmine caudae,
Qua spirae sinus est, caput est Cynosuridos Ursae:
Quae tamen usque pedes summo illum a vertice tangit.
Retrogrado hic iterum cursu convertitur anguis.
Huic non una modo caput ornans stella relucet,
Verum tempora sunt duplici fulgore notata,
E trucibusque oculis duo fervida lumina flagrant,
Atque uno mentum radianti sidere lucet:
Obstipum caput et tereti cervice reflexum
Obtutum in cauda maioris figere dicas.
Opposita extremae capitis sunt dextera caudae.
Hoc caput hic paulum sese seroque recondit,
Ortus ubi atque obitus parte admiscentur in una.

Quod tangens defessa velut maerentis imago
Vertitur; *hanc nemo certo tibi dicere possit,*
Aut quisnam, quo sit fessus, labor: attamen illam
Engonasin vocitant, genibus quia nixa feratur.
Illa petit binis manibus diversa locorum,
Atque humeros supera tensis dispanditur ulnis,
Et super ora cavis spirantia naribus ignem
Serpentis dextrae figit vestigia plantae.

Hic illa eximio posita est fulgore Corona:
Hanc Ariadnaeum Bacchus testatus amorem
Intulit in caelum, qua Nixi terga fatiscunt.

Iuxta humeros Sertum est: propter caput Anguitenentis,
Quem claro perhibent Ophiuchum nomine Graii,
Est caput illius, summoque ex vertice Nixi
Perfacile alterius candentia sidera nosces.
Huic supera duplices umeros adfixa videtur
Stella, micans tali specie talique nitore,
Fulgeat ut, pleno cum lumine Luna refulsit.
Non par est geminis manibus vigor, et licet illis
Nec nullus splendor nec sit parvissima moles,
Attamen est tenuis disperso lumine fulgor.
Hic pressu duplici palmarum continet Anguem,
Atque eius ipse manet religatus corpore torto;
Namque virum medium serpens sub pectora cingit.
Ille tamen nitens graviter vestigia ponit
Atque oculos urget pedibus pectusque Nepai.
Hic, pressus dextra, tollit se parte sinistra,
Ac Serta attingunt summae Minoia malae.
Sub spira quaeres immenso corpore Chelas,
Quae tamen haud magnum iactant pro mole nitorem.

Ipsam Helicen sequitur, non dispar formâ bubulco,
Arctophylax, vulgo qui dicitur esse Bootes,
Quod quasi temone adiunctam prae se quatit Arctum.
Clarus hic, et subter praecordia fixa videtur
Stella micans radiis, Arcturus nomine claro.
Hic se sub pedibus profert finita Booti,
Spicum inlustre tenens, splendenti corpore Virgo.
Sive illi Astraeus pater est, qui dicitur idem
Sideribus stellisque pater, seu quilibet alter,
Sit felix: sane haec narratur fabula vulgo.
Incoluit caelo terras Astraea relicto,
Conventusque hominum non dedignata priorum,
Sed nec femineos spernens invisere coetus,
Leti expers generi mortali mixta resedit,
Nomine Iustitiae gaudens; senibusque coactis
In magnove foro lateve patente platea
Civiles populis dictabat sedula leges:
Nec mala lis fuerat nec dum discordia nota,
Nec fera seditio furiarat mobile vulgus,
Saeva nec audaces fuerant freta passa carinas.
Sed, bubus tracto sulcantes vomere terras,
Malebant tenui contenti vivere cultu,
Sufficiente dea iustis pleno omnia cornu.
Haec manet, in sanctis dum gens manet aurea terris:
At non argenti nimis est laetata metallo,
Moribus et versis versa est prior ipsa voluntas,
Raraque peiori iunxit sua numina genti:
Sola sed ex raucis descendens montibus ibat,
Sub noctem, nulli teneris blandita loquelis;
Sed simulac magnas hominum migrarat ad urbes,
Improba terrificis sic ulta est crimina verbis:
Non ego me dignor posthac monstrare videndam,
Degener o primae proles nunc altera prolis,
Degeneres iterumque iterumque habitura nepotes:
Tunc fera bella hominum generi caedesque nefandae
Impendent culpamque comes sua poena sequetur.
Sic ait et populos, intenta etiam ora tenentes,
Linquit et ad montes silvarumque avia tendit.
Haec aetas vitam liquit sobolemque reliquit.
Ferrea tum vero proles exorta repente est,
Ausaque funestum primast fabricarier ensem
Et gustare manu vinctum domitumque iuvencum.
Tunc, mortale exosa genus, dea in alta volavit
Et Iovis in regno caelique in parte resedit,
Illustrem sortita locum, qua nocte serena
Virgo conspicuo fulget vicina Bootae.
Huic, humeros supera duplices, convertitur alam
Ad dextram Graio Protrygeter nomine dicta,

Stella micans tali specie talique nitore,
Qualis et immensae sub cauda volvitur Arcti.
Illa quidem flagrans: sed et huic flagrantia plura
Sidera, quae parvo poteris reperire labore.
Quin etiam ante pedes magno fulgore notata
Stella nitet: dehinc prima humeros subit, altera lumbos,
Tertia sub cauda ad genus ipsum lumina pandit.
Cetera sed certo passim sine nomine fulgent.

Et natos Geminos invises sub caput Arcti.
Subiectus mediae est Cancer pedibusque tenetur
Magnu' Leo tremulam quatiens e corpore flammam.
Explicat hic summos ardores semita Phoebi.
Tunc nullae apparent per culta novalia spicae,
Principioque adeo Solis per caerula caeli
Hoc motu radiantis Etesiae in vada ponti
Procumbunt glomerati et longo flamine spirant.
Tunc mihi non remis placeat ratis indiga, verum
Larga satis rectoque ad venti commoda clavo.

Si cupis Aurigam atque Aurigae noscere stellas,
Ullaque fama tuas Caprae pervenit ad aures,
Haedorumque simul, quorum duo lumina cernunt
Saepe per iratum iactata cadavera pontum:
Sub laeva *is* Geminorum obductus parte feretur.
Adversum caput huic Helicae truculenta tuetur.
At Capra laevum umerum clara obtinet: *illa putatur*
Ubera adhuc parvo lactenda dedisse Tonanti,
Hanc Iovis Oleniam capram dixere ministri.
Verum haec est magno atque inlustri praedita signo.

Contra Haedi exiguum iaciunt mortalibus ignem
Aurigae in manibus; cuius vestigia servans
Corniger est valido conixus corpore Taurus,
Quem non difficili ratione agnoscere possis.
Namque illum exornant externi haud indiga signi
Sidera, quae vivum caput olli utrimque figurant,
Incluta per totam spargentia lumina frontem:
Has Graeci stellas Hyadas vocitare suërunt.
Sed pes Aurigae dexter cornuque sinistrum
Tauri uno igne micant: pariterque feruntur uterque:
At prior Aurigâ latum petit oceanum Bos,
Cum tamen e placidis surgant simul aequoris undis.

Quin etiam Iasidae domus antiquissima Cephei
Aerumnis est nota suis, quam Iuppiter auctor
Progenii subito praeclaris intulit astris:
Namque ipsum ad tergum Cynosurae vertitur Arcti
Iasides, passis distendens brachia palmis;
Tantaque ab extrema cauda disterminat Arcti
Regula utrumque pedem, quantâ pes a pede distat.

Quod si a Cepheo paulum tua lumina balteo
Dimoveas, versus saevi agmina prima Draconis:
Hic erit, haud plena poteris quam cernere luna,
Obscura specie stellarum Cassiepia:
Nam non crebrae illi stellae neque sidera iuncta
Egregium ex variis componunt ignibus ignem:
Sed quali portas firmatas obiice clavi
Occludit vectis bifori vis obdita valvae,
Talia et hanc etiam prive disposta figurant
Sidera; et ipsa adeo passis distenditur ulnis,
Non secus ac sortem natae miseretur iniquam:
Hanc *namque* inlustri versatur corpore propter
Andromeda aufugiens aspectum maesta parentis:
Quam non sollicitus noctu labor inquirundi;
Tam clarum caput est, tam magno sidere flagrant
Ambo humeri summique pedes vestesque fluentes.
Haec etiam in varias distendit brachia partes,
Utque prius, sic nunc in magno vincula mundo
Non relevant duro defessas pondere palmas.
Huic Equus ille, iubam quatiens fulgore micanti,
Summum contingit caput alvo, stellaque iungens
Una tenet duplices communi lumine formas,
Aeternum ex astris cupiens conectere nodum.
Sed latus atque armos depingunt terna caballi,
Aequali a sese spatio quae sidera distant,
Eximio fulgore, quibus par nec caput altum
Nec longa est cervix: flagrantis at ultima malae
Quattuor his aliis non cedat stella nitore,
Fulgentes inter stellas media ipsa refulgens.
Non equidem hic quadrupes, verum media tenus alvo
Conspicuus profert sonipes venerabilis ora.
Hunc fama est, olim propter iuga summa Heliconis,
Hippocrenaeum nobis donasse liquorem:
Tunc nondum Aonii maduere virentia montis
Fecundo latice: ut generosi prima caballi
Ungula humum tetigit, simul ingens prosiluit fons,
Unde Caballinum primi vocitâre bubulci:
Ille quidem stillans e saxis irrigat agros,
Thespia terra, tuos: sed Equus pro munere tanto
Exornat magni penetralia lucida caeli.
Exin contortis Aries cum cornibus haeret.
Ille quidem, aeternum longos agitatus in orbes,
Segnior haud currit signo Cynosuridos Arcti;
Languidus obscurusque tamen, ceu luna retundat
Flammas aciem, Andromedae se propter cingula volvit;
E quibus hunc subter possis cognoscere fultum.

235. Inde ab hoc versu incipiunt HCSP — v. 1. *A quibus* CS — *hunc* Grotius: *hinc* HCSP.

Nam caeli mediam partem terit, ut prius illae
Chelae; tum pectus quoque cernitur Orionis.
Et prope conspicies parvum sub pectore claro
Andromedae signum, Deltoton dicere Graii
Quod soliti, simili quia forma littera claret:
Huic spatio ductum simili latus extat utrumque;
At non tertia pars lateris — namque est minor illis —,
Sed stellis longe densis praeclara relucet.
Inferior paulo est Aries et flamen ad austri
Inclinatior atque etiam vehementius illi
Pisces, quorum alter paulo prolabitur ante
Et magis horrisonis Aquilonis tangitur alis.
Atque horum e caudis duplices velut aere catenae
Discessuque diu versae per lumina serpunt,
Atque una tandem in stella communiter haerent,
Quem veteres soliti caelestem dicere Nodum.
Andromedae laevo ex umero, si quaesere perges,
Adpositum poteris supera cognoscere Piscem.
E pedibus natum summo Iove Persea vises,
Quos umeris retinet defixo corpore Perseus,
Quem summa ab regione Aquilonis flamina pulsant.
Hic dextram ad sedes intendit Cassiepiae
Diversosque pedes vinctos talaribus aptis
Pulverulentus uti de terra elapsu' repente
In caelum victor magno sub culmine portat.
At propter laevum genus omni ex parte locatas
Parvas Vergilias tenui cum luce videbis.
Hae septem vulgo perhibentur more vetusto
Stellae, cernuntur vero sex undique parvae.
At non interiisse putari convenit unam,
Sed frustra temere a vulgo ratione sine ulla
Septem dicier, ut veteres statuere poëtae,
Aeterno cunctas sane qui nomine signant,

---

2 *Nam* Grotius: *Ima* HCS, *Iam* P — 3. *Cheletum* H, *Chelae cum* P — *quoque* Grotius: *quod* HCSP — 4. *prole conspiciens* H, *prole conspicies* C, *prope conspiciens* P — *clarae* HCS — 5. *grai* H — 6. *solita* HC — *littore* C — 8. *Et non* C — *namque est minor* margo edit. Lambin. a. 1584: *neque est minor* S, *nam non minor* HCP — 10. *ad flamen* C, *et flumen* S — 12. *prolabitur* Morelius: *praelabitur* HCSPO. Cf. v. 396 et 453. — 13. *horrissonis* H — *alas* C — 14. *Atque* HCSP: *At quae* O — *aere* CS: *esse* HPO — 15. *Dicessuque diu uerse* CS, *Dices quae diu diuersae* (litteris *a* in *quae* et *di* in *diuersae* erasis) H, *Dices aut diuersae* P, *Dicuntur sua diversae* O. Sententia videtur: *duae catenae velut aereae diuque a se discedentes* cet. Or. — 16. *Atque una tamen in* HCS, *Ad quae unam tamen in* P — *haeret* HP — 17. *Quem* HCS: *Quam* PO — 18. *leuo* HCS — *umero* H: *humero* CSPO — *quaesere* Phocas (pag. 1718.): *qua exere* P, *querere* HCS — 19. *supera* Morelius: *supra* HCSP — 20. *persea uis est* HCS, *perseus es* P — 21. *umeros* H[1]: *humeros* H[2]CSPO — *corrore* H[1]C — 22. *Quem* Victorius: *Cum* HCS, *Quam* P — 23. *cassiepiae* H[2]CS: *cassi epiam* H[1], *casiopeeae* P, *Cassiepeae* O — 25. *elapsus* HCS, *lapsus* P — 26. *magnum* H[1]P — 27. *leuum* HCS — *omnis parte* HCS, *omnis ex parte* P — 31. *Ac non* HCS — 32. *a* H[1]: *ac* H[2]CS — 34. *sane* H[2]CS: *sano* H[1], *aevo* PO — *signant* H[2]CS: *dignant* H[1]PO. Cf. v. 163.

Alcyone Meropeque, Celaeno Taygeteque,
Electra Steropeque, simul sanctissima Maia.
Hae tenues parvo labentes lumine lucent:
At magnum nomen signi clarumque vocatur
Propterea, quod et aestatis primordia clarat
Et post hiberni praepandens temporis ortus
Admonet, ut mandent mortales semina terris.

Inde Fides posita et leviter convexa videtur,
Mercurius parvus manibus quam dicitur olim
Infirmis fabricatus in alto sede locasse;
Haec genus ad laevum Nixi delapsa resedit,
Atque inter flexum genus et caput Alitis haesit.

Namque est Ales avis, lato sub tegmine caeli
Quae volat et serpens geminis secat aëra pinnis.
Altera pars huic obscura est et luminis expers:
Altera nec parvis nec claris lucibus ardet,
Sed mediocre iacit quatiens e corpore lumen.
Haec dextram Cephei dextro pede pellere palmam
Gestit: iam vero clinata est ungula vemens
Fortis Equi propter pinnati corporis alam.

Ipse autem labens mutis Equus ille tenetur
Piscibus: huic cervix dextra mulcetur Aquari.
Serius haec obitus terrai visit Equi vis,
Quam gelidum valido de pectore frigus anhelans
Corpore semifero magno Capricornus in orbe:
Quem cum perpetuo vestivit lumine Titan,
Brumali flectens contorquet tempore currum.
Hoc cave te in pontum studeas committere mense;
Nam non longinquum spatium labere diurnum,
Non hiberna cito volvetur curriculo nox.
Humida non sese vestris Aurora querellis
Ocius ostendet, clari praenuntia Solis;
At validis aequor pulsabit viribus Auster:
Tum fixum tremulo quatietur frigore corpus.
Sed tamen anni iam labuntur tempore toto,

---

35. *Allione* HCS — *taugeteque* H¹, *taigeteque* H²CS — 36. *Electa* H¹ — *asteropeque* HCS — *maea* H¹ — 39. *clarat* Lambinus: . . . . *at* (erasis quattuor litteris) H¹, *signat* H²C, *signant* S, *clarent* P — 42. *posita et leviter convexa* Cratander: *leuiter posita et conuexa* HGSP. Fort. *leviter positu convexa*. Or. — 43. *paruus - - Infirmis* HCSP: *parvis - - In cunis* Lambinus, O — 47. *Iamque* S — 48. Fort. *et pergens*. Cf. v. 326. Or. — *geminisse catera pinnis* H — *pennis* CSPO — 49. *opscura* H — 52. *dextrim cephei* H — 53. *uehemens* CSP — 54. *Foris eque* H — *pennati* CS — In H folium deest continens versus 55—71. — 55. *mutis* Turnebus: *multis* CSP — 57. *terrae* CS — *iussit* P, *peruisit* S — *equinis* P — 58. *pectore* Nobbe: *corpore* CSP — 59. *setifero* vel potius *setigero* Bouherius. — 61. *cum torquet* S — *cursum* P — 62. *in pontum* CSP: *ponto* O — 63. *longincum* C — *habere* C — 65. *querellis* C: *querelis* SPO — 66. *Otius ostendit* CS — 68. *fissum* CS, *fessum* Grotius.

Nec cui signorum cedunt neque flamina vitant
Nec metuunt canos minitanti murmure fluctus.
At nautae, fulicae similes mergoque natanti,
Anxia per totum iactantes lumina pontum,
Nequidquam nusquam parentia littora quaerunt,
Dum tenuis nigro tabula hos distinguit ab Orco.
Atque etiam supero navi pelagoque vacato
Mense, Sagittipotens Solis cum sustinet orbem,
Nam iam tum nimis exiguo lux tempore praesto est.
Hoc signum veniens poterunt praenoscere nautae:
Iam prope praecipitante licebit visere nocte,
Ut sese emergens ostendat Scorpios alto,
Posteriore trahens flexum vi corporis Arcum.
Sed Nepa non multum prior, at prior exit ab undis.
Iam supera cernes Arcti caput esse minoris
Et magis erectum ad summum versarier orbem.
Tum sese Orion toto iam corpore condit
Extrema prope nocte et Cepheus conditur alte,
Lumborum tenus a palma depulsus ad umbras.
Hic missore vacans fulgens iacet una Sagitta,
Quam propter nitens pinna convolvitur Ales:
Haec clinata magis paulo est Aquilonis ad auras.
At propter se Aquila ardenti cum corpore portat,
Igniferum mulcens tremebundis aethera pinnis,
Non nimis ingenti cum corpore, sed grave maestis
Ostendit nautis perturbans aequora signum.
Tum magni curvus Capricorni corpora propter
Delphinus iacet, haud nimio lustratu' nitore,
Praeter quadruplicis stellas in fronte locatas,
Quas intervallum binas disterminat unum.
Cetera pars late tenui cum lumine serpit.
Illae, quae fulgent luces ex ore corusco,
Sunt inter partes gelidas Aquiloni' locatae
Atque inter spatium et laeti vestigia Solis.
At pars inferior Delphini fusa videtur

---

70. *Ne cui* CS — Versus 72—93 maximam partem evanuerunt in H — 72. *supero* Patricius: *superos* H^1, *super hos* P, *super hoc* H^2CS — *pelagoquae* H — *vacato* Patricius: *uagato* H^1P, *uagatur* H^2CS — 74. *tum nimis* Lambinus: *tum minus* H^2, *cum minus* H^1CSP — 76. *nocti* CP — 77. *emergens* ed. Mediol. a. 1498: *ostendens* CSP — *scorpios* H^1P: *scorpius* H^2CS — *alto* Grotius: *alte* CSP — 79. *supera* P: *super hunc* H^2CS (Quid habuerit H^1, non liquet.) — *arti* corr. in *arcti* H, *arci* CS — 81. *condet* CS — 82. *conditor* C — *altae* CS, *ante* PO — 83. *palma* Morelius: *prima* CSP — 84. *messore* C — 85. *pinna* HP: *penna* CS, *pinnis* O — 88. *mulcis* C, *mulgens* P - *pennis* CS — 91. *cornua* Grotius. (*corpora* firmat Prisc. 6, 4 p. 232. Kr.) — 92. *haut* C, *aut* P — *lustratus* HCSP — 93. *quadruplices* O — 95. *late tenui cum* H, *latet et nullo cum* CS, *laeta tenui cum* P — 97. *aquilonis locatas* HCS, *aquilone locatas* P — 99. *delfini* H — *fusca* P; inter litteras *u* et *s* verbi *fusa* obliteratae sunt litterae *lo* in H.

Inter Solis iter, simul inter flamina venti,
Viribus erumpit qua summi spiritus Austri.

Exinde **O r i o n** obliquo corpore nitens
Inferiora tenet truculenti corpora Tauri:
Quem qui suspiciens in caelum nocte serena
Late dispersum non viderit, haud ita vero
Cetera se speret cognoscere signa potesse.

Namque pedes subter rutilo cum lumine claret
Fervidus ille **C a n i s** stellarum luce refulgens.
Huic tegit obscurus subter praecordia venter:
Nec vero toto spirans de corpore flammam
Aestiferos validis erumpit flatibus ignes:
Totus ab ore micans iacitur mortalibus ardor.
S i r i o n hunc Graeci praeclaro nomine dicunt.
Hic ubi se pariter cum Sole in lumina caeli
Extulit, haud patitur foliorum tegmine frustra
Suspensos animos arbusta ornata tenere.
Nam quorum stirpis tellus amplexa prehendit,
Haec augens anima vitali flamine mulcet:
At quorum nequeunt radices findere terras,
Denudat foliis ramos et cortice truncos.
Tendentem occiduas etiam hunc sentimus ad oras:
Cetera signandis sunt languida sidera membris.

Hunc propter subterque pedes, quos diximus ante,
Orioni' iacet levipes **L e p u s**. Hic fugit, ictus
Horrificos metuens rostri tremebundus acuti.
Nam Canis infesto sequitur vestigia cursu,
Praecipitantem agitans, oriens iam denique paulo
Curriculum numquam defesso corpore sedans.

At Canis ad caudam serpens prolabitur **A r g o**
Conversam prae se portans cum lumine puppim:
Non aliae naves ut in alto ponere proras
Ante solent rostro Neptunia prata secantes,
Sed conversa retro caeli se per loca portat:
Sicuti, cum coeptant tutos contingere portus,
Obvertunt navem magno cum pondere nautae,
Adversamque trahunt optata ad litora puppim.

---

101. *astri* HP — 104. *suspitiens* H — 105. *dispensum* Grotius. — *aud ita* H, *audita* P — 106. *Ceteras speret* H — 107. *clare* HC, *clarae* S — 109. *Huic* Orellius: *Hunc* HCSP — *obscuris* P — *venter* Lambinus: *uesper* HCSP — 110. *Et uero toto spirans* HCS, *Ver toto spirans* P, *Nec toto spirans rabido* O — 112. Fort. *Solus*. Or. — 114. *filiorum* SP — 116. *stirpes* O — 117. *animae* Wakefield. — *flamina* HCSP — 118. *Ad* HCS — 119. *Denuda* H — 120. *Hanc* CS — 121. *Orionis* HCS, *Oriona* P — *leuipedes* H — *hic eugit* H, *hic quoque* CS — 124. *paulum* Morelius. — 125. *defecto* Nobbe. — 126. *praelabitur* P — 127. *Conuexam* HCSP — 128. *ponere* Hyginus (fab. 14.): *pondere* HCSP — 129. *rostris* Hyginus. — 130. *conuexa* HCSP — 131. *Siculi* HCS: *Sicut* PO — *constringere* P — *portos* H[1] — 133. *Aversamque* Grotius. — *oblata ad littora* H[1].

Sic conversa vetus super aethera vertitur Argo,
Atque usque a prora ad celsum sine lumine malum,
A malo ad puppim clara cum luce videtur;
Inde gubernaclum, disperso lumine fulgens,
Clari posteriora Canis vestigia condit.

Exin semotam procul in tutoque locatam
Andromedam tamen explorans fera quaerere Pistrix
Pergit et usque sitam validas aquilonis ad auras
Caerula vestigat finita in partibus austri.
Hanc Aries tegit et squamoso corpore Pisces,
Fluminis inlustris tangentem pectore ripas.

Namque etiam Eridanum cernes in parte locatum
Caeli, funestum magnis cum viribus amnem,
Quem lacrimis maestae Phaëthontis saepe sorores
Sparserunt, letum maerenti voce canentes.
Hunc Orionis sub laeva cernere planta
Serpentem poteris proceraque Vincla videbis,
Quae retinent Pisces, caudarum a parte locata
Flumine mixta retro ad Pistricis terga reverti.
Haec una stella nectuntur, quam iacit ex se
Pistricis spina evalida cum luce refulgens.

Exinde exiguae tenui cum lumine multae
Inter Pistricem fusae sparsaeque videntur
Atque Gubernaclum stellae, quas contegit omnis
Formidans acrem morsum Lepus: his neque nomen
Nec formam veteres certam statuisse videntur.
Nam quas sideribus claris natura polivit
Et vario pinxit distinguens lumine formas,
Has ille astrorum custos ratione notavit
Signaque signavit caelestia nomine vero:
Has autem, quae sunt parvo cum lumine fusae,
Consimili specie stellas parilique nitore,
Non potuit nobis nota clarare figura.

Exinde australem soliti quem dicere Piscem
Volvitur inferior Capricorno versus ad austrum,

---

434. *vertitur*] *labitur* Hyginus. — 435. *usque prora ad caeli sum sine* H, *usque proram ac caeli summum sine* CS, *usque a prora ad coelum sine* P — 436. *clara cum luce* HCS: *cum lumine clara* PO — 438. *condit* P: *candit* H^1, *candet* H^2C, *clarent* S, *tangit* Hyginus. — 440. *querere* HCSP, *quaesere* Morelius. Cf. v. 48. — 441. *aures* H — 443. *Hanc aues* H, *Hanc auis* C, *Hanc nauis* S — 444. *inlustris* (acc. plur.) Orellius: *in lustri* P, *lustri* H, *illustri* CSP — *pectore* Heinsius: *corpore* HCSP — 451. *retinens* H^1P — *a* ed. Mediolanensis: om. HCSP — 453. *Haec* H^2CS: *Hanc* H^1P — 454. *spina evalida* Grotius: *spinae ualida* HCSP — 456. *sparsaequae* H — 457. *contigit* HCSP — *omnes* O — 458. *acram* H — *morsu* HCS — 460. *quas* H^2CS: *quae* H^1O, *que* P — 462. *Has ille* CS: *Haec ille* PO (in H utriusque vocis terminatio est erasa) — 463. *dignauit* H^1 — 464. *cum lumine* HCS: *sub culmine* P, *sub lumine* O — *fusae*] *uelquae* HCS (H in rasura), *uersae* Ottley. — 465. *Consimilis* H, *Consimiles* CS — *speti* (littera in fine erasa) H.

Pistricem observans, procul illis Piscibus haerens.
At prope conspicies, expertes nominis omnes,
Inter Pistricem et Piscem quem diximus Austri
Stellas, sub pedibus stratas radiantis Aquari.

Propter Aquarius obscurum dextra rigat amnem,
Exiguo qui stellarum candore nitescit.
E multis tamen his duo late lumina fulgent:
Unum sub magni pedibus cernetur Aquari,
Quod superest gelido delapsum flumine fontis,
Spinigeram subter caudam Pistricis adhaesit.
Hae tenues stellae perhibentur nomine Aquai.
Hic aliae volitant parvo cum lumine clarae,
Atque priora pedum subeunt vestigia magni
Arcitenentis et obscurae sine nomine cedunt.

Inde Nepae cernes propter fulgentis acumen
Aram, quam flatu permulcet spiritus austri,
Exiguo superum quae lumina tempore tranat:
Nam procul Arcturo est adversa parte locata.
Arcturo magnum spatio supera dedit orbem
Iuppiter; huic parvum inferiore in parte locavit.
Haec tamen aeterno invisens loca curriculo nox
Signa dedit nautis, cuncti quae noscere possent,
Conmiserans hominum metuendos undique casus.
Nam cum fulgentem cernes sine nubibus atris
Aram sub media caeli regione locatam,
A summa parte obscura caligine tectam,
Tum validis fugito devitans viribus austrum,
Quem si prospiciens vitaveris, omnia caute
Armamenta locans tuto labere per undas.
Sin gravis inciderit vehementi flamine ventus,
Perfringet celsos defixo robore malos,
Ut res nulla feras possit mulcere procellas,
Ni parte ex Aquilonis opacam pellere nubem
Coeperit et subitis auris diduxerit Ara.
Sin umeros medio in caelo Centaurus habebit,
Ipseque caerulea contectus nube feretur,
Atque Aram tenui caligans vestiet umbra,

---

169. *opseruans* H — 170. *Et prope* HCSP — *expertis* HCSP — *omnis* HCS — 176. *magni* Aldus: *magnis* HCSP — *aquarii* P — 178. *Spinieram* P, *Spiniferam* O — *supter* H — 179. *Aquai* Morelius: *aquari* HCS, *aquarii* P — 180. *clare* HCS — 181. *prior* H[1] — *subeunt* HCS — 182. *Arquitenentis* H — *opscurae* H, *obscure* P — *cedunt* HCS: *condunt* P — 185. *lumina* P: *lumine* HCS, *limina* Turnebus. — *tempora* HCSP — 186. *aduersa de parte* HCS. Fort. *adversa e parte*. Or. — 187. *spatium* HCSP — *supera* Lambinus: *supero* HCS, *super* P — *orbe* H[2]CS (*orbem* H[1]) — 188. *hunc* P — *inferior* H — 189. *Haec* Morelius: *Hic* HCSP — 190. *cunctique* H — 194. *opscura* H — 202. *subditis* H[1] — *diluxerit* Wakefield. — 203. *Sin umeros* H: *Si numeros* P, *Sin humeros* CSO — 205. *Atque arma* H — *uestigiet* HC.

Ad signorum obitum vis est metuenda Favoni.
Ille autem Centaurus in alta sede locatus,
Qua sese clare conlucens Scorpios infert,
Hunc subter, partem praeportans ipse virilem,
Cedit, equi partis properans subiungere Chelis.
Hic dextram porgens, Quadrupes qua vasta tenetur,
Quam nemo certo donavit nomine Graium,
Tendit et inlustrem truculentus caedit ad Aram.

Hic sese infernis e partibus erigit Hydra,
Praecipiti lapsu flexo cum corpore serpens.
Haec, caput atque oculos torquens ad terga Nepai,
Convexoque sinu subiens inferna Leonis,
Centaurum levi contingit lubrica cauda,
In medioque sinu fulgens Cratera relucet.
Extremam nitens plumato corpore Corvus
Rostro tundit, et hic Geminis est ille sub ipsis
Ante-canis, Graio Procyon qui nomine fertur.

Haec sunt, quae visens nocturno tempore signa
Aeternumque volens mundi pernoscere motum
Legitimo cernes caelum lustrantia cursu.
Nam quae per bis sex signorum labier orbem
Quinque solent stellae, simili ratione notari
Non possunt, quia quae faciunt vestigia cursu
Non eodem semper spatio protrita teruntur.
Sic malunt errare vagae per nubila caeli
Atque suos vario motu metirier orbes.
Hae faciunt magnos longinqui temporis annos,
Cum redeunt ad idem caeli sub tegmine signum;
Quarum ego nunc nequeo tortos evolvere cursus:
Verum haec, quae semper certo volvuntur in orbe
Fixa, simul magnos edemus gentibus orbes.

Quattuor, aeterno lustrantes lumine mundum,
Orbes stelligeri portantes signa feruntur,
Amplexi terras caeli sub tegmine fulti.
E quibus annorum volitantia lumina nosces,
Quae densis distincta licebit cernere signis.

---

206. *At signorum* HCS — *obitu* HS, *obitus* C — 208. *Quae* H — *clare* HCS: *claro* P, *clarum* O — 209. *Hunc* Orellius: *Haec* HCSP — *perpotans* HCSP — 210. *partes* CO — *properat* HCSP — *subiungere* de nat. deor. II § 114: *coniungere* HCSP — 211. *quadripes* HC, *quadrupedes* P — 213. *cedit* HCSP — 214. *infernis e* CS: *inferni se* P, *inferni e* H, *infernis de* O — *idra* HC — 215. *qum* H — 216. *a terga* H — 218. *leui* HCS: *leni* PO — 219. *cretera* H. Cf. v. 387. — 220. *Extrema* HCSP — 221. *tondit* HCSP — 222. *Ante-canis* Lambinus: *Antecanem* HCSP — Versus 224. et 225. inverso ordine leguntur in HCSP; transposuit Lambinus. — 224. *uoles* HS — 225. *cernens* HCS — *caelum* Morelius: *caeli* HCSP — 226. *bis ex* H — *orbem* Turnebus: *orbe* HCSP — 229. *eadem* H — *protrita* HCS: *portata* PO — 231. *suo* H — 232. *Haec* P — 234. *Quarum* Grotius: *Quare* HCSP — *tortos* HCS: *totos* P — 235. *euoluuntur* HCSP — 236. *magnos edemus* HCS: *magno sedem* P, *magnos edicam* Turnebus.

Tam magnos orbes magno cum lumine latos,
Vinctos inter se et nodis caelestibus aptos,
Atque pari spatio duo cernes esse duobus.
At si nocturno convisens tempore caelum,
Cum neque caligans detersit sidera nubes,
Nec pleno stellas superavit lumine Luna,
Vidisti magnum candentem serpere circum,
Lacteus hic nimio fulgens candore notatur.
Is non perpetuum detexens conficit orbem:
Quattuor huic simili nitentes mole feruntur:
Sed spatio multum superis praestare duobus
Dicitur et late caeli lustrare cavernas.

Quorum alter tangens Aquilonis vertitur auras,
Ora petens Geminorum inlustria: tum genus ardens
In sese retinens Aurigae portat utrumque.
Hunc sura laeva Perseus humeroque sinistro
Tangit: at Andromeda hic dextra de parte tenetur,
Cui manus ad Boream, cubitus cui spectat ad Austrum,
Inponitque pedes duplices Equus: et simul Ales
Ponit avis caput et clinato corpore tergum
Anguitenens humeris conititur; illa recedens
Austrum consequitur devitans corpore Virgo.
At vero totum spatium convestiet orbis
Magnu' Leo et claro conlucens lumine Cancer,
In quo consistens convertit curriculum Sol
Aestivus, medio distinguens corpore cursus.
Hic totus medius circo disiungitur; iste
Pectoribus validis atque alvo possidet orbem.
Hunc octo in partes divisum noscere circum
Si potes, invenies supero convertier orbe
Quinque pari spatio, partis tris esse relictas,
Tempore nocturno quas vis inferna frequentat.
\- - - - - -
Alter ab infernis Austri convertitur auris.

Distribuens medium subter secat hic Capricornum,
Atque pedes gelidum rivum fundentis Aquari,

---

242 *Tam* Orellius: *Tum* HCSP — 245. *At si* margo ed. Lamb.: *Ac si* HCS, *Nec sic* P — *convisens* margo ed. Lamb. 1582: *conuises* H¹, *inuises* H²CS, *cognoscens* P — 246. *detergit* HCSP — 247. *superaret* HCSP — 250. *His non* P — 251. *superis* Lambinus: *superes* HCSP — 253. *tangens* om. HCS — 254. *illustratum* P — 255. *auriga* HCSP — 256. *sura* Lambinus: *supera* HCSP — 257. *at Andromeda* Grotius: *ad andromedan* HCS, *ad andromedam* P — 258. *et* om. HCS — 260. *ille* HCS — 262. *Ut uero* HCS — *convestiet* Grotius: *conuestit et* HCSP — 263. *Magnus* HCSP — 266. *iste* Grotius: *ipse* HCSP — 268. *diuersum* HCSP — 270. *partis tris* HCS: *par tristis* P, *partes tres* O — 271. *frequentet* P — 272. Locum mutilum sic explevit et correxit Grotius: *Ille quidem a Borea Cancro connectitur auris; Alter ab infernis contra connititur Austris.* Post v. 272. hunc inserunt HCSP: *Arquitenens (Arcitenens P) humeris connititur ille (illa P) recedens.* Cf. v. 260. — 274. *aquarii* HCSP.

Caeruleamque ferae caudam Pistricis, et illum
Fulgentem Leporem, inde pedes Canis, et simul amplam
Argolicam retinet claro cum lumine Navem:
Tergaque Centauri atque Nepai portat acumen:
Inde Sagittari deflexum possidet arcum.
Hunc, a clarisonis auris Aquilonis ad Austrum
Cedens, postremum tangit rota fervida Solis:
Exinde in superas brumali tempore flexus
Se recipit sedes: huic orbi quinque tributae
Nocturnae partes, supera tres luce dicantur.

Hosce inter mediam partem retinere videtur
Tantus, quantus erit, conlucens Lacteus orbis,
In quo autumnali atque iterum sol lumine verno
Exaequat spatium lucis cum tempore noctis.
Hunc retinens Aries sublucet corpore totus,
Atque genu flexo Taurus conititur ingens:
Orion claro contingens pectore fertur:
Hydra tenet flexu; Cratera et Corvus adhaeret:
Et paucae e Chelis stellae; simul Anguitenentis
Sunt genua et summi Iovis Ales nuntius instat:
Propter Equus capite et cervicum lumine tangit.
Hosce aequo spatio devinctos sustinet axis,
Per medios summo caeli de vertice tranans.
Ille autem claro quartus cum lumine circus
Partibus extremis extremos continet orbes,
Et simul a medio media de parte secatur,
Atque obliquus in his nitens cum lumine fertur:
Ut nemo, cui sancta manu doctissima Pallas
Sollertem ipsa dedit fabricae rationibus artem,
Tam tornare cate contortos possiet orbes,
Quam sunt in caelo divino numine flexi,
Terram cingentes, ornantes lumine mundum,
Culmine transverso retinentes sidera fulta.
Quattuor hi motu cuncti volvuntur eodem.
Sed tantum supera terras semper tenet ille
Curriculum, oblique inplexus tribus orbibus unus,
Quanto est divisus Cancer spatio a Capricorno;
At subter terras spatium par esse necesse est:

---

275. *Caeruleamque ferae* Grotius: *Caeruleaeque feram* HCSP — 277. *Argoam* Grotius. — *claro* HCS: *crabro* P, *crebro* O — 279. *sagittarii* HCSP — *deflexum* HCS: *defixum* PO — *posidet* H — 281. *Condens* P — 282. *in* om. H — *flexus* Morelius: *flexu* HCSP — 285. *Hosce inter mediam in partem* P — 286. *erat* HCS — 287. *uero* HCP — 289. *retinet is aries* H — *toto* HCS — 291. *pectore* Morelius: *corpore* HCSP — 292. *flexu; Cratera et Corvus* Grotius: *flexu crateram coruus* HCSP — 293. *e* om. HCSP — 295. *ceruicis* (*cis* in rasura) H — 296. *deiunctos* Turnebus. — 300. *sequatur* H[1] — 301. *oblicus* HC — 304. *posceret* H, *possidet* P — 305. *numine* Aldus: *lumine* HCSP — 308. *hi motus* HCS, *in motus* P — 310. *implexus* Lemaire: *inflexus* HCSPO — 311. *Quantum* HCSP — 312. *Ac* P — *supter* H.

Et quantos radios iacimus de lumine nostro,
Quis hunc convexum caeli contingimus orbem,
Sex tantae poterunt sub eum succedere partes,
Bina pari spatio caelestia signa tenentes.
Zodiacum hunc Graeci vocitant, nostrique Latini
Orbem signiferum perhibebunt nomine vero;
Nam gerit hic volvens bis sex ardentia signa.
Aestifer est, pandens ferventia sidera, Cancer.
Hunc subter fulgens cedit vis torva Leonis,
Quem rutilo sequitur conlucens corpore Virgo.
Exin prosectae claro cum lumine Chelae;
Ipsaque consequitur lucens vis magna Nepai.
Inde Sagittipotens dextra flexum tenet arcum:
Post hunc ore fero Capricornus vadere pergit:
Humidus inde loci conlucet Aquarius orbe.
Exin squamigeri † serpentes ludere Pisces:
Quis comes est Aries, obscuro lumine labens,
Inflexoque genu prosecto corpore Taurus,
Et Gemini clarum iactantes lucibus ignem.
Haec Sol aeterno convestit lumine lustrans,
Annua conficiens vertenti tempora cursu.
Hic quantum terris convexus pellitur orbis,
Tantundem ille patens supera mortalibu' cedit.
Sex omni semper cedunt labantia nocte,
Tot caelum rursus fugientia signa revisunt.
Hoc spatium tranans caecis nox conficit umbris,
Quod supera terras prima de nocte relictum
Signifero ex orbe est et signorum ordine fultum.

Quod si Solis aves certos cognoscere cursus,
Ortus signorum nocturno tempore vises:
Nam semper signum exoriens Titan trahit unum.
Sin autem officiens signis mons obstruet altus,
Aut adiment lucem caeca caligine nubes,
Certas ipse notas caeli de tegmine sumens
Ortus atque obitus omnes cognoscere possis.

---

314. *hunc* HCS: *lunae* P — *connixum* HCSP — Versus 321—331 leguntur sine poëtae nomine in Burmanni Anthol. Lat. L. 5. Ep. 40. T. II. p. 318. Or. — 321. *caedit* HCS — 323. *prosectae* H: *prolectae* CS, *proiectae* PO — 327. *orbem* HCSP — 328. *squamiferi* HCSP — *certantes* Wakefield. Malim *Exin squamigeri pergunt eludere pisces*. Or. — 329. *est* P: *et* HCS — 330. Fort. *Inflexusque*. Or. — *prosecto* H: *proiecto* CSPO — 333. *vertenti tempora cursu* Grotius: *uertentia corpora cursu* HCS, *uertentia tempore cursus* P — 334. *quantum terris convexus* Morelius: *quantus terris consectus* HCSP — 335. *Tantundem pandens supera* HCS, *Tantundem patens supra* P — *mortalibu' cedit* Orellius: *mortalibus edit* HCSP — 336. *omnes* HCSP — 337. *rursus* HCS: *iussus* P — 339. *supera terras* corr. in *super ad terras* H — *relictum* Grotius: *relictum est* HCSP — 340. *ex orbe est et* Grotius: *ex orbi sex* HCS, *ex orbis et* P — Versus 341—371 desunt in H — 341. *habes tetros* CS, *aues aetros* P — 346. *coeli* P, *calido* CS — *sumens* Lambinus: *sumes* CSP — 347. *poscis* CS.

Quae simul existant, cernes; quae tempore eodem
Praecipitent obitum, nocturno tempore nosces.

Iam, simul ut supero se totum lumine Cancer
Extulit, extemplo cedit delapsa Corona,
Et loca convisit cauda tenus infera Piscis.
Dimidiam retinet stellis distincta Corona
Partem etiam supera, atque alia de parte repulsa est:
Quam tamen insequitur Piscis, nec totus ad umbras
Tractus, sed supero contectus corpore cedit.
Atque humeros usque a genibus clarumque recondit
Anguitenens validis magnum a cervicibus Anguem.
Iam vero Arctophylax non aequa parte secatur,
Nam brevior clara caeli de parte videtur,
Amplior infernas depulsus possidet umbras.
Quattuor hic obiens secum deducere signa
Signifero solet ex orbi, tum serius ipse,
Cum supera sese satiavit luce, recedit,
Post mediam labens claro cum corpore noctem.
Haec obscura tenens convestit sidera tellus:
At parte ex alia claris cum lucibus enat
Orion, humeris et lato pectore fulgens,
Et dextra retinens non cassum luminis ensem.

Sed cum de terris vis est patefacta Leonis,
Omnia, quae Cancer praeclaro detulit ortu,
Cedunt obscurata, simul vis magna Aquilai
Pellitur ac flexo considens corpore Nixus
Iam supero ferme depulsus lumine cedit:
Sed laevum genus atque inlustrem linquit in alto
Plantam. Tum contra exoritur clarum caput Hydrae
Et Lepus et Procyon, qui sese fervidus infert
Ante Canem: inde Canis vestigia prima videntur.

Non pauca e caelo depellens signa, repente
Exoritur pandens inlustria lumina Virgo.
Cedit clara Fides Cyllenia, mergitur unda
Delphinus, simul obtegitur depulsa Sagitta,
Atque Avis ad summam caudam primasque recedit
Pinnas et magnus pariter delabitur Amnis.
Hic Equus a capite et longa cervice latescit:

---

348. *existunt* CS — 350. *Iam simul ut supero* P: *Iam simul ac primò superos* CS — *totum* Grotius: om. CSP — *lumine* P: *flamine* CS — 354. *repulsa est* P: *reuisa* (om. *est*) CS — 356. *Iactus* CS, *Tactus* P — 358. *Inguitenens* CS — *a* om. CS — 359. *Nam uero* CS, *Iam uere* P — 363. *tum* P: *cum* CS — *ipse* CS: *ille* PO — 364. *saciauit* P, *sociauit* CS — 365. *conuestit* P: *conuertit* CS. Cf. v. 262. — Post v. 365. repetunt versum 353. CSP — 367. *enat* CS: *errat* PO — 370. Fort. *Sed cum terribilis vis* cet. Or. — 373. *Pellitur a flexo* P, *Pellitur delexo* HS, *Pellitur deflexo* C — *confidens* HCSP — *corpore* P: *pectore* HCS — 375. *liquit* P — *alto* HCS: *altum* PO — 376. *Plantan* H — 377. *procion* HCS — 380. *pandens* HCS, Heinsius, Wakefield: *candens* P — 383. *at summam* H — 385. *aecus* H[1].

Longius exoritur iam claro corpore serpens
Crateraque tenus lucet mortalibus Hydra.
Inde pedes Canis ostendit iam posteriores,
Et post ipse trahit claro cum lumine puppim:
Insequitur labens per caeli lumina Navis,
Et, cum iam toto processit corpore Virgo,
Haec medium ostendit radiato stipite malum.

At cum procedunt obscuro corpore Chelae,
Existet pariter larga cum luce Bootes,
Cuius in adversum est arcturus corpore fixus,
Totaque iam supera fulgens prolabitur Argo:
Hydraque, quod late caelo disperso tenetur,
Nondum tota patet, nam caudam contegit umbra.
Anguitenens autem renovata luce refulget.
Iam dextrum genus et decoratam lumine suram
Erigit ille vacans vulgato nomine Nixus,
Qui Fidis Arcadicae semper confinia tangit:
Quem nocte extinctum atque exortum vidimus una,
Persaepe ut parvum tranans geminaverit orbem.
Hic genus et suram cum Chelis erigit alte;
Ipse autem praeceps obscura nocte tenetur,
Dum Nepa et Arcitenens invisant lumina caeli:
Nam secum medium pandet Nepa, tollere vero
In caelum totum exoriens conabitur Arcus.
Hic tribus elatus cum signis corpore toto
Lucet; at exoritur media de parte Corona,
Caudaque Centauri extremo candore refulget.
Hic se iam totum caecas Equus abdit in umbras,
Quem rutila fulgens pluma praetervolat Ales.
Occidit Andromedae clarum caput et fera Pistrix
Labitur, horribilis epulas funesta requirens.
Hanc contra Cepheus non cessat tendere palmas:
Illa usque ad spinam mergens se caerula condit.
At Cepheus caput atque umeros palmasque reclinat.

Cum vero vis est vehemens exorta Nepai,
Late fusa volat Per terras fama vagatur:
Ut quondam Orion manibus violasse Dianam
Dicitur, excelsis errans in collibus amens,
Quos tenet Aegaeo defixa in gurgite Chius,
Bacchica quam viridi convestit tegmine vitis.
Ille feras vaecors amenti corde necabat,

---

387. *Creteraque* H. Cf. v. 219. — 394. *Existet* HCSP: *Exsistit* O — 395. *aduerso* HCS — 397. *disparsa* H — 398. *patet* Turnebus: *latet* HCSP — *nam* HCS et Turnebus: *non* P — 400. *vacans* Patricius: *uagans* HCSP — 405. *arquitenens* H — 411. *abdet* P — 413. *caput* om. H — 414. *horribiles* O — 417. *humeros* PO — 422. *aegeo* H — *in* om. H — *Chius* HCS: *echinus* P — 423. *Bacchica quam* Lambinus: *Brachia quae* HCS, *Brachia quam* P — 424. *uecors* CSO.

Oenopionis avens epulas ornare nitentis.
At vero, pedibus subito percussa Dianae,
Insula discessit disiectaque saxa revellens
Perculit et caecas lustravit luce lacunas:
E quibus ingenti existit cum corpore prae se
Scorpios infestus praeportans flebile acumen.
Hic valido cupide venantem perculit ictu,
Mortiferum in venas fundens per vulnera virus:
Ille gravi moriens constravit corpore terram.
Quare cum magnis sese Nepa lucibus effert,
Orion fugiens commendat corpora terris.
Tum vero fugit Andromeda et Neptunia Pistrix
Tota latet: cedit converso corpore Cepheus,
Extremas medio contingens corpore terras.
Hic caput et superas potis est demergere partes:
Infera lumborum numquam convestiet umbra.
Nam retinent Arctoe, lustrantes lumine suras.
Labitur illa simul, gnatam lacrimosa requirens,
Cassiepia, neque ex caelo depulsa decore
Fertur: nam verso contingens vertice primum
Terras, post umeris eversa sede refertur.
Hanc illi tribuunt poenam Nereides almae,
Cum quibus, ut perhibent, ausa est contendere forma.
Haec obit inclinata: at pars exorta Coronae est
Altera, cum caudaque omnis iam panditur Hydra.
At caput et totum sese Centaurus opacis
Eripit e tenebris, linquens vestigia parva
Antepedum contecta, simul cum lumine pandit
Ipse feram dextra retinens, *sed cetera magni*
Exspectant Arcus ortum. Prolabitur inde
Anguitenens capite et manibus: profert simul Anguis
Iam caput et summum flexo de corpore lumen.

Hic ille exoritur converso corpore Nixus,
Alvum, crura, umeros, simul et praecordia lustrans,
Et dextra radios laeto cum lumine iactans.
Inde Sagittipotens superas cum visere luces
Instituit, emergit Nixi caput, et simul effert
Sese clara Fides et promit pectore Cepheus.

---

425. *epulas coenare* P — *nitentes* O — 426. *percussa* Lambinus: *percusa* HCS, *perculsa* P — 427. *reuellins* H — 429. *cum* om. H — 430. *infesta* HCSP. Fort. *infesto*. Or. 432. *fundens* CS: *fuens* H, *fulgens* P, *figens* O — *uiros* H, om. C — 436. *fuit* H — 440. *umbras* H — 441. *arctoe* H (CS): *arcto* P — *suras* Victorius: *summo* HCS, *suo* P — 443. *Cassiepia* HCS: *Casiopea* P, *Cassiepea* O — 444. *uerso* Victorius: *uero* HCSP — 445. *umeris* H (CS): *humeros* P, *humeris* O — 447. *Quam* corr. in *Qum* H[1] — *est* om. H — 448. *Hae* H — *corona* HCSP — 451. *e* P: *et* HCS — 453. *retinens* Orellius: *retinet* HCSP — 455. *capit* H — 457. *umeros* H (CS): *humerosque* P, *humeros* O — 458. *dextrae* HCSP — 459. *cum visere* Morelius: *conuisere* HCSP — 460. *emergit* Morelius: *et mergit* HCSP — 461. *prodit* Buhle.

Fervidus ille Canis toto cum corpore cedit;
Abditur Orion; obit et Lepus abditus umbra;.
Inferiora cadunt Aurigae lumina lapsu.
Crus dextrumque pedem linquens obit infera Perseus
In loca, tum cedens a puppi linquitur Argo.

Inde obiens Capricornus ab alto lumine pellit
Aurigam instantemque Capram, parvos simul Haedos,
Et magnam antiquo depellit nomine Navem.
Obruitur Procyon: emergunt alite lapsu
E terris Volucres: existit clara Sagitta.

Sed cum se medium caeli in regione locavit
Magnus Aquarius et vestivit lumine terras,
Tum pedibus simul et supera cervice iubata
Cedit Equus fugiens: at contra signipotens nox
Cauda Centaurum retinens ad se rapit ipsa,
Nec potis est caput atque umeros obducere latos;
At verō serpentis hydrae caligine caeca
Cervicem atque oculorum ardentia lumina vestit:
Hanc autem totam properant depellere Pisces.
Surgit et Aegoceri vicinus ab aequore Piscis,
Parte alia exspectans instantis sideris ortum:
Sic humeri Andromedae et cum lassis inclula palmis
Crura bipartito signorum tempore surgunt:
Cum primum planis Pisces orientur ab undis,
Andromedae dextras dabitur tibi cernere partes;
At laevas Aries, linquens inferna locorum,
Ostendit terris. Illo sub tempore ferme
Hesperii servantem Aram confinia ponti,
Perseaque usque humeros Eoa in parte videbis.
Hoc dubium est, cessansne Aries praecordia Persei
Attrahat, an Taurus: Tauro simul aethera lustrat.
Sed non desinere haec Tauro exoriente putarim:
Nam vicina illis Aurigae sidera fulgent,
Quem tamen haud totum dias in luminis oras
Taurus agit, Geminis sed enim completur in ipsis.
Sed duplices Haedi et cum planta Capra sinistra
Cum Bove se tollunt: tunc terga immania Pistrix
Erigit et caeli splendentem in fornice caudam.
Occidit ipse etiam prima iam parte Bootes.
Quattuor hunc lato vix condunt sidera ponto,

---

463. *obiit simul abditus umbra est* HCSP — 464. *lapsum* HCSP — 465. *liquens* H — 470. *lapsum* HCSP — 471. *Et terris uolucris* HCSP — 472—480. Hi novem versus accesserunt ex HCS: om. P; decem Grotiani substituti erant in O: *At postquam superum convisit Aquarius orbem, Australisque Arae surgit sanctissima sedes, Seque humero et pedibus primis Equus exserit alte: Centauri oppositam devolvit ad infera caudam Nox, caput et latos humeros et pectora magna Non potis obscurare, et Hydrae quae proxima collo est, Subducit spiram rutilantiaque ora recondit: Cetera sed longum radianti lumine perstant, Nec prius a superis cedunt cum Semifero oris Omnia, quam surgant geminato corpore Pisces.*

Laevaque inocciduae constans subvolvitur Ursae,
Ambo pedes usque ad geminum genus Anguitenentis
Cedentes caelo atque immensa sub aequora lapsi,
Surgentes alibi poterunt monstrare Gemellos.
Iam lateri Pistrix nulli vicina videtur,
Mox visenda tamen, cum iam Fluvii agmina prima
In medio venient nautae cernenda profundo,
Qui signum exspectans magnum manet Oriona;
Nempe iter ut ratis et noctis mensura patescat,
Qualia plura hominum generi di signa dederunt.

III. PROGNOSTICA.

ARGUMENTUM NOBBII.

Hoc carmine, Φαινομένοις subiuncto, Aratus Eudoxo duce de orbibus caelestibus, de stellis singulorum quorumque signorum comitibus, et de portentis, quae ipse Διοσημεῖα i. e. Διός s. caeli signa, Cicero et Avienus Prognostica nominant, deinceps exposuit. Haec Tullius, ut videtur, admodum adolescentulus interpretatus est (N. D. l. II. c. 41.) et aetate iam provectus fortasse recensuit (ad Att. l. II. ep. 1).

1. Ut cum luna means Hyperionis officit orbi,
Stinguuntur radii caeca caligine tecti.
(Priscianus l. X. c. 2. §. 11. cf. Arat. Diosem. v. 130 sq.)

2. Ast autem tenui quae candet lumine Phatne.
Prisc. l. XVI. c. 2. §. 16. — l. XVIII. c. 21. §. 172. cf. Arat. Diosem. v. 160.)

3. Atque etiam ventos praemonstrat saepe futuros
Inflatum mare, cum subito penitusque tumescit,
Saxaque cana salis niveo spumata liquore
Tristificas certant Neptuno reddere voces,
Aut densus stridor cum celso e vertice montis
Ortus adaugescit scopulorum saepe repulsus.
(Cic. de Div. l. I. c. 7. §. 13. cf. Arat. Dios. v. 177—180.)
Cana fulix itidem fugiens e gurgite ponti
Nuntiat horribilis clamans instare procellas,
Haud modicos tremulo fundens e gutture cantus.
(Idem ibid. l. I. c. 8. §. 14. cf. Arat. Dios. 181—183.)

4. Vos quoque signa videtis, aquai dulcis alumnae,
Cum clamore paratis inanis fundere voces,
Absurdoque sono fontis et stagna cietis.
(Idem ibid. l. I. c. 9. §. 15. cf. Arat. Dios. v. 214 sq.)

---

12. *candet lumine Phatne* Patricius: *candent lumine Phatnae* Prisc. (*candet* firmatur codice Turicensi saec. X.)

Saepe etiam pertriste canit de pectore carmen
Et matutinis acredula vocibus instat,
Vocibus instat et adsiduas iacit ore querellas,
Cum primum gelidos rores aurora remittit;
Fuscaque non numquam cursans per litora cornix
Demersit caput et fluctum cervice recepit.

(Cic. de Div. l. I. c. 8. §. 14. cf. Arat. Dios. v. 216—221.)

Mollipedesque boves spectantes lumina caeli
Naribus umiferum duxere ex aëre sucum.

(Idem ibid. l. I. c. 9. §. 15. cf. Arat. Dios. v. 222 sq.)

5. Iam vero semper viridis semperque gravata
Lentiscus triplici solita grandescere fetu
Ter fruges fundens tria tempora monstrat arandi.

(Idem ibid. l. I. c. 9. §. 15. cf. Arat. Dios. 310 sqq.)

6. Caprigeni pecoris custos de gurgite vasto.

(Priscian. l. VI. c. 1. §. 3. e Cic. Progn.)

ARATI PROGNOSTICA

IN LATINUM CONVERSA A CICERONE ET GROTIO.

Primum equidem modicae parent cum cornua Phoebes
Aequore ab Hesperio, nascentem cernere mensem est;
At cum prima Deae tenuem lux emovet umbram,
Luna tibi quartam properabit reddere lucem.
Dimidia octavam, medium fax integra mensem
Denotat atque alias aliis variata figuris
Venturi numerum solita est narrare diei.
Nempe extrema tibi poterunt edicere noctis
Signiferi partes, magnum qui digerit annum.
Quin et plantandi cum tempore tempus arandi
Iuppiter e celso cunctis monstravit Olympo.
Navita venturos e caelo providet imbres,
Et catus in medio saevos timet aequore nimbos,
Arcturum observans et cetera sidera ponto
Aut crepera luce aut primis exacta tenebris.
Scilicet haec longo rota fervida Solis in anno
Permeat, aut pelago candens cum surgit Eoo,
Aut ruber occidui cum mergitur aequoris undis,
Cuncta suam spectant dum caeli sidera lucem.
Scire tibi hoc facile est: namque isthaec omnia monstrant
Bis quini atque novem Phoebei luminis orbes.
Quid ferat Orion a zona clarus ad imum
Iam nosti et rabido flagrantem Sirion aestu.
Iam varias sortes terrae et maris e Iovis astris
Nosse potes stellisque tridentiferi Neptuni.
His operam nava: nec sit tibi quaerere durum,
Si te sollicito cupias committere ponto,
Quae tibi vel fluctus vel venti flamina monstrent.
Est labor hic parvus: non praemia parva labori,
Grandiaque assiduas edulcant gaudia curas.
Ipse etenim sese servat sibi, servat et illum,

Quem monet horrendum, sapiens, vitare periclum:
Saepe adeo navem pelago sub nocte serenam
Subducit, metuens venturam mane procellam.
Tertia nunc illam, nunc quarta aurora videbit:
Nunc subita incautos veniet super. Omnia nondum
Iuppiter humanum docuit genus: abdita caecis
Multa latent tenebris: quae, cum volet, ipse docebit
Altitonans, qui nos praeclaris undique signis
Adiuvat et sortis tradit monimenta futurae.
Multa monet facies aut dimidiata Dianae,
Aut utraque augens aut aucto lumine fulgens.
Multa etiam Eoa surgens Sol aureus ora,
Occiduamve petens: et sunt etiam altera signa,
Plurima quae noctu vel clara luce videntur.
Observa primum nitidae duo cornua Lunae,
Illam alias alio depingit lumine Vesper,
Et diversa redit variatae forma Dianae,
Cum primo crescit, cum quarta et tertia fulget.
Haec etiam instantem poterit tibi ducere mensem.
Tertia nam tenui, sed puro sidere fulgens
Suda erit: at raro paulum perfusa rubore
Ventosa est: nullo si cornua acumine surgant,
Quartaque quae sequitur crasso fax langueat igni,
Aut Austro aut pluviae properis obtunditur undis.
Quod si nec nutent nascentis cornua Lunae,
Tertia nec iaceat resupina per aethera Phoebe,
Cornua sed recte per caelum prona ferantur,
Cras Tartessiacis Zephyrus spirabit ab oris.
At cum recta etiam quarta sub luce renidet,
Collectam metues pluviam, tunc omnia nimbo
Fervere deciduo cernes. Cornu altius apte
Inflexum Borean, resupinum parturit Austros.
Sed si post triduum Lunam ruber ambiat orbis,
Tempestas pelago, tempestas imminet agris:
Quoque rubor maior, maior solet esse procella.
Bis cum dimidio, cum pleno lumine fulget,
Adspice, cum crescit, cum cornua prisca resumit,
Adspice: signa tibi color haud dabit irrita mensis.
Namque auram facies portendit pura serenam;
At cum tota rubet, furibundos indicat austros;
Imber erit, nigro si sit variata colore.
Tempora sed dandis non sunt paria omnia signis.
Nam quae quarta tulit Phoebe vel tertia, durant
Dimidiam ad lunam, quae dimidia, omnia tendunt
Ad plenam; quae plena dedit, spectare videntur
Dimidiam rursum, et quae tunc praebentur ab illa,
Excipiet moribundi aut quarta aut tertia mensis.
Si parilis totam Latoida circulus ambit,

Aut terni geminive utraque ex parte locati;
Unicus aut ventos nobis aut indicat aethram:
Diruptus ventos, evanidus indicat aethram,
Horriferos nimbos geminatus praemonet orbis,
Maioresque trahit triplicata corona procellas;
Maiores, si nigra iacet, si scinditur ultro.
Haec tibi vel mensis vel Phoebe menstrua dicent.
Nec Solem gemina spectare in litoris acta
Poeniteat: Solem certissima signa sequentur:
Cum surget gelidis et cum se condet in undis.
Nolim interstinctam, cum deseret aequora, lucem
Cernere, si Soles optem radiare serenos;
Malim unum nullis maculis spectare colorem:
Si iuga demat equis pacato lumine Titan,
Blandus et Hesperium subeat sine nubibus aequor,
Pulchra serena die poteris sperare sequenti.
Non ita si recavus summo de margine surgat,
Fulgeat aut sparsis radiis: pars tendat ad Austrum,
Pars eat ad Borean mediusque renideat orbis;
Tunc aut suspectus tibi sit Notus aut gravis imber.
Ut videas, subsitne suo lux splendida Soli,
Inspice Solem ipsum (namque is certissimus auctor),
Inspice, num rubeat (fieri quod saepe videmus:
Creber enim educit contracta nube ruborem:)
An niger obscuret faciem: niger indicat imbres,
Rubraque venturos species denuntiat Euros.
Sin ruber incipiet color immiscerier atro,
Omnia tunc Borea pariter pluviaque videbis
Fervere: sin radii coëant crescantque sub unum,
Cum pelago Titan terrisve admoverit orbem,
Aut lateat victus per nubila, sive relicta
Nocte petens lucem, seu noctem luce relicta,
Illa dies pluvias et quae nascetur ab illa
Proferet: Eoo nec si praeeuntia caelo
Nubila Sol radiis picto disiecerit astro,
Sis pluviae ignarus: si se Titanius orbis
Eoo late diffuderit aequore surgens,
Inde magisque magisque exsparsum contrahat ignem,
Dulcior aethra subest, pluvio se tempore quamquam
Abdiderit Phoebus: si caelo decidit imber,
Ex imbri alterius sortem te quaerere lucis,
Nubilaque et solem moneo spectare cadentem.
Nam si nigrae obiens condatur carcere nubis
Phoebus et exiguo radii fulgore micantes
Immensum nebulis circumfundantur in orbem,
Non erit alterius melior fortuna diei.
Purus at Hesperias si Sol labatur in undas,
Cumque parat terris in aquas migrare relictis,

Vicinae rubeant nubes, non crastinus imber,
Non tibi nocturno est metuendus tempore nimbus.
Si Solis radii nigris absconsa tenebris
Marcentes nitido depromant lumina caelo,
(Ut cum Luna means Hyperionis officit orbi,
Stinguuntur radii caeca caligine tecti;)
Aut Phoebo instantem tardanti reddere lucem,
Se toto fundant late ignea nubila caelo,
Non sicco praegnans arebit pulvere tellus,
Nec tibi, si, superis cum Sol est proximus oris,
Obscura radios praeeuntes luce videbis,
Sit pudor aut pluviam aut ventos vitare futuros.
Quoque adeo surgens primo iubar aequore condunt
Maiores tenebrae, maior supereminet imber.
Sin tenui lateant radii caligine, qualis
Est tenerae facies nebulae et subtilibus umbris,
Venturus rapidis Sol obscurabitur austris.
Sed neque, si cingat nigro splendore corolla,
Suda dabit, quoque est Solis vicinior astro,
Quo nigrior, peior: binae saevissima signa.
Adspice, num terras cum Sol petit, aut petit undas,
Erubeant nubes, (dixere Parelia Graii,)
A Borea aut Austro aut a Borea et ab Austro;
Adspice, et hanc secors non umquam neglige curam.
Namque utrumque facis si nubila surgere cernes
Aemula Phoebeae mediumque apud aequora Phoebum,
Nulla mora est, subito densissimus ingruit imber.
Sin Boreas unam caeli sub culmina nubem
Emittat, metue a Borea, sin Auster, ab Austro.
Iunctus erit nimbus, si iunctae nubibus undae.
Quin etiam occidui spectabis litoris ora,
Certa tibi occidui monstrabit litoris ora.
Ast autem tenui quae candet lumine Phatne
Signa dat in Cancro spectans aquilonia flabra
Et geminae tenui stellae fulgore micantes:
Has non distantes nimium nimiumve propinquas
Dispescit spatium cubito non latius uno:
Illa subit Borean, subit haec vicinior Austrum.
Has Asinos dicunt, mediam Praesepe vocarunt,
Quod subito liquidas saepe evanescit in auras,
Cum caeli nituit genitabilis aura sereni,
Coniungens geminos subtracto sidere Asellos:
Postilla undosam poteris spectare procellam.
Si nigra sit Phatne, geminis color unus in astris
Si niteat, pluviis declivibus arva madebunt.
Si Boreae propior languenti torpeat igne
Nube latens caeca, niteat vicinior Austro,
Par metuisse Notum est: contra hic si marceat, ille

Fulgeat, a saevo ventos Aquilone notabis.
Atque etiam ventos praemonstrat saepe futuros
Inflatum mare, cum subito penitusque tumescit,
Saxaque cana salis niveo spumata liquore
Tristificas certant Neptuno reddere voces,
Aut densus stridor cum celso e vertice montis
Ortus adaugescit scopulorum saepe repulsus.
Cana fulix itidem fugiens e gurgite ponti
Nuntiat horribilis clamans instare procellas,
Haud modicos tremulo fundens e gutture cantus.
Cepphum etiam videas caelo volitare sereno
Contra venturos connixum corpore ventos:
Saepe feras anates cernas mergosve relicto
Aequore mox tremulis tellurem plangere pennis;
Aut iuga se supera montis distendere nubem:
Quin etiam pappi, senium canentis acanthae,
Dant venti indicium, numero cum forte videntur
Innumero placidi fluitare per aequora ponti.
Immo adeo ex illa, volitant qua dira per aestum
Fulgura, parte potes venturos noscere flatus.
Si videas stellas noctis volitare per umbram
Praecipites longosque a tergo albescere tractus,
Hoc iter emensi venient per inania venti.
Si varia varias videas ex parte cadentes
In terras ruere et caeli per nubila ferri,
Discordes tendent animae in diversa locorum,
Et varia humanas percellent flamine mentes.
Fulmen ubi ex Euro, fulmen volitabit ab Austro,
Et Zephyro horriferisque Arctoi Aquilonis ab auris,
Tunc nautae pavidos penetrat tremor algidus artus.
O utinam pelago ne tunc obsessus et imbre
Mixta perhorrescat densatis fulgura nimbis!
Saepe etiam pluvia poteris spectare futura
Nubila ceu lanae per caelum vellera ferri:
Tum gemino cingit caelum Thaumantias arcu,
Aut aliqua atratam praeducit stella corollam:
Crebra etiam volucris falsas et crebra palustris
Haurit aquas potasque sitit vehementius undas.
Saepe etiam pluviae praenuntia venit hirundo,
Limosam tumido protundens ventre paludem.
Vos quoque signa videtis, aquai dulcis alumnae,
Cum clamore paratis inanis fundere voces
Absurdoque sono fontis et stagna cietis.
Saepe etiam pertriste canit de pectore carmen
Et matutinis acredula vocibus instat,
Vocibus instat et adsiduas iacit ore querellas,
Cum primum gelidos rores aurora remittit;
Fuscaque non numquam cursans per litora cornix

Demersit caput et fluctum cervice recepit:
Mollipedesque boves spectantes lumina caeli
Naribus umiferum duxere ex aëre sucum.
Saepius et tectis effert penetralibus ova
Angustum formica terens iter, undique et albos
Millepedes circa muros cernuntur iuli,
Quaeque nigrae veteres dixerunt viscera terrae.
Tunc quoque cristatae soboles gallina volucris
Ore pedes legit et crocitans e gutture rauco
Expressit sonitus undae stillantis in undam.
Corvus et atratis velata monedula pennis
Venturo terras madituras imbre monebunt,
Accipitrum in morem si magnis garrula turmis
Agmina concelebrent: gravibus vox aemula guttis
Corvorum pluvias praedixit saepe futuras,
Aut adeo streperas gaudens coniungere voces
Increpuit crociens densis exercitus alis.
Tunc mansuetae anates atque intra limina degens
Graculus assiduis quatiunt suggrundia pennis:
Tunc fulicae magnis poscunt clamoribus undas.
Haec ne, si pluviae cupies cognoscere sortem,
Despicias, nec cum solito maioribus ausis
Purpuream muscae certant haurire cruorem:
Aut nocte incipiunt putres concrescere fungi,
Ardenti in testa: gelidae vel tempore brumae,
Nunc se submisit sublimes ardor in auras,
Et nunc deciduos ignes vomuere lucernae
Ampullis similes tenuesve a lumine summo
Dimanant radii, seu forte aestate serena
Conspicias densas anatum volitare catervas:
Aut igni appositas multo cum lumine cernis
Scintillare ollas et multo ex aere lebetes:
In cinerive vides rutilas carbone tepenti
Effervere notas, forma non dispare cenchris.
Haec catus observa et pluviam sperare memento,
Infima si montis videas sola cuncta tenebris
Et caeca obvolvi nebula summumque cacumen
Nulla nube premi, candenti fide sereno.
Fide sereno etiam, ponti super aequora ferri
Nubila si cernas, sed nondum vergere in altum,
Ceu pelago eminulas videas consurgere rupes.
Cum renitet sudum, venturam inquire procellam:
Cumque procella furit, sudum: atque ante omnia Phatnen
Adspice, quae curvi conclusa est sidere Cancri,
Primum adeo abstersis cum fulget pura tenebris:
Hac pura subito tempestas horrida cedit.
Hinc tacitae in lychnis flammae, blandumque susurrans
Noctua sub mediam noctem, marcescere sensim

Horrisonas monstrant hiemes, et vespere sero
Voce canens varia placidum cornicula carmen.
Rauca etiam primum soli tunc murmura corvi
Ingeminant et se magno post agmine iungunt,
Atque alacri subeunt nocturna cubilia turma
Cantantes multum: multum gaudere putares,
Sic laetos mixtim iactant super aethera cantus:
Et vel in aëriis ramis vel in arbore summa
Concutiunt reduces Eoo tempore pennas.
Tunc immensa gruum videas veniente sereno
Agmina prolixo ferri super aëra tractu,
Nec semel inceptum verso pede flectere cursum.
Si subito astrorum nitidum iubar obscuretur,
Nec densae abscondant atra caligine nubes,
Nec nebulis, nec sint victrici obnoxia Lunae,
Inclita sed proprio marcescant sidera motu,
Tunc tibi non placidam promittit Iuppiter aethram,
Sed tristes auras: caeli regione sub una
Immotam videas illo quoque tempore nubem,
Praeterlapsam aliam atque aliam post terga sequentem,
Ibit et ad pastum magnis clangoribus anser:
Secula passa novem cornix tibi signa procellae
Nocte dabit stridens serumque monedula cantans,
Et surgente die passer reliquaeque volucres
Aequora linquentes: tunc et spelaea subibit
Orchilus et recavas latebras anquiret eritheus,
Nocturnoque satur condetur graculus antro.
Cum fera tempestas instat, nullae undique ceras
Phoenicias variarum apium struxere catervae,
Mellifico ast intus sese accinxere labori:
Atque iter inceptum refugo per aperta volatu
Strymoniae rupere grues et terga dederunt.
Nec levis in placido cum fertur aranea caelo,
Aut invita nitet manantis flamma lucernae,
Aut tenuis cinerem percurrit fulgor ab igni,
Neglige saevam hiemem. Sed quid documenta futuri
Multa tibi referam? Cinis (et quid vilius illo?)
Concretus nimium niveos denuntiat imbres:
Praemonet hos et fax nocturni conscia pensi,
Cum milio paribus candent ellychnia signis,
Tunc spisso veniet glacialis ab aethere grando,
Cum nitet extremus candenti lumine carbo,
Sed medius nebulae tenui velatur amictu.
Non caruit signis, quae non et fructibus, ilex,
Non nigra lentiscus: ne forsan inutilis aestas
Efflueret manibus, crebrum monuere colonum.
Cum nigra densatis curvatur glandibus ilex,
Invocat hibernae gelidissima tempora brumae.

Sin modicos radix emittat vivida fructus,
Nullo obsessa situ tellus florebit aristis.
Iam vero semper viridis semperque gravata
Lentiscus triplici solita grandescere fetu
Ter fruges fundens tria tempora monstrat arandi:
Nam tres esse ferunt promendi vomeris horas:
Primus habet primam fructus mediusque secundam,
Tertius extremo fetus respondet aratro.
Si gravida egregios glandis lentiscus acervos
Proferat, hoc largas spergbis ab omine messes,
Et modica modicam, parca praenoscere parcam
Glande potes: terno pariter quae tempore floret
Squilla tibi dicet, quo surgant mergite culmi:
Nam quaecumque avidum lentiscus feta colonum
Praemonuit, squillae poterunt tibi dicere flores.
Si crebra autumno videas pereunte moveri
Agmina vesparum, subitae si frigora brumae,
Ante etiam Hesperio quam surgant Pleiades ortu,
Praecipitant densoque ruit cum turbine vortex.
Si porcae turpes et oves gracilesque capellae
Expectare mares aveant genitalibus arvis,
Concubitusque novos semper iam nota voluptas
Sollicitet, simili brumam ratione notabis.
Si videt in Venerem tardas nec sponte moveri
Securas nimium generis, cui pallia desunt,
Gaudet inops, hiemes iussus sperare serenas:
Gaudet et assueta gruibus venientibus hora
Tempora qui servat, tardis et tardus arator:
Namque grues venturae imitantur tempora brumae:
Si subito veniunt densisque per aëra turmis,
Immitis festinat hiems; si tardius illae
Agmine non uno, non uno tempore tendunt,
Lenis hiems serum veniens sata sera iuvabit.
Si gravido autumno pecudes et bucera secla
Effodiant pedibus glebas obnixaque vento
Sustentent capita, horrendis furibunda procellis
Surget hiems, nostros fugiet cum lucida visus
Pleias et miseros vexabit bruma colonos,
Non tenerae plantae, flavo non utilis arvo.
Quin potius totis iaceat nix plurima terris,
Cum nondum grandes culmus distinxit aristas,
Ut beet agricolam multo cum fenore tellus.
Nolim equidem gemini pluresve unusve cometes
Flammiferum ducant spatioso limite crinem,
Ne sitiat toto tellus male fertilis anno:
Nec qui continuam proscindit vomere terram,
Si forte emittat volucres circumflua multas
Insula, laetetur: timeat magis: obsita multo

Ne squalore seges vanis eludat avenis
Spes tumidas domini: sed ubi conspexerit illas,
Gaudeat upilio, si quidem tunc lacte recenti
Implebunt multum niveae mulctralia vaccae.
Sic, miserandum! alios alienis vivere damnis
Nos voluere dii et semper contraria vota
Fundere et exiguis vanas spes pascere signis.
Venturas hiemes pecoris didicere magistri,
Cum depulsi ovium properant ad pabula fetus,
Lanigerique duces pecoris cum fortibus agnis
Innixi gemino ludunt per compita cornu
Hirsutosque pedes multo cum pulvere iactant,
Cornigeri binos ductores, quattuor agni:
Aut ubi iam sero processit Vesper Olympo,
Inviti stabulum repetunt atque obvia carpunt
Gramina nec missos curant in terga lapillos.
Saepe etiam instantem minitari dira procellam
Ruricolae docuere boves, cum lingere tentant
Posteriora pedum glabris vestigia linguis,
Aut dextrum in stabulo ponunt latus: hisce magistris
Stivae opus inceptum differt longaevus arator.
Saepe etiam insolito mugitu pascua complent,
Cum stabula et notos repetunt armenta penates,
Floridaque invitae linquentes prata iuvencae
Ante feras cupiunt ventrem saturasse procellas:
Nec levis iliceis nimium capra dedita ramis
Suda monet, multo nec circumfusa luto sus.
Si secum in campis ululet solusque pererret
Arva ignota lupus, quem dira coëgit egestas,
Non vitare homines, propiusque accedere suasit
Mendico similem et dignam conquirere praedam,
Tertius aequoreis cum surget Lucifer undis,
Horrida tempestas instat: sic cetera cuncta
Ventique pluviaeque et saevae signa procellae
Ipsa sequensve dies aut tertia perficit Eos.
Quin etiam parvos, despecta animalia, mures
Confremere et laetas visos ductare choreas
Usibus edocti non contempsere priores
Sollicitosque canes: gemino pede nam sola terrae
Dum canis infestat, saevas praenuntiat auras.
Tunc etiam aequoreis exsurgit cancer ab undis,
Solus et in sicca secum spatiatur arena:
Inde domus socii mures e mollibus herbis
Componunt pedibus lectos pluviamque futuram
Venturasque hiemes gaudent eludere somnis.
Haec ne despicias: sed signum iungere signo
Esto memor: geminis rem praesignantibus unam,
Spes subeat: ternis rata sit fiducia signis.

Quin et praeterito quaecumque notaveris anno,
Confer et observa, quis sidera quaeque diebus
Humanos fugiant visus fugiantve tenebras,
Quidve astrum moneat: nec sit tibi quaerere durum,
Quid vel nascenti primum vel quarta cadenti
Mense ferat; luces namque hae, ceu vincula menses
Connectunt geminos atque octo noctibus aether
Lubricus est, tecta Phoebe cum luce laborat.
Quae tu si totum fueris speculatus in annum,
Certa tibi certum promet praesagia caelum.

IV. ALCYONES.

ARGUMENTUM NOBBII.

Iulius Capitolinus in Gordiano c. 3. carmen hoc titulo inscriptum Ciceroni acceptum referri testatur. [Verba eius haec sunt: «Adolescens cum esset Gordianus, poëmata scripsit, quae omnia exstant, et cuncta illa, quae Cicero ex Demetrio et Arato, et Alcyonas, et Uxorium et Nilum; quae quidem ad hoc scripsit, ut Ciceronis poëmata nimis antiqua viderentur."] Nonius (s. v. Praevius p. 65.) hos servat versiculos, quorum priorem Ciceronis editores olim incepere: Alcyon hunc genuit — recentiores de coniectura: Alcyonem genuit. Ego cum Oliveto Alcyon nomen pro libri titulo habeo et prioris versus principium deesse arbitror. Sermo est autem, ut videtur, de Ceyce, coniuge Alcyones.

* * hunc genuit, claris delapsus ab astris,
Praevius aurorae solis noctisque satelles.

V. UXORIUS. [VI. NILUS.]

VII. LIMON.

ARGUMENTUM NOBBII.

Hoc carmine Tanaquil Faber Ciceronem suspicatur complexum esse epigrammata in viros clarissimos. Hoc epigramma in P. Terentium, quod in Terentii vita, quae Suetonium habet auctorem, c. 5. exstat, fuerunt qui a nescio quo Grammatico confictum putarent. Sed hoc ipsum non modo C. Iulius Caesar imitatus est, eodem usus exordio (cf. Sueton. ibid.), sed etiam Ausonius in Protreptico:

---

6. *quae Cicero edidit, Marium et Aratum et Alcyonas et Uxorium et Limona* Casauboni et Salmasii suspicc.

Tu quoque, qui Latium lecto sermone, Terenti —
Tu quoque, qui solus lecto sermone, Terenti,
Conversum expressumque Latina voce Menandrum
In medio populi sedatis, vocibus effers,
Quidquid come loquens atque omnia dulcia dicens.
(Suetonius vita Terent. c. 5. Burmann Anthol. Lat. L. II. Ep. 222.)

VIII. MARIUS.

ARGUMENTUM NOBBII.

Marium municipalem suum Cicero cecinit vivente adhuc Q. Mucio Scaevola, Pontifice maximo (cf. de Legg. I, 1.), qui Carbone III. et Mario coss. s. anno u. 672. a Damasippo praetore in curia Hostilia interfectus est. (Vell. Paterc. l. II. c. 26.) Duobus eius carminis, quae apud ipsum Ciceronem leguntur, fragmentis Olivetus tertium illud Isidori adscripsit, de quo cf. Marii Plutarchei c. 40.

1. Nuntia fulva Iovis, miranda visa figura.
(Cicero de Legg. l. I. c. 1. §. 2.)

2. Hic Iovis altisoni subito pinnata satelles
Arboris e trunco serpentis saucia morsu
Subrigit, ipsa feris transfigens unguibus, anguem
Semianimum et varia graviter cervice micantem,
Quem se intorquentem lanians rostroque cruentans,
Iam satiata animos, iam duros ulta dolores,
Abiecit ecflantem et laceratum adfligit in unda,
Seque obitu a solis nitidos convertit ad ortus.
Hanc ubi praepetibus pinnis lapsuque volantem
Conspexit Marius, divini numinis augur,
Faustaque signa suae laudis reditusque notavit,
Partibus intonuit caeli pater ipse sinistris.
Sic aquilae clarum firmavit Iuppiter omen.
(Cicero de Divinat. l. I. c. 47. §. 106.)

3. Tunc se fluctigero tradit mandatque paroni.
(Isidorus Orig. l. XIX. c. 1.)

IX. DE SUO CONSULATU.

ADNOTATIO.

Cicero de consulatu suo s. de rebus, quas consul anno u. 691. gesserat, ipse primum Graece scripsit commentarium ante mensem Iunium anni 694. (cf. ad Att. l. II. ep. 1. init.); mox Latinum carmen, ut videtur, tripartitum (vid. ad Att. l. I. ep. 19. §. 10.) cecinit. Scripsit iisdem de rebus etiam epistolam ad Pompeium, quam vetus scholiastes quidam ad

4. *In medium* Cod. Daniel. — *motibus* Barthius. — 5. *dulcia promens* Burmann. — 31. *fluctiseco* Hermannus. Subiungit Isidorus: «Et alibi: *Parunculis ad litus ludit celeribus*;» quae pro Ciceronianis item habuit Lemaire.

or. pro Plancio c. 34. voluminis instar fuisse testatur. (cf. Cic. or. pro Sulla c. 24.) Commentarium autem *ἱστορικὸν* magis quam *ἐγκωμιαστικὸν* fuisse ipse ibidem significat. Ac quantam Plutarchus ei fidem habuerit, videre licet e Caesaris vitae c. 8. Ceterum de Ciceronis consulatu Atticus eodem tempore Graece exposuit. Idem ut Posidonius Rhodius faceret, optare se professus est Cicero ad Att. l. II. ep. 1. Ut iisdem de rebus memoriae proderet, Lucceium pulchella illa, quam ipse quidem praedicat, epistola (ad Div. l. V. 12.) flagitavit anno u. 698. Nobbe. (Plutarchus in Caesare c. 8. Ciceronem *ἐν τῷ περὶ τῆς ὑπατείας* laudans et Cassius Dio 46, 21. Q. Fufio Caleno haec inter alia tribuens: *προθέμενος πάντα τὰ τῇ πόλει πεπραγμένα συγγράψαι (καὶ γὰρ σοφιστὴς καὶ ποιητὴς καὶ φιλόσοφος καὶ ῥήτωρ καὶ συγγραφεὺς εἶναι πλάττεται) ἔπειτ' οὐκ ἀπὸ τῆς κτίσεως αὐτῆς, ὥσπερ οἱ ἄλλοι οἱ τοῦτο ποιοῦντες, ἀλλὰ ἀπὸ τῆς ὑπατείας τῆς ἑαυτοῦ ἤρξατο, ἵνα ἀνάπαλιν προχωρῶν ἀρχὴν μὲν τοῦ λόγου ἐκείνην, τελευτὴν δὲ τὴν τοῦ Ῥωμύλου βασιλείαν ποιήσηται·* — illum commentarium Graece scriptum videntur significare, ex sententia etiam Reimari. Graeco autem illo commentario de consulatu suo, notante etiam Heerenio, Plutarchus usus videtur in narranda coniuratione Catilinaria prorsus neglecto Sallustio. Ex hoc commentario petita sunt etiam illa apud Plutarchum Crass. c. 13: *Ἐν τῷ περὶ ὑπατείας ὁ Κικέρων νύκτωρ φησὶ τὸν Κράσσον ἀφικέσθαι πρὸς αὐτὸν ἐπιστολὴν κομίζοντα περὶ τοῦ Κατιλίνα καὶ ζητουμένην* (leg. *Κατιλίνα αἰτιωμένην*), *ὡς ἤδη βεβαιοῦντα τὴν συνωμοσίαν*. Or.)

Lib. I.

Servius ad Virg. Ecl. VIII. v. 106 sq. p. 47. (Adspice, corripuit tremulis altaria flammis Sponte sua) haec adnotat: *Sine igne subito ex ipsis cineribus flamma emersit. Hoc uxori Ciceronis dicitur contigisse, cum post peractum sacrificium libare vellet in cinerem, ex ipso cinere flamma surrexit, quae flamma eodem anno consulem futurum ostendit eius maritum, sicut Cicero in suo testatur poëmate.*

Lib. II.

Principio aetherio flammatus Iuppiter igni
Vertitur et totum conlustrat lumine mundum
Menteque divina caelum terrasque petessit,
Quae penitus sensus hominum vitasque retentat,
Aetheris aeterni saepta atque inclusa cavernis.
Et si stellarum motus cursusque vagantis
Nosse velis, quae sint signorum in sede locatae,
Quae verbo et falsis Graiorum vocibus errant,
Re vera certo lapsu spatioque feruntur,
Omnia iam cernes divina mente notata.
Nam primum astrorum volucris te consule motus
Concursusque gravis stellarum ardore micantis
Tu quoque, cum tumulos Albano in monte nivalis
Lustrasti et laeto mactasti lacte Latinas,

Vidisti et claro tremulos ardore cometas,
Multaque misceri nocturna strage putasti:
Quod ferme dirum in tempus cecidere Latinae,
Cum claram speciem concreto lumine luna
Abdidit et subito stellanti nocte perempta est.
Quid vero Phoebi fax, tristis nuntia belli,
Quae magnum ad columen flammato ardore volabat,
Praecipitis caeli partis obitusque petessens?
Aut cum terribili percussus fulmine civis
Luce serenanti vitalia lumina liquit?
Aut cum se gravido tremefecit corpore tellus?
Iam vero variae nocturno tempore visae
Terribiles formae bellum motusque monebant,
Multaque per terras vates oracla furenti
Pectore fundebant tristis minitantia casus:
Atque ea, quae lapsu tandem cecidere vetusto,
Haec fore perpetuis signis clarisque frequentans
Ipse deum genitor caelo terrisque canebat.
Nunc ea, Torquato quae quondam et consule Cotta
Lydius ediderat Tyrrhenae gentis haruspex,
Omnia fixa tuus glomerans determinat annus.
Nam pater altitonans stellanti nixus Olympo
Ipse suos quondam tumulos ac templa petivit,
Et Capitolinis iniecit sedibus ignis.
Tum species ex aere vetus venerataque Nattae
Concidit, elapsaeque vetusto numine leges,
Et divom simulacra peremit fulminis ardor.
Hic silvestris erat Romani nominis altrix,
Martia, quae parvos Mavortis semine natos
Uberibus gravidis vitali rore rigabat:
Quae tum cum pueris flammato fulminis ictu
Concidit atque avolsa pedum vestigia liquit.
Tum quis non artis scripta ac monumenta volutans
Voces tristificas chartis promebat Etruscis?
Omnes civilem generosa stirpe profectam
Vitare ingentem cladem pestemque monebant,
Vel legum exitium constanti voce ferebant,
Templa deumque adeo flammis urbemque iubebant
Eripere et stragem horribilem caedemque vereri:
Atque haec fixa gravi fato ac fundata teneri,
Ni prius excelsum ad columen formata decore,
Sancta Iovis species claros spectaret in ortus.
Tum fore ut occultos populus sanctusque senatus
Cernere conatus posset, si solis ad ortum
Conversa, inde patrum sedes populique videret.
Haec tardata diu species multumque morata
Consule te tandem celsa est in sede locata,
Atque una fixi ac signati temporis hora

Iuppiter excelsa clarabat sceptra columna;
Et clades patriae flamma ferroque parata
Vocibus Allobrogum patribus populoque patebat.
Rite igitur veteres, quorum monumenta tenetis,
Qui populos urbisque modo ac virtute regebant,
Rite etiam vestri quorum pietasque fidesque
Praestitit ac longe vicit sapientia cunctos,
Praecipue coluere vigenti numine divos.
Haec adeo penitus cura videre sagaci
Otia qui studiis laeti tenuere decoris,
Inque Academia umbrifera nitidoque Lyceo
Fuderunt claras fecundi pectoris artis:
E quibus ereptum primo iam a flore iuventae,
Te patria in media virtutum mole locavit.
Tu tamen anxiferas curas requiete relaxans,
Quod patriae vacat, id studiis nobisque sacrasti.

(Cicero de Divinat. l. I. c. 11—13. §. 17—22.)

Atque animo pendens † noctu eventa timebat.

(Nonius v. Eventus p. 204.)

Quorum luxuries † fortunata censa peperit.

(Nonius v. Census p. 202.)

LIB. III.

Interea cursus, quos prima a parte iuventae,
Quosque adeo consul virtute animoque petisti,
Hos retine atque auge famam laudesque bonorum.

(Cicero ad Att. l. II. ep. 3. §. 3.)

FRAGMENTUM INCERTAE SEDIS.

In montes patrios et ad incunabula nostra
Pergam. (Cicero ad Att. l. II. ep. 15. §. 3. Tunstallus Ep. p. 109. ad Marium refert.)

X. DE SUIS TEMPORIBUS.

De suis temporibus Cicero tres carminum libros se scripsisse ipse testis est. (ad Famil. l. I. ep. 9. §. 23.) Hos meritorum Lentuli erga se et suae in hunc pietatis testes esse voluit. Itaque non de consulatu tantum, sed etiam de exsilio et de reditu in patriam suo his in libris cecinisse putandus est. Eorundem autem confectio cadit in annum u. 700, quo consules fuere Domitius et Appius Pulcher. NOBBE. Tunstallus Ep. p. 102. distinguit: I. Poëma de consulatu suo, scriptum ante finem a. u. c. 694. II. Poëma de suis temporibus i. e. de exilio ac reditu, compositum a. u. c. 698. III. Poëma [ad Caesarem] ad Attic. 4, 5. «subturpicula καλινῳδία.» Tunstallus tamen hoc potius ad Pompeium missum credit atque in optimatium, Hortensii praesertim, invidiam, Pompeii gratiam scriptum (a. u. c. 698). Cf. etiam Spalding ad Quintiliani 11, 1, 24. Leutschius

18. Fort. *nocturna*. OR. — 20. *fortunae censa peredit* Lipsius Antiq. Lectt. 5, 12.

quidem (*Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft* 1834. *N.* 20.) Vossium de histor. Lat. 1. 12. adducens poëmata de consulatu suo et de temporibus suis pro uno eodemque habet. «*Man bedenke nur, dass der Titel* de consulatu suo *nirgends vorkommt, sondern aus Cicero ad Attic. 1, 19. von Neuern coniicirt ist.*» Nempe vir doctus haec scribens non meminerat loci de Divinat. 1, 11, 17: *tuos edidici etiam versus, et libenter quidem, quos in* secundo Consulatus *Urania Musa pronuntiat* cet. Erravit igitur, dum Nobbium, Bährnum, me erroris insimulat. Cur autem ad Lentulum scribens non utitur vero poëmatis indice «Libri tres Consulatus»? Nempe quia tum animo demisso erat nec coram Lentulo glorioso illo consulatus nomine uti volebat: hinc modeste et generale temporum vocabulum praetulit. Or.

1. Cedant arma togae, concedat laurea laudi.

(Quintilianus l. XI. c. 1. §. 24. Cicero de Offic. l. I. c. 22. §. 77. Idem in Pison. c. 3. §. 73 sq. Idem Philipp. II. c. 8. §. 20. Pseudocicero in Sallust. c. 2. § 7. Pseudosallustius in Cic. c. 3. §. 6. Servius ad Virg. Aen. l. I. v. 1. Plutarchus Compar. Ciceronis cum Demosthene c. 2.)

2. O fortunatam natam me consule Romam!

(Quinctilianus l. c. Idem l. IX. c. 4. §. 41. Iuvenalis Sat. X. v. 122. Pseudosallustius in Cic. c. 3. §. 5. Pseudocicero in Sallust. c. 2. §. 7. Diomedes l. II. p. 461.)

3. *Iovem illum, a quo in concilium deorum advocatur.* — (Quinctil. l. XI. c. 1. §. 24.)

4. *Minerva quae artes eum docuit.* Idem ibid.

XI. ELEGIA TAMELASTIS.

ADNOTATIO NOBBII.

Haec elegia, incertum qua de re composita, nescio quo modo Tamelastis inscripta fuit uno teste Servio, in cuius quidem Mss. aliis Thamelastis, in aliis Temelastis, in aliis Talemgais legitur. Coniecturae si locus esset, titulum fuisse coniicerem τὰ ἐν ἐλάσει. Ea enim verba pro more scribarum Latinis consignata litteris Taenelasei ita facile potuerunt corrumpi, ut tandem elegia Tamelastis diceretur, ut ferme signum illud caeleste ὁ ἐν γόνασιν Latine ficto nominandi casu Engonasis. De qua autem ἐλάσει i. e. profectione cecinerit Cicero, non ausim dicere. Quemadmodum enim prima illa profectio Sullae, ut quibusdam placet, vel valetudinis, secunda Clodii, tertia Caesaris, quarta Antonii causa suscepta, sic ipsa illa in Parthos expeditio, cuius fructu caruit, Ciceroni elegiae componendae occasionem praebere potuit.

Iam mare Tyrrhenum longe penitusque palumbes
Relliquit.

(Servius in Virgil. Ecl. I. v. 58. p. 5.)

---

12. *laurea linguae* interdum affertur, etiam in Codd. Cicero ipse videtur mutasse *linguae* in *laudi*. Or. — 32. *ἰαλεμίστης* Voss.

XII. LIBELLUS IOCULARIS.

ADNOTATIO NOBBII.

Utrum hic istius, quod solus memorat Fabius, carminis Ciceroniani verus sit titulus necne, dubium est. (v. Spalding ad h. l.) Quod carmen cuiusmodi fuerit, non magis clarum est, quam quo tempore sit compositum.

Fundum Vetto vocat, quem possim mittere funda,
Ni tamen exciderit, qua cava funda patet.

(Quinctilianus l. VIII. c. 6. §. 73. Burmanni Anthol. Lat. l. III. Ep. 56. T. 1. p. 493.)

XIII. PONTIUS GLAUCUS.

De hoc unus Plutarchus in Ciceronis vita c. 2. ita: *Καί τι ποιημάτιον ἔτι παιδὸς αὐτοῦ διασώζεται Πόντιος Γλαῦκος, ἐν τετραμέτρῳ πεποιημένον.* Scherpezelius, referente Tzschuckio ad Strabonem Tom. IV. p. 27. Ciceroni ob oculos fuisse suspicatur Aeschyli Glaucum. Sed hic fuit *Πότνιος* vel *Ποτνιεύς*. Vid. Schweighaeuser ad Athen. T. III. p. 87. Animadv. T. II. p. 87 sq. Nobbe. (Cf. Hermannum in Opusculis Vol. 2. p. 64. Or.)

XIV. EPIGRAMMA IN TIRONEM.

(V. Plinii Epist. L. VII. Ep. 4.)

XV. EPIGRAMMA IN CANINIUM REBILUM.

Vigilantem habemus consulem Caninium:
In consulatu somnum non vidit suo.

(Burmanni Anthol. Lat. l. II. Ep. 128. T. 1. p. 307. Notus ille Ciceronis iocus ad Famil. 7, 30. Macrob. Saturn. 2, 3. a recentiore aliquo poëta in distichon hoc videtur conclusus.)

[XVI. VERSUS CLEANTHIS IN LATINUM CONVERSI.]

(Qui versus apud Senecam, Epist. CVII. in fine, leguntur manifesto errore a Burmanno Anthol. Lat. l. III. Ep. 157. Ciceroni tribuuntur, cum ipsius sint Senecae.)

XVII. QUINTI CICERONIS

VERSUS QUIDAM DE XII SIGNIS.

Flumina verna cient obscuro lumine Pisces,
Curriculumque Aries aequat noctisque dieque,
Cornua quem comunt, florum praenuntia, Tauri,
Aridaque aestatis Gemini primordia pandunt,
Longaque iam minuit praeclarus lumina Cancer,

7. *Vetto*] Cod. Ambros. (al. *Veto, Vecto*). *Varro* volgo. — *possit* Ambros.

Languificosque Leo proflat ferus ore calores.
Post modicum quatiens Virgo fugat orta vaporem.
Autumni reserat portas aequatque diurna
Tempora nocturnis dispenso sidere Libra,
Et fetos ramos denudat flamma Nepaï.
Pigra Sagittipotens iaculatur frigora terris.
Bruma gelu glacians iubare spirat Capricorni:
Quam sequitur nebulas rorans liquor altus Aquari:
Tanta supra circaque † vigent ubi flumina. Mundi
At dextra laevaque ciet rota fulgida Solis
Mobile curriculum, et Lunae simulacra feruntur.
Squama sub aeterno conspectu torta Draconis
Eminet: hanc inter fulgentem sidera septem
Magna quatit stellans, quam servans serus in alta
Conditur Oceani ripa cum luce Bootes.

(Burmanni Anthol. Lat. l. V. Ep. 41. T. 2. p. 318.)

XVIII. EIUSDEM AUT ALIUS EPIGRAMMATA DE AMORE FEMINARUM.

1.

Crede ratem ventis, animum ne crede puellis:
Namque est feminea tutior unda fide.

2.

Femina nulla bona est et, si bona contigit ulla,
Nescio quo fato res mala facta bona.

(Ibid. l. III. Ep. 88. T. 1. p. 541. utrumque iungens. Divisit Lemaire.)

H. FRAGMENTA

LIBRORUM INCERTORUM.

I. E LIBRIS RHETORICIS.

1. Meliora unguenta sunt, quae terram, quam quae crocum sapiunt. (Plinius H. N. l. XIII. c. 4. (3.) l. XVII. c. 5. cf. Cic. de Or. l. III. c. 25. §. 99.)

2. Et Cicero quidem in Rhetoricis iudicium subiecit inventioni. (Quintilianus 3, 3, 6. cf. de libris Rhetoricis Quintil. 3, 6, 64.)

---

5. *subiunxit* Spaldingii susp.

3. *Cicero certe* Graecorum Metrodorum Scepsium et Empylum Rhodium nostrorumque Hortensium *tradidit*, quae cogitaverant ad verbum in agendo retulisse. (Quintilianus 10, 6, 4.)

4. Si calor ac spiritus tulit, frequenter accidit ut successum extemporalem consequi cura non possit. Deum tunc adfuisse, cum id evenisset, veteres oratores, *ut Cicero ait*, dictitabant. (Idem 10, 7, 13.)

5. Neque fere tam est ullus dies occupatus, ut nihil lucrativae, *ut Cicero Brutum facere tradit*, operae ad scribendum aut legendum aut dicendum rapi aliquo momento temporis possit. Si quidem C. Carbo etiam in tabernaculo solebat hac uti exercitatione. Ne id quidem tacendum, *quod eidem Ciceroni placet*, nullum nostrum usquam negligentem esse sermonem: quidquid loquemur ubicumque, sit pro sua scilicet portione perfectum. (Idem 10, 7, 27 et 28.)

6. Iudicis vultus saepè ipse rector est dicentis, *ut Cicero praecipit*. (Idem 12, 10, 56.)

7. Id esse optimum, quod cum te facile credideris consequi imitatione, non possis. (Quintilianus l. XI. c. 1. §. 92., ubi consule Spaldingium. Ipsa verba nondum sunt reperta.)

8. — non id egisse, ut ita diceret, quo modo se quilibet posse confideret, sed quo modo nemo. (Idem ibid.)

II. EX ORATIONIBUS.

1. Gladiatores invisos habemus, si omni modo vitam impetrare cupiunt. (Seneca de Tranq. c. 11. quem locum Lipsius refert ad Milonianam, in qua certe similia leguntur c. 34. §. 92.)

2. Nihil *Tullius ait* esse, quod sit manibus humanis laboratum, quod non aliquando ad interitum redigatur vel iniuria hominum vel ipsa confectrice rerum omnium vetustate. (Lactantius Inst. l. VII. c. 11. §. 5. cf. pro Marcello c. 4.)

3. — cum parcere vel laedere potuisset (Tullius), *ut ipse affirmat*, ignoscendi quaerens causas, non puniendi occasiones, quod iudicis lenti et considerati est proprium. (Ammianus Marcellinus l. XIX. c. 12. Hoc fragmentum Beierus ad orationem Metellinam referendum censet.)

4. At huius sceleratissimi opera, qui fuit lucus religiosissimus, nunc est locus desertissimus: nimirum quoniam traditam sibi publicorum custodiam sacrorum non honori, sed oneri esse existimavit. (Rutilius Lupus c. 3. p. 12 sqq., ubi consule Ruhnkenium. Charisius l. IV. p. 251. Diomedes l. II. p. 441. Clodium fortasse significat. Ceterum cf. II. Verr. l. IV. c. 48. ubi similis est ploce.)

5. Quamquam illa non poena, sed prohibitio sceleris fuit. (Quintilianus l. IX. c. 2. §. 18. Rufinianus c. 14. p. 208.)

6. Miror, quid sit, quod pater tuus, homo constantissimus, te nobis varium reliquit. Quintilianus l. VI. c. 3. §. 48. (Varium Huetius Servilium Isauricum dici putat, hominem vestigiis variolarum et animi varietate insignem.)

7. Neque enim poterat indicio et his damnatis, qui indicabantur. (Idem l. IX. c. 3. §. 42 sq.)

8. Mitto illam primam libidinis iniuriam. (Idem 9, 2, 47.)

(Iulius Rufinianus p. 157. Ruhnk.)

17. Hoc miror enim queror que, quemquam hominem alterum verbis velle, ut etiam navem perforet, in qua (Quintilianus 5. 6. 47. Hoc fragmentum ad Scauriana pag. 213 : quo iure, ipse viderit) Meyerus. Propterea h dum censui. Or.)

18. Provincias inter se partiverant. (Pompeius p. mentum Ciceronis, ut apparet ex Valerii Probi p. 148 idem vocabulum partiverant e Cicerone nominatim laudatur

19. Deflexit de proposito. Cic. Philipp. XVI. Laterensis quidem deflexit. (Arusianus Messius p. 225 Lind.)

20. Disceptatio hic est. Cic. Philipp. XVI. Non est illa causa belli. (Idem ibid.)

21. In scelerate, qui subactus et prostitutus es. Differentiarum libri X. 771. Ed. Ot. Ernst.)

III. E LIBRIS PHILOSOPHIS.

1. In libris de Re publica Platonis me comitem prosequi Platone filium Crantorem, sequi Ciceronem, sequor, item Panaetium. (Plinius H. N. Praef. Haec verba nunc dubium alicuius operis philosophici aut etiam ex epistola aliqua ducta sunt. Nonn.)

2. Quoniam utraque earum sententiarum (de morte et de anima) doctissimos habuit auctores, neque, quae vera sit, (Lactantius Inst. I. VII. c. 8. § 8.)

3. Cicero dicit Hippocratem, nobilissimum medicum, scriptum se quosdam fratres, cum simul aegrotare coepissent et sim

22. Apud Arusianum s. Frontonem idem est Philipp. XVI. Paris Halm Hoeus iam collegit continuas aliquammulti ex praeter nostram XV–XVI. Error videtur in nomine Arusiani in librariorum. Deinde non et ego et Bardili. enim sunt ex iis collegi, nec reperitur in

dem tempore ingravesceret, eodem levaretur, geminos suspicatum. (Augustinus de C. D. l. V. c. 2. T. V. p. 282. (Hunc locum Bremius e principio c. 2. de Fato haustum esse suspicatur. Ill. autem Clarus per litteras mihi aperuit, Ciceronem sibi videri festinanter rettulisse sententiam Hippocratis, qui de simili quidem duorum fratrum morbo memoriae prodat, neque vero e morbi similitudine concludat, eosdem esse geminos — de Morbis vulgaribus l. I. Sect. VII. p. 31. C. D. ed. Foes. Nobbe.)

4. Romam conditam Olympiadis sextae anno tertio — (Solinus c. 1. p. 2. ed. Salm. cf. Rep. l. II. c. 10.)

5. Haec est illa lex dei, *ut a Cicerone dictum est (in IV. fortasse de Rep. libro, sed vid. Mai. p.* 271.), praeclara et divina, semper quae recta et honesta iubet, vetat prava et turpia: cui parentem sanctissimae ac certissimae legi iuste ac legitime necesse est vivere. (Lactantius Inst. l. VI. c. 24. §. 29.)

6. Philosophiam dii quibusdam paucis veram dederunt. (Augustinus C. D. l. XXII. c. 22. T. V. p. 1875. An ex Hortensio?)

7. — infelices esse eos, qui omnia sibi licere existimarent. (Ammianus Marcellinus l. XXVI. c. 10. §. 12.)

8. O miserum, cui peccare licebat! (Augustinus de C. D. I. V. c. 27. T. V. p. 334. Marcianus Capella p. 426. cf. Tusc. l. V. c. 19.; e poëta, ut videtur.)

9. Nullum umquam verbum, quod revocare vellet, emisit (Cato, supplente Patricio — Augustinus ep. VII. T. II. p. 32.)

10. [*Cicero in Dialogo:* Fanni, causa difficilis, laudare puerum. Non enim rés laudanda, sed spes est. (Servius ad Aen. VI. v. 877.) Quintilianus 9, 3, 76. habet ista: *Non enim tam spes laudanda quam res est*, subiecta his, ex oratione aliqua, ut videtur, petitis: «Sic in hac calamitosa fama, quasi in aliqua perniciosissima flamma.» Probabile est enim, cum illa *Non - - est* Ciceronis sint, proxime praecedentia ex eodem desumpta esse. Illa autem *Fanni - - est* Maius dedit inter fragmenta librorum incertorum de Re publica.]

11. [Fatum est conexio rerum per aeternitatem se invicem tenens, quae suo ordine et lege [*sic*] variatur, ita tamen, ut ipsa varietas habeat aeternitatem.] (Servius ad Aen. 3, 376. Non tamen ipsa Ciceronis videntur verba, sed immutata ex Lib. I. de Divin. c. 55.)

12. Animalia biuros (al. byturos) vocari, qui vites in Campania erodant — (Plin. H. N. l. XXX. c. 25. sect. 52. fortassis e Chorographia.)

13. Erythraeo oppido superpositum montem Mimanta. (Ammianus Marcellinus l. XXXI. c. 14. §. 8. ex eodem fortasse Ciceronis libro.)

14. — duo axes, Boreus, quem Aquilon*al*em vocamus. Hinc Arctoe sunt, id est septemtriones, quae nobis semper apparent, cuius contrarius est Notius, qui Australis dicitur. Hic est, qui terra tegitur, *ut ait Cicero*, et fanera (*φανερός*, immo *ἀντίχθων*) a Graecis nominatur. (Haec Gronovius, cum med. sec. XVII. Oxonii esset, e Ms. Bodleiano, in quo extremo

23. Ad Africanum minorem potius refert Beier laudans Velleium Pat. 1, 12, 3.: *qui nihil in vita nisi laudandum aut fecit, aut dixit ac sensit.* — 40. *Arctoe*] *ardua* Codex.

scriptum erat: Finit hoc opus de Natura Rerum, eruit. Ceterum cf. Cic. Dispp. Tusc. l. I. c. 28.)

15. *Οὐκ ἀνάξιον δὲ οἶμαι, ὦ Θωμάσιε, κἀκείνου μνησθῆναι, ὃ Κικέρων ἱστορεῖ τοῦ παρὰ Ῥωμαίοις πεζικοῦ πέρι στρατοῦ· φησὶ γὰρ τὰ μὲν ὅπλα οὕτως φέροντας ἀχωρίστως σχεῖν ἀεὶ οἷόν τινα μέλη τοῦ σώματος οἰομένους, καὶ πρός γε τροφὴν σφίσι πέντε ἀποχρῶσαν ἡμέρας· ἀνάγκης τε ἄνευ τινός, καὶ εἰ παρεῖναι συμβαίνοι νωτοφόρα ζῶα, ὃ συνηθείᾳ μακρᾷ βεβαιωθὲν νόμος παρ' αὐτοῖς ἐγίνετο, ὡς καὶ τιμωρίαν ἐπικεῖσθαι εἴ τις παραβαίη.* (Petrus de scientia politica L. IV. c. 5. p. 593. Ed. Maii.)

IV. VARIA.

1. *Cicero:* Quid enim tam praevarum? *id est valide varum.* (Isidorus Origg. Lib. X. p. 143. p. 342. Otto.)

2. *Cicero* non defendi homines sine vituperatione fortasse posse, negligenter defendi sine scelere non posse *firmabat.* (Ammianus Marcellinus l. XXX. 4, 7.)

3. *Animus parvo contentus, quae virtus dicitur* *αὐτάρκεια.* *Quae cum Latine uno verbo dici non potest,* *αὐτάρκεια,* *inquit Cicero,* est, quae parvo contenta omne id respuit, quod abundat. (Scholiastes Cruquianus ad Horat. Sat. 2, 6, 79. p. 484. Cruq.)

4. [Sacrosancta sunt legationis officia, *ut inquit Cicero,* ut etiam inter hostium tela incolumis versaretur.] (Placidus Lactantius ad Statii Theb. 2, p. 62. Ed. Lindenbrog. Similis est sententia de Harusp. Resp. § 34: *Sic enim sentio, ius legatorum cum hominum praesidio munitum sit, tum etiam divino iure esse vallatum.* Sed Placido obversabantur verba de Oratore l. I. § 202., quae vide. Notavi, ne quis erraret. Or.)

5. Nec Cicero, cum se tenebras offudisse iudicibus in causa Cluentii gloriatus est, nihil ipse vidit. (Quintilianus 2, 17, 21. Incertum, utrum ex epistola aliqua deperdita an ex apophthegmatis.)

6. *Cicero:* Cupio eum tam invidiosa fortuna complecti *passive.* (Priscianus 8, 4. T. I. p. 371. *Krehlii.* Sed pro *Cicero* habent *Curio* codd. aliq. et edd. Ven.; idque probabilius. Nomen auctoris abest a Cod. Turic. sec. X. in alio sec. XIII. superscriptum *Cicero.*)

7. Dicit Servius: negat Tullius. (Quintilianus 9, 3, 21. «Haec verba lacunae partem aliquam in oratione pro Murena videntur explere.» Meyer.)

8. *Phalaris, — de quo Cicero dicit:* Inclusorum hominum gemitu mugiebat taurus. (Scholiastes vetus in Iuven. Sat. VI. v. 486. p. 245. Cramer.)

9. *Apud Tullium;* Literarum radices amaras, fructus dulces. (Iulius Rufin. p. 211. Ruhnk.)

---

8. Prorsus similis quidem est locus Tuscul. 2, 37: ubi tamen dicit: *ferre plus dimidiati mensis cibaria,* hic autem *πέντε ἀποχρῶσαν ἡμέρας.* Hinc non improbabiliter Maius: «Vix dubito, quin id Cicero rursus dixerit in aliquo (fortasse quinto) de Republ. libro. Solet enim Cicero sententias suas, ut ille Graecus Isocrates, non raro repetere.»

10. Olympus in immensum editus. (Pompeius p. 356., ubi vide Lindemannum. Fortasse e Chorographia.)

11. Prae negotiatoribus Achaeis syngraphas, quas nostra voluntate conscripsimus. (Nonius v. Syngraphas p. 221. ed. Gothofr. p. 225. Merc.)

12. Caesar poenas facinorum auxit, et cum locupletes eo facilius scelere se obligarent, quod integris patrimoniis exsulabant, parricidas, ut Cicero scribit, bonis omnibus, reliquos dimidia parte multavit. (Suetonius Iul. 42.)

[13. Lysippum Sicyonium Duris negat, Tullius fuisse discipulum (Pythagorae Rhegini) adfirmat; sed primo aerarium fabrum audendi rationem cepisse pictoris Eupompi responso. Eum enim interrogatum, quem sequeretur antecedentium, dixisse demonstrata hominum multitudine naturam ipsam imitandam esse, non artificem. (Plinius H. N. l. XXXIV. c. 8, 5, 19. Gesnerus in Chrestomathia Plin. p. 924. referebat ad haec Ciceronis verba: Brut. c. 86, § 296. *Polycleti doryphorum sibi Lysippus aiebat - - magistrum fuisse*: utique parum probabiliter. Cf. Sillig Catal. p. 252.)]

14. Hunc loquacem esse habitum, numquam disertum. (Isidorus in Differentiarum libro N. 179. Ed. du Breul p. 751.)

15. Scholiasta ad Lucanum l. IV, 819. p. 334. Oud. p. 324 Web.: *momentumque fuit mutatus Curio rerum*] ut cum ipso cuncta mutata sint. Sic e contrario Cicero: «Cum sis post vitam sine momento futurus», id est, nullius momenti.

16. Scholiasta ad Lucanum l. VII, 559. p. 566. Oud. p. 564 Web. *Animis ignes flagrantibus addit.*] Quod ait Cicero: «Currentem, ut dicitur, occupavi.» (Notantibus Bardilio et Webero referri videtur ad Philipp. III. c. 8. § 19. *currentem, ut dicitur, incitavi.*)

17. Nemo umquam sapiens proditori credendum putavit. (Servius ad Aen. II. 157.)

18. Ex alto in campos dissolvi. (Idem ad Ecl. 9, 7.) Locus admodum dubius, et Lion v. Cicero inclusit.

19. Mare movetur ventis, ne putescat. (Idem ad Georg. I, 130.)

20. Cicero domum Scaevolae oraculum dixit civitatis. (Scholiasta Iuvenalis p. 40. Cram.)

21. *Sensa* plural. pro *sensus*; hinc Tullius: «*Caro* laesa laedit sensa.» (*Glossa* Cod. Vaticani A ad Prudentium ed. Arevali T. I. p. 301. Fragmentum est perquam dubium.)

22. *Veternum* generis neutri, ut Cicero: liceat fenerare veternum. (Libell. de genn. nom. Hauptii p. 103. Fragmentum dubium.)

---

9. *negat, Tullius*] Alii rectius: *negat ullius*.

FRAGMENTA

QUIBUS SINGULAE VOCES NOTANTUR

LIBRIS NON NOMINATIS.

1. Arcera. (Nonius s. h. v. p. 55.)

2. Fascem unum si nactus esses. (Charisius I. p. 20.)

3. Forem (*al.* ferem *al.* ficem *al.* faecem). (Fortunatianus l. III. c. 2. de Elocutione p. 91. ed. Capper. Nobbe. v. infra N. 26.)

4. Ipsus. (Diomedes l. I. p. 318.)

5. Plure venit (Charisius l. I. p. 84.)

6. Rare. (Idem l. II. p. 193.)

7. Rarenter. (Idem ibid.)

8. Ructaretur. (Paul. Diacon. v. Ructare p. 414. ed. Gothofr.)

9. De plebeia faece sellulariorum. (Augustin. contra Iul. Pelag. l. II. T. VII. p. 988.)

10. Seps (Ausonius Edyll. XII. Technopaign. p. 496. ed. Toll.)

11. Formicas Cicero appellat solipugas — solivagas Ern. Schütz. — (Plin. H. N. l. XXIX. c. 4, sect. 29.)

12. Stomachose. (Charisius l. II. p. 193. *stomachosius* ad Att. 10, 5.)

13. Tesqua *loca augurio designata* Cicero aspera ait esse et difficilia. (Paul. Diac. v. Tesqua p. 465. ed. Gothofr. p. 567. Amst. p. 151 Lind.)

14. «M. Tullius et C. Caesar *mordeo memordi, pungo pepugi, spondeo spepondi* dixerunt.» (Gellius N. A. L. VII. c. 19, 15. cf. Charis. p. 364. P. Cicero: «Intellexi, quid eum pupugisset.)

15. *Lecturus es hic etiam novum verbum, id est:* essentiam; *sed scias hoc ipsum dixisse Ciceronem. Nam* essentiam *nec non et* indoloriam *nominavit addens:* Licet enim novis rebus nova nomina imponere. (Sidonius Apollinaris in epistola carmini XIV. praemissa p. 144. Ed. Sav. cf. Interpretes ad Finn. 2, § 11. Usum vocis *essentiae* Ciceroni tribuit etiam Seneca in Ep. 58. cf. Muretum Var. Lectt. 15, 20. Spaldingium ad Quintil. 2, 14. p. 338.)

---

20. Apud Festum ipsum p. 272. Lind. sic legitur: «*Cicero* vero aspera difficilia aditu *dixit, cum ait: loca* aspera, saxa tesca tuor.» Vereor tamen ne plura interciderint inter vv. *aditu* et syll *ca*, adeo ut tragici alicuius sit versiculus, non Ciceronis. Or.

16. Hoc algu, τὸ κρύος, et algor, algoris, *ut Cicero*. (Charisius Putschii p. 23.)

17. *Salutarius*, ut Maximus notat, quasi *salubrius*. (Idem p. 194.)

18. *Singularie* pro *singulariter*, quasi *unice* Cic., ut Maximus notat. (Idem p. 195.)

19. [Cicero *Foresia* et *Megalesia* et *Hortesia* sine N. littera libenter dicebat.] (Velius Longus de Orthographia p. 2237.)

20. Virgil. Ecl. VII, 33. *Sinum lactis*] ASPER. *Sinum* est vas vinarium, ut Cicero significat, non, ut quidam, lactarium. (Virgilii Interpretes vett. Ed. Maii. p. 9.)

21. Cicero *Canopitarum exercitum* dicit; ipsi *Canobon* vocant. (Quintilianus 1, 5, 13.)

22. Et Iolaus ille *Violeos*, crede Marco Tullio. (Terentianus Maurus v. 657., ubi cf. Santenium.)

23. «Cicero plurariter *nucleos* dixit.» (Libell. de genn. nom. ed. Hauptii p. 89.)

24. *Sciat etiam Ciceroni placuisse* Aiio Maiiam*que geminata* I. *scribere*. Quintilianus 1, 4, 11. ubi consule Spaldingium. Cf. Priscian. p. 1226. Putsch. Velium Longum p. 2219. Pompeii Commentum p. 22., cuius antiquissimus codex exstat in monasterio S. Galli.)

25. ἐνάργεια, quae a Cicerone *illustratio* et *evidentia* nominatur. (Quintil. 6, 2, 32.)

26. M. Tullius et *sarracum* et *ficem* et *scalas* dicere non turpe duxit. (Curius Fortunatianus A. Rh. l. III. p. 91. Capp. In Fragm. incertis Schuetzii p. 143. affertur: «FORTUN. forem.» quod corrupti huius *ficem* emendatio videtur; *fascem* volebat Moneta; *sarracum* est in Pisonianae Fragm.; *scalae* in Cornelianae.)

27. Σοφίσματα *cavillationes* vocat Cicero. (Seneca Epist. CXI. cf. Acad. prior. l. II. § 75. σοφίσματα — *sic enim appellantur fallaces conclusiunculae.*)

28. Apud Ciceronem remansit *cuicui*. (Pompeius p. 251. Scil. in voc. *cuicuimodi*, ut scite adnotavit Lindemann.)

29. Servius ad Virg. Ecl. 6, 33. «*Liquidi simul ignis*] puri i. e. aetherei, quem Cicero *ignitum liquorem* dicit.»

30. Idem ad Eclog. 9, 42. «Cicero: *umbraculisque silvestribus*. (Cf. notante Bardilio Fragm. de Legibus Lib. V. Vol. 4. P. 1. p. 572. Ed. meae maioris: *in illis alnorum umbraculis*.)

31. Dictum est a Cicerone de philosophis *morturiunt*, mori desiderant. (Augustinus de Grammatica p. 2006. Putsch.)

---

13. Vulgo: *Violens* «Brissaeus ita edidit: *Et Iolaus violeus fit, crede M. T.* Terentianus mea sententia nihil aliud nisi hoc docere voluit, formam nominum, quam Atticam vocant, v. c. Ἰόλεως, in ipsum Latium immigrasse et eodem iure scribi posse cum spiritu Aeolico *Violeus* vel potius *Violeos*, quo Cic. (de Rep. I, c. 10.) scripsit *Philoleos* pro *Philolaus*. Hactenus recte *violeus* restituit Brissaeus, modo maiuscula littera praeposita edidisset *Et Iolaus Violeos fit, cr. M. T.* Verum, cum non constet, unde v. *fit* Brissaeus acceperit, legi etiam poterit: *Et Iolaus ille Violeus, cr. M. T.*» Huschke Comment. de C. Annio Cimbro p. 55. OR.

32. *quaesere* lectum apud Sallustium et apud Tullium. (Phocae Ars. p. 1718. P. Scil. *quaesere* est nunc in Arateis v. 18. Haec No. 14 — 32) nunc primum accedunt.)

33. Voltu tamquam vade. (Probus Putschii col. 1475.) Ad Sestianae c. 8, § 19. rettulit Madvig.

34. Efferunt qui exportant, per duo *f*. Eferunt autem, qui laudando extollunt, per unum *f*. Cicero: «Nimium fortasse haec illi eferunt.» (Isidorus in Differentiarum libro N. 191. p. 752. Ed. du Breul. Natus error e scriptura *ecferunt*. Or.)

35. Tullius «glandiferas possessiones» dixit. (Marcianus Capella Rhetor. p. 425. Capp. Videtur referri ad Philipp. II. c. 39, § 101, ubi alii *arationes grandiferae*, alii *glandiferae*, alii, ut ego edidi, *grandi fenore*. Or.)

TITULI OPERUM DUBIAE FIDEI.

I. DE ORTHOGRAPHIA.

(In vetere Indice Librorum Ciceronis ad calcem Reip. ap. Mai. in Catalog. Codd. Ambros. CI. cf. Adnot. meam ad Fragm. de Chorographia. Nobbe.)

II. DE RE MILITARI.

(Mai l. l.) Liber iste subditicius *de Re militari* saepe cum Ciceronis scriptis editus, v. c. etiam in Edd. Iuntina et Cratandrina, ab aliis commenticio Modesto tribuitur. Compositus autem est a Pomponio Laeto. v. Ebert *bibliogr. Lexicon* N. 14166 et 14167. et in primis *Amadei* PEYRON *Notitiam librorum cet., qui donante* Th. Valperga-Calusio *illati sunt in Reg. Taurin. Athenaei bibliothecam.* Lipsiae 1820. p. 85 seqq.

III. [DE TROPIS.]

1. Metaphora est translatio. Latini ista quasi barbara sic audiunt. Legite Ciceronem et videte, quemadmodum tractat; de ipsis (f. istis) rebus duos libros integros scripsit. Nihil loquitur in ipsis (istis) libris, nisi hoc solum de istis rebus et dat exempla pleraque translata a Demosthene, pleraque sua. (Pompeius Lindem. p. 463., ubi cf. Editorem et Meyerum ad Quintil. I. 1. p. 274. Manifesto Pompeius confudit libros ad Herennium cum libris duobus de Inventione. Nihil aliud hic quaerendum. Or.)

IV. TULLIUS DE ANIMO.

In Codice Basileensi B. X. 9. membr. Sec. XII.: «Animus est in homine et corpus. Animus imperat corpori cet.» (Nihil aliud est nisi particula Augustini, Tractatus in Ioannem c. 20. Or.)

V. EPISTOLAE.

1. Epistolae subditiciae duae Ciceronis ad Atticum et Attici ad Ciceronem in Ed. Iensoniana (v. Ern. Praef. Ed. 1775. p. VII.) sunt Petrarchae.

2. M. Tullii Ciceronis de numerosa oratione ad Tironem; epistola subditicia edita a Bandinio in Suppl. Catal. Bibl. Laur. Vol. II. p. 381.

VI. INVECTIVA CONTRA CATILINAM.

Ciceronis invectiva contra Catilinam in senatu Romano. Bandini C. B. L. Vol. III. p. 645.

VII. SENTENTIAE PROCERUM ROMANORUM.

Sententiae procerum Romanorum, quos Tullius in libro de Re publica introducit. Incipit: »Crassus Parentes vereri, deum timere:» cet. Desinit: «Idem (sc. Socrates) Hactenus praeteriti temporis infamiam migrat.» Cod. membranac. Sec. XV. apud Bandinium Catal. Bibl. Laur. Vol. II. p. 368.

VIII. SYNONYMA.

Cf. Mai. Catal. Codd. Ambros. N. LVI. Ebert. N. 4606.

In Cod. Bernensi N. 178. fol. membr. Sec. IX, folio quinto exstant haec Pseudociceronis Synonyma:

Cicero Veterio (sic: alii Veturio) salutem. Collegi haec verba quae plurimis in unum digestis dicerentur, quo uberior promptiorque fiat oratio *cet.* - - Igitur ab oratore initium capiamus.

ORATOR
actor
defensor
patronus
causidicus
advocatus
DISERTUS
eloquens
facundus
ingeniosus
PROMPTUS
paratus
exercitatus
copiosus
opimus
profluens
abundans
dicentarius (sic)
SPLENDIDUS
lucidus
candidus
nitidus
clarus
inlustris
ORNATUS
varius
comptus
cultus
laetus *cet.* Cf. Sinneri Catal. Mss. Bern. Vol. 1. p. 397.

IX.

In Codice Bernensi N. 224. fol. membr. Sec. X. alia est eiusmodi συναγωγή.

INCIPIUNT SINONENA (*sic*) CICERONIS.

Inanis
vanus
verbosus
vafer
loquax
garrolus (*sic*)
Longus
immodicus
multus
Odiosus
stultus
cupiosus (*sic*)
Causam agere
orare
patrocinare (*sic*)
defendere
degere (*sic*) cf. Sinneri Catal. Vol. I. pag. 488.

X.

In Codice Bernensi supra memorato N. 178 in fine leguntur etiam:

DIFFERENTIAS (*sic*) CYCERONIS (*sic*).

Inter metum (*supple:* et timorem) et pavorem hoc interest, quod metus futura prospicit; timor subita mentis consternatio; pavor animi motus, unde etiam pavida iumenta dicimus. Inter que et ve hoc interest: que coniunctio, ve distinctio. Inter omnes et cunctos et universos hoc interest, quod omnes, quorum mentio est; cuncti, qui in uno loco conversi; qui ubique sunt, universi cet.

XI. DE PROPRIETATIBUS VERBORUM.

Cicero de proprietatibus verborum: libellus typis excusus sub finem seculi XV, sine loci et anni nota, forma quadruplicata, exstat in Bibliotheca Basileensi Aa. VIII. 15. Incipit:

Inter polliceri et promittere hoc interest, quod promittimus rogati, pollicemur ultro cet.

Iam vero «Differentiae» istae et Cod. Bernensis et Editionis, quam Basileae vidi, diverso saepe ordine et cum haud paucis aliis varietatibus Isidoro tribuuntur in eius Opp. ed. du Breul p. 281.

